
Digitized by Google

BIBLIOTHECA S. J.
Maison Saint-Augustin
ENGHIEN

L. 2/53

Digitized by Google



Digitized by Google

B. 25. 2

132

Digitized by Google

MONVMENTA
VETERIS
LITVRGIAE
ALEMANNICAE.

PARS I.

COMPLECTITVR EA,

QVAE AD CELEBRATIONEM MISSAE PERTINENT.

EX ANTIQVIS MANUSCRIPTIS CODICIBVS COLLEGIT

ET DIGESSIT

MARTINVS GERBERTVS

MONASTERII ET CONGREG. S. BLASII IN SILVA NIGRA ABBAS

S. Q. R. I. P.

PERMISSV SVPERIORVM.

TYPIS SAN-BLASIANIS MDCCLXXVII.

ECOLE SAINTE GENEVIÈVE
B D J

Digitized by Google

In omnibus oblationibus laudamus Creatorem omnium per Filium eius IESUM Chriſtum, & per Spiritum ſanctum. S. IUSTINUS Martyr Apol. I. n. 67.

Digitized by Google



IOSEPHO. II.

IMPERATORI. INVICTO

EX. GALLIIS. REDVCI

DVM. BRISGOIAM. RAVRICIAM. QVE. OBIT

MAXIMILIANVM. I.

SEQVVTVS

QVI. ANNO. DOM. MCCCCXCVIII.

COMITIA. FRIBVRGI. BRISGOIAE. CELEBRAVIT

Digitized by Google

CAROLVM. V.

SEQVENTIS. SAECVLI. ANNO. XXXII.
TRACTVM. HERCYNIAE. AD ABNOBAM
ETIAM. MONTEM. TERENTEM

FERDINANDVM. I.

EIVS. FRATREM. ANNO. MDLXII. FRANCOFORDO
AB. ELECTIONE. FILII
IN. ROMANORVM. REGEM. REVERSVM
DIE XXIII. DECEMBRIS. FRIBVRGI. ITEM
MOENIA. INGRESSVM. SEPTIMA. IANVARII
ANNI. SEQVENTIS. EGRESSVM
QVVM
PROVINCIA. ORDINATA
EADEM. VIA. PER. BASILEAM
CONSTANTIAM. OENIPONTVM. REDIIT
QVA. AVGVSTVS. ANNO. HOC. MDCCLXXVII.
MENSE. IVLIO
CENTVM. FERE. POST. ANNIS
POSTEA. QVAM. ABAVVS. PATERNVS

CAROLVS. VI.

LOTHARINGIAE. DVX
INACCESSOS. PRIVS. SILVAE. NIGRAE. MONTES
TRADVCTO. EXERCITV. CAESAREO
SVPERAVIT. ANNO. MDCLXXVIII.
MENSE. ITIDEM. IVLIO

QVOD.

Digitized by Google

QVOD. TESTATVM. FACIT. MONVMENTVM
SVPERSTES. IN. SACRARIO. DIVI. BLASII
HOC. VERO. PRAESENS. PONIT
QVI. A. SACRIS. EST. AVGVSTAE. GENTI
IN. HIS. TERRIS
SVO. HOC. PERFVNCTVS. MVNERE
MENSIS. IVLII. ELAPSI. DIE. XX.
IN. BASILICA. FRIBVRGENSI
CAESARE
VIRTVTE. ET. EXEMPLO. SINGVLARI
NVDVM. IN. PAVIMENTVM. GENIBVS. PROVOLVTO
AD. SACRAM. LITVRGIAM
ANTE. SEPTENNIVM. VERO

MARIA. ANTONIA

NOVA. GALLIARVM. SPE
VTRVM. QVE. RHENI. LITVS. PACIFICANTE
IVNCTA. CONIVGII. FOEDERE

LVDOVICO. XVI.

EODEM. ANNO. MDCCLXX. QVO. VERGENTE
HABSBVRGO. AVSTRIACAE. STIRPIS. PROAVOS
RELIGIOSAE. SEPVLTVRAE. REDDIDIT
IDEM. DEVOTISSIMVS. SACELLANVS

MARTINVS. GERBERTVS.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Poſt *Francos*, quam inter *Saxones* & *Alemannos* notat gentem S. HIERONYMUS in vita S. HILARIONIS, *Germanicis* proximi ex nationibus fuerunt *Alemanni*, apud quos chriſtiana conſtabilita fuit religio. *Francis* ea obtigit ſub CLODOVEO beata ſors, poſtquam iam in unam cum *Gallis* coaluerunt gentem.

Eo pertinent monumenta liturgica *Francico-Gallicana* a Ven. THOMASIO, MABILLONIO, MARTENIO in lucem primum protracta. Prima liturgiæ *Gallicanæ* forma convenit cum *Gothico-Hiſpanica*, ut tamen paullatim quædam ex ritu *Romano* adoptarentur, antequam, vergente ſæculo VIII. ad finem, CAROLUS M. ab HADRIANO P. purum & integrum acciperet ſacramentarium *Romanum*.

Etſi vero dudum antea *Alemanni* colla ſubderent imperio *Francico*, atque adeo etiam aſſueſcerent iugo Chriſti, nullum tamen ſupereſt monumentum liturgiæ *Alemannicæ* ad formam veteris *Francico-Gallicanæ* exactum. Forte huc revocari poſſet Miſſale vetus *Gallicanum*, quod tertio loco editum eſt apud THOMASIUM, & MABILLONIUM ex codice *Palatino* bibliothecæ *Vaticanæ* e noſtris illuc delato plagis. In *Alemanniam* etiam per diœceſin *Baſileenſem* protenditur provincia eccleſiaſtica *Veſontina*, ex qua, monaſterioque *Luxovienſi* ſacramentarium *Gallicanum*, in *Bobienſe*

mona-

monaſterium per S. COLUMBANUM veriſimillime transportatum putat MABILLONIUS, qui illud edidit T. I. Muſ. *Ital.*

Quodſi enim vero altius aſſurgere lubeat ad prima chriſtianæ fidei ſemina in *Alemannia* ante regnum *Francicum* ſparſa, vocabula non pauca eccleſiaſtica, ut in diſquiſit. liturg. animadvertimus, *Græcæ* equidem originis *Alemannis* communia ſunt cum cæteris *Teutonicis* nationibus. Oſtendimus porro, quomodo ſæc. II. in occidentalem *Alemanniæ* plagam lux quædam fidei illuceſcere potuerit ex eccleſia *Lugdunenſi*, a *Græcis* præconibus POTHINO & ſociis, ſucceſſoreque IRENÆO, qui eccleſiarum in *Germaniis* ἐν γερμανιαις mentionem facit, a *Gallia Lugdunenſi* haud procul remota provincia *Germaniarum Romana:* quare etiam coniicere licet colonos *Romanos* ad ſacrorum ritum *Romanum* tunc eſſe aſſuefactos.

Pervagata illa opinio, traditioque, S. PETRUM eiusque diſcipulos hac illac per *Alemanniam* diſcurriſſe ad iacienda, ſpargendaque fidei ſemina, in PETRI certe Sede *Romana*, atque ab ea miſſis Apoſtolis non fallit. Sic, miſſis, quæ de SS. EUCHARIO, VALERIO, & MATERNO præſertim, narrant acta apogrypha, S. MATERNUM reperimus ſæculo iam tertio in *Germaniis*, a *Germania* cis-*rhenana* diſtinctis provinciis *Romanis*, ut diximus, *Germania* nimirum prima & ſecunda, ſeu ſuperiore & inferiore trans *Rhenum*, quarum illa *Alſatiam* complectitur *Alemanniæ* partem a ſæculo uſque quinto, iam diu poſtquam *Alemanni Romanos* trans *Rhenum* infe-

infeſtaſſent, aliquando potiti terra cum fidei chriſtianæ detrimento, quam cum *Romanis* repuliſſe dici poſſunt *Alemanni* utriusque impatientes iugi. Sed cum ſtabiles non haberent ſedes *Alemanni* identidem repulſi, iterum refloreſcendi locus fuit ſementi fidei, conſtituendique aut reſtaurandi eccleſias; ut circa medium ſæculum quartum Concilium cogi potuerit contra EUPHRATAM *Arianum*, partim ex *Gallicanis* partim etiam ex *Germanis* Epiſcopis: quorum quidem ſedes veluti etiam acta Concilii *Agripenſis* etſi extra dubium non ſint poſita, ut diſquiſitione I. notavimus, inſcriptio tamen epiſtolæ ſeu libri de ſynodis S. HILARII *fratribus & Coepiſcopis provinciæ Germaniæ primæ &c.* manifeſtat, religionem chriſtianam tunc in eam *Alemanniæ* ſaltem trans-*rhenanæ* partem ſe protendiſſe, quæ *Germaniæ* primæ, cuius aliquando caput etiam *Argentoratum* fuit, accenſetur.

Sed cito iterum turbata fuit iſta beata ſors irruptione barbarorum, quos inter *Alemannos* recenſet S. HIERONYMUS in epiſt. ad AGERRUCHIAM T. IV. opp. P. II. p. 748. ubi inter alios *Nemetes*, & *Argentoratum* translatos in *Germaniam* dicit, *Alemanniæ* nimirum cis-*rhenanæ* adiunctos. Accidit hoc an. 409. dum poſtea medio eodem ſæculo quinto ipſa *Alemannia* quaquaverſum ATTILAM, *Vandalos*, *Hunnos*que infeſtos habuit direptores, vaſtatoresque urbium, inter alias *Auguſtæ Rauracorum* & *Vindoniſſæ*, qua ex urbe, ſecundo poſtea diruta, ſedes epiſcopalis *Conſtantiam* translata, magnam *Alemanniæ* partem complectitur cis-*rhenanæ* præſertim, velut *Argentoratum* trans-*rhenanæ*, ut tamen utraque diœceſis in alterum etiam *Rheni* litus ſe extendat.

Socii

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Socii academiæ litterariæ *Palatinæ* in Præfatione T. II. *Alſatiæ* diplomaticæ *Io. Dan.* SCHOEPFLINI arctiores limites *Alſatiæ* borealis conſtituunt, quam SCHOEPFLINUS in *Alſat. illuſtr.* T. I. p. 632. 636. & 675. Is *Oſam* ad noſtrum *Rheni* litus non ſolum *Ortenaviæ*, ſed etiam *Alemanniæ* limitem ſtatuit, trans *Rhenum* vero *Luterim* ſeu *Luteram* amnem, qua a *Spirigovia* disterminetur. Auctor autem præfationis RHENANUM ſecutus, ad *Saletionem* (*Selz*) oppidum & rivum ibi decurrentem in *Rhenum*, ubi limites ſunt diœceſis *Argentoratenſis* & *Spirenſis*, terminum ponit *Alſatiæ Alemanniæ*que, ac ſi de ampliandis finibus ageretur *Alemanniæ* & *Franciæ Rhenenſis* ad utrumque *Rheni* litus verſus Auſtrum & Septentrionem, ubi *Argentoratenſis*, & *Conſtantienſis* diœceſis a *Spirenſi* ſeparantur, *Spirigovia* limite eodem politico & eccleſiaſtico. Quod auctor veluti pro regula aſſumit, quæ mihi tamen paſſim fallere videtur in finibus *Alemanniæ* quaquaverſum conſtituendis: ut nihil dicam de iisdem finibus præſertim circa *Franciam* orientalem olim paſſim mutatis, & *Thuringiam* a Septentrione conterminam, donec accitis *Francis Suevos* abigunt *Thuringi*, *Franci*que medios ſe ſiſtunt orientales, ut tamen dimidio adhuc ſæc. VI. IORNANDE teſte de rebus *Geticis* cap. 55. regio illa *Suevorum* ſeu *Alemannorum* habuerit *ab Oriente Baioboros*, *ab Occidente Francos*, *a Meridie Burgundiones*, *a Septentrione Thuringos*. Qua nos in rebus liturgicis *Alemanniæ* merito utimur cynoſura ab eius temporis epocha, qua religio chriſtiana conſtabiliri cœpit in *Alemannia*, & dominari.

b *Ale-*

PRÆFATIO.

Alemanniæ nunc latius nunc arctius extenſæ ſtatum, ac diverſos eius pro diverſitate temporum limites curate examinat, ipſe *Alemannus*, SCHOEPFLINUS in *Alſatiæ illuſtratæ* periodo *Francica* lib. III. c. 2. *Io. Dav.* KOELERUS *Francus* ſingulari diſquiſitione *fata ducatus Alemanniæ & Sueviæ* ex antiquis hiſtoriæ *Germanicæ* monumentis proſecutus amplos ſtatuit veteris *Alemanniæ* fines, Orientales *Nabam*, *Regam*, & *Licum*, amnes *Danubium* influentes: ab Occidente *Ararim Dubim*que fluvios uſque ad *Rhodanum:* ad Auſtrum ultra lacum *Lemanum* ad Alpes *Rhæticas*, fonteſque *Rheni:* ad Septentrionem *Francos* atque *Thuringos*. *Ita*, addit, *terra Alamannorum vetus*, *ſecundum noſtri ævi Geographiam*, *comprehendit pagos Helveticos*, *Rhætiam*, *Sueviam hodiernam*, *Alſatiam*, *tractum Spirenſem*, *Wormatienſem*, *Metenſem*, *magnam partem Lotharingiæ*, *Burgundici comitatus*, *& Franconiæ noſtræ*. Nec diffiteri potuit *Georg. Chriſt.* CROLLIUS, *de ducatu Franciæ Rhenenſis* inter Acta Acad. *Palat.* T. III. p. 335. 338. aliquando *Alemannici* iuris fuiſſe agros, quos *Spirenſis*, *Wormatienſis* & *Moguntinæ* ſacrarum diœceſium fines ab utraque *Rheni* ripa continent, etſi nemo neget, pagos ac urbes illas *Franciam Rhenanam* a *Franconia* hodierna per diœceſim *Herlipolenſem* diſtinctam conſtituere, quod rationem geographicam politicamque attinet; nihilominus quoad ſtatum eccleſiaſticum cum *Alemanniæ* caput ſit *Moguntia* (quippe cuius metropoliticum ius *Franciam* orientalem longe excedens *Alemanniam* fere complectitur) eius, cum cæteris *Germaniæ* primæ diœceſibus,

Digitized by Google

bus, in rebus liturgicis *Alemanniæ* noſtræ habenda fuit ratio, non obſtantibus mutationibus in ſtatu politico a fine ſæc. V. quo quidem, *Francis* obnoxia facta, libera eſſe desiit, hoc ipſo autem in libertatem chriſtianam vindicata, *Alemannia* noſtra.

Idem de veteri *Baioaria* dici poteſt, quæ verſus *Alemanniam* noſtram cum certum ac definitum ſemper *Licum* amnem tenuerit limitem, alibi vero ad utrumque *Danubii* litus in *Vindelicia* & *Norico Pannoniam* uſque, quo protendebatur, varias experta eſt mutationes: neque religio chriſtiana ante imperium *Francicum*, quod *Baioarii* poſt *Alemannos* ſubiere, dominans dici potuit, etſi non, uti *Alemannica*, ſeſe oppoſuiſſe natio hæc primum illuceſcenti fidei luci videatur, protuleritque celebrem iam ſæc. VI. epiſtolis S. GREGORII THEODELINDAM *Longobardorum* reginam, GARIBALDI ducis *Baioariæ* filiam ex vidua CLOTHARII regis *Francorum*; poſtquam iam antea THEODERICUS rex *Francorum* CLODOVÆI M. filius iuſſiſſet *conſcribere* legem *Francorum, & Alemannorum & Baiuvariorum*, ut habet prologus legum *Baioariorum, & quæ erant ſecundum conſuetudinem paganorum, mutavit ſecundum legem chriſtianorum; & quidquid* THEODERICUS *rex propter vetuſtiſſimam paganorum conſuetudinem emendare non potuit, poſt hæc* CHILDEBERTUS *rex inchoavit, ſed* CLOTHARIUS *perfecit. Hæc omnia* DAGOBERTUS *rex glorioſiſſimus per viros illuſtres* CLAUDIUM, CHADUM, INDOMAGUM, *&* AGILULFUM *renovavit &c.* Acta hæc ſunt intra ſæculum VI. & VII. ado-

leſcens, ut tamen magnus adhuc campus hoc & ſequenti ſæc. VIII. relictus ſit in *Bavaria* viris apoſtolicis EUSTASIO, RUPERTO, VIRGILIO, CORBINIANO, BONIFACIO, qui ex merito quidem totius, cum ſociis, *Germaniæ*, potiſſimum vero eorum populorum dicitur apoſtolus, qui ad diviſionem illam *Thuringiæ* pertinent ſæculo VI. factam inter *Francos* & *Saxones*.

Hi, quos cum *Francis* & *Alemannis* inter *Germaniæ* populos recenſet laudatus S. HIERONYMUS, omnium poſtremi iugum *Francicum* ſub CAROLO M. demum ſubierunt, ad chriſtianam religionem manſuefacti ultimi ex recenſitis hactenus maioribus veteris *Germaniæ* provinciis, *Francica* inquam, *Alemannica*, *Bavarica*, *Saxonica:* de quorum ſtatu veteri veſtigia hodieque mihi deprehendere videor in idiotiſmo ſermonis, ſeu diverſo modo pronunciandi linguam vernaculam, cum cæteroquin omnia ſint inter ſe diviſa & confuſa quoad utramque rempublicam politicam & ſacram, ſeu religionem, quæ potiori ex parte illis in regionibus ab avitis ſacris collapſa eſt, in quibus poſtremo illuxit. Qui ſi monumenta vetera ſacrorum avitorum colligant, de maioribus ſuis quid ſtatuere debent, quos a primordiis ſuſceptæ religionis cernunt cultum religioſum ſecutos fuiſſe, quem ipſi damnant, & abiecerunt ceu ſuperſtitioſum, imo idololatricum in ea ſanctiſſima liturgiæ parte, cuius hic monumenta damus?

Quid deinde? ſi miram illam ſecum reputent conſenſionem liturgiarum omnium veterum ſive Orientales cum Occiden-

cidentalibus conferantur, contendanturque, ſive Occidentales ſeſe inter mutuo, *Romana* imprimis, quæ ubique fere nunc obtinet ſibi ſemper ſimillima, ac unius modi conſtanter a prima origine, ex qua litteris aliquid mandatum in rebus liturgicis habetur: cum primum, diſciplina arcani metuque dominatus paganici ceſſante, ſacris chriſtianis palam ac libere operam dare licuit. Ea Eccleſiæ felicitas ab ineunte ſæculo quarto repetenda eſt CONSTANTINI M. imperio, ſedem PETRI poſt MARCELLUM SILVESTRO tenente; ad eius vero tempora monumenta, quæ ſuperſunt, aſſurgunt liturgiæ *Romanæ;* & cum his etiam ſacramentaria veteris noſtræ liturgiæ *Alemannicæ*, quæ hoc volumine in lucem primum proferimus.

Equidem vetuſtiſſimus Mſc. codex, qui in monaſterio *Rhenaugienſi* ſervatur, vix aſſurgit ad mille annos, eique quam ſimillimus *San-Gallenſis* aliquot adhuc annorum decadibus recentior eſt. Characteres *Rhenaugienſis* ſacramentarii ad *Merovingicos* accedunt, *San-Gallenſis* vero plus de ornatu litterarum *Carolingico* participat; nihilominus cum *Rhenaugienſi* ad apicem uſque ita convenit in corrupto etiam dicendi ſcribendique genere, erroribus grammaticalibus ac ſphalmatis ævo *Merovingico* propriis, ut nullus dubio locus relinquatur, quin uterque codex ex uno eodemque vetuſtiori autographo exſcriptus ſit, tantum quod *San-Gallenſe* ſacramentarium feſtis quibusdam, ſeu officiis, ut fieri ſolet, auctum ſit, quæ illo temporis intervallo acceſſerunt. Acceſſit item huic codici *San-Gallenſi* lima paullo recentioris manus,

nus, qua errores grammaticales ac ſphalmata correcta ſunt, rectusque verbis ac ſententiis, inſcitia ævi *Merovingici* depravatis, eſt reſtitutus ſenſus.

Ipſiſſimo hoc Mſc. codice uſus eſt ſcriptor itidem *San-Gallenſis* ſæc. X. circiter, qui ſacramentarium ſimul *Gelaſianum*, *Gregorianum*, & *Ambroſianum* in uno volumine conſcribendum ſuſcepit: ita quidem, ut ad *Gelaſianum* ritum retulerit, quidquid in eo codice vetuſtiori *San-Gallenſi* continebatur. Cum vero, ut diximus, ex uno eodemque vetuſtiori codice exſcriptus ſit antiquiſſimus *Rhenaugienſis* & *San-Gallenſis* vetuſtior, atque adeo *Rhenaugienſis* ad verbum ſeu litteram contineatur in *San-Gallenſi* aucto & correcto, quem exſcripſit compilator triplicis ritus ſæc. X. conſultum omnino fuit, ut hoc ita correcto auctoque codice uterer in his veteris liturgiæ *Alemannicæ* monumentis, quo ſimul antiquiſſimum *Rhenaugienſem*, eique geminum ac ſupparem *San-Gallenſem* complecterer, uno typo utrumque exprimendo, uncinis nihilominus concludendo, quæ *San-Gallenſis Rhenaugienſi* ſuperaddit. Id quod tamen per incuriam fieri neglectum eſt p. 15. ubi integra *miſſa de prohibendo ab idolis* qui in *Rhenaugienſi* cod. deſideratur, uncinis includenda fuiſſet, uti p. 28. IIII. Id. *Febr.*

Eodem die natale ſanctorum Zotici, Hirenei, & Iacinthi &c.

Miſſa eadem *de prohibendo ab idolis* legitur in ſacramentario *Gelaſiano* vulgato, atque in noſtro p. 15. ad formam miſſæ *Gregorianæ* tribus conſtans orationibus ſine peculiari

Præ-

Digitized by Google

Præfatione, quæ plerumque ritu *Gelaſiano* additur, uti etiam poſt primam orationem *alia*, poſt communionem item alia *ſuper populum*. Quæ ſingula cum deſint in miſſa *de prohibendo ab idolis*, nihilominus in noſtro codice præmiſſa littera G. *Gelaſiana* deſignatur, ut paſſim per decurſum Sacramentarii ſingulis fere paginis animadvertere licet, præmitti integris miſſis vel etiam ſingulis orationibus litteram G. ſimplicem, quæ *Gelaſianas* orationes, vel geminatam GG. quæ *Gregorianas* denotat. Quod nos exemplum ſecuti ad finem orationum eaſdem litteras minuſculas *g. gg.* appoſuimus ad diſtinctionem orationum *Gelaſianarum* vel *Gregorianarum*, prout habentur in editis a THOMASIO & MURATORIO: quorum ille *Gelaſianum* primus in lucem protulit, hic poſt alios quidem *Gregorianum* ſacramentarium imprimis authenticum ex duobus *Romanis* codicibus *Vaticano* & *Ottoboniano* vulgaſſe cenſendus eſt: quorum ille, ineunte ſaltem ſæculo nono exaratus, arbitro MURATORIO diſſertatione prævia in Liturgiam *Romanam* veterem c. 6. p. 77. (perinde ac noſtri *Gregoriani Alemannici* ſæculi noni, *Augienſis*, qui ſervatur in bibliotheca Cæſ. *Vindob.* *San-Blaſianus*, *Rhenaugienſis* & *Petershuſanus*) inſcribitur *Liber Sacramentorum de circulo anni expoſitum a ſancto* GREGORIO *Papa Romano*, *editum ex authentico libro bibliothecæ cubiculi.*

Cum Mſc. *San-Blaſiano*, quod in promtu ad manus eſſet pro lubitu, contulimus ſacramentarium, quod hic edimus ritus triplicis *Gelaſiani*, *Gregoriani* & *Ambroſiani*, in iis, quæ pertinent ad ritum ſeu ſacramentarium *Gregorianum*:

ea,

Digitized by Google

ea, quæ ei ſingularia ſunt, id eſt, quæ non habentur in antiquiſſimo MS. *Rhenaugienſi* eique gemino *San-Gallenſi* ritus *Gelaſiani*, typis diſtinximus, quos vocant *curſivos:* quando vero id facere non licuit, eoquod eædem orationes, quæ leguntur in ſacramentario *San-Blaſiano*, *Gregoriano*, etiam occurrant in *Gelaſiano Rhenaugienſi* & *San-Gallenſi*, ſervata, quam his codicibus deſtinavimus, typorum forma, quæ typographis *antiqua* dicitur, litteram geminatam *gg.* addidimus, tunc etiam quando orationes illæ in *Gregoriano* Sacramentario MURATORII reperiuntur, cuius ſacramentarii convenientiam cum MS. *Gregoriano San-Blaſiano* litteris *curſivis* in ſacramentario triplicis ritus, quod hic edimus, diſtincto, eadem indicamus geminata lit. gg. quæ proinde nonnunquam deſideratur in miſſis, quæ *Gregorianæ* inſcribuntur, & ceu tales hodierno adhuc uſu dignoſcuntur, veluti p. 22. & ſeqq. Quoniam vero codex ſacramentarii *Eligianus*, quo poſt MENARDUM uſi ſunt *San-Maurenſes* in editione operum S. GREGORII M. in forma ſacramentarii *Gregoriani* pluſculum de *Gelaſiano* participat, additis plerumque peculiaribus Præfationibus, aliisque orationibus, præſertim ad finem paſſim etiam *ſuper populum*, hæc litteris initialibus *El.* denotanda exiſtimavimus, littera vero *l.* ea, quæ cum vulgato *Leonino* congruunt; cum Scriptore demum noſtro ſacramentarii triplicis ritus orationes *Ambroſianas* littera a. Vix ullam miſſam in ſacramentario noſtro ritus triplicis cernas, in qua pleræque omnes orationes *Romanæ* liturgiæ nunc ſacramentarii *Leonini*, nunc ac potiſſimum quidem *Gelaſiani* aut *Gregoriani* legantur,

nec

nec deſunt etiam *Gothico* - & *Francico-Gallicanæ*; de *Gothico-Hiſpanicis*, utpote ab inſtituto liturgiæ *Alemannicæ* remotioribus, ſuperſedimus.

Plura in receſſu habet mutua hæc veterum liturgicarum formularum collatio, ac comparatio, quam videri queat levi intuitu. Præterquam enim, quod mira catholici orbis conſenſio in cultu divino rituque ſacrificandi palam hinc eluceſcat; *Romana* imprimis ſemper eadem commonſtratur ab eo uſque tempore, quo e ſtatu preſſo eluctatæ Eccleſiæ chriſtianæ ſacris publicis perſungi licuit.

Dolendum eſt, ſacramentarium, quod inter ea, quæ edita proſtant, primum occupat locum, *Leoninum* a ſuis editoribus appellatum, a capite mancum eſſe, ea ſcilicet parte, qua ſuas origines prodere potuiſſet, ac fontes, quos varios fuiſſe ex tanta tamque diverſa copia officiorum pro una plerumque die ac feſto manifeſtatur. Quare recte viſum eſt fratribus BALLERINIS T. II. opp. S. LEONIS Præfat. III. ſacramentarium *Leoninum* non eſſe compactum ab ullo *Romano* Pontifice, publica ſaltem auctoritate, in uſum *Romanæ* eccleſiæ, ſed privati alicuius hominis fœtum eſſe, qui Præfationes a *Romanis* Pontificibus, ac præſertim a S. LEONE, diverſo tempore ſcriptas, ordine non ſatis idoneo collegit, & retulit. Id quod ex dictis eluceſcit, tum vero inde adhuc fit apertius, quod in uno eodemque officio, eoque manco quoad ſolemnes in ſacrificio miſſæ precum formulas, diſparati ſeſe exerant fontes.

 Sic

Digitized by Google

Sic menſe *Octobri*, in quo cumulantur orationes miſſales *ſuper defunctos*, tandem ſingularis titulus occurrit *ſancti Silveſtri*; ex tribus vero orationibus, quibus abſolvitur, duæ priores tantum ad S. SILVESTRUM ſpectant, tertia autem SIMPLICII epiſcopi nomen præfert, ut tamen omnes tres orationes æque reſpondeant primo generali, qui præceſſerat, titulo *ſuper defunctos*; ita quidem, ut in prima collecta oratio ad diem depoſitionis SILVESTRI P. compoſita ſit his verbis: *Deus confitentium te portio defunctorum, quas in famuli tui Silveſtri epiſcopi depoſitione deferimus &c.* Sequens oratio ſuper oblationem fortaſſis ex alio etiam eſt fonte *in ſancti Silveſtri Confeſſoris & Epiſcopi tui commemoratione*; ut tamen oblatio ſeu immolatio fiat pro ſancto hoc Pontifice: *ut & nobis proficiat huius pietatis affectus, & illum betitudo ſempiterna glorificet.* Accedit tertia oratio originis multo recentioris pro SIMPLICIO P. (qui poſt duo demum ſæcula S. SILVESTRI ſucceſſor fuit in Sede PETRI) quoad ſenſum ſeu ſubſtantiam eadem cum prioribus, *ut anima famuli tui Simplicii epiſcopi ab omnibus, quæ humanitus attraxit, exuta, in tuorum cenſeatur ſorte Sanctorum.* Sic in vetuſtioribus codicibus diu ſervata eſt oratio ſuper oblata *annue nobis, ut animæ famuli tui Gregorii, vel Leonis, proſit oblatio*, ut etiam in Mſc. *San-Blaſiano* legitur in feſto S. LEONIS, in *Rhenaugienſi* vero Mſc. & *Vaticano* MURATORII in feſto S. GREGORII, iam vero immutata habetur in codice triplicis ritus, quem edimus p. 143. *ut interceſſione beati Leonis nobis hæc proſit oblatio.* Vid. cap. *Marthæ* de celebr.

Digitized by Google

lebr. miſſæ §. finali. Procul dubio autem prior formula poſt mortem illorum Pontificum, cum pro illis ſacrificium miſſæ oblatum fuit, adhibita eſt: id quod omnium manifeſſime patet in prima oratione *Leonini* ſacramentarii *in famuli tui Silveſtri depoſitione.*

Unde liquido demonſtratur, eſſe in ſacramentario, quod *Leoninum* appellatur, formulas iis ex fontibus hauſtas, quæ ad ætatem S. SILVESTRI P. aſſurgant, cum hæc, quam notamus, ad diem depoſitionis pertineat, quæ accidit trigeſima prima *Dec.* anni 335. poſtquam rexiſſet eccleſiam annis viginti uno & quod excedit, ſub CONSTANTINO M. primo chriſtiano Imperatore. Igitur ſcriptori, ſeu compilatori ſacramentarii, quod *Leoninum* dicimus, præ oculis manibusque fuit inter alios liber liturgicus, qui tunc temporis adoleſcente nimirum ſæc. IV. anno certe mortis S. SILVESTRI in uſu eccleſiæ *Romanæ* fuit, ex quo hanc cum aliis orationibus in ſuam penum ſumpſit: quas quidem alias (quarum quam plurimæ eædem ſunt in noſtro ſacramentario *Alemannico* triplici ritus, ut ſuis locis lit. *l.* indicavimus) licet non perinde ad ſuam epocham revocare liceat, de potioribus tamen feſtis, præſertim *Romanis* aſſeri poteſt, eſſe otationes, quæ ad eam venerandam antiquitatem accedant; dum eædem habentur in noſtris ſacramentariis *Alemannicis*, quæ in *Leonino* leguntur, e.g. in feſto SS. PETRI, PAULI, LAURENTII: ubi ſimul ſe ſe, ut paſſim alias, conſenſio inter ipſa tria *Romanæ* eccleſiæ vetuſtiora, quæ extant ſacramentaria, *Leoninum*, *Gelaſianum*, & *Gregorianum* manifeſtat, inſigni profecto ac incomparabili rei catholicæ orthodoxæque fidei

ac theologiæ commodo, in conſtanti conſenſu non ſolum publici cultus religioſi ſacrorumque chriſtianorum ſeu liturgiæ ſacræ, verum etiam aliis plerisque catholicæ religionis capitibus, ac dogmatibus recens poſt tot elapſa ſæcula in controverſiam adductis ab iis, qui proxima ætate nihil penſi habuere, totam eccleſiæ, avitæ doctrinæ & obſervantiæ religioſæ immutare faciem ac pervertere.

Spacio unius propemodum ſæculi quinti & ſexti finientium confectæ ſunt antiquiores illæ liturgiæ *Romanæ* collectiones. Siquidem eam, quæ *Leonina* dicitur, poſt mortem demum S. SIMPLICII factam eſſe conſtat ex oratione pro SIMPLICIO mortuo: unde MURATORIUS ad ætatem S. FELICIS, qui fuit proximus S. SIMPLICII ſucceſſor, & *Gelaſii* anteceſſor, refert, perinde ac fratres BALLERINII; ut tamen ex horum ſententia fieri potuerit collectio initio pontificatus *Gelaſii* P. a quo *Gelaſianum* nomen habet, a Ven. THOMASIO inditum ſacramentario, quod in antiquiſſimo codice inſcribitur *liber ſacramentorum Romanæ eccleſiæ*, perinde ac antiquior noſter *Alemannico-San-Gallenſis*, ex eodem quo vetuſtiſſimus *Rhenaugienſis* hauſtus fonte. Reſpondet hic titulus ſingulari formæ liturgicæ, quæ eadem eſt in omnibus tribus codicibus *Thomaſiano*, & noſtris duobus *Alemannicis:* dum nempe priori collectæ una adhuc additur oratio; una item, etiam extra Quadrageſimam, ultimæ *poſt communionem*, inſcripta *ad populum* ſeu *ſuper populum*: quibus, ac copia inſuper Præfationum diſcernuntur miſſæ *Gelaſianæ* a *Gregorianis*, ut palam fit conferenti ſacramentaria *Gregoriana* recentiora edita ac vetera Mſſ. quæ paſ-

ſim

Digitized by Google

ſim in bibliothecis obvia ſunt, nomine S. GREGORII inſcripta; ad oculum autem iam demonſtratum exhibetur *Gelaſiani* & *Gregoriani* ſacramentarii diſcrimen in ſacramentario noſtro triplicis ritus, quod hic edimus, ibi imprimis, quando ad unum eundemque diem una notatur *Gelaſiana*, *Gregoriana* altera, quod felici quidem coniectura aſſecutus eſt Ven. THOMASIUS aliis, quas in præfatione affert, rationibus. Neque vero magis obeſt varietas orationum, ſeu etiam integrarum miſſarum diverſitas in vulgato *Gelaſiano* THOMASII, ac noſtro *Alemannico*, quam in ſacramentariis, quæ S. GREGORII nomen præferunt, diverſas vero habent orationes paſſim etiam *Gelaſianas*; ſingula quippe ad unum revocantur fontem, teſteque IOANNE Diacono S. GREGORIUS *Gelaſianum codicem de miſſarum ſolemniis multa ſubtrahens, pauca convertens, nonnulla adiiciens, in unius libri volumine coarctavit.* Hæc, probe expenſis mox a nobis dictis, luculentius manifeſtantur.

Optandum foret, ut ſacramentarium vetus *Rivipullenſis* monaſterii a P. ZACHARIA in Bibl. liturg. lib. I. c. 3. pag. 45. notatum, propius innoteſceret, quod hunc titulum præfixum habet: *Incipit liber Sacramentorum editus a S. Gelaſio Papa Romano, emendatus & breviatus a B. Gregorio Papa ſedis apoſtolicæ*; aut codex, qui in bibl. monaſterii *Centulenſis* extabat an. 831. inſcriptus: *Miſſalis Gregorianus & Gelaſianus modernis temporibus ab Albino ordinatus*, tandem aliquando in lucem proferretur, quod DACHERIUS animo propoſuerat, poſtea vero D. VOISIN indulſit, inde tractatum ſuum de

 miſſa

Digitized by Google

miſſa locupletare; a quo tempore, ubi delitefcat liber, ign rari ex auctore de *l'hiſtoire literaire de la France* T. IV. 438. n. 6. annotavit illuſt. FROBENIUS S. R. I. P. & Abb *S. Emerami* p. 3. moniti prævii ad ALCUINI Opp. T. II. Vo I. quo liturgica continentur, ac primo quidem miſſæ qua dam, quas in epiſtolis duabus ALCUINUS meminit ſe d miſſali tuliſſe *ad quotidiana & eccleſiaſticæ conſuetudinis off cia.* Miſſæ eiuſcemodi paſſim antiquis ſacramentariis *Gre gorianis* annectuntur nonnunquam ſub nomine ALCUINI ſed nec eodem ſemper ordine, nec etiam eædem, uti nec ipſ ALCUINUS in citatis epiſtolis apud illuſt. FROBENIUM in prævio monito, ſuoque ordine T. I. Opp. p. 59. & 355 easdem recenſet. In noſtro *Gregoriano*, ut edimus p. 260 ſeqq. nulla ALCUINI facta mentione eædem per decurſum hebdomadæ leguntur, quas ALCUINO tribuit Micrologus c. 60. ordine tantum & inſcriptione paullulum immutatas; aliæ vero immiſcentur ſubdunturque partim votivæ, partim de Communi Sanctorum (ut vocare ſolemus) in editione operum ALCUINI ex *Iac.* PAMELII T. II. Liturgicon. Ut vero annotavit laudatus FROBENIUS ex epiſtola ipſa ALCUINI, non de novo compoſuit ALCUINUS, ſed ex miſſali monaſterii ſui depromſit.

Nos, ut iam monuimus, in noſtra editione fontem ac originem *Romanam* quantum in editis *Leonino*, *Gelaſiano*, ac *Gregoriano* potiſſimum deprehendere licuit, indicavimus, ut uno velut obtutu conſpicua ſit mutua per omnem liturgiam convenientia, ac mirus quidam conſenſus præſertim in ſacramentarii

mentarii

Digitized by Google

mentarii *Gregoriani* vetuſtioribus codicibus *Alemannicis*, ut unum eundemque fontem ac originem aperte prodant, *San-Gallenſis* imprimis, nunc *Turicenſis* codex triplicis ritus, quem edimus, ac *San-Blaſianus* nitidiſſimus perinde ac *Augienſis*, *Petershuſanus* & *Solodorenſis*, qui duo poſteriores etiam eodem omnino cum *San-Blaſiano* litterarum ornatu, initialium præſertim auro, argento variisque coloribus pictarum, ſplendent, adde characterum ac totius ſcripturæ eum habitum & conformitatem, & ſi dicere fas ſit identitatem, ut ſi non omnes unum eundemque ſcriptorem habuiſſe dicendi forent, ex una ſchola calygraphorum prodiiſſe pro certo habendi ſint, poſteaquam iam opera CAROLI M. litterarum nitor reſtitutus fuit.

Epocham nobis fixam aſſereret codex *Solodorenſis*, ſiquidem exploratum eſſet, quisnam ADALBERTUS ille fuiſſet, cui Abbati ſuo monachus codicem hunc a ſe exaratum inſcripſit in ipſa libri fronte, qua Abbas caput redimitus circulo crinium in pictura exhibetur, viridi amictus tunica, nigra ſubamictus toga. Siniſtra tenet baculum paſtoralem, cuius pars ſuperior inſtar litui eſt, aureis ornati clavibus, dextra accipit librum, quem tonſuratus itidem offert monachus indutus dalmatica, albis, rubrisque diſtincta coloribus, *Leoninis* ſequenti pagina deſcriptis:

Paſtor Adalberte ſumma date cœlitus arte
Qui meritis conſtas vitæ venerabilis abbas.
Præbeo quod dulus gratanter ſuſcipe munus. &c.

Sequi-

Digitized by Google

Sequitur iterum pictura, apparetque monachus tonſurati cuius caput aureo nimbo circumdatur, qui alteri ſuperen net circulo, cæruleo argenteisque diſtinctis punctis, veſ monachi eſt dalmatica, ſubveſtis alba. Tenet ſiniſtra a reum manipulum, dextra accipit librum e manibus mor chi itidem tonſurati, amicti tunica cærulea, ſubveſti alba. I cturam iterum verſus explicatam reddunt ſequenti pagi hoc exordio:

Præſul Pirmini fulgens lux aurea mundi,
Incola clare Dei ſuccenſus amore fidei
Iſtud Adalberti munus non deſpice ſervi &c.

Sic tertia tabula S. PETRUS ſiſtitur, cui S. PIRMINI offert librum; quarta demum S. PETRUS Chriſto, conſir li identidem carmine: unde quidem palam fit, codicem ſc ptum eſſe a monacho ſub ADALBERTO abbate in moi ſterio a S. PIRMINIO in honorem D. PETRI extructo. monaſterio *Fabarienſi* fuit ab ipſo S. PIRMINIO abbas DALBERTUS ſubſtitutus. Subſcripſit conc. Attiniacenſi *Ath bertus abbas de Fabarias* an. 765. poſt decennium & qu excedit a morte S. PIRMINII: an vero hoc temporis bre intervallo iam cultus publicus huic Sancto obtigerit, ut ſtum ei in ſacramentario tribueretur, quale in *Solodore* cum miſſa propria habetur, dubito, citiusque ADALBER ſecundo, qui poſt CRIBBAM, & ANASTASIUM ADALBE TI I. ſucceſſores in monaſteri *Fabarienſis* annalibus habet rem totam adſcriberem, cuius forte ævum magis concil

ri

Digitized by Google

ri poſſet cum ætate codicis; ne quid dicam de ADALBERTO ſeu ERCHAMBERTO *Campidonenſi* an. 840. electo abbate, ad quod monaſterium an. 774. corpora ſanctorum GORDIANI & EPIMACHI *Roma* fuere translata, qui Sancti in Canone ſacramentarii *Solodorenſis* inſerti ac iterum deleti ſunt. Sed monaſterium *Campidonenſe* nec a S. PIRMINIO eſt, nec S. PETRO dicatum, uti eſt monaſterium *Hornbacenſe* ſeu *Gamundienſe* in diœceſi *Metenſi*, quousque aliquando etiam ſeſe *Alemannia* noſtra protenderat. Sepultus eo in monaſterio S. PIRMINIUS epiſcopus, iam ante mortem ſucceſſorem habuit IACOBUM, qui in charta HEDDONIS epiſcopi *Argentinenſis* pro monaſterio *Arnulphi Augiæ* ſive *Schwarzach* inter alios ſubſcripſit an. 748. in charta vero donationis pro monaſterio *Hornbacenſi* an. 754. *abbas & epiſcopus monaſterii Gamundis*; ſicque ſequenti anno in Conc. *Attiniacenſi* ſubſcripſit: *Iacob epiſcopus de monaſterio Gamundias*, uſu olim haud infrequenti, ut abbates ſimul epiſcopi eſſent. In necrologio *Augienſi* Mſc. ineunte ſæc. IX. AMALHARTUS & WIRUNDUS abbates monaſterii *Gamundias* occurrunt, columna item quarta *Heribr. abb.* notatur; nuſpiam vero ADALBERTUS abbas comparet, nec quidem inter nomina fratrum, qui in citato necrologio magno numero recenſentur, quæ ſtudioſe legi relegique, hæcque tantum viciniora appellationi vocabula aliquoties notata inveni *Aaluccardus*, *Adalhart*. Spectaſſe autem codicem hunc ad monaſterium *Hornbacenſe* ex Calendario manifeſtum fit, ut ſuis locis infra annotavi, congruuntque pictu-

d ræ

Digitized by Google

ræ ſupra memoratæ & earum inſcriptiones S. PIRMINIO, & S. PETRO, cui ſacrum fuit hoc monaſterium, turbis proteſtanticis dirutum, corpore S. PIRMINII *Oenipontum* translato, unde pars reliquiarum hoc ipſo anno munificentia Auguſtæ M. THERESIÆ monaſterio meo *D. Blaſii* ſunt illatæ. Ignoratur vero, qua occaſione ſacramentarium, de quo agimus, ex monaſterio *Hornbacenſi Solodorum* ſit translatum, ubi religioſe admodum a Canonicis aſſervatur, quos aliquando inſtituti *Benedictini* fuiſſe conjectura fit ex diviſione inter fratres LUDOVICUM *Germanicum* & CAROLUM *Calvum* poſt mortem nepotis regis LOTHARII: *Sancti Urſi in Solodoro.*

Omine quodam in Sabbato S. poſt lectiones conſuetas & benedictiones in eo ſacramentario *alius incipit ordo eiusdem diei orat. apud Canonicos celebrandus.* Lectiones autem tantum quatuor notantur I. *In principio creavit.* II. *Factum eſt in vigilia matutina.* III. *Apprehendent ſeptem mulieres.* IV. *Hæc eſt hæreditas.* Et poſt orationem ſequitur: *Sicut cervus.* Huc pertinet in appendice X. Kal. *Octob. Nat.* S. *Mauricii & commilitonum eius*, quos inter S. URSUS. Inter votivas vero miſſa pro Congregatione S. PETRI apoſtoli monaſterium *Hornbacenſe* ſpectat, quæ eadem fere in noſtro *San-Blaſiano* habetur, inſcripta *miſſa ſpecialis pro omni congregatione ſanctæ Mariæ*, cui beatiſſimæ Virgini dicatum eſt monaſterium *Rhenaugienſe*, cui ad ſtabiliendum inibi cultum B. V. *Cella alba* (nunc *D. Blaſii* monaſterium) donata fuerat, eodem, quo ſcriptus eſt codex, ſæculo

nono

Digitized by Google

nono uterque *Solodorenſis* & *San-Blaſianus*, hic quidem *Romæ* ex authentico bibliothecæ cubiculi deſcriptus, ut *Augienſis*, & *Petershuſanus* & *Rhenaugienſis* alter præfert in titulo; *Solodorenſis* autem inſcribitur *liber Sacramentorum de circulo anni compoſitus a ſancto Gregorio papa Romano*. Habet tamen ex *Gelaſiano* ordine id reliquum, veluti etiam *Vaticanus* & *Ottobonianus* codex ſacramentarii *Gregoriani* apud MURATORIUM, quod in Sabbato S. ante XII. lectiones præcedat Oratio *Deus qui divitias miſericordiæ tuæ in hac præcipue nocte largiris &c.* quæ in noſtris *Gregorianis* deſideratur. Poſt lectionem ultimam omiſſa oratione: *Omnipotens ſempiterne Deus ſpes unica mundi &c.* ſtatim ſequitur canticum *Sicut cervus*, quod pertinet ad fontis baptiſmalis benedictionem. Singularis eſt in ſacramentario noſtro triplicis ritus *Miſſa vel dedicatio baptiſterii:* ubi nempe ſeorſim ſunt ædes ad baptiſmi Sacramentum conferendum, more antiquiſſimo, uti etiamnum *Romæ* & alibi præſertim in *Italia* obſervare licet.

Memoratur S. AMBROSIO epiſt. 14. ad MARCELLINAM *baptiſterii baſilica Mediolani*, ubi etiamnum ritu *Ambroſiano* miſſa ſingularis celebratur *in eccleſia hiemali pro baptizatis* Sabbato S. Paſchæ & per octavam, etiam Pentecoſtes, ubi deficit noſter codex, uti etiam in Dominicis poſt Pentecoſten quoad officium *Ambroſianum*, quod in his Dominicis haud raro cum *Romano* ſacramentario convenit, orationesque identidem easdem repetit, ut iuxta *Pamelianum* etiam ſacramentarium *Ambroſianum* fieri oportuit. Anti-

Digitized by Google

quiſſimum miſſale ritus *Ambroſiani*, *Bergami* ſervatum, ſcriptum ad finem ſæc. IX. (quo nullum ſe copioſius vidiſſe unquam, nec habere *Ambroſianam* bibliothecam, litteris ad me datis teſtatur *Io. Bapt.* de CASTILIONE Canonicus ad S. *Stephanum Mediolani*) continet quidem viginti duas Dominicas poſt Pentecoſten, ſed poſt quartam Dominicam & tres miſſas quotidianas reliquæ ſunt ſine orationibus & præfationibus in ſacramentario illo, quod in duas partes diviſum, in altera ſimul lectiones epiſtolarum & evangelii complectitur.

Cæterum orationes miſſales, facta collatione per duos Presbyteros *Bergamenſes* cum noſtro impreſſo, plerumque conformes ſunt inventæ; quod idem obſervavi conferendo noſtrum cum noviſſimo *Ambroſiano Mediolani* an. 1768. impreſſo: in quo tamen deſidero feſtum S. IACOBI apoſtoli IIII. Kal. *Ianuarii* perinde ac miſſas de nativitate Domini Feria II. & III. poſt feſtum Natalis, quæ in noſtro impreſſo ſimiliter ac in Mſc. *Bergamenſi* leguntur; in impreſſo autem noviſſimo veluti etiam in miſſali *Gaſparis Vicecomitis* Archiep. *Mediol.* ed. 1584. orationes ſaltem propriæ miſſis S. STEPHANI & IOANNIS Evangeliſtæ ſunt inſertæ. Viciſſim vero in noſtro ſacramentario triplicis ritus p. 189. neutiquam vero in Mſc. *Bergamenſi*, in miſſa vigiliæ Apoſtolorum SIMONIS & IUDÆ, *Comenſis* Martyr S. FIDELIS ſtatim poſt nomina Apoſtolorum legitur, cuius commemoratio ad eundem diem in edito miſſali habetur, cum in martyrologio *Romano* ad diem ſequentem reponatur. Præpoſtere autem ſecundum uſum noſtrum ex *Gallicano* ritu pro die-

bus

Digitized by Google

bus Rogationum ponuntur p. 116. &c. *orationes quæ dicendæ ſunt in letaniis, vel in vigiliis quotidianis dierum*, quæ in *Bergamenſi* codice poſtponuntur, iuxta uſum *Mediolanenſem*, officio Dominicæ poſt Aſcenſionem Domini cum miſſa per triduum: ubi ſe ordo *Ambroſianus* prodit inſcriptione *orat. ſuper populum*, qua oratione apud nos deſinit, hic incipit ſynaxis.

Compilator autem noſter ſacramentarii triplicis ritus *Ambroſianum* alias *Romanis* accommodavit uſibus in monaſterio *S. Galli* vicino provinciæ *Mediolanenſi*, quæ ſe olim late per utramque etiam *Rhætiam* protenderat; ut mirum adeo non ſit, ritu *Ambroſiano* officium divinum ampliandi votum ſuſceptum eſſe ac ſtudium, dum circa eadem tempora adoleſcente ſæculo XI. eodem deſiderio eccleſiam *Ratisbonenſem* flagraſſe, palam fit ex epiſtolis *Pauli ſacerdotis & Gebehardi religioſorum virorum ſanctæ eccleſiæ Ratisbonenſis* a MABILLONIO T. I. Muſ. *Ital.* p. 95. editis, quarum prima transſcribi ſibi rogant ſacramentarium S. AMBROSII cum antiphonario, diurno videlicet & nocturno pro horis canonicis, ut epiſtola V. explicant, mox altera autem rationem facti reddentes, *quoniam*, aiunt, *princeps in divinis laudationibus apud Latinos præfulſiſſe cognoſcitur mellifluus doctor Ambroſius, idcirco ne ingrati ſimus tam ſanctis primordiis, habere delectamur notitiam tantæ auctoritatis. Hoc dicimus, quoniam probitatem tuam admirari comperimus, cur nos, qui habemus ordinem Romanum, ſimul habere geſtiamus Ambroſianum. Fuit olim tanta Mediolanenſis eccleſiæ gra-*

Digitized by Google

tia & excellentia, ut AURELIO *&* AUGUSTINO, *cæteriſque Africanis præſulibus non ſufficeret in dubiis rebus Romanum conſulere Pontificem, niſi pàriter conſulerent & Mediolanenſem. Deſine ergo admirari imitatrices ſanctorum Patrum inquiſitiones noſtras, & adhibe opportunas opitulationes tuas: ut ordo Ambroſii, dulciſſimi ſancti Spiritus organi, quem diſcipulus eius doctor eximius* AUGUSTINUS *traduxit in Africam, nobis transferatur in Germaniam, ad excitandam boni odoris fragrantiam.* Sequenti epiſtola poſtulanti MARTINO theſaurorum S. AMBROSII cuſtodi ambiguitatem removent ab appellatione ſacramentarii. *Nos*, ſcribunt, *nullum appellamus ſacramentarium, niſi librum miſſalium orationum absque lectionibus evangelicis, apoſtolicis, & propheticis, quarum fines & principia ſecundum Ambroſianam exceptionem petentibus nobis annotare pollicitus es.* Quale hic petunt, tale eſt noſtrum quod edimus ſacramentarium *Ambroſianum* perinde, ac *Gelaſianum*, *Gregorianum*que uſu antiquo, quo cætera, quæ ad celebrationem S. liturgiæ pertinent, diſtinctis habebantur libris. Veluti & nos hic ex variis antiquis monumentis omnia illa, quæ ad S. Liturgiam miſſæ quoquo modo referri valent, in lucem ſingillatim proferimus, de quibus nihil hic opus eſt diſſerere, cum ſingulis ea, quæ monenda viſa ſunt, præmiſerimus.

ELEN-

Digitized by Google

ELENCHUS
MONUMENTORUM
IN HOC PRIMO TOMO CONTENTORUM.

In Vigilia Nat. Dni. p. 1. Ambroſ. p. 2.
In S. Nocte. p. 3. & Ambroſ. p. 4.
In S. Nocte ſeu 2da Miſſa. p. 4. Ambr. p. 5.
De S. Anaſtaſia. *ib.*

In Natal. Dni. *ib.*
Aliæ orationes de octava. p. 6.
Feria II. De Nativ. Dni. A. p. 7.
VII. Kal. Ian. De S. Stephano. p. 8.
Aliæ orationes. *ib.*
Ambroſianæ. *ib.*
Feria III. Miſſa A. p. 9.
VI. Kal. Ian. In Nat. S. Iohann. Evang. *ib.*
Aliæ orationes. p. 10.
Ad fontes. *ib.*
Miſſa Ambroſiana. *ib.*
V. Kal. Ian. In Nat. Innocentum. p. 11.
Alia Ambroſ. p. 12.
IV. Kl. Ian. De S. Iacobo Aplo. Ambroſ. *ib.*
Dom. I. Poſt Nat. Dni. p. 12.
Ambroſiana. p. 13.
II. Kal. Ian. In Nat. S. Silveſtri. *ib.*
Kal. Ianuarii. In octava Dni. p. 14.
Ambroſiana. *ib.*
Miſſa De prohibendo ab Idolis. G. p. 15.
Alia Dominica. *ib.*
Nonis Ian. In vigil. Theophaniæ. *ib.*
Ambroſiana. p. 16.
VIII. Id. Ian. In Epiphania. *ib.*
Ambroſiana. p. 17.
Aliæ orationes. *ib.*
Dom. I. Poſt Theophaniam. p. 18.
Ambroſiana. *ib.*
In Octavis Theophaniæ. *ib.*
XVIII. Kal. Febr. De S. Felice C. p. 19.
Dom. II. Poſt Theophaniam. p. 19.
XVII. Kal. Febr. In Nat. S. Marcelli Papæ. p. 20.
XV. Kal. Febr. In Nat. S. Priſcæ M. *ib.*
XIV. Kal. Febr. In Nat. Marii & Marthæ. *ib.*
XIII. Kal. Febr. In Nat. S. Fabiani M. *ib.*
S. Sebaſtiani M. p. 21.
Ambroſiana. *ib.*
XII. Kal. Febr. In Nat. S. Agnæ Virg. *ib.*
Gregoriana. p. 22. Ambroſiana. *ib.*
XI. Kal. Febr. In Nat. S. Vincentii M. *ib.*
Gregor. p. 23. Ambroſ. *ib.*
Dom. III. Poſt Theophaniam. *ib.*
X. Kl. Febr. In Nat. SS. Emerentianæ & Macharii. p. 24.
IX. Kl. Febr. In Nat. SS. Babilæ & 3. parvulorum. *ib.*
VIII. Kal. Febr. In Nat. S. Præiecti M. *ib.*
In converſione S. Pauli. *ib.*
V. Kl. Febr. In Nat. S. Agnes de Nativitate. p. 25.
Dom. IV. Poſt Theophaniam. *ib.*
IV. Non. Febr. De Hypapante. p. 26.
Nonis Febr. In Nat. S. Agathæ M. *ib.*
Gregoriana. p. 27. Ambroſiana. *ib.*
Dom. V. Poſt Theophaniam. *ib.*
IV. Id. Febr. In Nat. S. Sotheris. p. 28.
SS. Zotici, Irenæi, & Hyacinthi. *ib.*
Dom. VI. Poſt Theophaniam. p. 28.
XVI. Kl. Mart. In Nat. SS. Valentini, Vitalis, Feliculæ, & Zenonis. p. 29.
Gregoriana. *ib.*
XIII. Kal. Mart. In Nat S. Iulianæ. Gelaſ. *ib.*
VIII. Kal. Mart. In Cathedra S. Petri. Greg. p. 30.
Non. Mart. In Nat. SS. Perpet. & Felicit. Gel. *ib.*
IV. Id. Mart. In Nat. S. Gregorii P. Gelaſ. *ib.*
VIII. Kl. Apr. In Adnunt. S. Mariæ. Gel. p. 31.
Gregoriana. p. 32.
Aliæ orationes. *ib.*
Dom. in LXXma. Gelaſiana. *ib.*
Ambroſ. & GG. p. 33.
Dom. in LXma. Gelaſiana *ib.*
Gregoriana. *ib.*
Ambroſiana. p. 34.
Dom. in L.ma Gelaſiana. *ib.*
Greg. & Ambr. *ib.*
Feria IV. Gelaſiana. p. 35.
Feria V. Gelaſiana. *ib.*
Gregoriana. *ib.*
Feria VI. Gelaſiana. p. 36.
Gregoriana. *ib.*

Sabbato.

Sabbato. Gelaſiana. *ib.*
Dom. in XL.ma Gelaſiana. p. 37.
Gregoriana. *ib.*
Dom. in capite XL. Ambroſiana. p. 38.
Feria II. Gelaſiana. *ib.*
Gregoriana. *ib.*
Ambroſiana. *ib.*
Feria III. Gelaſ. Gregor. & Ambroſ. p. 39.
Feria IV. Gelaſ. Gregor. & Ambroſ. *ib. ſeq.*
Feria V. Gelaſ. Gregor. & Ambroſ. p. 40.
Feria VI. Gelaſ. & Gregoriana. p. 41.
Sabbato in XII. lect. Gelaſ. Greg. & Ambr. p. 42.
Dom. vac. Gelaſ. & Gregor. p. 43.
Litaniæ Dom. I. in Quadrag. A. p. 44.
Feria II. Gelaſ. Greg. & Ambroſ. *ib.*
Feria III. Gelaſ. Greg. Ambroſ. p. 45.
Feria IV. Gelaſ. Greg. Ambroſ. p. 46.
Feria V. Gelaſ. Greg. Ambroſ. p. 47.
Feria VI. Gelaſiana. Gregor. *ib.*
Sabbato. Gelaſ. & Gregor. p. 48.
Benedictio S. Ambroſii ad cinerem & cilicium, de ieiunio, vel ad competentes. *ib.*
Dom. III. Gelaſ. & Gregor. p. 49.
Letania cum Miſſa Ambroſ. *ib.*
Feria II. Gelaſ. Greg. & Ambroſ. p. 50.
Feria III. Gelaſ. Greg. Ambroſ. *ib.*
Feria IV. Gelaſ. Greg. Ambroſ. p. 51.
Feria V. Gelaſ. Greg. Ambroſ. *ib.*
Feria VI. Gelaſ. & Gregor. p. 52.
Sabbato. Gelaſ. Greg. Ambroſ. p. 53.
Dom. IV. Gelaſ. Greg. Ambroſ. p. 54.
Feria II. Gelaſ. Greg. Ambroſ. p. 55.
Feria III. Gelaſ. Greg. Ambroſ. *ib.*
Feria IV. Gelaſ. Greg. Ambroſ. p. 56.
Feria V. Gelaſiana. p. 57.
Feria VI Gelaſ. Ambroſ. *ib.*
item Gelaſ. & Gregor. *ib.*
Sabbato. Gelaſ. Gregor. Ambroſ. p. 58.
Dom. de Paſſione Dni. Gel. Greg. Ambr. p. 59.
Feria II. Gelaſ. Gregor. Ambroſ. p. 60.
Feria III. Gelaſ. Greg. Ambroſ. *ib.*
Feria IV. Gelaſ. Greg. Ambroſ. p. 61.
Feria V. Gelaſ. Greg Ambroſ. p. 62.
Feria VI. Gelaſ. Gregor. p. 63.
Sabb vacat. Gelaſ. Greg. Ambroſ. *ib.*
Dom. in ramis olivarum. Ambroſiana. p. 64.
Exorciſmus floris vel frondium Dom. in Palmis. *ib.*
Benedictio ſuper olivas Ambroſiana. *ib.*
Dom. ad Palmas Gelaſ. Greg. Ambroſ. p. 65.
Feria II Gelaſ. Greg. Ambroſ. p. 66.
Feria III. Gelaſ. Greg. Ambroſ. p. 67.
Feria IV. Gelaſ. Greg. Ambroſ. *ib.*
Benedictio Incenſi. p. 68.
Feria V. Cœnæ Dni. Miſſa pro Pœnitentibus reconciliandis. Item aliæ preces. *ib. ſeq.* p. 71.
Chriſmalis. p. 72.
Benedictio olei pro Infirmis. p. 74.
Ambroſiana. p. 75.
Præfatio chriſmæ Ambroſiana. *ib.*
Benedictio chriſmæ Principalis. *ib.*
Exorciſmus olei ad omnem languorem quocumque tempore. p. 76.
Feria VI. In Paraſceve. p. 78.
Mane die Sabbati ad Lect. p. 80.
Benedictio cerei Ambroſ. p. 81.
Benedictio ſalis. p. 82.
Ad catechumenum faciendum. *ib.*
Or. ſuper infantes in XL.ma ad IV. Evang. *ib.*
Ad eosdem Cathechizandos. *ib.*
Orationes in Sabb. S. ad ſingulas lectiones. p. 83.
Miſſa vel Dedicatio Baptiſterii. p. 85.
Benedictio fontis. *ib.*
Ordo quomodo baptizati confirmentur. p. 87.
Benedictio fontis Ambroſiana. p. 88.
Miſſa in Sabbato S. Paſchæ Nocte. p. 89.
Benedictio ſuper Agnum in Paſcha. p. 90.
Miſſa Gregoriana. *ib.*
Ambroſianæ duæ. p. 91.
Miſſa In Paſcha. *ib.*
duæ Ambroſianæ pro Baptizatis. p. 92.
Feria II. Gelaſ. & Gregor. p. 93.
Ambroſiana pro baptizatis.
Feria III. Gelaſ. & Gregor. p. 94.
Ambroſ. pro Baptizatis. p. 95.
Feria IV. Gelaſ. & Gregor. p. 96.
Ambroſ. pro bapt. *ib.*
Feria V. Gelaſ. & Gregoriana. p. 97.
Ambr. pro bapt. *ib.*
Die V. Menſis April. In Depoſit. S. Ambroſii Epi. p. 98.
Feria VI. Gelaſ. & Gregor. *ib.*
Ambroſianæ duæ. p. 99.
Sabbato. Gelaſ. & Gregor. *ib.*
Ambroſianæ duæ. p. 100.
Dom. Poſt Albas. Gelaſ. & Greg. *ib.*
Ambroſ. albis depoſitis. p. 101.
Aliæ orationes paſchales. *ib.*
Ad comm. diebus feſtis. p. 102.
Miſſa de paſcha Annotino. *ib.*
Dom. I. Poſt octavas Paſchæ. Gel. p. 103.
Ambroſiana. p. 104.
XII. Kal. April. In Nat. S. Benedicti Abb. *ib.*
III. Id. April. In Nat. S. Leonis P. p. 105.
Id. April. In Nat. S. Euſemiæ. Gel. *ib.*

XVIII.

Digitized by Google

ELENCHUS MONUMENTORUM.

XVIII. Kal. Maii. In Nat. SS. Tyburtii, Valeriani, & Maximi. Gelaſ. *ib.*

Dom. II. Poſt octavam Paſchæ. Gel. p. 106.
Ambroſiana. *ib.*

VIII. Kal. Maii. In Nat. S. Georgii M. p. 107.
Ambroſiana. ib.

VII. Kal. Maii. Letania maior. p. 108.
Orat. ad Miſſam. *ib.*
De S. Marco. *ib.* not.

Feria III. Præfatio. item Feria IV. præf. p. 109.

IV. Kal. Maii. In Nat. S. Vitalis. *ib.*

Dom. III. Poſt octav. Paſchæ. p. 110.

Kal. Maii. In Nat. Aplorum Philippi & Iacobi. p. 110.
Ambroſiana. p. 111.
De S. Walpurga. *ib.* not.

V. Non. Maii. In Nat. S. Iuvenalis. & SS. Alexandri, Eventii & Theoduli. *ib.*
In Inventione Scæ Crucis. p. 112.
Ambroſiana. *ib.*

Dom. IV. poſt Octavam Paſchæ. p. 113.
Ambroſiana. *ib.*

II. Non. Maii. In Nat. S. Iohannis Apli ante Portam latinam. *ib.*

VIII. Id. Maii. In Nat. S. Victoris M. p. 114.

VI. Id. Maii. In Nat. S. Gordiani. *ib.*
alia de Gordiano & Epimacho. *ib.*

IIII. Id. Maii. In Nat. SS. Nerei, Achillei, & Pancratii. p. 115.
alia De S. Pancratio. *ib.*

VI. Id. Maii. In Translatione S. Nazarii. *ib.*

III. Id. Maii. In Dedic. Eccl. B. Mariæ ad Mart. p. 116.

II. Id. Maii. In Tranſlat. S. Victoris. Et Nat. SS. Felicis & Fortunati. *ib.*

Orationes, dicendæ in Letaniis, vel in vigil. cottidian. dierum. *ib. ſeq.*

Ad Miſſam orat. p. 117.

Orationes in Die ſecundo. p. 118.

Ad Miſſam orat. *ib.*

Orationes de Die tertio. p. 119.

Ad Miſſam orat. *ib.*

In Vigilia Aſcenſæ Dni. p. 120.
Ambroſiana. p. 121.

In Aſcenſa Dni. p. 121.
Ambroſiana. p. 122.

Dom. poſt Aſcenſam Dni. *ib.*
Ambroſiana. p. 123.

VIII. Kal. Iunii. In Nat. S. Urbani P. & M. *ib.*
In Depoſitione S. Dionyſii. Ambr. *ib.*

In Sabbato S. Pentecoſtes orat. ante Lectiones. (p. 124.

Miſſa poſt Aſcenſum fontis. p. 125.
alia infra hebdomadem. *ib.*
Ambroſiana. p. 126.

Dom. S. Pentecoſtes. *ib.*
Duæ Ambroſianæ. p. 127.

Feria II. Gelaſ. & Gregor. p. 128.

Feria III. Gelaſ. & Greg. *ib.*

Feria IV. Gel. & Greg. *ib.*

Feria V. Præfatio. p. 129.

Feria VI. Gel. & Greg. *ib.*

Sabbato in XII. Lectiones Menſis IV. Gelaſ. & Greg. *ib.*

Dominica vacante. Gregoriana. p. 130.

Dom. octav. Pentecoſtes. Gelaſ. *ib.*
Ambroſiana. p. 131.

IV. Kal. Iunii. In Nat. S. Siſinnii, Martyrii, & Alexandri, Ambroſiana. *ib.*

Kal. Iunii. In Dedicatione Baſilicæ S. Nicomedis. *ib.*

IV. Non. Iunii. In Nat. SS. Marcellini & Petri. Gelaſ. p. 132.
Gregoriana. *ib.*

Dom. II. poſt Pentecoſten. *ib.*

V. Id. Iunii. In Nat. SS. Primi & Feliciani. Gelaſ. p. 133.

II. Id. Iun. In Nat. SS. Baſilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii. Gelaſ. *ib.*

Dom. III. poſt Pentecoſten. Gelaſ. *ib.*

Denuntiatio ieiuniorum primi, quarti, ſeptimi, & decimi menſis. Gel. p. 134.

Menſis quarti. Feria IV. Gel. *ib.*

Feria VI. Gelaſ. p. 135.

Sabbato in XII. lect. Gelaſ. *ib.*

Dom. IV. poſt Pentecoſten. Gel. p. 136.

XVII. Kal. Iul. In Nat. S. Viti M. *ib.*

XIV. Kal. Iul. In Nat. SS. Marci & Marcelliani. p. 137. Gregoriana. *ib.*
In Vigil. Gervaſii & Protaſii. *ib.*

XIII. Kal. Iul. In Nat. SS. Gervaſii & Protaſii. *ib.* Gregoriana. p. 138. Ambroſiana. *ib.*

XI. Kal. Iul. Albani & Seneſii. p. 139. not.

X. Kal. Iul. In Nat. S. Iuliani M. *ib.*

Dom. V. poſt Pentecoſten. Gel. *ib.*

IX. Kal. Iul. In Vig. S. Iohannis Baptiſtæ. *ib.*
Ambroſiana in Concept. eiusd. p. 140.

VIII. Kal. Iul. In Nat. S. Ioh. Bapt. Prima Miſſa. *ib.*
Ambroſiana. p. 141.

VII. Kal. Iul. In Vig. SS. Iohannis & Pauli. Gel. p. 142.

VI. Kal. Iul. In Nat. SS. Ioh. & Pauli. *ib.*

IV. Kal. Iul. In Nat. S. Leonis P. Greg. p. 143.
In Vig. S. Petri. *ib.*
Ambroſiana. p. 144.

III. Kal. Iul. In Nat. SS. Petri & Pauli. p. 144.
Ambroſiana. p. 145.

II. Kal. Iul. In Feſtivitate S. Pauli. p. 146.

Dom. VI. poſt Pentecoſten. *ib.*

VI. Non. Iul. In Nat. SS. Proceſſi & Martiniani. p. 147.

c V. Non.

ELENCHUS MONUMENTORUM.

V. Non. Iul. In translatione S. Thomæ Ap. *ib.*
Pridie Non. Iul. In octava Apſorum. *ib.*
Dom. VII. poſt Pentecoſten. p. 148.
VIII. Id. Iul. SS. Chiliani & Sociorum. *ib.* in not.
VI. Id. Iul. In Nat. VII. Fratrum. p. 149.
Dom. VIII. poſt Pentecoſten. *ib.*
V. Id. Iul. In Nat. S. Benedicti. *ib.*
Dom. IX. poſt Pentecoſten. p. 150.
IV. Id. Iul. In Nat. SS. Naboris & Felicis. A. *ib.*
Dom. X. poſt Pentecoſten. p. 151.
XVI. Kal. Aug. In Nat. S. Quirici. *ib.*
X. Kal. Aug. In Nat. S. Apollinaris. *ib.* conf. in not.
IX. Kal. Aug. S. Chriſtinæ V. p. 152. in notis.
VIII. Kal. Aug. In Nat. S. Iacobi Ap. *ib.* conf. in not.
S. Chriſtophori. *ib.* in notis.
VI. Kal. Aug. S. Pantaleonis. p. 153.
IV. Kal. Aug. In Nat. SS. Simplicii, Fauſtini & Beatricis Item SS. Celſi & Nazarii *ib.*
Mane ad miſſam Ambroſ. 154.
In Nat. S. Felicis. *ib.*
III. Kal. Aug. In Nat. SS. Abdon & Sennen. p. 155.
Dom. XI. poſt Pentecoſten. *ib.*
Kal. Aug. Statio ad S. Petrum ad Vincula. p. 156.
In Nat. SS. Macchabæorum. Gel. *ib.*
Et S. Euſebii. Ambroſiana. *ib.*
IV. Non. Aug. In Nat. S. Stephani Epi. p. 157.
VIII. Id. Aug. In Nat. S. Sixti P. *ib.*
Gregoriana. p. 158. Benedictio uvæ. *ib.*
Duæ M. Ambroſianæ. *ib.*
In Nat. SS. Feliciſſimi & Agapiti. *ib.*
VII. Id. Aug. In Nat. S. Donati Epi. p. 159.
SS. Donati & Carpophori. *ib.*
Dom. XII. poſt Pentecoſten. Gelaſ. *ib.*
VI. Id. Aug. In Nat S. Cyriaci M. p. 160.
V. Id. Aug. In Vigil. S. Laurentii. *ib.*
Ambroſiana. p. 161.
S. Afræ Mart. *ib.* in notis.
IV. Id. Aug. In Nat. S. Laurentii. *ib.*
Gregoriana. p. 162. Ambroſiana. *ib.*
Item aliæ orationes. *ib.*
III. Id. Aug. In Nat. S. Tyburtii M. p. 163.
Id. Aug. In Nat. S. Hippolyti M. *ib.*
De SS. Hippolyto & Caſſiano. Ambr. p. 164.
Dom. XIII. poſt Pentecoſten. Gelaſ. *ib.*
XIX. Kal. Sept. In Nat. S. Euſebii Presb. *ib.*
In Vig. Aſſumptionis S. Mariæ. p. 165.
XVIII. Kal. Sept. In Aſſumptione S. Mariæ. *ib.*
In Nat. S. Simpliciani Epi, & translatione SS. Siſinnii, Martyrii, & Alexandri. Ambroſ. p. 166.
XVI. Kal. Sept. In Octav. S. Laurentii. Gel. *ib.*
XV. Kal. Sept. In Nat. S. Agapiti M. Gel. p. 167.
XIV. Kal. Sept. In Nat. S. Magni. Gel. *ib.*
XI. Kal. Sept. In Nat. S. Timothei M. p. 168.
Dom. XIV. poſt Pentecoſten. Gelaſiana. *ib.*
IX. Kal. Sept. In Nat. S. Bartholomæi. Gel. *ib.*
VIII. Kal. Sept. In Nat. S. Geneſii M. Ambr. p. 169.
VI. Kal. Sept. In Nat. S. Ruſi. Gelaſ. *ib.*
V. Kal. Sept. In Nat. S. Hermetis M. p. 170.
In Depoſitione S. Auguſtini Epi. Ambroſ. *ib.*
Dom. XV. poſt Pentecoſten. Gel. *ib.*
IV. Kal. Sept. In Nat. S. Sabinæ. p. 171.
In Paſſione S. Ioh. Bapt. Gelaſ. *ib.*
Ambroſiana. p. 172.
III. Kal. Sept. In Nat. SS. Felicis & Adaucti. *ib.*
Kal. Sept. In Nat. S. Priſci. Gel. *ib.*
Dom. XVI. poſt Pentecoſten. p. 173.
VI. Id Sept. In Nativitate S. Mariæ. *ib.*
S. Adriani M. Gel. p. 174.
V. Id. Sept. In Nat. S. Gorgonii. Gel. *ib.*
III. Id. Sept. In Nat. SS. Prothi & Hyacinthi. *ib.*
Dom. XVII. poſt Pentecoſten. Gel. 175.
XVIII. Kal. Oct. In Exaltatione S. Crucis. *ib.*
In Nat. SS. Cornelii & Cypriani. *ib.*
Propria de S. Cypriano Ep. & M. p. 176.
XVII. Kal. Oct. In Nat. S. Nicomedis. p. 177.
XVI. Kal. Oct. In Nat. S. Euphemiæ. 2. Miſſæ. *ib.*
SS. Luciæ & Geminiani. *ib.*
Dom. XVIII. poſt Pentecoſten. p. 178.
Fer. IV. ad S. Mariam *ib.*
Feria VI. ad Apoſtolos. p. 179.
Sabbato in XII. Lect. *ib.*
Dom. XIX. poſt Pentecoſten vacat. p. 180.
XIV. Kal. Oct. In Depoſ. S. Euſtorgii. Ambroſ. p. 180.
XII. Kal. Oct. In Vig. S. Matthæi Apli. Gel. p. 181.
XI. Kal. Oct. In Nat. S. Matthæi. Gelaſ. *ib.*
X. Kal. Oct. In Nat. S. Mauricii &c. Ambroſiana. p. 182.
VIII. Kal. Oct. In Nat. S. Teclæ. Ambroſ. *ib.*
V. Kal. Oct. In Nat. SS. Coſmæ & Damiani. *ib.*
III. Kal. Oct. In Dedicat. Baſilicæ S. Michaelis. p. 183.
Ambroſiana. *ib.*
Dom. XX. poſt Pentecoſten. Gelaſ. p. 184.
VI. Non. Oct. S. Leodegarii. pag. 184. in notis.
Non. Oct. In Nat. S. Marci Papæ. p. 185.
In Nat. SS. Marcelli & Apulei. Gel. *ib.*
Dom. XXI. poſt Pentecoſten. *ib.*
II. Id. Oct. In Nat. S. Caliſti Papæ. *ib.*
Dom. XXII. poſt Pentecoſten. p. 186.
Id. Oct. In Vig. S. Galli conf. *ib.*
XVII. Kal. Nov. In Depoſ. B. Galli C. *ib.*
XI. Kal. Nov. In Nat. S. Lucæ Evang. p. 187.
SS. Coſmæ & Damiani. Ambroſ. *ib.*

X.

Digitized by Google

ELENCHUS MONUMENTORUM.

X. Kal. Nov. In Oćtava S. Galli. p. 188.
Dom. XXIII. poſt Pentecoſten. Gelaſ. *ib.*
VI. Kal. Nov. In Vigil Apoſtol. Simonis & Iudæ. Gel. *ib.*
Ambroſiana. p. 189.
V. Kal Nov. In Nat. SS. Ap. Simonis & Iudæ. Gel. *ib.*
Dom. XXIV. poſt Pentecoſten. Gel. p. 190.
Prid. Kal. Nov. Vig. omn. SS. p. 190. in notis.
Kal Nov. In Nat. S. Cæſarii *ib.*
Omnium SS. *ib.*
Dom. XXV. poſt Pentecoſten. Gelaſ. p. 191.
VI. Id. Nov. In Nat SS IV. Coronatorum. *ib.*
V. Id. Nov. In Nat. S. Theodori M. p. 192.
III. Id. Nov. In Nat S. Mennæ M. *ib.*
In Nat. S Martini Epi. *ib.*
De S. Martino Ambroſiana. p. 193.
Dom. XXVI. poſt Pentecoſten. Gelaſ. p. 194.
XVI. Kal. Dec. In Nat. S Othmari C. *ib.*
XV. Kal. Dec. In Translatione S. Auguſtini. p. 195.
XIV. Kal. Dec. In Nat. S. Romani. Ambroſ. *ib.*
Dom. XXVII. poſt Pentecoſten. Gelaſ. p. 196.
XI. Kal. Dec. In Vig. S Cæciliæ. *ib.*
X. Kal. Dec. In Nat. S. Cæciliæ. *ib.*
Ambroſiana. p. 197.
IX. Kal. Dec. In Nat. S. Clementis. *ib.*
Ambroſiana. p. 198.
S. Felicitatis. *ib.*
VIII. Kal. Dec. In Nat S. Chryſogoni. p. 199.
Dom. XXVIII. poſt Pentecoſten. *ib.*
Dom. V. ante Nat. Dni. *ib.*
III. Kal. Dec. SS Saturnini &c. p. 200.
S. Saturnini M. *ib.* in not.
Vigilia S. Andreæ Ap. *ib.*
II. Kal. Dec. Nat. S. Andreæ Ap. p. 201.
Dom. IV. ante Nat. Dni p. 202.
Orationes de Adventu. *ib.*
VII. Id Dec. Oćt. S. Andreæ Ap. p. 203.
III. Id. Dec Nat. S. Damaſi P. *ib.*
Dom III. ante Nat. D. p. 204.
Id. Dec. Nat S. Luciæ. *ib.* p. 205. in notis.
Dom. II. ante Nat. Dni. p. 205.
Feria IV. menſis decimi. *ib.*
Feria VI. p 206.
Sabb. in XII. leċt. *ib.*
Die Dominico vacat p. 207.
Ambroſ. p. 208.
XII. Kal Ian. Nat S Thomæ Ap. *ib.*
Dominica V. de Adventu Ambroſ *ib.*
Aliæ orationes de Adventu. p. 209.
Ambroſianæ. p. 210.
Domin. VI. de Adventu. Ambroſ. *ib.*
Commune Sanċtorum. p. 211.
In Vigil. unius Apoſtoli. p. 212.
In Nat. unius Apoſtoli. *ib.*
alia Ambroſ. p. 213.
In Vigil. plurium Apoſtolorum. *ib.*
In Nat. plurium Apoſtolorum. *ib.*
alia Ambroſ. p 214.
Denuntiatio natalis unius Martyris. *ib.*
In Vigil. unius Sanċti. *ib.*
In Vigil. unius Mart. Greg. p. 215.
In Natali unius Martyris. *ib.*
aliæ. p. 216.
In Vigilia plurimorum Martyrum. p. 217.
In Nat. plurimorum Martyrum. *ib.*
Gregor. p. 218. Ambroſ. p. 219.
In baſilicis Martyrum. p. 220.
In eccleſia cuiuslibet Sanċti. *ib.*
In Vigil. unius Confeſſoris. *ib.*
In Nat. unius Confeſſoris. p. 221.
Gregor. *ib.*
Ambroſ. p. 222.
In Nat. plurimorum Confeſſorum. p. 223.
In Nat. Virginum. *ib.*
Ambroſ. p. 224.
In Nat. plurimorum Sanċtorum. p. 225.
In dedicatione templi. p. 226.
Ambroſ. p. 227.
In anniverſario dedicationis. p. 228.
Ambroſ. p 229.
Orationes quotidianis diebus ad Miſſam. p. 230.
Canon Miſſæ. p 232.
Orationes poſt Communionem. p. 238.
Miſſæ Ambroſianæ quotidianis diebus. p. 240.
Orationes matutinales & veſpertinales. p. 241.
ad horas. p. 243.
pro peccatis. p. 244.
quotidianæ. p. 246.
Ordo baptiſterii. p. 248.
Miſſa pro ſcrutinio. *ib.*
Denuntiatio ſcrutiniorum. p. 249.
Orationes ſuper eleċtos. *ib.*
Ad Clericum faciendum. p. 256.
Pro his, qui primo barbam tondent. p. 257.
Miſſa in Conſecratione presbyteri. *ib.*
Aċtio nuptialis. p. 258.
Miſſæ votivæ. p. 259.
De SS. Trinitate. p. 260.
De ſapientia. p 261.
De dono Spiritus S. poſtulando. *ib.*
Ad Angelorum ſuffragia poſtulanda. *ib.*
In commemoratione SS. Angelorum. p. 262.
De caritate. *ib.* De Cruce. p. 263.
De S. Maria. *ib.*

Digitized by Google

In quotidiana Sanctorum. p. 264.
Ad poſcenda Sanctorum ſuffragia. p. 265.
Miſſa ſpecialis pro omni Congregatione S. Mariæ. *ib.*
In Natali Sanctorum pro ſalute vivorum. p. 266.
Variæ pro ſalute vivorum. p. 268.
Miſſa communis S. Auguſtini. p. 270.
Pro omni gradu eccleſiaſtico. p. 271.
Miſſæ pro peccatis. p. 272.
Miſſæ pro tribulationibus. p. 273.
Pro pace. p. 276. Pro regibus. *ib.*
Tempore belli. p. 277.
Miſſa in monaſterio. p. 278.
Pro his, qui ſe Deo devoverint. p. 279.
Miſſa votiva. *ib.* Pro ſalute unius vivi. p. 280.
Miſſa votiva in Sanctorum feriis. p. 281.
Miſſa pro eis, qui Miſſam cantare rogant. p. 282.
Alia Miſſa votiva. *ib.*
Miſſæ pro amico. *ib.* in notis.
Miſſa votiva cum oblatione. p. 283.
pro Agapen faciente. *ib.* in notis.
pro amicis viventibus. p. 284. in notis.
Miſſa pro devoto. p. 285.
pro remedio animæ. p. 286.
alia votiva. p. 287.
Miſſæ pro iter agentibus. *ib.*
pro navigantibus. p. 290.
Miſſa Sacerdotis pro ſemetipſo. p. 291.
Aliæ. p. 292.
Miſſa pro ſe & omnibus quibus debitor eſt. p. 296.
Pro cogitationibus immundis. p. 297.
Contra ſuperbientes animi motus. *ib.*
Pro tentatione carnis. p. 298.
Miſſæ pro petitione lacrymarum. p. 298.
Miſſa pro caritate. p. 299.
Pro inimicis. p. 300.
Pro ſterilitate terræ. *ib.*
Ad pluviam poſtulandam. p. 301.
Ad poſcendam ſerenitatem. p. 302.
Orationes & Miſſa pro fulgure. p. 303.
Benedictio aquæ & ſalis ad fulgura. *ib.*
Miſſa tempore mortalitatis. p. 304.
Pro peſte animalium. p. 305. not.
Benedictio ſalis & aquæ ad ſpargendum in domum. (p. 306.
Benedictio domus novæ. p. 307.
Miſſa in domo nova. *ib.*
Ad fruges novas benedicendas. *ib.*
Benedictio uvæ ſive fabæ, pomorum, arboris, panis, vini, ſalis, aliarumque rerum. pag. 308.
Orationes in domo infirmorum. p. 309.
Miſſæ pro infirmis. *ib.* in notis. & p. 310.
pro infirmo, qui proximus morti putatur. p. 311. not.
pro infirmo, de cuius ſalute deſperatur. *ib.*
Reconciliatio pœnitentis ad mortem. p. 312.
Ordo ad commendationem animæ. *ib.*
Orationes ſuper defunctis. p. 313.
Ad lavandum corpus. *ib.*
Ordo ſepeliendi defunctum. p. 314.
Miſſæ pro defuncto Sacerdote. p. 315.
pro Epiſcopo defuncto. p. 317.
pro Sacerdote ſive Abbate. p. 318.
In agenda mortuorum. p. 319.
Pro defuncto nuper baptizato. *ib.*
Pro defunctis deſiderantibus pœnitentiam, & non conſecutis. p. 320.
Miſſa pro defuncto laico. *ib.*
Miſſa pro defuncta femina. p. 322.
In agenda plurimorum. *ib.*
Miſſæ pro defunctis. p. 323.
pro his, qui ob defenſionem Eccleſiæ occubuerunt. p. 324. not.
pro defunctis fratribus. p. 325.
Miſſæ in cœmeteriis. p. 326.
In depoſitione, tertio, ſeptimo & trigeſimo. p. 327.
In anniverſario. p. 328.
Miſſa, de cuius anima deſperatur. p. 329.
Benedictiones Epiſcoporum in Miſſa. p. 331.
Præparatio Epiſcopi ad miſſam ſolemnem. p. 345.
Ritus ad miſſam ſolemnem Epiſcopi. p. 347.
Alia præparatio. *ib.*
Graduale, ex *Rhenaug.* & *San-Blaſ.* p. 353.
Supplementum feſtivale ad Graduale. p. 401.
Lectionarium ſeu tabula antiquarum lectionum B. Pauli Apoſt. ad Miſſas. p. 409.
Capitulare Evangeliorum de anni circulo. p. 417.
Breviarium Apoſtolorum. p. 453.
Martyrologium ex Cod. *Rhenaug.* p. 455.
Kalendarium Eccleſiaſticum, ex Cod. *Petershuſano.* p. 469.
Kalendarium Dyptichum ex *Augienſi.* p. 482.
Kalendarium monaſtico-necrologicum ex *Mureuſi.* p. 492.

MONU-

Digitized by Google

REFERT QUO FONTE BIBATUR. MART. EPIGR. LIB. X.



MONUMENTA VETERIS LITURGIÆ ALEMANNICÆ.

LIBER SACRAMENTORUM. (1)

IN VIGILIA NATALIS DNI.

Ad Nonam Statio ad S. Mariam.

Deus qui nos redemptionis noſtræ annua expectatione lætificas, præſta, ut unigenitum tuum, quem redemptorem læti ſuſcepimus, venientem quoque iudicem ſecuri videamus, eundem.

Gregor. *Alia.* (2)

Da nobis omnipotens Deus, ut ſicut adoranda filii tui natalicia prævenimus, ſic eius munera capiamus ſempiterna gaudentes, per eundem Dnm. *g. gg.* (3)

Alia.

Præſta miſericors Deus, ut ad ſuſcipiendum

---

(1) Antiquior cod. *San-Gallenſis* habet hunc titulum: *In nomine ſanctæ Trinitatis incipit liber ſacramentorum anni circuli Romanæ Eccleſiæ*, quo caret vetuſtiſſimus *Rhenaugienſis*, atque etiam *San-Gallenſis* olim, nunc *Turicenſis*, ex triplici ritu *Gelaſiano*, *Gregoriano*, & *Ambroſiano* compoſitus, prout hic edimus.

(2) Oratio hæc (*Alia*) in *Gregoriano* inſcribitur *Secreta*, ſequens deeſt: prior *Secreta* eſt in *Gregoriano Poſtcommun.* Quæ inſcribitur *alia Secreta*, eum locum tenet in *Gelaſiano* vulgato. Deinceps quando *alia Secreta* ponitur, ea plerumque *Gregoriana* eſt, prior autem *Gelaſiana.*

(3) Littera minuſcula *g. Gelaſianas*, prout in vulgato Ven. THOMASII leguntur; geminata vero *gg. Gregorianas* orationes deſignamus, uti vel in editis, vel MſſI. *Alemannicis* ſacramentariis *Gregorianis* invenimus.

Digitized by Google

endum filii tui ſingulare nativitatis myſterium, & mentes credentium præparentur, & non credentium corda ſubdantur, per eundem. *g. El.* (1)

Secreta.

Da nobis, ut nativitatis Dni nri Ihu Xpri ſolemnia, quæ præſentibus ſacrificiis prævenimus, ſic nova ſint nobis, ut continuata permaneant, ſic perpetua perſeverent, ut pro ſui miraculo nova ſemper exiſtant, per eundem. *l.* (2) *g.*

Alia Secreta.

Tanto nos Dne quæſumus promptiore ſervitio huius ſacrificii præcurrere concede ſolemnia, quanto in hoc conſtare principium noſtræ redemptionis oſtendis. per eund. *l. g.* *Præfatio.* (3)

VD. Per Xpm Dnum nrm, cuius hodie faciem in confeſſione prævenimus, & voce ſupplici exoramus, ut ſuperventuræ noctis officiis nos ita pervigiles reddat, ut ſinceris mentibus eius percipere mereamur natalem venturum, in quo inviſibilis ex ſubſtantia tua, viſibilis per carnem apparuit in noſtra; tecumque unus, non tempore genitus, non natura inferior, ad nos venit ex tempore natus Ih9 Xr9 Dn9 noſter per quem maieſt. *g g.*

Poſtcom.

Da nobis Dne quæſumus unigeniti filii tui recenſita nativitate reſpirare, cuius cœleſti myſterio paſcimur, & potamur. per eundem. *Vel*, qui tecum. *l. gg.*

Alia Ambroſiana. (4)

Deus qui hunc diem ſacratiſſimum per incarnationem Verbi tui, & partum Mariæ virginis conſecraſti, da populis tuis in hac celebritate conſortium, ut qui tua gratia ſunt redempti, tua ſint protectione ſecuri. per eundem.

Alia.

Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidiſti, & mirabilius reformaſti, da quæſumus nobis Ihu Xpi filii tui dignitatis eſſe conſortes, qui humanitatis noſtræ dignatus eſt fieri particeps, qui tecum vivit. *l. g. gg.*

Secreta.

Præ cæteris ſolemnitatibus gloriantes, hodie tibi Dne vota perſolvimus, quia ipſe, cuius imaginem immolamus, immaculat9 agnus eſt editus, Ih9 Xp9 Dn9 noſter, qui tecum.

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm, cuius hodie faciem in confeſſione &c. *Poſtcom.*

Sacroſancti corporis & ſanguinis Dni nri Ihu Xpi refectione vegetati, ſupplices te rogamus omnipotens Deus, ut hoc remedium ſingulare ab omnium peccatorum nos contagione purificet, per eundem. *Oratio ad Veſperum.*

Tribue nobis quæſumus omnipotens Deus, ut qui unigenitum tuum manentem in tua gloria Deum in carne noſtri corporis natum, per ſacroſanctam Mariam virginem confitentur, nulla poſſint adverſa ſchiſmaticorum opinione perverti. per eundem. *Alia.*

---

(1) His litteris *El.* deinceps indigitabimus ſacrament. codicem S. ELIGII a MENARDO primum editum, deinde inter opera S. GREGORII T. III. recuſum, qui paſſim cum *Gelaſiano* convenit.

(2) Littera *l. Leonini* ſacramentarii a BLANCHINIO & MURATORIO editi orationes deſignat.

(3) In *Rhenaugienſi* ſacramentario uſu antiquiſſimo ſemper *Conteſtatio* vocatur. Hæc autem Præfatio in eo codice ſic incipit *In confeſſione hodie eius faciem prævenire, & cum voce ſupplici exorare &c.* prout etiam prima manus in vetuſtiore *San-Gallenſi* ſcripſerat; altera vero, antiqua tamen correxit ſicuti hic deſcripſimus ex alio codice *San-Gallenſi*, cuius ſcriptura ſæculi circ. X. ad litteram uſque, quemadmodum hic, ita deinceps ſequitur correctionem illam, cuius meminimus, ſatis frequentem. Id quod nullum dubio relinquit locum, ſcriptorem huius, quem edimus codicis, uſum eſſe eodem ipſo, quem autographum præ oculis habemus.

(4) Hac minutiori ſcriptura ea exprimemus, quæ neque in antiquiſſimis codd. *Alemannicis Rhenaug.* & *San-Gall. Gelaſianis, neque in S. Blaſiano Gregoriano Romæ* ex authentico libro bibliothecæ cubiculi deſcripto, continentur. Ritu *Ambroſiano* prima oratio dicitur *ſuper populum*, altera poſt apoſtoli & Evangelii lectionem *ſuper ſindonem*, quam mox ſequitur oratio *ſuper oblatam* ſeu Secreta, tum Præfatio, demum Poſtcommun. Quod vero in hac miſſa *Ambroſiana* vides, idem etiam paſſim alibi animadvertere licet, orationum, conteſtationumque formulas haud raro easdem eſſe cum *Romanis*, aut integras, aut ex parte aliqua.

Digitized by Google

Alia.

Deus qui ſalutem generis humani in Verbi tui incarnatione fundaſti, da populis tuis miſericordiam quam depoſcit, ut ſciant omnes nationes, non eſſe aliud ſanctum, quam nomen unigeniti tui ſub cœlo, quod debeant invocare, qui tecum.

Alia.

Deus qui nos redemptionis noſtræ annua expectatione lætificas, præſta, ut unigenitum tuum, quem redemptorem læti ſuſcipimus, venientem quoque iudicem ſecuri videamus, qui tecum vivit. *gg.*

Ad Matutinum In Cantemus.

Præſta miſericors Deus, ut natus hodie Salvator mundi, ſicut divinæ nobis generationis eſt auctor, ita & immortalitatis ſit ipſe largitor. qui tecum. *l. gg.*

In Benedicite.

Inſonuit Dne benedictio Trinitatis, de camino ignis pſallentes de nativitate tua. Et ideo petimus miſericordiam tuam, ut ſicut illos eripuiſti de camino ignis ardentis, ita & nos eripias ab incendio peccatorum, qui vivis.

In Laudes.

Deus cui cœli & terra non ſufficiunt, virginis viſcera ingreſſus, templum tibi habitationis dedicare dignatus es: oramus ſupplices pietatem tuam, ut huius ſacramenti myſterio populum tuum pervigili protectione cuſtodias, qui vivis.

Ad Compl.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut unigeniti tui diem puro corde & mentibus celebremus illæſis. per eundem.

In Vigilia Domini in Nocte.
Ad Sanctam Mariam Maiorem. (1)

Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem veri luminis feciſti illuſtratione clareſcere, da quæſumus, ut cuius lucis myſteria in terra cognovimus, eius quoque gaudiis in cœlo perfruamur, qui tecum. *g. El. gg.*

Alia.

Reſpice nos miſericors Deus, & mentibus clementer humanis naſcente Xpo ſummæ veritatis lumen oſtende, per eundem. *gg. El. ad Matut.*

Secreta.

Accepta tibi ſit Dne quæſumus hodiernæ feſtivitatis oblatio, ut tua gratia largiente per hæc ſacroſancta commercia in illius inveniamur forma, in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia, per eundem. *El. gg.*

Alia Secreta.

Munera noſtra quæſumus Dne nativitatis hodiernæ myſteriis apta proveniant, & pacem nobis ſemper infundant, ut ſicut homo genitus, idem refulſit & Deus; ſic nobis hæc terrena ſubſtantia conferat quod divinum eſt, per Dnum. *g.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm. Cuius divinæ nativitatis potentiam ingenita virtutis tuæ genuit magnitudo, quem ſemper filium, & ante tempora æterna genitum, quia tibi pleno atque perfecto æterni patris nomen non defuit, prædicamus; verum etiam honore & maieſtate atque virtute æqualem, tibi cum ſancto Spiritu confitemur, dum in trino vocabulo unicam credimus maieſtatem, quam laudant angeli. *vel.* Et ideo cum angelis. *melius. g. El.*

Infra

(1) Orationes hic, ut paſſim alias partim *Gelaſianæ*, partim *Gregorianæ* ſunt, partim utrinque communes, uti deinceps haud raro a collectore huius ſacramentarii annotatum deprehendes, etſi non convenienter adeo ſecundum *Gelaſianum* vulgatum. Quod nemini mirum videbitur, qui in *Leonino* complures plerumque miſſas ad unum diem conſcriptas leget. Paſſim tamen, quas collector hic noſter GELASIO attribuit, in antiquiſſimo *Rhenaugienſi*, eique gemino *San-Gallenſi*, nec non edito S. ELIGII reperias; quas vero *Gregorianas* indigitat, ad unam vix non omnes *San-Blaſiano* eique ſimilibus *Alemannicis* deſcriptis *Romæ* ex authentico bibliothecæ cubiculi congruunt. Hique cum *Vaticano* per MURATORIUM edito conveniunt.

Infra Actionem.

Communicantes & noctem ſacratiſſimam celebrantes, in qua incontaminata beatæ Mariæ virginitas huic mundo edidit Salvatorem Ihm Xpm Dnm nrm; ſed & memoriam, *gg.*

Alia Præfatio.

VD. (1) *Æquum & ſalutare, quia per incarnati Verbi myſterium nova mentis noſtræ oculis lux tuæ claritatis infulſit; ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inviſibilium amorem rapiamur; Et ideo.* gg. Infra Actionem.

Communicantes & noctem ſacratiſſimam celebrantes qua beatæ Mariæ intemerata virginitas huic mundo edidit ſalvatorem, ſed & memoriam venerantes eiusdem glorioſæ ſemper virginis Mariæ genitricis Dei & Dni nri Ihu Xpi, ſed & beatorum. gg. Poſtcomm.

Da nobis quæſumus Dne Deus noſter, ut qui nativitatem Dni nri Ihu Xpi myſteriis nos frequentare gaudemus, dignis converſationibus ad eius mereamur pertinere conſortium, per eundem. l. gg. El. (2)

Miſſa Ambroſiana.

Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem veri luminis feciſti illuſtratione clareſcere, de quæſumus, ut cuius lucis myſteria in terra cognovimus, eius quoque gaudiis in cœlo perfruamur, qui tecum vivit. *gg.* *Alia.*

Concede quæſumus omnipotens Deus, ut quos ſub peccati iugo vetuſta ſervitus tenet, eos unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, per eundem. *gg.* *Secreta.*

Accepta tibi ſit Dne quæſumus hodiernæ feſtivitatis oblatio, ut tua gratia largiente per hæc ſacroſancta commercia in illius inveniamur forma, in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia, qui tecum. *l. g.* *Præfatio.*

VD. *Uſque* æterne Deus. quia noſtri ſalvatoris hodie lux vera proceſſit, quæ clara nobis omnia & intellectu manifeſtavit & viſu; & ideo cum angelis. *Infra Actionem.*

Communicantes, & noctem ſacratiſſimam. *ut ſupra.* *Ad Comm.*

Da nobis quæſumus Dne Deus noſter, ut qui nativitatem. *ut ſupra.*

De Nocte ad ſanctam Anaſtaſiam.

Da quæſumus omnipotens Deus, ut qui nova incarnati Verbi tui luce perfundimur, hoc in noſtro reſplendeat opere, quod per fidem fulget in mente, per. *gg.* *Secreta.* (3)

Cuncta Dne quæſumus his muneribus

(1) Hac ſcriptura (quam *curſivam* vocant) diſtinguimus orationes, quæ deſiderantur in codd. antiquiſſimis *Rhenaugienſi* & *San-Gallenſi Gelaſianis*, habentur vero in *San-Blaſiano Gregoriano Romæ* ex authentico bibliothecæ cubiculi deſcripto.

(2) Ex hac miſſa totam œconomiam ſacramentarii S. Eligii a Menardo editi animadvertere licet, ad ritum *Gregorianum* ita compoſitam, ut tamen paſſim orationibus præfationibusque *Gelaſianis* utatur. Orationem quæ ritu *Gelaſiano* primæ additur, ut potiſſimum omittit, hicque *ad Matutinum* inſcribit ad finem miſſæ reiectam. Præfationem *Gelaſianam* retinet cum cæteris orationibus *Gregorianis*, ut adeo ſacramentarium illud ex liturgia *Gelaſiana* & *Gregoriana* compoſitum recte dicatur, quod deinceps ſemper magis eluceſcet; ita tamen, ut e *Gregoriano* miſſali plura participet; dum econtra antiquiſſima noſtra liturgia *Alem. Gelaſiana* potius ſit habenda.

(3) Hæc & oratio ſequens *ſuper populum* habetur in vulgato *Gelaſiano* n. III. *Item in vigilia Domini mane prima*, quæ miſſa rectius in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* inſcribitur *Mane prima.* Præmittitur officium *In natali S. Anaſtaſiæ*, de quo nihil in *Gelaſiano* vulgato, orationesque omnes ſunt *Gregorianæ*, iuxta ſacramentarium *San-Blaſianum* iam citatum ex authentico libro bibliothecæ cubiculi ſcriptum, cum quo ſemper fere conveniunt tum miſſæ integræ cum orationes ſingulares, quas geminata littera *GG. Gregorianas* indigitat collector huius, quod edimus, ſacramentarii; uti quas viciſſim ſimplici littera *G.* denotat eædem ſolent eſſe miſſæ, aut orationes ſingulares, quæ habentur in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* eique gemino *San-Gallenſi*, quod inſcribitur *liber Sacramentorum anni circuli Romanæ eccleſiæ;* ita ut dici poſſit hoc ipſo codice, quem indulgentia ſuaviſſimorum ſodalium *San-Gallenſium* præ oculis manibusque habeo, uſum fuiſſe collectorem noſtrum monachum haud dubie *San-Gallenſem.*

Digitized by Google

a nobis ſemper diabolica figmenta ſeclude, ut noſtri redemptoris exordia purificatis mentibus celebremus, per eundem. *g.*

Alia Secreta.

Munera noſtra quæſumus Dne nativitatis hodiernæ myſteriis apta proveniant, ut ſicut homo genitus idem refulſit Deus, ſic nobis hæc terrena ſubſtantia conferat quod divinum eſt, per eundem. gg.

Præfatio.

VD. *Uſque* æterne Deus, quia noſtri Salvatoris hodie. *ut ſupra.*

Poſtcom.

Huius nos Dne Sacramenti ſemper novitas natalis inſtauret, cuius nobilitas ſingularis humanam repulit vetuſtatem. per eund. *gg.* *Super populum.*

Populum tuum Dne quæſumus tueantur, ſanctificent, & gubernent, æternumque perficiant tam devotionibus apta ſolemnibus, quam nataliciis agenda divinis Ihu Xpi Dni nri, qui tecum vivit. *g.*

Eodem die Natale Sctæ Anaſtaſiæ.

Da quæſumus omnipotens Deus, ut qui beatæ Anaſtaſiæ Martyris tuæ ſolemnia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Accipe quæſumus Dne munera dignanter oblata, & beatæ Anaſtaſiæ ſuffragantibus meritis ad nræ ſalutis auxilium provenire concede. per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. Æterne Deus! qui ut de hoſte generis humani maior victoria duceretur, non ſolum per viros virtute martyrii, ſed de eo etiam per feminas triumphaſti. Et ideo. *gg.* *Poſtcom.*

Satiaſti Dne familiam tuam muneribus ſacris, eius quæſumus ſemper interventione nos refove, cuius ſolemnia celebramus, per Dnm. *gg.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Deus qui es mundi creator & rector, da nobis in hac die incarnationis Verbi tui, & partus ſacræ Mariæ virginis pium celebrare conſortium, ut qui per tuam gratiam ſunt redempti, tua ſint protectione ſecuri, per eundem.

Alia.

Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatis tuæ gratiam contuliſti, da nobis Ihu Xpi filii tui divinitatis eſſe conſortes, qui fragilitatis noſtræ dignatus eſt fieri particeps, qui tecum.

Secreta.

Grata ſit tibi quæſumus Dne hodiernæ nativitatis Dni nri Ihu Xpi hæc oblatio, ut tua gratia largiente per hæc ſacroſancta commercia in ipſius inveniamur forma, in quo & noſtram credendo ſperamus eſſe ſubſtantiam, qui tecum vivit. *l.*

Præfatio.

VD. Æterne Deus, quia per incarnati Verbi tui myſterium novæ mentis nræ oculis lux tuæ claritatis infulſit; ut dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc ad inviſibilium amorem rapiamur. Et ideo cum angelis & archangelis. *g g.*

Poſtcom.

Reple quæſumus Dne famulos tuos tua ſacra benedictione, & qui te factorem & conditorem ad eos renovandos Dnm nrm Ihm Xpm adveniſſe confidunt, te auctore iugiter operante ſalventur, per eundem.

In Natal. Domini ad ſanctum Petrum. G. (1)

Omnipotens ſempiterne Deus! qui hunc diem per incarnationem Verbi tui, & partum beatæ Mariæ virginis conſecraſti! da populis tuis in hac celebritate lætitiam, ut qui tua gratia ſunt redempti, tua ſint adoptione ſecuri, per eundem Dnm. *g.* *Alia*

(1) Incipit hic collector ſacramentarii huius ſuis auctoribus i. e. Gelasio & Gregorio PP. adſcribere littera *G.* ſimplici aut dupplicata *GG.* maioribus, quibus utitur, nos vero pro diſcrimine conſimili in editis ac MSſ. noſtris paullo ante indicato litteras minuſculas adhibemus.

Digitized by Google

Alia. G G.

Concede quæſumus omnipotens Deus, ut nos unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet! quos ſub peccati iugo vetuſta ſervitus tenet, per eundem Dnm. *g. g g.*

Secreta. G.

Oblatio tibi ſit Dne quæſumus hodiernæ feſtivitatis accepta, qua & noſtræ reconciliationis proceſſit perfecta placatio, & divini cultus nobis eſt *indita* plenitudo, per Dnm. *g.*

Alia Secreta. G G.

Oblata Dne munera nova unigeniti tui nativitate ſanctifica, nosque a peccatorum noſtrorum, maculis emunda, per eundem. g g.

Præfatio.

VD. Æterne Deus! tuæ laudis hoſtiam iugiter immolantes, cuius figuram Abel iuſtus inſtituit, agnus quoque legalis oſtendit, celebravit Abraham, Melchiſedech ſacerdos exhibuit; ſed verus agnus & æternus pontifex hodie natus, Xpus implevit. Et ideo cum angelis & archangelis, cum thronis & dominationibus, cumque omni militia cœleſtis exercitus, ymnum gloriæ tuæ canimus ſine fine dicentes: Scs, Scs, Scs. *l. g. g g.*

Infra Actionem.

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, in quo beatæ Mariæ intemerata virginitas huic mundo edidit ſalvatorem, ſed & memoriam venerantes eiusdem glorioſæ ſemper virginis Mariæ genitricis Dei & Dni nri Ihu Xpi; ſed & g g.

Alia.

Quia per incarnati. ut ſupra.

Ad Comm.

Læti Dne frequentamus ſalutis humanæ principia, quia trina celebratio beatæ competit myſterio Trinitatis, per Dnm. *g.*

Alia.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut natus hodie ſalvator mundi, ſicut divinæ nobis generationis eſt auctor, ita & immortalitatis ſit ipſe largitor, qui tecum. *l. g. g g.*

Aliæ orationes. (1)

Adeſto Dne ſupplicationibus noſtris, ut populus tuus, qui te factore eſt conditus, teque eſt reparatus auctore, te etiam iugiter operante ſalvetur, per Dnm. *g.*

Alia.

Largire quæſumus Dne famulis tuis fidei & ſecuritatis (2) augmentum, ut qui nativitate Dni nri Ihu Xpi gloriantur, & adverſa mundi te gubernante non ſentiant, & quæ temporaliter celebrare deſiderant, ſine fine percipiant, per eundem. *l. g. g g.*

Alia.

Deus qui populo tuo plenæ præſtitiſti redemptionis effectum, ut non ſolum unigeniti tui nativitate corporea, ſed etiam crucis eius patibulo ſalvaretur: huius quæſumus fidei famulis tuis tribue firmitatem, ut uſque ad promiſſum gloriæ tuæ præmium, ipſo quoque gubernante perveniant, per eundem.

Alia.

Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem & mirabiliter condidiſti, & mirabilius reformaſti! da nobis quæſumus eius divinitatis eſſe conſortes, qui humanitatis noſtræ

(1) In vulgato *Gelaſiano* inſcribuntur orationes ſequentes *ad veſp. ſive matut.*

(2) Vid. VEZZOSIUS n. 4. p. 6. in T. VI. opp. V. THOMASII.

noſtræ fieri dignatus eſt particeps, Ih9 Xr9 filius tuus, qui tecum. *g. gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, creator humanæ reformatorque naturæ, quam unigenitus tuus in utero perpetuæ virginitatis aſſumpſit, reſpice nos propitius, ut filii tui incarnatione ſuſcepta, inter ipſius mereamur membra numerari. per eundem. *g.*

Alia.

Deus qui nativitatis tuæ exordium pro noſtra neceſſarium ſalvatione duxiſti: reſpice nos propitius, & quos ſimiles ad imaginem tuam feciſti, ſimiliores obſervatione perfice mandatorum, qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas. *g.*

Alia. (1)

Deus qui per beatæ virginis partum, ſine humana concupiſcentia procreatum, in filii tui membra venientes paternis feciſti præiudiciis non teneri, præſta quæſumus, ut huius creaturæ novitate ſuſcepta, vetuſtatis antiquæ contagiis exuamur. per eundem. *El. l. gg.*

Alia.

Concede nobis omnipotens Deus, ut ſalutare tuum nova cœlorum luce mirabile, quod ad ſalutem mundi hodierna feſtivitate proceſſit, noſtris ſemper innovandis cordibus oriatur. qui tecum. *gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in filii tui Dni nri nativitate tribuiſti totius religionis initium perfectionemque conſtare, da nobis quæſumus in eius portione cenſeri, in quo totius ſalutis humanæ ſumma conſiſtit, per. *l. gg.*

Alia.

Da quæſumus Dne populo tuo inviolabilem fidei firmitatem, ut qui unigenitum tuum in tua tecum gloria ſempiternum, in veritate noſtri corporis natum de matre virgine confitentur, & a præſentibus liberentur adverſis, & manſuris gaudiis inſerantur. per eundem. *l. gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui hunc diem per incarnationem. *ut ſupra.*

Alia.

Reſpice nos miſericors Deus, & mentlbus clementer humanis *ut ſupra.*

Unde ſupra Miſſa Ambroſiana.

Deus qui es mundi creator & rector. *Require retro in tertio ſolio.* (2)

Aliæ orationes Eiusdem.

Natum nobis Dne hodie filium tuum annua feſtivitate celebrantes, præſta quæſumus, ut cuius in terris gaudemus adventu, in ſempiterna eius exultemus gloria, qui tecum vivit.

Alia.

Præſta quæſumus omnipotens Deus; ut redemptionis noſtræ veneranda ſolemnitas, & vitæ nobis conferat præſentis auxilia, & remedia ſempiterna procuret, per Dnum.

Alia.

Te deprecamur omnipotens Deus, ut cuius nativitatem hodie celebramus in terris, ipſius miſericordia conſervemur in cœlis, qui tecum.

FERIA II. MISSA

De Nativitate Domini.

Adeſto Dne ſupplicationibus noſtris, ut populus tuus, qui te factore eſt conditus, teque eſt reparatus auctore, te etiam iugiter operante ſalvetur, per Dnm.

Alia.

Deus qui unigenitum tuum per uterum virginis Mariæ intactum, in hunc mundum manifeſtare dignatus es, non deſit famulis tuis pietatis tuæ invictiſſima ſalus, per eundem.

Secreta.

Deus qui nativitatis tuæ exordium pro nra neceſſarium ſalvatione duxiſti! reſpice propitius ad munus totius eccleſiæ, & quos ſimiles ad imaginem tuam feciſti, ſimiliores obſervatione perfice mandatorum, qui vivis. Præ-

(1) Sequentes deſunt in vulgato *Gelaſ.*

(2) Pag. 5. col. 2.

Præfatio.

VD. Æterne Deus! Et te in omnibus prædicare myſteriis, hodie quia noſtri ſalvatoris lux vera proceſſit, quæ clauſam nobis omnibus vitam reddidit, ut non ſolum præſentem ſuo ſplendore dirigeret, ſed ad ipſam nos maieſtatis immenſæ gloriam perduceret intuendam, per eundem Dnm.

Ad Comm.

Plebs tua Dne eius participatione ſemper gaudeat ſacramenti, quod in Xpi Dni ſui incarnatione cognovit, qui tecum.

VII. Kl. Ian. SCI STEPHANI.

Da nobis quæſumus Dne imitari quod colimus! ut diſcamus & inimicos diligere, quia eius natalicia celebramus, qui novit etiam pro perſecutoribus exorare. *gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui primitias Martyrum in beati Levitæ Stephani ſanguine dedicaſti! tribue quæſumus, ut pro nobis interceſſor exiſtat, qui pro ſuis etiam perſecutoribus exoravit, per Dnm. *l. g. gg.*

Secreta.

Grata tibi ſint Dne munera quæſumus devotionis hodiernæ, quæ beati Stephani martyris tui commemoratio glorioſa depromit, per Dnm. *l. g.*

Alia Secreta. GG.

Suſcipe Dne munera pro tuorum commemoratione Sanctorum, ut quod illos paſſio glorioſos, nos devotio reddat innocuos, per Dnm. El. gg.

Præfatio.

VD. Æterne Deus! beati Stephani levitæ ſimul & martyris natalitia recolentes, qui fidei, qui ſacræ militiæ, qui diſpenſationis & caſtitatis egregiæ, qui prædicationis mirabiliſque conſtantiæ, qui confeſſionis ac patientiæ nobis exempla veneranda propoſuit; & ideo nativitatem filii tui merito præ cæteris paſſionis ſuæ feſtivitate proſequitur, cuius gloriæ ſempiternæ primus martyr occurrit, per eundem. vel *& ideo.* l. El. gg.

Ad Comm.

Auxilientur nobis Dne ſumpta myſteria, & intercedente beato Stephano martyre tuo ſempiterna protectione confirment, per Dnm. *gg.*

Super Populum. (1)

Beatus martyr Stephanus Dne quæſumus pro fidelibus tuis ſuffragator accedat, qui dum beneplacitus tibi ſit, pro his etiam poſſit audiri, per Dnm. *g.*

Aliæ Orationes.

Gratias agimus Dne multiplicatis circa nos miſerationibus tuis, qui & filii tui nativitate nos ſalvas, & beati martyris Stephani deprecatione ſuſtentas, per eundem. *l. gg.*

Alia.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut beatus Stephanus levita magnificus, ſicut ante alios imitator dominicæ paſſionis & pietatis enituit, ita ſit fragilitatis nræ promptus adiutor, per eundem. *l. g.*

Alia.

Deus qui nos unigeniti tui clementer incarnatione redemiſti, da nobis patrocinia tuorum continuata Sanctorum, quibus capere valeamus ſalutaris myſterii portionem per eundem. *l. gg.*

Unde ſupra aliæ orationes Ambroſianæ.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui primitias Martyrum. *ut ſupra.*

Alia.

Deus qui beato levitæ Stephano lapidantibus veniam poſcere tribuiſti! quæſumus, ut bona pro malis reddere tuo poſſimus auxilio, quod primi martyris docemur exemplo. per Dnm.

Alia.

Miniſtrantium tibi Deus eruditor & rector, qui eccleſiæ tuæ primordia beati levitæ Stephani miniſterio, & pretioſo martyrii ſanguine decoraſti, da quæſumus, ut in exceſſu noſtro veniam conſequentes, mereamur exemplis eius imbui, & interceſſionibus adiuvari, per Dnm.

Alia.

(1) Oratio ſic inſcripta extra Quadrageſimam eſt ritus *Gelaſiani*, ut ex vulgato etiam palam fit *Gelaſiano* Vid. diſquiſit. IV. p. 399. &c.

Digitized by Google

Alia.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut eccleſia tua competenter poſt nativitatem Dni nri Ihu Xpi ſolemnitate beati Stephani gratuletur, quem primum cognovit confeſſum ſui potentiam ſalvatoris, qui tecum vivit.

Alia Miſſa.

Da nobis Dne quæſumus imitari quod colimus. *ut ſupra.* *Alia.*

Da quæſumus omnipotens Deus, ut beati protomartyris tui Stephani, poſt nativitatem Dni nri Ihu Xri ſolemnia recenſentes, & meritis ipſius protegamur, & precibus adiuvemur, per eundem.

Secreta.

Hoc munus populi tui Dne levitæ & protomartyris tui Stephani deprecatione ſit gratum, ut eccleſia tua eius ſemper interceſſionibus adiuvetur, cuius ſine ceſſatione inſtruitur diſciplinis, per Dnm. *Præfatio.*

VD. Æterne Deus, qui levitarum præconem vocaſti Stephanum. Hic tibi primus dedicavit martyrii nomen; hic tibi inchoavit primus effundere ſanguinem; hic meruit videre apertos cœlos, filium ſtantem ad dexteram Patris. In terris hominem adorabat, & in cœlo filium Patris eſſe clamabat; hic magiſtri verba referebat; quod Xpus dixit in cruce, hoc Stephanus docuit in ſanguinis ſui morte; Xpus in cruce indulgentiam ſeminabat, & Stephanus pro ſuis lapidatoribus Dnum ſupplicabat. Propterea cum angelis & archangelis, cum thronis & dominationibus.

FERIA III. AD MISSAM.

Or. ſuper Populum.

Deus qui reſtaurationem conditionis humanæ mirabiliter operaris, tribue quæſumus, ut ſimul perficiatur in nobis, quod Verbi tui creavit dignatio, & quod eius hominis facti glorioſa nativitas reformavit, per eundem Dnm.

Alia.

Deus qui humanum genus principaliter fauciatum Xpi tui nativitate ſalvare dignatus es! præſta quæſumus, ut non hæreamus perditionis auctori, ſed ad redemptoris noſtri conſortia transferamur, per eundem.

Secreta.

Oblatio tibi ſit Dne quæſumus hodiernæ feſtivitatis accepta! quia & noſtræ reconciliationis proceſſit perfecta placatio, & divini cultus nobis eſt indita plenitudo, per Dnm.

Præfatio.

VD. Æterne Deus! Tuæ laudis hoſtiam iugiter immolantes, cuius figuram Abel iuſtus inſtituit, agnus quoque legalis oſtendit, celebravit Abraham, Melchiſedech ſacerdos exhibuit; ſed verus agnus & æternus pontifex hodie natus Xpus implevit. Et ideo cum angelis.

Ad Comm.

His Dne ſacramentis tuus nos ſemper natalis inſtauret, cuius nobilitas ſingularis humanam reppulit vetuſtatem, qui vivis & regnas.

VI. Kl. Ian.

NAT. SCI IOHANNIS EVANGL.

Deus qui per os beati apoſtoli tui & evangeliſtæ Iohannis Verbi tui nobis arcana reſeraſti! præſta quæſumus, ut quod ille noſtris auribus excellenter infudit, intelligentiæ competentis eruditione capiamus, per eundem Dnm. *l. g.*

Alia.

Eccleſiam tuam Dne benignus illuſtra, ut beati Iohannis Evangeliſtæ illuminata doctrinis ad dona perveniat ſempiterna, per Dnm. *l. gg.*

Secreta.

Suſcipe Dne munera, quæ in eius tibi ſolemnitate deferimus, cuius nos ſcimus patrocinio liberari, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. Æterne Deus! Beati apoſtoli tui & evangeliſtæ Iohannis veneranda natalicia recenſentes, qui Dni nri Ihu Xpi filii tui vocatione ſuſcepta, terrenum reſpuit patrem, ut poſſet invenire cœleſtem, adeptus in regno cœlorum ſedem apoſtolici culminis, qui tantum retia carnalia contempſerat genitoris; quique ab unigenito tuo ſic familiariter eſt dilectus, & inmenſæ gratiæ muneribus approbatus, ut

Digitized by Google

ut eum idem Dnus in cruce iam poſitus vicarium ſuæ matri virgini filium ſubrogaret, quatenus beatæ genitricis integritati, probata dilecti diſcipuli virginitas deſerviret. Nam & in cœnæ myſticæ ſacroſancto convivio ſuper ipſum vitæ fontem æternum pectus ſcilicet recubuerat Salvatoris, de quo perenniter manantia cœleſtis hauriens fluenta doctrinæ, tam profundis ac myſticis eſt revelationibus inſpiratus, ut omnem transgrediens creaturam excelſa mente conſpiceret, & evangelica voce proferret, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Per quem. *vel* Et ideo. *l. El.*

Ad Comm.

Refecti cibo potuque cœleſti Deus noſter, te ſupplices exoramus, ut in cuius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus. per Dnm. *l. gg.*

Alia.

Aſſit eccleſiæ tuæ Dne quæſumus beatus evangeliſta Iohannes, ut cuius perpetuus doctor exiſtit, ſemper eſſe non deſinat ſuffragator, per Dnm. *g.*

Aliæ Orationes.

Deus qui beati Iohannis evangeliſtæ præconiis principii ſempiterni ſecreta reſeraſti, da quæſumus, ut ad intelligentiam Verbi tui eius, per quem nobis reſplendet, ſuffragiis accedamus, per Dnm. *g.*

Alia.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut excellentiam Verbi tui, quam beatus evangeliſta Iohannes aſſeruit, & convenienter intelligere valeamus, & veraciter profiteri, per Dnm. *g. El.*

Alia. (1)

Beati Iohannis Evangeliſtæ quæſumus Dne ſupplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia ſempiterna concede, per Dnm.

Ad fontes.

Beati Iohannis Evangeliſtæ Dne precibus adiuvemur, ut quod poſſibilitas noſtra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur, per Dnm. g g.

Alia. (2)

Sit Dne beatus Iohannes Evangeliſta nræ fragilitatis adiutor, ut pro nobis tibi ſupplicans copioſius audiatur, per Dnm. g g.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui huius diei venerandam ſanctamque lætitiam beati apoſtoli tui Iohannis evangeliſtæ feſtivitate tribuiſti &c. l. g g.

Alia Miſſa Ambroſ.

Deus qui per os beati apoſtoli tui. *ut ſupra.*

Alia.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut excellentiam Verbi tui, quam evangeliſta Iohannes aſſeruit, & convenienter intelligere valeamus, & veraciter profiteri, per eundem. *g. El.*

Alia.

Eccleſiam tuam quæſumus Dne benignus illuſtra, ut apoſtoli tui Iohannis evangeliſtæ illuminata doctrinis &c. *l. g g.*

Alia.

Aſſit eccleſiæ tuæ quæſumus Dne beatus evangeliſta Iohannes, ut cuius perpetuus doctor exſtitit, ſemper eſſe non deſinat ſuffragator, per Dnm. *g.*

Alia.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut Verbum caro factum, quod beatus Iohannes evangeliſta prædicavit, per hoc ſui myſterium habitet ſemper in nobis, qui tecum vivit.

Secreta.

Supplicationibus apoſtolicis beati Iohannis evangeliſtæ quæſumus Dne eccleſiæ tuæ commendetur oblatio, cuius magnificis prædicationibus eruditur, per Dnm. *l.*

Præ-

(1) In *Rhenaugienſi* inſcribitur collecta; in *Gregoriano San-Blaſiano ad Veſperum.*

(2) In *San-Blaſiano* inſcribitur *ad S. Andream.*

Digitized by Google

Præfatio.

VD. Æterne Deus, beati Iohannis evangeliſtæ merita recolentes, quem Dn9 Ih9 Xp9 non ſolum peculiari ſemper decore ornavit, ſed & in cruce poſitus tamquam hæreditario munere proſecutus, vicarium pro ſe matri filium clementer attribuit, quem in tantum benignitas indulta præfecit, ut & factus ex piſcatore diſcipulus, & humanæ diſpenſationis modum excedens, ipſam Verbi tui ſine initio deitatem præ cæteris & mente conſpiceret, & voce proferret. Propterea cum angelis & archangelis. *ut ſupra.*

Ad Comm.

Apoſtolica beati Iohannis evangeliſtæ quæſumus Dne interceſſione nos adiuva, pro cuius ſolemnitate percepimus tua ſancta lætantes, per Dnm.

V. Kl. Ian.

NATL. INNOCENTUM.

Deus, cuius hodierna die præconium Innocentes Martyres non loquendo, ſed moriendo confeſſi ſunt! omnia in nobis vitiorum mala mortifica, ut fidem tuam, quam lingua noſtra loquitur, etiam moribus vita fateatur, per Dnm. *g.gg.*

Alia.

Deus qui bonis tuis infantium quoque neſcia Sacramenti corda præcedis! tribue quæſumus, ut & noſtræ conſcientiæ fiduciam non habentes, indulgentia nos ſemper copioſa præveniat, per Dnm. *l.g.*

Secreta.

Adeſto Dne muneribus Innocentum feſtivitate ſacrandis, & præſta quæſumus, ut eorum ſinceritatem poſſimus imitari, quorum tibi dicatam veneramur infantiam. per Dnum. *l. g. El.*

Alia.

Sanctorum tuorum nobis Dne pia non deſit oratio, quæ & munera noſtra conciliet, & tuam nobis indulgentiam ſemper obtineat. Per Dnum. g g.

Præfat.

VD. Æterne Deus, & in precioſis mortibus parvulorum, quos propter noſtri ſalvatoris infantiam beſtiali ſævitia Herodes funeſtus occidit, immenſæ clementiæ tuæ dona prædicare. In quibus fulget ſola magis gratia quam voluntas, & clara eſt prius confeſſio quam loquela, ante paſſio quam membra idonea paſſioni. Exſtiterunt enim Chriſti teſtes, qui eius nondum fuerant agnitores. O infinita benignitas! o ineffabilis miſericordia, quæ pro ſuo nomine trucidatis meritum gloriæ perire non patitur, ſed proprio cruore perfuſis, & ſalutem regenerationis exhibet, & imputat coronam martyrii. Per eundem Chriſtum. *vel* Et ideo. *l. El.gg.*

Ad Comm.

Votiva Dne dona percepimus, quæ Sanctorum nobis precibus & præſentis quæſumus vitæ pariter & æternæ tribue conferre ſubſidium. Per Dnum. *g g.*

Super populum.

Diſcat eccleſia tua Deus infantum, quos hodie veneramur, exemplo ſinceram tenere pietatem, quæ prius vitam præſtitit ſempiternam, quam poſſent noſſe præſentem. Per Dnum. *g.*

Al. Orat.

Deus qui licet ſis magnus in magnis, mirabilia tamen glorioſus operaris in minimis, da nobis quæſumus in eorum celebritate gaudere, qui filio tuo Dno nro teſtimonium præbuerunt etiam non loquentes. Per eundem Dnum. *El. gg.*

Alia.

Ipſi nobis Dne quæſumus poſtulent mentium puritatem, quorum innocentiam hodie ſolemniter celebramus. Per D. *g. El.*

Digitized by Google

Alia.

Adiuva nos Dne quæſumus eorum deprecatione Sanctorum, qui filium tuum humana necdum voce profitentes, cœleſti ſunt pro eius nativitate gratia coronati. Per eundem. *g. El.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Deus qui donis tuis infantum tui neſcia ſacramenti corda. *ut ſupra.*

Alia.

Annue quæſumus omnipotens Deus, ut ſicut eos, quorum natalicia recenſemus, per tuam gratiam beneplacitos acta fecerunt innoxia, ſic nos tuæ pietati ſalvatoris humilitas præſtet acceptos: qui tecum vivit. *l.* *Alia.*

Deus cuius hodierna die præconium. *ut ſupra.*

Alia.

Lætetur quæſumus Dne eccleſia tua de tuorum celebritate infantum, & miſericordiæ tuæ iugiter experiatur effectum, quo & fragilitas humana ſubſiſtat, & Divina ſupplicantibus redemptio non negetur, per Dnm. *l. gg.*

Alia.

Tribue quæſumus omnipotens Deus, ut Innocentum ſinceritatem poſſimus imitari, quorum tibi dicatam veneramur infantiam, per Dnm.

Secreta.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut & hi martyres tui pro nobis interveniant, quorum clara prior eſt confeſſio, quam loquela, per Dnm.

Præfatio.

VD. Æquum & ſalutare: Nos in pretioſa &c.

Poſtcommunio.

Hodiernæ ſolemnitatis effectu ſumpſimus Dne gaudia magna de parvis ſuppliciter exorantes, ut hanc abundantiam in nra quoque ſalvatione defendas, per Dnm. *l. gg.*

IIII. Kl. Ianuar.
FEST. SCI IACOBI APOSTOLI.

Miſſa Ambroſiana.

Deus qui huius diei venerandam ſanctamque lætitiam beati Apoſtoli tui Iacobi feſtivitate tribuiſti! da eccleſiæ tuæ & amare quod credidit, & prædicare quod docuit, per Dnm.

Alia.

Præſta nobis Dne quæſumus apoſtoli tui Iacobi doctrinis & precibus adiuvari, ut quod præſentibus celebramus officiis, perpetuæ ſalvationis gaudiis aſſequamur, per Dnm.

Alia.

Præſta quæſumus Dne eccleſiæ tuæ ſub tantis gaudere principibus, ut intellectu capere valeat, quod devotione ſectatur, per Dnm.

Alia.

Tribue quæſumus omnipotens Deus, ut cuius doctrina populus tuus ad confeſſionem deitatis tuæ eſt inſtitutus, eius ſuffragantibus meritis divinæ ſerviat unitati, per Dnm.

Secreta.

Supplicationibus beati apoſtoli tui Iacobi eccleſiæ tuæ quæſumus Dne commendetur oblatio, cuius magnificis prædicationibus eruditur, per.

Præfatio.

VD. Æterne Deus, Maieſtatem tuam ſuppliciter deprecantes, ut digneris nos beati Iacobi apoſtoli dignis precibus confovere, ut cuius victoriis ſine ceſſatione gaudemus, protectione perpetua muniamur, per Xpm.

Ad Comm.

Pignus vitæ æternæ capientes, humiliter te Dne imploramus, ut apoſtolicis fulti patrociniis, quod in imagine contigimus ſacramenti, manifeſta perceptione ſumamus, per Dnm.

Dom. I. poſt Natale Dni. (1)

Deus qui ſalutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fœcunda humano generi præmia præſtitiſti! tribue quæſumus, ut ipſam pro nobis intercedere ſentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ ſuſcipere, eundem Dnm nrm. *gg.*

Alia.

Da nobis quæſumus omnipotens Deus, ut per nativitatem Dni nri Ihu Xpi, cuius ſolemnia veneramur, eius ſemper muniamur auxilio, qui tecum.

Secreta.

Muneribus noſtris quæſumus Dne precibusque ſuſceptis, & cœleſtibus nos munda

(1) Orationes, quas ſignamus *Gregorianas* in *San-Blaſiano* Mſc. editisque *Vaticano* a MURATORIO & S. ELIGII a MENARDO, in octava nativitatis D. leguntur: alias vero miſſas Dominicarum per annum (exceptis a Septuageſima uſque ad octavas Pentecoſtes) non habet in ordine ſuo vulgatum *Gelaſianum.*

Digitized by Google

da myſteriis, & clementer exaudi: per D. *l. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! & ſurſum cordibus erectis divinum adorare myſterium, quod humana conditio, veteri terrenaque lege ceſſante, nova cœleſtique ſubſtantia, mirabiliter reſtaurata profertur, ut quod magno Dei munere geritur, magnis eccleſiæ gaudiis celebretur, per Xpm. *g.*

Ad Comm.

Da nobis quæſumus Dne Deus noſter, ut qui nativitatem Dni nri Ihu Xpi obſequiis nos frequentare gaudemus, dignis converſationibus ad eius mereamur pertinere conſortium, per eundem. *l.*

Alia.

Hæc nos communio Dne purget a crimine, & cœleſtis remedii faciat eſſe conſortes, per D. *gg.*

Super populum.

Benedictionem tuam Dne populus fidelis accipiat, qua corpore ſalvatus ac mente, & gratam tibi ſemper exhibeat ſervitutem, & propitiationis tuæ beneficia ſemper inveniat, per Dnm. *gg.*

Miſſa Ambroſiana.

Reſpice Dne quæſumus populum ſupplicantem miſericordiam tuam, ac diſpone præſidiis, ut te in omnibus rectore gratuletur, quia non habet, niſi in tua tantum pietate fiduciam, per Dnm.

Alia.

Pateant aures miſericordiæ tuæ Dne precibus ſupplicantum, & ut petentibus deſiderata concedas, fac tibi eos, quæſumus, placita poſtulare, per Dnm. g. gg.

Secreta.

Reſpice Dne quæſumus noſtram propitius ſervitutem, ut quod offerimus, ſit tibi munus acceptum, ſit noſtræ fragilitati ſubſidium, per Dnm. *l. g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus, ſuppliciter implorantes, ut filius tuus Ihs Xps, qui ſe uſque in finem ſæculi ſuis promiſit fidelibus affuturum, & præſentiæ corporalis' myſteriis non deſerat quos redemit, & maieſtatis ſuæ beneficiis non derelinquat. Quem laudant.

Ad Comm.

Repleti ſumus Dne muneribus tuis, tribue quæſumus, ut eorum & mundemur effectu, & muniamur auxilio, per Dnm. *l. g.*

II. Kal. Ianuar.

NATL. SCI SILVESTRI. (1)

Da quæſumus omnipotens Deus, ut beati Silveſtri confeſſoris tui atque pontificis veneranda ſolemnitas, & devotionem nobis augeat & ſalutem, per Dnm *gg.*

Secreta.

Sancti tui nos, quæſumus Dne, ubique lætificent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus, per. *gg.*

Poſtcomm.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora ſumamus, per Dnm. *gg.*

Kl.

(1) In ſacramentario *Leonino* ſub tit. ſancti SILVESTRI, ſequentes leguntur orationes: *Deus confitentium te portio defunctorum, preces noſtras, quas in famuli tui Silveſtri epiſcopi depoſitione deferimus, propitiatus aſſume; ut qui nomini tuo miniſterium fidele dependit, perpetua Sanctorum tuorum ſocietate lætetur. Per.*

Hanc igitur oblationem, quæſumus Domine, placatus intende, quam in ſancti Silveſtri confeſſoris & epiſcopi tui commemoratione ſuppliciter immolamus; ut & nobis proficiat huius pietatis affectus, & illum beatitudo ſempiterna glorificet. Per.

Maieſtatem tuam, Domine, ſuppliciter exoramus, ut anima famuli tui Simplicii epiſcopi ab omnibus, quæ humanitus attraxit, exuta, in Sanctorum cenſeatur ſorte paſtorum. Per.

SIMPLICIUS, poſt SS. LEONEM & HILARIUM pontifex, pro quo mortuo an. 483. hic oratur, uti etiam pro ipſo S. SILVESTRO in prioribus orationibus. Alia exempla deinceps, aliiſque antiquis ſacramentariis occurrunt, uti in diſquiſitionibus noſtris T. II. p. 888. 899. notavimus. Argumento illud eſt, eſſe in *Leonino* ſacramentario, quæ prope ætatem S. SILVESTRI accedant.

Digitized by Google

Kl. Ianuar. Octava Domini ad SCAM MARIAM.

Deus, qui nobis nati ſalvatoris diem celebrare concedis octavum; fac, quæſumus, nos eius perpetua divinitate muniri, cuius ſumus carnali commercio reparati, per eundem. *g.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in unigenito tuo novam creaturam nos tibi eſſe feciſti, cuſtodi opera miſericordiæ tuæ, & ab omnibus nos maculis vetuſtatis emunda, ut per auxilium gratiæ tuæ in illius inveniamur forma, in quo tecum eſt noſtra ſubſtantia, per eundem. *g. El.* (1) *Secreta.*

Præſta quæſumus Dne, ut per hæc munera, quæ Dni nri Ihu Xpi arcanæ nativitatis myſterio gerimus, purificatæ mentis intelligentiam conſequamur, per eundem. *g. El.* *Præfatio.*

VD. Per Xpm Dnm nrm. cuius hôdie circumciſionis (2) diem & nativitatis octavum celebrantes, tua Dne mirabilia veneramur, quia quæ peperit, & mater & virgo eſt; qui natus eſt, & infans & Deus eſt. Merito ergo cœli locuti ſunt, angeli gratulati, paſtores lætati, Magi mutati, reges turbati, parvuli glorioſa paſſione coronati. Et ideo cum angelis. *El.*

Poſtcomm.

Præſta quæſumus Dne, ut quod ſalvatoris nri iterata ſolemnitate percipimus, perpetuæ nobis redemptionis conferat medicinam, per. *g. El.*

Super Populum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui tuæ menſæ participes a diabolico iubes abſtinere convivio, da quæſumus plebi tuæ, ut guſtu mortiferæ profanitatis abiecto, puris mentibus ad epulas æternæ ſalutis accedant, per. *l. g.*

Miſſa Ambroſ.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui tuæ menſæ participes a diabolico. *ut ſupra.*

Alia.

Deus qui nobis nati ſalvatoris. *req. in priori pagina.*

Alia.

Deus qui ſalutis æternæ beatæ. *req. retro in ſecundo folio.*

Secreta.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in unigenito tuo. *req. in priori pagina.*

Alia.

Muneribus noſtris quæſumus Dne precibusque ſuſceptis. *req. retro in ſecundo folio.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm, qui ut nos a gravi ſervitute legis redimeret, circumciſionis legalis purgationem accepit, in qua & obſervationis antiquæ probator exiſteret, & humanam in ſe naturam, vetuſtatem expolians innovaret, præteriti ſacramentorum conſummator myſterii, idem legislator & cuſtos præcipiens & obediens, dives in ſuo, pauper in noſtro. Par turturum vel duos pullos columbarum ſacrificio vix ſufficit cœli terræque poſſeſſori; grandævi Symeonis invalidis geſtatur mani-

(1) Apud MENARDUM in ſacrament. S. ELIGII oratio hæc ad finem miſſæ poſita inſcribitur *ſuper populum*, quod paſſim etiam deinceps fit in eodem ſacramentario.

(2) Verba *Circumciſionis diem* deſunt in *Rhenaugienſi* & in vulg. *Gelaſiano*; memoratur tamen poſtea circumciſio, in eadem Præfatione, quæ noſtra hæc eſt amplior in *Gelaſiano Rhenaugienſi*, & vetuſtiore *San-Gallenſi*; ita vero in hoc poſteriori, ut alia manus, antiqua tamen, ita immutaverit hanc præfationem, prout eam hic deſcribimus ex altero Mſc. *San-Gallenſi*, quod deſcriptum eſſe ex ipſo illo vetuſtiori *San-Gallenſi* codice, quem autographum præ manibus habemus, ex his aliisque immutationibus, quæ ſemper ad apicem cum altero Mſc. *San-Gallenſi* conveniunt, omnino demonſtratur: manifeſtiſſimum autem ex hac ipſa præfatione fit, in qua poſt verba *coronati* altera illa manus textum interrumpendo ſuperſcribens, ut hic legitur, *Et ideo cum angelis*, in margine addit: *Si volueris totum ſcribe & lege*, nempe quæ ſequuntur in *Gelaſiano* vulgato & *Rhenaugienſi* antiquiſſimo *lacta mater cibum noſtrum &c.*

Digitized by Google

manibus, a quo mundi ſalvator & Dnꝰ prædicatur; accedit etiam teſtificantis oraculum viduæ, quoniam decebat, ut ab utroque adnuntiaretur ſexu, utriusque ſalvator. quem laudant.

Poſtcomm.

Fac nos Dne quæſumus multiplicatis ſolemnitatibus iterare, quod nobis cauſam perpetuæ ſalvationis operatur, per Dnm.

Miſſa de prohibendo ab Idolis. G. (1)

Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis voluntatem tuam & fideli mente retinere, & pia converſatione depromere, ut eccleſia tua a profanis vanitatibus expiata, non aliud profiteatur verbis, aliud exerceat actione, per Dnm. *g.*

Secreta.

Ut tibi grata ſint Dne munera populi tui, ab omni quæſumus eum contagione perverſitatis emunda, nec falſis gaudiis inhærere patiaris, quos ad veritatis tuæ præmia venire promittis, per. *g.*

Poſtcomm.

Myſteriis tuis veneranter aſſumptis, quæſumus Dne, ut & contra noſtræ conditionis errorem, & contra diabolicas armemur inſidias, per Dnm. *l. g.*

Item Alia Dominica.

Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo, ut in nomine dilecti filii tui mereamur bonis operibus abundare, per eundem. *gg.*

Alia.

Propitiare miſericors Deus ſupplicationibus noſtris, & populum tuum pervigili protectione cuſtodi, ut qui unigenitum tuum in carne noſtri corporis Deum natum eſſe fatetur, nulla poſſit diaboli falſitate corrumpi, per eund. *El. ſuper pop.*

Secreta.

Concede quæſumus Dne, ut oculis tuæ maieſtatis munus oblatum & gratiam nobis devotionis obtineat, & effectum perennitatis acquirat, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. Æterne Deus, qui pro peccato primi parentis hominem a ſalutis finibus exulantem pietatis indulgentia ad veniam vitamque revocaſti, mittendo nobis unigenitum filium tuum Deum & ſalvatorem noſtrum, per quem maieſtatem tuam. *gg. El.* *Poſtcomm.*

Per huius Dne operationem myſterii & vitia noſtra purgentur, & iuſta deſideria compleantur, per Dnm. *gg.*

Super Populum.

Reſpice propitius Dne ad debitam tibi populi ſervitutem, ut inter humanæ fragilitatis incerta, nullis adverſitatibus opprimatur, qui de tua protectione confidit, per. *l. g.*

Non. Ian.

VIGL. THEOPHANIÆ. (2)

Corda noſtra quæſumus Dne venturæ feſtivitatis ſplendor illuſtret, quo mundi huius tenebris carere, & pervenire valeamus ad patriam claritatis æternæ, per. *g. gg.* *Secreta.*

Tribue quæſumus Dne, ut eum præſentibus immolemus ſacrificiis & ſumamus, quem venturæ ſolemnitatis pia munera præloquuntur, Dnum nrm. *g. gg.*

Præfatio.

VD. Æterne Deus, & te laudare mirabilem in omnibus operibus tuis, quibus

---

(1) Vid. nota VEZZOSII ad hanc miſſam in *Gelaſ.* p. 10.

(2) Deeſt officium hoc in *Vatic. Gregor.* MURATORII.

Digitized by Google

bus ſacratiſſima regni tui myſteria revelaſti. Hanc etenim feſtivitatem dominicæ apparitionis, index puerperii virginalis ſtella præceſſit, quæ natum in terra cœli Dominum Magis ſtupentibus nuntiaret, ut manifeſtandus mundo Deus, & cœleſti denuntiaretur indicio, & temporaliter procreatus, ſignorum temporalium miniſterio panderetur; & ideo cum angelis. *g. El. g g.*

Poſtcomm.

Illumina quæſumus Dne populum tuum, & ſplendore gratiæ tuæ cor eius ſemper accende, ut ſalvatoris mundi ſtella famulante manifeſtata nativitas mentibus eorum reveletur ſemper & creſcat, per eundem. *g. g g.*

Unde ſupra. *Alia Miſſa Ambroſ.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Verbi tui incarnationem præclari teſtimonio ſideris indicaſti, quod videntes Magi, oblatis maieſtatem tuam muneribus adoraverunt, concede, ut ſemper in mentibus noſtris tuæ appareat ſtella iuſtitiæ, & noſter in tua ſit confeſſione theſaurus, per eundem. *g.*

Alia.

Adeſto Dne ſupplicationibus noſtris, & populo tuo, quem tibi ex omnibus gentibus elegiſti, veritatis tuæ lumen oſtende, per.

Secreta.

Eccleſiæ tuæ Dne dona propitiꝰ intuere, quibus non iam aurum, tus, aut myrra proferatur, ſed quod isdem muneribus declaretur, per Dnm. *g g.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm, quia puerperio cœleſti intulit mundo ſuæ miracula maieſtatis, ut adorandam Magis oſtenderet ſtellam, & transacto temporis intervallo aquam mutaret in vinum, & ſuo quoque baptiſmate ſanctificaret fluenta Iordanis, quem una tecum omnipotens Pater.

Poſtcomm.

Largire quæſumus omnipotens Deus ſupplicibus tuis, ut quem natum in terris fatemur hominem, hunc Deum aſtris quoque fatentibus adoremus, qui tecum vivit.

Orat. Ad Veſp. vel ad Matutinum.

Annue nobis quæſumus omnipotens Deus, ut ſicut ſcrutantibus Magis hodie latenter eſt cognitus Dnꝰ nr Ihꝰ Xpus, & adoratus a cunctis gentibus, ita & noſtris ſenſibus manifeſtus adveniat, & omni homini innoteſcat, qui tecum vivit.

VIII. Id Ian. EPIPHANIA ad Scm Petrum.

Deus qui hodierna die unigenitum tuum gentibus ſtella duce revelaſti! concede propitius, ut qui iam te ex fide cognovimus, uſque ad contemplandam ſpeciem tuæ celſitudinis perducamur, per eundem. *El. g g.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Verbi tui incarnationem. *ut ſupra. g. a.*

Secreta.

Eccleſiæ tuæ quæſumus Dne dona propitius intuere! quibus non iam aurum, tus, & myrra profertur, ſed isdem muneribus declaratur, immolatur, & ſumitur, qui tecum. *g g.*

Præfatio.

VD. Uſque ſalutare; Nos te laudare omnipotens æterne Deus, qui notam feciſti in populis miſericordiam tuam, & ſalutare tuum cunctis gentibus declaraſti; hodiernum eligens diem, in quo ad adorandam veri regis infantiam *excitatos* de remotis partibus Magos, clarior cæteris ſideribus ſtella perduceret, & cœli ac terræ Dominum corporaliter natum radio ſuæ lucis oſtenderet; Et ideo.

Infra actionem.

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, in quo unigenitus tuus in tua tecum gloria coæternus, in veritate noſtræ carnis natus, Magis de longinquo venientibus, viſibilis & corporalis apparuit, ſed & mem. *g.*

Alia

Digitized by Google

Alia Præfatio.

VD. uſque ſalutare. *Quia cum unigenitus tuus in ſubſtantia noſtræ mortalitatis apparuit, nova nos immortalitatis ſuæ luce reparavit; Et ideo.* g. gg.

Infra Act.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo unigenitus tuus in tua tecum gloria coæternus in veritate carnis noſtræ viſibiliter corporalis apparuit. Sed & mem. gg.

Poſtcomm.

Præſta quæſumus Dne Deus noſter, ut quæ ſolenni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia conſequamur, per. *gg.*

Super populum.

Deus qui per huius celebritatis myſterium æternitatis tuæ lumen cunctis gentibus ſuſcitaſti, da plebi tuæ redemptoris ſui plenum agnoſcere fulgorem, ut ad perpetuam claritatem per eius incrementa perveniat, per quem eiusdem fulgoris ſcilicet ſive claritatis ſumpſit exordia, per eundem. *g.*

Alia Miſſa, Ambroſiana. (1)

Deus qui hunc diem electionis gentium primitiis conſecraſti, & per luminis tui ſtellam manifeſtum te nobis oſtendiſti, tribue quæſumus, ut nova cœlorum mirabilis claritas in noſtris ſemper cordibus oriatur, qui vivis & regnas.

Alia.

Tribue quæſumus omnipotens Deus, ut ſicut omnes nationes veniunt gaudentes adorare Xpm regem Dnm natum, ita & hæc præclara lux habitet ſemper in nobis. Per eundem.

Secreta.

Pietatis tuæ Dne ſacramentum hodierna ſolemnitate recolentes, pro apparitione Dni nri Ihu Xpi, & pro noſtræ vocationis exordiis, ſacrificium tibi laudis offerimus, quod propitiatus ſuſcipias deprecamur, per eundem.

Præfatio.

VD. Æterne Deus! qui te nobis ſuper Iordanis alveum de cœlis in voce tonitrui præbuiſti, ut ſalvatorem cœli demonſtrares, ut te patrem luminis æterni oſtenderes, cœlos aperuiſti, aerem benedixiſti, fontem purificaſti, & tecum unicum filium per ſpeciem columbæ ſancto Spiritu declaraſti. Suſceperunt hodie fontes benedictionem tuam, & abſtulerunt maledictionem noſtram, ita ut credentibus purificationem omnium delictorum exhibeant, & Deo filios generando adoptive faciant ad vitam æternam. Nam quos ad temporalem vitam carnalis nativitas fuderat, quos mors per prævaricationem cœperat, hos vita æterna recipiens ad regni cœlorum gloriam revocavit, per eundem Xpm Dnm nrm.

Infra Actionem.

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, in quo unigenitus tuus in tua tecum gloria coæternus, in veritate carnis noſtræ viſibiliter corporalis apparuit, ſed & mem. *gg.*

Poſtcom.

Cœleſti lumine quæſumus Dne ſemper & ubique nos præveni, ut myſterium, cuius nos participes eſſe voluiſti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus effectu, per Dnm. *g.*

Aliæ Orationes.

Deus illuminator omnium gentium! da populis tuis perpetua pace gaudere, & illud lumen ſplendidum infunde cordibus noſtris, quod trium Magorum mentibus aſpiraſti, per Dnm. *g. gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, fidelium ſplendor animarum, qui hanc ſolemnitatem electionis gentium primitiis conſecraſti; imple mundum gloria tua, & ſubditis tibi populis per luminis tui appare claritatem, per. *gg.*

Alia.

Da nobis quæſumus Dne digne celebrare myſterium, quod in noſtri ſalvatoris infantia miraculis coruſcantibus declaratur, & corporalibus incrementis manifeſta deſignatur humanitas, per eundem. *gg.* *Alia*

(1) Poſt miſſam Epiphaniæ in vulgato *Gelaſiano* ſequitur immediate officium de Septuageſima.

Digitized by Google

Alia.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut ſalvatoris mundi ſtella duce manifeſtata nativitas mentibus noſtris reveletur ſemper & creſcat, per eundem. *gg.*

Alia.

Deus, cuius unigenitus in ſubſtantia noſtræ carnis apparuit, præſta quæſumus, ut per eum, quem ſimilem nobis foris agnovimus, intus reformari mereamur, qui tecum. g. gg.

Alia.

Concede nobis omnipotens Deus, ut ſalutare tuum nova cœlorum luce mirabile, quod ad ſalutem mundi hodierna feſtivitate proceſſit, noſtris ſemper innovandis cordibus oriatur, per eundem. gg.

Alia.

Illumina Dne quæſumus populum tuum, & ſplendore gloriæ tuæ cor eius ſemper accende, ut ſalvatorem ſuum & inceſſanter agnoſcat, & veraciter apprehendat, Dnm nrm. g. gg.

Dominica I. poſt THEOPHANIAM.

Vota, quæſumus Dne, ſupplicantis populi tui cœleſti pietate proſequere, ut & quæ agenda ſunt, videat, & ad implenda quæ viderit, convaleſcat, per Dnm. *gg.*

Alia.

Fac nos Dne Deus noſter tuis obedire mandatis, quia tunc nobis proſpera cuncta provenient, ſi te totius vitæ ſequamur auctorem, per Dnm. *g.*

Secreta.

Oblatum tibi Dne ſacrificium vivificet nos ſemper & muniat, per. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus, quia cum unigenitus tuus in ſubſtantia noſtræ mortalitatis apparuit, nova nos immortalitatis ſuæ luce reparavit. Et ideo cum. *gg.*

Poſtcomm.

Supplices te rogamus omnipotens Deus, ut quos tuis reficis Sacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deſervire concedas, per Dnm. *gg.*

Super Populum.

Conſerva, quæſumus Dne, familiam tuam, & benedictionum tuarum propitius ubertate purifica, ut eruditionibus tuis ſemper multiplicetur & donis, per. *El.*

Alia Miſſa Ambroſ.

Benedictio, quæſumus Dne, in tuos fideles copioſa deſcendat, & quam ſubiectis cordibus expetunt, largiter conſequantur, quoniam ſicut ſuperbis reſiſtis, ſic humilibus tuis gratiam benignus impendis, per Dnm.

Alia.

Vota quæſumus Dne ſupplicantis populi. *Ut ſupra.*

Secreta.

Quæſumus Dne Deus noſter, ut noxiis deſideriis expeditos, devotionem nos tibi liberam, atque oblationem offerre concedas, per Dnm.

Præfatio.

VD. æterne Deus, ut qui te auctore ſubſiſtimus, te diſpenſante dirigamur. Non noſtris ſenſibus relinquamur, ſed tuæ reducti ſemper tramite veritatis, hæc ſtudeamus exercere, quæ præcipis, ut poſſimus dona percipere, quæ promittis, per Xpm.

Poſtcomm.

Quæſumus Dne Deus noſter, ut quos divinis reparare non deſinis Sacramentis, tuis non deſtituas benignus auxiliis, per Dnm. *gg.*

In Octavis Theophaniæ.

Deus cuius unigenitus in ſubſtantia. *Rq. retro in II.da pagina. El.*

Secreta.

Hoſtias tibi Dne pro nati filii tui apparitione deferimus, ſuppliciter exorantes, ut ſicut ipſe noſtrorum auctor eſt munerum, ita ipſe ſit miſericors & ſuſceptor Ih9 Xp9 Dn9 noſter. *El. g.*

Poſtcom.

Digitized by Google

Poſtcom.

Cœleſti lumine quæſumus Dne ſemper & ubique nos præveni, ut myſterium, cuius nos participes eſſe voluiſti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus effectu, per. *g. El.*

Super Populum

Illumina Dne quæſumus populum tuum, & ſplendore. *Ut ſupra.*

XVIII. Kl. Febr.
Sci FELICIS Confeſſoris.

Concede quæſumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam Sanctorum tuorum exempla nos provocent, quatenus quorum ſolemnia agimus, etiam actus imitemur, per Dnm. *gg. El.*

Alia.

Da quæſumus omnipotens Deus, ut quia beatus Felix donis tuis extitit glorioſus, apud te noſtris exiſtat nominibus idoneus interventor. Per Dnm. *g.*

Secreta.

Hoſtias tibi Dne pro commemoratione ſancti Felicis tui confeſſoris offerimus, ſuppliciter deprecantes, ut ſicut illi præbuiſti ſacræ fidei largitatem, ſic nobis indulgentiam largiaris & pacem, per Dnm. *g.*

Alia Secreta. GG.

Hoſtias tibi Dne beati Felicis confeſſoris tui dicatas meritis benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium, per Dnm nrm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et confeſſionem Sci Felicis memorabilem non tacere, qui nec pravitatibus hæreticis, nec ſæculi blandimentis a ſui ſtatus rectitudine potuit immutari, ſed inter utraque diſcrimina veritatis aſſertor, firmitatem tuæ fidei non reliquit, per Xpm Dnm. *El. gg.*

Poſtcomm.

Sanctorum precibus confidentes, quæſumus Dne, ut per ea quæ ſumpſimus, æterna remedia capiamus, per. *g.*

Alia. (1)

Quæſumus Dne ſalutaribus repleti myſteriis, ut cuius ſolemnia celebramus, eius orationibus adiuvemur, per. *gg. El.*

Dominica II.
poſt THEOPHANIAM.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui cœleſtia ſimul & terrena moderaris, ſupplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam noſtris concede temporibus, per. *gg. El.*

Alia.

Adeſto quæſumus Dne ſupplicationibus noſtris, & in tua miſericordia confidentes, ab omni nos adverſitate cuſtodi, per. *El.*

Secreta.

Oblata Dne munera ſanctifica, nosque a peccatorum noſtrorum maculis emunda, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. Æterne Deus! ſemperque virtutes & laudes tuas labiis exultationis effari, qui nobis ad relevandos iſtius vitæ labores ſuper diverſa donorum tuorum ſolatia, etiam munerum ſalutarium gaudia contuliſti, mittendo nobis Ihm Xpm filium tuum Dnm noſtrum. Per quem maieſtatem. *El. gg.*

Poſtcomm.

(1) Eſt oratio *Gregoriana*, non inſcribitur *ſuper populum.*

Digitized by Google

Poſtcomm.

Augeatur in nobis Dne quæſumus tuæ virtutis operatio, ut divinis vegetati ſacramentis, ad eorum promiſſa capienda tuo munere præparemur, per Dnm. *g. g g.*

Super Populum.

Auxiliare Dne populo tuo, ut ſacræ devotionis proficiens incrementis, & tuo ſemper munere gubernetur, & ad redemptionis æternæ pertineat te ducente conſortium, per. *El.*

XVII. Kl. Febr.

Nat. Sci MARCELLI Papæ.

Preces populi tui quæſumus Dne clementer exaudi, ut beati Marcelli martyris tui atque pontificis meritis adiuvemur, cuius paſſione lætamur, per. *gg.*

Alia.

Da quæſumus omnipotens Deus, ut qui beati Marcelli martyris tui atque pontificis ſolemnia colimus, eius apud te interceſſionibus adiuvemur, per Dnm. *g. gg.*

Secreta.

Suſcipe quæſumus Dne munera dignanter oblata, & beati Marcelli ſuffragantibus meritis ad noſtræ ſalutis auxilium provenire concede, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. Æterne Deus! qui gloriaris in tuorum confeſſione Sanctorum, & non ſolum excellentioribus præmiis martyrum tuorum merita glorioſa proſequeris, ſed etiam ſacrum miniſterium competentibus ſervitiis exſequentes, gaudium Domini ſui tribuis benignus intrare, per eundem Xpm. *El.*

Poſtcomm.

Satiaſti Dne familiam tuam muneribus ſacris, eius quæſumus ſemper interventione nos refove, cuius ſolemnia celebramus, per Dnm. *gg.*

XV. Kl. Febr.

Natl. Scæ PRISCÆ Mart.

Da quæſumus omnipotens Deus, ut qui beatæ Priſcæ martyris tuæ natalitia colimus, & annua ſolemnitate lætemur, & tantæ fidei proficiamus exemplo, per. *gg.*

Secreta.

Hoſtia Dne quæſumus, quam Sanctorum tuorum natalitia recenſentes offerimus, & vincula noſtræ pravitatis abſolvat, & tuæ nobis miſericordiæ dona conciliet, per. *gg.*

Poſtcomm.

Quæſumus Dne ſalutaribus repleti myſteriis, ut cuius ſolennia celebramus, eius orationibus adiuvemur, per Dnm. *gg.*

XIIII. Kl. Febr.

Natl. MARIÆ & MARTHÆ. (1)

Exaudi Dne populum tuum cum Sanctorum tuorum tibi patrocinio ſupplicantem, ut & temporalis vitæ nos tribuas pace gaudere, & æternæ reperire ſubſidium, per.

Secreta.

Preces Dne tuorum reſpice oblationesque fidelium, ut & tibi gratæ ſint pro tuorum feſtivitate Sanctorum, & nobis conferant tuæ propitiationis auxilium, per.

Poſtcomm.

Sanctorum tuorum Dne interceſſione placatus, præſta quæſumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua ſalvatione capiamus, per Dnm.

XIII. Kl. Febr.

Natl. Sci FABIANI Martyris.

Infirmitatem noſtram reſpice omnipotens Deus, & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Fabiani martyris tui atque pontificis interceſſio glorioſa nos protegat, per. *gg.* *Alia.*

---

(1) *Rhenaugienſis* Nat. MARII & MARTHÆ, *San-Gall.* MARIÆ & MARTHÆ ut in vulgato *Gelaſiano*.

Digitized by Google

Alia.

Aſſit nobis Dne quæſumus ſancta precatio beati pontificis & martyris tui Fabiani, quæ nos & a terrenis affectibus inceſſanter expediat, & cœleſtia deſiderare perficiat, per. *g.*

Secreta.

Interceſſio quæſumus Dne ſcti pontificis & martyris tui Fabiani munera noſtra commendet, noſque eius veneratio tuæ maieſtati reddat acceptos, per Dnm. *g.*

Alia Secreta.

Hoſtias tibi Dne beati Fabiani martyris tui dicatas meritis benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium, per. *gg.*

Poſtcomm.

Refecti participatione muneris ſacri, quæſumus Dne Deus noſter, ut cuius exſequimur cultum, ſentiamus effectum, per. *gg.*

Eodem die

Natl. Sci SEBASTIANI Mart.

Deus qui beatum Sebaſtianum martyrem tuum virtute conſtantiæ in paſſione roboraſti, ex eius nobis imitatione tribue pro amore tuo proſpera mundi deſpicere, & nulla eius adverſa formidare, per Dnm. *gg.*

Alia.

Præſta quæſumus Dne, ut intercedente beato Sebaſtiano martyre tuo, & a cunctis adverſitatibus muniamur in corpore, & a pravis cogitationibus mundemur in mente, per. *g.*

Secreta.

Sancto Sebaſtiano interveniente, Dne tibi ſervitus noſtra complaceat, & obſequia munerum fiant præſidia devotorum, per. *g.*

Alia Secreta.

Accepta ſit in conſpectu tuo Dne noſtra devotio, & eius nobis fiat ſupplicatione ſalutaris, pro cuius ſolemnitate defertur, per. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus! quoniam beati martyris Sebaſtiani pro confeſſione nominis tui venerabilis ſanguis effuſus ſimul & tua mirabilia manifeſtat, quod perficis in infirmitate virtutem; & noſtris ſtudiis dat profectum, & infirmis apud te præſtat auxilium, per Xpm Dnm nrm. *El. gg.*

Poſtcomm.

Sacro munere ſatiati ſupplices te Dne deprecamur, ut quod debitæ ſervitutis celebramus officio, intercedente beato Sebaſtiano martyre tuo ſalvationis tuæ ſentiamus augmentum, per. *gg. El.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Multiplica quæſumus Dne benedictionem tuam ſuper populum tuum, & quos ſancti martyris tui Sebaſtiani frequentibus conſolaris officiis, beneficiorum tuorum largitate proſequere, ut & donis cœleſtibus erudiri, & competentibus ſe gaudeant ſubſidiis adiuvari, per Dnm.

Alia.

Deus qui beatum Sebaſtianum. *Ut ſupra.*

Alia.

Concede quæſumus Dne Deus noſter, ut inter adverſa, quæ pro delictorum debito ſuſtinemus, quod fiducia noſtra non optinet, beati martyris tui Sebaſtiani interceſſio conſequatur, per.

Secreta.

Sancto Sebaſtiano interveniente Dne quæſumus tibi ſervitus noſtra complaceat, & obſequia munerum fiant præſidia devotorum, per Dnm. *g.*

Præfatio.

VD. Æterne Deus, Quoniam beati martyris Sebaſtiani. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Sacro munere ſatiati, ſupplices. *Ut ſupra.*

XII. Kl. Febr.

Natl. Scæ AGNÆ Virginis.

Creſcat Dne ſemper in nobis ſanctæ iocunditatis affectus, & beatæ Agnæ virginis atque martyris tuæ veneranda feſtivitas augeatur, per Dnm. *g.*

Alia.

Præſta quæſumus Dne mentibus noſtris cum exultatione profectum, ut beatæ Agnes martyris tuæ, cuius diem paſſionis

annua devotione recolimus, etiam fidei conſtantiam ſubſequamur, per Dnm. *g.*

Super Oblata.

Hodiernum Dne ſacrificium lætantes offerimus, quo beatæ Agnes cœleſtem victoriam recenſentes, & tua magnalia prædicamus, & nos acquiſiſſe gaudemus ſuffragia glorioſa, per Dnm. *g.*

Præfatio.

VD. Æterne Deus. Recenſentes diem beatæ Agnetis martyrio conſecratum, quæ terrenæ generoſitatis oblectamenta deſpiciens, cœleſtem meruit dignitatem, & ſocietatis humanæ vota contemnens, æterni regis eſt ſociata conſortio, & prætioſam mortem ſexus fragilitate calcata, pro Xpi confeſſione ſuſcipiens, ſimul eſt facta conformis & ſempiternitatis eius & gloriæ, per quem. *El. gg.*

Ad Comm.

Sumentes Dne gaudia ſempiterna, de participatione ſacramenti feſtivitatis ſanctæ martyris Agnæ, ſuppliciter deprecamur, ut quæ ſedula ſervitute donante te gerimus, dignis ſenſibus tuo munere capiamus, per Dnm. *g. El.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas, concede propitius, ut qui beatæ Agnæ martyris tuæ ſolemnia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus, per Dnm.

Super Oblat.

Hoſtias Dne, quas tibi offerimus, propitius ſuſcipe, & intercedente beata Agna martyre tua, vincula peccatorum noſtrorum abſolve, per Dnm.

Ad Compl.

Refecti cibo potuque cœleſti, Deus noſter te ſupplices exoramus, ut in cuius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus, per Dnm.

Alia Miſſa Ambroſiana.

Deus qui (ut) humanum genus ad confeſſionem tui nominis provocares, etiam in fragilis ſexus perfeciſti conditione martyrium, præſta quæſumus, ut eccleſia tua hoc exemplo commonita, nec pati pro te metuat, ut cœleſtis præmii gloriam concupiſcat, per Dnm.

Alia.

Præſta quæſumus Dne mentibus noſtris. *Ut ſupra.*

Alia.

Da nobis quæſumus Dne beatæ martyris tuæ Agnes confidenter honorare infantiam, quæ in puellari conſiſtens ætate, mortem pro tua confeſſione calcavit, per.

Secreta.

Munera plebis tuæ quæſumus Dne lætanter offerimus, quæ in honore nominis tui & Scæ Agnetis nobis remedia ſempiterna impendant, per Dnm.

Præfatio.

VD. *uſque* æterne Deus. recenſentes diem beatæ Agnes. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Refecti cibo potuque cœleſti Deus noſter. *Ut ſupra.*

XI. Kl. Febr.
Natl. Sancti VINCENTII Martyris.

Adeſto Dne quæſumus ſupplicationibus noſtris, ut qui ex iniquitate noſtra reos nos eſſe cognoſcimus, beati Vincentii martyris tui interceſſione liberemur, per. *gg.*

Secreta.

Hoſtias tibi Dne beati Vincentii martyris tui dicatas meritis benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. *uſque* per Xpm Dnm nrm. Pro cuius nomine glorioſus levita Vincentius & miles invictus rabidi hoſtis inſaniam interritus adiit, modeſtus ſuſtinuit, ſecurus irriſit, ſciens paratus eſſe ut reſiſteret, neſciens elatus eſſe quod vinceret. In utroque Dni ac magiſtri ſui veſtigia ſequens, qui & humilitatis cuſtodiendæ, & de hoſtibus triumphandi ſuis ſequenda exempla monſtravit. Per quem. *El. gg.*

Ad

Digitized by Google

Ad Comm.

Quæſumus omnipotens Deus, ut qui cœleſtia alimenta percepimus, intercedente beato Vincentio martyre tuo, per hæc contra omnia adverſa muniamur, per Dnm. *gg.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Adeſto quæſumus Dne ſupplicationibus. Ut ſupra. Secreta.

Muneribus noſtris quæſumus Dne precibusque ſuſceptis, & cœleſtibus nos munda myſteriis, & clementer exaudi, per Dnm. Ad Comm.

Quæſumus omnipotens Deus, ut qui cœleſtia. Ut ſupra.

Alia Miſſa Ambroſiana.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut ſicut interventu beati levitæ & martyris tui Vincentii mundana proſperitate lætamur, ita & devotiores efficiamur cœleſtibus inſtitutis, per.

Alia.

Adeſto quæſumus Dne ſupplicationibus noſtris. *Ut ſupra.*

Alia.

Auxilium quæſumus Dne maieſtatis tuæ tribue poteſtatisque ſubiectis, ut quicquid actibus noſtris non meremur accipere, beati levitæ & martyris tui Vincentii aſſequamur, per.

Secreta.

Hoſtias tibi Dne beati Vincentii. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm. Qui martyrem ſuum Vincentium vocavit ad gloriam, qui eum per martyrii vulnera cœleſtem vocavit ad palmam. Hic nempe martyr, verus Dni teſtis, non dubitavit pro Xpo animam dare in mortem, ſciens quod non hic haberet civitatem manentem, ſed in cœlo diſtributam hereditatem per ſortem; non timuit tortoribus in pœnis tradere membra, ſciens quod caro ſua glorificata reſurgat, & propter dolorum flagella, recipiat præmia ſempiterna; torquetur, tunditur, flagellatur, exuritur, ſed invictus pro ſancto nomine animus non concutitur; plus ardens igne cœli, quam ferri; plus nectitur timore Dei, quam ſæculi; plus voluit placere Deo, quam foro; plus dilexit mori mundo, quam Dno. Propter quod in ſancta confeſſione triumphans, nec in perſecutione animam ponere dubitans, carnea clauſtra relinquens, ad cœleſte regnum conſcendens, cum Sanctis omnibus exultat & gaudet cum angelis & archang.

Ad Comm.

Quæſumus omnipotens Deus, ut qui cœleſtia. *Ut ſupra.*

Dom. III.

poſt THEOPHANIAM.

Omnipotens ſempiterne Deus, infirmitatem noſtram propitius reſpice, atque ad protegendum nos dexteram tuæ maieſtatis extende, per Dnm. *gg.*

Alia.

Vox clamantis eccleſiæ ad aures Dne quæſumus tuæ maieſtatis aſcendat, ut percepta venia peccatorum te fiat operante devota, te protegente ſecura, per Dnm. *l.* *Secreta.*

Hæc hoſtia Dne quæſumus emundet noſtra delicta, & ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora, mentesque ſanctificet, per. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et te benedicere in omni tempore, quia in te vivimus, movemur, & ſumus, & nullum tempus, nullumque momentum eſt, quod a beneficiis pietatis vacuum tranſigamus. His autem diebus, quos variis ſolemnitatum cauſis, ſalutarium nobis operum tuorum & munerum memoria ſignavit, velut innovante lætitia præteriti gaudii, vel permanentis boni, tempus agnoſcentes, indefeſſas maieſtati tuæ grates exſolvimus, per Xpm. *El. gg.*

Poſtcomm.

Quos tantis Dne largiris uti myſteriis, quæſumus, ut effectibus nos eorum veraciter aptare digneris, per Dnm. *gg.*

Super

Digitized by Google

Super Populum.

Affit Dne quæſumus propitiatio populo ſupplicanti, ut quod te inſpirante fideliter expetit, tua celeri largitate percipiat, per Dnm. *El.*

X. Kl. Febr. Natl. Sctorum EMERENTIANÆ & MACHARII Martyrum.

Maieſtati tuæ nos Dne martyrum ſupplicatio beata conciliet, ut qui inceſſabiliter actibus noſtris offendimus, iuſtorum precibus expiemur, per Dnm. *l.*

Alia.

Martyrum tuorum nos Dne ſemper feſta lætificent, & quorum celebramus meritum, experiamur auxilium, per. *l.*

Secreta.

Accepta tibi ſit Dne ſacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum ſe meritis percepiſſe de tribulatione cognoſcit auxilium, per Dnm nrm. *g g.*

Poſtcomm.

Iugiter nos Dne Sanctorum tuorum vota lætificent, & patrocinia nobis martyrum ipſæ ſemper feſtivitates exhibeant, per.

VIIII. Kl. Febr. Natale Sctorum BABILÆ & trium Parvulorum.

Sanctorum tuorum quæſumus Dne Babilæ & trium parvulorum natalitia nos tueantur, quia tanto fiducialius tuo nomini ſupplicamus, quando frequentius martyrum benedictionibus confovemur, per Dnm.

Alia.

Martyrum tuorum Babilæ & trium parvulorum nos quæſumus Dne interventio glorioſa commendet, ut quod noſtris actibus non meremur, eorum precibus conſequamur, per.

Secreta.

Suſcipe Dne propitius orationem noſtram cum oblationibus hoſtiarum, quas & martyrum tuorum Babilæ & trium parvulorum deprecatione pietati tuæ perfice benignus acceptas, per Dnm.

Præfatio.

VD. Æterne Deus! quia tu es glorioſus, & mirabilis in Sanctis tuis, quibus & in confeſſione virtutem, & in paſſione victoriam contuliſti, ut quos iuſtificabat fides, glorificaret & finis, per Xpm Dnm nrm.

Ad Comm.

Sumpſimus Dne in beatiſſimorum martyrum tuorum Babilæ & trium parvulorum ſolemnitate cœleſtis dona myſterii quæſumus, ut eorum precibus præſentis vitæ nobis pariter & æternæ tribuas benignus auxilium, per Dnm.

VIII. Kl. Febr. Natale ſancti PRÆIECTI Martyris.

Martyris tui Præiecti nos quæſumus Dne interventio glorioſa commendet, ut quod noſtris actibus non meremur, eius precibus conſequamur, per Dnm. *El.*

Super Obl.

Suſcipe Dne propitius orationem noſtram cum oblationibus hoſtiarum ſuperimpoſitis, & martyris tui Præiecti deprecatione pietati tuæ perfice benignus acceptas, & illam, quæ in eo flagravit fortis dilectio, in nobis aſpira benignus, per. *El.*

Præfatio.

VD. *Uſque* æterne Deus. Et tuam miſericordiam deprecari, ut mentibus noſtris in beati martyris tui Præiecti repetita ſolemnitate ſpiritalis lætitiæ tribuas iugiter ſuavitatem, concedaſque nobis, ut venerandum paſſionis eius triumphum recolentes, obtentu illius & remiſſionem peccatorum, & Sanctorum mereamur adipiſci conſortium, per Xpum Dnm nrm. *El. g g.*

Et hac conteſtatio bene congruit in octava unius martyris, ſive confeſſoris.

Poſtcomm.

Votiva Dne pro beati martyris tui Præiecti paſſione dona percepimus, quæſumus, ut eius precibus & præſentis vitæ nobis pariter & æternæ tribuas conferre præſidium, per Dnm. *El.*

Eodem die Converſio Sci PAULI Apli in Damaſco.

Deus qui univerſum mundum beati Pauli apli prædicatione docuiſti, da nobis quæſumus, ut cuius hodie converſionem colimus, per eius ad te exempla gradiamur, per. El. g g.

Secreta.

Apoſtoli tui Pauli precibus Dne plebis tuæ dona ſanctifica, ut quæ tibi grata ſunt inſtituto, gratiora fiant patrocinio ſupplicantis, per Dnm. El.

Præfatio.

Digitized by Google

Præfatio.

VD. *Uſque* æterne Deus! Et maieſtatem tuam ſuppliciter exorare, ut eccleſiam tuam, beati Pauli Apoſtoli tui prædicatione edoctam, nulla ſinas fallacia violari. Et ſicut nihil in vera religione manere dinoſcitur, quod non eius convenerit diſciplinis, ita ad peragenda ea quæ docuit, eius obtentu fidelibus tribuatur efficacia, ſentiatque credentium multitudo, eum pro ſe apud te interceſſorem, quem hodie a Xpo cœlitus vocatum ſe habere cognoſcit magiſtrum atque doctorem, per eundem Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Sanctificati Dne ſalutari myſterio, quæſumus, ut pro nobis eius non deſit oratio, cuius nos donaſti patrociniis gubernari, per. *El. g g.*

V. Kl. Febr.

Natale Scæ AGNES de Nativitate. (1)

Deus qui nos annua beatæ Agnæ martyris tuæ ſolemnitate lætificas, da quæſumus, ut quam veneramur officio, etiam piæ converſationis ſequamur exemplo, per. *gg. Alia.*

Adeſto nobis omnipotens Deus, beatæ Agnæ feſta repetentibus, quam hodiernæ feſtivitatis prolatam exortu, ineffabili munere ſublevaſti, per Dnm. *g. El. Super populum.*

Super Obl.

Grata tibi ſint quæſumus Dne munera, quibus ſanctæ Agnetis magnifica ſolemnitas recenſetur, ſic enim ab exordio ſui uſque in finem beati certaminis exſtitit glorioſa, ut eius nec initium debeamus præterire, nec finem, per. *g.*

Alia Secreta.

Super has hoſtias quæſumus Dne benedictio copioſa deſcendat, quæ & ſanctificationem nobis clementer operetur, & de martyrum nos ſolemnitate lætificet, per Dnm. l. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus! beatæ Agnes natalitia geminantes! vere enim huius honorandus eſt dies, quæ ſic terrena generatione proceſſit, ut ad divinitatis conſortium perveniret, per Xpm Dnm nrm. *El.*

Ad Compl.

Adiuvent nos Dne quæſumus & hæc myſteria ſancta, quæ ſumpſimus, & beatæ Agnæ interceſſio veneranda, per. *g.*

Alia ad Compl.

Sumpſimus Dne celebritatis annuæ votiva ſacramenta, præſta quæſumus, ut & temporalis nobis vitæ remedia præbeant & æternæ, per Dnm. g g.

Dom. IIII.

poſt THEOPHANIAM.

Deus qui nos in tantis periculis conſtitutos pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere! da nobis ſalutem mentis & corporis, ut ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, te adiuvante vincamus, per Dnm. *gg. Alia.*

Familiam tuam Dne quæſumus dextera tua perpetuo circumdet auxilio, ut ab omni pravitate defenſa, bonis cœleſtibus proſequatur, per Dnm. *l.*

Secreta.

Concede quæſumus omnipotens Deus, ut huius ſacrificii munus oblatum, fragilitatem noſtram ab omni malo purget ſemper & muniat, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui genus humanum, prævaricatione ſua in ipſius originis radice damnatum, per florem virginalis uteri reddere dignatus es abſolutum, & hominem, quem per unigenitum tuum crea-

(1) *Greg.* S. AGNÆ ſecundo.

Digitized by Google

creaveras, per eundem filium tuum Deum & hominem recreares, ut diabolus, qui Adam in fragili carne devicerat, conſervata iuſtitia a Deo carne vinceretur aſſumpta: & ideo. *gg. El.*

Ad Comm.

Munera tua nos Deus a delectationibus terrenis expediant, & cœleſtibus ſemper inſtruant alimentis, per Dnm. *gg. El.* *Super Populum.*

Porrige dexteram tuam quæſumus Dne plebi, tuam miſericordiam poſtulanti, per quam & errores declinet humanos, & ſolatia vitæ mortalis accipiat, & ſempiterna gaudia comprehendat, per. *l.*

IIII. Non. Febr.

YPPAPANTI. (1) *Oratio. ad Coll.*

Ad S. ADRIANUM.

Erudi quæſumus Dne plebem tuam, & quæ extrinſecus annua tribuis devotione venerari, interius aſſequi, gratiæ tuæ luce concede, per Dnm. *gg.*

Miſſa ad S. Mariam maiorem.

Omnipotens ſempiterne Deus, maieſtatem tuam ſupplices exoramus, ut ſicut unigenitus filius tuus hodierna die cum noſtræ carnis ſubſtantia in templo eſt præſentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus præſentari, per eundem. *gg.*

Secreta.

Exaudi Dne preces noſtras, & ut digna ſint munera, quæ oculis tuæ maieſtatis offerimus, ſubſidium nobis tuæ pietatis impende, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia per incarnati Verbi. *Ut ſupra. gg.*

Alia.

VD. æterne Deus! qui genus humanum. *Require retro in priori folio. Et hæc in omnibus feſtivitatibus ſancta Maria bene congruit.*

Ad Comm.

Quæſumus Dne Deus noſter, ut ſacroſancta myſteria, quæ pro reparationis noſtræ munimine contuliſti, intercedente beata ſemper virgine Maria, & præſens nobis remedium eſſe facias, & futurum, per. *gg.* Alia. (2)

Perfice in nobis quæſumus Dne gratiam tuam, qui iuſti Symeonis expectationem impleſti, ut ſicut ille mortem non vidit, priusquam Xpum Dnm videre mereretur, ita & nos vitam obtineamus æternam, per eundem Dnm. gg.

Hæc eadem ſimiliter eſt in Ambroſiano, ſicut in Gelaſiano.

Non. Febr.

Natale Scæ AGATHÆ Martyr.

Indulgentiam nobis Dne beata Agatha martyr imploret, quæ tibi grata ſemper extitit & merito caſtitatis, & tuæ profeſſione virtutis, per Dnm. *g. El. gg.*

Super Obl.

Fiant Dne tuo grata conſpectui munera ſupplicantis eccleſiæ, & ut noſtræ ſaluti proficiant, aſſit nobis interceſſio beatæ tuæ martyris Agathæ, per Dnm. *g.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm. Pro cuius nomine pœnarum mortisque contemptum, in utroque ſexu fidelium cunctis ætatibus contuliſti, ut inter felicium martyrum palmas Agathen quoque beatiſſimam virginem victrici patientia coronares; quæ nec

(1) In *Gelaſiano* vulg. & S. Eligii inſcribitur Purificatio, in noſtris antiquiſſimis *Rhenaugienſi* & *San-Gallenſi* S. Simeonis. (2) In *Vaticano* Murat. inſc. *Super populum.*

Digitized by Google

nec minis territa, nec ſuppliciis ſuperata, de diaboli ſævitia triumphavit, quia in tuæ deitatis confeſſione permanſit. Et ideo. *El. gg.*

Ad Comm.

Exultamus pariter & de percepto pane iuſtitiæ, & de tuæ Dne feſtivitate martyris Agathæ; quia interventionibus tibi placentium confidimus, nobis ad perpetuam vitam profutura, quæ ſumpſimus, per. *g.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Deus qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in ſexu fragili victoriam martyrii contuliſti, concede propitius, ut cuius natalicia colimus, per eius ad te exempla gradiamur, per Dnm.

Super Obl.

Suſcipe munera Dne, quæ in beatæ Agathæ martyris tuæ ſolemnitate deferimus, cuius nos ſcimus patrocinio liberari, per Dnm. Ad Compl.

Auxilientur nobis Dne ſumpta myſteria, & intercedente beata Agatha martyre tua ſempiterna protectione confirment, per. Aliæ Orationes ad Miſſam.

Indulgentiam nobis Dne. Ut ſupra.

Secreta.

Deus qui nos annua beatæ Agathæ martyris tuæ ſolemnitate lætificas, da, ut quam veneramur officio, etiam piæ converſationis ſequamur exemplo, per Dnm.

Ad Comm.

Beatæ Agathæ martyris tuæ Dne precibus confidentes, quæſumus clementiam tuam, ut per ea, quæ ſumpſimus, æterna remedia capiamus, per Dnm.

Alia Miſſa Ambroſiana.

Interceſſionibus beatæ virginis & martyris tuæ Agathæ quæſumus Dne, fructum clementiæ tuæ ſentiant ſupplicantes, cuius orationibus in ſancta eccleſia tua etiam eorum devotæ efficiantur mentes, per Dnm.

Alia.

Auxilium Dne nomini tuo ſubdita poſcunt corda fidelium, ut quia ſine te nihil poſſunt implere quod iuſtum eſt, interceſſione beatæ martyris tuæ Agathæ, & quæ recta ſunt apprehendant, & omnia profutura ſuſcipiant, per. *l.*

Alia.

Tribue quæſumus omnipotens Deus, ut ſanctæ virginis & martyris tuæ Agathæ ſolemnitate lætemur, & tantæ fidei & caſtitatis proficiamꝰ exemplo, per Dnm. *Secreta.*

Fiant Dne tuo grata conſpectui munera ſupplicantis eccleſiæ, & ut noſtræ ſaluti proficiant, aſſit interceſſio beatæ tuæ martyris Agathæ, per Dnm. *g.* *Præfatio.*

VD. *Uſque* æterne Deus. Et te in hoc præcipue die digna laude præconii canere, in quo triumphalis hoſtia tuæ maieſtati oblata eſt. Cui tantam contuliſti victoriam, ut ipſa ſæva & aſpera victricem tremerent tormenta. Cuius lampas coruſcis emicat fulgoribus, ut reſeratas poli ingredi valeat ianuas. O felix & inclita virgo, quæ meruit Dni pro laude fidelis, martyrium ſanguine clarificare ſuum. O illuſtris & glorioſa gemino illuſtrata decore! quæ inter tormenta aſpera cunctis prælata miraculis, & myſtico pollens ſuffragio apoſtoli tui meruit viſitatione curari, & te verum ſummumque Deum ſacro carmine concinere; ſic nuptam Xpo ſuſceperunt æthera, ſic humandi artus glorioſa fulgent obſequia, ubi angelorum chorus ſanctitatem mentis, & patriæ indicant liberationem; per Xpm Dnm nrm.

Ad Compl.

Exultamus pariter & de percepto. *Ut ſupra.*

Dom. V. *poſt THEOPHANIAM.*

Familiam tuam, quæſumus Dne, continua pietate cuſtodi, ut quæ in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innititur; tua ſemper protectione muniatur, per Dnm. *gg.*

Alia.

Deus qui ſolus es bonus, & ſine quo nullus eſt bonus, iube nos quæſumus tales fieri, qui tua non mereamur bonitate privari, per.

 Secreta.

Digitized by Google

Secreta.

Hoſtias tibi Dne placationis offerimus, ut & delicta noſtra miſeratus abſolvas, & nutantia corda tu dirigas, per Dnm. *g g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Tibi iſtam immolationis hoſtiam offerre, quia eſt mira prorſus & ineffabilis divini gratia ſacramenti, quæ offertur a plurimis, & unum Xpi corpus ſancti Spiritus infuſione perficitur; ſinguli accipiunt Xpm Dnm, & in ſingulis portionibus totus eſt. Nec per ſingulos minuitur, ſed integrum ſe præbet in ſingulis; propterea ipſi qui ſumimus communionem huius ſancti panis & calicis, unum in Xpo corpus efficimur; per ipſius itaque maieſtatem te ſupplices exoramus! uti accepta habeas & benedicas hæc ſuperimpoſita munera, per quæ nos ab omnibus emundes contagiis vetuſtatis, & in novitate vitæ perſeverare concedas, per eundem Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Quæſumus omnipotens Deus, ut illius ſalutaris capiamus effectum, cuius per hæc myſteria pignus accepimus, per eundem Dnm. *gg.*

Super populum.

Adeſto Dne populis tuis in tua protectione fidentibus, & tuæ ſe dexteræ ſuppliciter inclinantes perpetua defenſione conſerva, per Dnm. *l.*

IIII. Id. Febr.

Natale Sanctæ SOTHERIS.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut ſanctæ Sotheris, cuius humanitatis celebramus exordia, martyris beneficia ſentiamus, per Dnm. *g.*

Super Oblat.

Preces noſtras quæſumus Dne propitiatus admitte! & dicatum tibi ſacrificium beata Sotheris martyr commendet, per. *g.*

Ad Comm.

Sanctæ Sotheris precibus confidentes, quæſumus Dne, ut per ea quæ ſumpſimus, æterna remedia capiamus, per Dnm. *g.*

[*Eodem die Natale Sanctorum ZOTICI, HIRENEI, & IACINTHI.*

Domine Deus noſter, multiplica ſuper nos gratiam tuam, & quorum celebramus glorioſa certamina, tribue ſubſequi in ſancta profeſſione victoriam, per Dnm. *l.*

Secreta.

Suſcipe quæſumus Dne munera populi tui, pro martyrum feſtivitate Sanctorum, & ſincero nos corde fac eorum nataliciis intereſſe, per Dnm.

Ad Compl.

Sacramenti tui Dne quæſumus ſumpta benedictio corpora mentesque ſanctificet, & perpetuæ miſericordiæ nos præparet aſſcribendos, per Dnm.]

Dom. VI. poſt THEOPHANIAM.

Conſerva populum tuum Deus, & tuo nomini fac devotum, ut divinis ſubiectus officiis, & temporalia utiliter, & æterna dona feliciter accipiat, per Dnm. *gg.* *El. ſuper populum.*

Alia.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut ſemper rationabilia meditantes, quæ tibi ſunt placita, & dictis exſequamur & factis, per. *gg.*

Secreta.

Hæc oblatio Deus mundet nos a crimine, & renovet, guberner, & protegat, per Dnm. *gg.* *Præ-*

Digitized by Google

Præfatio.

VD. æterne Deus! ad cuius immenſam pertinet gloriam, ut non ſolum mortalibus tua deitate ſuccurras, ſed & de ipſa etiam mortalitate noſtra nobis remedium provideres, & perditos quosque, unde perierant, inde ſalvares, per Xpm Dnm. *El. gg.* *Ad Comm.*

Cœleſtibus Dne paſti deliciis, quæſumus, ut ſemper eadem, per quæ veraciter vivimus, appetamus, per Dnm. *gg.*

Super populum.

Adeſto Dne fidelibus tuis, & quibus ſupplicandi tribuis miſeratus affectum, concede benigniſſime conſolationis auxilium, per Dnm. *gg.*

XVI. Kl. Mart.

Natale ſanctorum VALENTINI, VITALIS, FELICULÆ, & ZENONIS.

Tuorum nos Dne quæſumus precibus tuere Sanctorum, ut feſta martyrum tuorum Valentini, Vitalis, Feliculæ & Zenonis ſine ceſſatione venerantes, & fideli muniamur auxilio, & magnifico proficiamus exemplo, per Dnm. *g.*

Super Oblat.

Ad martyrum tuorum Valentini, Vitalis, Feliculæ & Zenonis, Dne, feſta venientes, munera nomini tuo dicata offerimus, ut illis reverentiam impendentes, nobis veniam impetremus, per Dnm. *g.*

Ad Comm.

Protege Dne plebem tuam, & in feſtivitate martyrum tuorum Valentini, Vitalis, Feliculæ & Zenonis, qua nobis tribuis aſſiduc debita tibi perſolvere, precibus concedas eorum noſtrarum abſolutionem culparum, per Dnm. *g.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut qui beati Valentini martyris tui natalicia colimus, a cunctis malis imminentibus eius interceſſione liberemur, per Dnm. g g.

Secreta.

Oblatis quæſumus Dne placare muneribus, & intercedente beato Valentino martyre tuo, a cunctis nos defende periculis, per Dnm. g g.

Ad Comm.

Sit nobis Dne reparatio mentis & corporis cœleſte myſterium, ut cuius exequimur cultum, ſentiamus effectum, per Dnm g g.

XIIII. Kl. Mart.

Natale ſanctæ IULIANÆ. Gel.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas, da nobis in feſtivitate ſanctæ martyris tuæ Iulianæ congrua devotione gaudere, ut & potentiam tuam in eius paſſione laudemus, & proviſum nobis percipiamus auxilium, per. *g.*

Secreta.

In ſanctæ martyris tuæ Iulianæ paſſione precioſa te Dne mirabilem prædicantes, munera votiva deferimus, præſta quæſumus, ut ſicut eius tibi grata ſunt merita, ſic noſtræ ſervitutis accepta reddantur officia, per. *g.*

Ad Comm.

Libantes Dne menſæ tuæ beata myſteria, quæſumus, ut ſanctæ Iulianæ martyris tuæ interventionibus glorioſis & præſentem nobis miſericordiam conferant, & æternam, per. *g.*

Digitized by Google

VIII. Kl. Mart.

Cathedra Sci PETRI. Gel. GG.

Deus qui apoſtolo tuo Petro collatis clavibus regni cœleſtis animas ligandi atque ſolvendi pontificium tradidiſti! concede, ut interceſſionis eius auxilio a peccatorum noſtrorum nexibus liberemur, per. *El.* *Secreta.*

Eccleſiæ tuæ quæſumus Dne preces & hoſtias beati Petri apoſtoli tibi commendet oratio, ut quod pro illius gloria celebramus, nobis proſit ad veniam, per. *El.*

Præfatio.

VD. æterneDeus. Et te laudare mirabilem in Sanctis tuis,in quibus glorificatus es vehementer! per quos & unigeniti tui ſacrum corpus excœnans, (ſ. *exornans*) in ipſis eccleſiæ tuæ munimenta conſtituiſti! quam in patriarchis præparaſti, in prophetis prædixiſti, in apoſtolis exhibuiſti. Ex quibus beatum Petrum per os ipſius Domini Deique noſtri Verbi tui, vocatum in apoſtolatum, & ob confeſſionem Xpi unigeniti filii tui apoſtolorum principem conſtitutum, & immutato nomine, poſito in fundamento domus tuæ cœleſtium clauſtrorum præſulem cuſtodemque feciſti, divinitus ei iure conceſſo, ut quæ ſtatuiſſet in terris, ſervarentur in cœlis; In cuius veneratione hodierna die maieſtati tuæ hæc feſta perſolvimus, & gratiarum ac laudum hoſtiam immolamus, per eundem Xpm Dnm nrm. *El. gg.*

Ad Comm.

Lætificet nos Dne munus oblatum! ut ſicut in apoſtolo Petro te mirabilem prædicamus, ſic per illum tuæ ſumamus indulgentiæ effectum, per Dnm nrm I. X. filium tuum. *El. gg.*

[*Non. Mart. Natale Scarum PERPETUÆ & FELICITATIS. Gel.*

Da nobis Dne Deus noſter Sanctorum martyrum palmas inceſſabili veneratione venerari, ut quos digna mente non poſſumus celebrare, humilibus ſaltem frequentemus obſequiis, per Dnm. *l. g.* *Secreta.*

Intende Dne munera quæſumus altaribus tuis pro ſanctarum tuarum Felicitatis & Perpetuæ commemoratione propoſita, ut ſicut per hæc beata myſteria illis gloriam contuliſti, nobis indulgentiam largiaris, per Dnm. *g.*

Ad Comm. GG.

Præſta nobis Dne quæſumus intercedentibus Sanctis, ut quæ ore contingimus, pura mente capiamus, per. *g.*]

IIII. Id. Mart.

Natale Sci GREGORII Papæ. Gel. A.

Concede quæſumus Dne fidelibus tuis digne Sci Gregorii pontificis tui celebrare myſteria,ut eius, quæ fideliter exequuntur, & hic experiantur auxilia, & æternis effectibus apprehendant, per. *El.*

Alia. GG.

Infirmitatem noſtram reſpice omnipotens Deus, & quia pondus &c. *Rq. in natali Sci Fabiani Papæ.*

Secreta. (1)

Has hoſtias Dne, quas nomini tuo ſacrandas offerimus, ſancti Gregorii proſequatur oratio, per quas nos expiari facias, & defendi, per Dnm. *El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia ſic tribuis eccleſiam tuam ſancti Gregorii pontificis tui com-

(1) In *Vaticano* MURAT. & *Rhenaug. Gregor. ſuper oblato: Annue nobis, ut animæ famuli tui* GREGORII *proſit oblatio &c.*

commemoratione gaudere; ut eam ſemper illius & feſtivitate lætifices, & exemplo piæ converſationis exerceas, & verbo prædicationis erudias, grataque tibi ſupplicatione tuearis per Xpm Dnm. *El. gg.*

Ad Comm.

Præſtent nobis Dne quæſumus tua ſancta præſidium, quæ intervenientibus beati Gregorii meritis ab omnibus nos abſolvant peccatis, per. *El.*

Hæc eadem in Ambroſ.

VIII. Kl. Apr.

Annuntiatio Sanctæ MARIÆ. Gel.

[Omnipotens ſempiterne Deus, qui coæternum tibi filium hodie pro mundi ſalute ſecundum carnem Spiritu ſancto concipiendum, angelico miniſterio beatæ Mariæ ſemper virgini declaraſti! adeſto propitius populo tuo, ut ad eius nativitatem, pace conceſſa, liberioribus animis occurramus, per eundem Dnm. (1)

Alia.

Exaudi nos Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per beatæ Mariæ ſacri uteri fœtum, & divinæ gratiæ obumbrationem univerſum mundum illuminare dignatus es, maieſtatem tuam ſuppliciter exorantes, ut quod noſtris meritis non valemus obtinere, eius adipiſci præſidiis mereamur, per eundem Dnm. *g. El.*

Secreta.

Altari tuo Dne ſuperimpoſita munera Spiritus ſanctus benignus aſſumat! qui hodie beatæ Mariæ viſcera ſplendoribus ſuæ virtutis replevit, per Dnm. *El.*

Alia Secreta. (2)

Oblationes noſtras quæſumus Dne propitiatus intende, quas in honore beatæ &glorioſæ ſemperque virginis Dei genitricis Mariæ annua ſolemnitate deferimus, & coæternus Spiritus ſanctus tuus, qui illius viſcera ſplendore ſuæ gratiæ replevit, nos ab omni facinore delictorum emundet benignus, per eundem in unitate eiusdem. *g.* *Præfatio.*

VD. æterne Deus, qui nos mirabile myſterium, & inenarrabile ſacramentum per venerabilem Mariam credere docuiſti, in qua manet intemerata caſtitas, pudor integer, firma conſtantia. Nam in hoc ſe matrem Dni fuiſſe cognovit, quia illum cum gaudio protulit, quem incorrupta concepit; lætatur, quod cœli Dnm clauſis portavit viſceribus; quod virgo edidit partum: o admirandam divinæ diſpenſationis operationem! quæ virum non cognovit, & mater eſt, & poſt filium virgo eſt; duobus enim gaviſa eſt muneribus, miratur, quod intacta peperit; exultat, quod nutrivit redemptorem Ieſum Chrm Dnm noſtrum, per quem.

Ad Comm. G.

Adeſto Dne populo tuo, ut quæ ſumpſit fideliter, & mente ſibi & corpore beatæ Mariæ ſemper virginis interceſſione cuſtodiat, per.]

Similiter in Ambroſ. Si-

---

(1) Rhen. *Gratiam tuam &c.* Secreta. *Accepta tibi ſit quæſumus Domine hæc oblatio plebis tuæ, quam offerimus hodie ob incarnationem ſimul & paſſionem redemtoris noſtri Ihefu Chriſti, te ſupplices deprecamur, ut placatus accipias.* Poſtcom. *Deus qui divinis obſequiis angelorum magnificas dignantes* (f. dignitates) *extremitatum noſtram ad reſpectum tuæ viſitationis inluſtra, ut quod per illos facis nobis mirabiliter nuntiari, facias nos miſericorditer adipiſci. Per.*

(2) Hæc *alia Secreta* habetur in vulgato *Gelaſiano*, ibidemque prima oratio eſt altera hic poſita *Exaudi nos &c.* antiquius ſacramentar. *San-Gall.* addit poſtremo orat. *ſuper populum* Protege Domine famulos tuos &c. *ut infra.*

Digitized by Google

Alia Miſſa Gregoriana.

Deus qui de beatæ virginis utero Verbum tuum angelo admuntiante carnem ſuſcipere voluiſti, præſta ſupplicibus tuis, ut qui vere eam genitricem Dei credimus, eius apud te interceſſionibus adiuvemur, per eundem. g g.

Alia. (1)

Deus qui hodierna die Verbum tuum beatæ virginis alvo coadunare voluiſti, fac nos ita peragere, ut tibi placere valeamus, per Dnm. g g.

Secreta.

In mentibus noſtris Dne veræ fidei ſacramenta confirma, ut qui conceptum de virgine Deum verum & hominem confitemur, per eius ſalutiferæ reſurrectionis potentiam ad æternam mereamur pervenire lætitiam, per eundem. g g.

Ad Comm. A.

Gratiam tuam Dne mentibus noſtris infunde, ut qui angelo nuntiante Xpi filii tui incarnationem cognovimus, per paſſionem eius & crucem ad reſurrectionis gloriam perducamur, per eundem. *g g.*

Aliæ Orationes. G. A.

Protege Dne famulos tuos ſubſidiis pacis, & beatæ Mariæ patrociniis confidentes a cunctis hoſtibus redde ſecuros, per. *g g.*

Alia. G. A.

Beatæ & glorioſæ ſemperque virginis Dei genitricis Mariæ nos Dne quæſumus merita proſequantur, & tuam nobis indulgentiam ſemper implorent, per Dnm. *g. El.*

Alia. G. A.

Beatæ & glorioſæ ſemper virginis Dei genitricis Mariæ, quæſumus omnipotens Deus, interceſſio glorioſa nos protegat, & ad vitam perducat æternam, per eundem.

Alia.

Porrige nobis Deus dexteram tuam, & per interceſſionem beatæ & glorioſæ ſemperque virginis Dei genitricis Mariæ auxilium nobis ſupernæ virtutis impende, per eundem. *g. El.*

Dom. in LXX.

Ad ſanctum LAURENTIUM foris murum. Gelaſ.

Deus qui per ineffabilem obſervantiam ſacramenti famulorum tuorum præparas voluntates, donis gratiæ tuæ corda noſtra purifica, ut quod ſancta devotione tractandum eſt, ſinceris mentibus exequamur, per. *g.*

Alia.

Concede quæſumus omnipotens Deus fragilitati noſtræ ſufficientiam competentem, ut ſui reparationis affectum & pia converſatione recenſeat, & cum exultatione ſuſcipiat, per. *g. El.*

Secreta.

Concede nobis miſericors Deus, & digne tuis ſervire ſemper altaribus, & eorum perpetua participatione ſalvari, per Dnm. *g. El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia per ea, quæ conſpiciuntur, inſtruimur, quibus modis ad inviſibilia tendere debeamus; denique commonemur, anni ducente ſucceſſu, de præteritis in futura, & ad nativitatem vitæ de vetuſtate tranſire; ut terrenis ſuſtentationibus expediti, cœleſtis doni capiamus deſiderabilius ubertatem, & per eum cibum qui beneficiis prærogatur alternis, perveniamus ad victum ſine fine manſurum, per Xpm Dnm. *l. El.*

Ad Comm.

Sacræ nobis quæſumus Dne menſæ libatio,

(1) Ad Miſſam.

Digitized by Google

batio, & piæ converſationis augmentum, & tuæ propitiationis continuum præſtet auxilium, per.

Alia Miſſa Ambroſiana. GG. (1)

Preces populi tui, quæſumus Dne, clementer exaudi, ut qui iuſte pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur, per.

Alia. GG.

Familiam tuam, quæſumus Dne, continua pietate cuſtodi, ut quæ in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innititur, tua ſemper protectione muniatur, per. *gg.*

Secreta. GG.

Muneribus noſtris, quæſumus Dne, precibusque ſuſceptis, & cœleſtibus nos munda myſteriis, & clementer exaudi, per. l. gg.

Alia Secreta.

Hoſtias, quæſumus Dne, noſtræ devotionis benignus aſſume, & ſacrificiis glorioſis ſubditorum tibi corda purifica, per. *l.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! ad cuius immenſam pertinet gloriam, ut non ſolum mortalibus tua deitate ſuccurreres, ſed & de ipſa etiam mortalitate noſtra nobis remedium provideres, & perditos quosque, unde perierant, inde ſalvares, per Xpm Dnm nrm. *l.*

Ad Comm. GG.

Fideles tui Deus perpetuis donis firmentur, ut eadem & percipiendo requirant, & quærendo ſine fine percipiant, per. *g g.*

Dom. in LX. Ad S. PAULUM. Gel.

Deus qui conſpicis, quia ex nulla noſtra actione confidimus! concede propitius, ut contra adverſa omnia doctoris gentium protectione muniamur, per. *gg.*

Alia.

Tuere, quæſumus Dne, plebem tuam, & ſacram ſolemnitatem recolentem gratiæ cœleſtis largitate proſequere, ut viſibilibus adiuta ſolatiis ad inviſibilia bona promptius incitetur, per. *l. g. El. Super populum. Secreta.*

Intende, quæſumus Dne, hoſtiam familiæ tuæ, & quam ſacri muneris facis eſſe participem, tribuas ad eius plenitudinem pervenire, per. *g. El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui rationabilem creaturam, ne temporalibus dedita bonis ad præmia ſempiterna contendat, ea diſpenſatione dignaris erudire, ut nec caſtigatione deficiat, nec proſperitatibus inſoleſcat, ſed hoc potius fiat eius glorioſa devotio, quo nullis adverſitatibus obruta ſuperatur, per Xpm Dnm. *l. gg. El.*

Ad Comm.

Sit nobis, quæſumus Dne, cibus ſacer potusque ſalutaris, qui & temporalem vitam muniat, & præſtet æternam, per. *l. g. El. Super populum.*

Rege, quæſumus Dne, populum tuum, & gratiæ tuæ in eo dona multiplica, ut ab omnibus liber offenſis, & temporalibus non deſtituatur auxiliis, & ſempiternis gaudeat inſtitutis, per. *l. g.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Deus qui conſpicis, quia ex nulla &c. Ut ſupra. Secreta.

Oblatum tibi Dne ſacrificium vivificet nos ſemper & muniat, per.

Ad Comm.

Supplices te rogamus omnipotens Deus, ut quos tuis reficis ſacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deſervire concedas, per. gg.

(1) *Ambroſiana & Gregoriana* miſſa.

Alia Miſſa Ambroſiana. GG.

Auxiliare Dne populo tuo, ut ſacræ devotionis proficiens incrementis, & tuo ſemper munere gubernetur, & ad redemptionis æternæ pertineat te ducente conſortium, per. *gg.*

Alia. GG.

Concede nobis omnipotens Deus præſidia militiæ chriſtianæ ſanctis inchoare ieiuniis, ut contra ſpiritales nequitias pugnaturi, continentiæ muniamur auxiliis, per. *l. gg.*

Secreta.

Gratias tibi referat Dne corde ſubiecto tua ſemper eccleſia, & conſequenter obtineat, ut obſervationes antiquas iugiter recenſendo proficiat in futurum, per. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui non ſolum peccata dimittis, ſed ipſos etiam peccatores ieiunando iuſtificas, & reis non tantum pœnam relaxas, ſed donas abſtinentibus etiam præmia ſempiterna, per Xpm. *l. g g.* *Ad Comm.*

Refecti vitalibus alimentis, quæſumus Dne, ad vitam nutriamur æternam, per. *g.*

Dom. in L.

Ad S. PETRUM. *Gel.* GG.

Preces noſtras, quæſumus Dne, clementer exaudi, atque a peccatorum vinculis abſolutos, ab omni nos adverſitate cuſtodi, per. *g g. El.*

Alia. GG.

Auſer a nobis Dne, quæſumus, iniquitates noſtras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur ſenſibus introire, per. *l. g. gg.* *Secreta.* GG.

Sacrificium Dne obſervantiæ paſchalis offerimus, præſta quæſumus, ut tibi & mentes noſtras reddat acceptas, & continentiæ promptioris nobis tribuat facultatem, per. *g. g g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! & maieſtatem tuam cernua devotione exorare, ut modulum terrenæ fragilitatis aſpiciens, non in ira tua, pro noſtra pravitate, nos arguas, ſed immenſa clementia purifices, erudias, & conſoleris; quia cum ſine te nihil poſſumus facere, quod tibi ſit placitum, tua nobis gratia ſola præſtabit, ut ſalubri converſatione vivamus, per Xpm. *El. g g.*

Ad Comm.

Repleti ſumus donorum participatione cœleſtium, præſta quæſumus, ut eadem ſumamus iugiter, & inceſſabiliter ambiamus, per. *g. El.*

Super populum.

De multitudine miſericordiæ tuæ, Dne, populum tibi protege confitentem, & corporaliter gubernatum piæ mentis affectum tuis muneribus aſſequendis effice promptiorem, per. *g. El.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Preces noſtras, quæſumus Dne, clementer. Ut ſupra. Secreta.

Hæc hoſtia Dne, quæſumus, emundet noſtra delicta, & ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora menteſque ſanctificet, per Dnm. g g.

Ad Comm.

Quæſumus omnipotens Deus, ut qui cœleſtia alimenta percepimus, per hæc contra omnia adverſa muniamur, per. g g.

Alia Miſſa Ambroſiana.

Subdita tibi Dne plebis tuæ corda ſanctifica, ut benedictionem, quam ieiuniis expetit, te donante percipiens, & præſentibus gaudeat conſolationibus, & futuris, per.

Alia.

Deus qui non deſpicis contritos corde, & afflictos miſeriis, populum tuum ieiunii ad te devotione clamantem propitiatus exaudi, ut quos humiliavit adverſitas, attollat tuæ reparationis proſperitas, per. *g.*

Secreta.

Eccleſiæ tuæ Dne munera ſanctifica, & concede, ut per hæc veneranda myſteria & ſanctæ inſtitutionis ieiunia, pane cœleſti refici mereamur, per.

Præfatio.

Digitized by Google

Præfatio.

VD. æterne Deus! illuminator & redemptor animarum noſtrarum! qui nos per primum Adam abſtinentiæ lege violata paradiſo eiectos, fortioris ingenii remedio ad antiquæ patriæ beatitudinem per gratiam revocaſti, nosque pia inſtitutione docuiſti, quibus obſervationibus liberemur, per Xpm. *gg.*

Ad Comm.

Tuorum nos Dne largitate donorum & temporalibus attolle præſidiis, & renova ſempiternis, per. *l.*

Feria IIII.
Collecta ad S. ANASTASIAM.
Gel. GG. (1)

Concede nobis Dne præſidia militiæ. *Req. in Sexageſ. l. gg.*

Item ad Miſſam. ad S. SABINAM.
Gel. GG.

Præſta Dne fidelibus tuis, ut ieiuniorum veneranda ſolemnia & congrua pietate ſuſcipiant, & ſecura devotione percurrant, per. *gg.*

Secreta. GG.

Fac nos, quæſumus Dne, his muneribus offerendis convenienter aptari, quibus ipſius venerabilis ſacramenti venturum celebramus exordium, per. *g. gg. El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui corporali ieiunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris & præmia, per Xpm. *gg. El.*

Ad Comm. GG.

Percepta nobis Dne præbeant ſacramenta ſubſidium, ut & tibi grata ſint noſtra ieiunia, & nobis proficiant ad medelam, per. *gg.*

Super populum. GG.

Tuere Dne populum tuum. *Rq. poſtea in VI. feria.*

Alia ſuper populum. GG.

Inclinantes ſe Dne maieſtati tuæ propitiatus intende, ut qui divino munere ſunt refecti, cœleſtibus ſemper nutriantur auxiliis, per. *l. gg.*

Feria V.
Ad Scm GEORGIUM. Gelaſ. (2)

Da, quæſumus Dne, fidelibus tuis ieiuniis paſchalibus convenienter aptari, ut ſuſcepta ſolemniter caſtigatio corporalis cunctis ad fructum proficiat animarum, per. *g. El. gg.*

Secreta.

Fac nos, quæſumus Dne, ſalutis noſtræ cauſas & devotis ſemper frequentare ſervitiis, & devotius recolere principaliter inchoatas, per. *g.*

Ad Comm.

Hæc nos reparent, quæſumus Dne, beata myſteria, & ſuo munere dignos efficiant, per. *g.*

Super populum.

Inclinantes ſe Dne. *Ut ſupra.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Deus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte, per. gg. Se-

(1) *Rhen.* tit. *Capu. de ieiuniis.* In *San-Gallenſi* vetuſtiori cod. præmittitur *ordo agentibus publicam penitentiam* cum orationibus, ut in vulgato *Gelaſ.* inverſo tantum ordine. Sequuntur in vulgato *Gelaſ. orat. & preces a Quinquageſima uſque Quadrageſ.* Aufer a nobis &c. *Roſſen in ieiunio prima ſtation. Feria IIII.* Inchoata ieiunia &c. In *San-Gallenſi* vero *Feria IIII. caput de ieiuniis ſtatio ad S. Sabinam ad collectam* concede nobis &c. ut in *Rhenaugienſi.*

(2) Officium Feriæ V. per Quadrageſimam deſideratur in *Gelaſiano* vulgato; prima oratio habetur Fer. VI. Secreta Fer. IV.

Digitized by Google

Secreta.

Sacrificiis præſentibus Dne, quæſumus, intende placatus, ut & devotioni noſtræ proficiant, & ſaluti, per. l. g g.

Ad Comm.

Cæleſtis doni benedictione percepta ſupplices te Deus omnipotens deprecamur, ut hoc idem nobis & ſacramenti cauſa ſit, & ſalutis, per. l. g g.

Super populum.

Parce Dne, parce populo tuo, ut dignis flagellationibus caſtigatus, in tua miſeratione reſpiret, per. l. g g.

Feria VI.
Ad Sanctos IOHANNEM & PAULUM. Gel.

Adiuva nos Deus ſalutaris noſter! ut quæ collata nobis honorabiliter recenſemus, devotis mentibus aſſequamur, per. *g.*

Secreta.

Præpara nos, quæſumus Dne, huius præcipuæ feſtivitatis officiis, ut hæc ſacrificia ſobriis mentibus celebremus, per. *g.*

Ad Comm.

Tribue nobis omnipotens Deus, ut dona cœleſtia, quæ debito frequentamus obſequio, ſincera profeſſione ſentiamus, per. *g.*

Super populum.

Præſta famulis tuis Dne abundantiam tuæ protectionis & gratiæ, da ſalutem mentis & corporis, da continuæ proſperitatis augmenta, & tibi ſemper eos fac eſſe devotos, per. *l. g.*

Alia Miſſa Gregoriana. G. (1)

Incboata ieiunia, quæſumus Dne, benigno favore proſequere, ut obſervantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam ſinceris exercere valeamus, per. g. g g.

Secreta.

Sacrificium Dne obſervantiæ paſchalis offerimus. Rq. in tertio fol. de Quinq. g g.

Ad Comm.

Spiritum nobis Dne tuæ caritatis infunde, ut quos uno cæleſti pane ſatiaſti, tua facias pietate concordes, per. in unitate eiusdem. l. g g.

Super populum.

Tuere Dne populum tuum, & ab omnibus peccatis clementer emunda, quia nulla ei nocebit adverſitas, ſi nulla dominetur iniquitas, per. l. gg.

Sabbato. Gel.

Obſervationis huius annua celebritate lætantes, quæſumus Dne, ut paſchalibus actionibus inhærentes, plenis eius effectibus gaudeamus, per. *g.*

Alia.

Adeſto Dne ſupplicationibus noſtris, & (f. ut) hoc ſolemne ieiunium, quod animis corporibusque curandis ſalubriter inſtitutum eſt, devoto ſervitio celebremus, per. *l. g.*

Secreta.

Suſcipe Dne ſacrificium, cuius te voluiſti dignanter immolatione placari, præſta quæſumus, ut huius operatione mundati, beneplacitum tibi noſtræ mentis offeramus affectum, per. *l. g.* *Ad*

---

(1) Hæc oratio in *Gelaſ.* vulg. legitur in ieiunio primæ ſtation. Feria IV. cum variante lectione *corporaliter exercemus, mentibus valeamus implere ſinceris.* De cætero officium utrinque diverſum eſt: neque aliæ miſſæ & orationes, quæ *Gelaſianæ* inſcribuntur in noſtro hoc codice, tam ſæpe cum vulgato *Gelaſiano* conveniunt, ſicuti cum antiquiſſimo *Rbenaugienſi* geminoque *San-Gallenſi*: qui eodem modo inſcribitur liber ſacramentorum *Romanæ* eccleſiæ, ad diſtinctionem nempe *Gregoriani*, qui titulum habet: Liber ſacramentorum . . . expoſitus a S. GREGORIO P. R. qualem hic ſequimur ex cod. *San-Blaſiano*, conformem *Vaticano* per MURATORIUM edito, ac aliis, conveniuntque ad unam omnes miſſæ & orationes quadrageſimales, quas hic ex *San-Gallenſi* deſcribimus.

Digitized by Google

Ad Comm.

Cœleſtis vitæ munere vegetati, quæſumus Dne, ut quod eſt nobis in præſenti vita myſterium, fiat æternitatis auxilium, per. *L. g.*

Alia ad Complendum. (1)

Fideles tui Deus per tua dona. *Rq. ſupra in Septuag.* (2) (3)

Dom. in XL. ad Sanctum IOHANNEM in Laterano. Gel.

Concede nobis omnipotens Deus, ut per annua quadrageſimalis exercitia ſacramenti, & ad intelligendum Xpi proficiamus arcanum, & effectus eius digna converſatione ſectemur, per. *g.*

Secreta.

Sacrificium Dne quadrageſimalis initii ſolemniter immolamus, te Dne deprecantes, ut cum epularum reſtrictione carnalium, a noxiis quoque voluptatibus temperemur, per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm. Qui continuatis quadraginta diebus & noctibus hoc ieiunium non eſuriens dedicavit. Poſtea enim eſuriit, non tam hominum cibum, quam ſalutem; nec eſcarum corporalium epulas concupivit, ſed animarum deſideravit potius ſanctitatem. Cibus enim eius eſt redemptio populorum: cibus eius eſt totius bonæ voluntatis affectus, qui nos docuit operari, non cibum, qui terrenis dapibus apparatur, ſed qui divinarum ſcripturarum lectione percipitur; per quem maieſtatem. *El. gg.*

Ad Comm. GG.

Tui nos Dne ſacramenti libatio ſancta reſtauret, & a vetuſtate purgatos in myſterii ſalutaris faciat tranſire conſortium, per. *gg.*

Super populum.

Super populum tuum, Dne quæſumus, benedictio copioſa deſcendat, indulgentia veniat, conſolatio tribuatur, fides ſancta ſuccreſcat, redemptio ſempiterna firmetur, per. *g.*

Alia Miſſa Gregoriana. G.

Deus qui eccleſiam tuam annua quadrageſimali obſervatione purificas, præſta familiæ tuæ, ut quod a te obtinere abſtinendo nititur, hoc bonis operibus exſequatur, per Dnm. El. gg.

Secreta.

Sacrificium Dne quadrageſimalis. Ut ſupra.

Ad Comm. G.

Tui nos Dne ſacramenti. Ut ſupra.

Super populum. G.

Super populum tuum Dne. Ut ſupra. *El.*

Ad Veſp. G.

Da nobis, quæſumus omnipotens Deus, æternæ promiſſionis gaudia quærere, & quæſita citius invenire, per Dnm. gg.

Ad fontes. G.

Adeſto, quæſumus Dne, ſupplicationibus noſtris, & in tua miſericordia confidentes, ab omni nos adverſitate cuſtodi, per Dnm. gg.

Item

---

(1) In miſſali *Rom.* notatur hæc oratio *ſuper populum.*

(2) In antiquiori ſacramentario *Gregoriano San-Blaſiano* (cum quo alias, præſertim in officiis quadrageſimalibus, ad litteram convenit ſacramentarium *San-Gallenſe*) hic eædem orationes habentur, quas paullo ante ex vulgato *Gelaſiano* notavimus orat. & preces a Quinquageſima uſque Quadrageſ. *Aufer a nobis &c.* excepta hac Secreta: *Oblatio Domine tuo nomini dicanda nos purificet, & de die in diem ad cæleſtis vitæ transferat actionem Per.*

(3) In *Vaticano* MURAT. pariter deeſt hic officium ſabbati *Gregorianum*, variantque in editis & MSS.

Item Dom. in capite XL.^mæ

Ambroſ.

Præſta famulis tuis Dne. *Rq. retro in VI. Feria.*

Alia.

Familiæ tuæ, quæſumus Dne, abſolve peccata, menteſque purifica, ut venerabilis ieiunii dies congrua devotione repetentes, quæ fideliter poſcimus, impetrare mereamur, per Dnm nrm.

Secreta.

Da nobis, quæſumus omnipotens Deus, ieiuniorum magnifici ſacramenti & digne ſemper tractare myſteria, & competenter honorare primordia, per Dnm *g. Fer. VI.* *Præfatio.*

VD per Xpm Dnm nrm. In quo ieiunantium fides alitur, ſpes provehitur, caritas roboratur; Ipſe eſt enim panis verus & vivus, qui eſt ſubſtantia æternitatis, eſca virtutis; Verbum enim tuum, per quod facta ſunt omnia, non ſolum humanarum mentium, ſed ipſorum quoque panis eſt angelorum: huius panis alimento Moyſes famulus tuus quadraginta diebus ac noctibus legem ſuſcipiens ieiunavit, & a carnalibus cibis, ut tuæ ſuavitatis capacior eſſet, abſtinuit. Unde nec famem corporis ſenſit, & terrenarum oblitus eſcarum eſt, quia illum & gloriæ tuæ clarificabat aſpectus, & influente Spiritu Dei ſermo paſcebat. Hunc panem etiam nobis miniſtrare non deſinas, quem ut indeficienter eſuriamus, hortaris, Ihm Xpm Dnm nrm, per quem maieſtatem. *gg. ex parte.*

Ad Comm.

Sumpſimus Dne ſacramenta cœleſtia, propterea deprecamur, ut quorum continua perceptione reficimur, ſalutari traditione lætemur, per Dnm.

Feria II.

ad S. PETRUM ad Vincula. o.

Converte nos Deus ſalutaris noſter, & ut nobis ieiunium quadrageſimale proficiat, mentes noſtras cœleſtibus inſtrue diſciplinis, per Dnm. *El. gg.*

Alia.

Sanctifica Dne, quæſumus, noſtra ieiunia, & cunctarum nobis indulgentiam propitius largire culparum, per. *g.*

Secreta.

Accepta tibi ſit Dne noſtræ devotionis oblatio, quæ & ieiunium noſtrum te operante ſanctificet, & indulgentiam nobis tuæ conſolationis obtineat, per. *g. El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui das eſcam omni carni, nos quidem non ſolum carnalibus, ſed etiam ſpiritalibus eſcis reficiens, ut non in ſolo pane vivamus, ſed in omni verbo tuo vitalem habeamus alimoniam, nec tantum epulando, ſed etiam ieiunando paſcamur. Nam ut dapibus & poculis corpora, ſic ieiuniis & virtutibus animæ ſaginantur. Magnam quippe in hoc munere ſalubritatem mentis ac corporis contuliſti, quia ieiunium nobis venerabile dedicaſti, ut ad paradiſum, de quo non abſtinendo cecidimus, ieiunando ſolemnius redeamus, per Xpm Dnm nrm. *El. gg.*

Ad Comm.

Salutaris tui Dne munere ſatiati ſupplices exoramus, ut cuius lætamur guſtu, renovemur effectu, per Dnm. *gg.*

Super populum.

Eſto Dne propitius plebi tuæ, & temporali conſolatione non deſeras, quam vis ad æterna contendere, per Dnm. nrm. *l. g. El.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Converte nos Deus ſalutaris noſter. Ut ſupra. Secreta.

Munera Dne oblata ſanctifica, noſque a peccatorum noſtrorum maculis emunda, per Dnm. Ad Comm.

Salutaris tui Dne munere. Ut ſupra.

Super populum.

Abſolve quæſumus Dne noſtrorum vincula peccatorum, & quicquid pro eis meremur, propitiatus averte, per Dnm.

Item unde ſupra Miſſa Ambroſ.

Converte nos Deus ſalutaris noſter. *Ut ſupra.*

Alia.

Sanctifica Dne quæſumus noſtra ieiunia. *Ut ſupra.*

Secreta.

Munera Dne oblata ſanctifica. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui nos non ſolum carnalibus

bus

Digitized by Google

bus, ſed etiam ſpiritalibus reficis eſcis, ut non in ſolo pane vivamus, ſed in omni verbo tuo. *Et reliqua, ut ſupra.*

Ad Comm.

Salutaris tui Dne munere ſatiati. *Ut ſupra.*

Feria III.

Ad S. ANASTASIAM. o.

Reſpice Dne familiam tuam, & præſta, ut apud te mens noſtra tuo deſiderio fulgeat, quæ ſe carnis maceratione caſtigat, per Dnm. *gg.*

Alia.

Pacem nobis tribue Dne, quæſumus, mentis & corporis, ut per ieiunium noſtræ fragilitatis & manifeſti ſubiiciantur hoſtes, & inviſibiles excludantur, per. *g. El.*

Secreta.

Oblatis, quæſumus Dne, placare muneribus, & a cunctis nos defende periculis, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm. In quo ieiunantium fides additur (alitur) ſpes provehitur, caritas roboratur. Ipſe eſt enim panis vivus & verus, qui ſubſtantia æternitatis, & eſca virtutis eſt. Verbum enim tuum, in quo facta ſunt omnia, non ſolum humanarum mentium, ſed etiam panis eſt angelorum; hunc panem miniſtrare nobis non deſinas, & ut eum indeſinenter eſuriamus horteris, cuius carne dum paſcimur, roboramur, & ſanguine dum potamur, abluimur. Per quem maieſtatem. *El gg. Vide ſupra in Ambroſ. p. 38.*

Ad Comm.

Sumpſimus Dne celebritatis annuæ votiva ſacramenta, præſta quæſumus, ut & temporalis vitæ nobis remedia præbeant & æternæ, per. *g. gg.*

Super populum.

Aſcendant ad te Dne preces noſtræ, & ab eccleſia tua cunctam repelle nequitiam, per Dnm. *g g.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Reſpice Dne familiam tuam. Ut ſupra.

Secreta.

Oblatis quæſumus Dne placare muneribus. Ut ſupra.

Ad Comm.

Quæſumus omnipotens Deus, ut illius ſalutaris capiamus effectum, cuius per hæc myſteria pignus accepimus, per. gg.

Super populum.

Aſcendant ad te Dne preces noſtræ. Ut ſupra.

Item unde ſupra Miſſa Ambroſiana.

Reſpice Dne familiam tuam. *Ut ſupra.*

Alia.

Aſcendant ad te Dne preces. *Ut ſupra.*

Secreta.

Oblatis quæſumus Dne placare muneribus. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm. Qui continuatis quadraginta diebus & noctibus hoc ieiunium non eſuriens dedicavit; poſtea enim eſuriit, non tam cibum hominum, quam ſalutem. Nec eſcarum ſæcularium epulas concupivit, ſed animarum deſideravit potius ſanctitatem; cibus namque eius eſt redemptio populorum: cibus eius eſt totius bonæ voluntatis effectus; qui nos docuit operari non cibum, qui terrenis dapibus apparatur, ſed eum, qui divinarum ſcripturarum lectione percipitur, per quem maieſtatem tuam. *g g. Vide ſupra p. 37. in g g.*

Ad Comm.

Quæſumus omnipotens Deus, ut illius ſalutaris. *Ut ſupra.*

Feria IIII.

Ad ſanctam MARIAM ad Præſepe. o.

Preces noſtras, quæſumus Dne, clementer exaudi, & contra cuncta nobis adverſantia dexteram tuæ maieſtatis extende, per Dnm nrm Ihm Xpm. *gg. El.*

Alia.

Devotionem populi tui, quæſumus Dne, benignus intende, ut qui per abſtinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Digitized by Google

Secreta.

Sacrificia Dne propenſius iſta nos ſalvent, quæ medicinalibus ſunt inſtituta ieiuniis, per Dnm. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui in alimento corporis humani frugum copiam terram producere iuſſiſti, & in alimento animarum ieiunii nobis medicinam indidiſti. Te itaque ſupplices invocamus, ut tibi ſit acceptabile ieiunium noſtrum, & nos a cibis ieiunantes a peccatis abſolvas, per Xpm Dnm nrm. *El. gg.*

Ad Comm.

Tui Dne perceptione ſacramenti & a noſtris mundemur occultis, & ab hoſtium liberemur inſidiis, per Dnm. *gg.*

Super populum.

Da quæſumus Dne populis Xpianis & quod profitentur, agnoſcere, & cœleſte munus diligere, quod frequentant, per. *g.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Preces noſtras, quæſumus Dne, clementer. Ut ſupra.

Alia

Devotionem populi tui Dne. Ut ſupra.

Secreta.

Hoſtias tibi Dne placationis offerimus, ut & delicta noſtra miſeratus abſolvas, & nutantia corda tu dirigas, per Dum nrm Ihm Xpm.

Ad Comm.

Tui Dne perceptione ſacramenti. Ut ſupra. Super populum.

Mentes noſtras, quæſumus Dne, lumine tuæ claritatis illuſtra, ut videre poſſimus quæ agenda ſunt, & quæ recta ſunt agere valeamus, per Dnm nrm.

Item unde ſupra Miſſa Ambroſiana.

Preces noſtras, quæſumus Dne, clementer. *Ut ſupra.*

Alia.

Mentes noſtras, quæſumus Dne, lumine. *Ut ſupra.*

Secreta.

Hoſtias tibi Dne placationis. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui in alimento corporis humani. *Et reliqua ut ſupra.*

Ad Comm.

Tui Dne perceptione ſacramenti. *Ut ſupra.*

Feria V.

Ad S. LAURENTIUM. G.

Omnipotens ſempiterne Deus! qui nobis in obſervatione ieiunii & eleemoſynarum ſemine poſuiſti noſtrorum remedia peccatorum, concede, nos opere mentis & corporis ſemper tibi eſſe devotos, per Dnm. *Alia.*

Precamur omnipotens Deus, ut de tranſitoriis operibus abſtinentes, ea potius operemur, quibus ad æterna gaudia conſequenda, & ſpes nobis ſuppetat, & facultas, per. *g. Fer. IV.*

Secreta.

Suſcipe creator omnipotens Deus, quæ ieiunantes de tuæ munificentiæ largitate deferimus, & pro temporali nobis collato præſidio, ad vitam converte propitiatus æternam, per. *g. Fer. III.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia competenter atque ſalubriter religioſa ſunt nobis inſtituta ieiunia, ut corporeæ iocunditatis immoderatas coerceamus illecebras, & terrenæ delectationis inſolentia refrænata, purior atque tranquillior appetitus ad cœleſtia contemplanda myſteria fidelium reddatur animarum, per Xpm Dominum noſtrum. *El. gg.*

Ad Comm.

Percipientes Dne glorioſa myſteria, tibi

Digitized by Google

bi referimus gratias! quod in terris poſitos, iam cœleſtium præſtas eſſe participes, per Dnm nrm. *g.*

Super populum.

Reſpice propitius plebem tuam, & quam divinis tribuis proficere ſacramentis, ab omnibus abſolve peccatis, per. *l. g. Fer. III.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Devotionem populi tui. Req. in priori folio. *El.* Secreta.

Sacrificia Dne, quæſumus, propenſius. Req. ſupra. *g. gg.*

Ad Comm.

Tuorum nos Dne largitate donorum, & temporalibus attolle præſidiis, & renova ſempiternis, per. l. g. gg.

Super populum.

Da, quæſumus Dne, populis Xpianis ea, quæ & profitentur. Req. in priori folio.

Item unde ſupra Miſſa Ambroſiana.

Devotionem populi tui. *Ut ſupra.*

Alia.

Da, quæſumus Dne, populis Xpianis. *Ut ſupra.*

Secreta.

Sacrificia Dne, quæſumus, propenſius. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia competenter. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Percipientes Dne glorioſa myſteria. *Ut ſupra.*

Feria VI. ad Apoſtolos. G.

Eſto Dne propitius plebi tuæ! & quam tibi facis eſſe devotam, benigno refove miſeratus auxilio, per. *gg.*

Alia.

Da nobis, quæſumus, omnipotens Deus ieiuniorum magnifici ſacramenti & digne ſemper tractare myſteria, & competenter honorare primordia, per Dnm. *g.*

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, devotorum munera famulorum, & tua divinis purifica ſervientes pietate myſteriis, quibus etiam iuſtificas ignorantes, per. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! tibi ſacrificare ieiunium, quod nos ab initio ſæculi docuiſti; magnam enim in hoc munere corporibus ſalubritatem, & ſanitatem mentibus contuliſti. Quod ſi illa humani generis mater ab interdicta ſibi arbore ſe cuſtodiſſet, & immortalitatem retinuiſſet, & patriam. Sed peccatum matris antiquæ, quod illicita vetuſtatis uſurpatione commiſit, in noſtris oramus abſolvi ieiuniis, ut qui tunc de paradiſo non abſtinendo decidimus, ad eundem nunc ieiunando redeamus, per Xpm.

Ad Comm.

Præſta, quæſumus Dne, ſpiritalibus gaudiis nos repleri, ut quæ actu gerimus, mente ſectemur, per Dnm. *l. g.*

Super populum. (1)

Plebs tua Dne, quæſumus, benedictionis ſanctæ munus accipiat, per quod & noxia quæque declinet, & optata reperiat, per Dnm. *l. g.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Eſto Dne propitius plebi tuæ. Ut ſupra.

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, noſtris oblata ſervitiis, & tua potius dona ſanctifica, per Dnm. Ad Comm.

Per huius Dne operationem myſterii & vitia noſtra purgentur, & iuſta deſideria compleantur, per Dnm. Super

---

(1) Orationes ſuper populum variant in *Elig.*

Digitized by Google

Super populum.

Exaudi nos miſericors Deus, & mentibus noſtris gratiæ tuæ lumen oſtende, per Dnm. nrm.

In Ambroſiano non habetur ſexta Feria.

Sabbato ad Scm PETRUM in XII. Lect. o.

Populum tuum Dne, quæſumus, propitius reſpice, atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte, per Dnm. *gg.*

Alia.

Protector noſter aſpice Deus, & qui malorum pondere premimur, percepta miſericordia, libera tibi mente famulemur, per Dnm nrm. *gg.*

Alia.

Adeſto, quæſumus Dne, ſupplicationib9 noſtris, ut eſſe te largiente mereamur & inter proſpera humiles, & inter adverſa ſecuri, per Dnm nrm. *gg.*

Alia.

Actiones noſtras, quæſumus Dne, & aſpirando præveni, & adiuvando proſequere, ut cuncta noſtra operatio & a te ſemper incipiat, & per te cepta finiatur, per Dnm. *gg.* *Alia.*

Deus, qui delinquentes perire non pateris, donec convertantur & vivant, debitam, quæſumus, peccatis noſtris ſuſpende vindictam, & præſta propitius, ne diſſimulatio cumulet ultionem, ſed potius per ieiunium emendatio profit ad veniam, per Dnm. *l. g. El.*

Poſt Benedictiones.

Deus, quem omnia opera benedicunt, quem cœli glorificant, angelorum multitudo collaudat, quæſumus te, ut ſicut tres pueros de camino ignis incendii non ſolum illæſos, ſed etiam in tuis laudibus conclamantes liberaſti, ita nos peccatorum nexibus abſolutos, velut de voragine ignis eripias, ut dum te Deum Patrem benedictione laudamus, criminum flammas, operumque carnalium incendia ſuperantes, hymnum tibi debitum iure meritoque reddamus, per Dnm.

Secreta.

Præſentibus ſacrificiis Dne ieiunia nrā ſanctifica, ut quod obſervantia noſtra profitetur extrinſecus, interius operetur, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! illuminator & redemptor animarum noſtrarum, qui nos per primum Adam abſtinentiæ lege violata, paradiſo eiectos, fortioris ieiunii remedio ad antiquæ patriæ beatitudinem per gratiam revocaſti, ut non ſolum corpus a cibis, ſed a delictis omnibus animam liberares, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Perpetuo Dne favore proſequere, quos reficis divino myſterio, & quos imbuiſti cœleſtibus inſtitutis, ſalutaribus comitare ſolatiis, per Dnm. *l. g.*

Super populum.

Fideles tuos Dne benedictio deſiderata confirmet, quæ eos & a tua voluntate nunquam faciat diſcrepare, & tuis ſemper indulgeat beneficiis gratulari, per. *l. g.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Populum tuum Dne quæſumus. Ut ſupra.

Alia.

Deus, qui nos in tantis periculis conſtitutos pro humana ſcis fragilitate non poſſe ſubſiſtere! da nobis ſalutem mentis & corporis, ut ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, te adiuvante vincamus, per. gg.

Alia.

Digitized by Google

Alia.

Protector noſter aſpice Deus. Ut ſupra.

Alia.

Adeſto, quæſumus Dne, ſupplicationibus. Ut ſupra.

Alia.

Preces populi tui Dne, quæſumus, clementer exaudi, ut qui iuſte pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur, per Dnm. *Vat. gg.*

Alia.

Quæſumus omnipotens Deus, vota humilium reſpice, atque ad defenſionem noſtram dexteram tuæ maieſtatis extende, per. gg.

Alia.

Actiones noſtras, quæſumus Dne, & aſpirando. *Ut ſupra. Vat.*

Ad Miſſas.

Deus, qui tribuis pueris mitigaſti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, per Dnm. gg.

Secreta.

Præſentibus ſacrificiis Dne ieiunia. Ut ſupra.

Ad Comm.

Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, & vitia noſtra curentur, & remedia nobis æterna proveniant, per Dnm. gg.

Item Alia Miſſa Ambroſiana.

Populum tuum Dne, quæſumus, propitius. *Ut ſupra.*

Alia.

Exaudi nos miſericors Deus, & mentibus noſtris gratiæ tuæ lumen oſtende, per Dnm.

Secreta.

Præſentibus ſacrificiis Dne ieiunia. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui miſiſti nobis de cœlo Dnm nrm Ihm Xpm filium tuum, ut qui per eſcam præſumptam de paradiſo deiecti fuerant, per eius ieiunium in paradiſum revertendi facultatem acciperent; & quadraginta dierum totidemque noctium celebrato ieiunio temptatorem hominum excluderet, & ſe redemptorem omnium credentium demonſtraret idem Ihs Xps Dns noſter, quem una tecum omnipotens Pater cum ſancto Spiritu laudant.

Ad Comm.

Sanctificationibus tuis omnipotens Deus. *Ut ſupra. El.*

Die Dom. vacat. Miſſa Gelaſiana. G.

Deus, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui, interius exteriusque cuſtodi, ut ab omnibus adverſitatibus muniamur in corpore, & a pravis cogitationibus mundemur in mente, per Dnm. *gg.*

Alia.

Præſta nobis miſericors Deus, ut placationem tuam promptis mentibus exoremus, & peccatorum veniam conſequentes, a noxiis liberemur incurſibus, per Dnm. *g.* *Secreta.*

Eccleſiæ tuæ Dne munera placatus aſſume, quæ & miſericors offerenda tribuiſti, & in noſtræ ſalutis potenter efficis transire myſterium per Dnm. *l. g. El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! maieſtatem tuam ſuppliciter exorantes, ut mentibus noſtris medicinalis obſervantiæ munus infundas, & qui negligentibus etiam ſubſidia ferre non deſinis, beneficia præbeas potiora devotis, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Refecti Dne pane cœleſti, ad vitam quæſumus nutriamur æternam, per Dnm nrm. *g. El.*

Super populum.

Familiam tuam, quæſumus Dne, propitiatus illuſtra, ut beneplacitis inhærendo, cuncta, quæ bona ſunt, mereatur accipere, per. *g El*

Alia Miſſa Gregoriana.

Deus qui conſpicis omni nos. Ut ſupra.

Secreta.

Sacrificiis præſentibus Dne, quæſumus

(F) 2 *intende*

Digitized by Google

intende placatus, ut & devotioni noſtræ proficiant & ſaluti, per Dnm. l. gg.

Ad Comm.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis ſacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deſervire concedas, per Dnm nrm. gg.

Incipiunt Letaniæ Dom. I. in Qudrageſ.

Divinæ pacis & indulgentiæ munere ſupplicantes, ex toto corde & ex tota mente, precamur te Dne, miſerere.

Pro eccleſia tua ſancta catholica, quæ hic & per univerſum orbem diffuſa eſt, precamur te Dne, miſerere.

Pro Papa noſtro. ill. & omni clero eius, omnibusque ſacerdotibus ac miniſtris, precamur te Dne, miſerere.

Pro famulo tuo ill. Imperatore, & famula tua Imperatrice, & omni exercitu eius, precamur te Dne &c.

Pro pace eccleſiarum, vocatione gentium, & quiete populorum, precamur te Dne, miſerere.

Pro civitate hac, & conſervatione eius, omnibusque habitantibus in ea, precamur te Dne, miſerere.

Pro aerum temperie, ac fructuum, & fœcunditate terrarum, precamur.

Pro virginibus, viduis, orphanis, captivis, ac pœnitentibus, precamur.

Pro navigantibus, iter agentibus, in carceribus, in vinculis, in metallis, in exiliis conſtitutis, precamur.

Pro his, qui diverſis infirmitatibus detinentur, quique ſpiritibus vexantur immundis, precamur.

Pro his, qui in ſancta tua eccleſia fructus miſericordiæ largiuntur, precamur.

Exaudi nos Deus in omni oratione, atque deprecatione noſtra, precamur te.

Dicamus omnes, Domine miſerere. Kyr.

Miſſa. Or. ſuper populum. G. (1)

Inchoata ieiunia, quæſumus Dne, eccleſiæ tuæ benigno favore proſequere! ut obſervantiam, quam corporaliter exercemus, mentibus valeamus implere ſinceris, per. *g.*

Alia.

Adeſto Dne ſupplicationibus noſtris, ut hoc ſolemne ieiunium, quod animabus corporibusque curandis ſalubriter inſtitutum eſt, devoto ſervitio celebremus, per. *g.*

Secreta.

Dne Deus noſter, in cuius ſpiritalibus caſtris militat laudanda ſobrietas, abſtinentia fructuoſa, & caſti pectoris opulenta frugalitas, ieiunantium vota clementer aſſume, & fidelibus poſtulatus conſueta pietate ſuccurre, per Dnm. *g. Fer. VII. hebd. II.* *Præfatio.*

VD. per Xpm Dnm nrm; qui ad inſinuandum humilitatis ſuæ myſterium, fatigatus reſedit ad puteum, & a muliere Samaritana aquæ ſibi petiit porrigi potum; qui in ea creaverat fidei donum, & ita eius ſitire dignatus eſt fidem, ut dum ab ea aquam peteret, in ea ignem divini amoris accenderet. Imploramus itaque immenſam clementiam tuam, ut contemnentes tenebroſam profunditatem vitiorum, & relinquentes noxiarum hydriam cupiditatum, te, qui fons vitæ & origo bonitatis es, ſemper ſitiamus, & ieiuniorum noſtrorum obſervatione tibi placeamus, per eundem Xpm Dnm nrm, per quem maieſtatem tuam laudant angeli, adorant. *gg. Fer. VI. hebd. III.*

Ad Comm.

Tribue nobis omnipotens Deus, ut dona cœleſtia, quæ debito frequentamus obſequio, ſincera profeſſione ſectemur, per Dnm nrm. *g.*

Feria II.

Ad Scm CLEMENTEM. G.

Præſta quæſumus omnipotens Deus! ut familia tua, quæ ſe affligendo carne ab alimentis abſtinet, ſectando iuſtitiam a culpa ieiunet, per Dnm. *gg.*

Alia.

Tuis, quæſumus Dne, adeſto ſupplicibus, & inter mundanæ pravitatis inſidias, fragilitatem noſtram ſempiterna pietate proſequere, per Dnm. *g. El. Super populum.* *Secreta.*

Hæc hoſtia Dne placationis & laudis tua nos propitiatione dignos efficiat, per Dnm. *gg.* *Præ-*

(1) Primam & ultimam orationem habet *Gelaſianum* vulg. fer. IV. in capite ieiunii. Vid. nota ad Fer. VI. poſt Quinquageſimam.

Digitized by Google

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et pietatem tuam ſupplici devotione depoſcere, ut ieiunii noſtri oblatione placatus, & peccatorum nobis veniam concedas, & nos a noxiis liberare digneris incurſibus, per Xpm Dnm. *El.*

Poſtcomm.

Percepta Dne ſancta nos adiuvent, & ſuis repleant inſtitutis, per. *g.*

Super populum.

Populum tuum Dne, quæſumus, ad te toto corde converte, quia quos defendis etiam delinquentes, maiore pietate tueris ſincera mente devotos, per. *g.*

Alia Miſſa Gregoriana. El.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut familia tua. Ut ſupra.

Secreta.

Hæc hoſtia Dne placationis & laudis. Ut ſupra. Ad Comm.

Hæc nos communio Dne purget a crimine, & cæleſtibus remediis faciat eſſe conſortes, per Dnm. l. gg.

Super populum.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum, per Dnm. gg.

Item unde ſupra Miſſa Ambroſiana.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut familia tua. *Ut ſupra.*

Alia.

Adeſto, quæſumus Dne, ſupplicationibus noſtris, ut eſſe te largiente mereamur & inter proſpera humiles, & inter adverſa ſecuri, per Dnm. *gg.*

Super Oblata.

Hæc hoſtia Dne placationis & laudis. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus, & pietatem tuam ſupplici. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Hæc nos communio Dne purget. *Ut ſupra.*

Feria. III.
Ad Scam BALBINAM.

Perfice, quæſumus Dne, benignus in nobis obſervantiæ ſanctæ ſubſidium, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus, per Dnm. gg.

Alia.

Deus, qui ob animarum medelam ieiunii devotione caſtigari corpora præcepiſti, concede, ut corda noſtra ita pietatis tuæ valeant exercere mandata, quatenus ab omnibus poſſimus ſemper abſtinere peccatis, per. *g.*

Secreta.

Sanctificationem nobis Dne his myſteriis placatus operare, quæ nos & a terrenis purget vitiis, & ad cæleſtia dona perducat, per Dnm. *l. gg.*

Præfatio.

VD. *uſque* æterne Deus! qui ad animarum medelam ieiunii devotione caſtigari corpora præcepiſti, concede quæſumus, ut corde & corpore ita pietatis tuæ valeamus exercere mandata, ut ad tua mereamur te opitulante pervenire promiſſa, per Xpm Dnm nrm. *El. gg.*

Ad Comm.

Delicias Dne mirabiles menſæ cæleſtis ambimus, quibus ieiunando copioſius ſaginamur, per. *g.*

Super populum.

Da, quæſumus Dne, fidelibus tuis & ſine ceſſatione capere paſchalia ſacramenta, & deſideranter expectare ventura, ut in myſteriis, quibus renati ſunt, permanentes, ad novam vitam his operibus perducantur, per. *g.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Perfice, quæſumus Dne, benignus in nobis. Ut ſupra.

Secreta.

Sanctificationem tuam nobis Dne. Ut ſupra. Ad Comm.

Ut ſacris Dne reddamur digni mune-

Digitized by Google

ribus, fac nos tuis, quaſumus, obedire mandatis, per Dnm.

Super populum.

Propitiare Dne ſupplicationibus noſtris, & animarum noſtrarum medere languoribus, ut remiſſione percepta in tua ſemper benedictione lætemur, per Dnm.

Item unde ſupra Miſſa Ambroſiana.

Perfice, quæſumus Dne, benignus in nobis. *Ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui ob animarum medelam. *Ut ſupra.*

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, devotorum munera famulorum, & divinis purifica ſervientes tua pietate myſteriis, quibus etiam iuſtificas ignorantes, per Dnm. *l.*

Præfatio.

VD. æterne Deus, qui ieiunia ſacro inſtituto exequi præcepiſti, ut per hanc abſtinentiam, ſicut confidimus, de tua miſericordia mereamur veniam delictorum. Tu enim ſolus Deus abluis ægritudines animarum, quæ peccati vitio irrogantur, & facis abſtinentiam prodeſſe, quibus fuerat obligata præſumptio, per Xpm.

Ad Comm.

Ut ſacris Dne reddamur digni muneribus. *Ut ſupra.*

Feria IIII.

Ad Scam CÆCILIAM. Gel.

Deus, qui per Verbum tuum humani generis reconciliationem mirabiliter operaris! præſta quæſumus, ut ſancto ieiunio & tibi toto ſimus corde ſubiecti, & in tua nos efficiamur pace concordes, per Dnm. *g.*

Alia.

Præſta nobis, Dne quæſumus, auxilium gratiæ tuæ, ut ieiuniis & orationibus convenienter intenti, liberemur ab hoſtibus mentis & corporis, per Dnm. *g.*

Secreta.

Hoſtias Dne, quas tibi offerimus, propitius reſpice, & per hæc ſancta commercia vincula peccatorum noſtrorum abſolve, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm. Per quem humani generis reconciliationem mirabili diſpenſatione operatus es, præſta quæſumus, ut eius exemplo, ſancto purificati ieiunio, & tibi toto corde ſimus ſubiecti, & inter mundanæ pravitatis inſidias, te miſerante, perſeveremus illæſi, per eundem Xpm Dnm nrm. *El. gg.*

Poſtcomm.

Gratia tua nos, Dne quæſumus, non relinquat, quæ & ſacræ nos deditos faciat ſervituti, & tuam nobis opem ſemper acquirat, per Dnm. *g.*

Super populum.

Populum tuum, Dne, propitius reſpice, & quos ab eſcis carnalibus præcipis abſtinere, a noxiis quoque vitiis ceſſare concede, per Dnm. *gg.*

Miſſa Gregoriana. *El.*

Populum tuum Dne. Ut ſupra.

Secreta.

Hoſtias, Dne, quas tibi offerimus. Ut ſupra.

Ad Comm.

Sumptis Dne ſacramentis ad redemptionis æternæ, quaſumus, proficiamus augmentum, per Dnm.

Super populum.

Deus innocentiæ reſtitutor & amator, dirige ad te tuorum corda ſervorum, ut ſpiritus tui fervore concepto, & in fide inveniantur ſtabiles, & in opere efficaces, per Dnm. in un. eiuſdem.

Item unde ſupra Miſſa Ambroſiana.

Populum tuum Dne propitius. *Ut ſupra.*

Alia.

Eccleſiam tuam, Dne, perpetua miſeratione proſequere, ut inter ſæculi turbines conſtituta, & præſenti iocunditate reſpiret, & æternæ beatitudinis donum percipiat, per Dnm.

Secreta.

Hoſtias Dne, quas tibi offerimus. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm, per quem humani. *Ut ſupra.*

Ad

Ad Comm.

Sumptis Dne ſacramentis ad redemptionis. *Ut ſupra.*

Feria V.

Ad S. MARIAM trans-Tyberim.

Eccleſiam tuam, Dne, perpetua miſeratione. *Ut ſupra.*

Alia.

Adiuva nos Deus ſalutaris noſter, & in ſacrificio ieiuniorum noſtras mentes purifica, & ad beneficia recolenda, quibus nos inſtaurare dignatus es, tribue venire gaudentes, per. *g. hebd. V. fer. II.*

Secreta.

Accepta tibi ſint, Dne quæſumus, noſtri dona ieiunii, quæ & expiando nos tuæ gratiæ dignos efficiant, & ad ſempiterna promiſſa perducant, per Dnm. *El. g. hebd. III. fer. VI.*

Præfatio.

VD. *uſque* æterne Deus. Et tuam cum celebratione ieiunii pietatem devotis mentibus obſecrare, ut qui pro peccatis noſtris ingruentium malorum pondere premimur, & a peccatis omnibus liberemur, & libera tibi mente famulemur, per Xpm Dnm. *El.*

Ad Comm.

Præbeant nobis, Dne quæſumus, divinum tua Sancta fervorem, quo eorum pariter & actu delectemur & fructu, per Dnm. *gg.*

Super populum. (1)

Adeſto Dne famulis tuis, & opem tuam largire poſcentibus, ut his, qui te auctore & gubernatore gloriantur, & congregata reſtaures, & reſtaurata conſerves, per Dnm. *l. g. fer. IV. gg.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Præſta nobis, Dne quæſumus, auxilium. *Ut ſupra.* *Secreta.*

Præſenti ſacrificio nomini tuo nos Dne ieiunia dicata ſanctificent, ut quod obſervantia noſtra profitetur exterius, interius operetur effectum, per.

Ad Comm.

Gratia tua nos, quæſumus Dne, non relinquat. *Ut ſupra.*

Super populum.

Adeſto Dne famulis tuis, & perpetuam. *Ut ſupra.*

Feria V. ſimiliter eſt in *Ambroſiano*, ſicut in *Gelaſiano.*

Feria VI. ad S. VITALEM. (2)

Da quæſumus, omnipotens Deus, ut ſacro nos purificante ieiunio ſinceris mentibus ad ſancta ventura facias pervenire, per. *gg. El.* *Alia.*

Ad hoſtes noſtros Dne ſuperandos præſta, quæſumus, ut auxilium tuum ieiuniis tibi placitis, & bonis operibus impetremus, per Dnm. *l. g.*

Super Oblata.

Hæc in nobis ſacrificia Deus, & actione permaneant, & operatione firmentur, per Dnm. *gg.* *Præfatio.*

VD. *uſque* æterne Deus, qui delinquentes perire non pateris, ſed ut ad te convertantur & vivant, hortaris; poſcimus itaque pietatem tuam, ut a peccatis noſtris tuæ ſeveritatis ſuſpendas vindictam, & nobis optatam miſericorditer tribuas medelam: nec iniquitatum noſtrarum moles te provocet ad ultionem, ſed ieiunii obſervatio & morum emendatio te flectat ad peccatorum noſtrorum remiſſionem, per Xpm Dnm nrm. *El. gg.*

Ad Comm.

Fac nos, Dne quæſumus, accepto pignore ſalutis æternæ ſic tendere congruenter, ut ad eam pervenire poſſimus, per Dnm. *gg.*

Super populum.

Da, quæſumus Dne, populo tuo ſalutem

---

(1) San-Blaſ. *Adeſto Dne famulis tuis & perpetuam benignitatem &c.* (2) Rhenaug. *Hic facis ſcrutinio.*

Digitized by Google

tem mentis & corporis, ut bonis operibus inhærendo, tuæ ſemper virtutis mereatur protectione defendi, per. *gg.*

Hæc eadem ſimiliter eſt in Gregoriano ſicut in Gelaſiano.

Sabb. ad S. MARCELLINUM & PETRUM.

Da, quæſumus Dne, noſtris effectum ieiuniis ſalutarem, ut caſtigatio carnis aſſumpta, ad noſtrarum vegetationem transeat animarum, per Dnm. *l. gg.*

Alia.

Subveni Dne ſervis tuis pro ſua iugiter iniquitate gementibus, menteſque noſtras terrenis affectibus prægravatas medicinalibus tribue exonerari ieiuniis, & corporis afflictione corrobora, per Dnm. *g.*

Super Oblata.

His ſacrificiis Dne concede placatus, ut qui propriis oramus abſolvi delictis, non gravemur externis, per. *gg.*

Præfatio.

VD. *uſque* æterne Deus. Et tuam iugiter exorare clementiam, ut mentes noſtras, quas conſpicis terrenis affectibus prægravari, medicinalibus tribuas ieiuniis exonerari, & per afflictionem corporum proveniat nobis robur animarum, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Sacramenti tui Dne divina libatio penetralia noſtri cordis infundat, & ſui participes potenter efficiat, per Dnm. *gg.*

Super populum.

Implorantes Dne miſericordiam tuam fideles populos propitius intuere, ut qui præter te alium Deum non noverunt, tuis ſemper beneficiis glorientur, per Dnm. *g.*

Alia Miſſa Gregoriana. *El.*

Da, quæſumus Dne, noſtris effectum ieiuniis. Ut ſupra.

Secreta.

His ſacrificiis Dne concede placatus. Ut ſupra.

Ad Comm.

Sacramenti tui divina libatio. Ut ſupra.

Super populum.

Familiam tuam, quæſumus Dne, continua pietate cuſtodi, ut quæ in ſola ſpe gratiæ cæleſtis innititur, cæleſti etiam protectione muniatur, per Dnm. gg.

Hæc eadem in Ambroſiano.

Benedictio Sci AMBROSII ad cinerem & cilicium, de ieiunio, vel ad competentes.

Exorcizo te cinis † in nomine Dei Patris omnipotentis, † & Ihu Xpi Filii Dei, † & Spiritus ſancti, qui te per ignem in favillam converti præcepit, ut ſicut iuſſione Dei per ſanctum famulum eius Moyſen, cinis vitulæ in populo aſperſus, omnem congregationem Iſrael ſanctificavit, ita & tu exorcizatus in nomine Trinitatis, in terra & cilicio aſperſus, in eis, qui ſcrutinia ſunt habituri, ſuper ſtantes vel tranſituros, diabolus non lateat, ſed manifeſtetur, atque expellatur, ut puri & ſinceri inveniantur; Te autem petimus & rogamus Pater omnipotens, ut ſicut Ninivitarum populus ad prædicationem Ionæ prophetæ miſericordiam tuam, Dne, exorantes, ſuorum veniam meruerunt conſequi peccatorum, ita & hi, qui ad tuam gratiam percipiendam venire deſiderant, amputatis carnalibus maculis, per ſacri baptiſmatis regenerationem ſuorum finem conſtituant vitiorum, per eundem Dnm. in unitate eiusdem.

Oratio ſuper Competentes.

Exaudi Dne ſupplicationem familiæ tuæ, qui fidelium tuorum conſortio deſiderant ſociari, ut die ſancte ſolemnitatis clementiæ tuæ donum baptiſmatis perceptione mereantur, per Dnm.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice propitius de excelſa ſede maieſtatis tuæ ſuper hos famulos tuos competentes, qui ad tuam concurrunt eccleſiam; concede eis Dne, ut ſub protectione manus tuæ ad ſacri baptiſmatis gratiam pervenire mereantur, per Dnm.

Die

Digitized by Google

Die Dom.
Stat. ad S. LAURENTIUM foris mur. (1)

Quæſumus omnipotens Deus, vota humilium reſpice, atque ad defenſionem noſtram dexteram tuæ maieſtatis extende, per Dnm. *gg.*

Alia.

Propitiare Dne ſupplicationibus noſtris, & animarum noſtrarum medere languoribus, ut remiſſione percepta in tua ſemper benedictione lætemur, per Dnm. *gg.*

Super Oblata.

Suſcipe, quæſumus Dne, noſtris oblata ſervitiis, & tua propitius dona ſanctifica, per Dnm. *El.*

Præfatio.

VD. *Uſque* æterne Deus! Et te ſuppliciter exorare, ut cum abſtinentia corporali mens quoque noſtra ſenſus declinet illicitos, & qui terrena delectatione carnales epulas abnegamus, humanæ voluptatis pravas intentiones amputemus, ut ad Sancta Sanctorum fideliter ſalubriterque capienda competenti ieiunio valeamus aptari; tanto nobis certi propenſius iugiter affutura, quanto fuerimus eorum primitus inſtitutionibus gratiores, per Xpm Dnm. *El. gg.*

Ad Comm.

Cunctis nos Dne reatibus & periculis propitiatus abſolve, quos tanti myſterii tribuis eſſe participes, per. *gg.*

Super populum.

Subiectum tibi populum, quæſumus Dne, propitiatio cœleſtis amplificet, & tuis ſemper faciat ſervire mandatis, per. *gg.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Quæſumus omnipotens Deus, vota humilium. Ut ſupra.

Secreta.

Hac hoſtia, Dne quæſumus, mundet noſtra delicta, & ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora menteſque ſanctificet, per Dnm.

Poſtcomm.

Cunctis nos Dne reatibus & periculis. Ut ſupra.

Item Dom. unde ſupra.
Letania cum Miſſa Ambroſiana. De ABRAHAM.

Dicamus omnes.
Dne Deus omnipotens patrum nrorum. Kyr.
Reſpice de cœlo, & de ſede ſancta tua. Kyr.
Pro Eccleſia tua ſancta Catholica, quam conſervare digneris Kyr.
Pro Papa noſtro ill. & ſacerdotio eius. Kyr.
Pro univerſis Epis, cuncto clero & populo. Kyr.
Pro famulo tuo ill. Imperatore, & famula tua ill. Imperatrice, & omni exercitu eius. Kyr.
Pro civitate hac, omnibusque habitantibus in ea. Kyr.
Pro aerum temperie, & fœcunditate terrarum. Kyr.
Libera nos, qui liberaſti filios Iſrael in manu forti, & brachio excelſo. Kyr.
Exurge Dne adiuva nos, & libera nos propter nomen tuum. Kyr.

Ad Miſſam Or. ſuper populum.

Adiuva Dne fragilitatem plebis tuæ ieiunii ſacramento, ut adoptivos paſchalis celebritatis affectus, & corporaliter gubernata concurrat, & ad tuam gratiam devota perveniat, per.

Alia.

Sanctifica, Dne quæſumus, noſtra propitius ieiunia, & cunctarum nobis indulgentiam largire placatus culparum, per.

Secreta.

Offerimus tibi Dne munera, ſupplicantes, ut quæ ſubditi piis celebramus officiis, plenis affectibus exequamur, per Dnm. *l.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Tu es enim Dne mitiſſimus Pater, qui ante multa tempora Abrahæ in ſemine Xpi

(1) *Gelaſ.* vulg. Dom. III. quæ pro ſcrutiniis electorum celebratur.

Digitized by Google

Xpi tui Deique Natique adventum declaraſti. Iamiamque tenemus, quod olim patribus promittebas; nam quod Abrahæ ſancto gentium populus pollicetur, veriſſime ex omni gente, tribu, & lingua Xpiana religio congregatur. O quam perfida, pertinax, gens Iudæorum iniqua, qui cœleſtem Patrem recognoſcere nolunt, & ſemine gloriantur. O ingrata gens, multis perculſa vicibus, qui reſpuunt præſentem, nec valent tenere abſentem. Nos vero magnis vocibus exultemus, qui & locum pariter & regnum accepimus Iudæorum, per eundem.

Ad Comm.

Supplices te rogamus omnipotens Deus, ut quos tuis reficis ſacramentis, tibi etiam placitis moribus deſervire concedas, per Dnm.

Feria II. Ad Scm MARCUM.

Cordibus noſtris, quæſumus Dne.(1) benignus infunde, ut ſicut ab eſcis corporalibus abſtinemus, ita ſenſus quoque noſtros a noxiis retrahamus exceſſibus, per D. *l. gg.* *Alia.*

Conſerva Dne familiam tuam, bonis ſemper operibus eruditam, & ſic præſentibus conſolare ſubſidiis, ut ad æterna perducas dona propitius, per Dnm. *g.* *El.* *Super populum.*

Secreta.

Munus, quod tibi Dne noſtræ ſervitutis offerimus, tu ſalutare nobis perfice ſacramentum, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. *uſque* æterne Deus! Et clementiam tuam cum intenta ſupplicatione precari, ut per hanc ieiuniorum obſervantiam creſcat noſtræ devotionis affectus, & noſtras actiones religioſus exornet effectus; quatenus te auxiliante, & ab humanis ſemper retrahamur exceſſibus, & monitis inhærere valeamus, te largiente, cœleſtibus, per Xpm Dnm. *El. gg.*

Ad Comm.

Quos ieiunia votiva caſtigant, tua Dne ſacramenta vivificent, ut terrenis affectibus mitigatis, facilius cœleſtia capiamus, per Dnm. *g.*

Super populum.

Gratias tibi referat, Dne, corde ſubiecto tua ſemper eccleſia, & conſequenter obtineat, ut obſervationes antiquas iugiter recenſendo proficiat in futurum, per. *g.*

Alia Miſſa Gregoriana. *El.*

Cordibus noſtris, quæſumus Dne, benignus. Ut ſupra. Secreta.

Munus, quod tibi Dne noſtræ ſervitutis. Ut ſupra. Ad Comm.

Præſta quæſumus, omnipotens & miſericors Deus, ut quæ ore contingimus, pura mente capiamus, per Dnm.

Super populum.

Subveniat nobis Dne miſericordia tua, ut ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis te mereamur protegente ſalvari, per. *Hæc eadem in Ambroſiano.*

Feria III. Ad S. POTENTIANAM.

Exaudi nos, omnipotens & miſericors Deus, & continentiæ ſalutaris propitius nobis dona concede, per. *gg.*

Alia.

Proſequere, omnipotens Deus, ieiuniorum ſacra myſteria, & quos ab eſcis carnalibus præcipis abſtinere, a noxiis quoque vitiis ceſſare concede, per. *g. gg.*

Secreta.

Per hæc veniat, quæſumus Dne, ſacramenta noſtræ redemtionis effectus, qui nos & ab humanis retrahat ſemper exceſſibus, & ad ſalutaria cuncta perducat, per. *gg.*

Præfatio.

VD. *uſque* æterne Deus! qui peccantium non vis animas perire, ſed culpas, & peccantes non ſemper continuo iudicas, ſed ad pœnitentiam provocatos expectas; averte, quæſumus, a nobis quam meremur iram, & quam optamus, ſuper nos effunde clementiam; ut ſacro purificati ieiunio electo-

(1) Sic etiam *Rhenaugienſe* & *San-Gallenſe* antiquius. Edita habent: *Gratiam tuam.*

Digitized by Google

electorum tuorum aſciſci mereamur collegio, per Xpm Dnm. *El. gg.*

Poſtcomm.

Sacris Dne myſteriis expiati, & veniam conſequamur & gratiam, per Dnm. *gg.*

Super populum.

Concede miſericors Deus, ut devotus tibi populus tuus ſemper exiſtat, & de tua clementia, quod ei proſit, indeſinenter obtineat, per Dnm. *g. El.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Exaudi nos omnipotens & miſericors Deus, Ut ſupra.

Alia.

Subveniat nobis Dne &c. Fer. II. *Super pop.* gg.

Super Oblata.

Per hæc veniat, quæſumus Dne, ſacramenta. Ut ſupra.

Ad Comm.

Sacris Dne myſteriis expiati. Ut ſupra.

Super populum.

Tua nos Dne protectione defende, & ab omni ſemper iniquitate cuſtodi, per Dnm. gg.

Hæc eadem ſimiliter eſt in Ambroſiano.

Feria IIII.

Ad Scm STYXTUM.

Præſta nobis, quæſumus Dne, ut ſalutaribus ieiuniis eruditi, a noxiis quoque vitiis abſtinentes, propitiationem tuam facilius impetremus, per Dnm. *gg.*

Alia.

Deus, qui nos formam humilitatis ieiunando & orando unigeniti tui Dni nri imitatione docuiſti, concede quæſumus, ut quod ille iugi ieiuniorum continuatione complevit, nos ſaltim per partes dierum facias adimplere, per Dnm. *g.*

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, preces populi tui cum oblationibus hoſtiarum, & tua myſteria celebrantes ab omnibus nos defende periculis, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. *uſque* æterne Deus! Tuamque miſericordiam ſuppliciter exorare, ut ieiuniorum noſtrorum ſacroſancta myſteria tuæ ſint pietati ſemper accepta; concedasque, ut quorum corpora abſtinentiæ obſervantia macerantur, mentes quoque virtutibus, & cœleſtibus inſtitutis exornentur, per Xpm Dnm nrm. *El. gg.*

Ad Comm.

Sanctificet nos Dne, qua paſti ſumus, menſæ cœleſtis ſancta libatio, & a cunctis erroribus expiatos, ſupernis promiſſionibus reddat acceptos, per Dnm. *gg.*

Super populum.

Defende Dne familiam tuam, & toto tibi corde proſtratam ab hoſtium tuere formidine, nec bona tua difficulter inveniant, pro quibus & Sancti tui, & angelicæ tibi ſupplicant poteſtates, per Dnm. *l. g. El.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Præſta nobis, quæſumus Dne, ut ſalutaribus. Ut ſupra.

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, preces populi tui. Ut ſupra.

Ad Comm.

Sanctificet nos Dne, qua paſti ſumus. Ut ſupra. Super populum.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati a malis omnibus ſecura tibi mente ſerviamus, per Dnm. gg. Et hæc etiam ſimiliter eſt in Ambroſiano.

Feria V.

Ad S. COSMAM & DAMIANUM.

Da quæſumus Dne, rex æterne cunctorum, ut ſacro nos purificatos ieiunio,

nio, ſinceris mentibus ad tua ſancta ventura facias pervenire, per Dnm.

Alia.

Deus, qui peccantium animas non vis perire, ſed culpas, contine quam meremur iram, & quam precamur, ſuper nos effunde clementiam, ut de mœrore gaudium tuæ miſericordiæ conſequi mereamur, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Deus, de cuius gratiæ rore deſcendit, ut ad myſteria tua purgatis ſenſibus accedamus, præſta quæſumus, ut in eorum traditione ſolemniter honoranda, competens tibi deferamus obſequium, per Dnm. *g. El. Fer. IV.*

Præfatio.

VD. *uſque* æterne Deus! Et tuam immenſam clementiam ſupplici voto depoſcere, ut nos famulos tuos & ieiunii maceratione caſtigatos, & cæteris bonorum operum exhibitionibus eruditos, in mandatis tuis facias perſeverare ſinceros, & ad paſchalia feſta pervenire illæſos, ſicque præſentibus ſubſidiis conſolemur, quatenus ad æterna gaudia pertingere mereamur, per Xpm. *El. g g.*

Poſtcom.

Sacramenti tui, Dne, veneranda perceptio & myſtico nos mundet effectu, & perpetua virtute defendat, per Dnm. *El. g. fer. III.*

Super populum.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati a malis omnibus ſecura tibi mente ſerviamus, per Dnm. *gg.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Magnificet te, Dne, ſanctorum tuorum Coſmæ & Damiani beata ſolemnitas, qua & illis gloriam ſempiternam, & opem nobis ineffabili providentia contuliſti, per Dnm. g g.

Secreta.

In tuorum, Dne, precioſa morte iuſtorum ſacrificium illud offerimus, de quo martyrium ſumpſit omne principium, per Dnm. g g.

Ad Comm.

Sit nobis, Dne, ſacramenti tui certa ſalvatio, quæ cum beatorum tuorum Coſmæ & Damiani meritis imploratur, per Dnm. g g.

Super populum.

Subiectum tibi populum, quæſumus Dne, propitiatio cæleſtis amplificet, & tuis ſemper faciat ſervire mandatis, per. g g.

Alia Miſſa Ambroſiana.

Da quæſumus, Dne rex æterne, cunctorum. *Ut ſupra.*

Alia.

Deus, de cuius gratiæ rore deſcendit. *Ut ſupra.*

Secreta.

Reſpice, Dne propitius, ad munera, quæ ſacramus, ut & tibi grata ſint, & nobis ſalutaria ſemper exiſtant, per Dnm. *g g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et tuam immenſam. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Sacramenti tui, Dne, veneranda perceptio. *Ut ſupra.*

Feria VI.

Ad S. LAURENTIUM in Luc. Gel.

Adeſto nobis, quæſumus omnipotens Deus, & per ieiunium corporale mentem noſtram operibus tuorum refice mandatorum, per Dnm.

Secreta.

Reſpice, Dne, propitius ad munera. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm. qui ad inſinuandum humilitatis ſuæ myſterium fatigatus reſedit ad puteum, qui a muliere Samaritana aquæ ſibi petiit porrigi potum, qui in ea creaverat fidei donum, & ita eius ſitire dignatus eſt fidem; ut dum ab ea aquam peteret, in ea ignem divini amoris accenderet. Imploramus itaque tuam immenſam clementiam, ut contemnentes tenebroſam profundi-

tatem

Digitized by Google

tatem vitiorum, & relinquentes noxiarum hydriam cupiditatum, & te, qui fons vitæ, & origo bonitatis es, ſemper ſitiamus, & ieiuniorum noſtrorum obſervatione tibi placeamus, per eundem Xpm Dnm nrm. *El.* *gg.*

Ad Comm.

Huius nos, Dne, perceptio ſacramenti mundet a crimine, & ad cœleſtia regna perducat, per. *gg.*

Super populum. GG.

Gaudeat, Dne quæſumus, populus tua ſemper benedictione confiſus, ut & temporalibus beneficiis adiuvetur, & erudiatur æternis, per. *l.* *El.*

Alia Miſſa Gregoriana. G.

Ieiunia noſtra, quæſumus Dne, benigno favore proſequere, ut ſicut ab alimentis in corpore, ita a vitiis ieiunemus in mente, per Dnm. El. gg.

Secreta.

Reſpice, Dne, propitius ad munera. Ut ſupra. Ad Comm.

Huius nos, Dne, perceptio ſacramenti. Ut ſupra.

Super populum.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui in tua protectione confidimus, cuncta nobis adverſantia te adiuvante vincamus, per. gg.

Sabbato ad S. SUSANNAM. Gelaſ.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam ſauciata, medicinalis parſimoniæ ſtudio reformetur, per Dnm. *l.* *g.* *El.* *Alia.*

Auge fidem tuam, Dne quæſumus, miſeratus in nobis, quia pietatis tuæ ſubſidia non negabis, quibus integram illius contuleris firmitatem per. *l.* *g.*

Secreta.

Dne Deus noſter! qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis noſtræ ſubſidium condidiſti, tuo quoque nomini munera iuſſiſti dicanda conſtitui; tribue quæſumus, ut & vitæ nobis præſentis auxilium, & æternitatis efficiant ſacramentum, per. *l.* *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui ieiunii quadrageſimalis obſervationem in Moyſe & Helia dedicaſti, & in unigenito filio tuo, legis & prophetarum, nrmque omnium Dno, exornaſti; tuam igitur immenſam bonitatem ſupplices expoſcimus, ut quod ille indiſrupta ieiuniorum complevit continuatione propria virtute, nos imitari crebro valeamus illius adiuti largiſſima miſeratione; & adimplentes ea, quæ præcepit, dona percipere mereamur, quæ promiſit, per eundem Xpm Dnm nrm. *El.*

Ad Comm.

Hos Dne, quos reficis ſacramentis, attolle benignus auxiliis, & tuæ redemptionis effectum & myſteriis capiamus & moribus, per. *g.*

Super populum.

Eſto, quæſumus Dne, propitius plebi tuæ, ut quæ tibi non placent reſpuentes, tuorum potius repleantur delectationibus mandatorum, per. *g.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Præſta quæſumus, omnipotens Deus, ut qui ſe affligendo carne ab alimentis abſtinent, ſectando iuſtitiam a culpa ieiunent, per Dnm. gg.

Secreta.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut huius ſacrificii munus oblatum fragilitatem noſtram ab omni malo purget ſemper & muniat, per Dnm. El.

Ad Comm.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut inter eius membra numeremur, cuius corpori communicamus & ſanguini, per Dnm. l. El. gg.

Super populum.

Prætende, Dne, fidelibus tuis dexteram cœleſtis auxilii, ut & te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, conſequi mereantur, per Dnm. El. g g.

Item Ambroſiana.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut dignitas conditionis humanæ, quæ per immoderantiam fuerat ſauciata. *Ut ſupra.*

Cætera quoque omnia ut ſupra.

Dominica. Ad Hierufalem. (1) Gel.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui ex merito noſtræ actionis affligimur, tuæ gratiæ conſolatione reſpiremus, per Dnm. *El. gg.*

Alia.

Deus, qui in deſerti regione multitudinem populi tua virtute ſatiaſti, in huius quoque ſæculi transeuntis excurſu, victum nobis ſpiritalem, ne deficiamus, impende, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Sacrificiis præſentibus, Dne, quæſumus intende placatus, ut & devotioni noſtræ proficiant, & ſaluti, per. *l. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! glorificantes & de præteritis te creatorem omnium, & de venturis fructibus ſuppliciter exorantes, ut cum de perceptis non invenimur ingrati, de percipiendis non iudicemur indigni. Sed exhibita totiens ſolemnis devotione ieiunii, cum ſubſidiis corporalibus profectum capiamus animarum, per Xpm Dnm, *l. El.*

Ad Comm.

Da nobis, miſericors Deus, ut ſancta tua, quibus inceſſanter explemur, ſinceris tractemus obſequiis, & fideli ſemper mente ſumamus, per Dnm. *El. gg.*

Super populum.

Tu ſemper, quæſumus Dne, tuam attolle benignus familiam, tu diſpone correctam, tu propitius tuere ſubiectam, tu guberna perpetua benignitate ſalvandam, per Dnm. *g.*

Alia Gregoriana.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui ex merito. Ut ſupra.

Secreta.

Sacrificiis præſentibus. Ut ſupra.

Ad Comm.

Da nobis, miſericors Deus, ut ſancta. Ut ſupra.

Alia Ambroſiana.

Deus, qui in deſerti regione. *Ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui homini ad imaginem tuam condito ideo das temporalia, ut largiaris æterna, eccleſiam tuam ſpiritali fœcunditate multiplica, ut qui ſunt generatione terreni, fiant regeneratione cœleſtes, per. *g.*

Alia.

Deus, in cuius præcipuis mirabilibus eſt humana reparatio, ſolve opera diaboli, & mortifera peccati vincula disrumpe, ut deſtructa malignitate, quæ nocuit, vincat miſericordia, quæ redemit, per Dnm.

Secreta.

Suſcipe, Dne, ſacrificium, cuius te voluiſti dignanter immolatione placari, & præſta quæſumus, ut huius operatione mundati, beneplacitum tibi noſtræ mentis offeramus affectum, per Dnm. *l.*

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare; Nos tibi Dne, excelſa cœlorum qui reſides arce, gratias referre, & totis ſenſibus confiteri, quo per te infirmis mundi, cæcitate deterſa, verum lumen emicuit, quod inter multarum tuarum virtutum miracula, cæcum a nativitate videre iuſſiſti; in quo genus humanum, originali caligine maculatum, futuri forma expreſſum eſt; nam illa Siloe natatoria, ad quam ille mittitur cæcus, nil aliud niſi fons ſacer ſignatus eſt, ubi non tantum corporea lumina, ſed totus homo ſalvatus eſt, per Xpm Dnm nrm.

Ad Comm.

Sacræ nobis, quæſumus Dne, menſæ libatio & piæ converſationis augmentum, & tuæ protectionis continuum præſtet auxilium, per Dnm. *g.*

Feria

---

(1) In Gelaſ. vulg. *quarta Dominica pro ſcrutinio II.*

Digitized by Google

Feria II. ad IIII. Coronatos. Gel. GG.

Proficiat, quæſumus Dne, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu, ut ſacris actionibus erudita, quanto maieſtati tuæ ſit gratior, tanto donis potioribus augeatur, per Dnm nrm. *g. El. Super popul.*

Alia. GG.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui in tua protectione confidimus, cuncta nobis adverſantia te adiuvante ſuperemus, per Dnm. *g g.*

Secreta. GG.

Cunctis nos, Dne, reatibus & periculis propitiatus abſolve, quos tantis myſteriis tribuis eſſe conſortes, per Dnm. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et tuam ſuppliciter miſericordiam implorare, ut exercitatio veneranda ieiunii ſalutaris nos a peccatorum noſtrorum maculis purgatos reddat, & ad ſupernorum civium ſocietatem perducat, ut & hic devotorum actuum ſumamus augmentum, & illic beatitudinis æternæ percipiamus emolumentum, per Xpm Dnm nrm. *El. gg.*

Ad Comm.

Divini ſatiati muneris largitate, quæſumus Dne Deus noſter, ut in huius ſemper participatione vivamus, per. *l. g. El.*

Super populum.

Tueatur, quæſumus Dne, dextera tua populum deprecantem, & purificatum dignanter erudiat, ut conſolatione præſenti ad futura bona proficiat, per Dnm. *l. g.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut obſervationes ſacras annua devotione recolentes, & corpore tibi placeamus & mente, per Dnm nrm. gg.

Secreta.

Oblatum tibi ſacrificium, Dne, vivificet nos ſemper & muniat, per Dnm. gg.

Ad Comm.

Sumptis Dne ſalutaribus ſacramentis, ad redemptionis æternæ, quæſumus, proficiamus augmentum, per. gg.

Super populum.

Deprecationem noſtram, quæſumus Dne, benignus exaudi, & quibus ſupplicandi præſtas affectum, tribue defenſionis auxilium, per. gg.

Alia Ambroſiana.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, & obſervat. *Ut ſupra.*

Alia.

Deprecationem noſtram, quæſumus Dne, benignus. *Ut ſupra.*

Secreta.

Oblatum tibi Dne ſacrificium. *Ut ſupra.*

Præfatio

VD. æterne Deus! Et tuam ſuppliciter. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Divini ſatiati muneris largitate *Ut ſupra.*

Feria III. Ad S. LAURENTIUM In Damaſ. Gelaſ.

Sacræ nobis, Dne quæſumus, obſervationis ieiunia, & piæ converſationis augmentum, & tuæ propitiationis continuum præſtent auxilium, per Dnm. *g. gg.*

Alia.

Exercitatione veneranda, Dne, ieiunii ſalutaris populi tui corda diſpone, ut & dignis mentibus ſuſcipiat paſchale myſterium, & continuatæ devotionis ſumat augmentum, per. *g.*

Secreta.

Purifica nos, miſericors Deus, ut eccleſiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ ſunt, pia munera deferentes fiant expiatis mentibus gratiores, per. *l. g. El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! per mediatorem Dei & hominum Ihm Xpm Dnm nrm, qui de cœlo deſcendit, mundum ab ignorantiæ tenebris liberare, & mediante die feſto aſcendit in templum docere; cuius

cuius deſcenſus genus humanum doctrina ſalutari inſtituit, mors a perpetua morte redemit, reſurrectio ad vitam reparavit, aſcenſio ad cœleſtia regna perduxit, per quem te ſumme Pater poſcimus, ut eius inſtitutione edocti, ſalutaris parſimoniæ devotione purificati, ad tua perveniamus promiſſa ſecuri, per quem maieſtatem. *El.* g g.

Ad Comm. GG.

Cœleſtia dona capientibus, quæſumus Dne, non ad iudicium pervenire patiaris, quod fidelibus tuis ad remedium providiſti, per Dnm. *l. g. El.*

Super populum. GG.

Miſerere Dne populo tuo, & continuis tribulationibus laborantem, propitius reſpirare concede, per Dnm. *l. gg.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Sacræ nobis, quæſumus Dne, obſervationis. Ut ſupra.

Secreta.

Hæc hoſtia, Dne quæſumus, emundet noſtra delicta, & ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora menteſque ſanctificet, per Dnm. g g.

Ad Comm.

Huius nos Dne perceptio ſacramenti mundet a crimine, & ad cœleſtia regna perducat, per Dnm. g g.

Super populum.

Miſerere Dne populo tuo. Ut ſupra.

Alia Miſſa Ambroſiana.

Miſerere Dne populo tuo. *Ut ſupra.*

Alia.

Præſta nobis, omnipotens Deus, ut quia vitiis ſubiacet noſtra mortalitas, tua nos & medicina purificet, & potentia tueatur, per *Dnm.*

Secreta.

Hæc hoſtia, Dne quæſumus, emundet noſtra delicta. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et te creatorem omnium de præteritis fructibus glorificare, & de venturis ſuppliciter exorare; ut cum de perceptis non(1) invenimur ingrati, de percipiendis non iudicemur indigni; ſed exhibita totiens ſolemnis devotione ieiunii, cum ſubſidiis corporalibus profectum quoque capiamus animarum, per Xpm Dnm. *l* gg.

Ad Comm.

Huius nos Dne perceptio ſacramenti. *Ut ſupra.*

Feria IIII.

Ad S. PAULUM. Gel. (2)

Omnipotens ſempiterne Deus, qui & iuſtis præmia meritorum, & peccatoribus per ieiunium erroris ſui veniam præbes, miſerere ſupplicibus, parce peccantibus, ut reatus noſtri confeſſio indulgentiam valeat percipere delictorum, per Dnm. *g. El.* *Alia.*

Præſta quæſumus, omnipotens Deus, ut quos ieiunia votiva caſtigant, ipſa quoque devotio ſancta lætificet, ut terrenis affectibus mitigatis, facilius cœleſtia capiamus, per. *g. gg.*

Secreta.

Supplices Dne te rogamus, ut his ſacrificiis peccata noſtra mundentur, quia tunc veram nobis tribuis & mentis & corporis ſanitatem, per Dnm. *gg.*

Præfatio

VD. Per X. D. N. qui illuminatione ſuæ fidei tenebras expulit mundi, & genus humanum, quod primæ matris uterus profuderat cæcum, incarnationis ſuæ myſterio reddidit illuminatum, fecitque filios adoptionis, qui tenebantur vinculis iuſtæ damnationis; per ipſum te petimus, ut tales in eius inveniamur iuſtiſſima examinatione, quales facti ſumus in lavacri ſalutaris feliciſſima regeneratione, ut eius incarnationis medicamine imbuti, ſacroſancti lavacri ablutione purgati (*recentiore manu:* vel loti) parſimoniæ devotione ornati, ad æterna gaudia perveniamus illæſi, per eundem Xpm Dnm. *El.* g g.

Ad Comm.

Sacramenta, quæ ſumpſimus, Dne Deus noſter, & ſpiritalibus nos repleant alimentis, & corporalibus tueantur auxiliis, per Dnm. *gg.*

Super

(1) Vide ſupra p. 54. (2) Rhenaug. *Hic facis ad aurium apertionem.*

Digitized by Google

Super populum.

Pateant aures miſericordiæ tuæ, Dne, precibus ſupplicantum, & ut petentibus deſiderata concedas, fac eos, quæ tibi ſunt placita, poſtulare, per Dnm. *g. gg.*

Alia Gregoriana ſeu Ambroſiana.

Deus, qui & iuſtis p. m. & p. per ieiunium veniam præbes, miſerere ſupplicibus tuis, ut reatus. *Cætera ſequentia per omnia ſunt ſimilia. g g.*

Feria V. Ad S. SILVESTRUM. Gel.

Præſta, quæſumus Dne, ut ſalutaribus ieiuniis eruditi, a noxiis etiam vitiis abſtinentes, propitiationem tuam facilius impetremus, per Dnm. *g. Fer. VI. El.*

Alia.

Tua nos Dne, protectione defende, & ab omni ſemper iniquitate cuſtodi, per Dnm. *Secreta.*

Efficiatur hæc hoſtia, Dne quæſumus, ſolemnibus grata ieiuniis, & ut tibi acceptior fiat, purificatis mentibus immoletur, per Dnm. *g. Dominica II. fer. II. El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! cuius bonitas hominem condidit, iuſtitia damnavit, miſericordia redemit; te humiliter exoramus, ut ſicut per illicitos appetitus a beata regione decidimus, ſic ad æternæ beatitudinis patriam per abſtinentiam redeamus; ſicque moderetur tua miſeratione noſtra fragilitas, ut & tranſitoriis ſubſidiis noſtra ſuſtentetur mortalitas, & per bonorum operum incrementa beata acquiratur immortalitas, per Xpm Dnm. *El. gg.*

Ad Comm.

Sancta tua nos, Dne quæſumus, & vivificando renovent, & renovando vivificent, per Dnm. *l. g. Fer. VI.*

Super populum.

Populi tui Deus, inſtitutor & rector, peccata, quibus impugnatur, expelle, ut ſemper tibi placatus, & tuo munimine ſit ſecurus, per D. n. I. X f. t. *l. gg.*

Feria VI.

Ad S. EUSEBIUM. Gel. (1)

Præſta quæſumus, omnipotens Deus, ut quos votiva ieiun. Req. ſupra in IIII.ta feria.

Secreta.

Purifica nos, miſericors Deus. Req. ſupra in III. feria.

Ad Comm.

Cæleſtia dona capientibus. Req. ſupra in eadem feria.

Super populum.

Populi tui, Deus inſtitutor. Ut ſupra.

Alia Miſſa Ambroſiana.

Deus, qui ineffabilibus mundum renovas ſacramentis! præſta quæſumus, ut eccleſia tua æternis proficiat inſtitutis, & temporalibus non deſtituatur auxiliis, per. *g g Reliqua omnia ut ſupra.*

Item Feria VI.

Ad S. EUSEBIUM. Gel.

Deus, qui ineffabilibus mundum renovas. *Ut ſupra.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus! qui ſic hominem condidiſti, ut meliorem temporalibus beneficiis competenter inſtructum, ad cœleſtia dona proveheres! præſta quæſumus, ut ſicut per illicitos appetitus de indulgentiæ beatitudinis regione decidimus, ſic per alimoniam tuo munere diſtributam, & tranſitoria ſuſtentetur humanitas, & amiſſa recuperetur æternitas, per Dnm. *Secreta.*

Hæc ſacrificia nos, omnipotens Deus, potenti virtute mundatos ad ſuum faciant puriores venire principium, per. *g.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm! qui eſt dies æternus, & lux indeficiens, claritas ſempiterna; qui ita ſequaces ſuos in luce præcepit ambulare, ut noctis æternæ valeant caliginem evadere, & ad lucis pa-

(1) *Fer. V. Gregoriana.*

patriam feliciter pervenire; qui per humilitatem aſſumptæ humanitatis Lazarum flevit, per divinitatis potentiam vitæ reddidit, genusque humanum quadrifida peccatorum mole obrutum, ad vitam reducit; per quem petimus ieiunii obſervatione a peccatorum noſtrorum nexibus ſolvi, æternæ vitæ felicitati reddi, & Sanctorum cœtibus connumerari, per quem maieſtatem. *El.* *gg*.

Ad Comm.

Hæc nos, quæſumus Dne, participatio ſacramenti & propriis reatibus indeſinenter expediat, & ab omnibus tueatur adverſis, per Dnm. *gg*.

Super populum.

Adeſto Dne populis, qui ſacra myſteria contigerunt, ut nullis periculis affligantur, qui te protectore confidunt, per. *l. g*.

Alia Miſſa Gregoriana. *El.*

Deus, qui ineffabilibus mundum renovas. Ut ſupra.

Secreta.

Munera nos, Dne quæſumus, oblata purificent, & te nobis iugiter faciant eſſe placatum, per. gg.

Ad Comm.

Hæc nos, quæſumus Dne, participatio ſacramenti. Ut ſupra.

Super populum.

Da quæſumus, omnipotens Deus, ut qui infirmitatis noſtræ conſcii, de tua virtute confidimus, ſub tua ſemper pietate gaudeamus, per. gg.

Sabbato ad S. LAURENTIUM for. mur. Gelaſ.

Deus, omnium miſericordiarum ac totius bonitatis auctor! qui peccatorum remedia ieiuniis, orationibus, & elemoſynis demonſtraſti! reſpice propitius in hanc humilitatis noſtræ confeſſionem, ut qui inclinamur inconſtantia noſtra, tua ſemper miſericordia erigamur, per Dnm. *g*. *Alia.*

Tua nos, Dne quæſumus, gratia & ſanctis exerceat veneranda ieiuniis, & cœleſtibus myſteriis efficiat aptiores, per. *g*.

Secreta.

Oblationibus, quæſumus Dne, placare ſuſceptis, & ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates, per. *gg*.

Præfatio.

VD. æterne Deus! miſericordiæ dator, & totius bonitatis auctor, qui ieiuniis, ac orationibus, & elemoſynis peccatorum remedia, & virtutum omnium tribuis incrementa; te humili devotione precamur, ut qui ad hæc agenda ſaluberrimam dediſti doctrinam, ad complendum indefeſſam tribuas efficaciam, ut obedienter tua exequentes præcepta, feliciter tua capiamus promiſſa, per Xpm Dm. *El. gg*.

Ad Comm.

Tua nos, quæſumus Dne, Sancta purificent, & operatione ſua perficiant eſſe placatos (f. pacatos) per. *l. gg*.

Super populum.

Plebem tuam, Dne quæſumus, interius exteriusque reſtaura, ut quam corporeis non vis delectationibus impediri, ſpiritali facias vigere propoſito, & ſic rebus foveas tranſitoriis, ut tribuas potius inhærere perpetuis, per Dnm. *l. g*.

Alia Miſſa Gregoriana.

Fiat, Dne quæſumus, per gratiam tuam fructuoſus noſtræ devotionis affectus, quia tunc nobis proderunt ſuſcepta ieiunia, ſi tuæ ſint placita pietati, per. gg.

Secreta.

Oblationibus, quæſumus Dne, placare. Ut ſupra. Ad Comm.

Tua nos, quæſumus Dne, ſancta purificent. Ut ſupra.

Super populum.

Deus, qui ſperantibus in te miſereri potius

Digitized by Google

tius eligis, quam iraſci, da nobis digne flere mala, quæ fecimus, ut tuæ conſolationis gratiam invenire mereamur, per. gg. Similiter in Ambroſiano.

Dom. de Paſſione Dni.

Ad S. PETRUM. Gelaſ. (1)

Quæſumus omnipotens Deus, familiam tuam propitius reſpice, ut te largiente regatur in corpore, & te ſervante cuſtodiatur in mente, per. *El. g g.*

Alia.

Deus, qui ſperantibus in te miſereri potius. *Ut ſupra.*

Secreta.

Munera nos, Dne quæſumus, oblata. *Req. ſupra in VI. feria.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! maieſtatem tuam propenſius implorantes, ut quanto magis dies ſalutiferæ feſtivitatis accedit, tanto devotius ad eius digne celebrandum proficiamus paſchale myſterium, per X. D. n. *El. g g.* *Ad Comm.*

Sacramenti tui, quæſumus Dne, participatio ſalutaris, & purificationem nobis tribuat & medelam, per. *gg. fer. II. ad Compl.* *Super populum.*

Da nobis, quæſumus Dne, perſeverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus noſtris & merito & numero populus tibi ſerviens augeatur, per. *El. gg. fer. III. ſuper pop.*

Alia Gregoriana.

Quæſumus, omnipotens Deus, familiam tuam. Ut ſupra.

Secreta.

Hæc munera. Dne quæſumus. & vincula noſtra pravitatis abſolvant, & tua nobis miſericordiæ dona concilient, per Dnm. gg. Ad Comm.

Adeſto nobis, Dne Deus noſter, & quos tuis myſteriis recreaſti, perpetuis defende præſidiis, per. l. gg.

Item alia Miſſa Ambroſiana.

Da cordibus eccleſiæ tuæ, Dne quæſumus, deſideria terrenæ conditionis abſcidere, & cœleſtis vitæ ſpiritum ſentibus eius largus infunde, nec prævaleat auctor ille, qui perdidit, ſed vincat potius qui redemit, ut a vetuſtatis lege mundata proficiat, & ad æternam perveniat tuo munere novitatem, per eundem Dnm. In unitate eiusdem Spiritus ſancti.

Alia.

Deus, qui licet ſalutem hominum ſemper opereris, nunc tamen populum tuum gratia abundantiore lætificas; reſpice propitius ad electionem tuam, ut paternæ protectionis auxilium & regenerandos muniat, & renatos, per Dnm.

Secreta.

Dicatæ, Dne quæſumus, capiamus oblationis effectum, ut terrenæ vetuſtatis converſatione mundati, cœleſtis vitæ profectibus innoventur, per Dnm. *l.* *Præfatio.*

VD. Per Xpm Dnm nrm. qui eminenti gloria maieſtatis plurima in terris mirabilia peregit, inter quæ ſummæ pietatis virtute quatriduanum Lazarum a nexu funeris liberavit; iam enim teterrimo ſqualore ſubactus, in atra telluris humatus voragine vinctus inſtitis quieſcebat; cuius mortem prius per ſoporis requiem, poſtmodum aperta voce Dominus diſcipulis reſeravit; quem & amicum pia dignatione commemorans ad clauſtrum ipſius ſpelei properavit, ibique Iudæorum turbis aſtantibus, lacrimoſis oculis infremuit, ac ploravit. O quale exhibitionis miraculum, ut cœlorum conditor flere ante ſervi tumulum dignaretur! O quam magnum & ſalutare myſterium, quod per reſurrectionem Lazari figuraliter deſignatur! Ille tabo corporis diſſolutus per ſuperni regis imperium continuo ſurrexit ad vitam; nos quidem primi hominis facinore conſepultos divina Xpi gratia ex inferis liberavit, & redivivos gaudiis reddidit ſempiternis, quem laudant angeli.

Ad Comm.

Satiati munere ſalutari, tuam Dne miſericordiam deprecamur, ut hoc eodem ſacramento, quo nos temporaliter vegetas, efficias perpetuæ vitæ participes, per. *l* *Fer.*

---

(1) Gel. vulg. *quinta Dominica, quæ pro ſcrutinio celebratur.*

Fer. II.

Ad Scm CHRISOGONUM. Gel.

Sanctifica, quæſumus Dne, noſtra ieiunia, & cunctarum nobis propitius indulgentiam largire culparum, per. *gg.*

Alia.

Adeſto ſupplicationibus noſtris, omnipotens Deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Concede nobis, Dne quæſumus, ut hæc hoſtia ſalutaris & noſtrorum fiat purgatio delictorum, & tuæ propitiatio maieſtatis, per Dnm nrm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! te ſuppliciter exorantes, ut ſic noſtra ſanctificentur ieiunia, quo cunctorum nobis peccatorum proveniat indulgentia; quatenus appropinquante unigeniti filii tui paſſione, bonorum operum tibi placere valeamus exhibitione, per quem maieſtatem. *El. gg.*

Ad Comm.

Adeſto nobis, Dne Deus noſter, & quos tuis. *Req. retro in 4.ta pagina.*

Super populum.

Benedictio, Dne quæſumus, in tuos fideles copioſa deſcendat, & quam ſubiectis cordibus expetunt, largiter conſequantur, per. *g. El.*

Alia Gregoriana.

Sanctifica, quæſumus Dne, noſtra ieiunia. Ut ſupra.

Secreta.

Concede nobis, Dne Deus. Ut ſupra.

Ad Comm.

Sacramenti tui, quæſumus Dne. Req. retro in 4.ta pag.

Super populum.

Da, quæſumus Dne, populo tuo ſalutem mentis & corporis, ut bonis operibus inhærendo, tua ſemper mereatur protectione defendi, per. gg.

Item unde ſupra Miſſa Ambroſiana.

Quæſumus, omnipotens Deus, familiam tuam. ***Req. ſupra in Dom. in Gelaſ.***

Alia.

Da nobis, quæſumus omnipotens Deus, ut qui infirmitatis noſtræ conſcii. *Req. retro feria VI.*

Secreta.

Accepta tibi ſit, quæſumus Dne, noſtræ devotionis oblatio, quæ & ieiunium noſtrum te operante ſanctificet, & indulgentiam nobis tuæ conſolationis obtineat, per. *g. Dom. I. Quadr.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! maieſtatem tuam propenſius. *Req. ſupra in Dom.*

Ad Comm.

Sacramenti tui, quæſumus Dne. *Ut ſupra.*

Feria III.

Ad Scm CYRIACUM. Gel.

Noſtra tibi, quæſumus Dne, ſint accepta ieiunia, quæ nos & expiando gratiæ tuæ dignos efficiant, & ad remedia perducant æterna, per Dnm. *gg.*

Alia.

Afflictionem familiæ tuæ, quæſumus Dne, intende placatus, ut indulta venia peccatorum, de tuis ſemper beneficiis gloriemur, per Dnm. *gg. p.* 247.

Secreta.

Hoſtias tibi Dne deferimus immolandas, quæ temporalem conſolationem ſignificent, ut promiſſa non deſperemus æterna, per Dnm. *l. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et tibi devotis mentibus ſupplicare, ut nos interius, exteriusque reſtaures & parſimonia ſalutari a peccatorum ſordibus expurges, & quos illecebroſis delectationibus non vis impediri, ſpiritalium virtutum facias vigore muniri, & ſic bonis tranſitoriis foveas, ut perpetuis inhærere concedas, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Da, quæſumus omnipotens Deus, ut

quæ

quæ divina ſunt, iugiter exſequentes, donis mereamur cœleſtibus propinquare, per Dnm nrm. *gg.*

Super populum.

Libera Dne, quæſumus, a peccatis & hoſtibus tibi populum ſupplicantem, ut in ſancta converſatione viventes, nullis afficiantur adverſis, per Dnm. *l. g. El.*

Alia Gregoriana.

Noſtra tibi, quæſumus Dne, ſint accepta ieiunia. Ut ſupra.

Secreta.

Hoſtias tibi Dne deferimus. Ut ſupra.

Ad Comm.

Da quæſumus, omnipotens Deus, ut quæ divina ſunt. Ut ſupra.

Super populum.

Da nobis, Dne quæſumus, perſeverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus noſtris & merito & numero populus tibi ſerviens augeatur, per. gg.

Item alia Ambroſiana.

Noſtra tibi, quæſumus Dne, ſint accepta. *Ut ſupra.*

Alia.

Afflictionem familiæ. *Ut ſupra.*

Secreta.

Hoſtias tibi Dne deferimus. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui nos de donis bonorum temporalium ad perceptionem provehis æternorum; hæc enim tribuis, & illa promittis, ut & manſuris iam incipiamus inſeri, & prætereuntibus non teneri; tuum eſt enim omne quod vivimus, quia licet peccati vulnere natura noſtra ſit vitiata, tui tamen eſt operis, ut a terrenis ad cœleſtia renaſcamur, per Xpm Dnm.

Ad Comm.

Da quæſumus, omnipotens Deus, ut quæ divina. *Ut ſupra.*

Feria IIII.

Ad S. MARCELLUM. Gel.

Sanctificato hoc ieiunio, Deus, tuorum corda fidelium miſerator illuſtra, & quibus devotionis præſtas affectum, præbe ſupplicantibus pium benignus auditum, per. *l. gg.*

Alia.

Ieiunia, quæſumus Dne, quæ ſacris exſequimur inſtitutis, & nos a reatibus noſtris ſemper expediant, & tuam nobis iuſtitiam faciant eſſe placatam, per. *g.*

Secreta.

Annue, miſericors Deus, ut hoſtias placationis & laudis ſincero tibi deferamus obſequio, per. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et te ſupplici devotione exorare, ut per ieiunia, quæ ſacris inſtitutis exſequimur, a cunctis reatibus emundari mereamur, tuamque percipere valeamus propitiationem, qui præparemur ad celebrandam unigeniti filii tui paſſionem; per quem maieſt. *El. gg.*

Ad Comm.

Cœleſtis doni benedictione percepta, ſupplices te, Deus omnipotens, deprecamur, ut hoc idem nobis & ſacramenti cauſa ſit, & ſalutis, per Dnm. *l. gg.*

Super populum.

Exaudi, quæſumus Dne, gemitum populi ſupplicantis, ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non iudicium, ſed miſericordiam conſequi mereamur, per. *El. gg.* p. 246. Alia Gregoriana.

Sanctificato hoc ieiunio Deus. Ut ſupra.

Secreta.

Annue, miſericors Deus! ut hoſtias placationis & laudis ſincero tibi deferamus obſequio, per. gg.

Ad Comm.

Cœleſtis doni benedictione. Ut ſupra.

Super populum.

Adeſto ſupplicationibus noſtris. Req. in quinta pagina.

Item alia Ambroſiana.

Exaudi, quæſumus Dne, gemitum. *Ut ſupra.*

Alia.

Sanctificato hoc ieiunio Deus. *Ut ſupra.*

Secreta.

Annue, miſericors Deus! ut hoſtias. *Ut ſupra.*

Præfatio

VD. æterne Deus! Per hæc ſacroſancta myſteria, quæ in noſtro ieiunio iubente te ſolemniter celebramus; tribue quæſumus propitiatus, ut uberior tuæ pietatis gratia redundet in nobis, ut ſicut ſperamus, animabus ſimul & corporibus tribuas æternæ vitæ ſalutem, per Xpm.

Ad Comm.

Cœleſtis doni benedictione. *Ut ſupra.*

Feria V.

Ad Scm APOLLINAREM. Gel.

Tribue nobis, quæſumus Dne, indulgentiam peccatorum, ut inſtituta paſchalia tibi placitis ſenſibus operemur, per. *g. Fer. VI. El.*

Alia.

Concede, miſericors Deus, ut ſicut nos tribuis ſolemne tibi deferre ieiunium, ſic nobis indulgentiæ tuæ præbe benignus auxilium, per. *El.*

Secreta.

Concede nobis, Dne quæſumus, ut celebraturi ſancta myſteria, non ſolum abſtinentiam corporalem, ſed, quod eſt potius, habeamus mentium puritatem, per. *l. El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui nos ſic tribuis ſolemne tibi deferre ieiunium, ut indulgentiæ tuæ ſperemus nos percipere ſubſidium; ſic nos inſtituis ad celebranda paſchalia feſta, ut per hæc acquiramus gaudia ſempiterna, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Vegetet nos, Dne, ſemper & innovet tuæ menſæ libatio, quæ fragilitatem noſtram gubernet & protegat, & in portum perpetuæ ſalutis inducat, per Dnm. *l. El. g. hebd. V. fer. III.*

Super populum.

Succurre, quæſumus Dne, populo ſupplicanti, & opem tuam tribue benignus infirmis, ut ſincera tibi mente devoti, & præſentis vitæ remediis gaudeant, & futuræ, per. *l gg.*

Alia Gregoriana.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut dignitas conditionis humanæ, per immoderatam ſaturitatem vitiata, medicinalis parſimoniæ ſtudio reformetur, per. l. gg.

Secreta.

Dne Deus noſter, qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis noſtræ ſubſidium condidiſti, tuoque nomini munera iuſſiſti dicanda conſtitui! tribue quæſumus, ut & vitæ nobis præſentis auxilium, & æternitatis efficiant ſacramentum, per Dnm. l. gg. Ad Comm.

Quod ore ſumpſimus, Dne, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum, per. l. gg.

Super populum.

Eſto, quæſumus Dne, propitius plebi tuæ, ut quæ tibi non placent reſpuentes, tuorum potius repleantur delectationibus mandatorum, per. gg.

Item alia Ambroſiana.

Ieiunia, quæſumus Dne, quæ. *Req. in IV. pag.*

Alia.

Eſto, quæſumus Dne, propitius. *Ut ſupra.*

Secreta.

Supplices te Dne deprecamur, ut per hæc dona ſacrificii ſingularis, & ablutio peccatorum, & tua nobis ſanctificatio præbeatur, per Dnm. *l.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui ideo conditionis humanæ propenſius precibus exoraris, ut ſicut tu corripis filios ad paternam reverentiam tardiores, ita nos ſolita pietate prævenias, ut & ſupplices tuos fieri tribuas, & ſupplicantibus optata concedas, per Xpm. *Ad Comm.*

Adeſto nobis, Dne Deus noſter, ut quos tuis myſteriis recreaſti, perpetuis defendas præſidiis, per *L.*

Feria VI. Ad S. STEPHANUM. Gel.

Cor-

Digitized by Google

Cordibus noſtris, Dne, benignus infunde, ut peccata noſtra caſtigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur, quam ſuppliciis deputemur æternis, per Dnm nrm. *El. gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus! clementiam tuam ſuppliciter exoramus, ut qui mala noſtra ſemper prævenis miſerando, facias tibi placitos, & piis actionibus & ieiuniis ſalubribus expiando, per Dnm nrm. *g.* *Secreta.*

Sanctifica nos, quæſumus Dne, his muneribus offerendis, & paſchalis obſervantiæ ſufficientem nobis tribue facultatem, per Dnm nrm. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! cuius nos miſericordia prævenit, ut bene agamus, accendit intentionem, qua ad bona opera inardeſcamus, tribuit efficaciam, qua hæc ad perfectum perducere valeamus. Tuam ergo clementiam indefeſſis vocibus obſecramus, ut nos ieiunii victimis a peccatis mundatos, ad celebrandam unigeniti filii tui Dni nri paſſionem facias eſſe devotos, per quem maieſtatem. *El. gg.*

Ad Comm.

Sumpti ſacrificii, Dne, perpetua nos tuitio non relinquat,& noxia ſemper a nobis cuncta depellat, per. *l. gg.*

Super populum.

Protege, Dne, populum tuum, & in Sanctorum tuorum patrocinio confidentem, perpetua defenſione guberna, per. *g. El.* Alia Miſſa Gregoriana.

Cordibus noſtris, Dne, benignus. Ut ſupra. Secreta.

Præſta nobis, miſericors Deus, ut digne tuis ſervire ſemper altaribus mereamur, & eorum perpetua participatione ſalvari, per. gg. Ad Comm.

Sumpti ſacrificii, Dne, perpetua. Ut ſupra.

Super populum.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui protectionis tuæ gratiam quærimus, liberati a malis omnibus ſecura tibi mente ſerviamus, per. gg.

Sabb. vacat. Elymoſyna datur. G.

Da nobis obſervantiam, Dne, legitimam, devotionem perfectam, ut cum refrenatione carnalis alimoniæ, ſancta tibi converſatione placeamus, per. *g.*

Alia.

Deus, qui iuſte iraſceris, & clementer ignoſcis, afflicti populi lacrimas reſpice, & iram tuæ indignationis, quam iuſte meremur, propitiatus averte, per. *gg.*

Secreta.

Præſta quæſumus, omnipotens Deus, ut ieiuniorum placatus ſacrificiis, remiſſionis tuæ nos venia proſequaris, per. *El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Cuius nos fides excitat, ſpes erigit, caritas iungit, cuius miſeratio gratuita purificat, quos conſcientiæ reatus accuſat: te igitur interno rugitu deprecamur, ut carnalis alimoniæ refrenatione caſtigati, ad celebrandum paſchale myſterium inveniamur idonei, per Xpm Dnm nrm, per quem maieſtatem. *El. gg.*

Ad Comm.

Adeſto, Dne, fidelibus tuis, & quos cœleſtibus reficis ſacramentis, a terrenis conſerva periculis, per. *l. g. Fer. IV. El.*

Super populum.

Conſerva, quæſumus Dne, populum tuum, & ab omnibus, quas meretur, adverſitatibus redde ſecurum, ut tranquillitate percepta, devota tibi mente deſerviat, per. *gg.*

Alia Gregoriana.

Proficiat, quæſumus Dne, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu, ut ſacris actionibus

Digitized by Google

nibus erudita, quanto maieſtati tuæ ſit gratior, tanto donis potioribus augeatur, per. g. p. 606. gg.

Secreta.

Cunctis nos, quæſumus Dne, reatibus & periculis propitiatus abſolve, quos tanti myſterii tribuis eſſe conſortes, per. gg.

Ad Comm.

Divini muneris ſatiati largitate, quæſumus Dne Deus noſter, ut huius ſemper participatione vivamus, per. l. gg.

Super populum.

Tueatur, quæſumus Dne, dextera tua populum tuum deprecantem, & purificatum dignanter erudiat, ut conſolatione præſenti ad futura bona proficiat, per. l. gg.

Item alia Gelaſiana (Ambroſiana.)

Deus, qui humani generis ita es conditor, ut ſis etiam reformator! propitiare populis adoptivis, & novo teſtamento ſobolem novæ prolis aſcribe, ut filii promiſſionis, quod non potuerunt aſſequi per naturam, gaudeant ſe recepiſſe per gratiam, per.

Alia.

Da nobis obſervantiam, Dne. *Ut ſupra.*

Secreta..

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos ad æternam vitam in confeſſione tui nominis, baptiſmatis reparas ſacramento! ſuſcipe tuorum munera & vota famulorum, ut in te ſperantium & deſideria iubeas perfici, & peccata deleri, per Dnm.

Præfatio.

VD. æterne Deus! cuius nos miſericordia. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Adeſto Dne fidelibus tuis, & quos cœleſtibus reficis ſacramentis, ab æternis conſerva periculis, per. *l. g.*

Dom. In Ramis Olivarum ad Scm LAURENTIUM.

Miſſa Ambroſiana Or. ſuper Populum.

Da nobis, quæſumus Dne, tua digne tractare myſteria, ut miſerationibus tuis congruo reſpondeamus obſequio, & fiducialius impetranda poſcamus, per. *l.*

Secreta.

Efficiatur Dne hæc hoſtia ſolemnibus grata ieiuniis, & ut tibi fiat acceptior, purificatis eam mentibus immolemus, per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui filium tuum Dnm nrm Ihm Xpm in hunc mundum pro noſtra ſalute miſiſti, ut ſe humiliaret ad nos, & nos revocaret ad te; cui etiam dum Hieruſalem veniret adimplere ſcripturas, credentium turba fideliſſima devotione veſtimenta ſua cum ramis olivarum in via ſternebat; præſta quæſumus, ut & nos illi fidei viam præparemus, de qua remoto lapide offenſionis, & petra ſcandali, frondea opera, & iuſtitiæ ramos veſtigiis eius ſternamus, & uſque ad palmam victoriæ pertingere mereamur, per eundem Dnm.

Ad Comm.

Spiritum in nobis, Dne, tuæ caritatis infunde, ut quos uno cœleſti pane ſatiaſti, tua facias pietate concordes, per. *l.* in unit. eiusdem. gg. *ad compl. ſer. II. in alb. & in Sabb. S.*

Exorciſmus floris vel frondium.

Dom. Indulgentiæ, id eſt in Palmis.

Exorcizo te omnis creatura florum & frondium, in nomine Patris omnipotentis, & in nomine Ihu Xpi filii eius! omnis virtus adverſarii, omnis exercitus diaboli, omnis ſpiritus inimici, omnis incurſio dæmonum, eradicare & explantare ab hac creatura florum, ut ad Dei gratiam feſtinantes, veſtigia eorum non ſequaris, interdico tibi, per Dnm nrm Ihm Xpm, qui venturus eſt iudicare.

Bened. Olivarum cæterarumque frondium.

Deus, qui per olivæ ramum pacem terræ nuntiari iuſſiſti! præſta quæſumus, ut hos olivæ cæterarumque frondium ramos, tua cœleſti benedictione ſanctifices, ut cuncto populo proficiant ad ſalutem, per Dnm.

Alia.

Deus, qui filium tuum Dnm nrm Ihm Xpm pro ſalute noſtra in hunc mundum miſiſti. *Ut ſupra*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Dnm nrm Ihm Xpm, hodierna die pullum aſinæ ſedere feciſti, & turbas populorum veſtimenta vel ramos arborum in via ſternere, & oſanna decantare in laudem ipſius docuiſti! da quæſumus, ut illorum innocentiam imitari poſſimus, & eorum meritum conſequi mereamur, per.

Alia.

Deus, qui filium tuum unigenitum pro redemptione noſtra dignatus es dirigere, ut populum tuum ab initio in peccati profunda demerſum, a morte ad vitam revocares, & chirographo lethali deleto, ſanguine filii tui innovares gentibus regnum

Digitized by Google

gnum; Deus qui diſperſa congregas, & congregata conſervas, qui populis obviam Xpo ramos portantibus benedixiſti; benedic etiam hos ramos palmæ & olivæ, cæterarumque frondium, quos tui famuli ad nominis tui benedictionem fideliter ſuſcipiunt, ut in quocunque loco introducti fuerint, tuam benedictionem conſequantur, ut omni adverſa valetudine effugata, dextera tua protegat, quos redemit, per eundem.

Dnꝰ vobiſcum. ℟. Et.
Surſum corda. ℟. Hab.
Gratias agamus Dno Deo nro. ℟. G.

Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Dne ſcte Pater omnipotens æterne Deus, mundi conditor, omniumque creaturarum mirabilis diſpoſitor: Deꝰ qui inter ipſa mundi primordia, cum ex nihilo cuncta conderes, ligna quoque fructifera, & diverſo uſui congrua, terram producere iuſſiſti, ac poſt maledictum interdictæ arboris univerſa nobis per obedientiam Unigeniti tui in benedictionem convertiſti; benedic etiam hos multigenarum arborum ramos, inter quas hæc præcipue arbor olivæ pinguedine cuncta præcellit, per quam etiam cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur, diffuſo, columba ramum eiusdem deferens, pacem terris redditam nuntiavit; Nec non & innocens turba, Spiritu ſancto afflata, Unigenito tuo Dno nro Ihu Xpo, pro totius mundi ſalute paſſuro obviam currens, palmarum & huius arboris ramos abſcidens, ac veſtigiis eius ſubſternens, iam quaſi triumphatorem de mortis principe oſtendebat; Te Dne ſuppliciter deprecamur, ut qui annua devotione eiusdem redemptoris nri ſacratiſſimam paſſionem prævenire nitimur, ipſo adiuvante, palmam victoriæ tenentes, atque oleo miſericordiæ intrinſecꝰ refulgentes, in eius ſancta reſurrectione præmium vitæ, & immortalitatis coronam percipere mereamur, per eundem.

Unde ſupra. Alia Benedictio ſuper olivas. Ambroſiana.

Benedic, Dne quæſumus, hos palmarum ſeu olivarum ramos, & præſta, ut quod populus tuus tua veneratione hodierna die corporaliter agit, hoc ſpiritaliter ſumma devotione perficiat, de hoſte victoriam reportando, & opus miſericordiæ ſummopere diligendo; humiliter etiam Dne deprecamur: ut prædictarum arborum germina ita ſanctificare digneris, ut & loca, ad quæ deportata fuerint, ſanctificata efficiantur, quo iniquitas omnis, ſeu illuſio dæmonum abſcedat, & tua nos ſemper dextera protegere digneris, per Dnm nrm.

Die Dom. ad Pal. ad S. IOHANNEM. Gel.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, ſalvatorem noſtrum carnem ſumere, & crucem ſubire feciſti! concede propitius, ut & patientiæ ipſius habere documenta, & reſurrectionis eius conſortia mereamur, per eundem. *g. gg.*

Alia.

Deus, quem diligere & amare iuſtitia eſt, ineffabilis gratiæ tuæ in nobis dona multiplica, ut qui feciſti nos morte filii tui ſperare quod credimus, facias nos eodem reſurgente pervenire quo tendimus, per eundem. *g.*

Secreta.

Ipſa maieſtati tuæ, Dne, fideles populos commendet oblatio, quæ per filium tuum reconciliavit inimicos, per eundem Dnm nrm Ihm Xpm. *g.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm. Per quem nobis indulgentia largitur, & pax per omne ſæculum prædicatur, traditur cunctis credentibus diſciplina, ut ſanctificatos nos poſſit dies ſanctus venturus excipere; & ideo. *El. gg.*

Ad Comm.

Præſta nobis, omnipotens Deus! ut quia vitiis ſubiacet noſtra mortalitas, tua nos & medicina purificet, & potentia tueatur, per Dnm nrm. *El.*

Super populum.

Purifica, quæſumus Dne. familiam tuam, & ab omnibus contagiis pravitatis emunda, ut redempta vaſa ſui Dni paſſione, non ſpiritus immundus rurſus inficiat, ſed ſalvatio

Digitized by Google

vatio ſempiterna poſſideat, per eundem. *l. g.* Alia Miſſa Gregoriana.

Ad S. IOHANNEM in Lateranis.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui humilitatis. Ut ſupra.

Secreta.

Concede, quaſumus Dne, ut oculis tua maieſtatis munus oblatum, & gratiam nobis devotionis obtineat, & effectum beata perennitatis acquirat, per Dnm. gg.

Ad Comm.

Per huius, Dne, operationem myſterii, & vitia noſtra purgentur, & iuſta deſideria compleantur, per Dnm. gg.

Item Miſſa Ambroſiana, poſtquam veniunt ad Eccleſiam.

Populum tuum, Dne quæſumus, ad te toto corde converte, quia quos defendis etiam delinquentes, maiori pietate tueris ſincera mente devotos, per Dnm. *Alia.*

Aſcendant ad te, Dne, ſupplicum preces, ut qui diu pro noſtris offenſionibus caſtigati ſumus, miſerationis tuæ veniam ſentiamus, per Dnm.

Secreta.

Ipſa maieſtati tuæ Dne. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm, quem ad hoc humanam formam aſſumere voluiſti, ut quicquid prophetales, ſeu ſanctæ clamavere ſcripturæ, Bethlehemitica rura, ſeu Hieroſolimam adveniens conſummaret; Dignum eſt, ut ſicut puerili voce turba præeunte laudatio inſonabat, ita omni amore repleti, Dno Xpo modulatis vocibus decantemus, ſternentes denique veſtimenta Xpo Dno in itinere occurramus. Aligeri nobiſcum ter ſanctum hymnum honorifice proclamemus dicentes: Sanctus, ſanctus, ſanctus. *Ad Comm.*

Sanctificent nos, Dne, ſumpta myſteria, & paſchalis obſervantiæ ſufficientem nobis tribuant facultatem, per Dnm.

Feria II. ad Scos NEREUM, & ACHILLEUM. Gel.

Da quæſumus omnipotens Deus, ut qui in tot adverſis ex noſtra infirmitate deficimus, intercedente unigeniti filii tui paſſione reſpiremus, per eundem. *gg.*

Alia.

Da, miſericors Deus, ut quod in tui filii paſſione mundus exercuit, ſalutare nobis fideliter ſentiamus, per eundem. *g. fer. III.*

Secreta.

Reſpice, Dne propitius, ſacra myſteria quæ gerimus, & quod ad noſtra evacuanda præiudicia miſericors prævidiſti, vitam nobis tribue fructificare perpetuam, per Dnm nrm. *g.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm; cuius nos humanitas colligit, humilitas erigit, traditio abſolvit, pœna redimit, crux ſalvificat, ſanguis emaculat, caro ſaginat. Per quem te ſumme Pater cum ieiuniorum obſequiis obſecramus, ut ad eius celebrandam paſſionem purificatis mentibus accedamus; per quem. *El. gg.*

Ad Comm.

Sacramentorum tuorum benedictione ſatiati, quæſumus Dne, ut per hæc ſemper mundemur a vitiis, per Dnm. *l.*

Super populum.

Tua nos miſericordia, Deus, & ab omni ſubreptione vetuſtatis expurget, & capaces ſanctæ novitatis efficiat, per Dnm.

Alia Miſſa Gregoriana.

Da quaſumus, omnipotens Deus, ut qui in tot adverſis. Ut ſupra.

Secreta.

Hæc ſacrificia nos, omnipotens Deus, potenti virtute mundatos, ad ſuum faciant puriores venire principium, per Dnm. gg.

Ad Comm.

Præbeant nobis, Dne, divinum tua ſancta fervorem, quo eorum pariter & actu delectemur & fructu, per Dnm. gg.

Super populum.

Adiuva nos, Deus ſalutaris noſter, &

ad

ad beneficia recolenda, quibus nos inſtaurare dignatus es, tribue venire gaudentes, per Dnm. gg.

Item alia Ambroſiana, ut ſupra in Gelaſiano, & in Gregoriano.

Da, quæſumus omnipotens Deus, ut qui in tot adve ſis. *Ut ſupra.*

Alia.

Adiuva nos, Deus ſalutaris noſter. *Ut ſupra.*

Secreta.

Hæc ſacrificia nos, omnipotens Deus. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Præbeant nobis Dne. *Ut ſupra.*

Præfatio ut ſupra.

Feria III. ad S. PRISCAM. Gel.

Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis ita dominicæ paſſionis ſacramenta peragere, ut indulgentiam percipere mereamur, per eundem. *gg.*

Alia.

Fac, omnipotens Deus, ut quæ veraciter facta recolimus, in noſtrum tranſire remedium gratulemur, per Dnm. *g.*

Secreta.

Grata tibi ſint, Dne, munera, quibus myſteria celebrantur noſtræ libertatis & vitæ, per Dnm.

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm. cuius ſalutiferæ paſſionis, & glorioſæ reſurrectionis dies appropinquare noſcuntur, in quibus & antiqui hoſtis ſuperbia triumphatur, & noſtræ redemptionis myſterium celebratur. Unde tuam in menſam poſcimus clementiam, ut ſicut in eo ſolo conſiſtit totius noſtræ ſalvationis ſumma, ita per eum tibi ſit ieiuniorum & actuum noſtrorum ſemper victima grata, per quem maieſtatem *El gg.*

Ad Comm.

Repleti, Dne, ſacri muneris gratia ſupplices exoramus, ut quæ guſtu corporeo dulci veneratione contigimus, dulciora mentibus ſentiamus, per Dnm. *g. El.*

Super populum.

Reminiſcere miſerationum tuarum, Dne, & famulos tuos æterna protectione ſanctifica, pro quibus Ih9 Xp9 filius tuus per ſuum cruorem nobis inſtituit paſchale myſterium, qui tecum vivit. *g. El. fer. II.*

Alia Gregoriana.

Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis. Ut ſupra. Secreta.

Sacrificia nos, quæſumus Dne, propenſius iſta reſtaurent, quæ medicinalibus ſunt inſtituta ieiuniis, per Dnm. gg.

Ad Comm.

Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, & vitia noſtra curentur, & remedia nobis ſempiterna proveniant, per Dnm. gg.

Super populum.

Tua nos miſericordia, Deus, & ab omni ſubreptione vetuſtatis expurget, & capaces ſanctæ novitatis efficiat, per. gg.

Item Alia Ambroſiana. Ut ſupra.

Omnipotens ſempiterne Deus, da nobis. *Ut ſupra.*

Alia

Tua nos miſericordia, Deus, & ab omni. *Ut ſupra.*

Secreta.

Grata tibi ſint, Dne, munera. *Ut ſupra.*

Præfatio ut ſupra.

Ad Comm.

Repleti, Dne, ſacri muneris gratia. *Ut ſupra.*

Fer. IIII.

Ad S. MARIAM. Gel. (1)

Præſta quæſumus, omnipotens Deus, ut qui noſtris exceſſibus inceſſanter affligimur, per unigeniti tui paſſionem liberemur, per eundem Dnm nrm. *gg.*

Alia.

Deus, qui pro nobis filium tuum crucis patibulum ſubire voluiſti, ut inimici a

(1) In S. ELIGIANO ad hanc feriam præmittuntur orationes, Feria VI. in Paraſceve dici ſolitæ. Vid. diſquiſit. IX. in vet. Lit. *Alem.* p. 853. 854.

Digitized by Google

a nobis expelleres poteſtatem, concede nobis famulis tuis, ut reſurrectionis gratiam conſequamur, per eundem. *gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Xpi tui beata paſſione nos reparas, conſerva in nobis opera miſericordiæ tuæ, ut in huius celebritate myſterii perpetua devotione vivamus, per eundem Dnm nrm. *g.*

Alia.

Præſta quæſumus, omnipotens & miſericors Deus, ut ſicut in condemnatione filii tui ſalus omnium fuit piaculum perfidorum, ita per miſericordiam tuam communis ſit cultus iſte credentium, per eundem Dnm. *g.*

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, munus oblatum, & dignanter operare, ut quod paſſionis myſterio gerimus, piis affectibus conſequamur, per Dnm. *g. El.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm; qui innocens pro impiis voluit pati, & pro ſceleratis indebite condemnari, cuius mors delicta noſtra deterſit, & reſurrectio iuſtificationem nobis exhibuit. Per quem pietatem tuam ſupplices exoramus, ut ſic hodie acceptes confeſſionem peccaminum noſtrorum, quatenus die craſtina ſpiritalium tribuas incrementa donorum; hodie ieiuniorum noſtrorum vota ſuſcipiens, ſic a peccatis emundes, ut cras ad ſacratiſſimæ nos cœnæ convivium introducas, per eundem Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Largire ſenſibus noſtris, omnipotens Deus, ut per temporalem filii tui mortem, quam myſteria veneranda teſtantur, vitam nobis dediſſe perpetuam confidamus, per eundem. *El. gg.*

Super populum.

Reſpice, Dne quæſumus, ſuper hanc familiam tuam, pro qua Dominus noſter Ih9 Xp9 non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum, qui tecum. *El. gg.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui noſtris. Ut ſupra.

Alia.

Deus, qui pro nobis filium. Ut ſupra.

Secreta.

Purifica nos, miſericors Deus, ut eccleſiæ tuæ preces, quæ tibi gratæ ſunt, pia munera deferentes, fiant expiatis mentibus gratiores, per Dnm. I. gg. fer. IV. ante Dom. Paſſ.

Ad Comm.

Largire ſenſibus noſtris. Ut ſupra.

Super populum.

Reſpice Dne quæſumus ſuper. Ut ſupra.

In Ambroſiano ſicut & in Gelaſiano.

Benedictio Incenſi.

Deus omnipotens, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob, immitte in hanc creaturam incenſi vim odoris tui, ut ſit ſervulis tuis vel ancillulis tuis, munimentum tutelaque defenſionis, ne intret hoſtis in viſcera eorum, aditumque & ſedem habere non poſſit, per Dnm nrm Ihm Xpm, qui tecum & cum Spiritu ſancto vivit & regnat per cuncta ſæcula ſæculorum, Amen.

Feria V. Cœnæ Dni. (1)

Egreditur pœnitens de loco, ubi pœnitentiam egit, & in gremio præſentatur Eccleſiæ, proſtrato omni corpore in terra.

Oratio ad Miſſam.

Omnipotens ſempiterne Deus, da quæſumus univerſis famulis tuis plenius atque perfectius omnia feſti paſchalis introire myſteria, ut incunctanter pia corda cognoſcant, quantum debeant de confirmata in Xpo renaſcentium glorificatione gaudere, per eundem. *g.*

Alia.

(1) Vid. VEZZOS. T. VI. ad *Gelaſ.* vulg. p. 52. n. 4. Quæ ſequuntur in ſolo antiquiore *San-Gallenſi* habentur, ordine paullulum a *Gelaſ.* inverſo.

Digitized by Google

Alia.

Concede credentibus, miſericors Deus, ſalvum de Chriſti paſſione remedium, ut humanæ fragilitatis & præteritæ culpæ laqueis æterno ſuffragio abſolvantur, per eundem. *g* *Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui vitam humani generis, pro nobis filio tuo moriente, ſalvaſti, præſta quæſumus, ut in hac populi tui devotione fructus proveniat gaudiorum, per eundem. *g.*

Et antequam offerat, poſtulat Diaconus his verbis:

Adeſt, o venerabilis pontifex, tempus acceptum, dies propitiationis divinæ, & ſalutis humanæ, qua mors interitum, & vita accepit æterna principium, quando in vinea Dni Sabaoth, ſic novorum plantatio facienda eſt, ut purgetur execratio vetuſtatis. Quamvis enim a divitiis bonitatis & pietatis Dei nihil temporis vacet, nunc tamen & largior eſt per indulgentiam remiſſio peccatorum, & copioſior per gratiam aſſumptio renaſcentium. Augemur regenerandis, creſcimus reverſis. Lavant aquæ, lavant lacrimæ. Inde gaudium *de aſſumptione* vocatorum; hinc lætitia de abſolutione pœnitentium; inde eſt, quod ſupplex tuus, poſtea quam in varias formas criminum, neglectu mandatorum cœleſtium, & morum probabilium transgreſſione cecidit, humiliatus atque proſtratus, prophetica ad Deum voce clamat dicens: Peccavi, impie egi, iniquitatem feci, miſerere mei Dne. Evangelicam vocem non fruſtratoria aure capiens, beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur; manducavit, ſicut ſcriptum eſt, panem doloris, lacrimis ſtratum rigavit, cor ſuum luctu, corpus afflixit ieiuniis, ut animæ ſuæ reciperet, quam perdiderat, ſanitatem; unicum itaque eſt pœnitentiæ ſuffragium, quod & ſingulis prodeſt, & omnibus in commune ſuccurrit; Hic ergo, dum ad pœnitudinis actionem tantis excitatur exemplis, ſub conſpectu ingemiſcentis eccleſiæ, venerabilis pontifex, proſtratur & dicit: Iniquitates meas ego cognoſco, & delictum meum contra me eſt ſemper. Averte faciem tuam a peccatis meis Dne, & omnes iniquitates meas dele. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me; quo ita ſupplicante & miſericordiam Dei afflicto corde poſcente, redintegra in eo, apoſtolice pontifex, quicquid diabolo ſuadente corruptum eſt, & orationum tuarum patrocinantibus meritis, per divinæ reconciliationis gratiam, fac hominem proximum Deo. Ut qui antea in ſuis perverſitatibus diſplicebat, nunc iam placere ſe Dno in regione vivorum devicto mortis ſuæ auctore gratuletur.

Poſt hæc admonetur ab Epo, ſive ab alio ſacerdote, ut quod pœnitendo diluit, iterando non revocet. Inde vero has dicit orationes ſacerdos ſuper eum:

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & me, qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudiens, quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti operis huius miniſtrum! da fiduciam tui muneris exſequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt operare, per Dnm. *g.*

Alia.

Præſta quæſumus, Dne, huic famulo tuo

dignum pœnitentiæ fructum, ut eccleſiæ tuæ ſanctæ, a cuius integritate deviaverat peccando, admiſſorum veniam conſequendo reddatur innoxius, per Dnm. *g.*

Alia.

Deus humani generis benigniſſime conditor, & miſericordiſſime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate beata deiectum, unici filii tui ſanguine redemiſti, vivifica eos, quos tibi nullatenus mori deſideras, & qui non dereliquiſti devios, aſſume correctos; moveant pietatem tuam, quæſumus Dne, horum famulorum tuorum lacrimoſa ſuſpiria, tu eorum medere vulneribus, tu iacentibus manum porrige ſalutarem, nec eccleſia tua aliqua ſui corporis portione vaſtetur: nec grex tuus detrimentum ſuſtineat, nec de familiæ tuæ damno inimicus exultet, nec renatum lavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat; tibi ergo, Dne, ſuppliciter preces proſternimus, tibi fletum cordis effundimus, tu parce confitentibus, ut imminentes pœnas, ſententiamque futuri iudicii, te miſerante non incidant: neſciant quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis; atque ab erroris via ad iter reverſi iuſtitiæ, nequaquam ultra vulneribus ſaucientur, ſed integrum ſit eis atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit, per eundem. *g.*

Item ad reconciliandum.

Omnipotens ſempiterne Deus, confitentibus tibi his famulis tuis pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus eis noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam, per.

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus, qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti, ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis, ut quos delictorum catena conſtringit, magnitudo tuæ pietatis abſolvat, per Dnm. *g.*

Alia. (1)

Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, reſpice propitius ſuper hos famulos tuos, qui ab infeſta ſæculi tempeſtate emerſi, flebili lamentatione ſuos accuſant exceſſus, ut fletus ac gemitus eorum pie ſuſcipias, eoſque de tenebris ad lumen revoces, & medelam confitentibus, ſalutem pœnitentibus, & vulneratis auxilium ſanitatis indulgeas; nec ultra inimicus in eorum habeat animam poteſtatem, eorumque confeſſionem libenter admittens, eccleſiæ tuæ purificatos reſtitue, ac tuo altario repræſenta, ut ad ſacramentum reconciliationis admiſſi, una nobiſcum ſancto nomini tuo gratias agere mereantur, per Dnm. *g.*

Alia.

Deus miſericors, Deus clemens, qui multitudine indulgentiarum nulla temporum lege concluderis, ſed pulſantibus miſericordiæ tuæ ianuam aperis, pœnitentes etiam ſub ipſo vitæ huius termino non repellis! reſpice propitius ſuper hos famulos tuos, remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentes; renova in eis piiſſime Pater, quod actione, quod verbo, quod ipſa denique cogitatione diabolica fraude vitiatum eſt, & unitati corporis eccleſiæ membra tuæ redemptionis adnecte; miſerere gemituum, miſerere lacrimarum, & non habentem fiduciam, niſi in miſericordia tua, ad ſacramentum reconciliationis admitte, per Dnm. *g.*

Alia.

(1) Apud *Gelaſ.* vulg. additur alia oratio p. 55. *Deus qui confitentium &c.* Tum poſt orationem *Dne ſancte Pater &c.* Sequitur tit. Reconciliatio pœnitentis ad mortem *Deus miſericors &c.* Quæ vero hic ſequuntur in *Gel.* vulg. ſupra n. 15. p. 13. poſt officium Sexageſimæ.

Digitized by Google

Alia

Orat. & preces ſuper pœnitentem, & confitentem peccata ſua.

Exaudi, Dne, preces noſtras, & tibi confitentium parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat, per Dnm. *g. gg.*

Alia.

Præveniat hunc famulum tuum, quæſumus Dne, miſericordia tua, ut omnes iniquitates eius celeri indulgentia deleantur, per. *g. gg.*

Alia.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo clementiæ tuæ longinqua miſeratio, ſana vulnera, eiusque remitte peccata, ut nullis a te iniquitatibus ſeparatus tibi Dno ſemper valeat adhærere, per. *g. gg.*

Alia.

Dne Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris! reſpice, quæſumus, ad hunc famulum tuum, qui ſe tibi peccaſſe graviter confitetur. Tuum eſt ablutionem criminum dare, & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti, pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem; concede ergo, Dne, hoc, ut tibi pœnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus ſuis conferri ſibi a te ſempiterna gaudia gratuletur, per Dnm. *g. gg.*

Alia.

Precor, Dne, clementiam tuæ maieſtatis ac nominis! ut huic famulo tuo, peccata & facinora ſua confitenti, veniam dare, & præteritorum criminum debita relaxare digneris, qui humeris filii tui ovem perditam reduxiſti ad caulas; qui publicani precibus, vel confeſſione placatus es! tu etiam, Dne, & huic famulo tuo placare, tu eius precibus benignus aſſiſte, ut in confeſſione flebili permanens, clementiam tuam celeriter exoret, & ſanctis altaribus reſtitutus, ſpei rurſus æternæ, & cœleſti gloriæ reformetur, per eundem. *g.*

Alia.

Exaudi, quæſumus omnipotens Deus, preces noſtras, quas in conſpectu pietatis tuæ effundere præſumimus, ſuppliciter deprecantes, ut famulum tuum in tua miſericordia confidentem benedicas, & omnia eius peccata dimittas, tuaque eum protectione conſerves, ut poſſit tibi dignus fieri, & ad æternam beatitudinem valeat pervenire, per Dnm. *Alia.*

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & hanc famuli tui confeſſionem benignus aſſume, ut qui auxilium tuæ miſerationis implorat, & ſanctificationis gratiam percipiat, & quæ pie precamur, obtineat, per Dnm.

Alia.

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, maieſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo, longo ſqualore pœnitentiæ macerato, miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta, ad regalem menſam, unde eiectus fuerat, mereatur intrare, per Dnm.

Alia.

Maieſtatem tuam quæſumus Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui non mortem, ſed peccatorum vitam ſemper inquiris, reſpice flentes famulos tuos, attende proſtratos, eorumque planctum in gaudium tua miſeratione converte, per Dnm. *g.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere ſupplicibus famulis tuis, & da, quæſumus, ne plus eis, noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam, per Dnm. *g. p.* 551. *Vat.* *Alia.*

Famulos tuos, quæſumus omnipotens Deus, ab ira tua ad te confugientes paterna recipe pietate, ut qui tuæ maieſtatis flagella formidant, de tua mereantur venia gratulari, per Dnm.

Secreta: (1)

Virtutum cœleſtium Deus, de cuius gratiæ rore deſcendit, ut ad myſteria tua purgatis ſenſibus accedamus, præſta quæſumus, ut in eorum traditione ſolemniter celebranda tibi placitum deferamus obſequium, per Dnm. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui es iuſtorum gloria, & miſericordia peccatorum, pietatem tuam humili prece depoſcimus, ut famulos tuos ill. benignus reſpicias, & eis pietatis tuæ cuſtodiam impendas, ut ex toto corde, & ex tota mente tibi deſerviant, & ſub tua ſemper protectione conſiſtant, ut quando eis extrema dies advenerit, ſocietatem Sancto-

(1) In *Gelaſ.* vulg. p. 57. præmittitur hic una oratio *Deus confitentium &c.* quæ in noſtro hoc cod. ultima eſt *ſuper pœnitentem poſtquam communicavit.* Quæ etiam hic coniunguntur pro more miſſæ, *Gelaſiana*que ex vulgato *Gelaſ.* ſe produnt.

Digitized by Google

Sanctorum percipiant, cum quibus inenarrabilem gloriam ſine fine poſſideant, per Xpm Dnm.

Infra actionem.

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo traditus eſt Dnꝰ nr Ihꝰ Xpꝰ, ſed & memoriam venerantes. *g.*

Hanc igitur oblationem, Dne, cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerunt ob diem ieiunii cœnæ dominicæ, in qua Dnꝰ nr Ihꝰ Xpꝰ tradidit diſcipulis ſuis corporis & ſanguinis ſui myſteria celebranda, quæſumus Dne, placatus intende, ut per multa curricula annorum ſalva & incolomis munera ſua tibi Dno mereatur offerre. Dieſque noſtros. *g.*

Item infra actionem.

Qui hac die, antequam traderetur, accepit panem in ſuis ſanctis manibus.

Ad Comm.

Concede, quæſumus Dne, ut percepti novi ſacramenti myſterium & corpore ſentiamus & mente, per Dnm. *g. p. 63.*

Alia.

Huius, Dne quæſumus, virtute myſterii & a propriis mundemur occultis, & famulos tuos. N. ab omnibus abſolve peccatis, per Dnm.

Or. ſuper pœnitentem poſtquam communicaverit.

Deus, qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantes ſe conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſolvis, da indulgentiam reis, & medicinam tribue vulneratis, ut percepta remiſſione omnium peccatorum, in ſacramentis tuis ſincera deinceps devotione permaneant, & nullum redemptionis æternæ ſuſtineant detrimentum, per Dnm. *g.*

Item Miſſa Chriſmalis.

Dne Deus, qui in regenerandis plebibus tuis miniſterio uteris ſacerdotum! tribue nobis perſeverantem in tua voluntate famulatum, ut dono gratiæ tuæ in diebus noſtris & merito & numero ſacratus tibi populus augeatur, per. *g. p. 57.*

Alia.

Da nobis, omnipotens Deus, remedia conditionis humanæ & ſincero tractare ſervitio, & cum profectu ſalutis implere, per Dnm. *g.*

Deus, a quo & Iudas reatus ſui pœnam, & confeſſionis ſuæ latro præmium ſumpſit! Concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut ſicut in paſſione ſua Ihꝰ Xpꝰ Dnꝰ nr diverſa utriſque intulit ſtipendia meritorum; ita nobis ablato vetuſtatis errore, reſurrectionis ſuæ gratiam largiatur, qui tecum. *g. Fer. VI. gg.*

Secreta.

Huius ſacrificii potentia, Dne quæſumus, & vetuſtatem noſtram clementer abſtergat, & novitatem nobis augeat & ſalutem, per Dnm. *g.*

Alia.

Ipſe tibi, quæſumus Dne ſancte Pater omnipotens Deus, ſacrificium noſtrum reddat acceptum, qui diſcipulis ſuis in ſui commemoratione hoc fieri hodierna traditione monſtravit, qui tecum. *g g.*

Præfatio Chriſmæ.

Dnꝰ vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
Surſum corda. ℟. Habemus ad Dnm.
Gratias agamus Dno Deo nro. ℟. Dignum & iuſtum eſt.

Vere quia dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare; Nos tibi ſemper hic & ubique gratias agere, dominator Dne Deus, rex unctus, auctor unguenti, ſpecioſus forma, ſpecioſior unctione, ſacrator ipſe tuus, ipſe omnium conſecrator; qui unguentum de poteſtate ſanctificas, poteſtatem conſecras de unguento. De unguento feciſti Chriſma, de Chriſmate nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine iſto ſit regalis unctio Xpianis; In tuo ergo nomine fiat hæc creatura iam Chriſma, & habeatur ut Chriſma † forma crucis † ſignum frontis † ſacri titulus bellatoris; In hoc Chriſmate mulceatur auditus, purificetur viſus, odoratus ſuaveſcat, ſaporetur guſtus, tactus in trinitate ſit ſolidus; ut talibus ſtipendiis Dni milites decorati, atque ambroſio rore madidi, imperanti ſerviant non ſuadenti. Et ſignati hoc chriſmate ſancto ſigniferi eſſe mereantur cœleſtes, per Xpm Dnm

Digitized by Google

Dnm nrm; Per quem maieſtatem tuam laudant angeli, venerantur archangeli, throni, dominationes, virtutes principat9 & poteſtates adorant. Quem Cherubim & Seraphim ſocia exultatione concelebrant; cum quibus & noſtras voces ut admitti iubeas deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes: Scus, ſanctus.

Secunda Conteſtatio.

Vere quia dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare; Nos tibi ſemper hic & ubique gratias agere, Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, per Xpm Dnm nrm; qui cum Deus eſſet in cœlis, ad delenda hominum peccata deſcendit in terras; Et qui hominum genus venerat liberare, tamquam obnoxius debitor, illicito pretio Dnus a ſervo diſtrahitur; & qui angelos iudicat, in hominis eſt iudicio conſtitutus, ut hominem, quem ipſe fecerat, de morte liberaret. Et ideo cum angelis & archangelis, cum thronis. (1)

Te igitur clementiſſime Pater per Dnm nrm Ihm Xpm filium tuum ſupplices rogamus & petimus, uti accepta habeas & benedicas hæc † dona, hæc † munera, hæc ſca † ſacrificia illibata. Inprimis quæ tibi offerimus pro eccleſia tua ſca catholica, quam pacificare, cuſtodire, *adunare* & regere digneris toto orbe terrarum, unacum famulo *tuo papa* (2) *nro* & ſacerdote tuo pontifice nro ill. & famulo tuo ill. Imperatore, ſed & omnibus orthodoxis, atque catholicæ (3) & apoſtolicæ fidei cultoribus.

Memento Dne famulorum tuorum ill. famularumque, & omnium circumaſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio; pro quibus tibi offerim9, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuisque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolomitatis ſuæ reddunt tibi vota ſua æterno Deo vivo & vero.

Infra actionem.

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo traditus eſt Dn9 (4) Ih9 Xp9; Tu nos Dne participes filii tui, tu conſortes regni tui, tu incolas paradyſi, tu angelorum comites eſſe iuſſiſti, ſi tamen illæſa & intemerata fide cœleſtis militiæ ſacramenta ſervemus. Aut quid deſperare de tua miſericordia poſſumus? qui tantum munus accepimus, ut talem tibi hoſtiam offerre mereremur: corpus ſcilicet & ſanguinem Dni nri Ihu Xpi, qui ſe pro mundi redemptione piæ illi ac venerandæ tradidit paſſioni; qui formam ſacrificii ſalutis perennis inſtituens, hoſtiam ſe primus obtulit, & primus docuit offerri. Sed & memoriam venerantes, inprimis glorioſæ ſemper virginis Mariæ, (5) genitricis eiusdem Dei ac Dni nri Ihu Xpi, ſed & beatiſſimorum apoſtolorum & martyrum tuorum Petri, & Pauli, Andreæ, Iacobi, Iohannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Mathei, Symonis & Tathei, Syxti, Laurentii, Ypoliti, Vincentii, Cornelii, Cypriani, Clementis, Chriſogoni, Iohannis & Pauli, Coſmæ & Damiani, Apollinaris, Vitalis, Nazarii, Celſi, Protaſii, Gervaſii, Victoris, Naboris, Felicis, Calimeri, Materni, (6) Euſtorgii, Dioniſii, Ambroſii, Simpliciani, Martini, Euſebii, Hylarii & Iulii, & omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, per Xpm Dnm nrm. Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus ob diem ieiunii cœnæ dominicæ, in qua Dn9 nr Ih9 Xp9 filius tuus, in novo teſtamento ſacrificandi ritum inſtituit, dum panem ac vinum, quod Melchiſedech in præfiguratione futuri myſterii ſacerdos obtulerat, in ſacramentum ſui corporis & ſanguinis transformavit celebrandam, quæſumus Dne, placatus intende, ut per multa curricula annorum ſalvi & incolomes munera noſtra tibi Dno (7) mereamur offerre, dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna nos damnatione eripi, (8) & in electorum tuorum iubeas grege numerari, per Xpm Dnm nrm.

Quam oblationem, quam pietati tuæ offerimus, tu Deus in omnibus, quæſumus, Bened†ctam, Aſcrip†tam, Ra†tam, rationabilem, acceptabilemque (9) facere digneris, ut nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi filii tui Dni ac Dei nri.

Qui

(1) Canon hic *Ambroſianus* convenit, ut conferenti patuit, cum eo, quem MURATORIUS in liturgiæ *Romanæ* præfatione cap. X. p. 131. ſeqq. affert ex duobus antiquiſſimis Mſſ. miſſalibus *Ambroſianis* ſæc. IX. vel X. depromtum; ad quam ætatem prope etiam accedit Mſc. *San-Gallenſe*, quod hic editur.

(2) Verba *tuo papa noſtro* deſunt apud MURATORIUM, in noſtro etiam codice alia manu ſcripta ac ſubducta.

(3) *Catholicæ* deeſt.
(4) Additur *noſter.*
(5) *Mariæ* deeſt.
(6) *Materni* deeſt.
(7) *Tibi Domino* deeſt.
(8) *Eripias.*
(9) *Acceptabilem* deeſt.

Digitized by Google

Qui pridie, quam pro noſtra & omnium ſalute pateretur, hoc eſt hodierna die, diſcumbens in medio diſcipulorum ſuorum, & accipiens (1) elevavit oculos ad cœlos, ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem, tibi gratias agens, bene†dixit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens ad eos: accipite & manducate ex hoc omnes, Hoc eſt enim corpus meum.

Simili modo poſtquam cœnatum eſt, accipiens calicem, elevavit oculos ad cœlos ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem, item tibi gratias agens, bene†dixit, tradidit diſcipulis ſuis dicens ad eos: Accipite & bibite ex eo omnes, Hic eſt enim calix ſanguinis mei, novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Mandans quoque & dicens ad eos: Hæc quotienscumque feceritis, in meam commemorationem facietis (2), mortem meam prædicabitis, reſurrectionem meam adnuntiabitis, adventum meum ſperabitis, donec iterum de cœlis veniam ad vos. Hæc facimus, hæc celebramus, tua Dne præcepta ſervantes, & ad communionem inviolabilem, hoc ipſum quod corpus Dni ſumimus, mortem dominicam nuntiamus. Tuum vero eſt omnipotens Pater, mittere nunc nobis unigenitum Filium tuum, quem non quærentibus (3) ſponte miſiſti; qui cum ſis ipſe immenſus, & inæſtimabilis, Deum quoque ex te immenſum & inæſtimabilem genuiſti, ut cuius paſſione redemtionem humani generis tribuiſti, eius nunc corpus tribuas ad ſalutem, per eundem Xpm Dnm nrm.

In Cœna Dni, antequam dicatur: Per quem hæc omnia Dne ſemper bona creas, benedicis oleum pro infirmis, vel pro populo, his verbis, ut tantum poſſit a circumſtantibus audiri.

Exorciſmus eiusdem Olei.

Exorcizo te creatura olei, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Ihu Xpi filii eius, & Spiritus Sci! ut ad hanc invocationem trinæ poteſtatis atque virtutem deitatis, omnis nequiſſima virtus adverſarii, omnis inveterata malitia diaboli, omnis violenta occurſio, omne confuſum & cæcum phantaſma eradiceris, effugeris & diſcedas a creatura huius olei, ad utilitatem hominum conſtituta, ut fiat hæc unctio divinis ſacramentis purificata in adoptionem carnis & ſpiritus, eis, qui ex ea ungueri (ungi) habent, in remiſſionem omnium peccatorum, ut efficiatur in eis cor purum, ad omnem gratiam ſpiritalem ſanctificatum, per eundem Dnm nrm Ihm Xpm, qui venturus eſt in Spiritu ſco iudicare vivos & mortuos & ſæculum. *g.*

Benedictio Olei pro Infirmis.

Emitte, quæſumus Dne, Spiritum ſanctum tuum paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es, ad refectionem mentis & corporis, ut tua ſca benedictione ſit omni unguenti (ungenti) tangenti tutamentum corporis, animæ & ſpiritus, ad evacuandos omnes dolores, omnem infirmitatem, omnem ægritudinem mentis & corporis; unde unxiſti ſacerdotes, reges, prophetas, & martyres. Chriſma tuum perfectum nobis a te Dne benedictum permanens in viſceribus noſtris, in nomine Dni nri Ihu Xpi, *per quem hæc omnia Dne ſemper bona.* g. El. *Vatic.* gg.

Poſtea oblato a Diacono baptiſmali oleo, benedicis illud his verbis:

Exorciſmus eiusdem.

Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt! ut omnis virtus adverſarii, omnis exercitus diaboli, omnis incurſus, omnis phantaſma ſatanæ eradiceris & effugeris ab hac creatura olei. Ut fiat omnibus, qui ex ea unguendi ſunt, in adoptio-

(1) *Panem.* (2) *In meam commemorationem facietis* deſunt. (3) *Inquærentibus.*

ptionem filiorum per Spiritum ſcm, in nomine Dei Patris omnipotentis. & in caritate Ihu Xpi filii eius Dni nri, qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem.

Benedictio exorcizati Olei.

Deus incrementorum & profectuum ſpiritalium remunerator! qui virtute ſancti Spiritus tui imbecillarum mentium rudimenta confirmas, te oramus Dne, ut venturis ad beatæ regenerationis lavacrum tribuas per unctionem iſtius creaturæ purgationem mentis & corporis, ut ſi quæ illis *maculæ* adverſantium ſpirituum inhæſere reliquiæ, ad tactum ſanctificati olei huius abſcedant. Nullus ſpiritalibus nequitiis locus, nulla refugis virtutibus ſit facultas, nulla inſidiantibus malis latendi licentia relinquatur, ſed venientibus ad fidem ſervis tuis, & ſci Spiritus tui operatione mundandis, ſit unctionis huius præparatio utilis ad ſalutem, quam etiam per cœleſtis regenerationis nativitatem in ſacramento ſunt baptiſmatis adepturi, per. *g.*

Benedictio Olei Ambroſ.

Deus, ſacramenti huius inventor, atque diſpoſitor, qui præſentis liquoris pinguedine beatorum confirmaſti corpora cordaque pontificum! qui in hac creatura excellentis nobilitatem nominis, ut eos Xpianos faceres, indidiſti; qua nitentes ac delibutos antiſtites, iuſſiſti participibus anteferri, dignum æſtimans elementum, quo innocentiæ & variarum tribueretur forma virtutum: concede, ut infuſione ſci Spiritus olim tibi placitam præſentis olei confirmes †, nobiliteſque ſubſtantiam, ut quicquid ex eo in humano genere tactum fuerit, ad naturam tranſeat mox ſupernam. Nec aliquid ſibi per unctionem eius vindicet hoſtis antiquus, ſed doleat ſe telis beatæ huius propugnationis addictum, & pacis oleo vetuſti furoris comprimi ſuperbias ingemiſcat; per Dnm nrm Ihm Xpm filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate eiusdem Spiritus ſci, per omnia ſæcula ſæculorum amen. (1)

Per quem hæc omnia Dne ſemper bona creas, ſanctificas † vivificas † benedicis † & nobis famulis tuis largiter præſtas, ad augmentum fidei, & remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum. Et eſt tibi Deo Patri omnipotenti, ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo, omnis honor, virtus, laus, gloria, imperium, perpetuitas, & poteſtas, per infinita ſæcula ſæculorum amen.

Tunc unus acolitus involutam ampullam cum ſindone alba ſerica, ita ut videri poſſit a medio, tenet in brachio ſiniſtro, proiectis ſindonibus ſuper ſcapulam ſiniſtram, ita ut pertingant ad ſcapulam dextram, quatenus poſſint dependentia retineri, a quibus ſub humero ſtantibus, venit ſubdiaconus, & accipit ampullam ipſam commixtam cum ſindone, & dat eam archidiacono, & ille defert pontifici ante ſedem. Tunc pontifex ſtans in ſede, & reſpiciens ad orientem archidiacono tenente ante ipſum ampullam in ſiniſtro brachio, revoluta ſindone, ut ſupra diximus, & halat in ipſam ampullam dicens.:

Exorcizo te, immundiſſime ſpiritus, omniſque incurſio ſatanæ, & omnis phantaſma, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut recedas ab hoc oleo, ut poſſit effici unctio ſpiritalis, ad corroborandum templum Dei, in quo poſſit Spiritus ſanctus habitare, per nomen Dei Patris omnipotentis, & per nomen dilectiſſimi Filii eius Dni nri Ihu Xpi, qui venturus eſt iudicare.

Præfatio Chriſmæ Ambroſ.

Unanimes atque concordes fratres Kmi, Dei Patris omnipotentis auxilium miſericordiæ deprecemur, ut hoc unguentum, quo in regali gloria populus eius veſtiendus eſt, cæleſti benedictione, & virtutis ſuæ rigore corroboret, & tegmine eius plebs in æternum benedicta tueatur; præſtante Dno nro Ihu Xpo, qui cum ipſo, & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio Chriſmæ principalis.

Poſt hæc miſcis balſamum cum ipſo oleo, & benedicis chriſma in his verbis:

Dnus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
Surſum corda. ℟. Habemus ad Dnm.

 Gratias

(1) Apud Muratorium l. c. p. 134. tantum, quod *Amen* in fine deſit, leguntur ſequentia.

Gratias agamus Dno Deo nro. ℟. Dignum & iuſtum eſt.

Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus! qui in principio inter cætera bonitatis & pietatis tuæ munera, terram producere fructifera ligna iuſſiſti; inter quæ huius pinguiſſimi liquoris miniſtræ oleæ naſcerentur, quarum fructus ſacro chriſmati deſerviret; nam & David prophetico ſpiritu gratiæ tuæ ſacramenta prænoſcens, vultus noſtros in oleo exhilarandos eſſe cantavit; & cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuſo, ſimilitudinem futuri muneris columba demonſtrans, per olivæ ramum pacem terris redditam nuntiavit; quod in noviſſimis temporibus manifeſtis eſt effectibus declaratum, cum baptiſmatis aquis, omnium criminum commiſſa delentibus, hæc olei unctio vultus noſtros iocundos efficit ac ſerenos. Inde etiam Moyſi famulo tuo mandatum dediſti, ut Aaron fratrem ſuum, prius aqua lotum, per infuſionem huius unguenti conſtitueret ſacerdotem; acceſſit adhuc amplior honor, cum filius tuus Ihs Xpus Dns noſter lavari a Iohanne undis iordanicis exegiſſet, ut Spiritu ſco in columbæ ſimilitudine deſuper miſſo, unigenitum tuum, in quo tibi optime complacuiſſet, teſtimonio ſubſequentis vocis oſtenderes; & hoc illud eſſe manifeſtiſſime comprobares, quod eum oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis unguendum David propheta ceciniſſet. Te igitur deprecamur, Dne ſce Pater omnipotens æterne Deus, per eundem Ihm Xpm filium tuum Dnm nrm, ut huius creaturæ pinguedinem ſanctificare *tua benedictione* digneris, & ſci Spiritus ei admiſcere virtutem, cooperante potentia Xpi tui, a cuius ſancto nomine chriſma nomen accepit; unde unxiſti ſacerdotes, reges, prophetas, & martyres, ut ſit his, qui renati fuerint ex aqua & Spiritu ſancto, chriſma ſalutis, eoſque æternæ vitæ participes, & cœleſtis regni facias eſſe conſortes, per eundem &c. in unitate eiuſdem Sps ſci. *g. g. Vat.* (1)

Exorciſmus olei ad omnem languorem quocumque tempore.

In tuo nomine, Deus Pater omnipotens, & Ihu Xpi Filii tui Dni nri ſigno, & virtute Spiritus ſancti, hanc creaturam olei exorcizamus, ſimulque ſanctificamus, quia ita benignus Dnus per ſuos apoſtolos declarare dignatus eſt dicens: Si quis infirmatur in vobis, inducat presbyteros, & orent ſuper eum, unguentes eum oleo in nomine Dni, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Et iterum per ipſum omnia poſſibilia eſſe credentibus docuiſti: & ut cunctum ſæculum eius claritate ſalvares, ſic per eundem locutus es dicens: Petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis; Quapropter, Dne, tua ineffabili bonitate comperta, ſummiſſis precibus credentes nullum alium Deum, niſi te Dne, qui dives es in miſericordia, celeriterque ſubvenis, peritiſſimum medicum imploramus, ut apertis cœlis, Spiritus ſci velocitate deducta, virtutis tuæ medicinam in hoc oleum propitius infundas; deſcendat ſuper hoc oleum potentiæ tuæ donum; deſcendat claritas & origo virtutum: deſcendat benignitas,

(1) Poſt hæc in *San-Gallenſi* ſequitur hæc rubrica: Hoc expleto veniens ante altare dic. *Oremus præceptis ſalutaribus moniti.* Sequitur oratio Dominica. Poſtea: *Libera nos Domine,* Et communicant. Poſt commun. *Concede qs Dne, ut perceptum novi ſacramenti myſterium & corpore ſentiamus & mente P.* Super populum. *Præſta quæſumus Dne ut ſicut &c.* Item oleo exorcizato confectio *Exorcizo te . . . , ut ad hanc invocationem &c.* ut ſupra. *Ut qui myſteriorum tuorum ſecreta &c.* ut in vulg. *Gelaſ.* p. 61. ubi hæc additur rubrica: Hoc autem expleto, venies ante altare, ponis in ore calicis de ipſa hoſtia: non dicis, *Pax Domini*, nec faciunt pacem, ſed communicant, & reſervant de ipſo ſacrificio in craſtinum, unde communicent. Sequitur miſſa ad veſperum in *Gelaſ.* ſeu *ſero* ut in *San-Gallenſi* inſcribitur: *Deus a quo & Iudas &c.* alia *Secreta &c.* in *Gelaſ.* p. 62.

Digitized by Google

tus, & puritas ſanitatis; exorcizetur crucis Xpi vexillo, benedicatur dextera maieſtatis tuæ, & corroboretur filii tui Dni nri ſignaculo. Præſto ſint Dne angeli & archangeli, & omnis militia cœleſtis: aſſit apoſtolorum, ac martyrum, & fidelium ſacerdotum, vel etiam aliorum ſervorum tuorum digniſſima oratio, ſub quorum præſentia, dum in tuo nomine, Dne Pater immenſe, hoc unguentum compoſitionis atque permixtionis dederimus, liniendis corporibus infirmis, continuo peragratis viſceribus eorum, omnem violentiam evomant fellis. Profit, Pater miſericordiarum, febribus, & dyſſenteria laborantibus: profit paralyticis, cæcis, & claudis: ſimulque vexaticiis, quartana, tertiana, & cottidiana excutiat frigora, mutorum ora reſolvat, arentia membra reficiat, dementiam mentis ad ſcientiam revocet, dolorem capitis, oculorum infirmitatem, manuum, pedum, brachiorum, pectoris, ſimulque & inteſtinorum, atque omnium membrorum, tam intrinſecus quam extrinſecus, medullarumque dolorem expellat, ſomnum quietis infundat, & ſalutem conferat ſanitatis. Si qua vero maligna, vel venenoſa naſcentia in corporibus quorumcunque fuerint generata, tactus huius unguenti omnes radices eorum arefaciat ſationes; morſus vero beſtiarum, canum rabiem, ſcorpionum, ſerpentium, viperarum, atque omnium monſtruoſorum leniat dolores, & ſuperinducta ſanitate, plagarum ſopiat cicatrices; Impetum quoque dæmonum, vel incurſiones ſpirituum immundorum, atque legionum malignarum vexationes, umbras, & impugnationes, & infeſtationes malignorum, artes quoque maleficorum, Chaldeorum, auguriorum, & divinorum incantationes, & venena promiſcua, quæ ſpirituum immundorum & virtute nefanda, & exercitio diabolico conficiuntur, iubeas Dne, per hanc invocationem tuam ab imis viſceribus eorum omnia expelli venena, ut exiens inimicus de corporibus famulorum famularumque tuarum omnium confuſus & excruciatus, & nullam in eis maculam relinquens, a tuis ſanctis angelis conſtringatur, & in infernum, ſicut eum expectat digna ſententia, gehennæ ignibus mancipetur, nec ultra habeat ad eos ingrediendi locum, ſed ſalvati famuli tui ab his omnibus malis referant honori tuo laudes in perpetuum ſempiternas, & ſciant, quia tu es Deus, inſeparabilis Trinitas, qui regnas a cunctis ſæculis, & nunc, & in perpetua ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio olei pro Infirmis.

Dne, qui ſtudio ſalutis humanæ creaturis tuæ vim benedictionis indidiſti, ut animarum noſtrarum ſanctificationis utilitas, creaturarum etiam corporalium miniſterio noſtris ſalus temporibus tribueretur; infunde ſanctificationem tuam huic oleo, ut quæ unxerit membra, fugatis inſidiis adverſariæ poteſtatis, ſuſceptione præſentis olei ſancti Spiritus gratia ſalutaris debilitatem expellat, & plenam conferat ſoſpitatem, per Dnm &c. in unitate eiusdem Spiritus ſci.

Hoc expleto veniens Pontifex ante altare dicit: Oremus.

Præceptis ſalutaribus moniti, & reliqua. Vel: Ipſius præceptum eſt Dne quod agimus, in cuius nunc te præſentia poſtulamus, da ſacrificio auctorem ſuum, ut impleatur fides rei in ſublimitate myſterii, ut ſicut veritatem cœleſtis ſacrificii exſequimur, ſic veritatem dominici corporis & ſanguinis hauriamus, per eundem Xpm Dnm nrm, dicentes: Pater noſter qui es in cœlis. A. (1)

In deſcenſu vero ampullæ omnes eam per ordinem ſalutent. Sequitur Agnus Dei. *Et communio:* Dnꝰ Ihus poſtquam. *Tunc communicat ſolus Pontifex, & Diaconus offert ei calicem, illo tantummodo die. Poſtquam communicaverit, ponit calicem ſuper altare, deinde acceptam a ſubdiacone patenam ponit iuxta calicem de latere ſiniſtro, & ſtatim cooperitur a duobus diaconibus utrumque de ſindone munda, quam prius præparaverant in ora altaris e regione Pontificis, poſt corporalem expanſam. Deinde Diaconi vadant ad altare, & diſcooperiant ſancta, & Pontifex veniens ad altare dividat oblatas ad confringendum, & ſumat de ipſis oblatas integras, ad ſervandum uſque mane diei Paraſceve, de quibus communicent abſque ſanguine. Fractis oblatis communicat tam ipſe, quam cæteri, qui aſſunt.*

Poſt Communionem.

Dne Deus noſter, concede propitius! ut qui unigeniti tui ſumpſimus corpus & ſanguinem, ab infidelis diſcipuli reddamur cæcitate diviſi, qui Xpm Dnm nrm verum Deum hominemque fatemur & colimus, qui tecum vivit & regnat.

Alia poſt Comm.

Præſta quæſumus Dne! ut ſicut de præteritis ad nova venimus, ita vetuſtate depoſita ſanctificatis mentibus innovemur, per Dnm nrm. *l. g.*

Alia

(1) Apud Murat. p. 134. indicavitque ſcriptor lit. A.

Digitized by Google

Alia poſt Comm.

Refecti vitalibus alimentis, quæſumus Dne, Deus noſter! ut quod tempore noſtræ mortalitatis exſequimur, immortalitatis tuæ munere conſequamur, per. *l. gg.*

Ad Veſp. A.

Parce nobis, omnipotens Deus! ne nos, ſicut meremur, affligas, ſed ad bonum potius tua pietate convertas, per.

Alia. A.

Diſrumpe, quæſumus Dne, noſtrorum vincula peccatorum! & ne dominentur nobis, potenti pietate ſuccurre, per (1)

Feria VI.

In Paraſceve. Mane ad Crucem. Or. A.

Deus, qui pro redemptione noſtra accepiſti ſanguinem Xpi! ſolve opera diaboli, & omnes laqueos diſrumpe peccati, ut creaturam regenerationis nulla polluant contagia vetuſtatis, per eundem.

Poſt Crucem. A.

Immenſæ pietatis Deus, qui latronem per confeſſionem eadem die de cruce in paradiſum transtuliſti! transfer a nobis iniquitates noſtras, & hæredes nos cœleſtium bonorum eſſe concede, per.

Alia. A.

Deus, qui unigeniti tui Dni nri Ihu Xpi pretioſo ſanguine humanum genus redimere dignatus es! concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam eius crucem adveniunt, a peccatorum ſuorum nexibus liberentur, per eundem.

Ad Veſper. A.

Deus, a quo Iudas proditor reatus ſui pœnam ſuſcepit, & latro confeſſionis ſuæ præmium ſumpſit! concede nobis piæ petitionis effectum, ut miſericordiæ tuæ veniam conſequamur, per.

Alia. A.

Largire ſenſibus noſtris ſumme reparator omnipotens Deus, ut per temporalem filii tui mortem, per opera ſancta vitam perpetuam eſſe credamus, per eundem. (2)

Oratio. Et Flectamus genua.

Deus, a quo & Iudas reatus ſui pœnam, & confeſſionis ſuæ latro præmium ſumpſit! concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut ſicut in paſſione ſua Ih9 Xp9 Dn9 noſter diverſa utriſque intulit ſtipendia meritorum, ita nobis ablato vetuſtatis errore, reſurrectionis ſuæ gratiam largiatur, qui tecum. *g. gg.*

Tunc legatur Lectio.

Hæc dicit Dn9 Deus: In tribulatione ſua.

Sequiturque Gradualis.

Dne audivi auditum.

Alia Or.

Deus, qui peccati veteris hæreditariam mortem, in qua poſteritatis genus omne ſucceſſerat, Xpi Filii tui Dni nri paſſione ſolviſti! da, ut conformes eiusdem facti, ſicut imaginem terreni naturæ neceſſitate portavimus, ita imaginem cœleſtis gratiæ ſanctificatione portemus, per eundem. *g.*

Sequitur alia Lectio.

Dixit Dn9 ad Moyſen & Aaron in terra Ægypti &c. *Sequi-*

---

(1) In *Gelaſ.* vulg. tertia additur in feria V. miſſa ad veſperum p. 62. ut notavimus, inſcribitur in *San-Gall. ad miſſam ſero* eadem, quæ unica hodie habetur in *Vatic.* MURAT. cum rubr. *In ipſo die conficitur chriſma in ultimo ad miſſam antequam dicatur:* Per quem hæc omnia &c. In *San-Blaſiano* rubrica ad marginem recentiori manu adiecta legitur: *Gloria in excelſis ab epiſcopo cantetur tantum, ubi chriſma conſecratur.* Miſſa hodierna in omnibus antiquiſſimis ſacramentariis *Alemannicis Rhenaug. San-Gall. San-Blaſ. &c.* eadem legitur.

(2) *Rhenaug.* Fer. VI. orationes quæ dicendæ ſunt ad *S. maiorem Mariam* in *Hieruſalem. Deus a quo & Iudas &c.* Deinde ſequitur oratio. ſequitur lectio in Ioſe. Deinde ſequitur reſp. *Domine exaudi.* Oratio *Deus qui peccati &c.* Deinde ſequitur lectio in Exodi. Poſtea ℟. *Domine audivi.* Item ſequitur Evangel. Paſſio Dni ſecundum Iohan. Deinde ſequitur Orat. ſolemn. *Oremus dilectiſſimi. San-Galleaſ.* hac rubrica incipit: Orat. quæ dicendæ ſunt ſexta feria maiore mane in *Hieruſ. Deus a quo &c.* ſequuntur duæ lectiones, quas in capitulare commemoratur, una in OSEE, alia in *Exodo* cum reſponſuriis ſuis. Inde ſequitur Evangel. Paſſio &c. Additur in S. ELIG. Hac expleta (Paſſione) venit pontifex ante altare & dicit *Oremus dilectiſſimi &c.*

Digitized by Google

Sequiturque Tractus: Eripe me Dne ab homine. *Hic legitur Paſſio:* Egreſſus eſt Ih9 cum diſcipulis ſuis.

Poſt hæc ſequuntur orationes ſolemnes.

Oremus, dilectiſſimi nobis, pro eccleſia ſancta Dei, ut eam Deus & Dn9 noſter pacificare, multiplicare, & cuſtodire dignetur toto orbe terrarum, ſubiiciens ei principatus & poteſtates, detque nobis quietam & tranquillam vitam degentibus, glorificare Deum Patrem omnipotentem. *g. gg.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui gloriam tuam omnibus in Xpo gentibus revelaſti! cuſtodi opera miſericordiæ tuæ, ut eccleſia toto orbe diffuſa, ſtabili fide in confeſſione tui nominis perſeveret, per eundem. *g. gg.* (1)

Oremus & pro beatiſſimo Papa noſtro N. ut Deus & Dn9 noſter, qui elegit eum in ordinem epiſcopatus, ſalvum atque incolomem cuſtodiat eccleſiæ ſuæ ſanctæ, ad regendum populum ſanctum Dei. *gg.* *Oremus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius iudicio univerſa fundantur, reſpice propitius ad preces noſtras, & electum a te nobis antiſtitem tua pietate conſerva, ut Xpiana plebs, quæ tali gubernatur auctore, ſub tanto pontifice, credulitatis ſuæ meritis augeatur, per Dnm. *g. gg.*

Oremus & pro omnibus epiſcopis, presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, acolitis, exorciſtis, lectoribus, oſtiariis, confeſſoribus, virginibus, viduis, & pro omni populo ſancto Dei. *g. gg.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius ſpiritu totum corpus eccleſiæ ſanctificatur & regitur! exaudi nos pro univerſis ordinibus ſupplicantes, ut gratiæ tuæ munere ab omnibus tibi gradibus fideliter ſerviatur, per Dnm &c. in unitate eiusdem. *g. gg.* (2)

Oremus & pro Xpianiſſimo Imperatore nro! ut Deus & Dn9 noſter ſubditas illi faciat omnes barbaras nationes, ad noſtram perpetuam pacem. *g. gg.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates, & omnia iura regnorum! reſpice ad Xpianum benignus imperium, ut gentes, quæ in ſua feritate confidunt, potentiæ tuæ dextera comprimantur, per Dnm. *gg.*

Oremus & pro cathecuminis noſtris, ut Deus & Dn9 noſter adaperiat aures præcordiorum ipſorum, ianuamque miſericordiæ, ut per lavacrum regenerationis accepta remiſſione omnium peccatorum, digni inveniantur in Xpo Ihu Dno nro. *g. gg.* *Oremus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui eccleſiam tuam nova ſemper prole fœcundas! auge fidem & intellectum cathecuminis noſtris, ut renati fonte baptiſmatis,

(1) *Rhenaug.* Oremus & pro beatiſſimo Papa noſtro ſedis apoſtolicæ ill. & pro antiſtite noſtro ill. ut Deus &c.

(2) *Rhenaug. Oremus & pro chriſtianiſſimis imperatoribus noſtris vel rege noſtro illo*, ut in vulg. *Gelaſ.* excepto numero ſingulari *imperatore.* & in orat. ſeq. *reſpice propitius ad Romanorum atque Francorum &c.* in Gel. *ad Romanum ſive Francorum &c. San-Gall. Pro chriſtianiſſimis imperatoribus noſtris &c. Reſpice propitius ad Romanorum &c.* alia vetus manus ſuperſcripſit *ad chriſtianorum. San-Blaſ. Pro chriſtianiſſimo rege noſtro &c. Reſpice ad Romanum &c. Solodorenſe* ſacram. *Oremus & pro chriſtianiſſimo imperatore noſtro*, perinde ac *Rhenaug. Gregor.* in quo alia manus eraſo *Romanor.* ſuppoſuit *chriſtianorum.*

Digitized by Google

tis, adoptionis tuæ filiis aggregentur, per Dnm. *g. gg.*

Oremus dilectiſſimi nobis Deum Patrem omnipotentem, ut cunctis mundum purget erroribus, morbos auferat, famem depellat, aperiat carceres, vincula diſſolvat, peregrinantibus reditum, infirmantibus ſanitatem, navigantibus portum ſalutis indulgeat. *g. gg.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, mœſtorum conſolatio, laborantium fortitudo, perveniant ad te preces de quacumque tribulatione clamantium! ut omnes ſibi in neceſſitatibus ſuis miſericordiam tuam gaudeant affuiſſe, per Dnm. *g. gg.*

Oremus & pro hæreticis & ſchiſmaticis, ut De9 ac Dn9 noſter eruat eos ab erroribus univerſis, & ad ſcam matrem eccleſiam catholicam atque apoſtolicam revocare dignetur. *g. gg.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſalvas omnes, & neminem vis perire, reſpice ad animas diabolica fraude deceptas, ut omni hæretica pravitate depoſita, errantium corda reſipiſcant, & ad veritatis tuæ redeant unitatem, per Dnm. *g. gg.*

Oremus & pro perfidis Iudæis, ut Deus & Dn9 noſter auferat velamen de cordibus eorum, ut & ipſi agnoſcant Xpm Ihm Dnm nrm. *g. gg.* (1)

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui etiam Iudaicam perfidiam a tua miſericordia non repellis! exaudi preces noſtras, quas *tibi* pro illius populi obcæcatione deferimus, ut agnita veritatis tuæ luce, quæ Xp9 eſt, a ſuis tenebris eruantur, per eundem. *g. gg.*

Oremus & pro paganis, ut Deus omnipotens auferat iniquitatem a cordibus eorum, & relictis idolis ſuis convertantur ad Deum vivum & verum, & unicum filium eius Ihm Xpm Deum & Dnm nrm, cum quo vivit & regnat cum Spiritu ſco Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. *g. gg.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui non mortem peccatorum; ſed vitam ſemper inquiris, ſuſcipe propitius orationem nram, & libera eos ab idolorum cultura, & aggrega eccleſiæ tuæ ſanctæ, ad laudem & gloriam nominis tui, per Dnm nrm. *g. gg.* (2)

Or. Mane Die Sabbati ad Lect. A.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in omnium operum tuorum diſpenſatione es mirabilis! intelligant redempti tui non fuiſſe excellentius, quod initio factus eſt mundus, quam quod in fine ſæculorum paſcha noſtrum immolatus eſt Xpus, qui tecum vivit.

Bene-

---

(1) *Rhenaug.* addit rubricam *diaconus ut ſupra* nempe *Flectamus genua.* Vid. *Gelaſ.* p. 66. T. III. opp. S. GREG. S. ELIG. p. 64. MURAT. p. 59.

(2) Quæ ſequuntur, ex *Rhenaugienſi* ſupplemus. *Iſtas orationes ſupraſcriptas expletas ingrediuntur Diaconi in ſacrario, & procedunt cum corpore & ſanguine Domini, quod ante die remanſit; & ponunt ſuper altare. Et venit ſacerdos ante altare adorans crucem Dni, & oſculans, & dicit*: Oremus, *& ſequitur*. Perceptis (Præceptis) ſalutaribus, *& orat. dominica. Inde*: Libera nos quæſumus Domine. *His omnibus expletis adorant omnes ſanctam Crucem, & communicant.* g. p. 66.

Poſt Communionem.

Refecti vitalibus alimentis, quæſumus Domine, quod tempore noſtræ mortalitatis exequimur, immortalitatis tuæ munere conſequamur. Per.

Ad populum.

Adeſto Domine propitius plebi tuæ, & temporali conſolatione non deferas, quam vis ad æterna contendere. Per.

Digitized by Google

Benedictio cærei. A. (1)

Exultet iam angelica turba cœlorum! Exultent divina myſteria! & pro tanti regis victoria tuba intonet ſalutaris.

Gaudeat ſe tantis (2) tellus irradiatam fulgoribus, & æterni regis ſplendore luſtrata, totius orbis *ſe* ſentiat amiſiſſe caliginem.

Lætetur & mater eccleſia, tanti luminis adornata fulgore, & magnis populorum vocibus, hæc aula reſultet.

Quapropter aſtantibus vobis fratres Kmi, ad tam miram ſci huius luminis claritatem, una mecum quæſo Dei omnipotentis miſericordiam invocate, ut qui me non meis meritis, intra levitarum numerum dignatus eſt aggregare, luminis ſui gratiam infundendo, cærei huius laudem implere præcipiat.

Præſtante Dno nro Ihu Xpo filio ſuo, ſecum vivente atque regnante Deo in unitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Dn9 vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
Surſum corda. ℟. Habemus ad Dnm.
Gratias agam9 Dno
Deo nro. ℟. Dignum & iuſtum eſt.

Vere quia dignum & iuſtum eſt, æquum, & ſalutare, nos tibi ſemper hic & ubique gratias agere, Dne ſce Pater omnipotens æterne Deus!

Qui populorum paſcha cunctorum, non pecudum cruore, nec adipe, ſed unigeniti tui Dni nri Ihu Xpi ſanguine, corporeque dicaſti; ut ſupploſo ritu gentis ingratæ, legi gratia ſuccederet, & una victima per ſemetipſam tuæ maieſtati ſemel oblata, mundi totius expiaret offenſam;

Hic eſt agnus, lapideis præfiguratus in tabulis, non adductus e gregibus, ſed evectus e cœlo; nec paſtore indigens, ſed paſtor bonus ipſe tantummodo! qui animam ſuam pro ſuis poſuit ovibus, & rurſus aſſumpſit, ut nobis & humilitatem divina dignatio, & ſpem reſurrectio corporalis oſtenderet; qui coram tondente ſe non vocem queruli balatus emiſit, ſed evangelico proclamavit oraculo dicens: Amodo videbitis filium hominis ſedentem ad dexteram maieſtatis;

Ipſe nobis & te reconciliavit Pater omnipotens, & pari tecum maieſtate fultus, indulget; nam quæ patribus in figura contingebant, nobis in veritate proveniunt.

Ecce iam ignis columna reſplendet! quæ plebem Dni beatæ noctis tempore, ad ſalutaria fluenta præcedat; in quibus perſecutor mergitur, & Xpi populus liberatus emergit; nam ſci Spiritus unda conceptus, per Adam natus ad mortem, per Xpm regignitur ad vitam.

Solvamus igitur voluntarie celebrata ieiunia! quia paſcha noſtrum immolatus eſt Xpus. Nec ſolum corpore epulemur agni, ſed etiam inebriemur & ſanguine.

Huius enim tantummodo cruor non erat (3) piaculum bibentibus, ſed ſalutem; ipſo quoque veſcamur & azyma, quoniam non de ſolo pane vivit homo, ſed de omni verbo Dei.

Siquidem hic eſt panis, qui deſcendit e cœlo, longe præſtantior illo, quondam mannæ ymbre frugifluo, quo tunc Iſrahel epulatus interiit. Hoc vero qui veſcitur corpore, vitæ perennis poſſeſſor exiſtit.

Ecce vetera tranſierunt, facta ſunt omnia nova; nam circumciſionis Moſaicæ mucro iam ſcabruit, & Ieſu Nave acuta lapidum obſolevit aſperitas, Xpi vero populus inſignitur fronte non inguine, lavacro non vulnere, chriſmate non cruore.

Decet ergo in hoc Dni ſalvatoris nri veſpertinæ reſurrectionis adventu cæream nos adolere pinguedinem, cui ſuppetit candor in ſpecie, ſuavitas in odore, ſplendor in lumine, quæ nec marceſcenti liquore defluit, nec offenſam tetri nidoris exhalat.

Quid enim magis accommodum, magisque feſtivum, quam leſſeico flori floreis excubemus ut tædis! præſertim cum & ſapientia de ſemetipſa cecinerit: Ego ſum' flos agri, & lilium convallium. Cæ-

(1) In *San-Gall.* præmittitur hæc rubrica: Sabbato ſancto, poſtquam reddunt ſymbolum & catechizantur infantes impletur cerei benedictio his orationibus *Exultet &c.* ut hodieque habetur exceptis additionibus de apibus, quæ paſſim in Mſſ. liturgiæ *Rom.* legitur, hic autem *Ambroſiana* notatur.

(2) *In Cod.* tot.

(3) Vel generat *in margine.*

Digitized by Google

Ceras igitur nec pinus exuſta deſudat, nec crebris ſauciata bipennibus cedrus illacrimat, ſed eſt illis arcana de virginitate creatio, & ipſæ transfiguratione nivei candoris albeſcunt.

Eandem vero papirum liquida fontis unda producit, quæ inſtar inſontis animæ nullis articulatur ſinuata compagibus, ſed virginali circumſepta materiæ fit hoſpitalis ignibus, alumna rivorum.

Decet ergo adventum ſponſi dulcatis eccleſiæ luminaribus opperiri, & largitatem ſanctitatis acceptam, quanta valet, devotionis dote penſare; nec ſanctas interpolare tenebris excubias, ſed tædam, ſapienter perpetuis præparare luminibus. Nec dum oleum candelis adiungitur, adventum Dni tardo proſequamur obſequio, qui certe in ictu oculi ut coruſcꝰ adveniet.

Igitur in huius diei veſpere cuncta venerabilis ſacramenti plenitudo colligitur; & quæ diverſis ſunt præfigurata vel geſta temporibus, huius noctis curriculo devoluta ſupplentur.

Nam primum hoc veſpertinum lumen, ſicut illa dux Magorum ſtella præcedit. Deinde myſticæ regenerationis unda ſubſequitur, velut dignante Dno fluenta Iordanis. Tertio reſurrectionem Xpi vox apoſtolica ſacerdotis adnuntiat.

Tum ad totius myſterii ſupplementum Xpo veſcitur turba fidelium, qua ſummi ſacerdotis & apoſtoli tui Petri oratione ſanctificata vel meritis, reſurrectionis dominicæ diem Xpo in omnibus proſperante ſuſcipiat;

Per bonum & benedictum filium tuum Dnm nrm Ihm Xpm, cum quo beatus vivis & regnas Deus in unitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. (1)

Benedictio Salis.

Benedic, omnipotens Deus, hanc creaturam ſalis tua benedictione cœleſti in nomine Dni nri Ihu Xpi, & in virtute Spiritus tui, ad effugandum inimicum, quam ſanctificando ſanctifices, & benedicendo benedicas; fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus ſumentium, in nomine Dni nri Ihu Xpi, *qui venturus eſt iud.* gg. Murat. p. 60.

Ad Caticuminum faciendum.

Omnipotens ſempiterne Deus, reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum, quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es, omnem cæcitatem cordis ab eo expelle, disrumpe omnes laqueos ſatanæ, quibus fuerat colligatus; aperi ei *Dne* ianuam miſericordiæ tuæ, & ſigno ſapientiæ tuæ imbutus (2) omnium cupiditatum fœtoribus careat, atque ad ſuavem odorem præceptorum tuorum lætus tibi in eccleſia tua deſerviat, & proficiat de die in diem ſignatus promiſſæ gratiæ tuæ. gg.

Or. ſuper infantes in XL.ma ad IIII. Evangl.

Æternam ac iuſtiſſimam pietatem tuam deprecor Dne ſce Pater omnipotens æterne Deus luminis & veritatis, ſuper hos famulos & famulas tuas; ut digneris eos illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eos & ſanctifica. Da eis ſcientiam veram, ut digni efficiantur accedere ad gratiam baptiſmi tui; teneant firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanam, ut apti ſint ad percipiendam gratiam baptiſmi tui, per. g. gg.

Or. in Sabbato Paſcha ad reddentes dicit domnus Papa, poſt piſteugis. Item ad cathicizandos infantes.

Nec te latet ſatanas imminere tibi pœnas, imminere tibi tormenta, diem iudicii, diem ſupplicii ſempiterni, diem qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi atque angelis tuis præparatus ſempiternus erit interitus. Et ideo pro tua nequitia damnate atque damnande, da honorem Deo vivo, da honorem Ihu Xpo filio eius, da honorem Spiritui ſancto paraclito, & recede ab his famulis & famulabus Dei, quos hodie Deus & Dnus noſter ad ſuam gratiam & benedictionem vocare dignatus eſt, in nomine Dni nri Ihu Xpi, qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos. g. gg.

Poſt hoc tangit ſingulis nares & aures, & dicit

(1) *Rhenaug.* ſic concludit benedictionem: Precamur ergo te Domine, ut nos famulos tuos, omnemque clerum, & devotiſſimum populum, unacum Patre noſtro beatiſſimo Viro ill. nec non & clementiſſimo Rege noſtro ill. Coniugeque eius, ac filiis, cunctoque exercitu *Francorum*, quiete temporum conceſſa, in his paſchalibus gaudiis conſervare digneris. Per Dnm.

Sancte Domine omnipotens Deus, qui ad noſtram contemplationem tenebrarum hæc in mundi huius obſcuri luminaria micare iuſſiſti; Præſta, ut dum ad illum æternitatis diem unigeniti tui properamus, occurſum ad hanc interim quam tenebras præparaſti lucernam, dum nox iſta transcurritur, ſine peccatorum offendiculo ambulemus. Per.

Deus templum ignis æterni, Deus veræ lucis habitaculum, Deus ſedis perpetuæ claritatis vota tibi Domine ſolemnia diei conſummationis, & noctis inchoationis celebramus, ac luminibus altaris tui incenſis temporalium lumen offerentes, ut famulis tuis verbum ac perenne lumen largiaris oramus. Per.

San-Gall. ſolum Papam memorat: *Unacum Patre noſtro beatiſſimo Viro Papa ill. quiete temporum conceſſa &c.*

(2) *In Cod.* indutus.

dicit eis effeta. *Poſtea tangit de oleo ſco ſcapulas & pectus, & dicit:* Abrenuntias ſatanæ? *Et reſpondit:* Abrenuntio. *Et omnibus operibus eius? & reſpondit:* Abrenuntio. *Et omnibus pompis eius? reſpondit:* Abrenuntio.

Orationes in Sabbato ſco Paſchæ, per ſingulas Lectiones.

Or. ante Primam Lectionem. (1)

Deus, qui divitias miſericordiæ tuæ in hac præcipue nocte largiris! propitiare univerſo ordini ſacerdotalis officii, & omnes gradus famulatus noſtri, perfecta delictorum remiſſione ſanctifica, ut miniſtraturos regeneratrici gratiæ tuæ, nulli eſſe obnoxios patiaris offenſe, per. *g. gg.*

I. Lect. Lib. Geneſ. In principio fecit Deus &c.

Deus, qui mirabiliter creaſti hominem, & mirabilius redemiſti! da nobis quæſumus contra oblectamenta peccati mentis ratione reſiſtere, ut mereamur ad gaudia æterna pervenire, per. *gg.*

II. Lect. Libr. Geneſ. Noe vero cum quingentorum &c.

Deus incommutabilis virtus, lumen æternum! reſpice propitius eccleſiæ tuæ mirabile ſacramentum, & opus ſalutis humanæ, perpetuæ diſpoſitionis effectu tranquillus operare, totusque mundus experiatur, & videat, deiecta erigi: inveterata novari, & per ipſum redire omnia in integrum a quo ſumpſere principium, per eundem. *g. gg.*

III. Lect. Lib. Geneſ. Temptavit Deus Abraham &c. (2)

Deus fidelium Pater ſumme, qui in toto orbe terrarum promiſſionis tuæ filios, diffuſa adoptionis gratia multiplicas, & per paſchale ſacramentum Abraham puerum tuum univerſarum, ſicut iuraſti, gentium efficis patrem! da populis tuis digne ad gratiam tuæ vocationis intrare, per. *g. gg.*

IIII. Lect. Lib. Exodi. Factum eſt in vigilia &c. *Canticum.* Cantemus Dno &c.

Deus, cuius antiqua miracula in præſenti quoque ſæculo coruſcare ſentimus! præſta quæſumus, ut ſicut priorem populum ab Ægyptiis liberaſti, hoc ad ſalutem gentium per aquas baptiſmatis opereris, per. *g. gg.*

V. Lect. Eſaiæ Proph. Omnes ſitientes venite &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, multiplica in honore nominis tui, quod patrum fidei ſpopondiſti, & promiſſionis filios ſacra adoptione dilata, ut quod priores Sancti non dubitaverunt futurum, eccleſia tua magna iam ex parte cognoſcat impletum, per. *g. gg.*

VI.

(1) *Rhenaug.* & *San-Gall.* antiquior ut *Gelaſian.* vulgat. præmittunt orationem *Deus qui divitias &c.* In *Vaticano* tamen & *Ottoboniano* ſacramentar. a MURATORIO edit. immediate poſt benedictionem cerei notatur Oratio hæc dicenda antequam legatur prima lectio *Geneſis*, ſecus ac in noſtris Mſſ. *Gregorianis*, ubi deſideratur hæc oratio. Vid. THOMASIUS in præf. T. VI. idemque VEZZOSIUS p. 70. ubi n. 2. ex MARTENIO affertur rubrica ſequens ex Mſc. Si vero lectiones ſecundum GELASIUM recitandæ fuerint poſt benedictionem cerei, antequam legatur prima lectio, *In principio creavit Deus*, dicitur a ſacerdote oratio hæc: *Deus qui divitias miſericordiæ tuæ.* Similis rubrica ex cod. Bibl. Angel. recenſetur variaque, quæ ad ritum *Gregorianum* pertinent, quo lectio orationi præmittitur: id quod diſcrimen modo ex antiquiſſimis noſtris ſacramentariis *Alemannicis* notavimus.

(2) *Rhenaug. Gregor.* quatuor tantum habet lectiones, & vulgat. *Gelaſ.* decem: variantque nonnunquam orationes in eodem *Gelaſ.* ac *Gregoriano.*

Digitized by Google

VI. Lect. Hieremiæ Proph. Audi Iſrael mandata vitæ &c.

Deus qui eccleſiam tuam ſemper gentium vocatione multiplicas! concede propitius, ut quos aqua baptiſmatis abluis, continua protectione tuearis, per. *gg.*

VII. Lect. Ezecbiel: Proph. Facta eſt ſuper me manus Dni &c.

Deus, qui nos ad celebrandum paſchale ſacramentum utriusque teſtamenti paginis imbuiſti! da nobis intelligere miſericordiam tuam, ut ex perceptione præſentium munerum, firma ſit expectatio futurorum, per. *g. gg.*

VIII. Lect. Eſaiæ Proph. Apprehendent VII. mulieres &c.

Canticum. Vinea facta eſt &c.

Deus, qui in omnibus eccleſiæ tuæ filiis ſanctorum prophetarum voce manifeſtaſti! in omni loco dominationis tuæ ſatorem te bonorum ſeminum, & electorum palmitum eſſe cultorem! tribue populis tuis, ut qui vinearum apud te nomine cenſentur & ſegetum, ſpinarum & tribulorum ſqualore reſecato, digna efficiantur fruge fœcundi, per. *g. gg.*

VIIII. Lect. Lib. Exodi. Dixit Dn9 ad Moyſen & Aaron in terra Ægypti &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in omnium operum tuorum diſpenſatione mirabilis es! intelligant redempti tui non fuiſſe excellentius, quod initio factus eſt mundus, quam quod in fine ſæculorum paſcha noſtrum immolatus eſt Xpus, qui cum Patre in unitate Spiritus ſancti vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. *gg.*

X. Lect. Ionæ Proph. Factum eſt verbum Domini &c.

Deus qui diverſitatem omnium gentium in confeſſione tui nominis adunaſti! da nobis & velle & poſſe quæ præcipis, ut populo ad æternitatem vocato, una ſit fides mentium, & pietas actionum, per. *g. gg. fer. V. in alb.*

XI. Lect. lib. Deuteron. Scripſit Moyſes Canticum &c.

Canticum. Attende cœlum &c.

Deus, celſitudo humilium, & fortitudo rectorum, qui per ſcm Moyſen puerum tuum ita erudire populos tuos ſacri carminis tui decantatione voluiſti, ut illa legis iteratio fieret etiam noſtra directio; excita in omnem iuſtificatarum gentium plenitudinem potentiam tuam, & da lætitiam mitigando terrorem : ut omnium peccatis tua remiſſione deletis, quod denuntiatum eſt in ultionem, tranſeat in ſalutem, per. *g. gg.*

XII. Lect. Daniel. Proph. Nabuchodonoſor &c.

Omnipotens ſempiterne Deus, ſpes unica mundi, qui prophetarum tuorum præconio, præſentium temporum declaraſti myſteria! auge populi tui vota placatus, quia in nullo fidelium, niſi ex tua inſpiratione proveniunt quarumlibet incrementa virtutum, per. *g. gg.*

Cant. de Pſal. XLI. (1)

Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice propi-

(1) *San-Blaſ.* de pſalmo XLI. tractus *ſicut Cervus. Concede quæſumus, omnipotens Deus, ut qui feſta paſchalia agimus, cœleſtibus deſideriis accenſi fontem vitæ ſitiamus, Per.* Alia. *Omnipotens* ut ſupra.

Digitized by Google

propitius ad devotionem populi renaſcentis, qui ſicut cervus aquarum (1) expetit fontem; & concede propitius, ut fidei ipſius ſitis baptiſmatis myſterio animam corpusque ſanctificet, per.

Miſſa, vel dedicatio Baptiſterii.

Omnipotens ſempiterne Deus, hoc baptiſterium cœleſti viſitatione dedicandum, Spiritus tui illuſtratione ſanctifica! ut quoscunque fons iſte lavaturus eſt, trina ablutione purgati, indulgentiam omnium delictorum tuo munere conſequantur, per Dnm.

Orat. ad Miſſam.

Omnipotens ſempiterne Deus, fons omnium virtutum, & plenitudo gratiarum, dignare ædem ſacro baptiſmati præparatam maieſtatis tuæ præſentia conſecrare, ut qui ubique totus es, etiam hic adeſſe te noſtris precibus ſentiamus, per Dnm nrm.

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, preces noſtras cum oblationibus ſupplicantum, & concede propitius, ut quicquid hic novum regenerandi per Spiritum ſanctum acceperint, tua gratia fiat æternum, per Dnm. *in unitate eiusdem.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm; Per quem nobis regenerationis munus exortum eſt, ut (qui) per carnalem originem mortales in hoc ſæculo veneramus, ad ſpem vitæ æternæ ex aqua & Spiritu ſco renaſceremur. Quod ſacramentum pietatis tuæ Dne, ut in hoc loco gratiæ tuæ potentia celebretur, ſupplices tibi hoc ſacrificium laudis offerimus, obſecrantes miſericordiam tuam, ut huic fonti virtutem Spiritus tui indeſinenter præſidere concedas; quo operante omnes, qui in hæc fluenta deſcenderint, ab univerſorum criminum contagiis emundati, & perpetua ſanctificatione purgati, libro beatæ vitæ mereantur aſſcribi, per eundem Xpm Dnm nrm, per quem.

Infra act.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus in huius conſecratione baptiſterii, quæſumus Dne, ut placatus accipias, & tua pietate concedas, ut quoscumque fons iſte loturus eſt, omnium criminum abolitione purgentur, atque famulis tuis eiusdem conditoribus mercedem tanti operis promiſſa retributione rependas. Quam oblationem &c.

Ad Comm

Multiplica Dne benedictionem tuam, & per Spm tui muneris fidem noſtram corrobora! ut qui in hæc fluenta deſcenderint, eos in libro vitæ aſcribi iubeas, in regnum tibi Deo in reſurrectione tradendos, per.

Super populum.

Propitiare Dne familiæ tuæ, & benignus humilitatis noſtræ vota ſanctifica! & omnes in hoc fonte regenerandos univerſali adoptione cuſtodi, per.

Hoc expleto, procedit Pontifex hora nona de ſua ſedis ſtatione cum omni ordine ſacerdotum & cleri, lataniam canendo, præcedentibus duobus cereis ſtaturam hominis habentibus, cum turibulis, vel timiamateriis ad fontem benedicendum. Completa autem ipſa latania in circuitu fontis, facto ſilentio, benedicat Pontifex fontem ita: (2)

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, adeſto magnæ pietatis tuæ myſteriis, adeſto ſacramentis! & ad creandos novos populos, quos tibi fons baptiſmatis parturit, Spiritum adoptionis emitte, ut quod noſtræ humilitatis gerendum eſt miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu, per Dnm. in unitate eiusdem Spiritus ſci *per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. g. p. 73. gg.*
Dnus vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
Surſum corda. ℟. Habemꝰ ad Dnm.
Gratias agamꝰ Dno
Deo nro. ℟. Dignum & iuſtum eſt.

VD. uſque *æterne Deus. Qui inviſibili potentia ſacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum! & licet nos tantis myſteriis exſequendis ſimus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deſerens, etiam ad noſtras preces aures tuæ pietatis inclinas.*

Deus, cuius Spiritus ſuper aquas inter ipſa mundi primordia ferebatur, ut iam tunc

(1) *In margine* tuarum.

(2) In *Rhenaugienſi* ſeorſim poſt totius anni officia ſequitur in parte ſecunda ordo baptiſterii cum Miſſis etiam pro ſcrutinio, aliisque omnibus, ad catechumenos & ſolemnis baptiſmi ordinem pertinentibus.

tunc virtutem ſanctificationis aquarum natura comciperet;

Deus, qui nocentis mundi crimina per aquas abluens regenerationis ſpeciem in ipſa diluvii effuſione ſignaſti, ut unins eiusdemque elementi myſterio & finis eſſet vitiis, & origo virtutibus;

Reſpice Dne in faciem eccleſiæ tuæ, & multiplica in ea generationes tuas, qui gratiæ affluentis impetu lætificas civitatem tuam, fontemque baptiſmatis aperis toto orbe terrarum gentibus innovandis, ut tuæ maieſtatis imperio ſumat unigeniti tui gratiam de Spiritu ſancto;

Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam arcana ſui luminis admixtione fœcundet, ut ſanctificatione concepta ab immaculato divini fontis utero, in novam renata creaturam, progenies cœleſtis emergat;

Et quos aut ſexus in corpore, aut ætas diſcernit in tempore, omnes in unam gratia mater infantiam;

Procul, ergo hinc iubente te Dne, omnis ſpiritus immundus abſcedat: procul tota nequitia diabolicæ fraudis abſiſtat;

Nihil hic loci habeat contrariæ virtutis admixtio, non inſidiando circumvolet, non (1) latendo ſubripiat, non inficiendo conrumpat;

Sit hæc ſancta & innocens creatura libera ab omni impugnatoris incurſu, & totius nequitiæ purgata diſceſſu;

Sit fons vivus, aqua regenerans, unde (unda) purificans, ut omnes hoc lavacro ſalutifero diluendi, operante in eis Spiritu ſco, perfectæ purgationis indulgentiam conſequantur;

Unde bene†dico te creatura aquæ per De†um vivum, per De†um ſanctum! qui te in principio verbo ſeparavit ab arida, & in quatuor fluminibus totam terram rigare præcepit;

Qui te in deſerto amaram ſuavitate indita fecit eſſe potabilem, & ſitienti populo de petra produxit;

Bene†dico te & per Ihm Xpm filium eius unicum Dnm nrm, qui te in Chana Galileæ ſigno admirabili ſua potentia convertit in vinum; qui pedibus ſuper te ambulavit, & a Iohanne in Iordane in te baptizatus eſt;

Qui te unacum ſanguine de latere ſuo produxit; & diſcipulis ſuis iuſſit, ut credentes baptizarentur in te dicens: Ite docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. g. gg.

Hic mutas vocem quaſi lectionem legas.

Hæc nobis præcepta ſervantibus, tu Deus omnipotens, clemens adeſto, tu benignus aſpira, tu has ſimplices aquas tuo ore benedicito, ut præter naturalem emundationem, quam lavandis poſſunt adhibere corporibus, ſint etiam purificandis mentibus efficaces. *g. gg.*

Hic ponantur carei in fontem.

Deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus ſpiritus tui.

Ψ *Iuxta hanc figuram hic inſuffla tribus vicibus.*

Totamque huius aquæ ſubſtantiam regenerandi fœcundet effectu; hic omnium peccatorum maculæ deleantur; hic natura ad imaginem tuam condita, & ad honorem ſui reformata principii, cunctis vetuſtatis ſqualoribus emundetur.

Ut omnis homo hoc ſacramentum rege-

(1) *In Cod.* nec.

Digitized by Google

generationis ingreſſus in veræ innocentiæ novam infantiam renaſcatur; Per Dnm nrm Ihm Xpm filium tuum, qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. *g. gg.* (1)

Poſt hæc fundat ſacerdos chriſma in modum crucis ſuper ipſam aquam, ita dicens:

Sanctificetur & fœcundetur fons iſte in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſci.

Deinde miſceat ipſum chriſma cum eadem aqua, & aſpergat ſuper fontem, & ſuper circumſtantes. Et qui voluerint, accipiant de ipſa aqua in vaſis ſuis ad ſpargendum ubi velint. Et interroget presbyter ſymbolum tenentibus ipſis, qui eos ſunt ſuſcepturi, ita:

Credis in Deum Patrem omnipotentem?

℟. Credo.

Credis & in Ihm Xpm Filium eius unicum Dnm nrm natum & paſſum?

℟. Credo.

Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam eccleſiam catholicam, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem?

℟. Credo.

Tunc presbyteri vel diaconi, etiam ſi neceſſe erit, acoliti, accipiant eos a parentibus, & baptizent primo maſculos, deinde feminas ſub trina merſione ſanctam Trinitatem ſemel invocantes, ita dicendo:

Baptizo te in nomine Patris: *& mergat ſemel.* Et Filii: *& mergat ſecundo.* Et Spiritus ſancti. *& mergat tertio.*

Ut autem levantur a fonte, facit presbyter de chriſmate ſignum crucis cum pollice in vertice eorum dicens: (2)

Deus omnipotens, Pater Dni nri Ihu Xpi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſco, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum; ipſe te li†nit chriſmate ſalutis in vitam æternam.

Et tunc ſuſcipiantur ab his, qui eos ſuſcipere debent, detque eis ſacerdos pannum chriſmatis dicens: g. gg.

Accipe veſtem candidam, quam ſine macula repræſentes ante tribunal Xpi, ut habeas vitam æterniam, & ga•'eas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Tunc veſtiatur infans, & ſi Epus adeſt, ſtatim confirmari oportet, poſtea communicari. Omnino etiam præcavendum eſt; ut confirmatio non neg'igatur, quia tunc legitimum baptiſma Xpianitatis nomine confirmatur. Epiſcopus autem, ſi præſens non fuerit, antequam lactetur, aut aliquid accipiat, communicet eum ſacerdos corpori & ſanguini Dni, ita dicens:

Accipe corpus & ſanguinem Dni nri Ihu Xpi in vitam æternam.

Poſtea, ſi ſacerdos fuerit, dicat hanc orationem ſuper eum.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui regeneraſti hunc famulum tuum ex aqua & Spiritu ſco, quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum! tribue ei continuam & longævam ſanitatem ad agnoſcendam unitatis tuæ veritatem, per Dnum &c. in unitate eiusdem Spiritus ſci. *g. gg.*

Ordo, quomodo baptizati confirmentur.

Cum autem baptizati fuerint infantes, ſtatuentur per ordinem, & minores quidem in brachiis dextris habeantur: maiores vero pedem ponant ſuper pedem patroni ſui. Pontifex vero veniens ad infantes; tenente archidiacono chriſma, elevata manu ſuper capita omnium dicat: Spiritus ſanctus ſuperveniat in vos, & virtus Altiſſimi obumbret vobis. ℟. Amen. *& deinde dicat:*

Dnꝰ vobiscum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos & famulas tuas ex aqua & Spiritu tuo, quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum! emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum paraclitum de cœlis, Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilii & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ & pietatis, adimple eos Spiritu timoris Dni, & conſigna eos ſigno crucis in vitam propitiatus æternam, per Dnm. . . in unitate eiusdem Spiritus ſci. *g. gg.*

Ea finita tincto pollice in chriſma faciat crucem in fronte ſingulorum dicens:

Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo.

Tunc

(1) In *Rhenaugienſi* antiquiſſimo ſacramentario nil niſi hæc ſequitur rubrica. *In ordine ſuo inde benedicto* (fonte) *baptizas unumquemque.* Ac immediate ſubditur oratio *Deus omnipotens Pater Domini &c.*

(2) Poſt hanc orationem in antiquiſſimo ſacramentario *Rhenaugienſi*, in quo deeſt ordo confirmandi, hæc immediate ſequitur rubrica. *Deinde* vero cum letania aſcendit ad ſedem ſuam dicens: *Gloria in excelſis.* Add. GEL. p. 76. MURAT. p. 65.

Tunc pronunties Diaconus :
Humiliate vos ad benedictionem. ℟. Deo gratias.
Et Epiſcopus det benedictionem ſuper Confirmatos dicens :

Omnipotens Dnꝰ, qui vos fecit aqua baptiſmatis renaſci, ipſe vos corroboret dono ſeptiformis Spiritus paracliti, quia ſic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum, ut habeat regni cœleſtis introitum. Amen.

Benedicat vobis ex Sion, ut videatis bona Hieruſalem omnibus diebus vitæ veſtræ, & in omnibus ſumatis ſcutum fidei, ut mereamini in caſtris æterni regis aſcribi. Amen.

Cuſtodiatque vos in timore ſanctmo ſui, & tribuat vobis pacis unitatem, & contra omnes hoſtes victoriam triumphalem fidei quod tenetis, uſque in finem inpollutum cuſtodiatis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſco vivit.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritꝰ ſci deſcendat ſuper vos. Amen. ℟. Et cum ſpiritu tuo.
Et Diaconus dicat : Ite in pace.

Incipiunt or. ad fontes benedicendos.

Ambroſiana.

Omnipotens ſempiterne Deus, adeſto magnæ &c.
Ut ſupra in Gregoriano.

Deum immenſum, maieſtatis æternæ, ſuppliciter exoremus! ut per verbum & virtutem, & ſapientiam ſuam Dnm nrm Ihm Xpm, in hoc lavacro ſalutari peccatorum omnium admiſſa concedat, detque ſanctificationem ſuam aquis, ut quicumque eaſdem ingreſſi fuerint, remiſſionem criminum, & benedictionem conſequantur, per eundem Dnm nrm Ihm Xpm filium ſuum, ſecum viventem atque regnantem Deum in unitate Spiritus ſci, per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

Oremus, & deprecemur Dei Patris omnipotentis clementiam, ut famulis ſuis competentibus, quos in hac hora ad hunc beatæ regenerationis fontem dexteræ ſuæ protectione perduxit, det gratiam miſericordiæ ſuæ, & corda eorum ſpiritali repleat intellectu, ut cœleſte Sacramentum plena fide & credula mente ſuſcipiant. Nobis etiam famulis ſuis det veniam omnium delictorum, & gratiæ ſuæ præſentiam tribuat, ut myſteria ſalutaris baptiſmatis ſine offenſione celebremus, per Dnm nrm Ihm Xpm filium ſuum, ſecum viventem atque regnantem Deum in unitate Spiritꝰ ſci per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Inſuffla in ipſam aquam, *& dic:*

Adiuro te creatura aquæ per Deum verum, Deum vivum, Deum ſcm, qui te in principio a terra ſeparavit; qui te de paradiſi fonte ante produxit, & in quatuor fluminibus totam terram rigari præcepit; adiuro te per Dnm nrm Ihum Xpm, filium Dei vivi, qui te in Chana Galileæ ſigno admirabili in vinum convertit; qui pedibus ſuper te ambulavit, & a Iohanne in te eſt baptizatus; qui te amariſſimam aquam per lignum paſſionis ſuæ indulcavit, & populum ſitientem te de petra producens ſatiavit, & Naman Syrum in te a lepra ſua mundavit, & nomen tibi impoſuit Syloe, in qua cæcus, ut lumen reciperet, oculos lavari præcepit; qui te de latere ſuo unacum ſanguine produxit; qui diſcipulis ſuis dixit: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſci, (1) Efficere ergo aqua exorcizata, ad effugandam omnem diaboli infeſtationem, omneque phantaſma inimici! & ipſum inimicum eradicare & effugare, atque ſupplantare a ſervis Dei, qui in te hodie baptizandi ſunt! accepturi etiam remiſſionem peccatorum ſuorum, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Ieſu Xpi filii Dei vivi, qui venturꝰ eſt in Spiritu ſco iudicare ſæculum per ignem.

Item Benedictio fontis.

Sanc†tificare per verbum Dei unda cœleſtis! ſan†ctificare a†qua Xpi calcata veſtigiis; quæ montibus preſſa non clauderis; quæ ſcopulis illiſa non frangeris; quæ terris infuſa non deficis; tu ſuſtines aridam, portas montium pondera, nec demergis; tu cœlorum vertice contineris, circumfuſa per totum lavas omnia, nec lavaris; tu fugientibus Hebreorum populis in glaciem durata conſtringeris. tu rurſus altis reſoluta verticibus, Nili incolas perdis, & hoſtili globo freto ſæviente perſequeris; una eademque ſalus fidelium, & ultio criminoſis. Te per Moyſen percuſſa rupes evomuit, nec abdita cautibus latere potuiſti, cum maieſtatis imperio iuſſa prodires; tu geſtata nubibus imbre iocundo arva fœcundas, ne ſiccatis exanimata viſceribus, ſublimes neget terra proventus; A te principium, in te finis exultat; vel potius tuum eſt, ut terminum neſciamus; neque enim Dne omnipotens Pater, virtutum tuarum neſcii, aquarum merita laudamus, ſed in his operis tui prædicamus inſignia; ſuſcipe igitur noxios, ſolve captivos, redde quod in paradiſo Adam perdidit, quod uxor amiſit, quod intemperantia crudelis abſorbuit; da ſalutarem potum male ſaturis acerbitate pomorum! ut indigeſta mortalium & annoſa pernicies divino ſalvetur antidoto; ablue terram ſqualoris illuvie, diſcute paradiſi

(1) Uſque huc *Gelaſ.*

Digitized by Google

radiſi macheram flammeis obicibus fluctuantem; pateat redeuntibus floribus ruris ingreſſus, recipiant imaginem deitatis, olim perditam livore ſerpentis; quicquid noxium de prævaricatione contractum eſt, huiꝰ gurgitis puritate deponant; ſurgant ad requiem, producantur ad veniam, ut myſtico corpore & ſanguine innovati, & redemptos ſe noverint, & renatos, per Xpm filium tuum Dnm nrm, tecum viventem atque regnantem Deum in unitate Spiritus ſci, per omnia ſæcula ſæc. Amen.

Poſt hæc mittendum eſt chriſma in ipſam aquam, & deinde cum ingreſſus fuerit presbyter & diaconus in ipſum fontem, interrogantur a ſacerdote, qui fontem benedixit:

Quid veniſtis? ℞. Baptizare. *Et dicit ſacerdos:* Ite baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Interrogatio ſymboli.

Creditis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? ℞. Credimus. *Interrog.*

Et in Ihm Xpm filium eius unicum Dnm nrm natum & paſſum? ℞. Credimus. *Interrog.*

Creditis & in Spiritum ſcm, ſcam eccleſiam catholicam, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, & vitam æternam? ℞. Credimus. *Dicit ſacerdos:*

Baptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Dum ſignantur renati chriſmate, dicit ſacerdos:

Deus omnipotens Pater Dni nri Ihu Xpi, qui te regeneravit. *Ut ſupra.*

Or. poſt regreſſum a fonte.

Celebratis atque perfectis divini baptiſmatis ſacramentis, Dno cœli & terræ Deo Patri omnipotenti indefeſſas gratias referamus! ipſumque ſupplices poſtulemus, ut nos atque omnem familiam ſuam glorioſæ reſurrectionis Dni nri Ihu Xpi annuat eſſe participes, præſtante ipſo Dno nro Ihu Xpo filio ſuo, ſecum vivente atque regnante Deo in unitate Spiritus ſci per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Oratio in Sabbato ſancto Paſchæ Nocte ad Miſſam.

Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem gloria dominicæ reſurrectionis illuſtras! conſerva in novam familiæ tuæ progeniem adoptionis ſpiritum, quem dediſti; ut corpore & mente renovati, puram tibi exhibeant ſervitutem, per eundem. In unitate eiusdem Spiritus ſci. g. gg. *Alia.*

Deus qui per unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reſeraſti! da nobis quæſumus, ut qui reſurrectionis dominicæ ſolemnia colimus, per innovationem tui Spiritus a morte animæ reſurgamus, per eundem. In unitate eiusdem. *Secreta.*

Suſcipe, quæſumus Dne, & plebis tuæ & tuorum hoſtias renatorum! ut & confeſſione tui nominis & baptiſmate renovati, ſempiternam beatitudinem conſequantur, per. g.

Præfatio.

VD. æterne Deus! adeſt nobis optatiſſimum tempus, & deſideratæ noctis lumen advenit; quid enim maius vel melius inveniri poterit, quam Dni reſurgentis prædicare virtutem? hic namque inferorum clauſtra diſrumpens, clariſſima nobis hodie ſuæ reſurrectionis vexilla reportavit, & triumphato diabolo victor inclytus cœlorum regna conſcendit; atque hominem reparans, invidia inimici deiectum, mirantibus intulit aſtris. O noctis iſtius myſtica & veneranda commercia, o ſcæ matris eccleſiæ pia ſempiternaque beneficia! quia non vult Deus noſter habere quod perimat, ſed cupit invenire quod redimat; exultavit Maria in ſacratiſſimo puerperio! exultat eccleſia in filiorum ſuorum regenerationis ſacramento; ſic fons ille beatus, qui dominico lateri circumfluxit, moles expulit vitiorum, ut his ſacris altaribus vitalis eſca perpetuam vitam conferat renatorum; & ideo. g.

Digitized by Google

Alia Præfatio.

VD. æterne Deus! te quidem Dne omni tempore, ſed in hac potiſſimum nocte glorioſius prædicare, cum paſcha noſtrum immolatus eſt Xp9; ipſe enim verus eſt agnus, qui abſtulit peccata mundi; qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit; & ideo cum angelis & archangelis. g. gg.

Communicantes, & noctem ſacratiſſimam celebrantes reſurrectionis Dni nri Ihu Xpi ſecundum carnem, ſed & memoriam venerantes. *g. gg.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu ſancto, tribuens eis remiſſionem omnium peccatorum; quæſumus Dne, ut placatus. *g. gg.*

[*Item benedictio ſuper agnum in Paſcha.*

Deus creator univerſæ carnis, qui Noe & filiis eius de mundis & immundis animalibus præcepta dediſti! quique ſicut olera herbarum humano generi quadrupedia munda edere permiſiſti; qui agnum in Ægypto Moyſi & populo tuo in vigilia paſchæ comedere præcepiſti, in figuram agni Dni nri Ihu Xpi, cuius ſanguine omnia primogenita tibi de mundis redemiſti, & in nocte illa omne primogenitum in Ægypto percuti præcepiſti, ſervans populum tuum, agni ſanguine prænotatum. Dignare, Dne omnipotens, benedicere & ſanctificare has ovium mundarum carnes, ut quicumque ex eis de populis tuis fidelibus comederint, omni benedictione cœleſti, & gratia tua ſaturati, repleantur in bonis, per eundem Xpm Dnm nrm. Per quem hæc omnia Dne ſemper bona.]

Ad Comm.

Præſta quæſumus omnipotens Deus! ut divino munere ſatiati, & ſacris myſteriis innovemur & moribus, per Dnm. *g.*

Alia.

Spiritum nobis Dne tuæ caritatis infunde, ut quos ſacramentis paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes, per Dnm. In unit. eiusdem. *l. gg.*

Alia.

Digne nos tuo nomini, quæſumus Dne, famulari, ſalutaris cibus & ſacer potus inſtituat, & renovationem conditionis humanæ, quam myſterio continet, in noſtris iugiter ſenſibus operetur, per Dnm. *g. Fer. III. Paſch.*

Super populum.

Mentes noſtras, quæſumus Dne, lumine tuæ claritatis illuſtra! ut videre poſſimus quæ agenda ſunt, & quæ recta ſunt agere valeamus, per Dnm.

Alia Miſſa Gregoriana.

Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem. Ut ſupra.

Secreta.

Suſcipe Dne preces populi tui cum oblationibus hoſtiarum! ut paſchalibus initiatæ myſteriis, ad æternitatis nobis medelam te operante proficiant, per. gg.

Præfatio.

VD. te quidem Dne omni tempore. Ut ſupra. Infra Act.

Communicantes. Et hanc igitur. Ut ſup.

Ad Comm.

Spiritum nobis Dne tuæ caritatis. Ut ſupra.

Item

Digitized by Google

Item alia Ambroſiana.

Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem. *Ut ſupra.*

Secreta.

Deus, cuius munere honoranda baptiſmatis ſunt impleta myſteria! concede populo tuo, originalis delicti errore mundato, poſt ſacratiſſimum fontem terram tuæ promiſſionis intrare, ut dulcia ſacramentorum tuorum iam nunc alimenta percipiat, per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia vetuſtate deſtructa, vitæ nobis in Xpo reparatur integritas; propterea profuſis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat! ſed & ſupernæ virtutes & angelicæ concinunt poteſtates, hymnum gloriæ tuæ perpetim ſine ceſſatione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Ad Comm.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut divino. *Ut ſupra.*

Item alia eiusdem in Eccleſia maiore.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in omnium operum. *Ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui ſolemnitate paſchali cœleſtia mundo remedia benignus operaris, annuæ feſtivitatis huius nobis dona proſequere, ut per obſervantiam temporalem ad vitam perveniamus æternam, per. *g.*

Ad Comm. (1)

Accipe Dne munera exultantis eccleſiæ! & cui cauſam tanti gaudii contuliſti, perpetuæ fructum concede lætitiæ, per Dnm. *g.*

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare! Nos te quidem Dne omni tempore benedicere, ſed in hac potiſſimum nocte profuſius exultantibus animis prædicare, cum Paſcha nrm immolatus eſt Xpus; ille eſt enim verus agnus, qui abſtulit peccata mundi; qui mortem nram moriendo deſtruxit, & vitam nobis reſurgendo reparavit; unde profuſis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat! ſed & ſupernæ virtutes & angelicæ concinunt poteſtates, hymnum gloriæ tuæ ſine fine dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus. *g.* *Infra Act.*

Hanc igitur oblationem ſervitutis nræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Dne, ut placatus accipias, dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari, per Xpm vere ſanctum & benedictum Dnm nrm; qui cum Dominus eſſet maieſtatis, deſcendit de cœlo, formam ſervi, qui primus perierat, ſuſcepit, & ſponte pati dignatus, ut eum, quem ipſe fecerat, de morte liberaret; unde & hoc paſchale ſacrificium tibi offerimus, pro his quoque, quos ex aqua & Spiritu ſancto regenerare dignatus es, dans eis remiſſionem omnium peccatorum, ut invenires eos in Xpo Ihu Dno nro; pro quibus tibi Dne ſupplices fundimus preces, ut nomina eorum, pariterque famuli tui N. ſcripta habeas in libro viventium, per Xpm Dnm nrm; Qui pridie, quam pro noſtra & omnium ſalute pateretur, accipiens panem, elevavit oculos ad cœlos.

Ad Comm.

Cibi ſalutaris ac populi dona libantes, quæſumus Dne, ut qui paſchale myſterium ſumpſimus, prodeſſe nobis in perpetuum gaudeamus, per.

Ad Veſp.

Perveniant ad te Dne ſupplicum preces, ut quibus tuam clementiam noſſe tribuiſti, hanc eis facias iugiter non deeſſe, per.

Alia.

Da miſericors Deus, ut in reſurrectione Dni nri Ihu Xpi percipiamus veraciter portionem, per eundem. *g.* *Alia.*

Da univerſis famulis tuis, quæſumus Dne, plenius atque perfectius omnia paſchalis feſtivitatis introire myſteria, ut incunctanter pia corda cognoſcant, quantum debeant de confirmata in Xpo credentium glorificatione gaudere, per eundem Dnm nrm. *Alia.*

Paſchalia nobis Dne gaudia quæſumus, futuræ ſalutis æternitate confirma, per Dnm.

Oratio in Dominica ſancta Paſchæ ad Miſſam. G. & GG.

Deus, qui hodierna die per unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reſeraſti! vota noſtra, quæ præveniendo aſpiras, etiam adiuvando proſequere, per eundem Dnm nrm. *g. gg.*

Alia. G.

Deus, qui paſchale nobis remedium contuliſti, populum tuum cœleſti dono proſequere! ut inde poſt in perpetuum gaudeat, unde nunc temporaliter exultat, per. *El. g.*

Secreta. G. & GG.

Suſcipe, Dne quæſumus, preces populi tui cum oblationibus hoſtiarum, ut paſchalibus initiatæ myſteriis, ad æternita-

(1) I. *Secreta.*

tis nobis medelam te operante proficiant, per. *g. gg.* *Præfatio.* (1) G.

VD. & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, te quidem Dne omni tempore, ſed in hoc præcipue die laudare, benedicere, & prædicare, quando paſcha noſtrum immolatus eſt Xpus; per quem ad æternam vitam filii lucis oriuntur, fidelibus regni cœleſtis atria referantur, & beati lege commercii divinis humana mutantur, quia noſtrum omnium mors cruce Xpi perempta eſt, & in reſurrectione eius omnium vita reſurrexit; quem in ſuſceptione mortalitatis Deum maieſtatis agnoſcimus, & in divinitatis gloria Deum & hominem confitemur; qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit; & ideo cum angelis, & archangelis. *g. gg.*

Alia Præfatio. GG.

VD. & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, te quidem omni tempore, ſed in hac potiſſimum die glorioſius. Rel. ut ſupra.

Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes reſurrectionis Dni nri Ihu Xpi ſecundum carnem, ſed & memoriam.

Hanc igitur &c. ut ſupra.

Ad Comm. G. & GG.

Spiritum nobis Dne tuæ caritatis infunde, ut quos ſacramentis paſchalibus ſatiaſti, tua facias pietate concordes, per. in unit. eiuſdem. *l. gg.*

Super populum. G.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ad æternam vitam in Xpi reſurrectione nos reparas, cuſtodi opera miſericordiæ tuæ, & ſuavitatem corporis & ſanguinis Dni nri Ihu Xpi unigeniti filii tui noſtris infunde pectoribus, per eundem. *g.*

Ad Veſperum ad Scm IOHAN. G. & GG. (2)

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui reſurrectionis dominicæ ſolemnia colimus, innovatione tui ſpiritus a morte animæ reſurgam9, per eundem. In unit. eiuſd. Spiritus. *gg.*

Ad font. G. & GG.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui reſurrectionis dominicæ ſolemnia colimus, ereptionis noſtræ ſuſcipere lætitiam mereamur, per eundem. *gg.*

Ad Scm Andream.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui gratiam dominicæ reſurrectionis agnovimus, ipſi per amorem ſpiritus a morte animæ reſurgamus, per eundem. In unitate eiuſdem Spiritus ſci. *gg.*

Alia.

Deus, qui nos feciſti hodierna die paſchalia feſta celebrare, fac nos quæſumus, in cœleſti regno gaudere, per Dnm. *gg.*

Alia Miſſa Ambroſiana in Eccleſia minore pro Baptizatis.

Deus, qui humanam naturam ſupra primæ originis reparas dignitatem! reſpice ad pietatis tuæ ineffabile ſacramentum, ut quos regenerationis myſterio dignatus es innovare, in his dona tuæ perpetis gratiæ benedictionisque conſerva, per.

Alia.

---

(1) Abhinc *Eligianæ* præfationes, quæ hactenus ſemper fere cum noſtris conveniebant, ſunt diverſæ.

(2) Orationes *ad veſperum*, *ad S. Andream &c.* quæ hoc & ſequentibus diebus octavæ paſchalis notantur, collectæ habentur in antiquiſſimo *San-Gallenſi* cod. orationum pro præcipuis feſtis. Complectitur autem orat. ad matut. ſive ad veſper. poſt orationes paſchales, in feſto Annuntiationis S. MARIÆ; deinde poſt orationes in litania maiore in Aſcenſa Dni: die dominico Pentecoſten: nat. S. IOAN. *Baptiſtæ*: Apoſtolorum PETRI & PAULI ad vigil. & in Nativitate, ut ſuis locis notabimus. Nec quidquam aliud continet initio quidem & fine mancus codex ille collectarius ſeu orationum pro horis canonicis, quales paſſim copioſiores pro diebus feſtis, dominicis & feriis inter codices liturgicos *Alemanniæ* reperi.

Digitized by Google

Alia.

Deus, qui credentes in te fonte baptiſmatis innovaſti, hanc renatis in Xpo concede cuſtodiam, ut nullo erroris incurſu gratiam tuæ benedictionis amittant, per eundem. *g g.*

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, plebis tuæ & tuorum hoſtias renatorum! ut & confeſſione tui nominis, & baptiſmate renovati, ſempiternam beatitudinem conſequantur, per. *g.* (1)

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et pro humani generis mirabili reparatione exultantibus te gaudiis hac die laudare, quæ omnibus diebus temporibusque præcellens, & ſuæ crucis interitu, & beatæ reſurrectionis eſt clara primatu; in hac enim Unigenitus tuus, ut primogenitus eſſet ex mortuis, ad glorificandam in ſe carnis noſtræ animæque naturam, qua poteſtate occubuit, eadem reſurrexit; unde profuſis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed & ſupernæ virtutes, atque angelicæ poteſtates hymnum gloriæ tuæ concinunt ſine fine dicentes: Sc9 Sc9 Sc9.

Ad Compl.

Digne nos tuo nomini, quæſumus Dne, famulari ſalutaris cibus & ſacer potus inſtituat, ut renovatio conditionis humanæ, quam myſterio continet, in noſtris iugiter ſenſibus operetur, per Dnm nrm. *g* (2)

Item alia Miſſa Ambroſiana in Eccleſia maiore.

Deus, qui ad æternam vitam in Xpi reſurrectione nos reparas! da populo tuo fidei ſpeique conſtantiam, ut non dubitemus implenda, quæ te novimus auctore promiſſa, per eundem Dnm.

Alia.

Deus, qui per Unigenitum tuum æternitatis nobis aditum devicta morte reſeraſti! erige ad te fidelium corda, ut a terrenis cupiditatibus liberati, ad cœleſtia deſideria tranſeamus, per eundem.

Secreta.

Quæſumus Dne, ut iam non teneamur obnoxii damnationis humanæ ſententia, cuius nos vinculis hæc hoſtia paſchalis abſolvat, per Dnm nrm.

Præfatio.

Vere quia dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſancte Deus omnipotens gratias agere; nos devotas laudes referre, Pater inclyte, omnium auctor & conditor; quia cum Dnus eſſet maieſtatis Xp9 Ih9 filius tuus, ob liberationem humani generis crucem ſubire dignatus eſt; quem dudum Abraham præfigurabat in filio, turba Moſaica immaculati agni immolatione ſignabat; ipſe eſt enim, quem ſacra tuba cecinerat prophetarum; qui omnium peccata portaret, aboleret & crimina. Hoc eſt illud paſcha Xpi nobilitatum cruore, in quo fidelis populus præcipua devotione reſultat; o myſterium gratia plenum! o ineffabile divini muneris ſacramentum! o ſolemnitatum omnium honoranda ſolemnitas! in qua ut ſervos redimeret, mortalibus ſe præbuit occidendum. Quam utique beata mors, quæ mortis nodos reſolvit! Iam nunc ſentiat ſe tartareus princeps attritum, & nos de profundi labe eductos, ad cœleſte regnum conſcendiſſe gratulemur; Et ideo cum angelis & archangelis.

Communicantes, & diem. *Ut ſupra.*

Oremus.

Præceptis ſalutaribus moniti, & divina.

Vel:

Divino magiſterio edocti, & ſalutaribus monitis inſtituti audemus dicere: Pater noſter, qui es in cœlis.

Ad Comm.

Perpetuo Deus eccleſiam tuam pio favore tuere, ut paſchalibus reſuſcitata myſteriis, ad reſurrectionis perveniat claritatem, per Dnm nrm.

Ad Veſperum ut ſupra.

Feria II. ad S. PETRUM. G. & GG.

Deus, qui ſolemnitate paſchali mundo remedia contuliſti! populum tuum, quæſumus, cœleſti dono proſequere, ut & perfectam libertatem conſequi mereatur, & ad vitam proficiat ſempiternam, per. *gg.* *Alia.* G.

Paſchale myſterium recenſentes, apoſtolorum Dne beatorum precibus foveamur, quorum magiſterium cognovimus exſequendum, per Dnm. *g.*

Secreta.

Paſchales hoſtias recenſentes, quæſumus Dne! ut quod frequentamus actu, comprehendamus effectu, per *El.*

Alia

(1) Suſcipe Dne propitius munera famulorum tuorum, ut &c.

(2) Lectiones variantes hic iam THOMASIUS annotavit T. VI. p. 79. ex PAMELIO; concordatque noſtra lectio.

Digitized by Google

Alia Secreta. G. & GG.

Suſcipe, Dne quæſumus, preces populi tui. *Ut ſupra.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! & precari clementiam tuam! ut ad celebrandum digne paſchale myſterium, beatorum apoſtolorum precib9 adiuvemur; Et quorum prædicatione hæc credenda ſuſcepimus, eorum patrociniis fideliter exſequamur, per Xpm. *g. El.*

Alia Præfatio, Communicantes, & Hanc igitur &c. Ut ſupra. in GG.

Ad Comm. G.

Impleatur in nobis, quæſumus Dne, ſacramenti paſchalis ſancta libatio, noſque a terrenis affectibus ad cœleſte transferat inſtitutum, per Dnm nrm. *g. El.*

Alia ad Comm. G. & GG.

Spiritum nobis Dne tuæ caritatis infunde. Ut ſupra. *gg.*

Ad Veſp. G. & GG.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui peccatorum noſtrorum pondere premimur, a cunctis malis imminentibus per hæc paſchalia feſta liberemur, per. *gg.*

Ad font.

Deus, qui populum tuum de hoſtis callidi ſervitute liberaſti! preces eius miſericorditer reſpice, & adverſantes ei tua virtute proſterne, per. *gg.*

Ad Scm Andream. G. & GG.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut feſta paſchalia, quæ venerando colimus, etiam vivendo teneamus, per. *gg.*

Alia Miſſa Ambroſiana pro Baptizatis.

Deus, qui populum tuum de hoſtis. *Ut iuxta.*

Alia.

Da, quæſumus omnipotens Deus! ut eccleſia tua & ſuorum firmitate membrorum, & nova ſemper fœcunditate lætetur, per. *gg.*

Secreta.

Clementiam tuam ſuppliciter exoramus omnipotens Deus! ut populum tuum, quem ſacro baptiſmate renovare dignatus es, per hæc paſchalia munera ad æternæ vitæ gaudia pervenire concedas, per. *Præfatio.*

VD. æterne Deus! redemptionis noſtræ feſta recolentes, quibus humana ſubſtantia vinculis prævaricationis exuta, ſpem reſurrectionis per renovatam ſumpſit originis dignitatem, per Xpm Dnm nrm. *gg.* (1)

Ad Comm.

Solita (2) quæſumus Dne, quos ſalvaſti pietate cuſtodi, ut qui tua paſſione ſunt redempti, tua reſurrectione lætentur, qui vivis & regnas. *g.*

Item alia eiusdem. Or ſup. populum.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut huiꝰ paſchalis feſtivitatis mirabile ſacramentum & temporalem nobis tranquillitatem tribuat, & vitam conferat ſempiternam, per.

Alia.

Perfice Dne benignus in nobis paſchalium munerum votiva commercia, ut a terrenis affectibus ad cœleſte deſiderium transferamur, per.

Secreta.

Plebis tuæ Dne munera placatus admitte, ut quæ myſteriis paſchalibus exhibet, in tuæ remunerationis veritate percipiat, per.

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm; qui ſemper in nobis paſchale perficiat ſacramentum, ut per initiata remedia continuis educare non deſinat augmentis, unde profuſis gaudiis, & reliq. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Spiritum nobis Dne tuæ caritatis. *Ut ſupra.*

Ad Veſp.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui paſchalis feſtivitatis ſolemnia colimus, in tua ſemper ſanctificatione vivamus, per Dnm nrm. *gg.*

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ſpiritalibus gaudiis nos repleri, ut quod actu gerimus, mente ſectemur, per. *l.*

Fer. III.

Ad Scm PAULUM. G. & GG.

Deus, qui eccleſiam tuam novo ſemper fœtu

---

(1) In paſcha annotina, *æterne Deus, & redemptionis nræ feſta recolere, quibus &c.*

(2) Solicita &c. quos lavaſti, &c.

Digitized by Google

fœtu multiplicas, concede famulis tuis, ut ſacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt, per. *gg.*

Alia. G.

Deus eccleſiæ tuæ redemptor atque perfector, fac quæſumus, ut apoſtolorum precibus paſchalis ſacramenti dona capiamus, quorum nobis ea tribuiſti magiſterio prædicari, per. *g.*

Secreta. G.

Suſcipe, Dne quæſumus, oblationes familiæ tuæ, ut ſub tuæ protectionis auxilio & collata non perdant, & ad æterna dona perveniamus, per.

Alia. G. & GG.

Suſcipe Dne ſid. Ut ſupra. *gg.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm. qui oblatione ſui corporis, remotis ſacrificiis carnalium victimarum, ſeipſum tibi pro ſalute noſtra offerens, idem ſacerdos, & ſacer agnus exhibuit; per quem maieſtatem. *l.* (1)

Alia Præfat. Commun. & Hanc igitur. Ut ſupra.

Ad Comm. G. & GG.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut paſchalis perceptio ſacramenti continua in noſtris mentibus perſeveret, per. *gg.*

Ad Veſp. G. GG. & A.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui paſchalis feſtivit. *Ut ſupra. gg.*

Deus, qui conſpicis familiam tuam omni humana virtute deſtitui, paſchali interveniente ſolemnitate tui eam brachii protectione cuſtodi, per. *gg.*

Alia Miſſa Ambroſ. pro Baptizatis.

Deus qui eccleſiam tuam novo. *Ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui renatis ex aqua & Spiritu ſco cœleſtis regni pandis introitum! auge ſuper famulos tuos gratiam quam dediſti, ut qui ab omnib9 ſunt purgati peccatis, a nullis priventur promiſſis, per Dnm. In unit. eiusd. Spirit9. *g. gg.*

Secreta.

Suſcipe, Dne quæſumus, oblationes familiæ tuæ. *Ut ſupra*

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare; Nos te quidem Dne omni tempore benedicere, ſed in hoc præcipue die, quo Dni nri Ihu Xpi reſurrectio celebratur, omni devotione laudare; hoc itaque die, quo Xpus a mortuis reſurrexit, poteſtas diaboli cecidit, tartarea ſunt inferni vincula reſoluta, chirographum eſt antiquæ prævaricationis extinctum, & aculeus mortis obtritus; nos quoque de ſervitutis iugo dominationis Ægyptiæ per ſpiritales aquas educens, triumphator reſurrexit in gloriam. Propterea profuſis gaudiis totus in orbe. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Impleatur in nobis, quæſumus Dne, ſacramenti. *Ut ſupra.*

Item alia eiusdem. Or. ſuper populum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui populum tuum Unigeniti tui ſanguine redemiſti! ſolve opera diaboli, rumpe vincula peccati, ut qui æternam vitam in confeſſione tui nominis ſunt adepti, nihil debeant mortis auctori, per eundem Dnm nrm.

Alia.

Exaudi nos, miſericors Deus, & redemptionis noſtræ ſubſidia devota nos effice ſemper mente tractare, per.

Secreta.

Sacrificia Dne paſchalibus gaudiis immolamus, quibus eccleſia tua mirabiliter paſcitur & nutritur, per. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! tuam magnificentiam deprecantes, ut qui alligans fortem noſtri generis inimicum, vaſa eius diripere non deſiſtis, ad conſortium nos Xpi tui facias venire vincentes, per eundem Xpm.

Ad Comm. G. GG. & A.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut paſchalis perceptio.

Ad Veſp.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui peccatorum. *Ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui conſpicis familiam tuam omni humana. *Ut ſupra.*

Feria

(1) Qui ſeipſum tibi pro nobis offerens immolandum, idem ſacerdos &c. *g. El. gg.* parum var.

Digitized by Google

Feria IIII.
Ad S. LAURENTIUM foris murum. G. & GG.

Deus, qui nos reſurrectionis dominicæ annua ſolemnitate lætificas! concede propitius, ut per temporalia feſta, quæ agimus, pervenire ad gaudia æterna mereamur, per eundem. *gg.*

Alia. G.

Deus, qui ſolemnitate paſchali cœleſtia mundo remedia benignus operaris! annua feſtivitatis huius dona proſequere, ut obſervantia temporalis ad vitam nobis proficiat ſempiternam, per Dnm. *g.*

Secreta. G. GG. & A.

Sacrificia Dne paſchalibus gaudiis.

Præfatio.

VD. per Xpm. Dnm nrm; circumdantes altaria tua Dne virtutum, & in ipſius agni immaculati agnitione gloriantes, qui ſeipſum pro nobis obtulit immolandum; ut corpore eius & ſanguine, quo a peccatis redempti ſumus, ad æternam vitam ſacrificiis utique cœleſtibus nutriamur; per quem maieſtatem. *g.*

Alia Præfatio. Communicantes, & *Hanc igitur.* Ut ſupra.

Ad Comm. G. & GG.

Ab omni nos, quæſumus Dne, vetuſtate purgatos ſacramenti tui veneranda perceptio in novam transferat creaturam, per. *gg.*

Ad Veſp. G. GG. & A.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut huius paſchalis. *Ut ſupra. gg.*

Ad font. G. GG. & A.

Deus, qui nos per paſchalia feſta lætificas, concede propitius, ut ea, quæ devote agimus, te adiuvante fideliter teneamus, per Dnm. *gg.*

Ad Scm ANDREAM.

Tribue, quæſumus omnipotens Deus, ut illuc tendat Xpianæ devotionis affectus, quo tecum eſt noſtra ſubſtantia, per eundem. *l. gg.*

Alia Miſſa Ambroſiana pro Baptizatis.

Tuere familiam tuam, quæſumus Dne, paſchali myſterio gloriantem, ut cuius ſalutarem fidei veneratur originem, iugiter inſtituta cuſtodiat, per.

Alia.

Deus, conditor totius creaturæ, famulos tuos, quos fonte renovaſti baptiſmatis, quosque gratiæ tuæ plenitudine ſolidaſti, in adoptionis ſorte, quæſumus, facias dignanter aſſcribi, per. *gg.*

Secreta.

Clementiam tuam Dne ſuppliciter exoramus, ut quod paſchalis muneris ſacramentum fide recolimus, & ſpe deſideramus intenti, per tuam dilectionem capiamus, per. *g.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm; qui ſe pro nobis obtulit immolandum, ut corpore eius & ſanguine, quo a peccatis redempti ſumus, ad æternam vitam ſacrificiis cœleſtibus paſceremur; Propterea profuſis paſchalibus gaudiis totus in orbe.

Ad Comm.

Eccleſia tua Dne cœleſti gratia repleatur, atque ab omnibus vitiis expiata, percipiat ſempiternæ redemptionis augmentum, per Dnm nrm. *g.*

Item alia eiusdem. Or. ſuper populum.

Deus qui nos reſurrectionis dominicæ. *Ut ſupra.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui reſurgens a mortuis paſſione caſſata promptiorem te tuis diſcipulis reddidiſti! concede propitius, ut nos quoque maieſtatis tuæ myſteria celebrantes, præſentiæ divinæ beneficia conſequamur, qui vivis.

Secreta.

Accipe Dne preces nomini tuo dicatas cum oblationibus ſupplicantium, & quod myſteriis paſchalibus fideliter exſequimur, in tuæ remunerationis veritate percipiant, per Dnm.

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia refulſit in æternum dies noſtræ reſurrectionis, & gloriæ Dni nri Ihu Xpi, qui idem ſacerdos & hoſtia dignanter extitit, non

ſolum

Digitized by Google

ſolum qui ſanctificet populum, ſed ipſos quoque dicatos maieſtati tuæ commendet; unde profuſis. *Ut ſupra.* *Ad Comm.*

Ab omni nos, quæſumus Dne, vetuſtate. *Ut ſupra.* *Ad Veſp.*

Deus, qui nos per paſchalia feſta lætificas. *Ut ſupra.* *Alia.*

Tribue, quæſumus omnipotens Deus, ut illuc tendat. *Ut ſupra.*

Alia.

Da nobis, quæſumus Dne, ut quæ piis operibus celebramus, & intelligere poſſimus, & aſſequi, per Dnm.

Feria V. ad Apoſtolos. G. GG. & A.

Deus, qui diverſitatem gentium in confeſſione tui nominis adunaſti! da, ut renatis fonte baptiſmatis una ſit fides mentium, & pietas actionum, per. *gg.*

Alia. G. GG. & A.

Deus, qui multiplicas eccleſiam tuam in ſobole renaſcentium, fac eam gaudere propitius de ſuorum profectibus filiorum, per. *g.*

Secreta. G. GG. & A.

Suſcipe, quæſumus Dne, munera populorum tuorum propitius, ut confeſſione tui nominis & baptiſmate renovati, ſempiternam beatitudinem conſequantur, per Xpm Dnm nrm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia vetuſtate deſtructa renovantur univerſa deiecta, & vitæ nobis in Xpo reparatur integritas; per quem maieſtatem. *g.*

Alia Præfatio.

Communicantes, & *Hanc igitur*, ut ſupra. *Ad Comm.* G. & GG.

Exaudi Dne preces noſtras, ut redemptionis noſtræ ſacroſancta commercia, & vitæ nobis conferant præſentis auxilium, & gaudia ſempiterna concilient, per. *l.gg.*

Ad Veſp. G. GG. & A.

Deus, qui nobis ad celebrandum paſchale ſacramentum liberiores animos præſtitiſti! doce nos & metuere, quo iraſceris, & amare, quod præcipis, per. *gg.*

Ad font. G. & GG.

Da, quæſumus omnipotens Deus, ut eccleſia tua & ſuorum firmitate membrorum, & nova ſemper fœcunditate lætetur, per Dnm. *gg.*

Ad S. ANDREAM. G. & GG.

Multiplica, quæſumus Dne, fidem populi tui, ut cuius per te ſumpſit initium, per te conſequatur augmentum, per. *gg.*

Alia Miſſa Ambroſ. pro Baptizatis.

Deus, qui diverſitatem gentium. *Ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui multiplicas ſobolem renaſcentium, fac eos gaudere propitius de ſuorum venia peccatorum, per *g.*

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, munera populorum. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. Per Dnm nrm, de cuius morte vita ſurrexit, de paſſione ſalus aſcendit, de pœna crucis remedium pietatis, gloria de damnatione, medicina de vulnere; unus namque mori voluit, ne nos omnes moreremur: immo unus mori dignatus eſt, ut omnes nos perpetuo viveremus; propterea profuſis gaudiis.

Ad Comm.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui paſchalia ſacramenta percepimus, æternæ vitæ gaudia percipere mereamur, per.

Item alia eiusdem. Or. ſuper populum.

Deus, qui nobis ad celebrandum. *Ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui ad æternam vitam in Xpi reſurrectione reparas! erige nos ad conſedentem in dextera tua noſtræ ſalutis auctorem, ut qui propter nos iudicandus advenit, pro nobis iudicaturus mitis adveniat Dn9 noſter, qui tecum.

Secreta.

Concede, miſericors Deus, ut quod paſchalibus exſequimur inſtitutis, fructiferum nobis omni tempore ſentiamus, per Dominum noſtrum. *g.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm; qui oblationem ſui corporis, remotis ſacrificiis carnalibus victimarum, ſeipſum tibi pro ſalute noſtra offerens, idem ſacerdos & ſacer agnus exhibuit; unde profuſis gaudiis totus in orbe. *g.*

Ad Comm.

Exaudi Dne preces noſtras, ut redempt. *Ut ſup.*

Die V. menſis April.

Depoſit. S. AMBROSII Epi.

Oratio ſuper populum.

Deus, qui propter eccleſiæ tuæ gubernacula diſponenda, ſic eius principes ſublimaſti, ut minimos quosque non deſeras; præſta quæſumus, ut apoſtolicæ fidei doctrinæque veſtigia vel longe ſequamur imitando, quæ licet infirmo comitamur officio, per.

Alia.

Sci Ambroſii nos Dne iugiter proſequatur oratio, ut quod petitio noſtra non impetrat, ipſo pro nobis interveniente præſtetur, per.

Secreta

Hæc in nobis ſacrificia Deus, intercedente beatiſſimo Confeſſore tuo Ambroſio, & actione permaneant, & operatione firmentur, per.

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm; In cuius ſalutifera oportunitatis reſurrectione magnis exultationibus, atque gaudiorum lætitia totius mundi orbis exultat; quo etiam ſacratiſſimo ſinceritatis die almificus antiſtes Ambroſius ætherium migravit ad regnum, quem infantum caterva ſacri baptiſmatis perfuſione dicata, tribunali throno decibiliter conſedentem, ſuis digito parentibus inſignabat; & quia iam ætate vergentes, obtecta piaculis lumina geſtabant, natorum munda corda ferentium, creduli demonſtratione pariter & animo exiltebant. O quam digna paſtoralis actio declaratur in populis! quæ glorioſius in vita fulgidis prædicationum viſibus rutilabat; Et ideo cum angelis.

Ad Comm.

Hæc nos communio Dne purget a crimine, & intercedente beato ſacerdote & confeſſore tuo Ambroſio cœleſtibus remediis faciat eſſe conſortes. *l. gg.*

Feria VI.

ad Scam MARIAM ad Mart. G. & GG.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui paſchale ſacramentum in reconciliationis humanæ fœdere contuliſti! da mentibus noſtris, ut quod profeſſione celebramus, imitemur effectu, per Dnm. *gg.*

Alia. G.

Deus, qui ad cœleſte regnum nonniſi renatis ex aqua & Spiritu ſancto pandis introitum! auge ſemper ſuper famulos tuos gratiæ tuæ dona, ut qui ab omnibus ſunt purgati peccatis, a nullis fraudentur promiſſis, per. *g.*

Secreta. G. & GG.

Hoſtias, quæſumus Dne, placatus aſſume, quas & pro renatorum expiatione peccati deferimus, & pro acceleratione cœleſtis auxilii, per Dnm nrm. *gg.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm; qui cœleſtis pontifex factus in æternum, ſolus omnium ſacerdotum peccati remiſſione non eguit, ſed potius peccatum mundi idem verus agnus abſterſit; per quem maieſtatem. *g. El.*

Alia Præfatio. *Communicantes. & Hanc igitur.* Ut ſupra.

Ad Comm. G. GG.

Reſpice, quæſumus Dne, populum tuum, & quem æternis dignatus es renovare myſteriis, a temporalibus culpis dignanter abſolve, per. *gg.*

Ad Veſp. in Hieruſalem. G. & GG.

Deus, per quem nobis & redemptio venit, & præſtatur adoptio; reſpice in opera miſericordiæ tuæ, ut in Xpo renatis & æterna tribuatur hæreditas, & vera libertas, per eundem. *gg.*

Ad fontes. G. & GG.

Adeſto, quæſumus Dne, familiæ tuæ, & dignanter impende, ut quibus fidei gratiam contuliſti, & coronam largiaris æternam, per Dnm. *gg.*

Alia,

Digitized by Google

Alia. GG.

Familiam tuam, quæſumus Dne, dextera tua perpetuo circumdet auxilio, ut paſchali interveniente ſolemnitate, ab omni pravitute defenſa, donis cæleſtibus proſequatur, per. gg.

Alia Miſſa, Ambroſiana pro Baptizatis.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui populum tuum, quondam Iordane transiecto, terram feciſti promiſſionis intrare! præſta quæſumus, ut ſignificationis antiquæ & veritatis patefacta myſteria, per ſacramenta baptiſmatis, adoptionis tuæ filii regno cœleſti mereantur aſſcribi, per.

Alia.

Deus, qui credentes in te populos gratiæ tuæ largitate multiplicas! reſpice propitius ad electionem tuam, ut qui ſacramento baptiſmatis ſunt renati, regni cœleſtis mereantur introitum, per Dnm. *g. gg.*

Secreta.

Hoſtias Dne quæſumus placatus aſſume. *Ut ſup.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm; qui ſecundum promiſſionis ſuæ incommutabilem veritatem cœleſtis portifex factus in æternum, ſolus omnium ſacerdotum. *Ut ſupra. g. gg.*

Ad Comm.

Fac, quæſumus omnipotens Deus, ut qui paſchalibus remediis innovati, ſimilitudinem terreni parentis evaſimus, ad formam cœleſtis transferamur auctoris, qui tecum. *gg.*

Item alia eiusdem in Eccleſia maiore.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui paſchale. *Ut ſupra.*

Alia.

Da nobis Dne, quæſumus, paſchalia gaudia, ut quæ lætanter exſequimur, perpetua virtute nos tueantur, & ſalvent, per.

Secreta.

Accipe (1) Dne fidelium preces cum oblationibus hoſtiarum, ut per hæc piæ devotionis officia ad cœleſtem gloriam tranſeamus, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Poſcentes, ut cuius muneris myſticum pignus accepimus, manifeſta dona comprehendere valeamus; & quæ nobis fideliter ſperanda paſchale contulit ſacramentum, attingere mereamur reſurrectionis dominicæ firmitate, per eundem Xpm. *gg.* (2)

Ad Comm.

Reſpice, quæſumus Dne, populum tuum. *Ut ſup.*

Ad Veſp.

Deus, per quem nobis & redemptio venit. *Ut ſupra.*

Alia.

Adeſto, quæſumus Dne, familiæ tuæ. *Ut ſupra.*

Sabbato ad S. IOHANNEM. G. GG. & A.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui feſta paſchalia venerando egimus, per hæc contingere ad gaudia æterna mereamur, per. *gg.*

Alia. G.

Deus innocentiæ reſtitutor & amator, dirige ad te tuorum corda famulorum, ut de infidelitatis tenebris liberati, nunquam a tuæ veritatis luce diſcedant, per. *g.*

Secreta. G. & GG.

Concede, quæſumus Dne, ſemper nos per hæc myſteria paſchalia gratulari, ut continua noſtræ reparationis operatio perpetuæ nobis fiat cauſa lætitiæ, per. *g. gg.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! Et te ſuppliciter obſecrare, per Ihm Xpm Dnm nrm; ut cuius muneris pignus accepimus, manifeſta dona comprehendere valeamus; & quæ nobis fideliter ſperanda paſchali contulit ſacramento, reſurrectionis eius attingere mereamur exemplo; per quem maieſtatem. *g. El.*

Alia Præfatio, *Communicantes*, & *Hanc igitur.* Ut ſupra.

Ad Comm. G. GG. & A.

Redemptionis noſtræ munere vegetati, quæſumus Dne, ut (per) hoc perpetuæ ſalutis auxilium fides ſemper vera perficiat, per Dnm. *l. gg.*

Ad Veſp. ad S. MARIAM. G. GG. & A.

Deus totius conditor creaturæ, famulos tuos, quos fonte renovaſti baptiſmatis. *Ut ſupra. gg.* Deus

---

(1) Suſcipe &c. (2) Per quem ſupplices expoſcim9 &c.

Deus, qui multiplicas eccleſiam tuam. *Ut ſupra gg.* G. GG. & A.

Alia Miſſa Ambroſii pro Baptizatis.

Deus, humani generis reparator & rector! fac eccleſiam tuam in nova plebe ſemper augeri, & devotione cunctorum creſcere filiorum, per. *g.*

Alia.

Largire, quæſumus, eccleſiæ tuæ Deus, & a ſuis ſemper, & ab alienis abſtinere delictis, ut pura tibi mente ſerviens, pietatis tuæ remedia ſine ceſſatione percipiat, per. *g.*

Secreta.

Familiam tuam Dne, quam per paſchalia feſta lætificas, his quoque ſacrificiis a cunctis defende periculis, per.

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare; Nos te omnipotens Dne ſuppliciter exorare, ut fidelibus tuis dignanter impendas, quo & paſchalia capiant ſacramenta, & deſideranter expectent ventura; ut in myſteriis, quibus renati ſunt, permanentes, ad novam vitam his operantibus perducantur; Et ideo cum angelis. *g.*

Ad Compl.

Exaudi nos, omnipotens Deus, & familiæ tuæ corda, cui perfectam baptiſmatis gratiam contuliſti, ad promerendam beatitudinem aptes æternam, per Dnm. *g.*

Item alia eiusdem in Eccleſia maiore.

Concede, quæſumus, omnipotens Deus, ut qui feſta. *Ut ſupra.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, quem docente Spiritu ſco paterno nomine invocare præſumimꝰ, effice in nobis filiorum corda fidelium, ut hæreditatem promiſſam mereamur ingredi per debitam ſervitutem, per Dnm nrm. In unitate eiusd. Spir.

Secreta.

Accipe, Dne, fidelium preces cum oblationibus ſupplicantium, ut paſchalibus initiatæ myſteriis, ad æternitatis nobis proficiant hæc dona ſuffragium, per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! & nunc maxime gratulari, quando dies ſalutis noſtræ, & tuæ erga nos pietatis myſterium ſolemniter celebratur, quo de tenebris captivitatis antiquæ filii lucis & libertatis efficimur, & terrenis exuti, ad cœleſtia regna tranſimus; propterea profuſis. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Redemptionis noſtræ munere vegetati. *Ut ſupra.*

Alia.

Præſta quæſumus, omnipotens Deus, ut nova proles eccleſiæ ſempiterna retributione percipiat, quod magnis eſt myſteriis affecuta, per Dnm.

Ad Veſper. G. GG. & A.

Deus, qui multiplicas eccleſiam tuam. *Ut ſupra.*

Die Dominica poſt Albas. G. GG. & A.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui paſchalia feſta peregimus, hæc te largiente moribus & vita teneamus, per. *gg.*

Alia. G.

Deus, qui renatis baptiſmate mortem adimis, & vitam tribuis ſempiternam! concede, quæſumus, ut quorum nunc regenerationis ſacræ diem celebramus octavum, ita corpora eorum animasque cuſtodias, ut gratiam ſe catholicæ fidei percepiſſe, pietatis tuæ defenſione cognoſcant, per Dnm nrm. *g.*

Secreta. G. GG.

Suſcipe munera, quæſumus Dne, exultantis eccleſiæ, & cui cauſam tanti gaudii præſtitiſti, perpetuum fructum concede lætitiæ, per Dnm nrm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! ſuppliciter obſecrantes, ne nos ad illum ſinas redire actum, cui iure dominetur inimicus, ſed in hac potius facias abſolutione perſiſtere, per quam diabolus factus eſt filio tuo vincente captivus, per eundem Xpm. *El. gg.*

Hanc igitur. *Ut ſupra.*

Poſtcomm. G.

Exuberet, quæſumus Dne, in mentibus noſtris paſchalis gratia ſacramenti, & donis ſuis ipſa nos dignos efficiat, per. *g.*

Alia ad Comm. GG.

Quæſumus, Dne Deus noſter, ut ſacroſancta myſteria, quæ pro reparationis noſtræ munimine contuliſti, & præſens nobis remedium eſſe facias & futurum, per. gg.

Ad

Digitized by Google

Ad Veſp. G.

Maieſtatem tuam, Dne, ſupplices exoramus, ut quos viam feciſti perpetuæ ſalutis intrare, nullis permittas errorum laqueis implicari, per Dnm nrm. *g.*

Ad Scm COSMAM & DAMIANUM. G. & GG.

Deus, qui nos exultantibus animis paſcha tuum celebrare tribuiſti! fac nos, quæſumus, & temporalibus gaudere ſubſidiis, & æternitatis effectibus gratulari, per Dnm nrm. *g. gg.*

Alia. GG.

Largire, quæſumus Dne, fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem, ut pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura tibi mente deſerviant, per Dnm. nrm. *gg.*

Alia Miſſa Ambr. Albis depoſitis. Orat. ſuper populum.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui paſchalia. *Ut ſupra.*

Alia

Deus innocentiæ reſtitutor & amator. *Ut ſupra.*

Secreta.

Reſpice Dne munera exultantis eccleſiæ, & ſaluti credentium perpetua ſanctificatione ſumenda concede, per. *gg.* (1)

Præfatio.

VD. æterne Deus! ſuppliciter exorantes, ne nos ad illum ſinas redire actum. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Exuberet, quæſumus Dne, mentibus noſtris. *Ut ſupra.*

Aliæ Orationes Paſchales.

Deus, qui omnes in Xpo renatos genus regium & ſacerdotale feciſti; da nobis & velle & poſſe quæ præcipis, ut populo ad æternitatem vocato una ſit fides cordium & pietas actionum, per eundem. *g. El. gg.* *Alia.*

Deus, qui pro ſalute mundi ſacrificium paſchale feciſti! propitiare ſupplicationibus noſtris, ut interpellans pro nobis pontifex ſummus, nos per id, quod noſtri eſt ſimilis, reconciliet, per id, quod tibi eſt æqualis, abſolvat, qui tecum. *g. El. gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui humanam naturam ſupra primæ originis reparas dignitatem! reſpice pietatis tuæ ineffabile ſacramentum, & quos regenerationis myſterio innovare dignatus es, in his dona tua perpetua gratiæ protectione conſerva, per Dnm. *g.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, deduc nos ad ſocietatem cœleſtium gaudiorum, ut Spiritu ſco renatos regnum tuum facias introire, atque eo perveniat humilitas gregis, quo præceſſit celſitudo paſtoris, qui tecum. *g. gg.*

Alia.

Præſta nobis, omnipotens & miſericors Deus, ut in reſurrectione Dni nri Ihu Xpi percipiamus veraciter portionem, per eundem Dnm nrm. *g. gg.*

Alia.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut veterem cum ſuis actibus hominem deponentes, illius converſatione vivamus, ad cuius nos ſubſtantiam paſchalibus remediis tranſtuliſti, per eundem. *gg.*

Alia.

Repelle Dne conſcriptum peccati lege chirographum, quod in nobis paſchali myſterio per reſurrectionem tui filii vacuaſti, per eundem. *g. gg.*

Alia.

Deus, qui ad æternam vitam in Xpi reſurrectione nos reparas! imple pietatis tuæ ineffabile ſacramentum, ut cum in maieſtate ſua ſalvator noſter advenerit, quos feciſti baptiſmo regenerari, facias beata immortalitate veſtiri, per eundem. *g. gg.*

Alia.

Deus humani generis conditor & redemptor! da quæſumus, ut reparationis

(N) 3 noſtræ

---

(1) Supplicantis eccl. &c. Dom. IV. poſt Pent. &c.

Digitized by Google

noſtræ collata ſubſidia te iugiter inſpirante ſectemur, per. *gg*.

Alia.

Gaudeat Dne plebs fidelis! & cum propriæ recolit ſalvationis exordia, eius promoveatur augmentis, per. *gg*.

Alia.

Deus, qui renatis ex aqua & Spiritu ſco cœleſtis regni pandis introitum! auge ſuper famulos tuos gratiam quam dediſti, ut qui ab omnibus ſunt purgati peccatis, a nullis priventur promiſſis, per Dnm. In unitate eiusdem Spiritus ſci. *g*. *gg*. *Alia.*

Paſchalibus nobis, quæſumus Dne, remediis dignanter impende, ut terrena deſideria reſpuentes, diſcamus inhiare cœleſtia, per Dnm nrm. *g*.

Alia.

Quæſumus omnipotens Deus, ut iam non teneamur obnoxii ſententia damnationis humanæ, cuius nos vinculis hæc redemptio paſchalis abſolvit, per Dnm. *g*.

Alia.

Concede miſericors Deus, ut quod paſchalibus exſequimur inſtitutis, fructiferum nobis omni tempore ſentiamus, per. *g*.

Alia.

Adeſto, quæſumus Dne, familiæ tuæ, & dignanter impende, ut quibus fidei gratiam contuliſti, & coronam largiaris æternam, per Dnm nrm. *g*.

Alia.

Da miſericors Deus, ut in reſurrectione Dni nri Ihu Xpi inveniamus & nos veraciter portionem, per eundem. *g*. *gg*.

Alia.

Exaudi nos omnipotens Deus, & familiæ tuæ corda, cui perfectam baptiſmi gratiam contuliſti, ad promerendam beatitudinem aptes æternam, per Dnm. *g*. *El.* *Alia.*

Conſerva nobis Dne miſericordiam tuam, & quos ab erroris liberaſti caligine, veritatis tuæ firmius inhærere facias documento, per. *g*. *El.*

Alia.

Solita, quæſumus Dne, quos ſalvaſti, pietate cuſtodi, ut qui tua paſſione ſunt redempti, tua reſurrectione lætentur, qui cum Deo Patre & Spiritu ſco. *g*. *El.* *Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, propenſius his diebus tuam miſericordiam conſequamur, quibus eam plenius te largiente cognovimus, per Dnm nrm. *g*.

Ad Comm. Diebus Feſtis.

Præſta quæſumus Dne Deus noſter, ut quæ ſolemni celebramus officio, purificatæ mentis intelligentia conſequamur, per *gg*.

Alia. GG.

Cœleſti lumine, quæſumus Dne, ſemper & ubique nos præveni, ut myſterium, cuius nos participes eſſe voluiſti, & puro cernamus intuitu, & digno percipiamus effectu, per. *gg*.

Alia. G.

Præſta nobis, omnipotens Deus, ut percipientes paſchali munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus, per. *g*.

Alia.

Deus, qui per unigenitum tuum devicta morte æternitatis nobis aditum reſeraſti, erige ad te tuorum corda credentium, ut omnes regenerati apprehendant meritis, quod ſuſcepere myſteriis, per eundem. *g*. *Alia*

Xpianam, quæſumus Dne, reſpice plebem, & quam æternis dignatus es renovare myſteriis, a temporalibus culpis dignanter abſolve, per Dnm. *g*.

Alia.

Deus, qui ſenſus noſtros terrenis actionibus perſpicis retardari! concede quæſumus, ut tuo potius munere tuis aptemur remediis, per Dnm *g*.

Alia.

Largire, quæſumus, eccleſiæ tuæ Deus, & a ſuis ſemper & ab alienis abſtinere delictis, ut pura tibi mente deſerviens, pietatis tuæ remedia ſine ceſſatione percipiat, per. *g*.

Orationes de Paſcha Annotino. G.

Deus, apud cuius providentiam nec præteritorum momenta deficiunt, nec ulla ſupereſt expectatio futurorum! tribue permanentem, peractæ, quam colimus, ſolemnitatis effectum, ut quod recordatione percurrimus, ſemper in opere teneamus, per. *g*.

Alia. G.

Deus, qui renatis fonte baptiſmatis delictorum veniam tribuiſti! præſta miſericors

cors, ut recolentibus huius nativitatis inſignia, plenam adoptionis gratiam largiaris, per. *g.* *Secreta.* G.

Clementiam tuam Dne ſuppliciter exoramus, ut paſchalis muneris ſacramentum, quod fide recolimus, & ſpe deſideramus intenta, perpetua dilectione capiamus, per. *g.* *Præfatio.* G.

VD. æterne Deus! Et redemptionis noſtræ feſta recolere, quibus humana ſubſtantia, vinculis prævaricationis exuta, ſpem reſurrectionis per renovatam originis dignitatem percepit, per Xpm Dnm. *g.*

Infra Act. G.

Hanc igitur oblationem famulorum famularumque tuarum, quam tibi offerunt, annua recolentes myſteria, quibus eos tuis adoptaſti regalibus inſtitutis, quæſumus Dne, placatus intende; pro quibus ſupplices preces effundimus, ut in eis & collata cuſtodias, & promiſſæ beatitudinis præmia largiaris. Dieſque noſtros. *g.*

Ad Comm. G.

Tua nos, quæſumus Dne, quæ ſumpſimus, ſancta purificent, & operationis ſuæ remedio perficiant eſſe placatos, per. *g.*

[*Orat. & Preces in Parœchiis.* G. (1)

Deus qui humani generis es reparator & rector! da quæſumus, eccleſiam tuam & nova prole ſemper augeri, & devotione ſuorum creſcere filiorum, per. *g.*

Alia. G.

Renovatos, Dne, fontis ac ſpiritus tui potentia in hæreditarium populum clementer adnumera, ut qui a multitudine purgati ſunt criminum, inviſibilium etiam mereantur copiam præmiorum, per. *g.*

Secreta. G.

Offerimus tibi Dne laudes & munera, & pro conceſſis beneficiis exhibentes gratias, & pro concedendis ſuppliciter deprecantes, per. *g.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! & te ſuppliciter exorare, ut fidelibus tuis dignanter impendas, quo & paſchalia capiant ſacramenta, & deſideranter expectent ventura; ut in myſteriis, quibus renati ſunt, permanentes, ad novam vitam his operibus perducantur, per Xpm Dnm. *g.*

Ad Comm. G.

Adiuvet nos, quæſumus Dne, ſcm iſtud paſchale myſterium, & ut devotis hoc mentibus exſequamur, obtineat, per. *g.*

Alia. G.

Populus tuus, quæſumus Dne, renovata ſemper exultet animæ iuventute, ut qui antea peccatorum veternoſo in mortem venerat ſenio, nunc lætetur in priſtinæ ſe novitatis gloriam reſtitutum, per.] *g.*

Dom. I. poſt Octavas Paſchæ. G.

Deus, qui in filii tui humilitate iacentem mundum erexiſti, fidelibus tuis perpetuam concede lætitiam, ut quos perpetuæ mortis eripuiſti caſibus, gaudiis facias perfrui ſempiternis, per eundem. *g.* *El.* *gg.* (2) *Alia.*

---

(1) Hic loci in antiquiſſimo *Alemannico* cod. *Rhenaug.* ponitur Annuntiatio S. MARIÆ; in antiquiori *San-Gallenſi* vero poſt *orat. & preces in parochiis*, quæ in *Rhenaugienſi* deſunt. Feſtum illud iuxta ſacramentarium triplicis ritus, quod hic edimus, ſupra p. 31. retulimus, notare autem neglegimus orationes tres poſteriores, *Beatæ & glorioſæ Virginis &c.* quæ p. 32. habentur, occurruntque in vulgato *Gelaſiano*, ac in collectario ſeu codice orationum antiquiſſimo *San-Gallenſi ad matut. ſive ad veſper.* & quidem poſt orationes paſchales, quales hic leguntur, paucis exceptis, quæ tamen ex vulgatis *Gelaſiano & Gregoriano* MURATORII ſuppleri poſſunt.

(2) Dom. I. poſt oct. Paſch.

Alia. G.

Deus, in cuius præcipuis mirabilibus eſt humana reparatio, ſolve opera diaboli, & mortifera peccati vincula diſrumpe, ut deſtructa malignitate, quæ nocuit, vincat miſericordia, quæ redemit, per. *g.*

Secreta. G.

Benedictionem Dne nobis conferat ſalutarem ſacra ſemper oblatio, ut quod agit myſterio, virtute perficiat, per. *g. gg. l. c.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! quem maieſtatem tuam precari ſine ceſſatione debemus, ut ignorantiam noſtræ mortalitatis attendens, ex tua inſpiratione nos facias poſtulare, quod rectum eſt, & tua clementia tribuas impetrare, quod poſcimus per Xpm Dnm.

Ad Comm. G.

Præſta nobis, omnipotens Deus, ut vivificationis tuæ gratiam conſequentes, in tuo ſemper munere gloriemur, per. *g. gg. ib.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Miſericors Dne, fidelium tuorum conſolator & doctor! auge in eccleſia tua deſideria, quæ dediſti, & de intelligenda altitudine promiſſionum, ſperantium in te corda confirma, ut omnes adoptionis filii lumen, quod nondum oſtendis, fidei oculis incunctanter intueantur, & patienter expectent, per. *Secreta.*

Deus, qui nos per huius ſacrificii veneranda commercia unius ſummæ divinitatis participes effeciſti! præſta quæſumus, ut ſicut tuam cognoſcimus veritatem, ſic eam dignis moribus aſſequamur, per. *gg.* (1) *Præfatio.*

VD. æterne Deus! qui omnia mundi elementa feciſti, & varias diſpoſuiſti temporum vices, atque homini ad tuam imaginem condito, univerſa ſimul animantia rerumque miracula ſubieciſti; cui licet origo terrena ſit, tamen generatione baptiſmatis cœleſtis ei vita confertur; nam devicto mortis auctore, immortalitatis eſt gratiam conſecutus, & prævaricationis errore caſſato, viam repperit veritatis, per Xpm Dnm.

Ad Comm.

Præſta nobis omnipotens & miſericors Deus, ut vivificationis tuæ gratiam conſequentes, in tuo ſemper munere gloriamur, per. *gg.*

XII. Kl. Apr.
Nat. S. BENEDICTI Abb.

Aures tuas, quæſumus Dne, precibus noſtris inclina, ut qui peccatorum noſtrorum flagellis percutimur, intercedente confeſſore tuo Benedicto tua gratia liberemur, per. *gg.* (2)

Alia.

Deus qui nos beati Benedicti confeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas! concede propitius, ut cuius natalicia colimus, per eius apud te exempla gradiamur, per. *gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſo in beati Benedicti Abbatis exemplo humilitatis triumphale nobis oſtendiſti iter! da quæſumus, ut viam tibi placitæ obedientiæ, per quam ille venerabilis Pater illæſus antecedebat, nos præclaris eius meritis adiuti, ſine errore ſubſequamur, per.

Secreta.

Paternis interceſſionibus magnifici paſtoris Benedicti quæſumus familiæ tuæ omnipotens Deus commendetur oblatio, cuius vitalib9 decoratur exemplis, per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et gloriam tuam profuſis precibus exorare, ut ſci Benedicti patrocinio nos adiuvante, debita nomini tuo ſervitute placeamus, per Xpm. *Ad Comm.*

Perceptis Dne Deus noſter ſacramentis ſalutaribus humiliter deprecamur, ut intercedente beato Benedicto abbate, quæ pro illius venerando egimus obitu, nobis proficiant ad medelam, per Dnm nrm. (3)

III.

---

(1) Dom. III. poſt oct. Paſch.

(2) Ultima pro peccatis.

(3) Ad calcem eiuſdem ſacramentarii *San-Gall.* ſequens legitur miſſa *XII. Kal. April. depoſitio S. Benedicti abb.* Omnipotens ſempiterne Deus, qui hodierna die carnis eductum ergaſtulo beatiſſimum confeſſorem tuum Benedictum ſublevaſti ad cœlum, concede quæſumus, hæc feſta tuis famulis celebrantibus cunctorum veniam delictorum, ut qui exultantibus animis eius claritate congaudent, ipſo apud te interveniente conſocientur & meritis. Per. *Secreta.*

Oblatis, Dne, ob honorem beati confeſſoris tui Bene-

[III. Id. April.

Nat. Sci LEONIS Papæ. G.

Exaudi Dne preces noſtras, quas in ſci confeſſoris tui atque pontificis Leonis ſolemnitate deferimus, & qui tibi digne meruit famulari, eius intercedentibus meritis ab omnibus nos abſolve peccatis, per. *gg.*

Alia. G.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut beat9 Leo tibi placita fulgens ſorte pontificatus, pietati tuæ nos pia ſupplicatione commendet, per Dnm.

Secreta. G.

Sci Leonis confeſſoris tui atque pontificis, quæſumus Dne, annua ſolemnitas pietati tuæ nos reddat acceptos, atque per hæc piæ oblationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona concilientur, per. *gg.*

Ad Comm.

Deus fidelium remunerator animarum, præſta, ut beati Leonis confeſſoris tui atque pontificis, cuius venerandam celebramus feſtivitatem, precibus indulgentiam conſequamur, per Dnm. *gg.*]

Id. April.

Natale ſanctæ EUFEMIÆ. Gel.

Concede quæſumus omnipotens Deus, ſcæ martyris Eufemiæ & exultare meritis, & beneficia referre ſuffragiis, per Dnm. *g.*

Alia.

Annue, quæſumus Dne, ut ſanctæ martyris Eufemiæ tibi placitis deprecationibus adiuvemur, per Dnm. *g.*

Secreta.

Muneribus Dne, te magnificamus oblatis, quibus in ſanctæ nobis ſolemnitate Eufemiæ & gaudia ſuperna concilies, & patrocinia ſempiterna largiaris, per Dnm. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et in exultatione ſolemnitatis præcipuæ hodiernæ, qua beatæ Eufemiæ martyris tuæ paſſionem conſummatam recolimus venerando, & ad gloriam nominis tui nitimur debitis magnificare præconiis, per Xpm. *gg.*

Ad Compl.

Sanctæ nos martyris Eufemiæ precatio tibi Dne grata comitetur, & tuam nobis indulgentiam poſcere non deſiſtat, per Dnm. *g.*

XVIII. Kl. Mai.

Natale Scorum TYBURTII, VALERIANI, & MAXIMI. Gelaſ.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui ſcorum tuorum Tyburtii, Valeriani, & Maximi ſolemnia colimus, eorum etiam virtutes imitemur, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Suſcipe, Dne, munera pro tuorum com-

---

dicti placare muneribus, & ipſius interventu tuis famulis, cunctorum tribue indulgentiam peccatorum. Per.

Ad Comm.

Perceptis tui corporis & ſanguinis Dne ſacramentis, concede nobis ſupplicante beato Benedicto confeſſore tuo ita muniri, ut & temporalibus abundemus commodis, & fulciamur æternis. Per.

Alia.

Deus qui nos in beati confeſſoris tui, Benedicti vitæ laudabilis ſpeculum nobis converſationis, ac normam rectitudinis oſtendiſti; concede propitius, ut & præclaris exemplis eius ad iuſtitiam informemur, & ſanctiſſimis meritis, ac precibus ad cœleſtis regni gaudia perducamur. Per.

Alia.

Deus qui beatum &c. *Ut infra V. Id. Iul.*

commemoratione Sanctorum, ut quod illos paſſio glorioſos, nos devotio reddat innocuos, per Dnm. *l.*

Secreta alia.

Hoſtia hæc, quæſumus Dne, quam Sanctorum tuorum natalicia recenſentes offerimus, & vincula noſtræ pravitatis abſolvat, & tua nobis miſericordiæ dona conciliet, per Dnm. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus! Te in ſanctorum Martyrum tuorum feſtivitate laudantes; tu enim ſemper es in tuorum mirabilis commemoratione Sanctorum, qui & magnæ fidei largiris affectum, & tolerantiam tribuis paſſionum, & exquiſita diaboli facis machinamenta ſuperari, ut egregii martyres tui ad capiendam ſupernorum beatitudinem præmiorum, nec vanis huius ſæculi blandimentis, nec ullis retardentur anguſtiis; Et ideo cum angelis. *gg.*

Ad Compl.

Cœleſti munere ſaginati, quæſumus Dne Deus noſter, ut hæc nobis dona martyrum tuorum ſupplicatio beata prodeſſe perficiat, per Dnm. *El. gg.*

Alia ad Comm.

Sacro munere ſatiati, ſupplices te Dne deprecamur, ut quod debitæ ſervitutis celebramꝰ officio, ſalvationis tuæ ſentiamus augmentum, per Dnm. gg.

Dom. II.

Poſt Octavam Paſchæ. Gel. (1)

Deus, qui errantibus, ut in viam poſſint redire iuſtitiæ, veritatis tuæ lumen oſtendis! da cunctis, qui Xpiana profeſſione cenſentur, & illa reſpuere, quæ huic inimica ſunt nomini, & ea quæ ſunt apta ſectari, per eundem. *l. g. gg.*

Alia.

Tibi placitam, Deus noſter, populo tuo tribue voluntatem, quia tunc illi proſpera cuncta præſtabis, cum tuis aptum feceris inſtitutis, per Dnm. *l. g.*

Secreta.

His nobis, Dne, myſteriis conferatur, quo terrena deſideria vitantes, diſcamus habere cœleſtia, per Dnm. *g. gg.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm; qui humanos miſeratus errores per virginem naſci dignatꝰ eſt, & per paſſionem mortis a perpetua nos morte liberavit, ac reſurrectione ſua æternam nobis vitam donavit; per quem maieſtatem. *g. El.*

Ad Compl.

Sacramenta quæ ſumpſimus, quæſumus Dne, & ſpiritalibus nos expient alimentis, & corporalibus tueantur auxiliis, per Dnm. *g. gg.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Deus, qui miſericordiæ ianuam fidelibus patere voluiſti, reſpice in nos, & miſerere noſtri, ut qui voluntatis tuæ viam donante te ſequimur, a vitæ nunquam tramite deviemus, per Dnm. *g.*

Se-

---

(1) Sic demta prima oratione *Deus qui errantibus* & Præfatione inſcribitur miſſa hæc in Mſc. bibliothecæ *Vallicellanæ PP.* Oratorii *Romæ*, ut V. THOMASIUS annotavit in præfat. ad Codd. ſacram. *alia miſſa ſancti Gelaſii:* habeturque in eodem codice pro dominicis diebus poſt Paſcha & Penteceſten duplex fere miſſa, quarum altera inſcribitur *Item alia miſſa*, quemadmodum in noſtro hoc, quem edimus, codice per integram Quadrageſimam *Item alia miſſa Gregoriana* notatur, ut paſſim alias, exceptis illis ipſis Dominicis poſt Paſcha & Pentecoſten, in quibus duæ habentur in cod. *Vallicellano.* Cumque in noſtro cod. plerumque illis in dominicis *miſſa Gelaſ.* notetur, conferenti hæc cum codice *Vallicellano* patebit, quænam ex duabus *Gelaſiana* ſit aut *Gregoriana.* Id quod mihi facere iam non licet, poſtquam ea quæ olim *Romæ* ex ipſo illo codice *Vallicellano* ad rem confeceram adverſaria, flamma vorax abſumſit.

Digitized by Google

Secreta.

Benedictionem tuam, Dne, nobis conferat ſalutarem ſacra ſemper oblatio, ut quod agit myſterio, virtute perficiat, per Dnm. g.

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm; qui humanos miſeratus. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Sacramenta quæ ſumpſimus. *Ut ſupra.*

Item alia cuius ſupra.

Deus, per cuius providentiam nec præteritorum momenta deficiunt, nec ulla ſupereſt expectatio futurorum, tribue permanentem peractæ, quam recolimus, ſolemnitatis effectum, ut quod recordatione percurrimus, ſemper in opere teneamus, per Dnm. g.

Alia.

Populus tuus, quæſumus Dne, renovata ſemper exultet animæ iuventute, ut qui antea in peccatorum veternoſæ mortis venerat ſenio, nunc lætetur in priſtinam ſe gloriam reſtitutum, per Dnm.

Secreta.

Munera tibi, Dne, oblata ſanctifica, ut tui nobis Unigeniti corpus & ſanguis fiant, qui tecum.

Præfatio.

VD. æterne Deus! Per mediatorem Dei & hominum Ihm Xpm Dnm nrm; qui mediante die feſto aſcendit in templum docere: qui de cœlo deſcendit, mundum ab ignorantiæ tenebris liberare; cuius deſcenſus genus humanum doctrina ſalutari inſtruxit, mors a perpetua morte redemit, aſcenſio ad cœleſtia regna perduxit; per quem te ſumme Pater poſcimus, ut eius inſtitutione edocti, ſalutaris parſimoniæ devotione purificati, ad tua perveniamus promiſſa ſecuri, per eundem Xpm.

Ad Comm.

Adiuvet nos, quæſumus Dne, ſcm iſtud paſchale myſterium, & ut devotis mentibus exſequamur obtineat, per Dnm. g.

VIIII. Kl. Maii.
Natl. Sci GEORGII Mart.

Tuus ſanctus martyr Georgius, quæſumus Dne, nos ubique lætificet, ut dum eius merita in præſenti feſtivitate recolimus, patrocinia in augmento virtutum ſentiamus, per Dnm.

Alia.

Deus, qui nos beati Georgii martyris tui meritis & interceſſione lætificas! concede propitius, ut qui eius beneficia poſcimus, dono tuæ gratiæ conſequamur, per Dnm. gg.

Secreta.

Tanto placabiles in conſpectu maieſtatis tuæ, quæſumus Dne, noſtræ ſint hoſtiæ, quanto ſci martyris Georgii, pro cuius ſolemnitate exhibentur, tibi grata ſunt merita, per. *I.*

Alia Secreta.

Munera, Dne, oblata ſanctifica, & intercedente beato Georgio martyre tuo nos per hæc a peccatorum (noſtrorum) *maculis emunda, per Dnm.* g g.

Præfatio.

VD. æterne Deus! & te in omnium martyrum triumphis laudare! quoniam tuis donis atque muneribus, cunctis victoriæ palma provenit, de quorum numeroſitate beati martyris Georgii paſſionem hodierna ſolemnitate veneramur; qui pro confeſſione Ihu Xpi filii tui diverſa ſupplicia ſuſtinuit, & ea devincens coronam perpetuitatis promeruit, per eundem Xpm Dnm.

Ad Comm.

Beati Georgii martyris tui, Dne, ſuffragiis exorat9, percepta ſacramenti tui nos virtute defende, per Dnm. *El.*

Alia ad Comm.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis ſacramentis, intercedente beato Georgio martyre tuo, tibi etiam placitis moribus dignanter tribuas deſervire, per Dnm. gg.

Alia Miſſa Ambroſiana de ſco Georgio.

Fac nos, quæſumus Dne, beati martyris tui Georgii ſolemnitatem multipliciter celebrare, ut de tanto agonis certamine diſcat populus Xpianus & firmam ſolidare patientiam, & pie exultare de eius victoria, per Dnm.

Alia.

Digitized by Google

Alia.

Sanctus martyr tuus Georgius, quæſumus Dne, nos ubique lætificet, ut dum eius merita in præſenti feſtivitate recolimus, patrocinia in augmento virtutum ſentiamus, per Dnm.

Secreta.

Quæſumus omnipotens Deus, ut tanto placabiles ſint noſtræ hoſtiæ, quanto ſci martyris Georgii, pro cuius ſolemnitate exhibentur, tibi grata ſunt merita, per Dnm.

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm; qui ita humano generi myſticæ ſalutis remedia contulit moriendo, ut & totius doli artificem ſua paſſione deſtrueret, & ſuis fidelibus exemplum ſuo pro nomine tribueret moriendi; unde & non ſurdus auditor fideliſſimus miles ac teſtis Xpi Georgius, dum pene tribus exactis menſibus Xpianitatis profeſſio ſilentio tegeretur profano, ſolus inter Xpicolas intrepidus, Dei filium eſt confeſſus; cui & tantam fidei conſtantiam gratia divina conceſſit, ut & tyrannicæ poteſtatis præcepta contemneret, & innumerabilium non formidaret tormenta pœnarum; o felix & inclytus Dni prœliator! quem non ſolum temporalis regni blanda non perſuaſit promiſſio, ſed & perſecutore deluſo, ſimulacrorum eius in abyſſum portenta deiecit; ob hoc & gentium regina Perſarum crudeli a viro dictata ſententia, nondum baptiſmi gratiam conſecuta, glorioſæ paſſionis meruit palmam; unde nec dubitare poſſumus, quod roſea perfuſa ſanguinis unda reſeratas poli ianuas, præcedens beatiſſimum Xpi martyrem Georgium, ingredi meruit, regnumque poſſidere cœlorum; hæc tua eſt, Dne, bonæ voluntatis operatio, qui ſalvas omnes, nec pateris ullum perire, & magna cum pietate mirabiliter cuncta diſponis; & ideo cum angelis.

Ad Compl.

Beati Georgii martyris tui, Dne, ſuffragiis. *Ut ſupra.*

VII. Kl. Mai.
Letania Maior ad S. LAURENTIUM.

Mentem familiæ tuæ, quæſumus Dne, intercedente beato Laurentio martyre tuo, & munere compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi, per Dnm. *gg.*

Ad S. VALENTINUM.

Deus, qui culpas delinquentium diſtricte feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recuſes, ut qui pondus tuæ animadverſionis cognovimus, etiam pietatis gratiam ſentiamus, per Dnm. *gg.*

Ad Pontem Molbi. (1)

Deus, qui culpas noſtras piis verberibus percutis, ut nos a noſtris iniquitatibus emundes! da nobis & de verbere tuo proficere, & de tua citius conſolatione gaudere, per Dnm. *gg.*

Ad Crucem.

Parce, Dne, quæſumus, parce populo tuo, & nullis iam patiaris adverſitatibus fatigari, quos precioſo filii tui ſanguine redemiſti, qui tecum. *gg.*

In Atrio.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & ſperantes in tua miſericordia, intercedente beato Petro apoſtolo tuo cœleſti protege benignus auxilio, per Dnm. *l.gg.*

Alia Oratio in Atrio.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut ad te toto corde clamantes intercedente beato Petro apoſtolo tua pietatis indulgentiam conſequamur, per Dnm. gg.

Ad Miſſam.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui in afflictione noſtra de tua pietate confidimus, contra adverſa omnia tua ſemper protectione muniamur, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Hæc munera, Dne quæſumus, & vincula

(1) *Greg. Olbi:* veluti etiam legitur in antiquiſſimis *San-Gall.* codd. quorum uni (ex quo deſcriptum eſt alterum hoc *San-Gallenſe* ſacramentarium compoſitum ex triplici ritu) alia antiqua manus addidit litteram *m.*

Digitized by Google

cula noſtræ pravitatis abſolvant, & tuæ nobis miſericordiæ dona concilient, per Dnm. *gg*.

Præfatio. GG. (1)

VD. æterne Deus! Et te ſanctificatorem ieiunii collaudare, per quod nos liberas a noſtrorum debitis peccatorum. Ergo ſuſcipe ieiunantium preces, atque ut nos a malis omnibus propitiatus eripias, iniquitates noſtras, quibus merito affligimur, placatus abſolve, per Xpm Dnm nrm.

Ad Comm.

Vota noſtra, quæſumus Dne, pio favore proſequere, ut dum dona tua in tribulatione percipimus, de conſolatione noſtra in tuo amore creſcamus, per Dnm. *gg*.

Alia.

Prætende nobis Dne miſericordiam tuam, ut quæ votis expetimus; converſatione tibi placita conſequamur, per. *l.gg*

Feria III. Præfatio. GG. (2)

VD. æterne Deus! Et maieſtatem tuam ſuppliciter exorare, ut non noſtræ malitiæ, ſed indulgentiæ tuæ proveniat ſemper effectus, qui nos a noxiis voluptatibus indeſinenter expediat, & a mundanis cladibus dignanter eripiat, per Dnm nrm. *El. p.* 93.

Feria IIII. Præfatio. GG.

VD. æterne Deus! ut quia tui eſt operis, ſi quid tibi placitum aut cogitemus aut agamus, tu nobis ſemper & intelligendi quæ recta ſunt, & exſequendi tribuas facultatem, per Xpm Dnm nrm. *El. pag.* 94.

IIII. Kal. May.

Natal. Sci VITALIS. (3)

Sancti nos quæſumus Dne Vitalis natalicia votiva lætificent, & ſui beneficii interceſſione attollant, per Dnm.

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut intercedente beato Vitale martyre tuo & a cunctis adverſitatibus muniamur in corpore, & a pravis cogitationibus mundemur in mente, per Dnm. gg.

Secreta.

Accepta ſit in conſpectu tuo, Dne, noſtra devotio, & eius nobis fiat ſupplicatione ſalutaris, pro cuius ſolemnitate defertur, per Dnm. *l. gg.*

Ad Compl.

Exultet, quæſumus Dne, populus tuus in Sci tui commemoratione Vitalis, ut cuius votivo lætatur officio, ſuffragio relevetur optato, per Dnm. *l. El. g.*

Alia ad Compl.

Refecti participatione muneris ſacri, quæſumus Dne Deus noſter, ut cuius exſequimur cultum, ſentiamus effectum, per Dnm. l. gg. *Dom.*

---

(1) Et te auctorem & ſanctificatorem &c.

(2) Hæc Præfatio infra iterum recurrit die ſecundo, id eſt Feria II. Rogationum, ad quas videntur hæ Præfationes eſſe revocandæ. Vid diſquiſ. X. c. 7.

(3) Ex *San-Blaſ.*

In natale S. MARCI evang. Deus, qui nobis per miniſterium beati Marci evangeliſtæ & martyris tui veritatem evangelii patefieri voluiſti, concede quæſumus, ut quod ab illius ore didicimus, gratia tua adiuti operari valeamus. Per.

Secreta.

Hanc Dne qs oblationem pro commemoratione beati Marci oblatam contuere, & præſta, ut & nomini tuo ad gloriam, & nobis proficiat ad medelam. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus. Et te nos iugiter collaudare benedicere, & prædicare: qui per beatum Marcum evangeliſtam atque pontificem meruimus cognoſcere filii tui Incarnationis & divinitatis mirabile myſterium. Petimus ergo miſericordiam tuam, ut eo annuente fides noſtra operum executione ornetur, & perſeverantiæ fine claudatur, per eundem filium tuum Ihm Xpm Dom nrm. Per quem.

Ad Comm.

Paſti cibo ſpiritualis alimoniæ qs Dne Deus noſter, ut quod myſterio frequentamus, intercedente beato Marco evangeliſta atque pontifice, plena veritate conſequamur. Per.

Digitized by Google

Dom. III. poſt Octav. Paſchæ.

Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis, da populis tuis id amare quod præcipis, id deſiderare quod promittis, ut inter mundanas varietates ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia, per Dnm. *g.*

Alia. GG.

Exaudi, Dne, preces noſtras, ut quod tui Verbi ſanctione promiſſum eſt, evangelico ubique compleatur effectu, & plenitudo adoptionis obtineat, quod prædixit teſtificatio veritatis, per Dnm. *l. g.*

Secreta.

Deus, qui nos per huius ſacrificii veneranda commercia unius ſummæ divinitatis participes effeciſti, præſta quæſumus, ut ſicut tuam cognoſcimus veritatem, ſic eam dignis moribus aſſequamur, per Dnm. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et tui muneris miſericordiam poſtulare, ut tempora, quibus poſt reſurrectionem ſuam Dnus noſter Ih9 Xp9 cum diſcipulis corporaliter converſatus eſt, ſic ipſo opitulante pia devotione tranſigamus, quatenus in his omnium vitiorum ſordibus careamus, per eundem Xpm Dnm nrm. *g. El.*

Ad Comm. GG.

Adeſto nobis, Dne Deus noſter, ut per hæc, quæ fideliter ſumpſimus, & purgemur a vitiis, & a periculis omnibus exuamur, per Dnm. *g. gg.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Actiones noſtras, quæſumus Dne, & aſpirando præveni, & adiuvando proſequere, ut cuncta noſtra operatio & a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur, per Dnm. *gg.*

Secreta.

His nobis Dne, myſteriis conferatur, quo terrena deſideria mitigantes, diſcamus habere cœleſtia, per Dnm. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Poſtulantes, ut tempora, quibus poſt reſurrectionem ſuam Dn9 noſter Ihus Xpus cum diſcipulis ſuis corporaliter habitavit, pia devotione tractemus; quem una tecum. *g. gg.*

Ad Comm.

Adeſto nobis, Dne Deus noſter, ut per hæc, quæ fideliter. *Ut ſupra.*

Kalend. Maii. Natal. Apoſtolorum
PHILIPPI & IACOBI.

Deus, qui nos annua apoſtolorum tuorum Philippi & Iacobi ſolemnitate lætificas, præſta quæſumus, ut quorum gaudemus meritis, inſtruamur exemplis, per Dnm. *gg.*

Alia. (1)

Deus, qui es omnium Sanctorum tuorum ſplendor mirabilis, quique hunc diem beatorum apoſtolorum Philippi & Iacobi martyrio conſecraſti! da eccleſiæ tuæ de natalicia tantæ feſtivitatis lætari, ut apud miſericordiam tuam eorum & meritis adiuvemur & precibus, per Dnm. *g.*

Secreta.

Munera, Dne, quæ pro apoſtolorum tuorum Philippi & Iacobi ſolemnitate deferimus, propitius ſuſcipe, & mala omnia quæ meremur, averte, per Dnm. *gg.*

Præfatio. (2)

VD. æterne Deus! quia tui eſt operis, tuæque virtutis, ut beatorum apoſtolorum Philippi & Iacobi glorioſa confeſſio uſque in finem ſæculi nobis tribuat regni cœleſtis augmentum, per Xpm. *g.*

Ad

---

(1) Similem fere habet gg. de S. Andr. pag. 133.

(2) *l.* De SS. Petro & Paulo poſt *confeſſio* var.

Ad Comm.

Beatorum apoſtolorum Philippi & Iacobi honore continuo Dne plebs tua ſemper exultet, & his præſulibus gubernetur, quorum & doctrinis gaudet & meritis, per Dnm. *g. El.*

Alia ad Com.

Quæſumus Dne ſalutaribus repleti myſteriis, ut quorum ſolemnia celebramus, eorum orationibus adiuvemur, per Dnm. gg. (1)

Alia Miſſa Ambroſ.

Deus qui conſpicis, quia nos undique mala noſtra conturbant, præſta quæſumus, ut beatorum aplorum tuorum Philippi & Iacobi interceſſio glorioſa nos protegat, per Dnm. *gg.*

Alia.

Interceſſionibus nos, Dne quæſumus, ſcorum Philippi & Iacobi ubique confoveas, ut eorum ſacra natalicia & temporaliter frequentemus, & conſpiciamus æterna, per Dnm.

Secreta.

Sacrificium noſtrum, tibi Dne, quæſumus beatorum aplorum Philippi & Iacobi precatio ſancta conciliet, ut in quorum honore ſolemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum, per Dnm.

Præfatio.

VD. æterne Deus? quia tui eſt operis, tuæque virtutis. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Beatorum aplorum Philippi & Iacobi. *Ut ſupra.*

V. Non. Maii.
Natl. Sci IUVENALIS.

Beati nobis, quæſumus Dne, Iuvenalis & confeſſio ſemper proſit & meritum, per Dnm. *g.* *Alia.*

Annue, quæſumus Dne, ut merita tibi placita ſci confeſſoris tui & epi Iuvenalis pro gregibus, quos ſincero tibi miniſterio gubernavit, pietatem tuam ſemper exorent, per Dnm. *g.*

Secreta.

Hoſtias noſtras, quæſumus Dne, ſc9 Iuvenalis pontifex nomini tuo reddat acceptas, qui eas tibi digne complacuit offerendas, per Dnm. *g.*

Ad Compl.

Læti, Dne, ſumpſimus ſacramenta cœleſtia, quæ nobis intercedente beato Iuvenale confeſſore tuo atque pontifice uberius confidimus profutura, per Dnm. *g.*

Eodem die Natl. S. ALEXANDRI EVENTII & THEODULI.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui Sanctorum tuorum Alexandri, Eventii, & Theoduli natalicia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum interceſſionibus liberemur, per Dnm. *gg. El.*

Secreta. (2)

Sacrificium laudis, tibi Dne, offerimus in

(1) Infra poſt feſta dominicamque ultimam poſt Pentecoſten legitur ad Kal. Maii. *Nat. S. Waltpurgæ virginis.* Deus, qui inter innumera gratiæ tuæ dona etiam in ſexu femineo tua operaris miracula, concede propitius, ut beatæ Waldpurgæ virginis tuæ apud miſericordiam tuam patrocinia ſentiamus, cuius non ſolum caſtitatis illuſtramur exemplis, verum etiam miraculorum gloria iocundamur. Per Dnm.

Secreta.

Sacrificium oblatum, quæſumus Dne, interceſſio beatæ virginis tuæ Waldpurgæ tuæ maieſtati reddat acceptum, pro cuius veneranda commemoratione tibi devoto defertur obſequio. Per Dnm.

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et te laudabilem Deum in Sanctorum tuorum actibus collaudare, benedicere & prædicare, de quorum collegio beatiſſimam Waldpurgam virginem tuam pronis mentibus veneramur, quæ tibi grata ſemper extitit & fidei puritate, & corporis integritate, & meritorum prærogativis. Cuius quanta ſit in conſpectu maieſtatis tuæ in ſuperna patria clarificatio, oſtendit concurſus populorum ad eius ſanctum tumulum, medela languentium, mirandorum ſigna virtutum. *Ad Comm.*

Benedictionis tuæ Dne gratiam, intercedente beata N. virgine tua, conſequamur, ut cuius venerando gloriam prædicamus, eius in omnibus noſtris neceſſitatibus auxilium ſentiamus. Per. (2) *l.* In venerabilium comm. &c.

Digitized by Google

in tuorum commemoratione Sanctorum, da quæſumus, ut quod illis contulit gloriam, nobis proſit ad ſalutem, per Dnm. *l.*

Alia Secreta.

Super has hoſtias, quæſumus Dne, benedictio copioſa deſcendat, quæ & ſanctificationem nobis clementer operetur, & de martyrum nos ſolemnitate lætificet, per Dnm. l. g g. El.

Ad Comm.

Paſce nos, Dne, tuorum gaudiis ubique Sanctorum, quia noſtræ ſalutis augmenta ſunt, quotiens illis honor impenditur, in quibus tu mirabilis prædicaris, per Dnm. *El.*

Alia ad Comm.

Refecti participatione muneris ſacri, quæſumus Dne Deus noſter, ut cuius exſequimur cultum, ſentiamus effectum, per Dnm. l. g g.

Item eodem die Inventio Sca Crucis.

Deus, qui in præclara ſalutiferæ crucis inventione paſſionis tuæ miracula ſuſcitaſti, concede, ut vitalis ligni pretio æternæ vitæ ſuffragia conſequamur, qui cum Deo Patre & Spiritu ſco vivis. *g. El. gg.*

Secreta.

Sacrificium Dne, quod immolamus, placatus intende, ut ab omni nos exuat bellorum nequitia, & per vexillum ſcæ crucis filii tui ad conterendas poteſtates adverſariorum vel inſidias, nos in tuæ protectionis ſecuritate conſtituat, per Dnm. *g. El.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm; qui per paſſionem crucis mundum redemit, & antiquæ arboris amariſſimum guſtum crucis medicamine indulcavit, mortemque, quæ per lignum vetitum venerat, per ligni ſalutaris tropheum devicit, ut mirabili ſuæ pietatis diſpenſatione, qui per ligni guſtum a florigera ſede diſceſſeramus, per crucis lignum ad paradyſi gaudia redeamus, per quem maieſtatem. *vel* Et ideo. *El. gg.*

Ad Comm.

Repleti alimonia cœleſti, & ſpiritali poculo recreati, quæſumus omnipotens Deus, ut ab hoſtium furore defendas, quos per lignum ſcæ Crucis filii tui, etiam contra ſpiritales nequitias armare non ceſſas, per eundem. *g. El.*

Alia poſt Comm.

Deus, cui cunctæ obediunt creaturæ, & omnia in Verbi tui feciſti ſapientia, ſupplices quæſumus ineffabilem clementiam tuam, ut quos per lignum ſanctæ Crucis filii tui pio cruore es dignatus redimere, per eum, qui eſt lignum vitæ, paradyſique reparator, ab eis diri ſerpentis venena excludas, & per gratiam Spiritus ſci poculum ſalutis ſemper infundas, per eundem. *g. El.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Deus, qui in præclara ſalutiferæ. *Ut ſupra.*

Alia.

Adeſto familiæ tuæ, clementiſſime Deus, ut in adverſis & proſperis preces eius exaudias, & nefarias adverſariorum inſidias per vexillum ſcæ Crucis digneris conterere, ut perennis gaudii ſalutem poſſit te protegente mereri, per Dnm.

Secreta.

Sacrificium, Dne, quod immolamus. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. Per X. D. N; cuius hodie dudum a Iudæis abditum, glorioſum inventum eſt vexillum; qui protoplaſti facinus, quod per ligni vetiti guſtum in genus humanum derivatum eſt, per idem lignum ſimulque noſtra affigens delicta delere dignatus eſt; cuius typum virga tenuit, in ſeparando æquoris undas, & viam populo per Moyſen præparando ſecuram; per cuius quoque umbram aſpera mors populis ligno deducta cucurrit, in quo pendens redemptor factus eſt maledictum, ut

a ma-

Digitized by Google

a maledicto nos eriperet legis, cuius ligni myſterio ſalvari credimus omnes, per eundem Xpm.

Ad Comm.

Repleti alimonia cœleſti. *Ut ſupra.*

Dom. IIII. poſt Octavam Paſchæ.

Deus, a quo bona cuncta procedunt, largire ſupplicibus tuis, ut cogitemus te inſpirante quæ recta ſunt, & te gubernante eadem faciamus, per Dnm. *g. gg.*

Alia.

Deus, qui miſericordiæ ianuam fidelibus patere voluiſti, reſpice in nos & miſerere noſtri, ut qui voluntatis tuæ viam donante te ſequimur, a vitæ nunquam ſemitis deviemus, per Dnm. *g.*

Secreta.

Suſcipe, Dne, fidelium preces cum oblationibus hoſtiarum, ut per hæc piæ devotionis officia ad cœleſtem gloriam tranſeamus, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et clementiam tuam humiliter implorare, ut tu mentes noſtras bonis operibus ſemper informes; quia ſic erimus præclari muneris prompta ſecuritate (vel *ſinceritate*) cultores, ſi ad meliora iugiter tranſeuntes paſchale myſterium ſtudeamus habere perpetuum, per X. D. N. *El.*

Ad Comm.

Tribue nobis, Dne, cœleſtis menſæ virtute ſatiatis, & deſiderare quæ recta ſunt, & deſiderata percipere, per Dnm. *l. g. gg.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Deus, qui hoc nobis confers gratia, ut iuſti ex impiis, & beati efficiamur ex miſeris; adeſto operibus tuis, adeſto muneribus, ut quibus ineſt fidei iuſtificatio, non deſit perſeverantiæ fortitudo, per Dnm.

Alia.

Auxiliare, Dne, temporibus noſtris, & tua nos ubique dextera protegente, & religionis integritas, & Xpiani (in *l.* leg. *Romani*) nominis ſecuritas reparata conſiſtat, per Dnm. *l.*

Secreta.

Concede nobis hæc, quæſumus Dne, frequentare myſteria, quia quotiens huius hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et maieſtatem tuam indefeſſis precibus exorare, ut mentes noſtras bonis operibus. *Et reliqua ut ſupra.*

Ad Comm.

Tribue nobis, Dne quæſumus, cæleſtis menſæ. *Ut ſupra.*

II. Non. Maii. Nat. S. IOH. Apli ante Portam Latinam.

Deus, qui conſpicis, quia nos undique mala noſtra conturbant! præſta quæſumus, ut beati Iohannis Apli tui interceſſio glorioſa nos protegat, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Sacrificium noſtrum, tibi Dne quæſumus, beati Iohannis Apli precatio ſancta conciliet, ut cuius honore ſolemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum, per Dnm. *gg.*

Alia Secreta.

Muneribus noſtris, quæſumus Dne, precibusque ſuſceptis, & cœleſtibus nos munda myſteriis, & clementer exaudi, per. l.gg.

Ad Comm.

Sumpſimus, Dne, divina myſteria beati Iohannis apli feſtivitate lætantes! quæ ſicut tuis Sanctis ad gloriam, ita nobis quæſumus ad veniam prodeſſe perficias, per Dnm. *l. gg.*

Alia.

Refecti, Dne, pane cœleſti, ad vitam quæſumus nutriamur æternam, per Dnm. gg.

Digitized by Google

VIII. Id. Maii.
Natl. S. VICTORIS Martyris.

Deus, qui beatum Victorem martyrem tuum virtute conſtantiæ in paſſione roboraſti, ex eius nobis imitatione tribue pro amore tuo proſpera mundi deſpicere, & nulla eius adverſa formidare, per Dnm. g g.

Alia.

Deus, cuius virtute beatiſſimus Victor carcerum ſqualores horrificos, & dira tyranni ſuperavit tormenta! præſta quæſumus, eiusdem intervenientibus meritis univerſas nos inimici inſidias ſuperare, per Dnm.

Alia.

Fortitudo fidelium Deus, & martyrum coronator, cuius gratia beatus Victor in diverſis cruciatibus ſui nominis extitit auctor! concede propitius, ipſius orationum ſuffragiis omnium malignarum temptationum nos eſſe victores, per.

Alia.

Deus, qui laticum inſtar gelidorum, plumbi ardorem mutaſti, ne glorioſi martyris tui Victoris corpus exureretur! tribue quæſumus, ut ipſo pro nobis interveniente, a præſentibus liberemur periculis & futuris, per Dnm.

Alia.

Præſta, quæſumus Dne, ut intercedente beato Victore martyre tuo, & a cunctis adverſitatibus muniamur in corpore, & a pravis cogitationibus mundemur in mente, per. gg.

Secreta.

Sancto Victore interveniente, Dne, tibi ſervitus noſtra complaceat, & obſequia munerum fiant præſidia devotorum, per Dnm.

Præfatio.

VD. æterne Deus! cuius providentiæ fultus præſidio beatus Victor celeberrimus martyr terreni ſub clamide imperii Xpi tui miles agebat abſconditus, non paſſionis timore perterritus, ſed divino arbitrio ſubdens propriam voluntatem; latuit enim mundanis excubiis digniſſimus cœleſtis patriæ miles, ut perpetui regni coruſcans angelicis obſequiis conſors exiſteret; digne etiam regi regum meruit famulari Xpo; quem a primæva ætate ita animi tota intentione dilexit, ut eius pro nomine crudeliſſimi Imperatoris præcepta contemneret, & ipſius ante tribunal extenſus, proprias præberet impiorum manibus ſcapulas flagellandas; deinde flammivoma plumbi unda perfuſus, ita cœlitus divino nutu angelica eſt viſitatione defenſus, ut & frigidior aqua ſubito ex fonte levata ſævus ardor exiſteret, & verberum innumerabiles plagæ ſalutifero curarentur unguento; ad ultimum vero capitali iubetur feriri ſententia, ut victoriæ palmam adeptus, & auctor ſui eſſet nominis, & exemplum magiſtri; hæc tua eſt, Dne, virtus & gloria, per X. D. N.

Ad Complendum.

Percepta myſteria, quæſumus Dne, & eruditione nos inſtruant, & participatione reſtaurent, ut ad ſpiritalia mereamur munera pervenire, per Dnm.

VI. Id. Maii.
Natl. S. GORDIANI.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos Sci martyris tui Gordiani feſtivitate lætificas! præſta, ut cuius commemoratione gaudemus, præſidio muniamur, per Dnm. *g.* (1)

Secreta.

Grata tibi ſint, Dne, munera noſtra, quæ & tuis ſunt inſtituta præceptis, & beati Gordiani feſtivitas glorioſa commendat, per Dnm. *l.* (2) *g. de S. Magno M.*

Ad Com.

Quæſumus omnipotens Deus, ut qui cœleſtia alimenta percepimus, intercedente beato Gordiano martyre tuo, per hæc contra omnia adverſa muniamur, per Dnm. *gg.*

Item alia de Natl. GORDIANI & EPIMACHI.

D*a, quæſumus omnipotens Deus, ut qui beatorum martyrum Gordiani atque Epimachi ſolemnia colimus, eorum apud te interceſſionibus adiuvemur, per.* gg.

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, beatorum martyrum Gordiani atque Epimachi dicatas meritis benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium, per Dnm. l. gg.

Ad

(1) De S. Tiburtio.

(2) Et Scorum tuorum feſtiv. &c.

Digitized by Google

Ad Comm.

Quæſumus omnipotens Deus, ut qui cœleſtia. *Ut ſupra.*

IIII. Id. Maii. Nat. S. NEREI, ACHILLEI, & PANCRATII.

Semper nos, Dne, martyrum tuorum Nerei, Achillei, & Pancratii foveat, quæſumus, beata ſolemnitas, & tuo dignos reddat obſequio, per Dnm. *g.*

Secreta.

Sanctorum tuorum, Dne, Nerei, Achillei, & Pancratii tibi grata confeſſio, & munera noſtra commendet, & tuam nobis indulgentiam ſemper imploret, per Dnm. *l. g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quoniam a te conſtantiam fides, a te virtutem ſumit infirmitas, & quicquid in perſecutionibus ſævum eſt, quicquid in morte terribile, nominis tui facis confeſſione ſuperari; unde benedicimus te, Dne, in operibus tuis, teque in Sanctorum tuorum Nerei, Achillei & Pancratii provectione laudamus, per X. D. N. *gg.*

Ad Comm.

Quæſumus Dne, ut beatorum martyrum tuorum Nerei & Achillei vel Pancratii deprecationibus ſacramenta ſancta, quæ ſumpſimus, ad tuæ nobis proficiant placationis augmentum, per Dnm. *g.*

Item alia De Sco Pancratio.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui beati Pancratii martyris tui natalicia colimus, a cunctis malis imminentibus eius interceſſionibus liberemur, per Dnm. gg.

Secreta.

Munera, quæſumus Dne, tibi dicata ſanctifica, & intercedente beato Pancratio martyre tuo, per eadem nos placatus intende, per Dnm. gg.

Ad Comm.

Beati Pancratii martyris tui, Dne, interceſſione placatus, præſta quæſumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua ſalvatione capiamus, per Dnm. gg.

VI. Id. Maii.
Translatio S. NAZARII.

Præveniant nos, Dne quæſumus, beatiſſimi martyris tui Nazarii deſiderata commercia, ut cuius perpetuam dignitatem ſacro miniſterio frequentamus in terris, & præſentia nobis ſubſidia poſtulent & æterna, per Dnm. *a.*

Alia.

Fac nos, quæſumus Dne, ſci martyris tui Nazarii ſemper feſta ſectarii, cuius ſuffragiis protectionis tuæ dona ſentimus, per Dnm. *a. l.* & *g.*

Secreta.

Fiat, Dne quæſumus, hoſtia ſacranda placabilis pretioſi celebritate tui martyris Nazarii, quæ & peccata noſtra purificet, & tuorum tibi vota conciliet famulorum, per Dnm. *a. l. g.*

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare; Nos tibi reddere grates vis trina Deus ſator optime rerum; qui cun., cta propriis animata figuris artifici ſermone facis, quique facta conſervas, qui dudum multo latitantem pulvere dragmam invenis accenſa verbi virtute lucerna, ut pateant cunctis tua munera Sctis; reddens eccleſiæ ſecundum certaminis palmam, angelicos ut cernant humana lumina vultus, micent & ſplendida tumuli membra loco; iam iamque repertus olim abſconditus agro rutilat theſaurus, evangelicis præſignatus figuris. En ſuperexultat intemerata eccleſiæ fides, dum ſacrum mercatum margaritæ lucrum capeſſat, in qua martyr ſancte tuus inclytus martyr geminam inſignem Nazarius portat coronam, qui meruit Dni pro laude fidelis ſanguine martyrium clarificare ſuum. O nimium dilecta Dei membra, Xpi ſervata promiſſo! O teſtis flagrantiſſime nitore cœli fulgide! cuius inæſtimabilis odor Sabeicis præpollet aro-

 matibus,

Digitized by Google

matibus, quem pius Ambroſius, ſacrum locans eccleſiæ munus, perennem reperiens patronum, dedit & medicum, propugnatorem fidei, ſacri prœlii bellatorem; propterea cum angelis &c.

Ad Comm.

Quæſumus omnipotens Deus, ut beati martyris tui Nazarii cœleſtibus myſteriis celebrata ſolemnitas indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat, per Dnm. *g. a.*

[III. Id. Maii.

Dedicatio Eccleſiæ B. MARIÆ ad Mart.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ad eorum nos gaudia æterna pertingere, de quorum nos virtute tribuis annua ſolemnitate gaudere, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Super has hoſtias, quæſumus Dne, benedictio copioſa deſcendat, quæ & ſanctificationem nobis clementer operetur, & de martyrum nos ſolemnitate lætificet, per Dnm. *l. g. gg.*

Ad Comm.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis ſacramentis, tibi etiam placitis moribus dignanter deſervire concedas, per Dnm. *gg.*]

II. Id. Maii.

Translatio S. VICTORIS. Et Natl.

Scorum FELICIS & FORTUNATI.

Adeſto, Dne, fidelibus tuis, nec ullis eos mentis & corporis ſinas ſubiacere periculis, quos beatorum martyrum tuorum Victoris, Felicis, & Fortunati munit glorioſa confeſſio, per Dnm. *l. a.* (1)

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, fortitudo certantium, & palma martyrum, ſolemnitatem hodiernæ diei propitius intuere, & eccleſiam tuam continua fac celebritate lætari, & interceſſionibus beatorum martyrum tuorum Victoris, Felicis, & Fortunati proſequatur oratio, per quam nos expiari concedas, & defendi, per Dnm. *a.*

Secreta.

Hoſtias, Dne, quas nomini tuo ſacrandas offerimus, ſanctorum martyrum tuorum Victoris, Felicis, & Fortunati proſequatur oratio, per quam nos expiari concedas & defendi per Dnm. *l.* (2)

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui es glorioſus in ſanctis & digno laudandus præconio! tua nos gratia ex mundi accerſitos illecebris, tyrannidis diræ contemnere minas, ſævisque fecit agonizare principibus; qua præventi beatiſſimi martyres Felix & Fortunatus, alvus quos protulit una, ætherio afflati ſuffragio, profana idolorum ſprevere præſtigia; nam agnita Xpi Ihu filii tui mira credulitate potentia, ſceleſtorum vitantes contagia, reliquerunt propria loca, potiſſimum cenſentes, in nemoribus inter feras, æterno famulari regi, quam in ſacrilegis continuatum cœtibus vaniſſimo degere cultu; Denique obtutibus crudeliſſimi acciti præſidis, pia confeſſione Xpi nominis indagata, atrocibus pœnarum iubentur exagitari ſuppliciis; quos celeberrimi martyres cruciatus, ſuperno fulti ſuperarunt ſupplicio (ſuffragio) cruento poſtremum cervicibus mucrone præciſis, polorum regna ſcandentes, Xpi locari gremio meruerunt; quibus etiam ad iocundiſſimum hodiernæ feſtivitatis augetur triumphum ſacratiſſimi Victoris martyris translatio corporis, quæ totius plebis celebratur lætitia, per Xpm Dnm nrm. *a.*

Ad Comm.

Recreatis ſacri muneris guſtu, quæſumꝰ Dne, non indigne ſumentibus nobis vertatur ad pœnam, ſed intercedentibus ſanctis tuis Victore, Felice, & Fortunato, fideliter libantibus proſit ad veniam, per Dnm. *a.*

Incipiunt Orationes, quæ dicendæ ſunt in letaniis, vel in Vigil.

cottidian. Dierum. Die Primo. (3)

Deus, qui ad ineffabilis obſervantiam ſacramenti famulorum tuorum præparas voluntates! donis tuis corda noſtra purifica, ut quod ſancta eſt devotione tractandum, ſinceris mentibus exſequamur, per Dnm. *g.*

Alia.

Inclina, Dne, precibus noſtris aures pias, ut qui auxilium tuæ miſerationis implorant, ſanctificatio-

---

(1) De SS. PETRO & PAULO Ap.

(2) De iisdem *gg.* de S. PETRO 29. Iunii. *a.*

(3) In *San-Gallenſi* deeſt hoc triduum. Confer *Elig.* T. III. opp. S. GREG. M. p. 91.

Digitized by Google

cationis gratiam referant, & quæ pie precantur obtineant, quodque fideliter poſtulant, efficaciter conſequi mereantur, per.

Alia.

Exaudi nos, Deus ſalutaris noſter, & æternitatis tuæ nobis dona concede, ut qui te totis ſenſibus confitemur, nulla fraude diaboli capiamur, per Dnm.

Alia.

Dne Deus omnipotens, in cuius iudicio miſericordia ſemper obtinet principatum, tribue indulgentiam reis, ut maieſtatis tuæ parcente iam dextera, non iudicium, ſed indulgentiam ſentiamus, per Dnm.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, cui poteſtas eſt ſine fine miſerandi, preces humilitatis noſtræ placatus intende, ut quod delictorum noſtrorum catena conſtringit, a tua nobis miſericordia relaxetur, per Dnm.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ad correctionem plebis tuæ indulgentiæ magis quam iuſtitiæ uteris poteſtate, confitentium tibi parce peccatis, ut quos ſalubri emendas verbere, clementi foveas lenitate, per Dnm.

Alia.

Propitiare, Dne, iniquitatibus noſtris, & exorabilis tuis eſto ſupplicibus, non extendatur ſuper nos ira iuſtitiæ, nec differatur medicinæ miſericordia, ut conceſſa peccatorum venia, quam precamur, perpetuo maieſtatis tuæ munere gloriemur, per Dnm.

Alia.

Deus, qui confitentium tibi corda purificas, & accuſantem ſe conſcientiam ab omni vinculo iniquitatis abſolvis! da indulgentiam reis, & medicinam tribue vulneratis, ut excluſa dominatione peccati, liberis tibi mentibus ſerviamus, per Dnm.

Alia.

Reſpice propitius, quæſumus Dne, afflictionem populi tui! & ne ad perdendum nos peccata noſtra prævaleant, tua nos potius ad ſalvandum miſericordia copioſa præveniat, per.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius bonitatis immenſitas nullo fine concluditur, præſta, ut qui de noſtris meritis diffidimus, de tua tibi indulgentia placeamus, per Dnm.

Alia.

Exaudi nos, Deus ſalutaris noſter, & ne dies noſtros ante finiri iubeas, quam peccata dimittas! & quia in inferno ſuperflua pœnitentia eſt, & nullum ſpacium corrigendi, hic te ſupplices oramus & petimus, ut ubi das ſpacium ſupplicandi, iubeas & peccata dimitti, qui vivis.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, da populo tuo digne ac ſapienter ad confeſſionem tuæ laudis accedere, ut ſi qua ſunt in nobis ſauciata per culpas, ſentiamus reparari poſſe per gratiam, per.

Item ad Miſſam. Or. ſuper populum.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui in afflictione noſtra de tua pietate confidimus, contra adverſa omnia tua ſemper protectione muniamur, per Dnm. *El. gg.*

Alia.

Dne Deus, qui ad hoc iraſceris, ut ſubvenias, ad hoc minaris, ut parcas! lapſis manum porrige, & laborantibus multiplici miſeratione ſuccurre, ut qui per te redempti ſunt, ad ſpem vitæ æternæ tua moderatione ſerventur, qui vivis & regnas. *g.*

Secreta. (1)

Ieiunantium, Dne quæſumus, ſupplicum vota propitius intuere, & munera præſentia ſanctificans, perceptionem eorum occulta cordis noſtri remedia tua effice pietate, ut opera carnalia & fluxa non teneant, quos inſtitutor ieiunii Xp9 reparavit redemptor, qui tecum vivit.

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare; Nos te obſervatione ieiunii quærere, qui es panis verus & vivus de cœlo deſcendens. Te itaque humiliantes ieiunio corpora, menteque famulantes devota, per huius ſacrificii immolationem rogamus, ut humiliationem ieiunii huius, quam pro noſtris reatibus in hac triduana obſervatione perſolvimus, intuearis placatus, & a delictis ieiunantes abſolvens, quos incontinentia ciborum in pravitatis transgreſſio-

(1) Hæc Secreta & Præfatio ſequens ponitur in *Rhenaugienſi* (ubi paginæ exſciſſæ ſunt) tertio die ad miſſam, aliæ vero orationes variant.

Digitized by Google

ſionem immerſit, eosdem continentia revocet ad ſalutem, quem laudant angeli.

Ad Comm.

Vitia cordis humani, hæc, Dne quæſumus, medicina compeſcat, quæ mortalitatis noſtræ venit curare languores, per Dnm. *g.*

Item Orationes in die ſecundo.

Dne Deus, qui timore ſentiris, qui te diligentium ore caneris, confeſſione placaris! miſericordiam tuam nobis tuis oſtende ſupplicibus, ut qui de meritorum qualitate diffidimus, de tua ſemper potentia gloriemur, per Dnm.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius indignatio tarda eſt, & cita propitiatio, cuius continua eſt pietas, & miſericordia ſempiterna, impende te ſupplicationibus noſtris, & ad preces famulorum tuorum aures pias inclina, ut tuo beneficio roborati, ea quæ præcipis, implere poſſimus, per Dnm.

Alia.

Deus, cui nihil eſt impoſſibile, nihilque difficile; concede propitius, ut ad omnipotentiæ tuæ beneficia dignæ converſationis provocemur obſequio, per Dnm.

Alia.

Conſerva in nobis, quæſumus Dne, maieſtatis tuæ conſuetudinem miſerendi, ut ſicut humanitatem noſtram ſine merito redemiſti, ita redemptionis tuæ operam per noſtram caſſari non patiaris offenſam, qui vivis.

Alia.

Deus, qui ſola nos miſeratione reſervas; tribue quæſumus, ut eam iugiter conſequentes, auſteritatem poſſimus evitare iudicii, quod nemo niſi per tuam gratiam ſecurus ingreditur, per.

Alia.

Exaudi, Dne, tuorum ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat, per Dnm. *g.*

In Baſilica Aplorum.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & ſperantes in tua miſericordia intercedentibus omnibus apoſtolis tuis, cœleſti protege benignus auxilio, per Dnm. *El. L. var. p.* 358.

Alia.

Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe, da cordibus noſtris inviolabilis caritatis affectum, ut deſideria de tua inſpiratione concepta, nulla poſſint temptatione mutari, per. *g.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus; qui nos caſtigando ſanas, & ignoſcendo conſervas, præſta quæſumus ſupplicibus tuis, ut ſanitatis optatæ conſolatione fruamur, & ad correptionis effectum tuam mereamur conſequi medicinam, per Dnm. *g, abhinc var. p.* 718.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui facturam tuam pio gubernas affectu! inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulos tuos, nimia tribulatione laborantes, placito intuere obtutu, per Dnm.

Alia.

Dne Deus omnipotens, qui pulſantibus miſericordiæ ianuam pandis! reſpice propitius ſuper famulos tuos, remiſſionem peccatorum poſcentes, ut qui lacrimarum gemitibus ſuppliciter obſecramus, ſerena tranquillitate portum ſalutis arripere valeamus, per Dnm.

Alia.

Propitiare, Dne, famulis tuis, & clementer gratiæ tuæ ſuper eos dona multiplica, ut ſpei, fideique & caritatis amore ferventes, ſemper in mandatis tuis vigili cuſtodia perſeverent, per Dnm.

Alia. (1)

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui iram tuæ indignationis cognovimus, miſericordiæ tuæ indulgentiam conſequamur. Per.

Item alia.

Parce, Domine, parce populo tuo, ut dignis flagellationibus caſtigatus in tua miſeratione reſpiret.

Item Miſſa.

In ieiunio hoc afflicti corpore, & corde contriti frequentamus ad te preces, clementiſſime Deus, ut cum abſtinentia corporali, abſtinentia nobis vitiorum donetur, ut reſtricto corpore ab epulis, tu, qui es refectio vera, in noſtris cordibus oriaris. Per.

Secreta.

Oblatis, quæſumus Domine, placare mune-

---

(1) Sequentes duas orationes cum Miſſa ſupplemus ex *Rhenaugienſi*, in quo immediate ſequitur *Orat. in tertio die* Miſerere iam &c. *ut poſtea.*

Digitized by Google

muneribus, & a cunctis nos defende periculis. Per.

Præfatio.

VD. In hoc ieiunio noſtro ſuppliciter exorare, quæ Unigenitus tuus ita ſanctificavit, ut & regnum tuum nobis per ieiunium panderet, & peccatis noſtris veniam condonaret. Per.

Poſtcomm.

Prætende nobis, Domine, miſericordiam tuam, ut quæ votis expetimus, converſatione tibi placita conſequamur. Per. *Ad populum.*

Præſta populo tuo, Domine quæſumus, conſolationis auxilium, & a diuturnis calamitatibus laborantem propitius reſpirare concede. Per.

Item ad Miſſam. Or. ſuper populum.

Deus, qui culpas delinquentium diſtricte feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recuſes, ut qui pondus tuæ animadverſionis cognovimus, etiam pietatis gratiam conſequamur, per Dnm. *gg.* *Alia.*

Parce, Dne, parce populo tuo, & nullis iam patiaris adverſitatibus fatigari, quos pretioſo filii tui ſanguine ſanguine redemiſti, qui tecum. *gg.*

Secreta.

Hæc munera, quæſumus Dne, & vincula noſtræ pravitatis abſolvant, & tuæ nobis miſericordiæ dona concilient, per Dnm *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et maieſtatem tuam ſuppliciter exorare, ut non noſtræ malitiæ, ſed indulgentiæ tuæ præveniat nos ſemper affectus, qui & a noxiis voluptatibus indeſinenter expediat, & a mundanis cladibus dignanter eripiat, per Dnm. *gg.* *Ad Comm.*

Vota noſtra, quæſumus Dne, pio favore proſequere, ut dum dona tua in tribulatione percipimus, de conſolatione noſtra in tuo amore creſcamus, per Dnm. *gg.*

Item Orationes de Die Tertio.

Deus, qui per adoptionem gratiæ lucis nos eſſe filios voluiſti! præſta quæſumus, ut errorum non involvamur tenebris, ſed in ſplendore veritatis ſemper maneamus conſpicui, per.

Alia.

Deus, cuius ſpiritu regimur, cuius protectione ſervamur! prætende nobis miſericordiam tuam, & exorabilis tuis eſto ſupplicibus, ut in te credentium fides tuis ſemper beneficiis adiuvetur, per Dnm. *Alia.*

Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miſerando manifeſtas! multiplica ſuper nos gratiam tuam, ut ad tua promiſſa currentes, cœleſtium bonorum facias eſſe conſortes, per. *g. gg.*

Alia.

Deus, qui es mirabilis in operibus, iuſtus in iudiciis, largus in donis, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, & quia tu nobis es bonorum cauſa meritorum, cuſtodi quod tribuis, ut invenias, quos corones, per Dnm.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, doce nos facere voluntatem tuam, & quæcunque præcipis ut agamus, ipſe adiuva, ut implere poſſimus, per.

Alia.

Deus, qui omnem animam confitentium tibi magis vis emendare quam perdere! averte a nobis iram indignationis tuæ, & dimitte nobis omnia peccata noſtra, per Dnm.

Alia.

Deus, apud quem nemo per ſe eſt innocens, nemo de ſuis meritis glorioſus! concede propitius, ut cum nobis noſtra opera prodeſſe non poſſunt, glorioſius tua miſericordia ſuccurrat indignis, per Dnm. *Alia.*

Preces populi tui, Dne, clementer exaudi, & quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentiæ tuæ virtus abſolvat, per Dnm. *gg. var. p.* 209.

Alia.

Dne Deus omnipotens, qui concreta humani pectoris vulnera ſtudio pietatis incidis! reſpice ad infirmitatem mentis noſtræ, & vitioſis actibus verbo oris tui poculum ſalutis infunde, ut ſolatio pietatis tuæ diabolicæ artis blandimenta valeamus excludere, per Dnm.

Ad S. LAURENTIUM.

Mentem familiæ tuæ, quæſumus Dne, intercedente beato Laurentio martyre tuo, & munere compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi, per Dnm.

Alia.

Afflictionem familiæ tuæ, quæſumus Dne, intende

Digitized by Google

de placatus, ut indulta venia delictorum, de tuis ſemper beneficiis gloriemur, per Dnm. *gg.*

Alia.

Præſta populo tuo, Dne quæſumus, conſolationis auxilium, & diuturnis calamitatibus laborantem propitius reſpirare concede, per Dnm. *gg.*

Alia.

Quæſumus omnipotens Deus, ut qui noſtris fatigamur offenſis, & merito noſtræ iniquitatis affligimur, pietatis tuæ gratiam conſequi mereamur, per Dnm. *gg.*

Alia.

Deus, qui nos conſpicis in tot perturbationibus non poſſe ſubſiſtere, afflictorum gemitum propitius reſpice, & mala omnia quæ meremur averte, per Dnm. *gg.*

Alia.

Clamantium ad te, Dne, preces dignanter exaudi, ut ſicut Ninivitis in afflictione poſitis pepercisti, ita & nobis in præſenti tribulatione ſuccurras, per Dnm. *gg.*

Alia.

Auxiliare, Dne, quærentibus miſericordiam tuam, & da veniam confitentibus, parce ſupplicibus, ut qui noſtris meritis flagellamur, tua miſeratione ſalvemur, per Dnm. *gg.*

Alia.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris; preces populi ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte, per. *gg.*

Alia.

Deus refugium pauperum, ſpes humilium, ſalusque miſerorum! ſupplicationem populi tui clementer exaudi, ut quos iuſtitia verberum fecit afflictos, abundantia remediorum faciat conſolatos, per Dnm. *g. gg.*

Alia.

Aures tuæ pietatis, quæſumus Dne, precibus noſtris inclina, ut qui peccatorum noſtrorum flagellis percutimur, miſerationis tuæ gratia liberemur, per Dnm. *gg.*

Ad S. MARIAM. (1)

Miſerere iam, quæſumus Dne, intercedente beata & glorioſa ſemperque virgine Dei genetrice Maria populo tuo, & continuis tribulationibus laborantem celeri propitiatione lætifica, per.

Item Collecta.

Quæſumus omnipotens Deus, afflicti populi lacrimas reſpice, & iram tuæ indignationis averte, ut qui reatum noſtræ infirmitatis agnoſcimus tua conſolatione liberemur. Per.

Alia.

Memor eſto, quæſumus Domine, fragilitati humanæ, & qui iuſte verberas peccatores, parce propitiatus afflictis. Per.

Item ad Miſſam. Oratio ſuper Populum.

Deus, qui culpas noſtras piis verberibus percutis, ut nos a noſtris iniquitatibus emundes! da nobis & de verbere tuo proficere, & de tua citius conſolatione gaudere, per Dnm. *gg.*

Alia.

Deus, cui ſoli eſt eliſos erigere, & peccata deflentium condonare, clementer populi tui ſuſpiria inſpice, & crimina noſtra ieiuniorum tempore dele, per Dnm.

Secreta.

Hæc hoſtia, quæſumus Dne, & ab occultis eccleſiam tuam reatibus ſemper expediat, & manifeſtis convenienter expurget, per Dnm.

Præfatio.

VD. æterne Deus! tuam miſericordiam implorantes, ut ſecundum multitudinem indulgentiarum tuarum ab omnibus nos abſolvas peccatis, & ad omnia pietatis opera te parcente reparemur; & quos venia feceris innocentes, auxilio facias efficaces, per Xpm.

Ad Comm.

Quos munere, Dne, cœleſti reficis, divino tuere præſidio, ut tuis myſteriis perfruentes, nullis ſubdamur adverſis, per.

In Vigilia Aſcenſæ Dni. (2)

Præſta, quæſumus omnipotens Pater, ut noſtræ mentis intentio, quo ſolemnitatis hodiernæ glorioſus auctor ingreſſus eſt, ſemper intendat, & quo fide pergit, converſatione perveniat, per eundem Dnm. *l. g.*

Alia.

(1) In *Rhenaugienſi* loco ad S. MARIAM legitur: Orat. in tertia die *Miſerere* ſequunturque duæ aliæ, quas upplevimus.

(2) In *Gelaſ.* in quo alias rariora ſunt officia Dominicarum, hic additur V. & VI. Dom. poſt clauſum Paſch. p. 88.

Alia.

Tribue, quæſumus omnipotens Deus, ut munere feſtivitatis hodiernæ illuc filiorum tuorum dirigatur intentio, quo in tuo unigenito tecum eſt noſtra ſubſtantia, per Dnm. *g.*

Secreta.

Sacrificium, Dne, pro filii tui ſupplices venerabili nunc aſcenſione deferimus! præſta quæſumus, ut & nos per ipſum his commerciis ſacroſanctis ad cœleſtia conſurgamus, per eundem. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et in hac præcipue die, qua Ih9 Xp9 filius tuus Dn9 noſter divini conſummato fine myſterii, diſpoſitionis antiquæ munus explevit, ut ſcilicet & diabolum cœleſtis operis inimicum per hominem, quem ſubiugaverat, elideret, & humanam reduceret ad ſuperna dona ſubſtantiam. Et ideo cum angelis. *g. El. gg.*

Ad Comm.

Tribue, quæſumus Dne, ut per hæc ſacra quæ ſumpſimus, illuc tendat noſtræ devotionis affectus, quo tecum eſt noſtra ſubſtantia, per eundem. *g. El.*

Super populum.

Da, quæſumus omnipotens Deus, illuc ſubſequi tuorum membra fidelium, quo caput noſtrum principio præceſſit, per Dnm. vel qui tecum. *l. g.*

Alia Ambroſiana. Oratio I. & II. ut ſupra.

Secreta.

Suſcipe, Dne, munera, quæ pro filii tui glorioſa aſcenſione deferimus, & concede propitius, ut a præſentibus periculis liberemur, & ad vitam perveniamus æternam, per eundem. *gg.*

Præfatio & Poſtcomm. *Ut ſupra.*

In Aſcenſa Domini.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui hodierna die unigenitum tuum redemptorem noſtrum ad cœlos aſcendiſſe credim9, ipſi quoque mente in cœleſtibus habitem9, per eundem. *gg.*

Alia.

Deus, qui ad declaranda tuæ miracula maieſtatis poſt reſurrectionem a mortuis hodie in cœlos apoſtolis aſtantibus aſcendiſti! concede nobis tuæ pietatis auxilium, ut ſecundum tuam promiſſionem, & tu nobis, cum ſemper ſis in terris, & nos tecum in cœlo vivere mereamur, qui cum Deo Patre & Spiritu ſco vivis & regnas per omnia. *g.*

Secret. Or.

Suſcipe, Dne, munera, quæ pro Filii. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. Per X. D. N. qui poſt reſurrectionem ſuam omnibus diſcipulis ſuis manifeſtus apparuit, & ipſis cernentibus eſt elevatus in cœlum, ut nos divinitatis ſuæ tribueret eſſe participes; Et ideo cum. *gg.*

Communicantes, & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Dn9 noſter unigenitus filius tuus unitam ſibi fragilitatis noſtræ ſubſtantiam in gloriæ tuæ dextera collocavit. Sed & memoriam. *gg.*

Ad Comm.

Præſta nobis, quæſumus omnipotens & miſericors Deus, ut quæ viſibilibus myſteriis ſumenda percepimus, inviſibili conſequamur effectu, per Dnm. *l. gg.*

Aliæ Orationes.

Deus, qui nos reſurrectionis dominicæ, & aſcenſionis eius lætabunda ſolemnia celebrare feciſti; da famulis tuis, ut advenientis Sci Spiritus gratiam purificatis mentibus ſuſcipere mereamur, per eundem. in unitate eiusdem Spiritus S.

Alia. (1)

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, ut ſicut humani generis ſalvatorem conſedere tecum in tua maieſtate confidimus, ita uſque ad conſummationem ſæculi manere nobiſcum, quemadmodum eſt pollicitus, ſentiamus, per eundem. *vel* eundem Dnm. *l. g. gg.*

Alia.

Deus, cuius Filius in alta cœlorum potenter aſcendens, captivitatem noſtram ſua duxit virtute captivam, tribue quæſumus, ut dona, quæ ſuis participibus contulit, largiatur & nobis, qui tecum vivit. *g. gg.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Deus, qui eccleſiam tuam evangelicæ doctrinæ exhortatione, quæ ſurſum ſunt, iubes ſapere, & ad eandem ſe altitudinem, ad quam mundi Salvator aſcendit, erigere; da populis tuis intellectu capere, quod multi viderunt conſpectu, ut in ſecundo mediatoris adventu ditentur donis, qui promiſſis crediderunt, per eundem.

Alia.

Exultationem conditionis humanæ eiusdem ſubſtantiæ conditor reſpice Deus, ut tua dignatione mundati, ſacramentis magnæ pietatis aptemur, per Dnm.

Secreta.

Sacrificium, Dne, ſupplices pro filii tui. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. Per X. D. N. qui poſt reſurrectionem ſæculis omnibus glorioſam diſcipulis ſuis viſu conſpicuus, tactuque palpabilis uſque in quadrageſimum diem manifeſtus apparuit, ipſisque cernentibus eſt elevatus in cœlum. In id proficientibus intra has moras primitivis, ut & certius fieret quod credidiſſent, & plenius diſcerent, quod docerent, per eundem X.

Communicantes & diem ſacratiſſimum. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Deus, cuius filius in alta cœlorum. *Ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui ad cœlos aſcendens diſcipulis tuis Spiritum ſanctum collaturum te dignatus es polliceri, præſta quæſumus, ut ſicut apoſtoli tui multifaria doctrinæ cœleſtis munera perceperunt, ita nobis quoque ſpiritalia dona concedas, qui cum Deo Patre.

Dom. poſt Aſcenſam Domini.*

Omnipotens ſempiterne Deus, fac nos tibi ſemper & devotam gerere voluntatem, & maieſtati tuæ ſincero corde ſervire, per Dnm. *g. El. gg.*

Alia.

Deus, vita fidelium, gloria humilium, beatitudo iuſtorum, propitius ſuſcipe ſupplicum preces, ut animæ, quæ promiſſiones tuas ſitiunt, de tuæ (*tua*) ſemper caritatis abundantia repleantur, per. *g. El.*

Secreta.

Sacrificia nos, Dne, immaculata purificent, & mentibus noſtris ſupernæ gratiæ dent vigorem, per Dnm. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et clementiam tuam humiliter obſecrare, ut quia primum tuæ pietatis iudicium eſt, ſi tibi nos facias toto corde ſubiectos; tu Spiritum nobis tantæ devotionis infundas, ut propitius largiaris conſequenter auxilium, per X.

Ad Comm.

Repleti, Dne, muneribus ſacris, da quæſumus, ut in gratiarum tuarum ſemper actione maneamus, per Dnm. *l. gg.*

Alia.

Erectis ſenſibus & oculis cordis ad ſublimia

(1) Duæ ſequentes orationes in antiquiſſimo codice orationum *San-Galenſi* manco notantur *ad matut. ſive ad veſperum.*

Digitized by Google

limia elevatis, quæſumus Dne, ut quæ in precum vota detulimus, ad impetrandi fiduciam referamus, per Dnm. *g.*

Alia Miſſa Ambroſiona.

Implorantes, Dne, miſericordiam tuam, populos fideles propitius intuere, ut qui præter te alium non noverunt, tuis beneficiis glorientur, per Dnm.

Alia.

Sancti nominis tui, Dne, timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione deſtituis, quos in ſoliditatem tuæ dilectionis inſtituis, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Oblatio nos, Dne, tuo nomini dicanda purificet, & de die in diem ad cœleſtis vitæ transferat actionem, per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! poſcentes, ut ſenſibus noſtris clementer infundas, ne terrenis affectionibus inhærendo, oculos ad cœleſtia non levemus, ne in infimis voluptatibus occupati, mentes non valeamus attollere, quo noſter ſalvator aſcendit, ne diabolica ſectando veſtigia, a Xpi conſortio recedamus; quia nemo poteſt ſummi verique regis celſitudine delectari, niſi qui peſtifera deſtructa ſubverſaque tyranni iura calcaverit, per eundem Xpum.

Ad Comm.

Præſta nobis, quæſumus omnipotens & miſericors Deus. *Ut ſupra in Aſcenſa Dni.*

VIII. Kl. Iun.

Natl. S. URBANI Papæ & Mart.

Da, quæſumus omnipotens Deus, ut qui beati Urbani martyris tui atque pontificis ſolemnia colimus, eius apud te interceſſionibus adiuvemur, per Dnm nrm. *gg.*

Secreta.

Munera, quæſumus Dne, tibi dicata ſanctifica, & intercedente beato Urbano per eadem nos placatus intende, per. *gg.*

Alia Secreta.

Hæc hoſtia, Dne, quæſumus emundet noſtra delicta, & ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora menteſque ſanctificet, per. gg.

Ad Comm.

Beati Urbani martyris tui atque pontificis, Dne interceſſione placatus, præſta quæſumus, ut quæ temporali celebramus actione, perpetua ſalvatione capiamus, per Dnm. *El.*

Alia ad Comm.

Refecti participatione muneris ſacri quæſumus Dne Deus noſter, ut cuius exſequimur cultum, ſentiamus effectum, per. l. gg.

Eodem die Depoſitio S. DIONISII.

Miſſa Ambroſ.

Deus, qui nos ſci Dioniſii confeſſione glorioſa circumdas, & protegis, da nobis eius imitatione proficere, & oratione fulciri, per Dnm. *gg.*

Alia.

Sci Dioniſii, Dne, confeſſio recenſita conferat nobis piæ devotionis augmentum, quia in nomine tuo perſeverans, meruit honorari, per Dnm.

Secreta.

Hoſtias, tibi Dne, pro commemoratione beati ſacerdotis & confeſſoris tui Dioniſii offerimus, quem a tui corporis unitate nulla temptatio ſeparavit, per Dnm.

Præfatio.

VD. æterne Deus! & confeſſionem ſci ſacerdotis tui Dioniſii memorabilem non tacere; qui nec hereticis blandimentis, nec ſui ſtatus potuit diverſitatibus immutari, ſed in utroque diſcrimine veritatis aſſertor, veritatem tuæ fidei non reliquit; Et ideo debitæ pietatis obſequium exhibemus, quia potentiam tuam Dne, cuius gratia talis extitit, in eius ſolemnitatibus prædicamus, per Xpm.

Ad Comm.

Quæſumus Dne Deus noſter, ut interveniente ſco ſacerdote & confeſſore tuo Dioniſio, ſacroſancta myſteria, quæ ſumpſimus, actu ſubſequamur & ſenſu, per Dnm. *l.*

In Sabbato ſco Pentecoſtes Orat. ante Lectiones. (1)

(Q) 2 Da

---

(1) In *Gregoriano* deeſt oratio ante primam lectionem. Vid. ſupra ad Sabb. S.

Digitized by Google

Da nobis, quæſumus Dne, per gratiam Spiritus Sancti novam tui Paracleti ſpiritalis obſervantiæ diſciplinam, ut mentes noſtræ ſacro purificante ieiunio, cunctis reddantur eius muneribus aptiores, per Dnm. in unitate eiusdem Spiritus S. *l. g.*

Lect. I. In Geneſi. *In principio fecit Deus.*

Omnipotens ſempiterne Deus, indeficiens lumen, qui Spiritum tuum Scm, cum ſuper aquas in mundi creationis exordio ferretur, humanæ declaraſti ſalutis auctorem, præſta quæſumus, ut idem Spiritus veritatis eccleſiæ tuæ dona multiplicet, per. in unitate eiusdem. *g.*

Lect. II. In Geneſi. *Temptavit Deus Abraham.*

Deus, qui in Abrahæ famuli tui opere humano generi obedientiæ exempla præbuiſti; concede nobis & noſtræ voluntatis pravitatem frangere, & tuorum præceptorum rectitudinem in omnibus adimplere, per Dnm. *gg.*

Lect. III. in Exodo. *Factum eſt* in vigil. mat. Canticum. *Cantemus Dno.*

Deus, qui primis temporibus impleta miracula novi teſtamenti luce reſeraſti, quod mare rubrum forma ſacri fontis exiſteret, & liberata plebs ab Ægyptia ſervitute Xpiani populi ſacramenta præferret; da ut omnes gentes Iſraelis privilegium merito fidei conſecutæ, Spiritus tui participatione regenerentur, per Dnm. in unit. eiusd. Spiritus. *g.*

Lect. IIII. in Deuteron. *Scripſit Moyſes Canticum.*

Canticum. *Attende cælum.*

Deus gloriatio fidelium, & vita iuſtorum! qui per Moyſen famulum tuum nos quoque modulatione ſacri carminis erudiſti; in univerſis gentibus miſericordiæ tuæ munus operare, tribuendo beatitudinem, auferendo terrorem, ut quod prænuntiatum eſt ad ſupplicium, in remedium transferatur æternum, per Dnm. *g.*

Lect. V. In Eſaia. *Apprehendent VII. mulieres.*

Canticum. *Vinea facta eſt.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per unicum filium tuum eccleſiæ tuæ demonſtraſti te eſſe cultorem, ut omnem palmitem, fructum in eodem Xpo tuo, qui vera vitis eſt, afferentem clementer excolens, fructus afferre facias ampliores, fidelibus tuis, quos velut vineam ex Ægypto per fontem baptiſmi transtuliſti, nullæ peccatorum ſpinæ prævaleant, ut Spiritus tui ſanctificatione, mundique perpetua fruge ditentur, per eundem. *g.*

Lect. VI. In Hieremia. *Audi Iſrael mand.*

Deus, qui nobis per Prophetarum ora præcepiſti temporalia relinquere, atque ad æterna feſtinare; da famulis tuis, ut quæ a te iuſſa cognovimus, implere cæleſti inſpiratione valeamus. *gg.*

Cant. de Pſal. XLI. *Sicut cervus.*

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui ſolennitatem doni Spiritus Sancti colimus, cæleſtibus deſideriis accenſi, fontem vitæ ſitiamus, per Dnm. in unitate eiusdem. *gg.*

Domine Deus virtutum, qui collapſa reparas, & reparata conſervas; auge populos in tui nominis ſanctificatione renovandos, ut omnes, qui diluuntur ſacro baptiſmate, tua ſemper inſpiratione dirigantur, per Dnm. *g.*

Alia.

Digitized by Google

Alia.

Deus, qui nos ad celebrandam feſtivitatem utriusque teſtamenti paginis inſtruis; da nobis intelligere miſericordiam tuam, ut ex perceptione præſentium munerum firma ſit expectatio futurorum, per Dnm. *g. gg.*

Inde deſcendis cum Letania ad fontes.
Or. ad Miſſam poſt Aſcenſum fontis.
Stat. ad Lateranum.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut claritatis tuæ ſuper nos ſplendor effulgeat, & lux tuæ lucis corda eorum, qui per gratiam tuam renati ſunt, Sci Spiritus illuſtratione confirmet, per Dnm. in unit. eiusd. Spiritus. *g g.*

Alia.

Deus, cuius Spiritu totum corpus eccleſiæ multiplicatur & regitur, conſerva in novam familiæ tuæ progeniem ſanctificationis gratiam quam dediſti, ut corpore & mente renovati, in unitate fidei ferventes, tibi Dno ſervire mereantur, per Dnm. in unit. eiusd. Spiritus Sci. *g.*

Secreta.

Virtute Sci Spiritus, Dne, munera noſtra continge, ut quod ſolemnitate præſenti tuo nomini dedicavit, & intelligibile nobis faciat, & æternum, per Dnm. in unitate eiusdem Spiritus. *g.*

Alia.

Munera, Dne quæſumus, oblata ſanctifica, & corda noſtra Sci Spiritus illuſtratione emunda, per Dnm. in unit. eiusdem Spiritus Sci.

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm. qui aſcendens ſuper omnes cœlos, ſedensque ad dexteram tuam, promiſſum Spiritum ſanctum hodierna die in filios adoptionis effudit; quapropter profuſis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed & ſupernæ virtutes, atque angelicæ poteſtates hymnum gloriæ tuæ concinunt ſine fine dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus. *g. gg.*

Communicantes, & diem ſacratiſſimum Pentecoſtes prævenientes, quo Spiritus Sanctus apoſtolos plebemque credentium præſentia ſuæ maieſtatis implevit, ſed & memoriam. *g.*

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu Sancto, tribuens eis remiſſionem omnium peccatorum, quæſumus Dne, ut placatus. *g. El. g g.*

Ad Comm.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut Spiritus Sanctus adveniens, maieſtatem nobis filii tui manifeſtando clarificet, per eundem Dnm. in unit. eiusd. Spir. S. *g.*

Alia.

Sci Spiritus, Dne, corda noſtra mundet infuſio, & ſui roris intima aſperſione fœcundet, per Dnm. in unit. eiusdem Spiritus Sci. g. gg.

[Item alia infra Ebdomadem.

Annue miſericors Deus, ut qui divina præcepta violando paradyſi felicitate decidimus, ad æternæ beatitudinis redeamus acceſſum per tuorum cuſtodiam mandatorum, per Dnm. *l. gg.*

Secreta.

Hoſtias populi tui, quæſumus Dne, miſeratus intende, & ut tibi reddantur acceptæ,

Digitized by Google

ceptæ, conſcientias noſtras ſci Spiritus ſalutaris emundet adventus, per Dnm. in unit. eiusd. Sp9 ſci. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui ſacramenta paſchalia conſummans, eis, quos per unigeniti tui conſortium filios adoptionis eſſe tribuiſti, per ſanctum Spiritum largiris dona gratiarum, & ſui coheredibus redemptoris, iam nunc ſupernæ pignus hæreditatis impendis, ut tanto ſe certius ad eum confidant eſſe venturos, quanto ſe ſciunt ab eo redemptos, & ſci Sp9 infuſione ditatos. Et ideo.] *g. p.* 98. *El. gg.*

Ad Compl.

Sacris cœleſtibus, Dne, vitia noſtra purgentur, ut muneribus tuis poſſimus ſemper aptari, per Dnm. *l. g.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Deus, cuius Spiritu totum corpus eccleſiæ. *Ut ſupra in Paraſceve.*

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui tuæ maieſtatis effectu per Filii tui mirabile ſacramentum cooperante Spiritu ſco ſunt renati, cœleſtis vitæ fiant converſatione perpetui, per eundem Dnm. in unit. eiusdem Spiritus ſancti.

Secreta.

Virtute ſci Spiritus, Dne, munera noſtra. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. Per X. D. N. per quem te ſupplices rogamus & petimus, ut ſicut nobis æternæ ſecuritatis aditum paſſione Dni nri Ihu Xpi, & Spiritus ſci illuſtratione reſeraſti, ſic etiam tranquillitatem vitæ præſentis indulgeas, per quam tanti doni particeps devotio quieta proficiat, ut negligentiæ terror illatus, ad fidei transferatur augmentum, per eund. Xpm.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut paſchalis perceptio ſacramenti in mentibus noſtris continua perſeveret, per Dnm. *g.*

Ad Veſp.

Deus, qui credentium in te primitias tui Spiritus adventu mirifico decoraſti! da nobis de tua maieſtate præſumere, non de nris meritis ſuperbire, per Dnm. In unit. eiusdem Spiritus.

Alia.

Dne Deus omnipotens, qui primitias Spiritus tui dediſti credentibus, da nobis eundem Spiritum divinæ virtutis interpretem, & æternæ ſanctificationis auctorem, per Dnm. In unit. eiusdem Sp9 ſci.

Ad Mat.

Deus, qui hodierna die corda. *Ut poſtea.*

Alia.

Exaudi, Dne, preces noſtras, ut ſicut profanas mundi caligines ſci Spiritus luce evacuaſti, ſic hoſtes noſtros, & inimicos catholicæ profeſſionis expugna, per Dnm. In unit. eiusdem Spiritus. *l.*

Dom. Sca Penteroſt. ad S. PETRUM.

Deus, qui hodierna die corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti! da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ei9 ſemper conſolatione gaudere, per Dnm. In unitate eiusdem Spiritus ſci. *gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui paſchale ſacramentum quinquaginta dierum voluiſti myſterio contineri; præſta, ut gentium facta diſperſio diviſione linguarum, ad unam confeſſionem tui nominis cœleſti munere congregetur, per. *l. g. El.*

Secreta.

Munera, Dne quæſumus, oblata ſanctifica, & corda noſtra ſci Spiritus illuſtratione emunda, per D. in unit. ei9d. Sp9 ſci. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia hodie ſci Spiritus celebramus adventum, qui in principiis naſcentis eccleſiæ principibus eiusdem eccleſiæ cunctis gentibus imbuendis, & deitatis ſcientiam indidit, & loquelam in diverſitate donorum mirabilis operator unitatis donavit, variarumque gratiarum diſtributor, idem & unus effector, in

Digitized by Google

in ore prædicantium diſpenſavit omnium ſcientiam linguarum; Et ideo. *g.*

Vel alia Præfatio.

VD. Per X. D. N. qui aſcendens ſuper omnes. Ut ſupra. gg.

Communicantes, & diem ſacratiſſimum Pentecoſtes celebrantes, quo Spiritus ſc9 Aplis innumeris linguis apparuit, ſed & memoriam venerantes. *g. gg.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus, pro his quoque, quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu ſco, tribuens eis remiſſionem omnium peccatorum, quæſumus Dne. *g. gg.*

Ad Comm.

Sancti Spiritus, Dne, corda noſtra mundet infuſio, & ſui roris intima aſperſione fœcundet, per D. in unit. eiusd. Spirit9. *gg.*

Alia.

Præſta, quæſumus Dne, ut a noſtris mentibus carnales amoveat Spiritus ſc9 affectus, & ſpiritalia dona nobis potenter infundat, per D. in unit. eiusd. Spiritus. *g.*

Aliæ orationes. (1)

Deus, qui ſacramento feſtivitatis hodiernæ univerſam eccleſiam tuam in omni gente & natione ſanctificas! in totam mundi latitudinem Spiritus tui ſci dona diffunde, per. In unit. eiusdem Sp9 ſci. *g. El.*

Alia.

Deus, qui diſcipulis Xpi filii tui Spiritum ſcm paraclytum in ignis fervore mittere dignatus es! da populis tuis in unitate fidei eſſe ferventes, ut in tua ſemper dilectione permanentes, & in fide inveniantur ſtabiles, & in opere efficaces, per eund. Dum. in unit. eiusd. Sp9 ſci. *g.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, deduc nos ad ſocietatem cœleſtium gaudiorum, ut Spiritu ſco renatos regnum tuum facias introire, atque eo perveniat humilitas gregis, quo præceſſit celſitudo paſtoris, qui tecum vivit. *g.*

Alia.

Concede nobis, miſericors Deus, ut ſicut in nomine Patris & Filii divini generis intelligimus veritatem, ſic in Spiritu ſco totius cognoſcamus ſubſtantiam Trinitatis, per eund. in unit. eiusd. Spiritus Sci. *g.*

Item eodem Die alia Miſſa Ambroſ.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut claritatis tuæ. *Ut ſupra.*

Alia.

Bonorum omnium Deus auctor atque largitor, fac quæſumus, ut eccleſiæ tuæ proles, te inſtituente ſuccreſcens, in nova Filii tui creatura ſco fovente Spiritu nutriatur, per D. in unit. eiusd. Spus Sci.

Secreta.

Munera noſtra, Dne, Sci Spirit9 ſacrentur adventu, per quem a peccatis omnibus abſoluti, adoptionis tuæ Filii renaſcentur, per D. in unit. ei9d. Sp9 Sci.

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia hodie Sci Spiritus celebramus adventum, qui in principiis naſcentis eccleſiæ. *Ut ſupra. g.*

Ad Comm.

Sacris cœleſtibus, Dne, vitia noſtra purgentur, ut muneribus tuis poſſimus ſemper aptari, per Dnm *l. g.*

Item alia Miſſa in Eccleſia Maiore Ambroſ.

Deus, qui diſcipulis tuis Spiritum Scm. *Ut ſupra.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui paſchale. *Ut ſupra.*

Secreta.

Præſta, Dne quæſumus, ut ſecundum promiſſionem filii tui Dni nri Ihu Xpi Spiritus Scus & huius

(1) In antiquiſſimo cod. orationum *San-Gall.* manu notantur ſequentes *Orationes in die Dom. Pentecoſten ad mat. ſive ad veſp.*

huius nobis ſacrificii copioſius revelet arcanum, & omnem propitius referet veritatem, per eund. in unit. eiusd. Spiritus Sci.

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare, nos in hac præcipua feſtivitate gaudere, quia ſacratiſſimum Paſcha quinquaginta dierum myſteriis tegitur, & myſticus numerus adimpletur, & diſperſio linguarum, quæ dudum per ſuperbiam in confuſione facta fuerat, nunc per Spiritum Scm adunatur. Hodie enim de cœlis repente ſonum audientes Apli, unius fidei ſymbolum exceperunt, & linguis variis evangelii tui gloriam cunctis gentibus tradiderunt, per Xpm D. N.

Communicantes & diem ſacratiſſimum. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Hæc nobis, Dne, munera ſumpta proficiant, ut illo iugiter ferveamus Spiritu, quem Aplis tuis ineffabiliter infudiſti, per D. N. I. X. I. U. I. e. i. e. Deus una cum eodem Spiritu Sco per omnia ſæcula.

Ad Veſp.

Deus, qui ſacramento feſtivitatis hodiernæ univerſam eccleſiam tuam in omni gente & natione ſanctificas, in totam mundi latitudinem Spiritus tui dona multiplica, ut quod inter ipſa evangelicæ prædicationis exordia operata eſt divina dignatio, nunc quoque per credentium corda diffundat, per D. in unit. eiusd. Sp9 Sci. *g.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, deduc nos ad ſocietatem. *Ut ſupra.*

Feria II. Ad Vincula. G. & GG.

Deus, qui apoſtolis tuis ſcm dediſti Spiritum, concede plebi tuæ petitionis effectum, ut quibus dediſti fidem, largiaris & pacem per D. in unit. eiusd. Sp9 Sci. *gg.*

Secreta orat. G. & GG.

Propitius, Dne quæſumus, hæc dona ſanctifica, & hoſtiæ ſpiritalis obſervatione ſuſcepta nosmetipſos tibi perfice munus æternum, per Dnm. *l. gg.*

Præfatio.

VD. P. X. D. N. qui promiſſum Spiritum Paraclytum ſuper diſcipulos miſit, quib9 in principio naſcentis eccleſiæ cunctis gentibus imbuendis, & Deitatis ſcientiam inderet, & omnium linguarum gratiam donaret; per quem tuam maieſtatem ſupplices exoramus, ut cuius celebramus adventum, eius multimodæ largitatis capiamus effectum, per eund. Xpm. D. N. *El. gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Adeſto, Dne quæſumus, populo tuo, & quem myſteriis cœleſtibus imbuiſti, ab hoſtium furore defende, per Dnm. *l. g. gg.*

Feria III.

Ad S. ANASTASIAM. G. & GG.

Aſſit nobis, Dne quæſumus, virtus Sp9 Sci, quæ & corda nra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis, per Dnm. in unit. ei9d. Sp9 Sci. *g. gg.*

Secreta. G. & GG.

Purificet nos, Dne quæſumus, muneris præſentis oblatio, & dignos ſacra participatione perficiat, per Dnm. *l. gg.*

Præfatio.

VD. P. X. D. N. qui Spiritus Sci infuſione replevit corda fidelium, qui ſua admirabili operatione & ſui amoris in eis ignem accenderet, & per diverſitatem linguarum gentes in unitate fidei ſolidaret; cuius dono petimus, & illecebroſas a nobis excludi voluptates, & ſpiritales in nobis extrui plantarique virtutes, per eundem Xpm D. N. *El. gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Mentes noſtras, quæſumus Dne, Spus ſcus divinis reparet ſacramentis, quia ipſe eſt remiſſio omnium peccatorum, per D. in unit. eiusd. *l. g. gg.*

Feria IIII.

Ad Scam MARIAM. G. & GG.

Mentes noſtras, quæſumus Dne, Paraclytus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit filius, veritatem, per eund. in unit. eiusd. Spus Sci. *g. gg.*

Alia.

Digitized by Google

Alia. G. & GG.

Præſta, quæſumus omnipotens & miſericors Deus, ut Spiritus ſanctus adveniens, templum nos gloriæ ſuæ dignanter habitando perficiat, per D. in unit. eiusd. Sp9 Sci. *gg.*

Secreta. G. & GG.

Accipe, quæſumus Dne, munus oblatum, & dignanter operare, ut quod myſteriis agimus, piis effectibus celebremus, per. *l. gg.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! quia poſt illos lætitiæ dies, quos in honore Dni, a mortuis reſurgentis, & in cœlos aſcendentis exegimus, poſtque perceptum Sci Spiritus donum, neceſſario nobis ieiunia ſancta proviſa ſunt, ut pura converſatione viventibus, quæ divinitus ſunt eccleſiæ collata, permaneant incorrupta, per eundem Xpm. *l. g.*

Præfatio alia.

VD. Per Xpm Dnm. nrm. Per quem diſcipulis Spiritus ſanctus in terra datur ob dilectionem proximi, & de cœlo mittitur propter dilectionem tui, cuius infuſio, petimus, ut in nobis peccatorum ſordes exurat, ac tui amoris ignem nutriat, & nos ad amorem fraternitatis accendat, per eundem Xpm. *El. gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Sumentes, Dne, cœleſtia Sacramenta, quæſumus clementiam tuam, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis conſequamur, per Dnm nrm Ihum Xpm. *gg.*

Feria V. Præfatio.

VD. Per X. D. N. per quem pietatem tuam ſuppliciter petimus, ut Spiritus ſcus corda nra clementer expurget, & ſui luminis irradiatione perluſtret, ut in eo, qui gratiarum largitor eſt, recta ſapiamus, & de eius conſolatione in perpetuum gaudeamus, per eundem Xpm Dnm nrm. *El. gg.*

Feria VI. ad Apoſtolos. G. & GG.

Da quæſumus eccleſiæ tuæ, miſericors Deus, ut Sco Spiritu congregata, hoſtili nullatenus incurſione turbetur, per D. in unit. eiusd. *l. gg.*

Secreta.

Sacrificia, Dne, tuis oblata conſpectibus ignis ille *divinus* aſſumat, qui diſcipulorum Xpi tui per Spiritum ſcm corda ſuccendit, per eund. in unit. eiusd. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et maieſtatem tuam ſuppliciter exorare, ut Spiritus paraclytus ad nos veniat, & nos inhabitando templum ſuæ maieſtatis efficiat; quod cum unigenito filio tuo clementi reſpectu ſemper digneris inviſere, & tuæ inhabitationis fulgore in perpetuum perluſtrare, per eundem Xpm. *gg.*

Ad Comm.

Sumpſimus, Dne, ſacri dona myſterii, humiliter deprecantes, ut quæ in tui commemoratione nos facere præcepiſti, in noſtræ proficiant infirmitatis auxilium, per te *Ihu Xpe. l. gg.*

Sabbato in XII. Lect. Menſis IIII. Ad S. PETRUM. G. & GG.

Mentibus noſtris, Dne, Spiritum ſanctum benignus infunde, cuius & ſapientia conditi ſum9, & providentia gubernamur, per Dnm. in unit. eiusdem Spiritus ſci. *gg.*

Alia. G. & GG.

Illo nos igne, quæſumus Dne, Spiritus ſc9 inflammet, quem Dn9 noſter Ih9 Xp9 miſit in terram, & voluit vehementer accendi, per eund. Dnm nrm. in unitate eiusd. Sp9 ſci. *gg.*

Alia. G. & GG.

Deus, qui ad animarum medelam ieiunii devotione caſtigari corpora præcepiſti! concede nos & mente & corpore ſemper tibi eſſe devotos, per Dnm. *gg.*

Digitized by Google

Alia. G. & GG.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut ſalutaribus ieiuniis eruditi, ab omnibus etiam vitiis abſtinentes, propitiationem tuam facilius impetremus, per Dnm nrm. *g. gg.*

Alia. G. & GG.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ſic nos ab epulis carnalibus abſtinere, ut a vitiis irruentibus pariter ieiunemus, per. *gg.*

Ad Miſſam. G. & GG.

Deus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium! concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, per. *g. gg.*

Secreta. G. & GG.

Ut accepta tibi ſint, Dne, noſtra ieiunia, præſta nobis quæſumus huius munere ſacramenti purificatum tibi pectus offerre, per Dnm nrm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et tuam omnipotentiam devotis precibus implorare, ut nobis Spiritus tui lumen infundatur, cuius nos ſapientia creat, pietas recreat, & providentia gubernat; qui cum a tua ſubſtantia nullo modo ſit diverſus, ſed tibi & unigenito tuo conſubſtantialis & coæternus, diverſitate tamen donorum replet tuorum corda fidelium. Et ideo cum angelis. *El. gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Præbeant nobis, Dne, divinum tua ſancta fervorem, quo eorum pariter & actu delectemur & fructu, per. *gg.*

Die Dominico Vacat. GG.

Deprecationem noſtram quæſumus Dne benignus exaudi, & quibus ſupplicandi præſtas affectum, tribue defenſionis auxilium, per Dnm nrm. gg.

Secreta. GG.

Munera, Dne, oblata ſanctifica, ut tui nobis Unigeniti corpus & ſanguis fiant, per eund. Dnm nrm. gg.

Ad Comm. GG.

Hæc nos communio, Dne, purget a crimine, & cæleſtis remedii faciat eſſe conſortes, per. l. gg.

Dominica Oct. Pentecoſtes. Gel.

Timentium te, Dne, ſalvator & cuſtos, averte ab eccleſia tua mundanæ ſapientiæ oblectamenta fallacia, ut Spiritus tui eruditione formandos, prophetica & apoſtolica inſtituta potius quam philoſophiæ verba delectent, nec vanitas mendaciorum decipiat, quos eruditio veritatis illuminat, per Dnm. in unitate eiusdem. *g.* *Alia.*

Omnipotens & miſericors Deus! ad cuius beatitudinem ſempiternam non fragilitate carnis, ſed alacritate mentis aſcenditur; fac nos atria ſupernæ civitatis, & te inſpirante ſemper ambire, & tua indulgentia fideliter introire, per. *l. g.*

Secreta.

Remotis obumbrationibus carnalium victimarum ſpiritalem tibi ſumme Pater hoſtiam ſupplici ſervitute deferimus, quæ miro ineffabilique myſterio & immolatur ſemper, & eadem ſemper offertur, pariterque & devotorum munus, & remunerantis eſt præmium, per. *l. g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui cum unigenito Filio tuo & Spiritu Sco unus es Deus, unus es Dn9, non in unius ſingularitate perſonæ, ſed in unius Trinitate ſubſtantiæ; quod enim de tua gloria revelante te credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu Sco ſine differentia diſcretionis ſentimus; ut in confeſſione veræ ſempiternæ-

ternæque Deitatis, & in perſonis proprietas, & in eſſentia unitas, & in maieſtate adoretur æqualitas, per Xpum. quam laudant angeli. *g. El. gg.*

Ad Comm.

Lætificet nos, quæſumus Dne, huius Sacramenti veneranda ſolemnitas, pariterque mentes noſtras & corpora ſpiritali ſanctificatione fœcundet, & caſtis gaudiis ſemper exerceat, per. *l. g.*

Super populum.

Eccleſia tua, Dne, cœleſti gratia repleatur, & creſcat, atque ab omnibus vitiis expiata percipiat ſempiternæ redemptionis augmentum, & quod in membris ſuis copioſa temporum prærogatione veneratur, ſpiritalium capiat largitate donorum, per Dnm. *l. g.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Deus in te ſperantium fortitudo, adeſto propitius invocationibus noſtris, & quia ſine te nihil poteſt mortalis infirmitas, præſta auxilium gratiæ tuæ, ut in exequendis mandatis tuis & voluntate tibi, & actione placeamus, per Dnm nrm. *g.*

Alia.

Deus, qui te in rectis ac ſinceris manere pectoribus aſſeris, da nobis tua gratia tales exiſtere, in quibus habitare digneris, per Dnm nrm. *g.*

Secreta.

Hoſtias nras tibi, Dne, dicatas placatꝰ aſſume, & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium, per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui eccleſiæ tuæ filios, ſicut erudire non ceſſas, ita non deſinis adiuvare, ut & ſcientiam recta faciendi, & poſſibilitatem capiant exſequendi, per Xpm. *gg.*

Ad Comm.

Tantis, Dne, repleti muneribus, præſta quæſumus, ut & dona ſalutaria capiamus, & a tua nunquam laude ceſſemus, per. *l. g. gg.*

IIII. Kl. Iun.
Natl. S. SISINNII, MARTYRII, & ALEXANDRI.

Miſſa Ambroſiana.

Exaudi, Dne, populum tuum, toto tibi corde ſubiectum, & interceſſionibus beatiſſimorum martyrum tuorum Siſinnii, Martyrii, & Alexandri, a præſentibus defende periculis & futuris, per Dnm.

Alia.

Maieſtati tuæ nos, quæſumus Dne, martyrum tuorum Siſinnii, Martyrii, & Alexandri interceſſio beata conciliet, ut qui inceſſabiliter actibus nris offendimus, iuſtorum precibus expiemur, per Dnm. *l. gg.*

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, munera tibi dignanter oblata, & beatiſſimorum marryrum Siſinnii, Martyrii, & Alexandri ſuffragantibus meritis ad nræ ſalutis remedium (auxilium) provenire concede, per Dnm.

Præfatio.

VD. æterne Deus! Teque laudare mirabilem in Sanctis tuis Siſinnio, Martyrio, & Alexandro, quos ante conſtitutionem mundi in æternam tibi gloriam præparaſti, ut per eos huic mundo veritatis tuæ lumen oſtenderes; quos ita Spiritu veritatis armaſti, ut fortitudinem mortis per infirmitatem carnis evincerent; Hi ſunt veri martyres, qui in eccleſiæ prato ſicut roſæ & lilia floruerunt; quos pius ſanguis in prælio confeſſionis roſeo profudit (perfudit) colore, & in præmio paſſionis niveo liliorum flore veſtivit Ihꝰ Xpꝰ Dnꝰ nr, quem una tecum omnipotens Pater cum Sco Spiritu laudant angeli, adorant dominationes.

Ad Comm.

Divino munere ſatiati maieſtatem tuam ſupplices exoramus, omnipotens Deus, ut interceſſionibus Scorum tuorum Siſinnii, Martyrii, & Alexandri propriis careamus culpis, & tuis inhærere valeamus mandatis, per Dnm.

Kal. Iunii. G. & GG.
Dedicatio Baſilicæ S. NICOMEDIS.

Deus, qui nos beati Nicomedis martyris tui meritis & interceſſione lætificas; concede propitius, ut qui eius beneficia poſcimus, dono tuæ gratiæ conſequamur, per Dnm. *gg.*

Secreta. G. & GG.

Munera, Dne, oblata ſanctifica, & intercedente beato Nicomede martyre tuo

Digitized by Google

nos per hæc a peccatorum noſtrorum maculis emunda, per Dnm. *gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quos tuis reficis Sacramentis, intercedente beato Nicomede martyre tuo tibi etiam placitis moribus dignanter tribuas deſervire; per Dnm. *gg.* (1)

IIII. Non. Iun. Natl. Sc. MARCELLINI & PETRI. Gel. G.

Lætetur eccleſia tua, Deus, beatorum martyrum tuorum Marcellini & Petri confiſa ſuffragiis, atque eorum precibus glorioſis, & devota permaneat, & ſecura conſiſtat, per Dnm. *g.*

Secreta. G.

Votiva, Dne, munera deferentes in tuorum Marcellini & Petri martyrum paſſione, tuam magnificentiam veneramur, & per eam nobis imploramus tuæ pietatis auxilium, per Dnm. *g. El.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! cognoſcentes, quantum apud te ſit præclara vita Sanctorum, quorum nos etiam mors pretioſa lætificat & tuetur; quapropter martyrum tuorum Marcellini & Petri glorioſa recenſentes natalicia, laudes tibi referimus, & magnificentiam tuam ſupplices exoramus, ut quorum celebramus martyria venerantes, beatitudinis mereamur eſſe conſortes, per Xpm. *El. gg.*

Poſt Comm.

Quæſumus, Dne, ſalutaribus repleti myſteriis, ut quorum ſolemnia celebramus, orationibus adiuvemur, per Dnm. *g. gg.*

Alia.

Intercedentibus Sanctis tuis, Dne, plebi tuæ præſta ſubſidium, ut ab omnibus noxiis expedita, cuncta ſibi percipiat profutura, per Dnm. *g. El.*

Alia Miſſa unde ſupra Gregoriana.

Deus, qui nos annua beatorum Marcellini & Petri martyrum tuorum ſolemnitate lætificas, præſta quæſumus, ut quorum gaudemus meritis, provocemur exemplis. El. gg.

Secreta.

Hoſtia hæc, quæſumus Dne, quam in Sanctorum tuorum natalicia recenſentes offerimus, & vincula noſtræ pravitatis abſolvat, & tuæ nobis miſericordiæ dona conciliet, per Dnm. gg.

Ad Comm.

Sacro munere ſatiati ſupplices te Dne deprecamur, ut quod debitæ ſervitutis celebramus officio, ſalvationis tuæ ſentiamus augmentum, per Dnm. l. gg. (2)

Dominica II. poſt Pentecoſten. Gel.

Deus, in te ſperantium fortitudo, adeſto propitius invocationibus noſtris, & quia ſine te nihil poteſt mortalis infirmitas, præſta auxilium gratiæ tuæ, ut in exſequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus, per. *El. g. gg.*

Alia.

Deus, ſpes luminis ſincerum (*ſincerarum*) mentium luxque perfecta beatorum, qui vere

re

(1) In *San-Blaſ.* ponitur hic miſſa *In Nat. SS. martyrum tuorum Marcelli & Exuperantii.* Deus qui nos concedis &c. ut in communi martyrum in miſſali *Rom.* miſſa *ſapientiam.*

(2) In *San-Blaſiano In natale S. Bonifacii martyris:* Deus qui multitudinem populorum &c. paullulum diverſa a miſſali *Romano.*

Digitized by Google

re es lumen eccleſiæ tuæ, da cordibus noſtris, & dignam tibi orationem perſolvere, & te ſemper præconiorum munere collaudare, per Dnm nrm. *g.*

Secreta.

Hoſtias nras, Dne, tibi dicatas placatus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium, per Dnm. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui eccleſiæ tuæ filios, ſicut erudire non ceſſas, ita non deſinis adiuvare, ut & ſcientiam recte faciendi, & poſſibilitatem capiant exſequendi, per Xpm. *g. El.*

Ad Comm.

Tantis, Dne, repleti muneribus, præſta quæſumus, ut & ſalutaria dona capiamus, & a tua numquam laude ceſſemus, per D. *l. g. gg.*

Super populum.

Fideles tuos, Dne, benedictio deſiderata confirmet, quæ eos & a tua voluntate numquam faciat diſcrepare, & tuis ſemper indulgeat beneficiis gratulari, per Dnm. *l. g. El.*

V. Id. Iun.

Natl. S. PRIMI & FELICIANI. Gel. (1)

Fac nos, Dne quæſumus, Sanctorum tuorum Primi & Feliciani ſemper feſta ſectari, quorum ſuffragiis protectionis tuæ dona ſentiamus, per Dnm. *l. El.*

Secreta.

Fiat, Dne quæſumus, hoſtia ſacranda placabilis pretioſi celebritate myſterii, quæ & peccata noſtra purificet, & tuorum tibi vota conciliet famulorum, per Dnm. *l. El.*

Ad Comm.

Quæſumus omnipotens Deus, ut Sanctorum tuorum cœleſtibus myſteriis celebrata ſolemnitas, indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat, per Dnm. *l. El.*

II. Id. Iun. Natal. S BASILIDIS, CYRINI, NABORIS, & NAZARII. Gel.

Sanctorum Baſilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii, quæſumus Dne, natalicia nobis votiva reſplendeant, & quod illis contulit excellentiam ſempiternam, fructibus noſtræ devotionis accreſcat, per Dnm. *g. El.*

Secreta.

Pro Sanctorum Baſilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii ſanguine venerando hoſtias tibi Dne ſolemniter immolamus, tua mirabilia pertractantes, per quem talis eſt perfecta victoria, per Dnm. *g. El.*

Ad Comm.

Læti, Dne, ſanctorum martyrum Baſilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii ſolemnia celebremus, & eorum patrocinia iugiter ſentiamus, per Dnm *g.*

Dominica III. Poſt Pentecoſten. Gel.

Sci nominis tui, Dne, timorem pariter & amorem fac nos habere perpetuum, quia numquam tua gubernatione deſtituis, quos in ſoliditatem tuæ dilectionis inſtituis, per Dnm. *g. gg.*

Alia.

Deus, qui te in rectis ac ſinceris. *Ut ſupra pag.* 131. *El. g.*

Secreta.

Oblatio nos, Dne, tuo nomini dican-

---

(1) Sequens miſſa habetur in miſſali *Romano*; in ſacramentario vero *Gregor. San-Blaſiano*: *Da nobis Domine Deus noſter Sanctorum martyrum Primi & Feliciani palmas &c.* præmittitur miſſa in natali S. Bonifacii M. *Deus qui multitudinem populorum beati Bonifacii P. atque M. inſtantia &c.*

da purificet, & de die in diem ad cœleſtis vitæ transferat actionem, per Dnm. *g. gg.*

Præfatio.

VD. Per X. D. N. cuius hoc mirificum opus ac ſalutare myſterium fuit, ut perditi dudum atque proſtrati a diabolo & mortis aculeo, ad hanc gloriam vocaremur, qua nunc genus electum, ſacerdotiumque regale, ac populus acquiſitionis, & gens ſancta vocamur. Agentes igitur indefeſſas gratias, ſanctamque munificentiam tuam prædicantes, maieſtati tuæ hæc ſacra deferimus, quæ nobis ipſe ſalutis nræ auctor Xp9 inſtituit, per quem maieſt. *g. gg.*

Ad Comm.

Sumptis muneribus, Dne quæſumus, ut cum frequentatione myſterii creſcat nræ ſalutis effectus, per Dnm. *g. gg.*

Denuntiatio Ieiuniorum Primi, Quarti, Septimi, & Decimi menſis.

Gel. (1)

Anniverſarii, fres dilectmi, ieiunii puritatem, qua & corporis acquiritur & animæ ſanctitas, nos commonet illius menſis inſtaurata devotio. Quarta igitur & ſexta feria ſollicito convenientes occurſu, offeram9 Deo ſpiritale ieiunium. Die vero ſabbati apud beatum Petrum, cuius nos intercеſſionibus credimus adiuvandos, ſcas Vigilias Xpiana pietate celebremus; ut per hanc inſtitutionem ſalutiferam peccatorum ſordes, quas corporis fragilitate contraximus, ieiuniis & eleemoſynis abluamus, auxiliante Dno nro Ihu Xpo, qui cum Patre & Spiritu Sco vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. *g, El.*

• [*Item Alia Gelaſ.*

Illius menſis ieiunia in hac ebdomada nobis tenenda. Ideoque hortamur ſcam fidem vram, ut quarta & ſexta feria vel ſabbato ieiunemus; quatenus divinis inhærendo mandatis, propitiationem Dei nri perſeverantia debitæ ſervitutis optineat, per Dnm nrm Ihm Xpm, qui cum Deo Patre & Spu ſco vivit & regnat. *g. El.*]

Menſis IIII. Feria IIII. ad Scam MARIAM Gelaſ.

Omnipotens & miſericors Deus, apta nos tuæ propitius voluntati, quoniam ſicut ei9 prætereuntes tramitem deviamus, ſic integro tenore dirigimur ad illius ſemper ordinem recurrentes, per Dnm nrm. *g. El.*

Alia.

Da nobis mentem, Dne, quæ tibi ſit placita, quia talibus iugiter, quicquid eſt proſperum, miniſtrabis, per Dnm. *g. El.*

Secreta.

Solemnibus ieiuniis expiatos tuo nos Dne myſterio congruentes hæc ſacroſancta munera efficiant, quia tanto nobis ſalubri9 adhærent, quanto ea devotius ſumpſerim9, per Dnm. *g. El.*

Ad Comm.

Quos ieiunia votiva caſtigant, tua Dne ſacramenta vivificent, ut terrenis affectib9 mitigatis, facilius cœleſtia capiamus, per Dnm. *g.*

Feria

(1) In ſacramentario *Leonino* apud MURATOR. lit. *Rom.* T. I. p. 410. habetur haud abſimilis denuntiatio ſeu *admonitio menſis ſeptimi* aliis concepta verbis.

Feria VI. Ad Apoſtolos. Gel.

Ut nobis, Dne, terrenarum frugum tribuas ubertatem, fac mentes noſtras cœleſti fertilitate fœcundas, per Dnm. *g. El.*

Alia.

Fiat tua gratia, Dne, fructuoſus noſtræ devotionis affectus, quia tunc nobis proderunt ſuſcepta ieiunia, ſi tuæ ſint beneplacita pietati, per Dnm. *g. gg.*

Secreta.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui non ſacrificiorum ambitione placaris, ſed ſtudio piæ devotionis intendis, da familiæ tuæ Spiritum rectum, & habere cor mundum, ut fides eorum hæc dona tibi conciliet, & humilitas optata commendet, per Dnm. *g.*

Ad Comm.

Annue, quæſumus omnipotens Deus! ut ſacramentorum tuorum geſta recolentes, & temporali ſecuritate relevemur, & erudiamur legalibus inſtitutis, per Dnm. *l. g. El.*

Super populum.

Fideli populo, Dne, miſericordiam tuam placatus impende, & præſidia corporis copioſa tribue ſupplicanti, per Dnm. *g. El.*

Sabbato in XII. Lect. ad S. PETRUM. Gel.

Præſta, Dne quæſumus, tales nos fieri tuæ gratiæ largitate, ut bona tua & fiducialiter impetremus, & ſine difficultate ſumamus, per Dnm. *g. El.*

Alia.

Da nobis, Dne quæſumus, regnum tuum iuſtitiamque ſemper inquirere, ut quibus indigere nos perſpicis, clementer facias abundare, per Dnm. *g. El.*

Alia.

Deus, qui nos de præſentibus adiumentis eſſe vetuiſti ſollicitos, tribue quæſumus, ut pie ſectantibus quæ tua ſunt, univerſa nobis ſalutaria condonentur, per te Ihu Xpe, qui cum Deo Patre & Spu ſco. *g. El.*

Alia.

Deus, qui miſericordia tua prævenis non petentes, da nobis affectum maieſtatem tuam iugiter deprecandi, ut pietate perpetua ſupplicibus potiora dependas, per Dnm. *g. El.*

Alia.

Deus, qui non deſpicis corde contritos & afflictos miſeriis, populum tuum ieiunii ad te devotione clamantem propitiatus exaudi, ut quos humiliavit adverſitas, attollat reparationis tuæ proſperitas, per Dnm. *g. El.*

Ad Miſſas.

Deus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, per. *g. gg.*

Secreta.

Dne Deus noſter, qui in his potius creaturis, quas ad fragilitatis noſtræ præſidium condidiſti, tuo quoque nomini munera iuſſiſti dicanda conſtitui, tribue quæſumus, ut & vitæ nobis præſentis auxilium, & æternitatis efficiant ſacramentum, per Dnm. *g. El.*

Ad Comm.

Sumptum, quæſumus Dne, venerabile ſacramentum, & præſentis vitæ ſubſidio nos foveat & æternæ, per Dnm. *g. El.*

Super populum.

Proficiat, Dne, quæſumus plebs tibi dicata piæ devotionis affectu, ut ſacris actionibus erudita, quanto maieſtati tuæ ſit gratior, tanto donis potioribus augeatur, per D. *g. El.*

Domi-

Digitized by Google

Dominica IIII. Poſt Pentecoſten. Gel.

Deprecationem noſtram, quæſumus Dne, benignus. *Ut ſupra p.* 130. *gg.*

Alia.

Tempora noſtra, quæſumus Dne, pio favore proſequere, & quibus curſum tribuis largiorem, præſta continuum benignus auxilium, per Dnm. *El.*

Secreta.

Munera, Dne, oblata ſanctifica, ut tui nobis Unigeniti corpus & ſanguis fiant, per eundem Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! illa feſta recolentes, quib9 nræ mortalitati procuratur immortale commercium, ac temporali vitæ ſubrogatur æternitas, & de peccati pœna peccata mundantur, miriſque modis conficitur de perditione ſalvatio, ut ſtatus conditionis humanæ, qui per felicitatis inſolentiam venit ad triſtitiam, humilis & modeſtus ad æterna gaudia redeat per mœrorem, per Xpm. *gg.*

Ad Comm.

Hæc nos communio, Dne, purget a crimine, & cœleſtibus remediis faciat eſſe conſortes, per Dnm. *l. gg.*

XVII. Kl. Iul. Natl. S. VITI Mart. G. & A.

Da eccleſiæ tuæ, Dne, quæſumus ſco Vito intercedente ſuperbe non ſapere, ſed tibi placita humilitate proficere, ut proterva deſpiciens, quæcumque matura ſunt, libera exerceat caritate, per. *l. g.*

Alia. A.

Deus, qui nos beati Viti martyris tui meritis & interceſſione lætificas! concede propitius, ut qui eius beneficia poſcimus, dono tuæ gratiæ conſequamur, per Dnm. *gg.*

Secreta. G.

Sicut gloriam divinæ potentiæ munera pro ſcis oblata teſtantur, ſic nobis effectum, Dne, tuæ ſalvationis impendant, per Dnm. *g.*

Alia Secreta.

Maieſtatem tuam ſuppliciter imploramus, omnipotens Deus, ut ſicut gloriam divinæ potentiæ tuæ munera pro ſanctis oblata teſtantur, ſic nobis effectum tuæ ſalvationis impendant, per.

Præfatio.

VD. æterne Deus, beati Viti martyrio gloriantes, cui admirandam gratiam in tenero adhuc corpore, & necdum virili more maturo, virtutem fidei, & patientiæ fortitudinem tribuiſti, ut ſævitiæ perſecutoris non cederet conſtantia puerilis, quæ inter acerba ſupplicia nec ſenſu potuerit terreri, nec ætate frangi, ut glorioſior fieret corona martyrii, per X. vel Et ideo cum angelis. (1)

Ad Comm. G. & A.

Refecti, Dne, benedictione ſolemni, quæſumus, ut per interceſſionem ſci Viti medicina ſacramenti cœleſtis & corporibus nris proſit, & mentibus, per Dnm. *g.*

XIIII.

---

(1) Præfatio hæc habetur etiam in ſacramentario *San-Blaſiano*, quodque de puetilis ætatis conſtantia in martyrio dicitur, etiam in prima oratione exprimitur: *Deus qui beatum Vitum in puerili adhuc ætate triumphantem coronaſti & Modeſtum atque Creſcentiam eius meritis coæquaſti &c.* Sequuntur orat. *in nat. Sanctorum tuorum Aurei & Iuſtini.* Sanctorum tuorum Aurei & Iuſtini, quæſumus Dne, natalitia nobis votiva reſplendeant, & quod illis contulit excellentiam ſempiternam, fructus noſtræ devotionis accreſcat. Per.

Secreta.

Pro Sanctorum Aurei & Iuſtini ſanguine venerando hoſtias tibi Dne, ſolemnes immolamus, tua mirabilia pertractantes, per quæ talis eſt victoria. Per.

Ad communionem.

Semper, Dne, Sanctorum martyrum Aurei & Iuſtini ſolemnia celebrantes, præſta quæſumus, ut eorum patrocinia iugiter ſentiamus. Per.

Digitized by Google

XIIII. Kl. Iulii.

Natl. MARCI & MARCELLIANI.

Sanctorum tuorum nos, Dne, Marci & Marcelliani natalitia tueantur; quia tanto fiducialius tuo nomini ſupplicamus, quanto frequentius martyrum benedictionibus confovemur, per Dnm. *g.*

Secreta.

Suſcipe, Dne, munera tuorum populorum votiva, & ſcorum Marci & Marcelliani tibi precibus eſſe grata concede, pro quorum ſolemnitatibus offeruntur, per Dnm. *l. g.*

Ad Comm.

Salutaris tui, Dne, munere ſatiati ſupplices exoramus, ut cuius lætamur guſtu, renovemur effectu, per Dnm. gg.

Unde ſupra Alia Miſſa Gregoriana.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui Sanctorum tuorum Marci & Marcelliani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum interceſſione liberemur, per Dnm. gg.

Secreta.

Munera, Dne, tibi dicata ſanctifica, & intercedentibus beato Marco & Marcelliano per eadem nos placatus intende, per. gg.

Ad Comm.

Salutaris tui, Dne, munere ſatiati. &c. per Dnm.

Item eodem die Vigl. GERVASII & PROTASII. G. & A.

Martyrum tuorum, Dne, Gervaſii & Protaſii natalitia præeuntes, ſupplices te rogamus, ut quos cœleſti gloria ſublimaſti, tuis concedas adeſſe fidelibus, per Dnm. *g.*

Alia. A.

Concede, quæſumus Dne, populo tuo veniam peccatorum, & religionis augmentum, atque ut ei tua dona multiplices, ſcorum martyrum tuorum Protaſii & Gervaſii patrocinia fac adeſſe, & largire præſidia, per Dnm.

Secreta. G. & A.

Sacrificium, Dne, quod pro ſanctis martyribus tuis Protaſio & Gervaſio prævenit noſtra devotio, eorum merito nobis augeat te donante ſuffragium, per D. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui licet in omnium Scorum tuorum ſis protectione mirabilis, in his tamen beatiſſimis martyribus tuis Protaſio & Gervaſio ſpeciale tuum munus agnoſcimus; quos fratres ſorte naſcendi, magnifica præſtitiſti paſſione germanos, ut ſimul eſſent & venerandæ genitricis, & florentiſſimæ proles eccleſiæ, per Xpm.

Ad Comm. G.

Sumpti ſacrificii, Dne, perpetua nos tuitio non relinquat, & noxia ſemper a nobis cuncta depellat, per D. *l. g.*

XIII. Kal. Iul. Natl.

S. GERVASII & PROTASII. G. & A.

Sanctorum martyrum tuorum nos Dne Protaſii & Gervaſii confeſſio beata communiat, & fragilitatis nræ ſubſidium dignanter exoret, per Dnm. *g. El.*

Secreta. A.

Concede nobis, omnipotens Deus, ut his muneribus, quæ pro Scorum martyrum Gervaſii & Protaſii honore deferimus, & te placemus exhibitis, & nos vivificemur acceptis, per D. *g. El.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! Ecce enim iuſti tui beatus Gervaſius & Protaſius memorabiliter epulantur, cum pariter & in cœlis pane ſatiantur angelico, & pro eorum recordatione ſolemni, divinis eccleſia tua paſcitur alimentis, per X.

Digitized by Google

Ad Comm. G. & A.

Da, quæſumus omnipotens Deus, ut myſteriorum tuorum virtute ſatiati ſanctorum Protaſii & Gervaſii martyrum interceſſionibus vita noſtra firmetur, per. *l. g. El.*

Unde ſupra alia Miſſa Gregoriana.

Deus, qui nos annua Sanctorum tuorum Protaſii & Gervaſii ſolemnitate lætificas; concede propitius, ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis, per. gg.

Secreta.

Oblatis, quæſumus Dne, placare muneribus, & intercedentibus Sanctis tuis a cunctis nos defende periculis, per D. gg.

Ad Comm.

Hæc nos communio, Dne, purget a crimine, & intercedentibus Sanctis tuis cæleſtis remedii faciat eſſe conſortes, per. l. gg.

Item unde ſupra Miſſa Ambroſiana.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, quas in beatiſſimorum martyrum tuorum Protaſii & Gervaſii commemoratione deferimus, ut qui nræ iuſtitiæ fiduciam non habemus, eorum, qui tibi placuerunt, meritis & interceſſionibus adiuvemur, per. *l. g g.*

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ feſtivitatis excipiat, quæ de beatiſſimorum martyrum tuorum Protaſii & Gervaſii glorificatione procedit, quos eadem fides & paſſio fecit eſſe germanos, per. *l. g g.*

Secreta.

Prætende munera, quæſumus Dne, altaribus tuis, pro beatiſſimorum martyrum tuorum Protaſii & Gervaſii commemoratione præpoſita, ut ſicut per hæc beata myſteria illis gloriam contuliſti, ita nobis indulgentiam largiaris, per. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui militibus tuis, pro tui nominis amore certantibus, virtutem fidei contuliſti, inter quos & pios fratres beatum Protaſium & Gervaſium aggregare dignatus es, quos pater dudum præceſſerat adeptus martyrii palmam; hi ſunt, qui vexillo cæleſti ſignati, victricia apoſtoli arma ſumpſerunt, & a mundanis nexibus abſoluti, nequiſſimi hoſtis vitiorum aciem proſternentes, liberi & expediti Xpm Dnm ſunt ſecuti. O quam felix germanitas, quæ ſacris inhærendo eloquiis, nullo potuit interpolari contagio. O quam glorioſa certaminis cauſa! ubi pariter coronantur, quos unus uterus maternus effudit; pro quorum triumphis & fœcundiſſima mater lætatur eccleſia, quæ per beatum Ambroſium tales meruit ſoboles reperire, qui ſibi conferant ſigna virtutum, & gloriam, per eundem Xpm Dnm.

Ad Comm.

Quos donis cæleſtibus ſatiaſti, ſcorum martyrum tuorum Protaſii & Gervaſii Dne defende præſidiis, ut a noxiis omnibus expediti, poſt ſalutaria tua toto corde curramus, per. *l.*

X. Kl. Iul. Natl. S. IULIANI Mart. (1)

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui triumphum laudabilem beati Levitæ & martyris Iuliani recolimus, digna ipſius imitatione ſectando, gaudiorum eius effici mereamur participes, per.

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens & miſericors Deus, ut ſicut beatum Iulianum coniugali thoro ſociatum, virginitatis cultu decibiliter decoraſti, ita & nos famulos tuos per eius interceſſionis auxilium, a ſordibus piaculorum abluas, & corda nra claritate tuæ gratiæ irradiare digneris, per.

Secreta.

Accepta tibi ſint, quæſumus Dne, munera, quæ in die ſolemnitatis beati martyris tui Iuliani deferimus, ut ea maieſtati tuæ ſint placita, ſicut illius effuſio ſanguinis apud te exſtitit pretioſa, per Dnm.

Præfatio.

VD. æterne Deus! Per X. D. N. qui tyrannica poteſtate depreſſa, ita ſuos milites extulit, ut angelicis in terris fruerentur conſortiis, & divinis ubique munirentur auxiliis, ad cuius ſtadium nobilis Iulianus martyr lætus accurrens, ſignifer efficitur fidei, digniſſimus Dni præliator. Elegit cum coniuge membra ſervare virginea, & fortior ad luctamina properavit; ſociavit ſibi Scorum choros, quos

---

(1) Inſigne IULIANI, cum ſua coniuge, in Præfatione deſcribitur martyrium, nuſpiam tamen eius feſtum in ſacramentariis aliis reperi. In *San-Blaſiano* eo loco miſſa In Natali SS. MM. ALBANI & GENESII legitur. Ad diem vigeſimam primam *Iunii* in martyrol. *Rom.* recenſetur ALBANUS M. qui *Moguntiæ* paſſus eſt, & die ſequenti cognominis in *Britannia* paſſus cum ſocio milite, cuius tamen tacetur nomen.

Digitized by Google

quos flammeo globo conſumptos præmiſit coronatos ad Xpm; dehinc contemptis ſacrilegis carnificum iuſſis, acerbiſſima tormenta pœnarum non metuens, Dei filium voce libera proteſtatur. O felix & digniſſimus miles Xpi! qui non ſolum contempſit tyrannum, ſed & filium eius abſtulit, fecitque Xpicolam, & ad ſuſcipiendam martyrii palmam ſecum pariter incitavit; ceditur, ferreis vinculis oneratur, horribili fœtore perfuſus, cuſtodiæ traditur, flammeis ardoribus eructanti immergitur cubæ, ex capite cutis depellitur, ſævis in theatro beſtiis traditur; ſed in his omnibus angelica protectione defenſus, dignam ad ultimum effuſio ſanguinis dedit victoriæ palmam, per eund.

Ad Compl.

Omnipotens & miſericors Deus, qui athletam tuum Iulianum tormenta horrifica ſuperare feciſti! concede, ut qui eius triumphi diem annue celebramus, inſuperabiles tua protectione ab hoſtis inſidiis maneamus, per. (1)

Dominica V. poſt Pentecoſten. Gel.

Protector in te ſperantium Deus, ſine quo nihil eſt validum, nihil ſanctum, multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut te rectore, te duce ſic tranſeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna, per Dnm. *gg.*

Alia.

Propitiare, Dne, humilitati noſtræ, & reſpice ſervitutem, ut pacis tuæ abundantia tempora noſtra cumulentur, per.

Secreta.

Reſpice, Dne, munera ſupplicantis eccleſiæ, & ſaluti credentium perpetua ſanctificatione ſumenda concede, per. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! omnipotentiam tuam iugiter implorantes, ut quibus annua celebritatis huius vota multiplicas, plenam divini cultus gratiam largiaris, & per augmenta corporea profectum clementer tribuas animarum, ut ad immutabile bonum per mutabilia bona veniamus, temporalique lætitiæ gaudia ſempiterna ſuccedant, per Xpm. *El. gg.*

Ad Compl.

Sancta tua nos, Dne, ſumpta vivificent, & miſericordiæ ſempiternæ præparent expiatos, per Dnm. *gg.*

VIIII. Kal. Iul.

Vigil. Sci IOHAN. Baptiſtæ.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut familia tua per viam ſalutis incedat, & beati Iohannis præcurſoris hortamenta ſectando, ad eum, quem prædixit, ſecura perveniat, Dnm nrm. *gg.*

Alia.

Præſta, quæſumus Dne, ut populus tuus ad plenæ devotionis affectnm beati baptiſtæ Iohannis natalitiis præparetur, quem promiſiſti (*præmiſiſti*) filio tuo parare plebem perfectam Ieſu Xpo Dno noſtro, qui tecum vivit. *g.*

Secreta.

Munera populi tui, Dne, propitiat9 intende, & beati Baptiſtæ Iohannis, cuius nos tribuis præire ſolemnia, fac gaudere ſuffragiis. *g.*

Alia Secreta *in conceptione.*

Munera, Dne, oblata ſanctifica, & inter-

(1) In *San-Blaſ.* inter feſtum SS. GERVASII & PROTASII & vigil. S. Io *Bapt.* legitur ſequens miſſa In natale SS. ALBANI & GENESII: vide ſupra p. 137.

Sanctorum tuorum nos, Dne, Albani & Geneſii natalicia tueantur, quia tanto fiducialius tuo nomini ſupplicamus, quanto frequentius martyrum benedictionibus confovemur. Per.

Secreta.

Suſcipe, Dne, munera tuorum populorum votiva, & Sanctorum Albani & Geneſii tibi precibus eſſe grata concede, pro quorum ſolemnitatibus offeruntur. Per.

Ad commun.

Salutaris tui, Dne, munere ſatiati ſupplices exoramus, ut quorum lætamur guſtu, renovemur effectu. Per.

Digitized by Google

tercedente beato Iohanne Baptiſta, nos per hæc a peccatorum (noſtrorum) *maculis emunda, per Dnm.* gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus! exhibentes ſolemne ieiunium, quo beati Iohannis Baptiſtæ natalitia prævenimus, cuius genitor verbi Dni nuntium dubitans naſciturum, vocis eſt privatus officio, & eodem recepit naſcente ſermonem; quique angelo promittenti non credens obmutuit, magnifici præconis exortu eloquens factus eſt propheta; materque pariter ſterilis ævoque confecta, non ſolum puerperio facta eſt fœcunda, ſed etiam (*beatæ*) Mariæ fructum benedictum ſedula voce, repleta Spiritu divinitatis, aſſeruit. Per quem. *El. gg.*

Ad Comm.

Beati Iohannis Baptiſtæ, nos (*quæſumus*) Dne, præclara comitetur oratio, & quem venturum eſſe prædixit, poſcat (*nobis*) favere placatum, Dnm nrm. *g. gg.*

Alia.

Beati nos, Dne, Baptiſtæ Iohannis oratio, & intelligere Xpi tui myſterium poſtulet, & mereri, per eundem Dnm. *g.*

Alia Miſſa Ambroſiana in conceptione.

Virtutum cœleſtium Deus, qui nos annua beati Iohannis Baptiſtæ ſolemnia frequentare concedis; præſta quæſumus, ut per te ſecuris eadem mentibus celebremus, & eius patrocinio promerente plenæ capiamus ſecuritatis augmentum, per Dnm. *l.*

Alia.

Beati Iohannis Baptiſtæ nos Dne. *Ut ſupra.*

Secreta.

Tua, Dne, muneribus altaria cumulamus, illius nativitatem honore debito celebrantes, qui Salvatorem mundi & cecinit affuturum, & adeſſe monſtravit Dnm nrm. *vel* qui tecum. *l. g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Exhibentes ſolemne ieiunium, quo Iohannis Baptiſtæ natalitia prævenimus; cuius genitor, dum eum dubitat naſciturum, ſermonis amiſit officium, & eo naſcente & ſermonis uſum, & prophetiæ ſuſcepit donum; cuiusque genitrix ſenio confecta, ſterilitate multata, in eius conceptu non ſolum ſterilitatem amiſit, fœcunditatem acquiſivit, ſed etiam Spiritum ſanctum, quo mater Dni & Salvatoris agnoſceretur, accepit, per quem maieſtatem tuam. Vid. col. præced. *El. gg.*

Ad Comm. In conceptione.

Sancti nos, quæſumus Dne, Baptiſtæ Iohannis oratio & aſſequi faciat ſemper mente, quæ gerimus, & debitæ ſervitutis actione ſectari, per Dnm.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui etiam in beati Iohannis generatione promenda, confeſſionem ſacræ tibi plebis inſtituis, auge in nobis fidei pietatisque conſtantiam, ut magis magisque fateamur excellentiam nuntiati, cum tanta ſit gloria nuntiantis, qui tecum. *l.*

VIII. Kal. Iul.
Natl. Sci IOHANNIS Baptiſtæ.
In prima Miſſa.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut qui beati Iohannis Baptiſtæ ſolemnia colimus, eius apud te interceſſione muniamur, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Deus, cuius miſericordia præcurrente ſalvamur, reſpice propitius ad tanti ſolemnia præcurſoris, ut ſacrificium, quod natalitio eius munere gratulantes offerimus, & indulgentiam nobis obtineat & favorem. Alia.

Munera, Dne, oblata ſanctifica, & interced. Ut ſupra. gg.

Ad Comm.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui cœleſtia alimenta percepimus, intercedente beato Iohanne Baptiſta per hæc contra omnia adverſa muniamur, per D. *gg.*

Item ad Miſſam.

Deus, qui præſentem diem honorabilem nobis in beati Iohannis nativitate feciſti;

Digitized by Google

ciſti; da populis tuis ſpiritalium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam ſalutis æternæ, per Dnm. *l. g. gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui inſtituta legalia, & Scorum præconia prophetarum, in dieb9 beati Baptiſtæ Iohannis impleſti! præſta quæſumus, ut ceſſantibus ſignificationum figuris ipſa ſui manifeſtationem veritas eloquatur Ih9 Xp9 Dn9 noſter, qui tecum. *l. g.*

Secreta.

Tua, Dne, muneribus altaria cumulamus, ſci Iohannis nativitatem honore debito. *Ut ſupra. l. g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et præcipue in die feſtivitatis hodiernæ, qua beatus Iohannes exortus eſt; qui vocem matris Dni nondum editus ſenſit, ſed & adhuc clauſus utero adventum ſalutis humanæ prophetica exultatione geſtivit; qui & genitricis ſterilitatem conceptus abſtulit, & patris linguam natus abſolvit, ſolusque omnium prophetarum redemptorem mundi, quem prænuntiavit, oſtendit. Et ut ſacræ purificationis effectum aquarum natura conciperet, ſanctificandis Iordanis fluentis ipſum baptiſmo baptiſmatis lavit auctorem; per quem. *El. Vatic.*

Ad Comm.

Sumat eccleſia tua, Deus, beati Iohannis Baptiſtæ generatione lætitiam, per quem ſuæ regenerationis cognovit auctorem, per eundem. *g. gg.*

Unde ſupra. Miſſa Ambroſiana.

Deus, qui hunc diem ortu præconis tui atque Baptiſtæ Iohannis conſecrare dignatus es, cum puerperium mater ſterilis, & vocem Pater mutus accepit! concede propitius, ut illud, quod ſalvator noſter geſſit in Iordane myſterio, hoc in omnibus catholicis ſemper celebretur eccleſiis, per eundem Dnm.

Alia.

Præcurſoris tui Iohannis Baptiſtæ nos, quæſum9 Dne, interceſſio ſancta commendet, ut & ſpiritalibus mereamur eius prædicationibus erudiri, & eo quo præcipis, ipſo iuvante noſtra poſſit pervenire fragilitas, qui vivis.

Secreta.

Reſpice, Dne, ad hæc munera, quæ te ſanctificante ſacramus, & ſicut beatus Iohannes Baptiſta factus eſt præcurſor & præparator viæ Dni nri Ihu Xpi, ita & pro noſtris infirmitatibus te protegente interceſſor exiſtat, per eundem.

Præfatio.

VD. æterne Deus, & in die feſtivitatis hodiernæ. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Tribue, quæſumus omnipotens Deus, ut ſicut nos donis cœleſtibus ſatias, ita in beati Iohannis Baptiſtæ nativitate defende præſidiis, ut quod ille de filii tui nativitate prædicavit, nobis proſit ad ſalutem, per eundem.

[*Alia Orat.* (1)

Da, quæſumus miſericors Deus, ut myſticis eccleſia tua beati Baptiſtæ Iohannis exordiis, & ſacris erudita præconiis, ad iram venturi iudicii declinandam, dignos ſalutis fructus iugiter operetur, per Dnm.] *g.*

Alia.

Deus, qui nos beati Iohannis Baptiſtæ concedis natalitio perfrui, eius nos tribue meritis adiuvari, per Dnm. *gg.*

Ad fontes.

Omnipotens ſempiterne Deus, da cordibus noſtris illam tuarum rectitudinem

(1) Sequentes orationes eodem ordine ac numero leguntur in ſæpe laudato antiquiſſimo cod. orationum *San-Gallenſi* inſcriptæ, *orationes ad matut. ſive ad veſp.*

ſemitarum, quam beati Iohannis Baptiſtæ in deſerto vox clamantis edocuit, per Dnm. *l. gg.*

Alia.

Deus, qui conſpicis, quia nos undique mala nra contriſtant, per præcurſorem gaudii corda nra lætifica, per eund. Dnm. *gg.* [*Alia.*

Da, quæſumus omnipotens Deus, intra ſcæ eccliæ uterum conſtitutos, eo nos Spiritu ab iniquitate nra iuſtificari, quo beatum Iohannem intra viſcera materna docuiſti, per Dnm. in unit. eiusd *gg.*

Alia.

Deus, qui nos annua beati Iohannis Baptiſtæ ſolemnia frequentare concedis, præſta quæſumus, ut & devotis eadem mentibus celebremus, & eius patrocinio promerente plenæ capiamus ſecuritatis augmentum, per Dnm. *gg.*

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus, qui beatum Iohannem Baptiſtam tua providentia deſtinaſti, ut perfectam plebem Xpo Dno præpararet: da quæſumus, ut familia tua huius interceſſione præconis, & a peccatis omnibus exuatur, & ad eum, quem prophetavit, pervenire mereatur, per eundem.] *l. gg.*

VII. Kl. Iul. Vigl.

S. IOHANNIS & PAULI. Gel.

Beatorum martyrum Iohannis & Pauli natalitia veneranda, quæſumus Dne, eccleſia tua devota ſuſcipiat, & fiat magnæ glorificationis amore devotior, per D. *l. g.*

Secreta.

Sint tibi, Dne quæſumus, nri munera grata ieiunii, quia tunc eadem in ſcorum tuorum Iohannis & Pauli digne commemoratione deferimus, ſi & actus illorum pariter ſubſequamur, per Dnm. *l. g.*

Ad complendum.

Protege, Dne, plebem tuam, & quam martyrum tuorum Iohannis & Pauli aſſidua tribuis feſtivitate devotam, tibi ſemper placitam fieri precibus concede iuſtorum, per Dnm. *l. g.*

VI. Kl. Iul. Natl.

S. IOHANNIS & PAULI.

Quæſumus omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ feſtivitatis excipiat, quæ de beatorum Iohannis & Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides & paſſio vere fecit eſſe germanos. *l. g. gg.*

Secreta.

Hoſtias altaribus tuis, Dne, placationis imponimus, potentiam tuam in ſcorum tuorum paſſionibus honorando, & per eos nobis implorando veniam peccatorum, per D. *l.*

Alia. GG.

Hoſtias tibi, Dne, ſcorum martyrum tuorum Iohannis & Pauli dicatas meritis benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium, per D. l. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia beati martyres tui Iohannes & Paulus, quorum feſta prædicam9, veraciter impleverunt, quod Davidica voce canitur: ecce quam bonum, & quam iocundum, habitare fratres in unum: naſcendi lege conſortes, fidei ſocietate coniuncti, paſſionis æqualitate conſi-

Digitized by Google

conſimiles, in uno ſemper Dno glorioſi; quem pariter confeſſi ſunt permanentem in æternum; & ideo.

Ad Comm.

Sumpta munera, Dne, nræ ſanctificationi tuorum precibus concede ſcorum, per D. *g.*

Alia.

Sumpſimus, Dne, ſcorum tuorum ſolemnia celebrantes, cœleſtia ſacramenta! praſta quæſumus, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis conſequamur, per D. l. gg.

IIII. Kl. Iul. Nat. S. Leonis Papæ. GO.

D*eus, qui beatum Leonem pontificem ſcorum tuorum meritis coæquaſti! concede propitius, ut qui commemorationis eius feſta percolimus, vitæ quoque imitemur exempla, per.* gg.

Secreta.

Annue nobis, Dne, ut (1) *interceſſione beati Leonis nobisbæc proſit oblatio, quam immolando totius mundi tribuiſti relaxari delicta, per Dnm.* gg.

Ad Comm.

Deus, qui animæ famuli tui Leonis, æternæ beatitudinis præmia contuliſti! concede propitius, ut qui peccatorum nrorum pondere premimur, eius apud te precibus ſublevemur, per Dnm. gg.

Eodem die Vigilia Sci PETRI.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in apoſtolicæ confeſſionis petra ſolidaſti, per Dnm. *gg.*

Alia.

Deus, qui nobis beatorum Aplorum Petri & Pauli natalitia glorioſa præire concedis, tribue quæſumus, eorum nos ſemper & beneficiis præveniri, & orationibus adiuvari, per D. *g. El.*

Secreta.

Munera, Dne, tuæ glorificationis offerimus, quæ tibi pro noſtris grata ieiuniis ſcorum Aplorum quæſumus deprecatio, quorum ſolemnia prævenimus, efficiat, per D. *l. g. El.*

Alia Secreta.

Munus populi tui, Dne quæſumus, aplica interceſſione ſanctifica, nosque a peccatorum nrorum maculis emunda, per. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus! apud quem licet cum beatorum Aplorum continuata feſtivitas, & æterna celebritas, atque triumphi cœleſtis perpetuus ſit natalis: nos tamen beatæ confeſſionis eorum initia recolentes, annua tribuis devotione gaudere, ut crebrior honor ſacratiſſimæ paſſioni repenſus, maiorem nobis retributionis gratiam largiatur, per Xpm. *l. g.* in feſto *El. gg.*

Præfatio alia.

VD. & iuſtum eſt, æquum & ſalutare; te Dne· ſuppliciter exorare, ut gregem tuum paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos continua protectione cuſtodias, ut iisdem rectoribus gubernetur, quos operis tui vicarios eidem contuliſti præeſſe paſtores; & ideo. gg.

Ad Comm.

Quos cœleſti, Dne, alimento ſatiaſti, apo-

---

(1) *In aliis legitur:* ut animæ famuli tui Leonis hæc proſit. Conf. diſquiſ. IX. C. II. p. 898.

Digitized by Google

apoſtolicis interceſſionibus ab omni adverſitate cuſtodi, per D. *gg.*

[*Unde ſupra Miſſa Ambroſiana.*

Familiam tuam, Dne, propitius intuere, & apoſtolicis fove præſidiis, ut eorum precibus gubernetur, quibus nititur te conſtituente principibus, per D.] (1) *l. gg.*

Alia.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, & Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli tuere præſidiis, quorum donaſti fideles eſſe doctrinis, qui vivis. l. g. gg.

Secreta.

Munera ſupplices, Dne, tuis altaribus adhibemus, ut quantum de noſtro merito ſumꝰ formidantes, tantum beatorum Petri & Pauli, pro quorum ſolemnitatibus offeruntur, interceſſione gloriemur ſalvandi, per Dnm.

Præfatio.

VD. æterne Deus! apud quem licet cum beatorum. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Sumpto, Dne, ſacramento beatis Apoſtolis intervenientibus deprecamur, ut quod temporaliter gerimus, capiamus æternum, per D.

Ad Veſper. (2)

Apoſtolicis nos, quæſumus Dne, beatorum Petri & Pauli attolle præſidiis, ut quanto fragiliores ſumus, tanto validioribus auxiliis foveamur, per Dnm. *g.*

[*Ad Vigil. Noctis.*

Deus, qui eccleſiam tuam Apli tui Petri fide & nomine conſecraſti, quique beatum illi Paulum ad prædicandum gentibus gloriam tuam ſociare dignatus es! concede, ut omnes, qui ad Aplorum tuorum ſolemnia convenerunt, ſpiritali remuneratione ditentur, per Dnm.] *gg.*

Ad Matut.

Deus, qui ligandi ſolvendique licentiam tuis Aplis contuliſti, da quæſumus, ut per ipſos a terrenis vitiis expediti, liberi poſſimus cœleſtibus intereſſe myſteriis, per Dnm. *g.*

Alia.

Deus, cui & martyrum fides, & veneranda ſanctorum vita complacuit, quique gradientem Aplum Petrum in elemento liquido confirmaſti! nos quoque ſæculi turbine fluctuantes, dexteræ tuæ protectione conſerva, per Dnm.

Alia.

Apoſtolico, Dne quæſumus, beatorum Petri & Pauli patrocinio nos tuere, & eosdem, quorum tribuiſti ſolemnia celebrare, fac noſtros ſemper eſſe cuſtodes, per Dnm.

III. Kl. Iul. Natl.
Sanctorum PETRI & PAULI.

Deus, qui hodiernam diem Aplorum tuorum Petri & Pauli martyrio conſecraſti; da eccleſiæ tuæ eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos religionis ſumpſit exordium, per Dnm. *l. g. gg.*

Alia.

Largiente te, Dne, beatorum Petri & Pauli natalitium nobis (3) effulſit! concede quæſumus, ut hodiernæ gloria paſſionis, ſicut illis magnificentiam tribuit ſempiternam, ita nobis munimen operetur perpetuum, per Dnm. *l. g.*

Secreta.

Hoſtias, Dne, quas nomini tuo ſacrandas offerimus, apoſtolica proſequatur oratio, per quam nos expiari tribuas, & defendi, per Dnm. *l. gg.*

Præ-

---

(1) Oratio hæc legitur in antiquiori cod. *San-Gall.* in ipſo feſto S. PETRI inter alias orationes.

(2) Sequens oratio in mox iterum laudato cod. orationum *San-Gall.* notatur *Item in natl. apoſtolorum Petri & Pauli ad vigilias. ad veſperas.* Cum proximis duabus *ad vigil. nocte.* Deus qui eccleſiam tuam &c. *Ad matutinas.* Deus qui ligandi &c.

(3) In Leon. additur: *lumen effulſit.*

Digitized by Google

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare, te Dne ſuppliciter exorare. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Sumptis, Dne, remediis ſempiternis tuorum mundentur corda fidelium, ut apoſtolici Petri & Pauli natalis inſignia, quæ corporalibus officiis exſequuntur, pia cordis intelligentia comprehendant, per. *g.*

Alia ad Comm.

Quos cœleſti, Dne, alimento ſatiaſti. Ut ſupra. g.

Ad Veſp.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui eccleſiam tuam, in apoſtolica ſoliditate fundatam, ab infernarum eruis terrore portarum: præſta, ut in tua veritate perſiſtens, nulla recipiat conſortia perfidorum. *l. gg.*

Alia.

Deus, qui Apoſtolo tuo Petro collatis clavibus regni cœleſtis ligandi atque ſolvendi pontificium tradidiſti: concede, ut interceſſionis eius auxilio, a peccatorum noſtrorum nexibus liberemur, per Dnm. g. gg.

Unde ſupra Miſſa Ambroſiana.

Omnipotens ſempiterne Deus, da populis tuis Aplorum tuorum Petri & Pauli natalem plena devotione venerari, ut quorum doctrinis & confeſſione Trinitatis unius inſtitutus eſt mundus, eorum ſuffragantibus meritis divinæ ſerviat unitati, per Dnm. *Alia.*

Deus, qui confitentium tibi redemptor es animarum, quarum piſcator beatus Petrus Aplus, atque ovium paſtor tua præceptione cognoſcitur, annue miſericors precibꝰ nris, & populo tuo pietatis tuæ dona concede, qui cum Patre & Spu ſco.

Secreta.

Munera plebis tuæ, Dne, beatiſſimorum Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli fiant grata ſuffragiis, ut quorum triumphis tuo nomini deferuntur, ipſorum digna perficiantur & meritis, per Dnm. *l.*

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare; Nos tibi ſemper & ubique in honore Apoſtolorum Petri & Pauli gratias agere; quos ita electio tua conſecrare dignata eſt, ut beati Petri ſæcularem piſcandi artem in divinum dogma verteret, quatenus humanum genus de profundo inferni præceptorum tuorum retibus liberaret; nam Coapoſtoli eius Pauli mentem cum nomine mutaſti, & quem prius perſecutorem metuebat eccleſia, nunc cœleſtium mandatorum lætatur ſe habere doctorem. Paulus cæcatus eſt, ut videret; *Petrus negavit, ut crederet. Huic claves cœleſtis imperii, illi ad evocandas gentes divinæ legis ſcientiam contuliſti. Nam ille introducit, hic aperit: ambo igitur virtutis æternæ præmia ſunt adepti. Hunc dextera tua gradientem in clemento liquido, dum mergeretur, erexit; illum autem tertio naufragantem profunda pelagi fecit vitare diſcrimina: hic portas inferni, ille mortis vicit aculeum: & Paulus capite plectitur, quia gentium caput fidei probatur; Petrus autem præmiſſis veſtigiis caput omnium noſtrum ſecutus eſt Xpm, quem una tecum omnipotens Pater cum Sancto.

Ad Comm.

Perceptis, Dne, ſacramentis ſuppliciter te rogamus, ut intercedentibus beatiſſimis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, quæ pro illorum veneranda gerimus paſſione, nobis proficiant ad ſalutem, per Dnm. *Compoſ. ex g. gg.*

[*Al. Orat.* G. GG.

Familiam tuam, Deus, propitius intuere, & apoſtolicis defende præſidiis: ut eorum precibus gubernetur, quibus nititur te conſtituente principibus, per Dnm. *l. gg.* *Alia.* (1)

Concede, quæſumus Dne, Apoſtolos tuos

(1) Duæ ſequentes orationes in collectario, ſeu cod. orationum *San-Gallenſi* notantur: *Item orationes in nativitate eiusdem ad matut. ſive ad veſp.* moxque ultimæ *Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos omnium Apoſtolorum.* exordium tantum refertur, a fine iterum ut ad initium manco codice. Referenda autem eſt hæc oratio ad feſtum omnium Apoſtolorum, ut in diſquiſit. notavimus, hic celebrari olim ſolitum, ritu nuperrime in ditionibus *Auſtriacis* reſtituto.

Digitized by Google

tuos intervenire pro nobis: quia tunc nos ſalvari poſſe credimus (al. *confidimus*) ſi eorum precibus tua gubernetur eccleſia, quibus utitur te conſtituente principibus, per. *l. g.*] Alia. GG.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, & Apoſtolorum tuorum nos tuere præſidiis, quorum donaſti fideles eſſe doctrinis, per. l. g. gg. Alia. GG.

Protege, Dne, populum tuum, & Apoſtolorum patrocinio confidentem, perpetua defenſione conſerva, per Dnm. l. gg.

Alia.

Eſto, Dne, plebi tuæ ſanctificator & cuſtos, ut apoſtolicis munita præſidiis, & converſatione tibi placeat, & ſecura deſerviat, per Dnm. l. gg.

Alia. G.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos omnium Apoſtolorum tuorum merita ſub una tribuiſti celebritate venerari; quæſumus, ut deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis interceſſoribus largiaris, per Dnm. *l. g.* (1)

II. Kl. Iulii.

Feſtivitas S. PAULI. G. GG. & A.

Deus, qui multitudinem gentium beati Pauli Apoſtoli tui prædicatione docuiſti: da nobis, quæſumus, ut cuius natalitia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus, per Dnm. *g. gg.*

Secreta. G.

Præveniant nos, Dne quæſumus, Apoſtoli tui deſiderata commercia, ut quorum perpetuam dignitatem ſacro myſterio frequentamus in terris, & præſentia nobis ſubſidia poſtulent & æterna, per D. *g.*

Alia Secreta. GG.

Eccleſiæ tuæ, quæſumus Dne, preces & hoſtias apoſtolica commendet oratio, ut quod pro illorum gloria celebramus, nobis proſit ad veniam. l. gg. (2)

Ad Comm.

Perceptis, Dne, ſacramentis ſubdito corde rogamus & petimus, ut intercedente beato Paulo Apoſtolo tuo nobis proficiant ad medelam, quæ pro illius geſta ſunt paſſione, per. *l. g.*

Alia ad Comm. G.

Perceptis, Dne, ſacramentis, beatis Aplis intervenientibus deprecamur, ut quæ pro illorum celebrata ſunt gloria, nobis proficiant ad medelam, per D. El. gg.

Dom. VI. Poſt Pentecoſten. (3)

Da nobis, Dne quæſumus, ut & mundi curſus pacifico nobis tuo ordine dirigatur, & eccleſia tua tranquilla devotione lætetur, per Dnm. *l. gg.*

Alia.

Exaudi nos, Deus ſalutaris noſter, & dies noſtros in tua pace diſpone, ut a cun-

---

(1) Poſt feſt. SS. PETRI & PAULI ſequitur in *Gelaſ.* vulg. lib. II. n. 34. *Item de vigilia omnium Apoſtolorum* n. 35. *Item in natali omnium Apoſtolorum.*

(2) In *San-Blaſ.* iſtam *Gregor.* Secretam hæc ſequitur *Præfatio:*

VD. æterne Deus & maieſtatem tuam ſuppliciter exorare, ut eccleſiam tuam beati Pauli Apoſtoli tui prædicatione edoctam, nulla ſinas fallacia violari. Et ſicut nihil in vera religione manere noſcitur, quod non eius condierat diſciplina; ita ad peragenda ea, quæ docuit, eius obtentu fidelibus tribuatur efficacia, ſentiatque credentium gentium cum multitudo pro ſe pium interceſſorem, quem habere cognovit magiſtrum atque doctorem, per Chriſtum.

(3) Variant hic codices in numero Dominicarum: quæ enim hic eſt ſecunda, tertia, in miſſali *Rom.* & apud MURAT. eſt prima, ſecunda; quæ vero hic eſt quarta, in miſſali plane omiſſa eſt; unde ſequens quinta ibi eſt tertia, & ſic deinceps uſque ad Dom. XVII. ſeu XV. Cuius variationis cauſam vid. Diſq. X. c. 1. p. 975.

Digitized by Google

cunctis perturbationibus liberati, tranquilla tibi ſervitute famulemur, per Dnm.

El. *Secreta.*

Oblationibus, quæſumus Dne, placare ſuſceptis, & ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates, per D. *gg.* *Præfatio.*

VD. æterne Deus! maieſtatem tuam ſuppliciter deprecantes, ut opem tuam petentibus dignanter impendas, & deſiderantibus benignus tribuas profutura, per Xpm Dnm. *El. gg.*

Ad Comm.

Myſteria nos, Dne, ſancta purificent, & ſuo munere tueantur, per D *gg.*

VI. Non. Iul. Natl. S. PROCESSI & MARTINIANI.* G & GG.

Deus, qui nos Sanctorum tuorum confeſſionibus glorioſis circumdas & protegis: da nobis & eorum imitatione proficere, & interceſſione gaudere per Dnm. *gg.* *Secreta.*

Suſcipe, Dne, preces & munera, quæ ut tuo ſint digna conſpectui, Sanctorum tuorum precibus adiuvemur, per D. *gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Corporis ſacri & pretioſi ſanguinis repleti libamine, quæſumus Dne Deus noſter, ut quod pia devotione gerimus, certa redemptione capiamus, per D. *l. gg.*

V. Non. Iul.

Translatio ſancti THOMÆ Apoſtoli.

Adeſto, Dne quæſumus, plebis tuæ ſanctificator & cuſtos: ut Apoſtoli tui Thomæ munita præſidiis, & converſatione tibi placeat, & ſecura deſerviat, per Dnm. *l. gg.*

Alia.

Concede, quæſumus Dne, Apoſtolum tuum Thomam intervenire pro nobis, cuius diem celebramus translationis; quia tunc nos ſalvari poſſe confidimus, ſi eius precibus tua gubernetur eccleſia, cuius utimur te conſtituente doctrina, per D. *l. g.*

Vid. ſupra. *Secreta.*

Apoſtoli tui Thomæ precibus, Dne, plebis tuæ dona ſanctifica, ut quæ tibi tuo grata ſunt inſtituto, gratiora tibi fiant patrocinio ſupplicantis, per D. *l.*

Præfatio.

VD. P. X. D. N. qui excellentiæ ſuæ magnitudinem ita reſurgendo dignatus eſt oſtendere, ut quorum mentes paſſionis eius concuſſerat viſio, poſtmodum glorioſa reſurrectio illuſtraret ad fidem; & prius ſuis oſtenſus Apoſtolis, Thomam adeſſe noluit, ut poſtmodum per illius inquiſitionem, caligine infidelitatis deterſa, credentium fidem eius palpatio roboraret. O quam ineffabile ſuperni regis myſterium! qui ſuum fidelem ſic trepidare fecit Apoſtolum, ut nulla de ſe trepidantibus dubietas remaneret. Hoc egit miro modo ſuperna clementia, ut diſcipulus dubitans, dum in magiſtro ſuo vulnera palparet carnis, teſtis veræ reſurrectionis fieret, & in nobis vulnera infidelitatis curaret; qui & dum verum corpus agnovit magiſtri, Deum eſſe credidit, quem continuo exclamans evocavit, dicens: Dnus meus & Deus meus; quem una tecum omnipotens Pater cum Sco Spiritu laudant.

Ad Comm.

Sumptis, Dne, remediis ſempiternis tuorum mundentur corda fidelium, ut Apoſtoli tui Thomæ translationis inſignia, quæ corporalibus officiis exſequuntur, pia cordis intelligentia comprehendant, per Dnm.

Pridie Non. Iul.

Octava Aplorum. G. GG. & A.

Deus, cuius dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit; & Coapoſtolum eius Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit: exaudi nos propitius, & concede, ut amborum meritis æternitatis gloriam conſequamur, per Dnm. *g. gg.*

Secreta. G. & GG.

Offerimus tibi, Dne, preces & munera; quæ ut tuo ſint digna conſpectui, Aplorum tuorum precibus adiuvemur (*l. adiuventur*) per. *l. g. gg.*

Digitized by Google

Ad Comm. G.

Pignus æternæ vitæ capientes, humiliter te, Dnc, imploramus, ut apoſtolicis fulti patrociniis, quod in imagine contingimus ſacramenti, manifeſta perceptione ſumamus, per. *l. g.*

Alia. G. & GG.

Protege, Dne, populum tuum, & Aplorum tuorum patrocinio confidentem, perpetua defenſione conſerva, per. *l. gg.*

Alia.

Beatorum Aplorum, Dne, Petri & Pauli deſiderata ſolemnia recenſentes, præſta quæſumus, ut eorum ſupplicationibus muniamur, quorum regimur principatu, per. *l. El.* (1)

Dom. VII. Poſt Pentecoſt. (2)

Deus, qui diligentibus te bona inviſibilia præparaſti: infunde cordibus noſtris tui amoris affectum, ut te in omnibus & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur, per. *g. gg.*

Alia.

Deus, qui in Sanctis habitas, & pia corda non deſeris, libera nos a terrenis deſideriis, & cupiditate carnali, ut nullo in nobis regnante peccato, tibi ſoli Dno liberis mentibus ſerviamus, per D. *g.*

Secreta.

Propitiare, Dne, ſupplicationibus noſtris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus aſſume, ut quod ſinguli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad ſalutem, per D. *g. gg.*

Præfatio.

VD. Per Xpm D. N. verum æternumque pontificem, & ſolum ſine peccati macula ſacerdotem, cuius ſanguine omnium fidelium corda mundantur, placationis tibi hoſtias non ſolum pro delictis populi, ſed etiam pro noſtris offenſionibus immolamus; ut omne peccatum, quod carnis fragilitate contraximus, ſummo pro nobis Antiſtite interpellante, ſolvatur, per quem. *El. gg.*

Ad Complendum.

Quos cœleſti, Dne, dono ſatiaſti: præſta quæſumus, ut a noſtris mundemur occultis, & ab hoſtium liberemur inſidiis; per. *g. gg.*

VI.

(1) *San-Blaſ. In Nat. S. KILIANI & ſociorum eius :* Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut beatorum Martyrum tuorum Kiliani, Colonati, & Totnani ſolemnia recenſentes, meritis ipſorum protegamur & precibus. Per.

Secreta.

Reſpice, quæſumus Dne, munera populi tui in ſanctorum Martyrum tuorum feſtivitate votiva, & teſtificatio veritatis nobis proficiat ad ſalutem. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus beatorum Martyrum tuorum Kiliani, Colonati, atque Totnani natalitia recenſentes, qui in Eccleſiæ tuæ pratis & roſæ & lilia floruerunt, quos Chriſti ſanguis in prælio confeſſionis roſeo colore perfudit, & in premio paſſionis niveo liliorum ſplendore veſtivit Ieſus Chriſtus Dns nr. per quem.

Ad Commun.

Repleti, Dne, celebritate ſanctorum Martyrum, quæſumus, ut te ſemper in eorum commemoratione laudemus, & tuam miſericordiam iisdem ſemper deprecantibus conſequamur. Per.

(2) Abhinc incip. in *Gelaſ.* vulg. Dominicæ poſt Pentec. p. 165. Dudum ſuboluit eruditis rerum liturgicarum indagatoribus, lacunam aliquam hic ineſſe vulgato *Gelaſiano* ſacramentario: quippe quod ſibi in animum haud inducerent, GELASIUM opus adeo mutilum reliquiſſe, ut maior pars Dominicarum, ſeu miſſarum, quæ in Dominicis dici debent, in eo deſideretur, ut MENANDRUM loquentem inducit VEZZOSIUS præfat. in Tom. VI. opp. Ven. THOMASII p. XXXIV. adde eundem p. XLI. & not. 1. p. 165.

Digitized by Google

VI. Id. Iul. Nat. VII. Fratrum. G. & GG.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui glorioſos Martyres fortes in ſua confeſſione cognovimus, pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus, per. *gg.*

Secreta. G. & GG.

Sacrificiis præſentibus, Dne quæſumus, intende placatus, ut intercedentibus Sanctis tuis devotioni noſtræ proficiant & ſaluti, per. *l. gg.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! donari nobis ſuppliciter exorantes, ut ſicut Sancti tui mundum in tua virtute vicerunt, ita nos a mundanis erroribus poſtulent expediri, per Xpm. *l: El. gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut illius ſalutaris capiamus effectum, cuius per hæc myſteria pignus accepimus, per D. *gg.*

Dom. VIII. Poſt Pentecoſten.

Deus virtutum, cuius eſt totum quod eſt optimum, inſere pectoribus noſtris amorem tui nominis & præſta, ut in nobis religiōnis augmento, quæ bona ſunt, nutrias, ac pietatis gratia, quæ ſunt nutrita, cuſtodias, per D. *g. gg.* (1)

Alia.

Da nobis, Dne quæſumus, ut in tua gratia veraciter confidentes, & quæ digna ſunt poſtulemus, & iugiter poſtulata ſumamus, per. *l. g.*

Secreta.

Propitiare, Dne, ſupplicationibus noſtris, & has populi tui oblationes benignus aſſume, ut nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, & præſta, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur, per Dnm. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Tibi vovere contriti ſacrificium cordis, tibi litare humiliati victimam pectoris, a quo omne bonum, ut ſimus, ſumimus; omnem iocunditatem, ut bibamus, haurimus; tibi conſcientia noſtra, in quantum a te corrigitur, famuletur, & ut in te die in diem meliorata proficiat, tuæ gratiæ intemerata ſubdatur, per X. D. N. *gg.*

Potes & uſque ad finem ita recitare:

Propriis ergo nos, Dne quæſumus, evacua malis, tuisque per omnia reple bonis; da in nobis quod amas, & miſericors repelle quod odis; impende nobis gratuita gratia, quæ noſtra non exigunt merita, ut potens opere, magnusque munere, quod feciſti ex nihilo, eximas a periculo, emundes a delicto, tuearis in ſæculo, cuſtodias a malo, confirmes in bono, liberes a diabolo, & Xpo tuo coniungas in gaudio ſempiterno, quem tecum Deus & cum Spiritu ſco ſupernarum virtutum cohortes indeſinenti iubilo collaudant dicentes: Scs Scs Scs.

Ad Compl.

Repleti, Dne, muneribus tuis, tribue quæſumus, ut eorum & mundemur effectu, & muniamur auxilio, per D *l. g.*

V. Id. Iul. Nat. Sci BENEDICTI. (2)

Interceſſio nos, Dne quæſumus, beati Benedicti abbatis commendet, ut quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aſſequamur, per Dnm.

Secreta.

Sacris altaribus, Dne, hoſtias ſuperpoſitas ſanctus Benedictus, quæſumus, in ſalutem nobis provenire depoſcat, per.

(T) 3 *Præ-*

---

(1) In aliis legitur, prout hodieque in Miſſali Rom *& præſta in nobis religionis augmentum, ut quæ bona ſunt, nutrias, & pietati ſtudio &c.*

(2) Ad hanc diem in omnibus antiquis etiam miſſalibus reponitur Natale S. BENEDICTI, non vero in 21 Martii ceu diem obitus, quo hodie celebratur; antiquo nempe more, quo a Quadrageſima omnia Sanctorum feſta excludebantur. Vid. diſquiſ. T. II. pag. 959.

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et gloriam tuam profuſis precibus exorare, ut ſci Benedicti patrocinio nos adiuvante, debita nomini tuo ſervitute placeamus, per Xpm. (1)

Ad Comm.

Protegat nos, Dne, cum tui perceptione ſacramenti beatus Benedictus Abbas pro nobis intercedendo, ut & converſationis eius experiamur inſignia, (2) per D. *gg*.

Dom. VIIII. poſt Pentecoſten.

Deus! cuius providentia in ſua diſpoſitione non fallitur: te ſupplices exoramus, ut noxia cuncta amoveas, & omnia nobis profutura concedas, per Dnm. *g. gg.*

Alia.

Cuſtodi nos, Dne quæſumus, in tuo ſervitio conſtitutos, & quibus famulatum eſſe vis ſincerum, propitius largire, quod præcipis, per. *g.*

Secreta.

Deus, qui legalium differentias hoſtiarum in unius ſacrificii perfectione ſanxiſti: accipe ſacrificium a devotis tibi famulis, & pari benedictione, ſicut munera Abel, ſanctifica; ut quod ſinguli obtulerunt ad maieſtatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad ſalutem, per D. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! ut te auctorem ſuum pronis viſceribus humana famulatio, ac religioſo excolat affectu. Et ideo obſecramus miſericordiam tuam, ne pro noſtra nos iniquitate condemnes, ſed pro tua pietate in viam rectam ſemper diſponas; nec ſicut meremur, delinquentibus iraſcaris, ſed fragilitati nræ invicta bonitate ſubvenias, per Xpm. *El.*

Ad Comm.

Tua nos, Dne, medicinalis operatio & a nris perverſitatibus clementer expediat, & ad ea, quæ ſunt recta, perducat, per. *gg.*

IIII. Id. Iul. Natl. S. NABORIS & FELICIS. Ambroſ.

Benedic, quæſumus Dne, plebem tuam, & beatiſſimorum Martyrum tuorum Naboris & Felicis deprecationibus confidentem tribue conſequi, quod ſperare donaſti, per D. *l.*

Alia.

Protegat eccleſiam tuam, Deus, oratio veneranda beatiſſimorum Martyrum tuorum Naboris & Felicis: & quorum frequentia devotionem impendit, perpetuæ poſcat redemptionis effectum, per.

Secreta.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & interceſſionibus beatiſſimorum Martyrum tuorum Naboris & Felicis confidenter tribue conſequi, quod ſperare donaſti, per. *l.*

Præfatio.

VD. P. X. D. N. qui ita ſuorum fidelium corda ignifero amore ſuccendit, ut & mundi caducam contemnant gloriam, & per tormenta adeant ad conſortium civium ſupernorum; ob hoc & doctiſſimi milites Xpi Nabor & Felix a ſummis terrarum digreſſi finibus, huic terræ ſe exules tradiderunt; non ut cruento Cæſaris ſubiacerent imperio, ſed ut (ad) aulam regis ætherii pergerent expediti facilius; maluerunt ſub chlamide terrenæ militiæ

latere

(1) Deeſt hæc Præfatio in cod. *San-Blaſ.* in quo ſequens Miſſa legitur: *In natale S. Benedicti.* Deus, qui beatum Benedictum confeſſorem in terris vita laudabili decoraſti, & in cœlis æterna gloria ſublimaſti, eius, quæſumus, ſuffragantibus meritis, vita noſtra apud te commendetur. Per.

Secreta.

Benedictio tua, Dne, beati Benedicti confeſſoris interceſſione ſuper has hoſtias deſcendat, quæ & benedictionem nobis clementer operetur, & beatæ immortalitatis dona conciliet. Per.

Ad Communionem.

Beati Benedicti confeſſoris tui, Dne, precibus confidentes, quæſumus clementiam tuam, ut per ea, quæ ſumpſimus, æterna remedia capiamus. Per.

(2) Al. addunt: Et interceſſionis eius percipiamus ſuffragia;

Digitized by Google

latere diutius, præſtolantes deſuper vocationem cœleſtis imperii; qui & accepto conſtanter ſpei clypeo, ſumpta fidei lorica & galea, ſecuri incedunt in hoſtis aciem; vincunt pœnarum tormenta ſæviſſima, carcerem & verbera, equuleum, ignem & ungulas, ſtridoribus catenarum colla ſubiiciunt, trahuntur a noxiis manibus vinculati; ad ultimum mucrone, ſanguine fuſo, triumphali gloria decorati, ad cives ſuperos cum palma victoriæ pervenerunt, per eundem Xpm Dnm nrm.

Ad Comm.

Pignus vitæ æternæ capientes, maieſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, omnipotens Deus! ut ſanctorum Martyrum tuorum Naboris & Felicis fulti patrociniis, quod in imagine contingimus, manifeſta perceptione ſumamus, per D. *l. g.*

Dominica Decima. Gel.

Largire nobis, Dne quæſumus, ſemper Spiritum cogitandi quæ recta ſunt propitius & agendi, ut qui ſine te eſſe non poſſumus, ſecundum te vivere valeamus, per D. in unit. eiuſdem Spiritus ſancti. *g. gg.*

Alia.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut viam tuam devota mente currentes, ſubripientium delictorum laqueos evadamus, per Dnm.

Secreta.

Suſcipe munera, quæſumus Dne, quæ tibi de tua largitate deferimus, ut hæc ſacroſancta myſteria gratiæ tuæ operante virtute, in præſentis vitæ nos converſatione ſanctificent, & ad gaudia ſempiterna perducant, per Dnm. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! de tua gratia confidentes, quæſumus, declinare quæ mala ſunt, ac bona conſequenter operari; & quia nos in tua pertinere ſacramenta voluiſti, tu clementer in nobis eorum munus opereris P. X. D. N. *El.*

Ad Comm.

Sit nobis, Dne, reparatio mentis & corporis cœleſte myſterium, ut cuius exſequimur actionem, ſentiamus effectum, per Dnm. *l. g. gg.*

XVI. Kl. Aug. Nat. Sci QUIRICI. (1)

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & beati Quirici Martyris interceſſionibus confidentes, nec minis adverſantium, nec ullo perturbemur incurſu, per D. *l.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in Sci tui Quirici Martyris ſemper es meritis ubique mirabilis, quæſumus clementiam tuam; ut ſicut ei eminentem gloriam contuliſti, ſic ad conſequendam miſericordiam tuam eius nos facias precibus adiuvari, per Dnm. *l.*

Secreta.

Munera, quæſumus Dne, quæ oculis tuæ maieſtatis in hoc altari propoſita offerimus, beati Quirici Martyris ſupplicationibus propitiatus aſſume, per D.

Præfatio.

VD. æterne Deus! cognoſcimus enim Dne, quantum apud te præclara ſit vita Scorum, quorum nos etiam mors pretioſa lætificat, & tuetur; quapropter Martyris tui Quirici glorioſa recenſentes natalitia, laudes tibi referimus, per Xpm D. N.

Poſt Communion.

Sumpta ſacrificia tua, Dne, beato Quirico Martyre tuo deprecante, remedium nobis cœleſte concilient, per.

X. Kl. Aug.

N. Sci *APOLLINARIS.* Ambr.

Maieſtatis tuæ clementiam ſuppliciter deprecamur, omnipotens & miſericors Deus! ut ſicut unigeniti Filii tui agnitionem per beatiſſimi Sacerdotis & Martyris tui Apollinaris prædicationem populorum cordibus infudiſti, ita ipſius opitulantibus meritis fidei ſtabilitate firmentur, per eundem Dnm nrm.

Alia.

---

(1) An forte hic is S. QUIRICUS, qui in Martyrologio *Romano* unacum S. IULITTA notatur ad diem 16. Iunii? de quo vid. BARONIUS in notis ad cit. diem.

Digitized by Google

Alia.

Da, quæſumus omnipotens Deus, beatiſſimi Sacerdotis & Martyris tui Apollinaris meritis, immenſæ nos tuæ pietatis miſericordiam conſequi, quatenus eius intervenientibus precibus nra queant deleri facinora, per D.

Alia.

Beati Sacerdotis & Martyris tui Apollinaris annua feſtivitate ovantes, clementiam tuam ſupplices exoramus, omnipotens Deus: ut ſicut ille ob tanti agonem certaminis triumphali redimitus exultat corona, ita & nos orationum illius fulti ſuffragio, tentationum tela ſuperantes, bravio lætemur æterno; per Dnm.

Secreta.

Famulatus huic noſtri ſacrificio clementiſſime Deus! quod in commemoratione celeberrimi Sacerdotis & Martyris tui Apollinaris tripudianter offerimus, tuæ, quæſumus, dignanter præſentiam interſere maieſtatis, ipſius ut meritis & tibi ſit acceptabile, & nobis proſit ad veniam, per D.

Præfatio.

VD. P. X. D. N. cuius potentiæ ſeptus præſidio Apollinaris digniſſimus præſul, a principe Petro Ravennam mittitur, Ihm de nomine incredulis nuntiare; quique dum mira virtutum illic ſigna confert in Xpo credentibus, ſævis verberum flagellis conteritur, & ſenile iam corpus ab impiis horrendis cruciatibus laniatur; ſed ne de ſuis vexationibus fideles trepident, in virtute nominis Ihu Xpi ſigna apoſtolica perficit poſt tormenta. Puellam reſuſcitat mortuam: viſum conſpicuum cæcis reddit: & muto reſtaurat loquelam: obſeſſam a dæmonio liberat: contagionem mundat leproſi: diſſoluta morbo ſanat peſtifero membra: portentum ſimulacri ſimul cum templo deiecit. O digniſſimus admiratione præconii pontifex! qui cum pontificii dignitate apoſtolicam promeruit accipere poteſtatem. O fortiſſimus athleta Xpi, qui ætatis iam frigeſcente calore conſtanter in pœnis eundem Xpm Dei Filium, mundi prædicat redemptorem; quem una tecum.

Ad Comm.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut nullius (al. *nullis*) nos permittas perturbationibus concuti, quos in apoſtolica confeſſionis petra ſolidaſti, per. gg. (1)

VIII. Kl. Aug. Natl. S. IACOBI Apli.

Eſto, Dne, plebi tuæ ſanctificator & cuſtos! ut Apli tui Iacobi munita præ-

(1) Sequens miſſa, quam alibi nuſpiam reperi, legitur in cod. *San-Blaſ.* In natal. S. APOLLINARIS M.

Omnipotens ſempiterne Deus, fortitudo certantium, & martyrum palma, ſollemnitatem hodiernæ diei propitius intuere, & eccleſiam tuam fac celebritate lætari, & per interceſſionem beati Apollinaris Martyris tui atque Pontificis, omnium in te credentium vota perficias. Per.

Secreta.

Hæc oblatio, Dne, ſit tibi grata & acceptabilis, pro cuius eſt feſtivitate immolata. Per.

Ad Commun.

Præſta qs Dne, ut participatione ſacramenti vegetati, ſancti quoque Apollinaris Martyris tui atque Pontificis precibus adiuvemur. Per.

In nat. S. Chriſtinæ virginis.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, ut beatæ Virginis & Martyris Chriſtinæ interceſſione in tua miſericordia confidentes nec minis adverſantium, nec ullo conturbemur occurſu. Per.

Secreta.

Oblatis, qs Dne, placare muneribus, & intercedente beata Chriſtina Martyre tua a cunctis nos defende periculis. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus, quoniam ſupplicationibus noſtris miſericordiam tuam confidimus affuturam, quam beatæ Chriſtinæ Martyris tuæ poſcimus interventu nobis & confeſſione præſtari, per Ch. D.

Ad Commun.

Cœleſtibus refecti ſacramentis, ſupplices te rogamus Dne, ut cuius hodie gloriamur triumphis, protegamur auxiliis. Per.

In nat. S. Iacobi apoſt.

Creſcat, Dne, ſemper, quæſumus, in nobis ſanctæ iocunditatis affectus, & beati Apoſtoli tui Iacobi veneranda feſtivitas augeatur. Per.

Secreta.

Hodiernum, Dne, ſacrificium lætantes obſequimur, quo beati Iacobi Apoſtoli tui cœleſtem victoriam recenſentes, & tua magnalia prædicantes nos adquiſiſſe gaudeamus ſuffragia glorioſa. Per.

Ad Commun.

Sumentes, Dne, gaudia ſempiterna de participatione ſacramenti, interveniente beato Iacobo Apoſtolo tuo, ſuppliciter deprecamur, ut quæ ſedula ſervitute donante te gerimus, dignis ſenſibus tua munera capiamus. Per.

Eodem die Sci Chriſtophori.

Tuus ſanctus Martyr Chriſtophorus, quæſumus Dne, nos ubique lætificet, ut dum eius merita in præſenti

Digitized by Google

præſidiis, & converſatione tibi placeat, & ſecura deſerviat, per Dnm. *l. Elig. gg. de SS. Aplis.*

Secreta.

Oblationes populi tui, Dne quæſumus, beati Apoſtoli tui Iacobi paſſio beata conciliet: & quæ noſtris non apta ſunt meritis, fiant tibi placita eius deprecatione, per. *El. g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia licet nobis ſalutem ſemper operetur divini celebratio myſterii, propenſius tamen credimus affuturam, dum Scorum tuorum meritis intervenientibus exhibetur, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Beati Apli tui Iacobi, in cuius hodie feſtivitate corpore & ſanguine tuo nos refeciſti, quæſumus Dne, interceſſione nos adiuva, pro cuius ſolemnitate percepimus tua ſancta lætantes, qui cum Deo Patre. *El.*

Alia.

Solemnitatis apoſtolicæ multiplicatione gaudentes, clementiam tuam deprecamur omnipotens Deus, ut tribuas iugiter nos eorum & confeſſione benedici, & patrociniis confoveri, per. *El.*

IIII. Kl. Aug. Nat. S. SIMPLICII, FAUSTINI, & BEATRICIS. G.

Præſta, quæſumus Dne, ut ſicut populus Xpianus Martyrum tuorum Simplicii, Fauſtini, & Beatricis temporali ſolemnitate congaudet: ita perfruatur æterna, & quod votis celebrat, comprehendat effectu, per Dnm. *g.*

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, pro ſanctorum Martyrum Simplicii, Fauſtini, & Beatricis commemoratione deferimus, ſuppliciter obſecrantes, ut & indulgentiam nobis pariter conferant, & ſalutem, per Dnm. *l. g.*

Poſt Communionem.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut ſcorum tuorum Simplicii, Fauſtini & Beatricis cœleſtibus myſteriis celebrata ſolemnitas, indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat, per. *g.*

Eodem Die CELSI & NAZARII.

Deus humani generis conditor & redemptor, qui ineffabili pietatis munere Martyrum tuorum glorioſa certamina potentiſſimus largitor remuneras! præſta, quæſumus, eccleſiæ tuæ, quæ ſcorum Martyrum tuorum Nazarii & Celſi lætatur triumphis, & a peccatorum ſervari contagiis, & quod illi te confitendo meruerunt percipere, hoc populus tuus eorum conſequi mereatur ſuffragiis, qui vivis & regnas.

Alia.

Omnipotens ſempirerne Deus, da populo tuo præſentis diei feſtivitatem ſincero venerari affectu: & qui eam ſcorum Martyrum tuorum Nazarii & Celſi

feſtivitate recolimus, patrocinia in augmentum virtutum ſentiamus. Per.

Secreta.

Tanto placabiles Dne qs noſtræ ſint hoſtiæ, quanto ſancti Chriſtophori Martyris, pro cuius ſolemnitate exhibentur, tibi grata ſunt munera. Per.

Ad Commun.

Beati Chriſtophori Martyris tui, Dne, ſuffragiis exoratus percepta ſacramenti tui nos virtute defende. Per.

In nat. S. Pantaleonis.

Omnipotens ſempiterne Deus, tuorum gloria Martyrum, præſta quæſumus, ut beati Pantaleontis Martyris tui, cuius feſta gerimus, ſentiamus auxilium. Per.

Secreta.

Præſta quæſumus Dne, ut beati Pantaleontis Martyris tui, quem ad laudem nominis tui dicatis muneribus honoramus, piæ nobis devotionis interceſſio accreſcat. Per.

Ad Commun.

Omnipotens & miſericors Deus, qui nos ſacramentorum tuorum & participes efficis & miniſtros, præſta quæſumus, ut intercedente beato Pantaleonte Martyre tuo eidem perficiamus & fidei conſortium, & dignum ſervitium. Per.

Digitized by Google

Celſi annua celebritate devotis frequentant obſequiis, eorundem ſuffragiis cœleſtis regni gaudia conſequantur.

Alia.

Æterne omnipotens Deus, qui magno pietatis auxilio, populo tuo Scorum precibus proſpera largiri dignaris! concede propitius, beatiſſimorum Martyrum Nazarii & Celſi glorioſæ paſſionis victoriam celebrare lætantes, & quos te donante patronos defenſoreſque amplectimur, hos apud tuam miſericordiam propacatores (ſ. *propugnatores*) habeamus, per.

Alia.

Præſta, quæſumus Dne, ut ſicut populus Xpianus Martyrum tuorum Nazarii & Celſi temporali ſolemnitate congaudet, ita perfruatur æterna, & quod votis amantiſſime celebrat, compleatur effectu, per Dnm. *g. ex parte.*

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, pro ſanctorum Martyrum tuorum Nazarii & Celſi commemoratione deferimus, ſuppliciter exorantes, ut indulgentiam nobis pariter conferant & ſalutem, per Dnm. *l. g.*

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare, nos tibi Dne, cœli terræque Deus Pater, gratias agere, quas hic & per univerſum mundum eccleſia tua ſancta catholica, omnium viventium mater, in honore nominis tui per officia ſpiritalis obſequii, cottidiana devotione, & annua feſtivitate multiplicat: quæ fidelium tuorum innumeris paſſionibus compta, & beatiſſimorum Martyrum tuorum Nazarii & Celſi ſanguine decorata, a dextris ſempiternæ maieſtatis aſſiſtens, tot nunc illuſtrata patrociniis gaudet. Magnum hoc, Dne, pietatis tuæ & ineffabile ſacramentum, ut de illorum potius ſalute lætetur eccleſia, quos puniſſe mundus exultat, atque illos magis acquiſiſſe gaudeat, quos pro veritate certantes ſæculi gaudium interemit. O beata mater natorum ſuorum glorifica tormentis, quos non planctu, non gemitu, ad inferna deducit, ſed ad cœleſtia & æterna migrantes, perpetua laude proſequitur, per Xpm.

Ad Comm.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut ſanctorum tuorum Nazarii & Celſi cœleſtibus myſteriis celebrata ſolemnitas indulgentiam nobis tuæ propitiationis acquirat, per Dnm. *g.*

Mane ad Miſſam. Ambroſiana.

Exaudi, Dne, preces noſtras, ut populus tuus, qui ſub tantis ſanctorum Martyrum tuorum Nazarii & Celſi patrociniis eſt conſtitutus, & a ſuis offenſionibus liberetur, & ab omnibus tueatur adverſis, per Dnm. *l.*

Alia.

Tribue nobis, quæſumus omnipotens Deus, ſanctorum Martyrum tuorum Nazarii & Celſi deſiderata commercia: ut quorum perpetua dignitate ſacra myſteria frequentamus in terris, & præſentia nobis ſubſidia poſtulent & æterna, per.

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, munera populi tui pro Martyrum tuorum Nazarii & Celſi feſtivitate ſcorum, & ſincero nos corde perfice benignus acceptos, per. *Præfatio.*

VD. æquum & ſalutare; Nos tibi ſumme Deus gratias agere, & in hac triumphali die noſtræ devotionis pandere vota, in qua Martyr ſanctus roſeo luſtratus cruore Nazarius, cœleſte meruit conſcendere regnum, qui dum per innumera tormentorum acerba ſupplicia crudelius vexaretur, tyrannicam rabiem fidei conſtantia ſuperabat; nec potuit perſecutorum illatis cedere minis, quando pro ſe certante ipſe auctor victoriæ Xp9 Dn9 dimicabat. Ducitur interea ad templum idolis prælibare profanis, quorum portenta, divino fultus præſidio, mox ut ingreſſus eſt, redegit in pulverem; ob hoc liquidas maris in undas longius a terra proiectus, angelici muneris famulatu, ſolida inter fluctus veſtigia præfigebat. O felix & inclytus Dni præliator, qui mundi congreſſus principi, innumeram populi multitudinem vitæ ſociavit æternæ; inter quos & ſacri prælii bellatorem Celſum videlicet fideliſſimum teſtem, dum martyrii docuit certare ad palmam, pariter meruerunt cœleſtis patriæ pervenire ad regnum, per eundem Xpm. *Ad Comm.*

Protege, quæſumus Dne, plebem tuam, & feſtivitatem Martyrum tuorum Nazarii & Celſi, quam nobis tradis aſſidue debitam, tibi perſolvi precibus concede Scorum, per Dnm.

[*IIII. Kl. Aug.*

Natl. S. FELICIS. (1) G.

Sancti Felicis, Dne, confeſſio recenſita conferat nobis piæ devotionis augmentum,

---

(1) Dubii hærent Critici, an FELIX hic Papa primus eius nominis ſit, an ſecundus ille, qui loco LIBERII a CONSTANTIO pulſi in ſedem *Romanum* fuit intruſus. BARONIUS in annalibus, & in notis ad Martyrol. *Rom.* hac die ultimum ſuſtinet: cæteri cum NATALI ALEXANDRO hiſt. eccleſ. T. IV. diſſert. 32. art. 4. pro FELICE primo ſtant, cuius nulla alia in ſacramentariis antiquis extat memoria, quamvis citius feſtum recentius ad diem 30. Maii ſit adnotatum.

Digitized by Google

tum, qui in tuo nomine perſeverans meruit honorari, per Dnm.

Alia. GG.

Infirmitatem noſtram reſpice omnipotens Deus! & quia pondus propriæ actionis gravat, beati Felicis Martyris tui atque Pontificis interceſſio glorioſa nos protegat, per Dnm. gg.

Secreta. G.

· Hoſtias tibi, Dne, pro commemoratione ſancti Felicis offerimus, quem a tui corporis unitate nulla tentatio ſeparavit, qui cum Deo Patre. *El.*

Alia. GG.

Accepta ſit in conſpectu tuo, Dne, noſtra devotio, & eius nobis fiat ſupplicatione ſalutaris, pro cuius ſolemnitate defertur, per Dnm. l. gg.

Ad Comm. G.

Repleti cibo potuque cœleſti, Deus noſter, te ſupplices exoramus, ut in cuius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus, per Dnm. *l. gg.*]

Alia. GG.

Spiritum nobis, Dne, tuæ caritatis infunde, ut quos uno cœleſti pane ſatiaſti, intercedente beato Felice Martyre tuo, tua facias pietate concordes, per Dnm. in unit. eiusd. l. gg.

III. Kl. Aug. Natl. S. ABDON, & SENNEN. G. & GG.

Deus, qui ſanctis tuis Abdon & Sennen ad hanc gloriam veniendi copioſum munus gratiæ contuliſti! da famulis tuis ſuorum veniam peccatorum, ut Scorum tuorum intercedentibus meritis ab omnibus mereamur adverſitatibus liberari, per Dnm. *gg.*

Secreta. G.

Munera tibi, Dne, pro ſanctorum Martyrum Abdon & Sennen occiſione deferimus; qui dum finiuntur in terris, facti ſunt cœleſti luce perpetui, per D. *g. El*

Alia Secreta. GG.

Hoſtia hæc, quæſumus Dne, quam Scorum tuorum natalitia recenſentes offerimus, & vincula noſtræ pravitatis abſolvat, & tua nobis miſericordiæ dona conciliet, per. gg.

Ad Comm. G.

Populum tuum, Dne, perpetua munitione defende; nec difficulter, quod pie, quod iuſte poſtulat, conſequatur, cui Scorum tuorum merita ſuffragantur, per. *g. El.*

Alia. GG.

Per huius, Dne, operationem myſterii & vitia noſtra purgentur, & intercedentibus Sanctis tuis iuſta deſideria compleantur, per Dnm. gg.

Dominica XI. poſt Pentecoſt. GG.

Pateant aures miſericordiæ tuæ, Dne, precibus ſupplicantum: & ut petentibus deſiderata concedas, fac eos, quæ tibi ſunt placita, poſtulare, per Dnm. *g gg.*

Alia. G.

Præſta, quæſumus omnipotens & miſericors Deus, ut inter huius vitæ caligines nec ignorantia fallente mergamur, nec præcipiti ſtudeamus voluntate peccare; ſed quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, optatæ miſericordiæ præſta benignus effectum, per Dnm. *g. El.*

Secreta. G.

Concede nobis hæc, quæſumus Dne, frequentare myſteria, quia quoties huius

Digitized by Google

hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur, per Dnm. *g. gg.* *Præfatio.*

VD. æterne Deus! Tibi debitam ſervitutem per miniſterii huius impletionem perſolvere: quia non ſolum peccantibus veniam tribuis, ſed etiam præmia pœnitentibus impertiris; & quod perpeti malis operibus promeremur, magnifica pietate depellis, ut nos ad tuæ reverentiæ cultum & terrore cogas, & amore perducas, per Xpm Dnm. *El. gg.*

Ad Comm.

Tui nobis, Dne, communio ſacramenti, & purificationem conferat, & tribuat unitatem, per Dnm. *gg.*

Kl. Aug. Stat. ad S. PETRUM. ad Vincula. GG. (1)

Deus! qui beatum Petrum Apoſtolum a vinculis abſolutum illæſum abire feciſti: noſtrorum, quæſumus, abſolve vincula peccatorum, & mala omnia a nobis propitiatus averte, per Dnm. gg.

Secreta. GG.

Oblatum tibi, Dne, ſacrificium vivificet nos ſemper & muniat, per Dnm. gg.

Ad Comm. G.

Corporis ſacri & pretioſi ſanguinis repleti libamine, quæſumus Dne Deus noſter, ut quod pia devotione gerimus, certa redemptione capiamus, per Dnm. l. gg.

Eodem Die Natl. Macchabæorum. Gel. (2)

Fraterna nos, Dne, Martyrum tuorum corona lætificet; quæ & fidei noſtræ præbeat incitamenta virtutum, & multiplici nos ſuffragio conſoletur, per Dnm. *gg.* *Alia.*

Præſta, quæſumus Dne, ut ſicut nobis indiſcreta pietas horum Martyrum beatorum individuæ caritatis præbet exemplum, ſic Spiritum gratiæ tuæ, quo iugiter muniamur, ſemper imploret, per Dnm. *g.* Secreta.

Intemerata myſteria, Dne, pro ſcorum Martyrum tuorum commemoratione devota mente tractamus; quibus nobis & præſidium creſcit & gaudium, per Dnm.

Præfatio.

VD. Per X. D. N. quia licet in omnium Scorum tuorum tu ſis, Dne, protectione mirabilis, in his tamen ſpeciale tuum munus agnoſcimus, quos & fratres ſorte naſcendi, & magnifica præſtitiſti paſſione germanos: ut ſimul eſſet & veneranda gloria genitricis, & florentiſſima proles eccleſiæ; & ideo cum angelis. *gg.*

Ad Comm.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut quorum memoriam ſacramenti participatione recolimus, fidem quoque proficiendo ſectemur, per Dnm. *l.*

Unde ſupra alia Miſſa Ambroſiana de Scis Macchabæis, & Sancto Euſebio. (3)

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & interceſſionibus beatiſſimorum Martyrum tuorum Macchabæorum, atque Sacerdotis & Confeſſoris tui Euſebii perpetuam nobis miſericordiam benignus impende, per Dnm. *l.*

Alia.

Annue nobis, quæſumus omnipotens Deus, ut ſcorum

(1) *Rhenaug* addit hanc inſcriptionem: *Catenæ eius oſculantur.* Miſſa tamen de ipſo feſto deeſt.

(2) In vulgato *Gelaſ.* alia legitur miſſa p. 143.

(3) EUSEBIUS hic eſt Epiſcopus *Vercellenſis*, Catholicæ fidei contra *Arianos* defenſor acerrimus, hac die in pace defunctus: quem S. AMBROSIUS Confeſſorem, alii Martyrem appellant. Vid. BARON. in notis ad Martyrol. *Rom.* ad hanc diem.

Digitized by Google

ſcorum Martyrum tuorum Macchabæorum, ſed & Sacerdotis & Confeſſoris tui Euſebii ſuffragiis adiuvemur: ut ſicut eis copioſa victoria dedit triumphum, ita & nobis continuum præſtet auxilium, per Dnm.

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, & ſanctifica hoc ſacrificium populi tui, ut quod in honore beatiſſimorum Martyrum tuorum Macchabæorum, ſed & Sacerdotis & Confeſſoris tui Euſebii offertur ad gloriam, nobis tribuas ad ſalutem perpetuam, per Dnm.

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare; nos in honore nominis tui, Dne, ſcorum Martyrum tuorum Macchabæorum annua feſtivitate cum omni admiratione præferre nativitate fratres, paſſione germanos, quos glorioſa mater utero concepit & mente, ut quos ſecundum carnem genuerat mundo, eosdem omnipotenti Deo ſpiritu fœcunditatis generaret ad gloriam. Nam qui nati fuerant carnaliter ad mortem, religioſe moriebantur ad vitam. Abſciduntur linguæ, cutes capitum auferuntur, & inter hæc glorioſiſſimi iuvenes non dolebant, quo crudelius punirentur, ſed exultabant, quo glorioſius interirent, ut invicem ſibi eſſent ſolatium & exemplum; poſt quos omnes & ipſa exultans ſanguinis mater & fidei noviſſima ſubſecuta eſt, non ut ultima eſſet, ſed ut fructus ventris ſui præmitteret Deo, pignora ſua ſecura ſequeretur. Quid illud, quantaque exultatione dicendum eſt! quod paſſionis ipſorum die de hoc mundo profectus eſt ad æternam ſedem, teſtis fidei, & veritatis Confeſſor Euſebius; qui etiam die, quo paſſi ſunt Martyres veterum præceptorum, eodem die novi teſtamenti propugnator aſſumptus eſt. Illi diſceſſerunt iudaicæ legis mandata ſervantes; hic requievit inſeparabilis Trinitatis aſſerens unitatem, per Dnm, vel Xpm.

Ad Comm.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut quorum memoriam ſacramenti participatione recolimus, fidem quoque proficiendo ſectemur, per Dnm *l.*

IIII. Non. Aug.
Natl. S. STEPHANI Epiſcopi.

Deus, qui nos beati Stephani Martyris tui atque Pontificis annua ſolemnitate lætificas, concede propitius, ut cuius natalitia colimus, de eiusdem etiam protectione gaudeamus, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Munera, Dne, tibi dicata ſanctifica, & intercedente beato Stephano Martyre tuo atque Pontifice per eadem nos placatus intende, per Dnm. *gg.*

Ad Comm.

Hæc nos communio, Dne, purget a crimine, & intercedente beato Stephano Martyre tuo atque Pontifice cœleſtis remedii faciat eſſe conſortes, per Dnm. *l.gg.*

VIII. Id. Aug. Natl. S. SIXTI Papæ.

Beati Sixti, Dne, tui Sacerdotis & Martyris annua feſta recolentes, quæſumus, ut quæ tuarum nobis ſunt inſtrumenta præſentium, fiant æternarum patrocinia gratiarum, per Dnm. *g.*

Alia.

Sancti Sixti, Dne, frequentata ſolemnitas, & de ſacerdotalibus nos inſtruat te miſerante doctrinis, & de glorioſis martyrii foveat ubique ſuffragiis, per Dnm. *g.*

Secreta.

Suſcipe, Dne, munera propitiatus oblata, quæ maieſtati tuæ beatus Sixtus Sacerdos commendet & Martyr, per Dnm. *g. El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et in die feſtivitatis hodiernæ, qua beatus Sixtus pariter Sacerdos & Martyr, devotum tibi ſanguinem exultanter effudit; quique ad eandem gloriam promerendam, doctrina ſua filios incitabat, & quos erudiebat hortatu, præveniebat exemplo, per Xpm. *l. El. gg.*

Ad Comm.

Repleti, Dne, munere ſolemnitatis optatæ, qua de beati Sixti & celebritate iuva-

iuvamur & precibus, quæſumus, ut in gratiarum tuarum ſemper actione maneamus, per Dnm. *l. g.*

Unde ſupra alia Miſſa Gregoriana.

Deus, qui conſpicis, quia ex nulla noſtra virtute ſubſiſtimus: concede propitius, ut interceſſione beati Sixti Martyris tui atque Pontificis contra omnia adverſa muniamur, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Sacrificiis præſentibus, Dne quæſumus, intende placatus, ut & devotioni noſtræ proficiant & ſaluti, per Dnm nrm. *l. gg.*

(1) Intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte, per Xpm. *gg.*

Bened. Uvæ.

Benedic, Dne, & hos fructus novos uvæ, quos tu, Dne, rore cœli, & inundantia pluviarum, & temporum ſerenitate atque tranquillitate, ad maturitatem perducere dignatus es, & dediſti ea ad uſus noſtros cum gratiarum actione percipere, in nomine Dni nri Ihu Xpi, per quem. *gg.*

Ad Comm.

Præſta, quæſumus Dne Deus noſter, ut cuius nobis feſtivitate votiva ſunt ſacramenta, eius ſalutaria nobis interceſſione reddantur, per Dnm. *gg.*

Item unde ſupra Miſſa Ambroſiana.

Deus, qui Martyres tuos præmio paſſionis remunerare conſuevſti, ita ut devictis perſecutoribus coronam martyrii conſequantur: præſta quæſumus, ut beatus Sacerdos & Martyr tuus Sixtus, cuius feſtivitatem colimus, tuam pro nobis indulgentiam ſemper exoret, per Dnm.

Secreta Oratio.

Beati Sacerdotis & Martyris tui Sixti nos, quæſumus Dne, frequentantes ſolemnia, & ſacerdotalis inſtruat te miſerante doctrina, & glorioſi martyrii foveant ubique ſuffragia, per Dnm. *g. ſupra.*

Ad Comm.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut beatus Sacerdos & Martyr tuus Sixtus ſacris nos exerceat inſtitutis, & pie ſemper faciat per ſuam confeſſionem conſtantes, per Dnm.

Item alia Miſſa Ambroſiana.

Deus, qui Sanctis tuis in confeſſione tui nominis virtutem atque victoriam contuliſti: tribue quæſumus, ut dum beati Sacerdotis & Martyris tui Sixti merita veneramur, ſtudia eius imitari mereamur, per Dnm.

Alia.

Martyrum tuorum deprecatione, quæſumus Dne, nos benignus intende: & ſicut beatum Sacerdotem & Martyrem tuum Sixtum pati pro tuo nomine voluiſti, ita & tuis fidelibus eius facias merita ſuffragari, per Dnm.

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, munera populi tui pro Martyrum tuorum paſſionibus dicata ſanctorum: & quæ beato Sixto in perſecutione fortitudinem miniſtrarunt, nobis quoque præbeant inter adverſa conſtantiam, per Dnm. *l.*

Præfatio

VD. æquum & ſalutare; Nos tibi, ſumme Deus noſter, in die feſtivitatis hodiernæ pandere vota, qua beatus Sixtus pariter Sacerdos & Martyr, devotum tibi ſanguinem exultanter effudit, qui ad eandem gloriam promerendam doctrinæ ſuæ filios incitabat; & quos erudiebat hortatu, præveniebat exemplo. Is enim vigilantia præditus paſtorali, callidi hoſtis fraudulentiam prævenit, & tyrannicæ rapacitati modum impoſuit, ſalubrique conſilio definivit, aut cum iuſtitia vivere, aut quod eſt glorioſius, pro iuſtitia etiam vitaliter mortem ſuſcipere; ſed cum in huius propoſiti calle fortis athleta diſcurreret, Cæſaris iuſſu animadverti non timuit, & dictis facta compenſans, in hoſtiam transmigravit, per Xpm. *Vid. ſupra l. gg.*

Ad Comm.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut beatus. *Ut in præced. Miſſa.*

Eodem die Natl. SS. FELICISSIMI & AGAPITI. G. & GG.

Deus, qui nos concedis ſcorum Martyrum tuorum Feliciſſimi & Agapiti natalitia colere, da nobis in æterna lætitia de eorum ſocietate gaudere, per Dnm. *gg.*

Se-

---

(1) In *Elig.* legitur titulus *Præfatio Uvæ;* quæ tamen, uti hic quoque deſideratur. De ritu hodie benedicendi novas uvas, vid. Diſquiſit. P. II. pag. 534. & plura apud MENARDUM nota 440. in ſacrament. *Greg.* T. III. opp. S. GREGORII pag. 409.

Digitized by Google

Secreta. G. & GG.

Munera tibi, Dne, noſtræ devotionis offerimus, quæ & pro tuorum tibi grata ſint honore iuſtorum, & nobis ſalutaria te miſerante reddantur, per Dnm. *gg.*

Ad Comm. G.

Præſta, quæſumus Dne Deus noſter, ut quorum feſtivitate votiva ſunt ſacramenta, eorum ſalutaria nobis interceſſione reddantur, per Dnm. *gg.*

Alia ad Complendum. GG.

Præſta nobis, Dne quæſumus, intercedentibus ſanctis tuis Feliciſſimo & Agapito, ut quæ ore contingimus, pura mente capiamus, per Dnm. l. gg.

VII. Id Aug.

Nat. S. DONATI Epiſc. Gel.

Deus tuorum gloria Sacerdotum, præſta quæſumus, ut ſci Confeſſoris & Epiſcopi tui Donati, cuius feſta celebramus, auxilium ſentiamus, per Dnm. *g.*

Secreta.

Præſta, quæſumus Dne, ut interceſſione ſancti Confeſſoris & Epiſcopi tui Donati, quem ad laudem nominis tui dicatis muneribus honoramus, piæ nobis devotionis fructus accreſcat, per Dnm. *g.*

Ad Comm.

Omnipotens & miſericors Deus, qui nos ſacramentorum tuorum & participes efficis & miniſtros: præſta quæſumus, ut intercedente beato ſco (l. *ſacerdote*) tuo Donato eisdem (al. *eiusdem*) proficiamus & fidei conſortio, & digno ſervitio, per Dnm. *l.*

Eodem Die Natl. S. DONATI, & CARPOPHORI. (1)

Familiam tuam, quæſumus Dne, ſupplicantem propitius reſpice, ut quæ te inſpirante depoſcit, beatorum Martyrum Donati & Carpophori patrociniis conſequatur, per. *l.*

Alia.

Beatorum Martyrum tuorum Donati & Carpophori nos, quæſumus Dne, corona lætificet, & fidei noſtræ præbeat incitamenta virtutum, & multiplici nos ſuffragio conſoletur, per. *gg. ſupra.*

Secreta.

Suſcipe, Dne, hoc ſacrificium placationis & laudis, quod nos interveniențibus ſcis tuis Donato & Carpophoro perducat ad veniam, & in perpetuam gratiarum conſtituat actionem, per Dnm. *l.* (*Leon.* perpetua . . actione.)

Præfatio.

VD. æterne Deus! ſcorum Martyrum Carpophori & Donati merita recolentes, qui uſque ad ſanguinem pro veritate certantes, ad æterna conſortia pervenerunt; & tranſitoriam lucem pro eadem relinquentes, ſempiterni ſplendoris adepti ſunt perpetuam claritatem, per Xpm.

Ad Comm.

Aſſit nobis, Dne quæſumus, beatiſſimorum Martyrum tuorum Donati & Carpophori ſancta precatio, quæ nos & a terrenis affectibus inceſſabiliter expediat, & cœleſtia deſiderare perficiat, per Dnm.

Dom. XII. Poſt Pentecoſt. Gel.

Deus! qui omnipotentiam tuam parcendo maxime & miſerendo manifeſtas: multiplica ſuper nos gratiam tuam, ut ad tua promiſſa currentes, cœleſtium bonorum facias eſſe conſortes, per Dnm. *g. gg.*

Alia.

Deus, qui iuſta poſtulantes exaudis, qui, ſi qua in nobis bona ſunt opera, & ipſe inſinuas, & inſinuata conſummas: quæſumus, ut & cor noſtrum ad expugnandas dilates paſſiones, ſenſusque noſtros ad impugnationum certamina ſuperanda confortes, ut dum digne vitiis noſtris iraſcimur, pietatis tuæ veniam conſequamur, per. *Secreta.*

---

(1) Hæc miſſa procul dubio eſt *Ambroſiana*, cum S. DONATO iungatur S. CARPOPHORUS Martyr *Novocomenſis*, de quo GALESINIUS, & monumenta vetera eccleſiæ *Mediolanenſis*, *Bergomenſis*, & *Aquileienſis*.

Secreta.

Tibi, Dne, ſacrificia dicata reddantur, quæ ſic ad honorem nominis tui deferenda tribuiſti, ut eadem remedia fieri noſtra præſtares, per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare, ut te poſtpoſito vetuſti ritu ſacrificii, te homo novus, quibus inſtituiſti ſacrificiis, ſemper honoret, Dne Xpe ſalvator & mediator omnipotens! qui ad hoc mortuus es, ut iura diſſolveres mortis, tertia die ad ſuperos remeaſti, quia ſolus inter mortuos liber fuiſti; neque enim poteras mortis Dn9 detineri a morte, quia mortis & vitæ totam obtines poteſtatem; Et ideo.

Poteſt & uſque ad finem hoc modo recitari.

Quis te talem non timeat Dnm? aut quis tantam maieſtatem non proſtratus adoret? Nos enim adoramus ſupplici corde, genu deflexo obſecrantes, ut erigas miſeros, ad te de luto fæcis clamantes, & de tantis nos abſolvas, quibus involvimur, propitiatus peccatis, præſentis ſacrificii oblato munere placatus. Et ideo cum angelis.

Ad Comm.

Quæſumus Dne Deus noſter, ut quos divinis reparare non deſinis ſacramentis, tuis non deſtituas benignus auxiliis, per. *g. gg.*

VI. Id. Aug.

Naſl. S. CYRIACI Martyris. G. & GG.

Deus, qui nos annua beati Cyriaci Martyris tui ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cuius natalitia colimus, virtutem quoque paſſionis imitemur, per. *gg.*

Secreta. G.

Suſcipe, Dne, ſacrificium placationis & laudis, quod nos interveniente ſco tuo Cyriaco, & perducat ad veniam, & in perpetua gratiarum conſtituat actione, per. *l. El.*

Alia Secreta. GG.

Accepta ſit in conſpectu tuo, Dne, nra devotio, & eius nobis fiat ſupplicatione ſalutaris, pro cuius ſolemnitate defertur, per Dnm. *l. gg.*

Ad Comm. G.

Quæſumus Dne Deus noſter, ut intervenientibus Sanctis tuis, ſacroſancta myſteria, quæ ſumpſimus, actu ſubſequamur & ſenſu, per. *l. Elig.*

Alia ad Comm. GG.

Refecti participatione muneris ſacri, quæſumus Dne Deus noſter, ut cuius exſequimur cultum, ſentiamus effectum, per. *l. gg.*

V. Id. Aug.

Vigl. S. LAURENTII. G. & GG.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & interceſſione beati Laurentii Martyris tui, perpetuam nobis miſericordiam benignus impende, per Dnm. *l. gg.*

Alia. G.

Beati Laurentii Martyris tui, Dne, geminata gratia nos refoveat, quam pro glorificationis eius honore, & optatis præimus officiis, & deſideranter expectamus adventuram, per Dnm. *g.*

Secreta. G. & GG.

Hoſtias, Dne, quas tibi offerimus, propitius ſuſcipe, & intercedente beato Laurentio Martyre tuo vincula peccatorum noſtrorum abſolve, per. *gg.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! prævenientes natalem beati Laurentii, qui Levita ſimul Martyrque venerandus, & religioſo claruit officio

Digitized by Google

officio glorioſus, & memorandæ paſſionis refulſit martyrio ſublimis, per Xpm. *l. gg.* *Ad Comm.* G. & GG.

Da, quæſumus Dne Deus noſter, ut ſicut beati Laurentii Martyris tui commemoratione temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aſpectu, per. *l. gg.* [*Alia.* G.

Da, quæſumus omnipotens Deus, ut triumphum beati Laurentii Martyris tui, quem deſpectis ignibus conſummavit in terris, perpetua cœlorum luce conſpicuum digno fervore fidei veneremur, per Dnm.] *El.*

Unde ſupra Miſſa Ambroſiana

In Vigil. S. LAURENTII.

Annue nobis, quæſumus omnipotens Deus, ut beati Levitæ Martyris tui Laurentii veneranda ſolemnitas, & devotionem nobis augeat & ſalutem, per D. *gg.* *Alia.*

Deus, cuius caritatis ardore beatus Laurentius Levita & Martyr edaces incendii flammas contempto perſecutore devicit: concede, ut omnes, qui martyrii eius merita veneramur, protectionis tuæ muniamur auxilio, per Dnm. *g. gg.*

Secreta.

Suſcipe, Dne, hæc munera populi tui, quæ tibi in beati Martyris tui Laurentii feſtivitate offerimus, ut per eadem, ſicut confidimus, tuæ pietatis ſentiamus auxilium, per Dnm.

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare; Nos tibi, omnipotens Dne, gratias agere, beati Laurentii Martyris tui ſolemnitatem celebrantes, cui fidem confeſſionemque non abſtulit ignis accenſus, ſed, ut clarius luceſceret, accendit; nam ſicut aurum flammis non uritur, ſed probatur; ſic beati Martyris ſca ſubſtantia non conſumitur, ſed aptatur cœleſtibus ornamentis, per Xpm *gg.* *Vatican.*

Ad Comm.

Indulgentiam tuam, Dne, nobis, quæſumus, Sci Laurentii poſtulet grata precatio, per dilectiſſimum Filium tuum Deum Dnm & Salvatorem noſtrum, qui tecum. (1)

[*IIII. Id. Aug.*

Natl. Sci LAURENTII. G. & GG. (2)

Excita, Dne, in eccleſia tua ſpiritum, cui beatus Laurentius Levita ſervivit: ut eodem nos replente ſtudeamus amare quod amavit, & opere exercere quod docuit, per Dnm. in unit. eiusd. Sp9 ſci. *l. gg.* *Secreta.* G.

Reſpice, Dne, munera, quæ in ſci Laurentii ſolemnitate deferimus: ut cuius honore ſunt grata, eius nobis fiant interceſſione proficua per Dnm. *l. g.*

Ad Comm. G.

Quæſumus omnipotens Deus, ut muneris divini, quod ſumpſimus, intercedente beato Laurentio, ſalutarem nobis ſentiamus effectum, per Dnm.]

Item ad Miſſam. G. & GG.

Da nobis, quæſumus omnipotens Deus, vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare, per Dnm. *gg.* *Alia.*

Deus mundi creator & rector, qui hunc diem Levitæ tui Laurentii martyrio conſecraſti: concede propitius, ut omnes, qui martyrii eius merita veneramur, interceſſionibus eius ab æternis gehennæ incendiis liberemur, per Dnm. *g.* *Se-*

---

(1) Codex *S. Blaſianus* ante feſtum S. CYRIACI M. ſequentem Miſſam habet:

In Natl. S. AFRÆ Mart.

Omnipotens ſempiterne Deus, beatæ Afræ Martyris tuæ ſupplicatione tribue nos foveri: ut cuius venerabilem ſolemnitatem prævenimus obſequio, eius interceſſionibus commendemur & meritis. Per D. *l.*

Secreta.

Muneribus noſtris, Dne, beatæ Afræ Martyris feſta prædicamus: quæ tibi illius meritis reddantur accepta. Per D. *Ad Comm.*

Quæſumus, omnipotens Deus! ut cuius nos tribuis communicare memoriis, eius facias imitatores. Per D.

(2) *San-Gallenſ.* in prima Miſſa.

Digitized by Google

Secreta.

Præſta, quæſumus Dne, ut beati Laurentii ſuffragiis in nobis tua munera tuearis, pro cuius honoranda confeſſione hoſtias tibi laudis offerimus, per Dnm. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! In die ſolemnitatis hodiernæ, qua beati Laurentii hoſtiam tibi placitam pro caſti corporis glorioſo certamine ſuſcepiſti; prunis namque ſuperpoſita ſtridebant membra viventia, nec tantum erat pœna paſſionis, quam piæ confeſſionis igne ſuccenſus; neque terreno liberari cruciatu martyr optabat, ſed coronari deprecabatur in cœlis, per Xpm. *l. g. El.* *Ad Comm.*

Proſit nobis, Dne, ſci Laurentii celebrata ſolemnitas, quia quanto fragiliores ſumus, tanto placentium tibi præſidiis indigemus, per Dnm. *l. g.*

Unde ſupra alia Miſſa Gregoriana.

Excita, Dne, in eccleſia tua. Ut ſupra.

Secreta.

Sacrificium noſtrum tibi, Dne quæſumus, beati Laurentii precatio ſancta conciliet, ut cuius honore ſolemniter exhibetur, meritis efficiatur acceptum, per Dnm. gg.

Ad Compl.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus! ut quos donis cœleſtibus ſatiaſti, intercedente beato Laurentio Martyre tuo, perpetua protectione cuſtodias, per Dnm. gg.

Item alia Miſſa.

Da nobis, quæſumus omnipotens Deus, vitiorum. *Ut ſupra. gg*

Secreta.

Accipe, quæſumus Dne, munera dignanter oblata, & beati Laurentii ſuffragantibus meritis ad noſtræ ſalutis auxilium provenire concede, per Dnm. *gg.* *Ad Compl.*

Sacro munere ſatiati ſupplices te, Dne, deprecamur, ut quod debitæ ſervitutis celebramus officio, intercedente beato Laurentio, ſalvationis tuæ ſentiamus augmentum, per Dnm. *l. gg.*

Item unde ſupra Miſſa Ambroſiana.

Annue, quæſumus omnipotens Deus! ut ſicut beatus Levita & Martyr tuus Laurentius ignium globos te protegente evaſit; ita fidelis populus huius adverſitatem ſæculi te auxiliante evadat, per Dnm. *Alia.*

Beati Laurentii Martyris tui nos, quæſumus Dne, foveant continuata præſidia: quia non deſinis propitius intueri, quos promiſſis auxiliis conceſſeris adiuvari, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Ut grata tibi ſit, quæſumus Dne, noſtræ ſervitutis oblatio, beatus Levita & Martyr tuus Laurentius natalitio ſuo obtineat, per D.

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui hodierna die Levitæ tui Laurentii fidem auream igne ardentiſſimo comprobaſti, ut eſſet tibi hoſtia viva, hoſtia ſancta, in odorem ſuavitatis accenſa. O glorioſi certaminis virtus! o inconcuſſa conſtantia mentis! ſtridunt (*ſtrident*) membra viventis ſuper craticulam impoſita, & prunis ſævientibus anhelantia; ut & tibi hoſtia fieret, & ad triumphum martyrii intrepidus perveniret, per Xpm.

Ad complendum.

Conſerva in nobis, Dne, munus tuum, & quod te donante pro ſolemnitate beati Martyris tui Laurentii percepimus, & ſalutem nobis præſtet, & pacem, per Dnm.

Item aliæ Orationes.

Deus, cuius caritatis ardore. *Ut ſupra. g. gg.* *Alia.*

Sci Laurentii nos, Dne, ſancta precatio tueatur: & quod noſtra conſcientia non meretur, eius nobis, qui tibi placuit, oratione donetur, per Dnm. *l. g. El.*

Alia.

Aſſit nobis, Dne quæſumus, ſci Laurentii Martyris in tua glorificatione benedictio, cuius nobis eſt hodie facta ſuffra-

fra-

Digitized by Google

fragium in tua virtute confeſſio, per Dnm. *g. El.*

Alia.

Præſta, quæſumus Dne, ut ſemper nos beati Laurentii lætificent divina myſteria, quæ ſemper eſſe non deſinunt admiranda, per Dnm. *g. El.*

Alia. A.

Deus, qui refrigerium iuſtis, & gehennam impiis præparaſti; cuiusque auxilio beatus Laurentius in ferrea crate diſtentus, æſtuantis incendii flammas edaces contempto perſecutore devicit: concede propitius, ut eius orationibus, ſive meritis adiuvemur, per Dnm.

Alia. A.

Deus, quo iuvante beatus Laurentius ferrea crate libratus, ſubiecto minime ceſſit incendio; nam flagrantibus membris coronam eſt martyrii conſecutus: præſta, ut omnes, qui paſſionis eius merita veneramur, maieſtatis tuæ muniamur auxilio, per Dnm.

Alia. A.

Deus creator mundi & rector, qui hunc diem in Levitæ tui Laurentii martyrio conſecraſti: exaudi propitius ſupplices tuos, & concede, ut omnes, qui martyrii eius merita veneramur, intercesſionibus eius ab æternis gehennæ incendiis liberemur, per. *g. Ut ſupra.*

Alia.

Da nobis, quæſumus omnipotens Deus, vitiorum noſtrorum. *Ut ſupra.*

III. Idus Aug. Natl. S. TIBURTII Martyris. G. & GG.

Beati Tiburtii nos, Dne, foveant continuata præſidia, quia non deſinis propitius tueri, quos talibus auxiliis conceſſeris adiuvari, per Dnm. *gg.*

Secreta. G. & GG.

Adeſto, Dne, precibus populi tui, adeſto muneribus: ut quæ ſacris ſunt oblata myſteriis, tuorum tibi placeant interceſſione Sanctorum, per D. *gg.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! quia dum beati Tiburtii Martyris merita glorioſa veneramur, auxilium nobis tuæ propitiationis acquirimus, nec deſperamus de veniæ largitate, quam per eos, qui tibi placuere, depoſcimus, per Xpm. *El. gg.*

Ad Com. G. & GG.

Sumpſimus, Dne, pignus redemptionis æternæ: ſit nobis, Dne quæſumus, interveniente beato Tiburtio Martyre tuo, vitæ præſentis auxilium pariter & futuræ, per Dnm. *l. El. gg.*

Idus Aug. Natl. S. HIPPOLYTI Martyris. G.

Sancti Hippolyti Martyris, Dne quæſumus, veneranda feſtivitas ſalutaris auxilii nobis præſtet augmentum, per Dnm. *g. El.* Alia. GG.

Da nobis omnipotens Deus! ut beati Hippolyti Martyris tui veneranda ſolemnitas & devotionem nobis augeat & ſalutem, per Dnm. l. gg.

Secreta. G. & GG.

Reſpice, Dne, munera populi tui, Sanctorum feſtivitate votiva, & tuæ teſtificatio veritatis nobis proficiat ad ſalutem, per Dnm. *l. gg.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! qui non ſolum malis noſtris bona retribuis, ſed ut miſeris uberiora dona concedas, qui digne pro nobis poſſint intercedere, contuliſti; ut quod noſtra conſcientia non habebat, interceſſio obtineret tibi grata iuſtorum, per Xpm. *l.*

Ad Com. G. & GG.

Sacramentorum tuorum, Dne, communio ſumpta nos ſalvet, & in tuæ veritatis luce confirmet, per D. *El. gg.*

Digitized by Google

Alia Miſſa Ambroſiana de S. HIPPOLITO & CASSIANO. (1)

Interceſſio, Dne, beati Hippoliti Martyris tui, & tuam nobis non deſinat placare iuſtitiam, & noſtrum tibi devotum efficere famulatum, per D.

Alia.

Sancti Martyris tui Hippoliti, Dne quæſumus. *Ut ſupra.*

Secreta.

Offerimus tibi, Dne, preces & munera: quæ ut tuo ſint digna conſpectui, beati Martyris tui Hippoliti precibus adiuvemur, per Dnm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! nosque in hac ſolemnitatis die beati Martyris tui Hippoliti, ad tui nominis gloriam exultare; quia te verum ducem conſiderans, miles tuus eſſe voluit (*maluit*) quam dux militum comprobari, beatumque Laurentium ſuæ cuſtodiæ mancipatum, non perſecutus eſt, ſed ſecutus; qui cum theſauros eccleſiæ diſcutit, invenit theſaurum, non quem tyrannus eriperet, ſed quem pietas poſſideret. Invenit theſaurum, unde veræ divitiæ peterentur. Sprevit favorem tyranni, ut cum regis perpetui gratia probaretur; membris dividi non refugit, ne nexibus divelleretur æternis, quia ſolum vitæ dilexit auctorem, quem una tecum omnipotens Pater.

Ad Comm.

Sacramenti tui, Dne, communio ſumptanos ſalvet, & in tuæ veritatis luce confirmet, per D. *El. gg.*

Dominica XIII. Poſt Pentecoſten. Gel.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ, & merita ſupplicum excedis & vota: effunde ſuper nos miſericordiam tuam, ut dimittas, quæ conſcientia metuit, & adiicias, quod oratio non præſumit, per Dnm. *g. gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, a quo ſolo ſancta deſideria, recta conſilia, & iuſta ſunt opera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem, ut & corda nra mandatis tuis dedita, & tempora ſint tua protectione tranquilla, per. *g.*

Secreta.

Reſpice, Dne quæſumus, noſtram propitius ſervitutem, ut quod offerimus, ſit tibi munus acceptum, ſit noſtræ fragilitatis ſubſidium, per Dnm. *l. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui nos caſtigando ſanas, & refovendo benignus erudis, dum magis vis ſalvos eſſe correctos, quam perire neglectos, per Xpm. *l. El. gg.*

Ad Comm.

Sentiamus, Dne quæſumus, tui perceptione ſacramenti ſubſidium mentis & corporis, ut in utroque ſalvati, cœleſtis remedii plenitudine gloriemur, per Dnm. *l. g. El. gg.*

[*XVIIII. Kl. Septemb. Natl. S. EUSEBII Presbyteri.* G. & GG.

Deus, qui nos beati Euſebii Confeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cuius natalitia colimus, per eius apud (ed. *ad*) te exempla gradiamur, per. *El. gg.*

Secreta. G. & GG.

Laudis tuæ, Dne, hoſtias immolamus in tuorum commemoratione Scorum, quibus nos & præſentibus exui malis confidimus, & futuris, per Dnm. *l. El. gg.*

Ad Comm. G.

Sancti Euſebii natalitia tuo munere celebrantes, ſupplices te, Dne, deprecamur, ut hoc idem nobis ſemper indulgentiæ cauſa ſit & ſalutis, per Dnm.] *El.*

Alia. GG.

Refecti cibo potuque cœleſti, Deus noſter,

---

(1) Sic habet inſcriptio: ſed cum nec in collectis, nec in præfatione ulla habeatur S. CASSIANI mentio, qui & in cæteris ſacramentariis omittitur, eius nomen haud videtur ab ipſo S. AMBROSIO eſſe adpoſitum.

Digitized by Google

ſter, te ſupplices exoramus, ut in cuius hæc commemoratione percepimus, eius muniamur & precibus, per Dnm. l. gg.

Eodem die Vigil. Aſſumptionis S. MARIÆ. G.

Sanctæ Mariæ ſemper Virginis, Dne, ſupplicationibus tribue nos foveri, ut cuius venerabilem ſolemnitatem prævenimus obſequio, eius interceſſionibus commendemur & meritis, per Dnm. *l.*

Alia. GG.

Deus, qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es: da quæſumus, ut ſua nos defenſione munitos, iucundos faciat ſuæ intereſſe feſtivitati, per Dnm nrm. El. gg.

Secreta. G.

Suſcipe, Dne, ſacrificium placationis & laudis, quod nos interveniente Sca tua ſemperque Virgine Maria, cuius feſtivitatem prævenimus, & perducat ad veniam, & in perpetua gratiarum conſtituat actione, per D. *l.*

Alia. GG.

Magna eſt, Domine, apud clementiam tuam Dei Genitricis oratio: quam idcirco de præſenti ſæculo tranſtuliſti, ut pro peccatis noſtris apud te fiducialiter intercedat, per eundem Dnm. El. gg. (1)

Ad Communion. G.

Adiuvent nos, quæſumus Dne, hæc myſteria ſca, quæ ſumpſimus; & beatæ ſemperque Virginis Mariæ, cuius ſolemnitatem præimus, interceſſio veneranda, per Dnm. *g.*

Alia. GG.

Concede, miſericors Deus, fragilitati nræ præſidium, ut qui ſcæ Dei Genitricis requiem celebramus, interceſſionis eius auxilio a noſtris iniquitatibus reſurgamus, per eundem Dnm. gg.

XVIII. Kal. Sept.

Aſſumptio S. MARIÆ. G. & A.

Concede nobis, quæſumus omnipotens Deus, ad beatæ Mariæ ſemper Virginis gaudia æterna pertingere, de cuius nos veneranda aſſumptione tribuis annua ſolemnitate gaudere, per Dnm.

Alia. G. & GG.

Veneranda nobis, Dne, huius eſt diei feſtivitas, in qua Sca Dei Genitrix mortem ſubiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quæ Filium tuum Dnm Deum *nrm Ihm Xpm de ſe genuit incarnatum; cuius interceſſione quæſumus, ut mortem evadere poſſimus animarum, per eundem.* gg.

Item alia ad Miſſam. G.

Famulorum tuorum, Dne, delictis ignoſce: & qui placere de actibus noſtris non valemus, Genitricis Filii tui Dni Dei noſtri interceſſione ſalvemur, per eundem. gg.

Secreta. G. & A.

Interceſſio, quæſumus Dne, beatæ Mariæ ſemper Virginis munera noſtra commendet, nosque in eius veneratione tuæ maieſtati reddat acceptos, per Dnm.

Alia Secreta. G.

Subveniat, Dne, plebi tuæ Dei Genitricis oratio, quam etſi pro conditione carnis

(1) In aliis legitur, prout hodieque in Miſſali *Romano*: *Munera noſtra, Domine . . . Dei Genitricis commendet oratio &c.*

Digitized by Google

nis migraſſe cognoſcimus, in cœleſti gloria apud te pro nobis orare ſentiamus, per eundem *Dnm.* gg.

Præfatio. G. & A.

VD. æterne Deus! Et nos te in tuis ſacratiſſimis virginibus, exultantibus animis laudare, benedicere, & prædicare: inter quas beata Dei Genitrix, intemerata Virgo Maria, glorioſiſſima effulſit; cuius aſſumptionis diem omni devotione præſenti ſacrificio celebramus, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm. G. & A.

Cœleſti munere ſatiatos, omnipotens Deus, tua nos protectione cuſtodi: ut caſtimoniam & pacem mentibus noſtris atque corporibus, intercedente ſca Maria propitiatus indulgeas, & veniente ſponſo, Filio tuo unigenito, accenſis lampadib9 eius digni præſtolemur occurſum, per eund. Dnm. *g.*

Alia. G.

Menſæ cœleſtis participes effecti imploramus clementiam tuam, Dne Deus noſter! ut qui feſta Dei Genitricis colimus, a malis imminentib9 ei9 interceſſionibus liberemur, per eundem. gg.

Super populum. G. & A.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui terrenis corporibus Verbi tui & veritatis, Filii tui ſcilicet unigeniti, per venerabilem ac glorioſam ſemperque Virginem Mariam, ineffabile myſterium coniungere voluiſti: petimus immenſam clementiam tuam, ut quod in eius veneratione depoſcimus, te propitiante conſequi mereamur, per eundem. *g.*

Item eodem die Natl. S. SIMPLICIANI Epiſcopi, & translatio S. SISINNII, MARTYRII, & ALEXANDRI. Or. Super Populum.

Ambroſ. (1)

Impetret, quæſumus Dne, fidelibus tuis auxilium pietatis oratio beatiſſimorum Martyrum tuorum Siſinnii, Martyrii & Alexandri, ſed & Sacerdotis & Confeſſoris tui Simpliciani: ut in quorum ſolemnitate ſumo devoti, facias nos propitius in eorum perpetua eſſe ſorte participes, per Dnm. *l.*

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut beatiſſimorum Martyrum tuorum Siſinnii, Martyrii & Alexandri, ſed & Sacerdotis & Confeſſoris tui Simpliciani, & imitatione te ducem mereamur ſectari, & oratione tueri, per Dnm.

Secreta.

Deus, qui ad deprecandum te noſtræ conſcientiæ perſpicis non ſufficere facultatem: cunctos Martyres & Confeſſores tuos fac pro nobis exorare, qui tibi digne poſſint pro noſtris actibus ſupplicare, per Dnm. *l.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui non ſolum Martyrum glorioſa admiratione in cœlis es mirabilis, ſed etiam in terris a tuis teſtibus & Confeſſoribus conſona exultatione laudaris; qui licet ab infidelibus pro tui Unigeniti nomine acerbas non ſuſceperint paſſiones, occulto tamen ſanctitatis propoſito hoſtiles vitiorum acies mirabiliter ſuperarunt. Inter quos beatus Sacerdos & Confeſſor tuus Simplicianus, ut ad ianuam pietatis tuæ facilius ei concederetur ingreſſus, Martyrum imitans exempla, eorum eſt ſubſecutus ſacra veſtigia, per Xpm. *l. ex parte.*

Ad Comm.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut beatorum Martyrum tuorum Siſinnii, Martyrii & Alexandri, ſed & Sacerdotis & Confeſſoris tui Simpliciani deprecationibus, ſacramenta quæ ſumpſimus, ad tuæ nobis proficiant placationis augmentum, per Dnm.

XVI. Kl. Sept.

Octava S. LAURENTII. Gel.

Beati Laurentii nos faciat, Dne, paſſio veneranda lætantes, & ut eam ſufficienter recolamus, efficiat promptiores, per Dnm. *g.*

Alia.

---

(1) S. SIMPLICIANI Epiſcopi *Mediolanenſis* mentio in Martyrologio *Romano* habetur die ſequente, SS. Martyrum vero die 29. Maii.

Digitized by Google

Alia.

Iterata feſtivitate beati Laurentii natalitia veneramur, quæ in cœleſti beatitudine fulgere novimus ſempiterna, per Dnm. *g.*

Secreta.

Beati Laurentii Martyris honorabilem paſſionem muneribus, Dne, geminatis exſequimur, quæ licet propriis ſit memoranda principiis, indeſinenter tamen permanet glorioſa, per Dnm, *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! beati Laurentii natalitia repetentes, cui fidem confeſſionemque non abſtulit ignis ingeſtus, ſed eum, ut luceret magis, accendit; Nam ſicut aurum flammis non uritur, ſed probatur, ſic beati Martyris ſca ſubſtantia non conſumitur tormentorum incendiis, ſed aptatur cœleſtibus ornamentis, per Xpm. *gg.*

Ad Comm.

Solemnis nobis interceſſio beati Laurentii Martyris, quæſumus Dne, præſtet auxilium, ut cœleſtis menſæ participatio, quam ſumpſimus, tribuat eccleſiæ tuæ recenſitam lætitiam, per Dnm. *g.*

XV. Kl. Sept.

Natl. S. AGAPITI Mart. Gel. G.

Sci Martyris Agapiti merita nos, Dne, pretioſa tueantur, in quibus tuæ maieſtatis opera prædicantes, & præſens capiamus adiutorium, & futurum, per Dnm. *g. El.*

Alia. GG.

Lætetur eccleſia tua, Deus, beati Agapiti Martyris tui confiſa ſuffragiis! atque eius precibus glorioſis & devota permaneat, & ſecura conſiſtat, per Dnm. gg.

Secreta. G. & GG.

Suſcipe, Dne, munera, quæ in eius tibi ſolemnitate deferimus, cuius nos confidimus patrocinio liberari, per Dnm. *El. gg.* *Ad Comm.* G.

Protegat, quæſumus Dne, populum tuum & participatio cœleſtis indulta convivii, & deprecatio collata Sanctorum, per Dnm. *l. El.*

Alia ad Comm. GG.

Satiaſti, Dne, familiam tuam muneribus ſacris: eius, quæſumus, ſemper interventione nos refove, cuius ſolemnia celebramus, per Dnm. l. gg.

XIIII. Kl. Sept.

Natl. S. MAGNI. Gel. (1)

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & intercedente beato Martyre tuo Magno, ab hoſtium nos defende propitiatus incurſu, per Dnm. *l. g.*

Secreta.

Præſta nobis, quæſumus omnipotens Deus! ut noſtræ humilitatis oblatio & pro tuorum tibi grata ſit honore Sanctorum, & nos corpore pariter & mente purificet, per Dnm. *l. g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui humanum genus de profundo mortis eripiens, captivitatem noſtram Ihu Xpi Filii tui Dni nri paſſione ſolviſti; per quem ita virtus antiqui hoſtis eliſa eſt, ut eius, quem ipſe ſuperaverat, etiam beatum Martyrem ſuum Magnum faceret eſſe victorem. Cuius triumphum in die, quem ſanguine ſuo ſignavit, colentes, in tua gloria exultamus, per eundem Xpm. *Ad*

---

(1) De hoc S. MAGNO, qui alius eſt ab illo in Martyrol. *Rom.* hac die notato, agit USUARDUS, aliique. Vid. MENARDUS nota 460. in Sacrament. *Gregorianum.*

Digitized by Google

Ad Comm.

Tua Sancta ſumentes, quæſumus Dne, ut beati Magni nos foveant continuata præſidia, per Dnm. *g.*

XI. Kl. Sept. Natl. S. TIMOTHEI Martyris. G. & GG.

Auxilium tuum nobis, Dne quæſumus, placatus impende, & intercedente beato Timotheo Martyre tuo, dexteram ſuper nos tuæ propitiationis extende, per Dnm. *El. gg.*

Secreta. G.

Offerimus tibi, Dne, preces & munera: quæ ut tuo ſint digna conſpectui, quæſumus, beati Martyris tui Timothei precibus adiuvemur, per Dnm. *l. gg.*

Alia Secreta. GG.

Accepta tibi ſit, Dne, ſacratæ plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum, quorum ſe meritis percepiſſe de tribulatione cognoſcit auxilium, per. l. El. gg.

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! Et magis hodie, cum tibi feſta ſolemnitas agitur, tibi dies ſacrata celebratur, quam beati Timothei Martyris tui ſanguis, in veritatis tuæ teſtificatione profuſus, magnifico nominis tui honore ſignavit, per Xpm.

Ad Comm. G. & GG.

Divini muneris largitate ſatiati, quæſumus Dne Deus noſter, ut intercedente beato Timotheo Martyre tuo, eius ſemper participatione vivamus, per Dnm. *l. El. gg.*

Dominica XIIII. Poſt Pentecoſten. Gel.

Omnipotens ſempiterne Deus! per quem cœpit eſſe quod non erat, & factum eſt viſibile quod latebat: ſtultitiam noſtri cordis emunda, & quæ in nobis ſunt vitiorum ſecreta purifica, ut poſſimus tibi Dnò pura mente ſervire, per Dnm. *g.*

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus, de cuius munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne & laudabiliter ſerviatur, tribue nobis, quæſumus, ut ad promiſſiones tuas ſine offenſione curramus, per Dnm. *l. g. gg.*

Secreta.

Hoſtias, quæſumus Dne, propitius intende, quas ſacris altaribus exhibemus, ut nobis indulgentiam largiendo, tuo nomini dent honorem, per Dnm. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia tu in noſtra ſemper faciens infirmitate virtutem, eccleſiam tuam inter adverſa creſcere tribuiſti, ut cum putaretur oppreſſa, tunc potius prævaleret exaltata: dum ſimul & experientiam fidei declarat afflictio, & victorioſiſſima perſeverat te propugnatore religio, per Xpm. vel & ideo. *l. El. gg.*

Ad Comm.

Vivificet nos, quæſumus Dne, huius participatio ſancta myſterii, & pariter nobis expiationem tribuat & munimen, per D. *g. gg.*

VIIII. Kl. Sept. Natl. S. BARTHOLOMÆI. Gel.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui huius diei venerandam ſanctamque lætitiam beati Apoſtoli tui Bartholomæi feſtivitate tribuiſti! da eccleſiæ tuæ, quæſumus

Digitized by Google

ſumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit, per Dnm. *l. El. gg.*

Secreta.

Beati Apoſtoli tui Bartholomæi, Dne, cuius ſolemnia recenſemus; quæſumus, (Ed. omittunt *ut eius*) ut auxilio eius tua beneficia capiamus, pro cuius honore tibi hoſtias laudis immolamus, per Dnm. *El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui eccleſiam tuam ſempiterna pietate non deſerens, per Apoſtolos tuos iugiter eam erudis & protegis, & ſine fine cuſtodis, per Xm. *l. El. gg.*

Ad Comm.

Sumpſimus, Dne, pignus ſalutis æternæ, celebrantes beati Bartholomæi Apli tui votiva ſolemnia, & perpetua merita venerantes, per Dnm. *El. g.*

Super populum.

Protege, Dne, populum tuum, & Apoſtolorum tuorum patrocinio confidentem perpetua defenſione conſerva, per Dnm. *l. El. gg.*

VIII. Kl. Sept. Natl. S. GENESII Mart. Ambroſiana.

Beati Martyris tui Geneſii nos faciat, Dne, paſſio veneranda lætantes: & ut eam ſufficienter recolamus, dignos efficiat, per Dnm nrm.

Alia.

Sci Martyris tui Geneſii merita nos, Dne, pretioſa tueantur; in quibus tuæ maieſtatis opera prædicantes, & præſens capiamus adiutorium, & futurum, per.

Secreta.

Hoſtias, quæſumus Dne, quas in ſolemnitate beati Martyris tui Geneſii ſacris altaribus exhibemus, propitius reſpice; ut nobis indulgentiam largiendo, tuo nomini dent honorem, per Dnm nrm.

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare; nos tibi, omnipotens Dne, gratias agere, & in hac triumphali die conſona exultatione laudare, qua beatus Geneſius celeberrimus Martyr pro Xpi confeſſione nominis mortem ſuſcipere non expavit. Hic dum terreno imperio mimicæ artis placeret induſtria, renuit mundanæ delectationis lætitiam, ut eſſet gaudiorum cœleſtium perennis poſſeſſor; nam cum unda ſacri dilueretur baptiſmatis, & intra cœli ſecreta ſuæ confeſſionis auctorem videre promeruit, & Scm Spiritum in columbæ ſpecie ſibi adeſſe cognovit. O beata fides, divino fulta præſidio! o digna converſio, deifico luſtrata decore! quæ ante meruit gloriam videre cœleſtem, quam pro ipſius auctoris gloria in agone certaſſet. Hic etiam innocentum animas, Xpi pro nomine damnatas morti, & intra cœleſtia regna conſpexit, & qua eſſet luce collocandus agnovit; ſic nimirum coram tyranno ſtetit immobilis, ut poſt varias minas, verberumque terrores, per ſui ſanguinis effuſionem, & nobis glorioſum ſe Martyrem, & cœleſtium civium monſtraret eſſe conſortem, per Xpm.

Ad Comm.

Plebem tuam, Dne, beatus Martyr Geneſius interventor attollat, & quam de ſuo facit martyrio ſæpius gratulari, dignam ſemper imploret tuæ pietatis exiſtere ſacramentis, per Dnm nrm Ihm Xpm.

VI. Kl. Sept. Natl. S. RUFI. Gel.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & beati Rufi interceſſionibus confidentes, nec minis adverſantium, nec ullo conturbemur incurſu, per. *l. g.*

Secreta.

Oblatis, quæſumus Dne, placare muneribus, & intercedente beato Rufo Martyre tuo, a cunctis nos defende periculis, per Dnm nrm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quoniam ſupplicationibus noſtris miſericordiam tuam confidimus affuturam, quam beati Rufi poſcimus interventu nobis & confeſſione præſtari, per Xpm. *gg.*

Ad Comm.

Cœleſtibus refecti ſacramentis & gaudiis ſupplices te rogamus, Dne, ut quorum

rum gloriamur triumphis, protegamur auxiliis, per. *gg.*

V. Kl. Sept.

Natl. S. HERMETIS Mart. G.

Interceſſio, Dne, beati Hermetis Martyris tui, & tuam nobis non deſinat placare iuſtitiam, & noſtrum tibi devotum iugiter efficere famulatum, per. *El.*

Alia. GG.

Deus, qui beatum Hermen Martyrem tuum virtute conſtantiæ in paſſione roboraſti; ex eius nobis imitatione tribue pro amore tuo proſpera mundi deſpicere, & nulla eius adverſa formidare, per. gg.

Secreta. G.

Munera noſtra, Dne quæſumus, propitiatus aſſume, & ut digne tuis famulemur altaribus, ſci tui nos Hermetis interceſſione cuſtodi, per Dnm nrm. *El. g.*

Alia Secreta. GG.

Sacrificium tibi, Dne, laudis offerimus in tuorum commemoratione Sanctorum: da, quæſumus, ut quod illis contulit gloriam, nobis proſit ad ſalutem, per. l. gg.

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! quoniam fiducialiter tibi laudis hoſtias immolamus, quas pro ſci Hermetis Martyris tui confeſſione ſacrificio præſenti confidimus adiuvandas, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Repleti, Dne, benedictione cœleſti, quæſumus clementiam tuam, ut intercedente beato Hermete Martyre tuo, quæ humiliter gerimus, ſalubriter ſentiamus, per. *l. El. gg.*

Eodem die Depoſ. S. AUGUSTINI

Epi. Ambroſiana. (1)

Miſericordiam tuam, Dne, nobis quæſumus, interveniente beato Sacerdote & Confeſſore tuo Auguſtino clementer impende, & nobis peccatoribus ipſius propitiare ſuffragiis, per Dnm.

Alia.

Præſta, quæſumus Dne, ut beati Confeſſoris tui Auguſtini, cuius iugiter celebramus meritum, continuum ſentiamus auxilium, per. *l.*

Secreta.

Sci Confeſſoris tui Auguſtini nobis Dne pia non deſit interceſſio; quæ & munera noſtra conciliet, & tuam nobis indulgentiam ſemper obtineat, per. *l. El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et in omni loco ac tempore omnipotentiæ tuæ gloriam celebrare; per quod pietatis officium, in commemoratione beati Auguſtini Confeſſoris tui atque Pontificis ſacrificium tibi laudis offerimus, & magnificentiam tuam in mortificatione ipſius adoramus, tua in omnibus operante virtute, ut nullis illecebris corporis, nullis promiſſis blandimentorum fallacium, vir tuo ignitus Spiritu vinceretur; quia ita eum omne genus pietatis imbueras, ut ipſe tibi & ara & ſacrificium, & ſacerdos eſſet, & templum, per Xpm Dnm nrm.

Ad Comm.

Ut nobis, Dne, tua ſacrificia dent ſalutem, beatus Confeſſor tuus Auguſtinus, quæſumus, precator accedat, per. *El. gg.*

Dominica XV. poſt Pentecoſten. Gel.

Omnipotens ſempiterne Deus! da nobis fidei, ſpei & caritatis augmentum: & ut mereamur aſſequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis, per. *l. g. gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus! fac nos tibi ſemper & devotam gerere voluntatem, & maieſtati tuæ ſincero corde ſervire, per Dnm nrm. *g.*

Se-

(1) *Rhen.* V. Cal. *Sept.* Nat. S. AUG. *Adeſto Domine.* Ut in Miſſali *Romano*, quocum etiam hic convenit Ambroſiana *Secreta*, & *ad Commun.*

Digitized by Google

Secreta.

Propitiare, Dne, precibus populi tui, propitiare muneribus, ut hac oblatione placatus, & indulgentiam nobis tribuas, & poſtulata concedas, per. *El. gg.*

. *Præfatio.*

VD. æterne Deus! qui nos de donis bonorum temporalium ad perceptionem provehis æternorum; & hæc tribuis, & illa promittis, ut & manſuris iam incipiamus inſeri, & prætereuntibus non teneri. Tuum eſt enim, quod vivimus; quia licet peccati vulnere natura noſtra ſit vitiata, tui tamen eſt operis, ut terreni generati ad cœleſtia renaſcamur, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Sumptis, Dne, cœleſtibus ſacramentis, ad redemptionis æternæ, quæſumus, proficiamus augmentum, per. *g. gg.*

IIII. Kl. Sept.
Natl. Scæ SABINÆ. G.

Exaudi nos, Deus ſalutaris noſter, ut ſicut de ſcæ Sabinæ feſtivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu, per Dnm. *l. El.*

Alia. GG.

Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in ſexu fragili victoriam martyrii contuliſti: concede propitius, ut cuius natalitia colimus, per eius exempla ad te gradiamur, per. gg.

Secreta. G.

Gratanter, Dne, ad munera dicanda concurrimus, quæ nomini tuo pro ſolemnitate ſanctæ Martyris Sabinæ ſuppliciter immolamus, per Dnm. *l. El.*

Alia Secreta. GG.

Hoſtias tibi, Dne, beatæ Sabinæ Martyris tuæ dicatas meritis benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium, per. l. gg.

Ad Comm. G.

Purificet nos, Dne quæſumus, & divini perceptio ſacramenti, & glorioſa deprecatio ſanctæ Sabinæ, per. *El.*

Alia ad Comm. GG.

Divini muneris largitate ſatiati, quæſumus Dne Deus noſter! ut intercedente beata Sabina Martyre tua, in huius ſemper participatione vivamus, per. l. gg.

Eodem die Paſſio S. IOH. Baptiſtæ. Gel.

Sci Iohannis Baptiſtæ & Martyris tui, Dne quæſumus, veneranda feſtivitas ſalutaris auxilii nobis præſtet effectum, per. *g. El.*

Alia.

Perpetuis nos, Dne, ſci Iohannis Baptiſtæ tuere præſidiis, & quanto fragiliores ſumus, tanto magis neceſſariis attolle ſuffragiis, per. *l. g. El.*

Secreta.

Munera tibi, Dne, pro ſci Martyris Iohannis Baptiſtæ paſſione deferimus, quia dum finitur in terris, factus eſt cœleſti ſede perpetuus: quæſumus, ut eius obtentu nobis proficiant ad ſalutem, per Dnm. *g. El.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui præcurſorem Filii tui tanto munere ditaſti, ut pro veritatis præconio capite plecteretur; & qui Xpm aqua baptizaverat, ab ipſo in Spiritu baptizatus, pro eodem hodie proprio ſanguine tingeretur; præco quippe veritatis, quæ Xp9 eſt, Herodem a fraternis thalamis prohibendo carceris obſcuritate detruditur, ubi ſo-

Digitized by Google

lo Divinitatis tuæ lumine ſervaretur. Exin capite plectitur, qui plus erat quam Propheta, quia Iudæi Xpm, qui Dn9 & caput Prophetarum eſt, amiſerunt; Iohannes autem fidelis pronuntiator, implevit officium præcurſoris, ut redemptorem mundi, quem ſuperis digito demonſtraverat, etiam ad inferos pretioſa morte præcederet, Xpm Dnm nrm. *El. gg. var.*

Ad Comm.

Conferat nobis, Dne, ſci Iohannis utrumque ſolemnitas, ut magnifica ſacramenta, quæ ſumpſimus, ſignificata veneremur, & in nobis potius edita gaudeamus, per. *g. El.*

Item unde ſupra Ambroſiana.

Protegat eccleſiam tuam, Deus, oratio veneranda beatiſſimi Præcurſoris & Martyris tui Iohannis Baptiſtæ! & cui frequentiam devotionis impendit, perpetuæ poſcat redemptionis effectum, qui vivis.

Alia.

Perpetuis nos, Dne &c. *Ut ſupra. l. g. El.*

Secreta.

Auxilientur nobis, Dne, beati Præcurſoris & Martyris tui Iohannis Baptiſtæ veneranda merita paſſionis, & hæc nobis hoſtia tuæ placationis exiſtant, per.

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare; nos tibi omnipotens Dne gratias agere, teque omni tempore benedicere, & in hac præcipua feſtivitate diei laudare, in quo beatus Iohannes Baptiſta martyrii eſt coronam adeptus, quo inter natos maior nemo extitit mulierum. Nuptias prohibendo illicitas glorioſum martyrii triumphum capite truncatus obtinuit, & Dnm nrm Ihm Xpm mundi Salvatorem veniſſe corporali præſentia demonſtravit; eius quoque deſcenſionem præcurrens inferis nuntiavit; Et ideo cum angelis.

Ad Comm.

Sci Iohannis Baptiſtæ & Martyris tui, Dne quæſumus, veneranda feſtivitas, ſalutaris auxilii nobis præſtet effectum, per. *g.*

III. Kl. Sept.
Nat. S. FELICIS & ADAUCTI. G. GG.

Maieſtatem tuam, Dne, ſupplices deprecamur, ut ſicut nos iugiter Sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita ſemper ſupplicatione defendas, per. *l. El. gg.*

Secreta. G. & GG.

Hoſtias, Dne, tuæ plebis intende, & quas in honore Scorum tuorum devota mente celebrat, proficere ſibi ſentiat ad ſalutem, per. *El. gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Repleti, Dne, muneribus ſacris, quæſumus, ut intercedentibus Sanctis tuis, in gratiarum tuarum ſemper actione maneamus, per. *l. El. gg.*

Kl. Sept. Nat. S. PRISCI. Gel.

Omnipotens ſempiterne Deus, fortitudo certantium, & Martyrum palma, ſolemnitatem hodiernæ diei propitius intuere: & eccleſiam tuam continua fac celebritate lætari, & interceſſione beati Martyris Priſci, omnium in te credentium vota perficias, per. *g.*

Secreta.

Eius tibi precibus, Dne quæſumus, hæc grata reddatur oblatio, pro cuius eſt feſtivitate immolanda, per. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui ſic tribuis eccleſiam tuam Scorum commemoratione proficere, ut eam ſemper illorum & feſtivitate lætifices, & exemplo piæ converſationis exerceas, grataque tibi ſupplicatione tuearis, per Xpm. *l. gg.*

Ad Comm.

Præſta, quæſumus Dne, ut ſacramenti tui participatione vegetati, ſci quoque Martyris Priſci precibus adiuvemur, per. *g.*

Domi-

Digitized by Google

Dominica XVI. poſt Pentecoſten.

Cuſtodi, Dne quæſumus, eccleſiam tuam propitiatione perpetua: & quia ſine te labitur humana mortalitas, tuis ſemper auxiliis, & abſtrahatur a noxiis, & ad ſalutaria dirigatur, per. *g. gg.*

Alia.

Præſta nobis miſericors Deus! ut placationem tuam promptis mentibus exoremus, & peccatorum veniam conſequentes, a noxiis liberemur incurſibus, per. *g. El.*

Secreta.

Concede nobis, Dne quæſumus, ut hæc hoſtia ſalutaris, & noſtrorum fiat purgatio delictorum, & tuæ propitiatio poteſtatis, per Dnm nrm. *g. gg.*

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm; qui æternitate ſacerdotii ſui omnes tibi ſervientes ſanctificat Sacerdotes, quoniam mortali carne circumdati, ita cottidianis peccatorum remiſſionibus indigemus, ut non ſolum pro populo tuo, ſed etiam pro nobis, eiusdem te Pontificis interpellando ſanguis exoret, per quem maieſtatem. *El. gg.*

Ad Comm.

Purificent ſemper & muniant tua ſacramenta nos Deus, & ad perfectæ ducant ſalvationis effectum, per. *gg.*

VI. Id. Sept.

Nativitas Scæ MARIÆ. G.

Adiuvet nos, quæſumus Dne, ſcæ Mariæ interceſſio veneranda, cuius etiam diem, quo felix eius eſt inchoata nativitas, devotiſſime celebramus, per Dnm. *g. El.*

Alia. G.

Adeſto nobis, omnipotens Deus, beatæ Mariæ feſta repetentibus, quam hodiernæ feſtivitatis prolatam exortu, ineffabili munere ſublevaſti, per Dnm. *El.*

Alia. G. & GG.

Supplicationem ſervorum tuorum Deus miſerator exaudi! ut qui in nativitate Dei Genitricis & Virginis congregamur, eius interceſſionibus complicatis ad te (ed. *a te*) *de inſtantibus periculis eruamur, per eundem.* El. gg.

[*Ad Miſſas.* G. & GG. (1)

Famulis tuis, Dne, cœleſtis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus extitit ſalutis exordium, nativitatis eius votiva ſolemnitas pacis tribuat incrementum, per Dnm.] *El. gg.*

Secreta. G.

Accipe munera, Dne, quæ in beatæ Mariæ iterata ſolemnitate deferimus: quia ad tua præconia recurrit & laudem, quod vel talis eſt orta, vel talis aſſumpta, per Dnm.

Alia Secreta. G.

Suſcipe, Dne quæſumus, hoſtias placationis & laudis, quas tibi offerimus pro nativitate beatæ & glorioſæ ſemper Virginis Dei Genitricis Mariæ, ut ſcis eiusque interceſſionibus cunctis nobis proficiant ad ſalutem, per. *g.*

Item alia Secreta, G. & GG.

Unigeniti tui, Dne, nobis ſuccurrat humanitas, ut qui natus de Virgine matris integritatem non minuit, ſed ſacravit, in nativitatis eius ſolemniis a noſtris nos piaculis exuens, oblationem noſtram ſibi (*al.* tibi) *faciat acceptam Dnꝰ noſter Ihꝰ Xpus, qui tecum vivit.* El. gg.

Præfatio. G.

VD. æquum & ſalutare; Nos tibi in omnium Scorum tuorum provectu gratias agere,

---

(1) San-Gallenſis *Super populum.*

agere, Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus: & præcipue pro meritis beatæ Dei Genitricis, & perpetuæ Virginis Mariæ, gratia plenæ, tuam omnipotentiam laudare, benedicere, & prædicare, per eundem Xpm. *El. gg.*

Ad Comm. G.

Sumptis, Dne, ſacramentis, intercedente beata & glorioſa ſemperque Virgine Dei Genitrice Maria, ad redemptionis æternæ, quæſumus, proficiamus augmentum, per eund. *g.*

Alia ad Comm. GG.

Sumpſimus, Dne, celebritatis annua votiva ſacramenta: præſta quæſumus, ut & temporalis nobis vitæ remedia præbeant & æternæ, per Dnm. I. El. gg.

Eodem die. ADRIANI Mart. Gel. (1)

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut qui beati Adriani Martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eius interceſſionibus liberemur, per. El. gg. Secreta.

Munera, quæſumus Dne, tibi dicata ſanctifica, & intercedente beato Adriano Martyre tuo per eadem nos placatus intende, per Dnm nrm. El. gg.

Ad Comm.

Beati Adriani Martyris tui, Dne, interceſſione placatus, præſta quæſumus, ut quæ temporaliter gerimus, perpetua ſalvatione capiamus, per. El. g.

V. Id. Sept. Natl. S. GORGONII. Gel.

Sanctus Gorgonius, Dne, ſua nos interceſſione lætificet, & pia faciat ſolemnitate gaudere, per. *g.*

Secreta.

Grata ſit tibi, Dne, noſtræ ſervitutis oblatio, pro qua ſanctus Gorgonius Martyr intervenit, per. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! teque in Scorum tuorum confeſſionibus laudare, in cuius facti ſunt virtute victores; quando enim humana fragilitas vel paſſioni ſufficeret, vel hoſtis aerii nequitias vinceret? niſi tuæ firmitatis ſubſidium miniſtrares, & ſæva furentis inimici potenter arma contereres, per Xpm. *gg.*

Ad Comm.

Familiam tuam, Deus! ſuavitas illa contingat & vegetet, qua in Martyre tuo Gorgonio Xpi tui bono iugiter odore paſcatur, per Dnm. *g.*

III. Idus Sept. Natl. S. PROTI & HYACINTHI. (2) G. & GG.

Beati Proti nos, Dne, & Hyacinthi foveat pretioſa confeſſio, & pia iugiter interceſſio tueatur, per. *El. gg.*

Secreta. G. & GG.

Pro ſcorum Proti & Hyacinthi, munera tibi, Dne, commemoratione, quæ debemus, exſolvimus: præſta quæſumus, ut remedium nobis perpetuæ ſalutis operentur, per. *El. gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Percepta nos, Dne, tua Sancta purificent,

---

(1) Cum ſolo titulo: *Eodem die natalis S. Adriani*, in *Rhen.* & *San-Gall.* ſed ſine Miſſa.

(2) In omnibus tribus collectis poſt S. HYACINTHUM alia manu ſuperſcribitur FELICIS & REGULÆ, qui ex *Thebæa* legione apud *Thuregum* caſtrum hac die paſſi ſunt: paſſionis hiſtoriam B. NOTKERUS in ſuo Martyrologio deſcribit.

ficent, quod beati Proti & Hyacinthi, quæſumus, imploret oratio per. *El. gg.*

Dominica XVII. poſt Pentecoſten.
Gel.

Eccleſiam tuam, Dne, miſeratio continuata mundet & muniat: & quia ſine te non poteſt ſalva conſiſtere, tuo ſemper munere gubernetur, per. *g. gg.*

Alia.

Da, quæſumus Dne, hanc mentem populo tuo, ut qui ad te placandum neceſſitate concurrit, maieſtati tuæ fiat etiam voluntate devotus, per Dnm. *g.*

Secreta.

Tua nos, Dne, ſacramenta cuſtodiant, & contra diabolicos tueantur ſemper incurſus, per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! ut qui te auctore ſubſiſtimus, te diſpenſante dirigamur; nec noſtris ſenſibus relinquamur, ſed ad tuæ reducti ſemper tramitem veritatis, hoc ſtudeamus exercere, quod præcipis, ut poſſimus dona percipere, quæ promittis, per Xpm. *l. El. gg.*

Ad Comm.

Mentes noſtras & corpora poſſideat, Dne quæſumus, doni cœleſtis operatio: ut non noſter ſenſus in nobis, ſed iugiter eius proveniat effectus, per Dnm. *g. gg.* (1)

XVIII. Kl. Oct.
Exaltatio Scæ Crucis. G. & A.

Deus, qui nos hodierna die exaltationis ſcæ Crucis annua ſolemnitate lætificas: præſta, ut cuius myſterium in terra cognovimus, eius redemptionis præmia in cœlo conſequi mereamur, per. *g.*

Alia. G. GG. & A. (2)

Deus, qui unigeniti tui Dni nri Ihu Xpi pretioſo ſanguine humanum genus redimere dignatus es! concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam eius Crucem adveniunt, a peccatorum ſuorum nexibus liberentur, per eundem Dnm nrm. *El. gg.*

Secreta. G. & A.

Devotas, Dne, humilitatis nræ preces & hoſtias miſericordiæ tuæ præcedat auxilium: & ſalutem, quam per Adam in paradiſo ligni clauſerat temerata præſumptio, ligni rurſum fides aperiat, per. *g. El.*

Ad Comm. G. & A.

Adeſto familiæ tuæ, quæſumus clemens & miſericors Deus! ut in adverſis & proſperis preces exaudias, & nefas adverſariorum per auxilium ſcæ Crucis digneris conterere, ut portum ſalutis tuæ valeant apprehendere, per Dnm nrm Ihum Xpm. *g. El.*

Alia ad Comm. GG.

Quæſumus omnipotens Deus, ut quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non ſinas ſubiacere periculis, per Dnm nrm Ihm Xpm. l. gg.

Item alia ad Comm.

Repleti alimonia cœleſti, & ſpiritali poculo recreati, quæſumus omnipotens Deus! ut ab hoſte maligno defendas, quos per lignum ſanctæ Crucis Filii tui, etiam contra ſpiritales nequitias armare non ceſſas, per eundem Dnm nrm. *g.*

Eodem die Nat. S. CORNELII & CYPRIANI. G. & A.

Beatorum Martyrum pariterque Pontificum

(1) In Miſſali *Romano* hodie legitur: *Præveniat effectus.*

(2) Rhen. *ad Crucem ſalutandum.*

Digitized by Google

ſcum Cornelii & Cypriani nos, Domine quæſumus, feſta tueantur, & eorum commendet oratio veneranda, per. *l. g. El.*

Alia. GG.

Infirmitatem noſtram, quæſumus Dne, propitius reſpice, & mala omnia, quæ iuſte meremur, Scorum tuorum interceſſione averte, per Dnm. gg.

Alia.

Dne Deus noſter, multiplica ſuper nos gratiam tuam, & ſcorum tuorum Cornelii & Cypriani, quorum celebramus glorioſa certamina, tribue ſubſequi in ſancta profeſſione victoriam, per Dnm. *l.*

Secreta. G. & GG.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, quas in Scorum tuorum commemoratione deferimus, ut qui noſtræ iuſtitiæ fiduciam non habemus, eorum qui tibi placuerunt, meritis adiuvemur, per. l. gg.

Alia Secreta. G. & A.

Plebis tuæ, Dne, munera benignus intende, quæ maieſtati tuæ pro ſcorum Martyrum Cornelii & Cypriani ſolemnitatibus ſunt dicata, per. *l. g. El.*

Præfatio. G. & A.

VD. æterne Deus! tuamque in ſcorum tuorum Cornelii & Cypriani feſtivitate prædicare virtutem, quos diſcretis terrarum partibus greges ſacros divino pane paſcentes, una fide eademque die pari nominis tui confeſſione coronaſti, per Xpm. *l. El.*

Ad Comm. G. & A.

Sacro munere vegetatos, in ſcorum Martyrum Cornelii & Cypriani natalitia, (1) nos tibi, Dne quæſumus, eorum commendet oratio, per Dnm. *l. g.*

Alia ad Comm. GG.

Quæſumus Dne, ſalutaribus repleti myſteriis, ut quorum ſolemnia celebramus, orationibus adiuvemur, per. El. gg.

Item Miſſa propria CYPRIANI Epi & Mart.

Salutarem nobis dedit hodierna die beati Cypriani Sacerdotis & Martyris in tua, Domine, virtute confeſſio lætitiam: præſta quæſumus, ut & converſationis eius imitatione prædicanda, & interceſſione tibi placita iugiter gloriemur, per Dnm nrm.

Secreta.

Sacrificium noſtrum, Dne, ipſa tibi ſit actione placabile, cui præſenti myſterio dominicæ paſſionis, de cuius eſt germine procreata, beati Cypriani Sacerdotis & Martyris mors præclara ſubiungitur, per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! beati Cypriani natalis gloriam recurrentes (al. *recenſentes*) ut qui in conſpectu tuo clarus eſt gemma Sacerdotis & Martyris, & præſenti nos merito tibi foveat ſervientes, & ad miſericordiam ſempiternam pius interventor perducat, per Xpm. *gg.*

Ad Comm.

Satiati ſumus, Dne, muneribus ſacris, quæ tanto nobis uberius credimus profutura, quanto ſanctis hæc meritis intercedentibus Martyrum nos percepiſſe confidimus, per Dnm nrm.

XVII. Kl. Oct.

Nat. S. NICOMEDIS. G. & GG.

Ad-

---

(1) In Leon *ſacro munere vegetatos ſcorum Martyrum*, omiſſa præpoſ. *in.* ſed & ſic ſenſus obſcurus: forte hic legendum: *In Scorum ... natalitia.*

Digitized by Google

Adeſto, Dne, populo tuo, ut beati Nicomedis Martyris tui merita præclara ſuſcipiens, ad impetrandam miſericordiam tuam ſemper eius patrociniis adiuvetur, per Dnm. *El. gg.*

Secreta. G.

Interceſſio ſci Nicomedis miſericordiæ tuæ, Dne, munera nra conciliet: ut quam merita noſtra non valent, eius deprecatio nobis indulgentiam valeat obtinere, per.

Alia Secreta. GG.

Suſcipe, Dne, munera propitius oblata, quæ maieſtati tuæ beati Nicomedis Martyris commendet oratio, per Dnm. El. gg.

Ad Comm. G. & GG.

Purificent nos, Dne, ſacramenta, quæ ſumpſimus; & intercedente beato Nicomede Martyre tuo a cunctis efficiant vitiis abſolutos, per. *El. gg.*

XVI. Kl. Oct.

Natl. S. EUPHEMIÆ. G. & GG.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas: concede propitius, ut qui beatæ Euphemiæ Martyris tuæ ſolemnia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus, per. *El. gg.*

Secreta. G. & GG.

Præſta, quæſumus Dne Deus noſter! ut ſicut in tuo conſpectu mors eſt pretioſa Sanctorum, ita eorum merita venerantium accepta tibi reddatur oblatio, per. *El. gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Sanctificet nos, Dne quæſumus, tui perceptio ſacramenti; & interceſſio beatæ Martyris Euphemiæ tibi reddat acceptos, per. *l. El. gg.*

Item alia Miſſa. (1)

Concede, quæſumus omnipotens & miſericors Deus, ut beata Euphemia, quæ virginitatis pariter & martyrii promeruit palmam, interceſſionibus ſuis & præſentis vitæ remedia nobis conferat, & æternam ſalutem, per Dnm.

Alia.

Deus, qui beatæ Virgini (&) Martyri tuæ Euphemiæ pro tuo nomine dimicandi fidem & conſtantiam præbuiſti: concede nobis ſupplicantibus, ut ſicut illa horrenda vicit augmenta pœnarum, ita & nos ſæviſſimi hoſtis vitia, te auxiliante, vincere valeamus, per Dnm.

Secreta.

Munera, quæſumus Dne, quæ in beatæ Euphemiæ celebritate deferimus, ita gratiæ tuæ efficiantur accepta, ſicut eius tibi placitum extitit paſſionis certamen, per.

Præfatio

VD Per X. D. N. per quem Virgo alma triumphatrix Euphemia, virginitatis retinens mitram, paſſionis meruit veſtiri corona. Cuius precibus inimicus hoſtis evincitur, priſcus adverſarius ſuperatur, a fornacis igne virgo ſoſpes eripitur, duri lapides in pulverem convertuntur, feræ manſueſcunt, collaque ſubmittunt, atque omnia pœnarum ſupplicia eius oratione ſuperantur; noviſſime gladii mucrone confoſſa, carnea relinquens clauſtra cœleſti choro iungitur læta. Hæc ſacra Virgo tibi, Dne, eccleſiam tuam commendet; hæc pro nobis peccatoribus interpellet; hæc etiam vota noſtra, ut virgo vernula, illibata tibi præſentet, per eundem Xpm.

Ad Comm.

Sanctificet nos, Dne quæſumus, tui perceptio. *Ut ſupra.*

Eodem die Natl. S. LUCIÆ & GEMINIANI. G.

Infirmitatem noſtram, quæſumus Dne, propitius reſpice: & mala omnia, quæ iuſte meremur, ſanctorum tuorum Luciæ & Geminiani interceſſione averte, per. *gg.*

Alia.

(1) Miſſa hæc, etſi titulum non præferat, videtur tamen *Ambroſiana.*

Digitized by Google

Alia. GG.

Præſta, Dne, precibus noſtris cum exultatione provectum (*ed.* proventum) *ut quorum diem paſſionis annua devotione recolimus, etiam fidei conſtantiam ſubſequamur, per.* El. gg.

Secreta. G. & GG.

Vota populi tui, Dne, propitius intende, & quorum nos tribuis ſolemnia celebrare, fac gaudere ſuffragiis, per Dnm nrm. *l. El. gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Exaudi, Dne, preces noſtras, & Scorum tuorum, quorum feſta ſolemniter colimus, continuis foveamur auxiliis, per Dnm. *El. gg.*

Die Dom. Ad S. PETRUM. G. & GG. (1)

Abſolve, quæſumus Dne, tuorum delicta populorum: & a peccatorum noſtrorum nexibus, quæ pro noſtra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur, per. *El. gg. Vat.*

Alia. G.

Quæſumus, omnipotens Deus, preces nras reſpice, & tuæ ſuper nos viſcera pietatis impende: ut qui ex nra culpa affligimur, tua pietate miſericorditer liberemur, per Dnm.

Secreta. G. & GG.

Pro noſtræ ſervitutis augmento ſacrificium tibi, Dne, laudis offerimus: ut quod immeritis contuliſti, propitius exſequaris, per Dnm. *gg. Vat.* (2)

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! quia cum laude nra non indigeas, grata tibi tamen eſt tuorum devotio famulorum; nec te augent nra præconia, ſed nobis proficiunt ad ſalutem; quoniam ſicut fontem vitæ præterire cauſa moriendi eſt, ſic eodem iugiter redundare, effectus eſt ſine fine vivendi, per Xpum. *l. El. gg.*

Ad Comm. G. & GG.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut quos divina tribuis participatione gaudere, humanis non ſinas ſubiacere periculis, per. *l. gg. Vat.*

Feria IIII.

Ad Scam MARIAM. G. & GG.

Miſericordiæ tuæ remediis, quæſumus Dne, fragilitas nra ſubſiſtat: ut quæ ſua conditione atteritur, tua clementia reparetur, per Dnm. *l. El. gg.*

Alia. G. & GG.

Præſta, quæſumus Dne, familiæ ſupplicanti, ut dum a cibis corporalibus ſe abſtinent, a vitiis mente ieiunent, per. *El. g. gg.*

Secreta. G.

Deus, qui de his terræ fructibus tua ſacramenta conſtare voluiſti: præſta quæſumus, ut opem nobis & præſentis vitæ conferant, & futuræ, per Dnm. *g.*

Secreta alia. GG.

Hæc hoſtia, Dne quæſumus, emundet noſtra delicta, & (ed. *ad*) *ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora menteſque ſanctificet, per Dnm.* gg.

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! qui nos ideo collectis terræ fructibus per abſtinentiam tibi gratias agere voluiſti, ut ex ipſo devotionis genere noſceremus, non hæc ad exuberantiam corporalem, ſed ad fragilitatis

---

(1) Rhen. *Orationes menſis ſeptimi. Die Dominica ad S. Petrum. Hebd. XVIII. poſt Pent.* Sic pariter in *Elig.* Hæc porro Miſſa in Miſſali *Rom.* habetur Dom. XXIII. poſt Pent. & apud MURATORIUM omnino omiſſa.

(2) Elig. *Sacrificium tibi laudis offerentes quæſumus Domine, ut quod &c.*

Digitized by Google

tatis nos ſufficientiam percepiſſe; & quod ex his parcius ſumeremus, egentium proficeret alimentis; & ut ſalutaris caſtigatio mortalitatis inſolentiam mitigaret, & pietas largitores nos tuæ benignitatis efficeret, ſicque donis temporalibus uteremur, ut diſceremus inhiare perpetuis, per Xpm. Dnm. *l. El. gg.*

Ad Comm.

Sumentes, Dne, dona cœleſtia ſuppliciter deprecamur: ut quæ ſedula ſervitute, donante te, gerimus, dignis ſenſibus tuo munere capiamus, per Dnm. *El. gg.*

Feria VI. ad Apoſtolos.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut obſervationes ſacras annua devotione recolentes, & corpore tibi placeamus & mente, per Dnm. *El. gg.*

Secreta.

Accepta tibi ſint, Dne quæſumus, noſtri dona ieiunii: quæ & expiando nos tua gratia dignos efficiant, & ad ſempiterna promiſſa perducant, per. *l. El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui iuſto pioque moderamine, & pro peccatis flagella irrogas, & poſt flagella veniam propitiatus condonas, & peccatorum vitam potius volens quam mortem, non eos ad interitum condemnas, ſed ut corrigantur, miſeratus expectas, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora ſumamus, per Dnm. *El. gg.*

Sabbato in XII. Lect. ad S. PETRUM.

Tribue, quæſumus Dne, fidelibus tuis, ut & ieiunio menſis ſeptimi convenienter aptentur, & ſuſcepta ſolemniter caſtigatio corporalis ad fructum cunctarum tranſeat animarum, per Dnm. *l. g. El.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per continentiam ſalutarem & corporibus mederis & mentibus: maieſtatem tuam ſupplices exoramus, ut pia ieiunantium deprecatione placatus, & præſentia nobis ſubſidia præbeas & futura, per Dnm. El. gg.

Alia.

Da nobis, quæſumus omnipotens Deus, ut ieiunando tua gratia ſatiemur; & abſtinendo cunctis efficiamur hoſtibus fortiores, per. *l. El. gg.*

Alia.

Deus humanæ ſalutis operator! da nobis exercere ieiunia congruenter, quibus nræ ſubſtantiæ ſempiterna remedia providiſti, per. *g.*

Alia.

Tuere, quæſumus Dne, familiam tuam; ut ſalutis æternæ remedia, quæ te aſpirante requirimus, te largiente conſequamur, per Dnm. El. gg.

[*Alia.*

Omnipotentiam tuam, Dne, prompta mente laudantes, ieiunia tibi ſacrata deferimus; ut dum grati de perceptis exiſtimus, efficiamur de percipiendis fructibus gratiores, per Dnm.] *g.*

Alia.

Præſta, quæſumus Dne, ſic nos ab epulis abſtinere carnalibus, ut a vitiis irruentibus pariter ieiunemus, per. gg.

Alia.

Ut nos, Dne, tribuis ſolemne tibi deferre ieiunium; ſic nobis, quæſumus, indulgentiæ præſta ſubſidium, per. *El. gg.*

Poſt Benedictionem.

Deus, cuius adoranda potentia maie-

ſtatis flammæ ſævientis incendium ſanctis tribus pueris in ſplendore demutatum eſt animarum: eccleſiæ tuæ ſimilibus adeſto remediis, ut de gravioribus mundi huius adverſitatibus propitiatione cœleſti populus tuus ereptus exultet, per Dnm.

Ad Miſſam.

Deus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, per Dnm. g. El. gg.

Secreta.

Hæc hoſtia, Dne quæſumus, & vincula noſtræ iniquitatis abſolvat, & tuæ nobis miſericordiæ dona conciliet, per. *g. El.*

Alia Secreta.

Concede, quæſumus omnipotens Deus! ut oculis tuæ maieſtatis munus oblatum, & gratiam nobis devotionis obtineat, & effectum beatæ perennitatis acquirat, per. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et tibi ſanctificare ieiunium, quod nos ob ædificationem animarum, & caſtigationem corporum ſervare docuiſti; quia reſtrictis corporibus animæ ſaginantur, & in quo homo noſter affligitur exterior, dilatatur interior. Memento, quæſumus Dne, ieiuniorum noſtrorum, & miſericordiarum tuarum, quas peccatoribus pie ſemper ieiunantibus contuliſti, & præſta, ut non ſolum a cibis, ſed a peccatis omnibus abſtinentes, devotionis ieiunio placeamus, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Perficiant in nobis, Dne quæſumus, tua ſacramenta, quod continent; ut quæ nunc ſpecie gerim9, rerum veritate capiamus, per Dnm. *g. El. gg.*

Super populum.

Suſcipe, Dne, preces populi ſupplicantis, & noſtri vota ieiunii ſalutaris tui perfice ſacramentum, per. *g.*

Dominica vacat. (1)

Omnipotens ſempiterne Deus, miſericordiam tuam oſtende ſupplicibus; ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non iudicium tuum, ſed indulgentiam ſentiamus, per. *gg. El.*

Alia.

Tuere, quæſumus Dne, familiam tuam. *Require ſupra.*

Secreta.

Huius te, Dne, muneris oblatione placemus, & perpetuæ vitæ participes huius operatione reddamur, per. *g. El.*

Alia Secreta.

Sacrificiis præſentibus, Dne quæſumus, intende placatus, ut & devotioni nræ proficiant & ſaluti, per. l. gg.

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm; qui vicit diabolum, paradiſum reſtituit, & vitæ ianuas patefecit; & ideo. *El. gg.*

Ad Comm.

Cœleſtis menſæ, quæſumus Dne, ſacroſancta libatio corda noſtra paſcat ſemper & purget, per Dnm nrm. *g. El.*

Alia ad Comm.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut illius ſalutaris capiamus effectum, cuius per hæc myſteria pignus accepimus, per Dnm. gg.

XIIII. Kl. Oct. Depoſ. S. EUSTORGII.

Ambroſ.

Beati Sacerdotis & Confeſſoris tui Euſtorgii nos, quæſumus Dne, foveat pretioſa confeſſio, & pia iugiter interceſſio tueatur, per Dnm. *El. gg.*

Secreta.

Vota populi tui, Dne, propitius intende, & cuius nos tribuis ſolemnia celebrare, fac gaudere ſuffragiis, per. *l.*

Alia.

(1) In Flig. inſcribitur *hebdomada XIX. poſt Pentecoſten.* Deficit vero omnino tam apud MURATORIUM, quam in Miſſali *Romano.*

Alia Secreta.

Pro ſci Confeſſoris tui Euſtorgii commemoratio-ne munera tibi, Dne, quæ debemus, exſolvimus: & (& omiſſ.) præſta, quæſumus, ut remedium nobis perpetuæ ſalutis operentur, per D. *El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quando tibi ſufficienter, Dne, referre gratias valeamus, qui ideo nos ſolemnitatibus Martyrum atque Confeſſorum frequenter exerces, ut & devotione continua fideles tuos incites ad profectum, & fragilitatem noſtram piis interceſſoribus benignus attollis (leg. *attollas*); & quæ propriis non meremur operibus, tibi placitis ſuffragatoribus impetremus: inter quos debitæ pietatis obſequium ſco Sacerdoti & Confeſſori tuo Euſtorgio exhibentes, potentiam tuam, Dne, cuius gratia talis extitit, prædicamus, atque per eum nobis indulgentiam credimus non negandam, per X. D. N.

Ad Comm.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut hodiernæ munus ſolemnitatis acceptum, & corporibus noſtris ſalutem præſtet, & mentibus, per Dnm.

XII. Kl. Oct.

Vigl. S. MATTHÆI Apli. Gelaſ. (1)

Da nobis, omnipotens Deus, ut beati Matthæi Apli tui & Evangeliſtæ, quam prævenimus, veneranda ſolemnitas, & devotionem nobis augeat & ſalutem, per. *l. gg.*

Secreta.

Apoſtolicæ reverentiæ culmen offerimus ſacris myſteriis imbuendum: præſta, Dne quæſumus, ut beati Matthæi Evangeliſtæ ſuffragiis, cuius natalitia præimus, hic plebs tua ſemper & ſua vota depromat, & deſiderata percipiat, per. *g. gg.* (2)

Ad Comm.

Beati Matthæi Evangeliſtæ, quæſumus Dne, ſupplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia ſempiterna concede, per Dnm. *gg. El.*

XI. Kal. Oct. Natl. S. MATTHÆI. Gel.

Beati Evangeliſtæ Matthæi, Dne, precibus adiuvemur: ut quod poſſibilitas nra non obtinet, eius nobis interceſſione donetur, per Dnm. *l. El. gg.*

Secreta.

Supplicationibus apoſtolicis beati Matthæi, Dne, Evangeliſtæ, quæſumus, eccleſiæ tuæ commendetur oblatio, cuius magnificis prædicationibus eruditur, per. *l. El. gg.* *Præfatio.*

VD. æterne Deus! qui eccleſiam tuam in tuis fidelibus ubique pollentem apoſtolicis facis conſtare doctrinis: præſta, quæſumus, ut per quos initium divinæ cognitionis accepit, per eos uſque in finem ſæculi capiat regni cœleſtis augmentum, per Xpm. *l. El. gg.*

Ad Comm.

Perceptis, Domine, ſacramentis beato Matthæo Apoſtolo tuo & Evangeliſta interveniente deprecamur, ut quæ pro eius celebrata ſunt gloria, nobis proficiant ad medelam, per Dnm. *l. El. gg.*

Aliæ Orationes.

Sit, Dne, beatus Matthæus Evangeliſta noſtræ fragilitatis adiutor: ut pro nobis tibi ſupplicans, copioſius audiatur, per Dnm. *Alia.*

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut qui iugiter apoſtolica defenſione munimur, nec ſuccumbamus vitiis, nec opprimamur adverſis, per Dnm *El.*

(1) Deeſt hæc vigilia & ipſum feſtum in editis, *Gelaſiano*, *San-Gall.* & *Rhenaug.* *Gregorianis.*

(2) El. cum Miſſali Romano: *Apoſtolici reverentia culminis offerentes tibi ſacra myſteria, Domine quæſumus: ut beati &c.* in aliis eſt: *Apoſtolicæ reverentiæ cultum offerimus &c.*

X. Kal. Oct. Natl. S. MAURITII & Commilitonum eius.

Ambroſ. (1)

Annue, quæſumus clementiſſime Deus, orationibus populi tui, ut quos in celebritate beatiſſimorum Martyrum tuorum Mauritii vel eius Commilitonum adeſſe feciſti, eorum propitiatus precibus, æterna perfrui beatitudine concedas, per D.

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens & miſericors Deus! ut ſicut Legio ſancta pro tui nominis confeſſione meruit victoriæ palmam; ita & nos ſupplices eorum feſta devotis mentibus celebrantes, participes gaudiorum effici mereamur, per.

Secreta.

Munera, quæſumus Dne, quæ in beati Mauritii vel eius Commilitonum feſtis deferimus, ita ſint tibi ſemper accepta, ſicut eius effuſio ſanguinis in conſpectu gloriæ tuæ facta eſt pretioſa, per D.

Præfatio.

VD. æterne Deus! cui caterva fidelium divino luſtrata lumine, ab extremis terræ finibus veniens, fideliter ſupplicavit; & tamen corporeis bellatorum Legio mucronibus circumſepta, quamquam ſpiritalibus etiam armis vallata, ad martyrium vigili conſtantia properavit; quos peſtifer tyrannus, ut eos metu perterreret, bis ad internecionem ſupplicii gladio decimavit; atque poſtmodum conſtanter eos perdurantes in fide, univerſos pariter capite plecti præcepit. Sed hi tanto caritatis ardore fervebant, ut eiectis armis flexo poplite paſſim geniculantes ſpiculatorum tela hilari corde ſuſciperent. Inter quos beatus Mauritius tuæ fidei amore ſuccenſus, decertando martyrii eſt coronam adeptus, per Xpm.

Ad Comm.

Pietati tuæ, Dne, gratias humili ſervitute dependimus, quoniam beatiſſimorum Martyrum tuorum Mauritii, vel eius commilitonum, ſicut confidimus, precibus exoratus, deſideratum contuliſti nobis huius percepti ſacramenti effectum: quo & tuos fideles tua dona facias fideliter expoſcere, & poſcentibus affluenter impendas, per Dnm.

VIII. Kl. Oct. Natl. S. THECLÆ.

Ambroſ.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas: concede propitius, ut qui beatæ Theclæ Martyris tuæ ſolemnia colimus, eius apud te patrocinia ſentiamus, per Dnm. *gg.*

Alia.

Exaudi nos, Deus ſalutaris noſter! ut ſicut de ſcæ Theclæ feſtivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu, qui vivis. *l. gg.*

Secreta.

Gratanter, Dne, ad munera dicanda concurrimus, quæ nomini tuo pro ſolemnitate ſanctæ Martyris tuæ Theclæ ſuppliciter immolamus, per Dnm. *l.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et huius diei celebritate præcipua tuarum lætanter virtutum intonare præconia. Adeſt namque Thecla celeberrima Virgo, quæ Apoſtoli tui Pauli imbuta doctrinis, mundanas viriliter ſuperavit illecebras, & virginalem clypeum arripiens, glorioſis virginibus exemplum prima contulit martyrii, & principalis conſtantiæ. Immiſſa denique flammarum rogis furentibus inclita Virgo, igni non eſt attacta corporeo, quia Filii tui amore ſuccenſa, genuina carnis ſuperavit incendia. Dehinc feris obiecta rapacibus, lædi nihilominus te protegente non valuit, quia ferales animos mitiſſima ſubegit ovicula; ob hoc & principatu martyrii, & virginitatis triumpho ſublimis, choris circumcincta virgineis, Agni ſequitur immaculati veſtigia, quem laudant.

Ad Comm.

Libantes, Dne, menſæ tuæ divina myſteria, quæſumus, ut ſcæ Theclæ Martyris tuæ interveniéntibus meritis temporalem nobis miſericordiam conferant, & æternam, per. *l. g.*

V. Kl. Oct.
Nat. SS. COSMÆ & DAMIANI. G.

Magnificet te, Dne, ſcorum tuorum Coſmæ & Damiani beata ſolemnitas, qua & illis gloriam ſempiternam, & opem nobis ineffabili providentia contuliſti, per. *g. gg.*

Alia. GG.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut qui ſcorum tuorum Coſmæ & Damiani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum interceſſionibus liberemur, per. gg.

Secreta. G.

In tuorum, Dne, pretioſa morte Scorum

(1) In *Solodorenſi* ſacramentario. In Miſſali *Gothico* apud MURATORIUM de his SS. legitur alia Miſſa.

rum ſacrificium illud offerimus, de quo martyrum (l. *martyrium*) ſumpſit omne principium, per Dnm. *g. gg.*

Alia. GG.

Scorum tuorum nobis, Dne, pia non deſit oratio; quæ & munera nra conciliet, & tuam nobis indulgentiam ſemper obtineat, per. l. gg.

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! Clementiam tuam ſuppliciter obſecrantes, ut cum exultantibus Sanctis in cœleſtis regni cubilibus gaudia noſtra ſubiungas; & quos virtutis imitatione non poſſumus ſequi, debitæ venerationis contingamus affectu, per Xpm. *gg.*

Ad Comm. G.

Sit nobis, Dne, ſacramenti tui certa ſalvatio, quæ cum beatorum Martyrum tuorum Coſmæ & Damiani meritis imploramus (l. *imploratur*) per Dnm. *g. El. gg. Vid. Fer.* 5. *hebdom. IIII. Quadrag.*

Alia ad Comm. GG.

Protegat, Domine quæſumus, populum tuum, & participatio cœleſtis indulta convivii, & deprecatio collata Sanctorum, per. l. gg.

III. Kl. Oct.

Dedic. Baſil. S. MICHAELIS. G. & GG.

Deus, qui miro ordine Angelorum miniſteria hominumque diſpenſas: concede propitius, ut (ed. *a*) quibus tibi miniſtrantibus in cœlo ſemper aſſiſtitur, ab his in terra noſtra vita muniatur, per Dnm. *El. gg.*

Alia. In Vig. G.

Da nobis, omnipotens Deus, beati Archangeli Michaelis eatenus honore proficere, ut cuius in terris gloriam prædicamus, eius precibus adiuvemur in cœlis, per. *g.*

Secreta. G. & GG.

Hoſtias tibi, Dne, laudis offerimus, ſuppliciter deprecantes, ut easdem angelico pro nobis interveniente ſuffragio & placatus accipias, & ad ſalutem noſtram provenire concedas, per Dnm. *l. El. gg.*

Alia Secreta. In Vig. G. & A.

Munus populi tui, Dne quæſumus, dignanter aſſume, quod non noſtris meritis, ſed ſcſ Archangeli tui Michaelis deprecatione ſit gratum, per Dnm. *l. g.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! ſci Michaelis Archangeli merita prædicantes; quamvis enim nobis ſit omnis angelica veneranda ſublimitas, quæ in maieſtatis tuæ conſiſtit conſpectu, illa tamen eſt propenſius honoranda, quæ in eius ordinis dignitate cœleſtis militiæ meruit principatum, per Xpm. vel & ideo. *El. gg.*

Ad Comm. G. & GG. & A.

Beati Archangeli tui Michaelis interceſſione ſuffulti, ſupplices te, Dne, deprecamur: ut quos honore proſequimur, contingamus & mente, per. *l. g. El. gg.*

Super populum. In Vig.

Adeſto plebi tuæ, miſericors Deus! & ut gratiæ tuæ beneficia potiora percipiat, beati Michaelis Archangeli fac ſupplicem deprecationibus ſublevari, per. *g. El.*

Alia.

Perpetuum nobis, Dne, tuæ miſerationis præſta ſubſidium, quibus & angelica præſtitiſti ſuffragia non deeſſe, per Dnm. *g.*

Unde ſupra Miſſa Ambroſ.

Da nobis, omnipotens Deus! beati Archangeli Michaelis

Digitized by Google

Michaelis honore ad ſumma proficere: ut cuius in terris gloriam prædicamus, eius quoque precibus adiuvemur in cœlis, per Dnm.

Alia.

Deus, qui miro ordine Angelorum miniſteria hominumque diſpenſas: concede propitius, ut qui tibi miniſtrantes in cœlo ſemper aſſiſtunt, ab his in terris nra vita muniatur, per Dnm. *l. g. gg.* *Supra.*

Secreta.

Munus populi tui, quæſumus Dne. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Te laudabilem in Sanctis, te mirabilem in tuis Angelis prædicare: quod templum hoc in ſcis uſibus præparatum, in beati Archangeli tui Michaelis commemoratione lætatur; qui tuæ maieſtatis ſemper excubiis eſt propinquus, qui inter cœleſtis militiæ ſecretum ſummus obtinet principatum: quem ſupplices per tui nominis reverentiam poſtulamus, ut fragilitati noſtræ magnificus ſuffragator accedat, cum quo maieſtatem tuam laudant Angeli.

Ad Comm.

Beati Archangeli tui Michaelis. *Ut ſupra.*

Dominica XX. Poſt Pentecoſten. *Gelaſ.* (1)

Fac nos tibi, Dne quæſumus, prompta voluntate ſubiectos, & ad ſupplicandum maieſtati tuæ noſtras ſemper excita voluntates, per D. N. *g. El.*

Alia.

Tua nos, Dne quæſumus, gratia ſemper & præveniat & ſequatur: ac bonis operibus iugiter præſtet eſſe intentos, per. *gg.*

Secreta.

Munda nos, Dne, ſacrificii præſentis effectu, & perfice miſeratus in nobis; ut eius mereamur eſſe participes, per. *g. El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Precantes, ut Ih9 Xp9 Fili9 tuus Dn9 noſter ſua nos gratia protegat & conſervet; & quia ſine ipſo nihil recti valemus efficere, ipſius ſemper munere capiamus, ut tibi placere poſſimus, per eundem Xpm. *El.*

Ad Comm.

Purifica, Dne quæſumus, mentes nras benignus, & renova cœleſtibus ſacramentis: ut conſequenter & corporum præſens pariter, & futurum capiamus auxilium, per D. *g. El. gg.* (2) *Non.*

(1) Cum duæ præcedentes Dominicæ hic pro XVIII. & XIX. cum *Elig.* numerentur, deſint autem in Miſſali *Romano*, & apud MURATORIUM, nova variatio in numero Dominicarum oritur, unde quæ eſt hic Dom. XX. in Miſſali eſt XVI. & apud MURAT. XVII. & ſic deinceps. Vid. ſupra pag. 146. nota 3.

(2) Feſtum S. LEUDEGARII ſive LEODEGARII ex antiquiſſimo ſacramentario *Rhenaug.* ſupplemus.

VI. Non. Oct. Natal. S. LEUDEGARII.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui vitam beati Lendegarii Martyris tui atque Pontificis per iſtius ſæculi ærumnas tranſire iuſſiſti, cuius annua devotione feſta celebramus: quæſumus, ut per eius interceſſionem plebi tuæ clementiam (*) famulantem ita in præſenti foveas, ut ad cœleſtia regna perducas. Per Dnm.

Deus, qui beatum Leudegarium Martyrem tuum in agone probaſti, & probatum in dolore ſuſtentaſti, quem hodierna die in cœleſtibus gaudiis recipere dignatus es: (*) ut qui gloriam non meremur, indulgentiam, ipſo interveniente, peccatorum adipiſci mereamur. Per.

Secreta.

Sacrificia tibi, Domine, veneranda probati (*pro beati*) Martyris tui Leudegarii paſſione ſuppliciter immolamus, ut eius oratione placeant, pro cuius meritis offeruntur: præſta, quæſumus, ut ſicut eius tibi grata (ſunt) merita, ſic noſtræ ſervitutis accepta reddantur officia. Per.

Poſtcomm.

Cœleſti munere ſatiati, quæſumus Domine Deus noſter, ut hæc nos dona ſancti Martyris tui Leudegarii deprecatione ſanctificent. Per Dnm.

Profit nobis ſancti Lendegarii Martyris tui atque Pontificis multiplicata devotio, ut ſumentes divina myſteria pro eius commemoratione celebrata, capiamus & æternæ ſimul incrementa lætitiæ. Per.

(*) In Miſſali *Gothico* apud MURATORIUM, ubi duæ priores orationes de S. LEODEGARIO pariter habentur, melius legitur *clementiæ* pro *plebi* autem utrobique legendum videtur *plebem*, ſc. *tuæ clementiæ famulantem &c.* In ſequenti quoque oratione cit. Miſſale poſt *dignatus es*, hæc ſupplet: *præſta nobis famulis tuis, ut &c.*

Digitized by Google

Non. Oct. Natl. S. MARCI Papæ. G. & GG.

Exaudi, Dne, preces noſtras: & interveniente beato Marco Confeſſore tuo atque Pontifice, ſupplicationes noſtras placatus intende, per. *El. gg.*

Secreta. G.

Benedictio tua, Dne, larga deſcendat, quæ & munera noſtra, deprecante ſco Marco Confeſſore tuo atque Pontifice, tibi reddat accepta, & nobis ſacramentum redemptionis efficiat, per Dnm. *El. gg.*

Alia Secreta. GG.

Accepta tibi ſit, Dne, ſacra plebis oblatio pro tuorum honore Sanctorum: quorum ſe meritis percepiſſe de tribulatione cognoſcit auxilium, per. l. gg.

Ad Comm. G. & GG.

Da, quæſumus Dne, fidelibus populis Scorum tuorum ſemper veneratione lætari; & eorum perpetua ſupplicatione muniri, per Dnm nrm Ihm Xpm. *El. gg.*

[*Eodem die Nat. S. MARCELLI & APULEII. Gel.*

Scorum nos, Dne, Marcelli & Apuleii beata merita proſequantur, & tuo ſemper faciant amore ferventes, per Dnm. *g. gg.*

Secreta.

Maieſtatem tuam nobis, Dne quæſumus, hæc hoſtia reddat immolanda placatam, tuorum digna poſtulatione Scorum, per Dnm. *g. gg.*

Ad Comm.

Sacramentis, Dne, muniamur acceptis, & ſcorum tuorum Marcelli & Apuleii meritis intervenientibus, contra omnes nequitias irruentes armis cœleſtibus protegamur, per.] *g. gg.*

Dominica XXI. poſt Pentecoſten.

Da, quæſumus Dne, populo tuo diabolica vitare contagia, & te ſolum Deum puro corde (al. *pura mente*) ſectari, per. *g. gg.*

Alia.

Cuſtodi nos, omnipotens Deus, ut tua dextera gubernante, nec noſtra nobis prævaleant nec aliena peccata, per. *g.*

Secreta.

Maieſtatem tuam, Dne, ſuppliciter deprecamur: ut hæc ſancta, quæ gerimus, & (ed. *a*) præteritis nos delictis exuant, & futuris, per Dnm. *g. El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et ſuppliciter exorare, ut ſic bonis inſtruas ſempiternis, ut temporalibus conſoleris; ſic præſentibus refoveas, ut ad gaudia nos manſura perducas, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Sanctificationibus tuis, omnipotens Deus, & vitia noſtra curentur, & remedia nobis æterna proveniant, per. *gg.*

II. Id. Oct. Nat. S. CALLISTI Papæ. G. & GG.

Deus, qui nos conſpicis ex nra infirmitate deficere, ad amorem tuum nos miſericorditer per Scorum tuorum exempla reſtaura, per. *El. gg.*

Secreta. G. & GG.

Myſtica nobis, Dne, proſit oblatio, quæ nos & a reatibus nris expediat, & perpetua ſalvatione confirmet, per. *El. gg.*

Digitized by Google

Ad Comm. G. & GG.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut & reatum nrm munera ſacrata purificent, & recte vivendi nobis operentur effectum, per. *El. gg.*

Dominica XXII. poſt Pentecoſten.

Dirigat corda nra, Dne quæſumus, tuæ miſerationis operatio; quia tibi ſine te placere non poſſumus, per. *g. El. gg.*

Alia.

Tuis, Dne quæſumus, adeſto ſupplicibus: & inter mundanæ pravitatis inſidias, fragilitatem noſtram ſempiterna pietate proſequere, per Dnm. *g.*

Secreta.

Deus, qui nos per huius ſacrificii veneranda commercia unius ſummæque Divinitatis participes efficis: præſta quæſumus, ut ſicut tuam cognoſcimus veritatem, ſic eam dignis mentibus & moribus aſſequamur, per. *g. El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui propterea iure punis errantes, & clementer refoves caſtigatos, ut nos a malis operibus abſtrahas, & ad bona facienda convertas; quia non vis invenire, quod damnes, ſed eſſe potius quod corones. Qui cum pro noſtris meritis iugiter mereamur affligi, tu tamen iudicium ad correctionem temperas, non perpetuam exerces ad pœnam: iuſte enim corripis, & clementer ignoſcis, in utroque verax, in utroque miſericors: quia nos ea lege diſponis, ut coercendo in æternum perire non ſinas, & parcendo ſpatium tribuas corrigendi; quique ideo malis præſentibus nos flagellas, ut ad bona futura perducas; ideo bonis temporalibus conſolaris, ut de ſempiternis facias certiores, quo te & in proſperis, & in adverſis pia ſemper confeſſione laudemus, per Xpm. *El. gg.*

Ad Comm.

Gratias tibi referimus, Dne, ſacro munere vegetati, tuam miſericordiam deprecantes; ut dignos nos eius participatione perficias, per Dnm. *g. El. gg.*

Idus Oct. Vigil. Sci GALLI Confeſſoris Xpi.

Sancti Galli Confeſſoris tui, Dne, ſupplicationibus tribue nos foveri: ut cuius venerabilem ſolemnitatem prævenimus obſequio, eius intercesſionibus commendemur & meritis, per. *l.*

Secreta.

Munera populi tui, Dne, propitiatus intende: & beati Galli Confeſſoris tui, cuius nos tribuis præire ſolemnia, fac gaudere ſuffragiis, per. *g.*

Ad Comm.

Adiuvent nos, quæſumus Dne, hæc myſteria ſca, quæ ſumpſimus: & beati Galli Confeſſoris tui, cuius ſolemnitatem præimus, interceſſio veneranda, per. *g.*

Ad Veſp.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut ſicut beati Galli Confeſſoris tui glorioſa natalitia prævenimus; ſic ad tua beneficia promerenda maieſtatem tuam pro nobis ipſe præveniat, per Dnm. *g. El. gg.*

Alia.

Deus, qui nos beati Galli Confeſſoris tui natalitia glorioſa præire concedis: tribue, quæſumus, eius nos ſemper beneficiis præveniri, & orationibus adiuvari, per. *g. El.*

Alia.

Deus, qui nos beati Galli Confeſſoris tui confeſſione glorioſa circumdas & protegis: præſta nobis eius imitatione proficere, & oratione fulciri, per. *gg.*

XVII. Kl. Nov.

Depoſitio Beati GALLI Confeſſoris.

Deus, qui nos beati Galli Confeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cuius natalitia colimus, etiam actiones imitemur, per. *g g.*

Secreta.

Digitized by Google

Secreta.

Hoſtias, Dne, quas nomini tuo ſacrandas offerimus, ſci Galli Confeſſoris tui proſequatur oratio, per quam nos expiari tribuis & defendi, per Dnm nrm. *l. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et in hac die, quam tranſitu beato ſci Confeſſoris tui Galli conſecraſti: quæſumus ergo clementiam tuam, ut des nobis illam ſequi doctrinam, quam ille & verbo docuit, & opere complevit; quatenus nos adiuvari apud miſericordiam tuam & exemplis eius ſentiamus & meritis, per Xpm.

Ad Comm.

Beati Galli Confeſſoris tui, cuius hodie feſtivitate corpore & ſanguine tuo nos refeciſti, quæſumus Dne, interceſſione nos adiuva, pro cuius ſolemnitate percepimus tua ſca lætantes, qui cum Patre & Spiritu ſco vivis & regnas Deus. *El.*

Aliæ Orationes.

Exaudi, Dne quæſumus, preces nras, & interveniente beato Gallo Confeſſore tuo ſupplicationes nras placatus intende, per Dnm nrm. *gg.*

Alia.

Lætetur eccleſia tua, Deus, beati Galli Confeſſoris tui confiſa ſuffragiis: atque eius precibus glorioſis & devota permaneat, & ſecura conſiſtat, per. *g. gg.*

Alia.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus nris, ut qui ex iniquitate nra reos nos eſſe cognoſcimus, beati Galli Confeſſoris tui interceſſione liberemur, per. *gg.*

Alia.

Deus, qui nos annua beati Galli Confeſſoris tui ſolemnitate lætificas: da, quæſumus, ut quem veneramur officio, etiam piæ converſationis ſequamur exemplo, per. *l. gg.*

Alia.

Exaudi, Dne, preces nras, quas in ſci Confeſſoris tui Galli ſolemnitate deferimus: & eius, qui tibi digne meruit famulari, intercedentibus meritis ab omnibus nos abſolve peccatis, per. *gg.*

Alia.

Adeſto, Dne, precibus nris, quas in ſci Confeſſoris tui Galli commemoratione deferimus: ut qui noſtræ iuſtitiæ fiduciam non habemus, eius, qui tibi placuit, precibus adiuvemur, per. *l. gg.*

Alia.

Sci Confeſſoris tui Galli nos, Dne, ſupplicationibus tribue foveri; ut cuius venerabilem ſolemnitatem obſequiis celebramus, eius interceſſionibus & meritis commendemur, per Dnm. *l. ſupra.*

XI. Kl. Nov.

Nat. S. LUCÆ Evangl.

Interveniat pro nobis, Dne quæſumus, ſc9 tuus Lucas Evangeliſta, qui crucis mortificationem iugiter in ſuo corpore pro tui nominis honore portavit, per. *gg.*

Secreta.

Donis cœleſtibus da, quæſumus Dne, libera nos mente ſervire: ut munera, quæ deferimus, interveniente Evangeliſta tuo Luca & medelam nobis operentur, & gloriam, per Dnm nrm. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et te in Scorum tuorum meritis glorioſis collaudare, benedicere, & prædicare; qui eos dimicantes contra antiqui ſerpentis machinamenta, & proprii corporis blandimenta, inexpugnabili virtute rex gloriæ roboraſti: ex quibus beatus Lucas Evangeliſta tuus, aſſumpto ſcuto fidei, & galea ſalutis, & gladio Spiritus ſancti, & viriliter contra vitiorum incentiva pugnavit, & evangelicæ nobis dulcedinis fluenta manavit. Unde petimus, Dne, immenſam pietatem tuam, ut qui eum tot meritorum dônaſti prærogativis, nos eius & informes exemplis, & adiuves meritis, per Xpm. *gg.*

Ad Comm.

Præſta, quæſumus omnipotens æterne Deus! ut id, quod de ſco altario tuo accepimus, precibus beati Evangeliſtæ tui Lucæ ſanctificet animas nras, per quod tuti eſſe poſſimus, per. *gg.*

Eodem die Nat. S. COSMÆ & DAMIANI

Ambroſ.

Intercedentibus ſcis tuis, Dne, Coſma & Damiano plebi tuæ præſta ſubſidium: ut ab omnibus noxiis expedita, & hic & in æternum ſibi cuncta profutura percipiat, per Dnm nrm. *g.*

Alia.

Da nobis, quæſumus Dne, fidei miſeratus augmentum; ut quæ ſcos Martyres tuos Coſmam & Damianum, uſque ad ſanguinem retenta glorificat, nos etiam iuſtificet veraciter hanc ſequentes, per Dnm nrm Ihm Xpm. *L*

Digitized by Google

Secreta.

Offerendorum tibi munerum Deus auctor & dator! præſta, ut hoc ſacrificium ſingulare, quod Sanctis tuis in paſſione contulit claritatem, nobis tribuat in devotione præſidium, per. *l.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! clementiam tuam ſuppliciter exorantes, ut cum exultantibus Sanctis in cæleſtis regni cubilibus gaudia noſtra ſubiungas, & quos virtutis imitatione ſequi non poſſumus, debitæ venerationis contingamus affectu, per Xpm. *El.*

Ad Comm.

Paſce nos, Dne, tuorum gaudiis ubique Scorum: quia noſtræ ſalutis augmenta ſunt, quotiens illis honor impenditur, in quibus tu mirabilis prædicaris, per.

X. Kl. Nov. Octava S. GALLI.

Protegat nos, Dne, ſæpius beati Galli Confeſſoris tui repetita ſolemnitas: ut cuius patrocinia ſine intermiſſione recolimus, perpetuam defenſionem ſentiamus, per. *g.*

Secreta.

Sacrandum tibi, Dne, munus offerimus, quo beati Galli Confeſſoris tui ſolemnia recenſentes, purificationem quoque noſtris mentibus imploramus, per. *l. gg.*

Ad Comm.

Sumpſimus, Dne, pignus redemptionis æternæ: ſit nobis, quæſumus, interveniente beato Gallo Confeſſore tuo, vitæ præſentis auxilium pariter & futuræ, per. *gg.*

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui beati Galli Confeſſoris tui natalitia colimus, interceſſione eius in tui nominis amore roboremur, per Dnm nrm. *gg.*

Dominica XXIII. poſt Pentecoſten. Gelaſ.

Omnipotens & miſericors Deus! univerſa nobis adverſantia propitiatus exclude: ut mente & corpore pariter expediti, quæ tua ſunt, liberis mentibus exſequamur, per. *g. El. gg.*

Alia.

Da, quæſumus omnipotens Deus, ſic nos tuam indulgentiam promereri, ut noſtros corrigamus exceſſus; ſic confitentibus relaxare delictum, ut coerceamus in ſuis pravitatibus obſtinatos, per Dnm. *g. El.*

Secreta.

Hæc munera, quæſumus Dne, quæ oculis tuæ maieſtatis offerimus, ſalutaria nobis eſſe concede, per. *g. El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et clementiam tuam ſuppliciter exorare, ut Filius tuus Ihs Xps Dns noſter, qui ſe uſque in finem ſæculi ſuis promiſit fidelibus affuturum, & præſentiæ corporalis myſteriis non deſerat, quos redemit, & maieſtatis ſuæ beneficiis non relinquat; per quem maieſtatem. *El. gg.*

Ad Comm.

Tua nos, Dne, medicinalis operatio & a noſtris perverſitatibus clementer expediat, & tuis faciat ſemper inhærere mandatis, per Dnm nrm. *El. gg.*

VI. Kl. Nov. Vigilia Apoſtolorum SIMONIS & IUDÆ. Gel. (1)

Concede, quæſumus omnipotens Deus! ut ſicut Aplorum tuorum Simonis & Iudæ glorioſa natalitia prævenimus, ſic ad tua beneficia promerenda maieſtatem tuam pro nobis ipſi præveniant, per. *g. El. gg.*

Secreta.

Muneribus noſtris, Dne, Apoſtolorum tuorum Simonis & Iudæ feſta præcedimus, ut quæ conſcientiæ noſtræ præpediuntur obſtaculis, illorum meritis grata reddantur, per Dnm. *l. g. El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia tu es mirabilis in omnibus Sanctis tuis, quos & nominis tui confeſſione præclaros, & ſuſcepta pro te feciſti paſſione glo-

(1) *Gelaſ.* habet hanc Miſſam in vigilia omnium Apoſtolorum.

Digitized by Google

glorioſos. Unde ſicut illi ieiunando orandoque certaverunt, ut hanc poſſent obtinere victoriam, quæſumus clementiam tuam, ut ita nos etiam, quæ exercuere, ſectantes, convenientius eorum natalitia celebremus, per Xpm. *vel* Et ideo. *l. El. gg.*

Ad Comm.

Sumpto, Dne, ſacramento ſuppliciter deprecamur: ut intercedentibus beatis Apoſtolis, quod temporaliter gerimus, ad vitam capiamus æternam, per. *g. El. gg.*

Item in Vigil. unde ſupra Miſſa Ambroſ.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut ſicut Aplorum tuorum Simonis & Iudæ, & Martyris tui Fidelis (1) glorioſa natalitia prævenimus, ſic ad tua beneficia promerenda maieſtatem tuam pro nobis ipſi præveniant, per. *gg.*

Alia.

Deus mundi creator & rector, qui beatos Apoſtolos Simonem & Iudam, atque Martyrem tuum Fidelem nominis tui gloria conſecraſti: exaudi populum tuum, cum Sanctorum tuorum tibi patrociniis ſupplicantem, ut pacis dono proficiat ad fidei & caritatis augmentum, per.

Secreta.

Gloriam, Dne, ſcorum Aplorum & Martyrum perpetuam præcurrentes, quæſumus, ut eandem ſacris miniſteriis (*l.* myſteriis) expiati, dignius celebremus, per Dnm. *g. El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Te in tuorum Aplorum & Martyrum glorificantes honore, qui & illis tribuiſti beatitudinem ſempiternam, & infirmitati nræ talia præſtitiſti ſuffragia, quæ te donante apprehendere valeamus, per Xpm Dnm nrm. *El. gg.*

Ad Comm.

Quæſumus, omnipotens Deus, ut fideles tui venerandas aſſidue præcurrentes ſcorum Martyrum paſſiones, & copiam perpetuæ devotionis inveniant, & ſalutis æternæ ſuffragia maiora conquirant, per Dnm.

V. Kl. Nov.

Natl. Apoſtolorum SIMONIS & IUDÆ. Gel. (2)

Deus, qui nos per beatos Apoſtolos tuos ad cognitionem tui nominis venire tribuiſti: da nobis eorum ſequi (3) gloriam ſempiternam, & proficiendo celebrare, & celebrando proficere, per. *g. El. gg.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, mundi creator & rector, qui beatos Aplos nominis tui gloria conſecraſti; exaudi populum tuum, cum eorundem patrocinio tibi ſupplicantem, ut pacis donum proficiat ad fidei & caritatis augmentum, per Dnm. *Supra in Ambroſ.*

Secreta.

Gloriam, Dne, ſcorum Apoſtolorum perpetuam recenſentes, quæſumus, ut eandem ſacris myſteriis expiati, dignius celebremus, per Dnm nrm. *g. El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Te in tuorum Apoſtolorum glorificantes. *Ut ſupra. El. gg.*

Ad Comm.

Perceptis, Dne, ſacramentis ſuppliciter rogamus: ut intercedentibus beatis Apoſtolis tuis, quæ pro illorum veneranda gerimus paſſione, nobis proficiant ad medelam, per Dnm. *l. g. El. gg.*

Alia.

Exaudi nos, Deus ſalutaris noſter! & Apoſtolorum tuorum nos tuere præſidiis, quorum donaſti fideles eſſe doctrinis, per Dnm nrm. *l. El.*

Domi-

---

(1) S. FIDELIS Martyr *Comenſis* notatur in Martyrologio *Rom.* ad diem ſeq.

(2) *In natali omnium Apoſtolorum* Gel. L. II. n. 35. præcedunt autem num. 33. orationes ad Veſperum: & n. 34. *Item vigilia omnium Apoſtolorum.* Natalis autem omnium Apoſtolorum in *Gelaſ.* habetur III. Kl. Iulii.

(3) Editi omnes omittunt vocem *ſequi.*

Digitized by Google

Dominica XIIII. poſt Pentecoſten. Gel.

Largire, quæſumus Dne, fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem: ut pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura tibi mente deſerviant, per. *g. El. gg.*

Alia.

Delicta nra, Dne, quibus adverſa nobis dominantur, abſterge, & tua nos ubique miſeratione cuſtodi, per. *g.*

Secreta.

Cœleſtem nobis præbeant hæc myſteria, quæſumus Dne, medicinam, & vitia nri cordis expurgent, per. *g. El. gg.*

Præfatio. (1)

VD. æterne Deus! Maieſtatem tuam, Dne, ſuppliciter deprecantes, ut expulſo fermento vetuſtatis, illius agni cibo ſatiemur & poculo, qui & nram reparavit imaginem, & ſuam nobis gloriam repromiſit, per quem. *El. gg.*

Ad Comm.

Ut ſacris, Dne, reddamur digni muneribus, fac nos, quæſumus, tuis obedire mandatis, per Dnm nrm. *gg.*

Kl. Nov.

Natl. Sci CÆSARII. Orat. ad Collectam.

Ad ſanctos COSMAM & DAMIANUM. G. & GG.

Adeſto nobis, Dne, Martyrum deprecatione ſanctorum: & quos pati pro tuo nomine tribuiſti, fac tuis fidelibus ſuffragari, per Dnm. *l. gg.*

Ad Miſſam. G. & GG.

Deus, qui nos beati Martyris tui Cæſarii annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cuius natalitia colimus, etiam actiones imitemur, per. *El. gg.*

Secreta. G. & GG.

Hoſtias tibi, Dne, beati Cæſarii Martyris tui dicatas meritis benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium, per Dnm. *l. El. gg.*

Ad Comm. G.

Huius nos, Dne, perceptio ſacramenti mundet a crimine: & intercedente beato Cæſario Martyre tuo ad cœleſtia regna perducat, per Dnm. *gg.*

Alia ad Compl. GG.

Quæſumus, omnipotens Deus! ut qui cœleſti alimenta percepimus, intercedente beato Cæſario Martyre tuo per hæc contra omnia adverſa muniamur, per Dnm. *El. gg.* (2)

Do-

---

(1) In margine adſcriptum: *Hæc melius in Quinquageſima Paſchæ.*

(2) In *San-Blaſ.* ſacram. poſt feſtum S. CÆSARII ponitur Vigilia & feſtum omnium Sanctorum, quod in utroque *San-Gallenſi* extra ordinem feſtorum habetur, ac in antiquiori quidem manu recentiori: quod utrumque hic ſupplemus:

Prid. Kl. Nov. Vigil. omn. Sanctorum.

Domine Deus noſter, multiplica ſuper nos gratiam tuam, & quorum prævenimus glorioſa ſolemnia, tribue ſubſequi in ſancta profeſſione lætitiam. Per. *El.* gg.

Secreta.

Altare tuum, Domine Deus, muneribus cumulamus oblatis: da, quæſumus, ut ad ſalutem noſtram omnium Sanctorum tuorum precatione proficiant, quorum ſolemnia præcurrimus. Per. *El.*

Præfatio.

VD. Reverentiæ tuæ dicato ieiunio gratulantes, quia veneranda omnium Sanctorum ſolemnia deſideratis prævenimus officiis, ut ad eadem celebranda ſolemniter præparemur. Per Chriſtum.

Ad Comm.

Sacramentis, Domine, & gaudiis oblata (*f.* optata) celebritate expletis, quæſumus, ut eorum precibus adiuvemur, quorum recordationibus exhibentur. Per Dnm. *El.*

Super Popl.

Erudi, quæſumus Domine, (*Leon.* populum tuum) ſpiritualibus inſtrumentis: & quorum præſtas ſolemnia prævenire, fac eo rum conſideratione devotum, & defenſione ſecurum. Per Dnm. *l. El.*

Kl. Nov. Natl. omnium Scorum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos omnium San-

Digitized by Google

Dominica XXV. poſt Pentecoſten. Gel.

Deus, qui nos regendo conſervas, parcendo iuſtificas: & a temporali tribulatione nos eripe, & gaudia nobis æterna largire, per Dnm. *El.*

Alia.

Familiam tuam, quæſumus Dne, continua pietate cuſtodi: ut a cunctis adverſitatibus te protegente ſit libera, & in bonis actibus tuo nomini ſit devota, per. *El. gg.*

Secreta.

Suſcipe, Dne, propitius hoſtias, quibus & te placari voluiſti, & nobis ſalutem potenti pietate reſtitui, per. *El. gg.*

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm; per quem ſcm & benedictum nomen maieſtatis tuæ, in omnibus creaturæ tuæ terminis, a ſolis ortu uſque ad occaſum, in gloria ſemper eſt & laude, per quem ſalus mundi, vita hominum, reſurrectio mortuorum; per quem maieſtatem. *El. gg.*

Ad Comm.

Immortalitatis alimoniam conſecuti, quæſumus Dne, ut quod ore percepimus, mente ſectemur, per. *El. gg.*

VI. Id. Nov. Natl. SS. quatuor Coronatorum.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut qui glorioſos Martyres Claudium, Nicoſtratum, Simpronianum (ed. *Symphorianum*) Caſtorium atque Simplicium fortes in ſua confeſſione cognovimus, pios apud te in noſtra interceſſione ſentiamus, per. *El. gg.*

Alia.

Annua Martyrum tuorum, Dne, vota recolimus, maieſtatem tuam ſuppliciter deprecantes: ut cum temporalis incremento proſperitatis, æterna Coronatorum capiamus & gaudia, per. *l. g.*

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, pro Martyrum tuorum Coronatorum commemoratione deferimus, ſupplicantes, ut indulgentiam nobis pariter conferant & ſalutem, per. *l. g.* Alia. GG.

Benedictio tua, Dne, larga deſcendat, quæ & munera nra, deprecantibus Sanctis tuis, tibi reddat accepta, & nobis ſacramentum redemptionis efficiat, per. El. gg. *Præfatio.* G.

VD. æterne Deus! celebrantes Scorum natalitia Coronatorum, quia dum tui nominis per eos gloriam frequentamus, noſtræ fidei creſcit augmentum, per Xpm. *l. El. gg.*

Ad

---

ctorum tuorum merita ſub una tribuiſti celebritate venerari: quæſumus, ut deſideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis interceſſoribus largiaris. Per. *l. El. gg.*

Secreta.

Munera tibi, Domine, noſtræ devotionis offerimus, quæ & pro cunctorum tibi grata ſint honore iuſtorum, & nobis ſalutaria te miſerante reddantur. Per. *El gg.*

Præfatio.

VD. Clementiam tuam ſuppliciter obſecrantes, ut cum exultationibus (*El. melius* exultantibus) Sanctis in cœleſtis regni cubilibus gaudia noſtra coniungas, & quos virtutis imitatione non poſſumus ſequi, debitæ venerationis contingamus affectu. Per Chriſtum. *El.*

Ad Comm.

Omnipotens ſempiterne Deus! qui nos omnium Sanctorum tuorum multiplici facis celebritate gaudere; concede, quæſumus, ut ſicut illorum commemoratione temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aſpectu. Per. *l. gg.*

Super Popl.

Da, quæſumus Domine, fidelibus populis omnium Sanctorum ſemper veneratione lætari, & eorum perpetua ſupplicatione muniri. Per. *g. El. gg.*

Digitized by Google

Ad Comm. G.

Sanctorum tuorum Coronatorum, quæſumus Dne, ſemper nos feſta lætificent, & maieſtati tuæ perpetua placatione commendent, per Dnm. *l. g.*

Alia ad Complendum. GG.

Cœleſtibus refecti ſacramentis & gaudiis ſupplices te, Dne, deprecamur; ut quorum gloriamur triumphis, protegamur auxiliis, per Dnm. *l. El. gg.*

V. Id. Nov.

Nat. S. THEODORI *Mart.* G.

Prætende nobis, Dne, miſericordiam tuam, & tribue, ut ſcus Martyr tuus Theodorus, cuius nos dediſti patrociniis adiuvari, maieſtatem tuam iugiter exoret pro nobis, per Dnm. *l.*

Alia. GG.

Deus, qui nos beati Theodori Martyris tui confeſſione glorioſa circumdas & protegis: præſta nobis, eius imitatione proficere, & oratione fulciri, per. El. gg.

Secreta. G. & GG.

Suſcipe, Dne, fidelium preces cum oblationibus hoſtiarum; & intercedente beato Theodoro Martyre tuo, per hæc piæ devotionis officia ad cœleſtem gloriam tranſeamus, per Dnm. *El. gg.*

Ad Comm. G.

Sancti nos, quæſumus Dne, Theodori Martyris oratio & aſſequi faciat ſemper mente, quæ gerimus; & debitæ ſervitutis actione ſectari, per.

Alia ad Compl. GG.

Præſta nobis, Dne quæſumus, intercedente beato Theodoro Martyre tuo, ut quæ ore contingimus, pura mente capiamus, per Dnm. El. gg.

III. Id. Nov.

Natl. Sci MENNÆ *Mart.* G. & GG.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui beati Mennæ Martyris tui natalitia colimus, interceſſione eius in tui nominis amore roboremur, per. *El. gg.*

Secreta. G.

Beati Mennæ Martyris tui, Dne, ſolemnia recenſemus: ut eius auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi hoſtias laudis offerimus; per Dnm. *l. El.*

Secreta alia. GG.

Muneribus noſtris, quæſumus Dne, precibusque ſuſceptis, & cœleſtibus nos munda myſteriis, & clementer exaudi, per. l. gg. *Ad Comm.* G.

Benedictio tua, Deus, impleat corda fidelium, talesque perficiat, qui & Martyrum honorificent paſſiones, & remedia ſalutis æternæ iisdem patrocinantibus aſſequantur, per Dnm. *El.*

Alia. GG.

Da, quæſumus Dne Deus noſter, ut ſicut tuorum commemoratione Scorum temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aſpectu, per Dnm. l. gg.

Eodem Die

Nat. Sci MARTINI *Epi.* G. GG. A.

Deus, qui conſpicis, quia ex nulla nra virtute ſubſiſtimus: concede propitius, ut interceſſione beati Martini Confeſſoris tui contra omnia adverſa muniamur, per Dnm. *El. gg.*

Alia. G. A.

Omnipotens ſempiterne Deus! ſolemnitatem diei huius propitius intuere, & eccleſiam tuam interceſſione beati Martini Pontificis atque Confeſſoris tui continua

nua

Digitized by Google

nua fac celebritate gaudere, omniumque in te credentium vota perficias, per Dnm. *Secreta.* G. A.

Beati Martini Pontificis, quæſum9 Dne, pia nobis non deſit oratio, quæ & munera noſtra conciliet, & tuam nobis indulgentiam ſemper obtineat, per Dnm. *El.*

Alia Secreta. GG.

Da, miſericors Deus, ut hæc nos ſalutaris oblatio & (ed. a) propriis reatibus indeſinenter expediat, & ab omnibus tueatur adverſis, per Dnm. gg.

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! Te in beati Martini Pontificis atque Confeſſoris tui laudibus honorare (al. *adorare*), qui ſci Spiritus tui dono ſuccenſus, ita in ipſo tyrocinio fidei perfectus inventus eſt, ut Xpum texiſſet in paupere, & veſtem, quam egenus acceperat, mundi Dn9 induiſſet. Digne ei Arianorum ſubiacuit feritas, digne tanto amore martyrii perſecutoris tormenta non timuit. Quanta putamus erit glorificatio paſſionis, quando pars chlamidis ſic extitit glorioſa? Quid erit pro oblatione integri corporis recepturus, qui pro quantitate veſtis exiguæ, & veſtire Deum meruit & videre? Hæc tua eſt, Dne, veneranda poteſtas, ut cum lingua non ſuppetit, meritis exoreris, per Xpm.

Ad Compl. G.

Tua, Dne, ſca ſumentes ſuppliciter deprecamur, ut cuius veneramur confeſſionem, præſidia ſentiamus, per. *El.*

Alia ad Comm. GG.

Præſta, quæſumus Dne Deus noſter, ut quorum feſtivitate votiva ſunt ſacramenta, eorum ſalutaria nobis interceſſione reddantur, per. gg.

Super populum. G. A.

Exaudi, Dne, populum tuum tota tibi mente ſubiectum, & beati Martini Pontificis ſupplicatione cuſtodi: ut corpore & corde protectus, quod pie credit, appetat, & quod iuſte ſperat, obtineat, per. *El g.* *Alia.* G.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut ſicut divina laudamus in ſco Martino Confeſſore tuo atque Pontifice magnalia, ſic indulgentiam tuam piis eius precibus aſſequamur, per.

Unde ſupra alia Miſſa Ambroſ.

Deum, cuius vultui deputatur, quicquid Scis eius honoris impenditur, intenta oratione poſcimus: ut hunc diem, quem ſci & præcipui viri Martini Epi illuſtrat exceſſio, celebrem nobis & poſteris indulgeat; tribuatque, ut cuius veneratores ſumus, & imitatores eſſe mereamur, per Dnm.

Alia.

Adeſto, quæſumus Dne, plebi tuæ, & interceſſione beati Sacerdotis & Confeſſoris tui Martini confidenter tribue conſequi, quod ſperare donaſti, per Dnm.

Secreta.

Beati Sacerdotis & Confeſſoris tui Martini quæſumus. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare; Nos te, omnipotens Dne, in beati Sacerdotis & Confeſſoris tui Martini laudibus honorare; qui Sci Spiritus tui dono repletus, ita in ipſo tyrocinio fidei perfectus inventus eſt, ut Xpm texiſſet in paupere, & veſte, quam egenus acceperat, mundi Dnum induiſſet. O felix largitas, quam divinitas operatur! o chlamidis glorioſa diviſio, quæ militem texit & regem! Inæſtimabile donum eſt, quod veſtire meruit deitatem. Digne huic confeſſionis tuæ præmia contuliſti: digne ei Arianorum ſubiacuit feritas; digne tanto amore martyrii perſecutoris tormenta non timuit ſecurus. Quanta putamus erit glorificatio paſſionis, quando pars chlamidis ſic extitit pretioſa? Et quid erit pro oblatione integri corporis recepturus, qui pro quantitate veſtis

Digitized by Google

veſtis exiguæ & veſtire Deum meruit, & videre? O animi imitanda benignitas! o virtutum veneranda potentia! Sic egit ſuſcepti pontificatus officium, ut per formam probabilis vitæ, obſervantiam exigeret diſciplinæ; ſic apoſtolica virtute ſperantibus contulit medicinam, ut alios ſupplicationibus, alios viſu ſalvaret. Hæc tua eſt, Dne, virtus & gloria, per Xpm Dnm nrm. (1)

Ad Comm.

Sumentes, Dne, gaudia ſempiterna de participatione ſacramenti, & de feſtivitate beati Martini Confeſſoris tui, ſuppliciter deprecamur: ut quæ ſedula ſervitute te donante gerimus, dignis ſenſibus tua munera tractemus, per Dnm. g

Dom. XXVI. poſt Pentecoſten. Gel.

Deus refugium noſtrum & virtus! adeſto piis eccleſiæ tuæ precibus auctor ipſe pietatis, & praſta: ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur, per Dnm. *El. gg.*

Alia.

Deus, quem docente Spiritu ſco paterno nomine invocare præſumimus: crea in nobis fidelium corda filiorum, ut ad promiſſam hereditatem ingredi valeamus per debitam ſervitutem, per.

Secreta.

Da, miſericors Deus! ut hæc ſalutaris oblatio & (ed. *a*) propriis nos reatibus indeſinenter expediat, & ab omnibus tueatur adverſis, per Dnm. *El. gg.*

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare; Nos tibi, Dne, debitas laudes pro honore deferre, & mirabilium tuorum inenarrabilia præconia devotæ mentis veneratione celebrare. Te igitur ineffabilem atque inviſibilem Deum (Dominum) laudamus, benedicimus atque adoramus, per Xpm Dnm. *El gg.*

Ad Comm.

Sumpſimus, Dne, Sacri dona myſterii, humiliter deprecantes: ut quæ in tui commemoratione (ed. *commemorationem*) nos facere præcepiſti, in nræ proficiant firmitatis augmentum (ed. *infirmitatis auxilium*) per Dnm. *vel* per te Ihu Xpe, qui cum Deo Patre. *gg.*

XVI. Kal. Dec. Natl. S. Otmari Confeſſoris Xpi.

Sancti Otmari Confeſſoris tui, Dne quæſumus, veneranda feſtivitas ſalutaris auxilii nobis præſtet augmentum, per Dnm nrm. *l. g.*

Secreta.

Offerimus tibi, Dne, preces & munera: quæ ut tuo ſint digna conſpectui, beati Otmari Confeſſoris tui precibus adiuvemur, per. *l. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et maieſtatem tuam ſupplici devotione exorare, ut beati Otmari Confeſſoris tui, cuius hodie feſta celebramus, obtentu mereamur tuum obtinere auxilium, per Xpm D. *gg.*

Ad Comm.

Ut nobis, Domine, tua ſacrificia dent ſalutem, beatus Confeſſor tuus Otmarus, quæſumus, precator accedat, per. *gg.*

Unde ſupra aliæ Orationes.

Deus, qui nos beati Otmari Confeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cuius natalitia colimus, de eiusdem etiam protectione gaudeamus, per Dnm. *gg.*

Alia.

Beati Otmari Confeſſoris tui, Dne, annua feſta recolentes, quæſumus, ut quæ tuarum nobis ſunt inſtrumenta præſentium, fiant æternarum patrocinia gratiarum, per Dnm.

Alia.

Magnificet te, Dne, Sci Otmari Confeſſoris tui beata ſolemnitas, qua & illi gloriam ſempiternam, & opem nobis ineffabili providentia contuliſti, per Dnm. *g. gg.*

Ad Veſp.

Omnipotens ſempiterne Deus! ſolemnitatem diei huius propitius intuere, & eccleſiam tuam beati Otmari Confeſſoris tui continua fac celebritate gaudere, omniumque in te credentium vota perficias. per. *g* *Alia*

(1) Præfatio hæc eadem fere eſt, quæ ſupra habetur in *Gelaſiano:* hic vero in Codice notis muſicis expreſſa eſt.

Digitized by Google

Aliæ Orationes de S. Otmaro.

Sci Otmari Confeſſoris tui, Dne, nos oratio ſca conciliet, quæ ſacris virtutibus veneranda refulget, per.

Alia.

Beati Otmari Confeſſoris ſupplicatione, quæſumus Dne, plebs tua benedictionem percipiat, ut de eius meritis & feliciter glorietur, & æternæ ſocietatis lætitia gratuletur, per Dnm.

Alia.

Quæſumus, omnipotens Deus! ut beati Otmari Confeſſoris tui ſca precatio & terrenis nos affectibus inceſſanter expediat, & cœleſtia deſiderare perficiat, per.

Alia.

Beati Otmari, quæſumus Dne, & confeſſio nobis ſemper proſit & meritum, per Dnm. g.

[*XV. Kl. Dec.*

Tranſlatio Sancti AUGUSTINI. (1)

Adesto ſupplicationibus noſtris, omnipotens Deus! & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente beato Auguſtino Confeſſore tuo atque Pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum, per. *gg.*

Secreta.

Sci Confeſſoris tui Auguſtini nobis, Dne, pia non deſit oratio: quæ & munera nra conciliet, & tuam nobis indulgentiam ſemper obtineat, per Dnm. *l.gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et in omni loco ac tempore omnipotentiæ tuæ gloriam celebrare: per quod pietatis officium in commemoratione beati Auguſtini Confeſſoris tui atque Pontificis ſacrificium tibi laudis offerimus, & magnificentiam tuam in mortificatione ipſius adoramus; Tua in omnibus operante virtute, ut nullis illecebris corporis, nullis promiſſis blandimentorum fallacium vir tuo ignitus Spiritu vinceretur: quia ita eum omni genere pietatis imbueras, ut ipſe tibi & ara, & ſacrificium, & ſacerdos eſſet & templum, per Xpm Dnm.

Ad Comm.

Ut nobis, Dne, tua ſacrificia dent ſalutem, beatus Confeſſor tuus Auguſtinus atque Pontifex, quæſumus, precator accedat, per Dnm.] *gg.*

XIIII. Kl Decemb.

Nat. Sci ROMANI. Ambroſ. (2)

Plebs tua, Dne, beati Sacerdotis & Martyris tui Romani te glorificatione magnificet, & eodem ſemper precante, te mereamur habere rectorem, per Dnm.

Alia.

Preces populi tui, quæſumus Dne, clementer exaudi, ut beati Sacerdotis & Martyris tui Romani meritis adiuvemur, cuius paſſione lætamur, per.

Secreta.

Præſentia munera, quæſumus Dne, ita ſerena pietate intuere, ut ſci Spiritus profundamur benedictione, & in noſtris cordibus eam dilectionem validam operentur, per quam Pontifex ſanctus & Martyr tuus Romanus omnia corporis tormenta devicit, per. In unit. eiusd.

Præfatio.

VD. æterne Deus! Et in hoc præcipue die triumphalem hoſtiam offerre, in quo beatiſſimus Antiſtes & Martyr tuus Romanus fideli pro plebe immolandus extitit; qui ſanctam ſalutis dum non permittit inimico adiri domum, ipſe templum tibi dicatur & victima. O felix hoſtia gemino illuſtrata decore! in quo paſtor immolatur & agnus, ſacerdos & innocens. O beata prœlia, quæ tanto non ceſſere terrori! O felix lingua Xpi nobilitata præconio, interpres animi, cordis miniſtra, quæ te Deo loquente numquam defuit. Sed hoc mirabile

(1) Vid. ſupra in feſto V. Kal. *Sept.* Cæterum nullam hac die S. AUGUSTINI tranſlationem in Martyrologiis reperio, ſed die undecima huius menſis in Martyrologio *Auguſtinianorum* notatur prima eius tranſlatio ex *Hippone* in *Sardiniam*: de qua forte hæc ipſa Miſſa eſt.

(2) Hic ſolum, quod ſciam, a S. AMBROSIO S. ROMANUS Martyr *Antiochenus*, unacum BARULA puerulo paſſus, Sacerdotis vel Pontificis nomine decoratur, qui ab aliis Diaconus dicitur: quod utrumque in *Romano* Martyrologio ad h. d. reticetur. Vid. PRUDENTIUS *Periſteph.* c. 10. EUSEB. *Emiſ.* hom. 31. alii.

Digitized by Google

mirabile donum, munus tuum eſt, Dne, ut mutis loquelam, percitum claudis gradum, ſurdis fruendam reddas audientiam, per eundem Xpm.

Ad Comm.

Satiaſti, Dne, familiam tuam muneribus ſacris: eius, quæſumus, ſemper interceſſione nos reſove, cuius ſolemnia celebramus, per Dnm. *l. g g.*

Dom. XXVII. poſt Pentecoſten.
Gel. (1)

Excita, Dne quæſumus, tuorum fidelium voluntates: ut divini operis fructum propenſius exſequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant, per. *El. g g.*

Alia. (2)

Excita, Dne, tuorum corda fidelium: ut ſacris intenta doctrinis, & intelligant, quod ſequantur, & ſequendo fideliter apprehendant, per Dnm.

Secreta.

Propitius eſto, Dne, ſupplicationibus nris, & populi tui oblationibus precibusque ſuſceptis, omnium noſtrum ad te corda converte: ut a terrenis cupiditatibus liberi, in cœleſtibus deſideriis (ed. *ad cæleſtia deſideria*) tranſeamus, per. *El. g g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Tuum eſt enim omne quod vivimus, quia licet peccati vulnere natura noſtra vitiata ſit, tui tamen eſt operis, ut a terrenis generati, ad cœleſtia renaſcamur, per Xpm Dnm. *l.*

Ad Comm.

Concede nobis, Dne quæſumus, ut ſacramenta, quæ ſumpſimus, quicquid in nra mente vitioſum eſt, ipſius medicationis dono curetur, per Dnm. *l. El. g g.*

XI. Kal. Sept.
Vigl Scæ CÆCILIÆ G. & A.

Sanctæ Martyris tuæ Cæciliæ, Dne, ſupplicationibus tribue nos foveri: ut cuius venerabilem ſolemnitatem prævenimus obſequiis, eius interceſſionibus commendemur & meritis, per Dnm. *l. g.*

Secreta. G.

Muneribus noſtris, Dne, Scæ Cæciliæ Martyris tuæ feſta præcedimus: ut quæ conſcientiæ noſtræ præpediuntur obſtaculis, illius meritis reddantur accepta, per, *g.*

Præfatio. G.

VD. æterne Deus! beatæ Cæciliæ natalitia debita veneratione prævenientes, quæ in veritatis tuæ teſtificatione profuſius magnificum nominis tui honorem ſignavit: ut quæ coniugio præparabatur humano, mereretur exaltari divino, & ſic coronam pudicitiæ meruit, ut regium thalamum non ſolum virgo, ſed etiam martyr intraret, per eundem Xpm. *vel* Et ideo. *g g.*

Ad Comm.

Quæſumus omnipotens Deus, ut quorum nos tribuis celebrare memorias, eorum facias imitari virtutes, per.

X. Kal. Dec.
Nat. Scæ CÆCILIÆ. G. & A.

Deus, cui beata Cæcilia ita caſtitatis devotione complacuit, ut coniugem ſuum Valerianum affinemque eius Tiburtium tibi fecerit conſecrari, cum & angelo deferente micantium odoriferas florum coronas, palmam martyrii perceperunt: tribue, quæſumus, ut ea intercedente pro nobis beneficia tui muneris percipere mereamur, per Dnm.

Alia. GG.

Deus, qui nos annua beatæ Cæciliæ Martyris tuæ ſolemnitate lætificas: da, ut quam

(1) In Miſſali *Romano* & apud MURAT. eſt hæc Dominica XXIV. ſeu ultima poſt Pentecoſten; in *Eligiano* vero ſimiliter XXVII. (2) In *S. Elig.* oratio *ſuper populum.*

Digitized by Google

quam veneramur officio, etiam piæ converſationis ſequamur exemplo, per. l. El. gg.

Secreta.

Hæc hoſtia, Dne, placationis & laudis, quæſumus, ut interveniente beata Cæcilia Martyre, tua nos propitiatione dignos ſemper efficiat, per. *El. gg.*

Præfatio. G.

VD. per Xpm Dnm nrm; qui perficit in infirmitate virtutem, qua etiam beata glorioſaque Cæcilia deſpecto mundi coniugio, ad conſortia ſuperna contendens, nec ætate mutabili præpedita eſt, nec illecebris eſt revocata carnalibus, nec ſexus fragilitate deterrita; ſed infra puellares annos inter ſæculi blandimenta, inter ſupplicia perſequentium, multiplicem victoriam virgo caſta, & glorioſa martyr implevit; & potiore triumpho temporalem virum, cui mortali fuerat amore nectenda, ſecum martyrii fœdere ad regnum perduxit æternum, per Xpm Dnm. Et ideo. *El.*

Ad Comm. G. & A.

Sic nos, Dne, gratia tua, quæſumus, ſemper exerceat, ut & divinis inſtauret noſtra corda myſteriis, & Scæ Cæciliæ Martyris tuæ commemoratione lætificet, per.

Alia ad Comm. GG.

Satiaſti, Dne, familiam tuam muneribus ſacris: eius, quæſumus, ſemper interceſſione nos refove, cuius ſolemnia celebramus, per Dnm. l. gg.

Unde ſupra alia Miſſa Ambroſ.

Beatæ Cæciliæ Martyris tuæ nos, quæſumus Dne, feſtivitas ſca commendet: quæ ita ad palmam martyrii venire voluit, ut & de ſocietate placeret, qua Valerianum & Tiburtium conſecrationibus per angelum ſuum tua miſericordia coronavit, per.

Alia.

Deus, qui nos famulos tuos in beatæ Martyris tuæ Cæciliæ victoria, Valeriani ſimul & Tiburtii gaudere feciſti triumphis: tribue, quæſumus, maieſtatis tuæ miſericordiam, ut ſicut eos tyrannorum ſuperata feritate lætari feciſti, ita & populus tuus tua ſemper exultet bonitate, per Dnm.

Alia.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut hac feſtivitate beatæ Martyris tuæ Cæciliæ, qua ad cœleſtia meruit evocari præmia, coniunctis ſibi Tiburtio & Valeriano, ſicut credimus & ſperamus, eorum ſuffragiis adiuvemur, per.

Secreta.

Tribue, quæſumus virtutum cœleſtium Deus! ut ſacrificia pro ſcæ Cæciliæ ſolemnitate delata, deſiderium nos temporale doceant habere contemptum, & ambire dona faciant cœleſtium gaudiorum, per.

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm; per quem ſca Cæcilia dono repleta, ut martyrii palmam aſſumeret, ipſum mundum eſt cum thalamis execrata; teſtis eſt quapropter Valeriani coniugis & Tiburtii provocata confeſſio, quos angelica manu odoriferis floribus coronaſti: viros virgo duxit ad gloriam, mundus agnovit, quantum valeat devotio caſtitatis; quæ ita promeruit, ut martyres efficerentur, & iter regis gloriæ cum angelis graderentur. Huius te, Dne, largiente gaudia celebramus, & ea fide, qua mundi caligo deterſa eſt, ad æternitatis tuæ deprecamur præmia pervenire, & ideo cum angelis.

Ad Compl.

Sic nos, Dne, gratia tua quæſumus. *Ut ſupra.*

VIIII. Kal Decemb.

Natl. S. CLEMENTIS. G. & A.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in omnium Sanctorum tuorum es virtute mirabilis: da nobis in beati Clementis annua ſolemnitate lætari, qui Filii tui Martyr & Pontifex, quod myſterio geſſit, teſtimonio comprobavit, & quod ore prædicavit, confirmavit exemplo, per eundem, *l. El.*

 Alia.

Alia. GG.

Deus, qui nos annua beati Clementis Martyris tui atque Pontificis ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cuius natalitia colimus, virtutem quoque paſſionis imitemur, per Dnm. gg.

Secreta. G.

Sacrificium tibi, Dne, laudis offerimus pro ſci celebritate Clementis: ut propitiationem tuam, quam noſtris operibus non meremur, pii ſuffragatoris interceſſionibus aſſequamur, per Dnm. *g. El.*

Alia. GG.

Munera, Dne, oblata ſanctifica: & intercedente beato Clemente Martyre tuo per hæc nos a peccatorum noſtrorum maculis emunda, per Dnm. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus! quoniam per ſci Spiritus largitatem beatus Clemens hodiernæ nobis exultationis affectum magnificæ paſſionis agone ſacravit; qui mundo nobilis, amore Xpi nobilior, pio labore conſpicuus, & in parentum vel inquiſitione vel receptione mirabilis, apoſtolicæ prædicationis fideliſſimus & acceptus alumnus, ſacerdos effulſit egregius, & martyr inſignis, per Xpm. *l. El.*

Ad Comm. G.

Beati Clementis, Dne, natalitio fidelibus tuis cœleſtia munera ſuffragentur; & qui tibi placuit, nobis imploret auxilium, per. *g.* Alia. GG.

Corporis ſacri & pretioſi ſanguinis repleti libamine, quæſumus Dne Deus noſter! ut quod pia devotione gerimus, certa redemptione capiamus, per. gg.

Unde ſupra alia Miſſa Ambroſ.

Pontificis & Martyris tui Clementis, quæſumus Dne, in conſpectum divinæ maieſtatis tuæ pro nobis aſcendat oratio, cui beatam ſocietatem cum tuis donare iuſſiſti Apoſtolis & Martyribus, per Dnm. *Alia.*

Beati Sacerdotis & Martyris tui Clementis natalitia veneranda, quæſumus Dne, eccleſia tua devota ſuſcipiat, & magnæ glorificationis efficiatur amore devotior, per. *l.*

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut beati Sacerdotis & Martyris tui Clementis adiuvemur auxilio: cui in deſerto populus, ut crederet, admirabilem contuliſti potentiam, ut ſitientibus ex tumulis, quos eis terra negabat, natura fontium liquores produceret, per.

Secreta.

Interceſſio ſci Clementis miſericordiæ tuæ, Dne, munera nra conciliet: ut quod merita nra non valent, eius deprecatio nobis indulgentiam obtineat, per Dnm. *l.* *Præfatio.*

VD. æterne Deus! qui Scis tuis ad tyrannorum ſuperandas feritates admirabilem te credimus donare conſtantiam; nam cum iniquiſſimus perſecutor beatum Clementem pœnis afficere a diabolo cogeretur, non ei tormentum intulit, ſed triumphum. Iactatur ergo Martyr tuus in fluctibus, ut mergeretur iniquiſſima ſententia; ex hoc ergo pervenit ad præmium, unde Petrus magiſter eius pervenit ad regnum: Amborum Xpus in fluctibus approbat mentes; Clementem ad palmam victoriæ de profundo revocat, Petrum ad cœleſtia regna in eodem elemento, ne mergeretur, elevavit idem Ihs Xps Dns nr, per quem maieſtatem.

Ad Comm.

Purificet nos, Dne quæſumus, & divini perceptio ſacramenti, & glorioſæ confeſſionis oratio, per D.

Eodem Die Natl. Scæ FELICITATIS.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut beatæ Felicitatis Martyris tuæ ſolemnia recenſentes, meritis ipſius protegamur & precibus, per Dnm. *El. gg.*

Secreta.

Munera tibi, Dne, pro ſcæ Felicitatis glorioſa commemoratione deferimus: quæ nobis huius ſolemnitatis effectum & confeſſione dedicavit & ſanguine, per. *g.*

Alia. GG.

Vota populi tui, Dne, propitiatus intende: & quorum nos tribuis ſolemnia celebra-

lebrare, fac gaudere ſuffragiis, per Dnm. nrm. l. gg.

Ad Comm. G. & GG.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus! ut intervenientibus Scis tuis, & tua in nobis dona multiplices, & tempora nra diſponas, per Dnm. *l. El. gg.*

[*VIII. Kl. Dec.*

Natl. Sci CHRYSOGONI. G.

Præſta nobis, omnipotens Deus, ut beatum Chryſogonum Martyrem tuum, quem fidei virtute imitari non poſſumus, non indigna ſaltem veneratione ſectemur, per. Alia. GG.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus nris: ut qui ex iniquitate nra reos nos eſſe cognoſcimus, beati Chryſogoni Martyris tui intercеſſione liberemur, per Dnm. El. gg.

Secreta. G.

Offerimus tibi, Dne, preces & munera, in honore Scorum tuorum gaudentes: præſta quæſumus, ut & convenienter hæc agere, & remedium ſempiternum valeamus acquirere, per Dnm.

Alia Secreta.

Oblatis, quæſumus Dne, placare muneribus: & intercedente beato Chryſogono Martyre tuo, a cunctis nos defende periculis, per Dnm. El. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus, qui nos aſſiduis Martyrum paſſionibus conſolaris, & eorum ſanguinem triumphalem, quem pro confeſſione nominis tui infidelibus præbuere fundendum, ad tuorum facis auxilium tranſire fidelium, per Xpm Dnm. *El. gg.* *Ad Comm.* G.

Annue, Dne quæſumus, ut myſteriis tuis iugiter repleamur, & Scorum ſemper auxiliis muniamur, per Xpm.

Alia. GG.

Tui, Dne, perceptione ſacramenti, & a noſtris mundemur occultis, & ab hoſtium liberemur inſidiis, per D. El gg.]

Dom. XXVIII. poſt Pentecoſten. (1)

Deus, qui ore prophetico cogitandam ſuper nos cogitationem pacis, non afflictionis, promiſiſti: cogita, quæſumus, cogitationem nræ æternæ redemptionis, & educ nos de captivitate tenebrarum, ut videre poſſimus, quæ agenda ſunt, & quæ recta ſunt, agere valeamus, per Dnm.

Secreta.

De profundis clamantium ad te, Deus, preces & hoſtias dignanter exaudi & ſuſcipe: ut nos de profundo iniquitatis eripias, & ad gaudia æterna perducas, per Dnm.

Ad Comm.

Dne ſancte Pater! qui nobis ore Filii tui, quicquid orantes te petituri ſumus, exaudire promiſiſti: exaudi, quæſumus, preces noſtras, & fac nos dignos tuæ intereſſe frequentationi, per eundem Dnm nrm.

Incipit Orat. de Adventu.

Dom. V. ante Nat. Domini. (2)

Excita, Domine, potentiam tuam, & veni, & quod eccleſiæ tuæ promiſiſti,

---

(1) Hæc Dominica nuſpiam alias occurrit: ſed in *Eligiano*, quocum in numero Dominicarum conſentit codex noſter, poſt *hebdomadam XXVII. poſt Pentecoſten* ponitur *Hebdomada V. ante Nat. Domini.*

(2) Cum ſacramentarium *San-Gallenſe* triplicem complectens ritum hic ſit mancum, antiquiſſima noſtra exempla ſeu codices originarios, *Rhenaugienſem*, eique geminum *San-Gallenſem*, qui præ manibus eſt, eo tutius ſequimus, quod ad illum ſcriptor totum ritum *Gelaſ.* compoſuerit. Cæterum ritu *Gregoriano* quatuor, *Gelaſiano* quinque, *Ambroſiano* demum ſex Dominicas Adventus numerari, conſtat ex codicibus MSS. diverſi ritus. Vid. Diſquiſit. X. c. 2. p. 930. ubi pariter de varia eas numerandi ratione agitur.

Digitized by Google

ſti, uſque in finem ſæculi clementer operare. Per. *g. El. gg.*

Alia.

Conſcientias noſtras, quæſumus omnipotens Deus, cotidie viſitando purifica: ut veniente Filio tuo Domino noſtro paratam ſibi in nobis inveniat manſionem. Per. *g. gg.*

Secreta.

Sacrificium tibi, Domine, celebrandum placatus intende: quod & nos a vitiis noſtræ conditionis emundet, & tuo nomini reddat acceptos. Per. *l. g. El.*

Præfatio.

VD. Qui nos tamquam nutrimentis inſtituens parvulorum, diſpenſatis mentis & corporis alimentis, per humanorum foves incrementa profectuum, donec immortalitatem, ſocietatemque pro noſtro quique modulo finita mortalitate capiamus. Per Chriſtum. *l.* (1)

Poſt Comm.

Animæ noſtræ, quæſumus omnipotens Deus, hoc potiantur deſiderio, ut a tuo Spiritu inflammentur: ut ſicut lampades divino munere ſatiati, ante conſpectum venientis Chriſti Filii tui velut clara lumina fulgeamus. *g. El.* (2)

[*III. Kl. Dec.*

Natl. ſcorum SATURNINI, CHRYSANTHI, MAURI & DARIÆ. (3)

Beatorum Martyrum, Domine, Saturnini & Chryſanthi nobis adſit oratio: ut quos obſequio veneramur, pio iugiter experiamur auxilio. Per. *g.*

Super Obl.

Populi tui, Domine quæſumus, tibi grata ſit hoſtia, quæ in natalitiis ſanctorum Martyrum tuorum Saturnini & Chryſanthi ſolemnitatibus immolatur. Per. *g.*

Poſt Comm.

Myſteriis, Domine, repleti ſumus, votis & gaudiis: præſta quæſumus, ut per interceſſionem Martyrum tuorum Saturnini & Chryſanthi, quæ corporaliter agimus, ſpiritaliter conſequamur. Per Dnm. *g.*] (4)

III. Kl. Dec.

Vigil. Sci ANDREÆ.

Quæſumus omnipotens Deus, ut beatus Andreas Apoſtolus pro nobis imploret auxilium: ut a noſtris reatibus abſoluti, a cunctis etiam periculis exuamur. Per. *El. gg.*

Alia.

Tuere nos, miſericors Deus, & beati Andreæ Apoſtoli tui, cuius natalitia prævenimus, ſemper guberna præſidiis. Per. *g. El.* (5)

Secreta.

Sacrandum tibi, Domine, munus offerimus,

---

(1) Hanc eandem præfationem ex Cod. *Remenſi* citat MENARDUS nota 642. in ſactam. *Greg.*

(2) Codex *S. Eligianus* addit pag. 187. orationem *Super populum.* Preces populi tui &c.

(3) SS. MAURUS & DARIA in *Gelaſiano* ponuntur quidem in inſcriptione, nunquam tamen in orationibus.

(4) Alia Miſſa *Gregoriana* ex *San. Blaſiano*, de S. SATURNINO.

Deus, qui nos beati Saturnini Martyris tui concedis natalitio perfrui: eius nos tribue meritis adiuvari. Per. *g. El. gg.*

Secreta.

Munera, Dne, tibi dicata ſanctifica: & intercedente beato Saturnino Martyre tuo, per eadem nos placatus intende. Per D. *El. gg.*

Ad Comm.

Sanctificet nos, Dne, tui perceptio ſacramenti: & interceſſione Sanctorum tibi reddat acceptos. Per. D. *El. gg.*

(5) Elig. *Ad complendum alia.*

rimus, quo beati Andreæ ſolemnia recolentes, purificationem quoque noſtris mentibus imploramus. Per. *l. El. gg.*

Præfatio.

VD. Reverentiæ tuæ dicato ieiunio gratulantes, quod apoſtolica beati Andreæ merita deſideratis prævenimus officiis, (1) & eadem celebranda ſolemniter præparemur. Per Chriſtum. *g.*

Poſt Comm.

Perceptis, Domine, ſacramentis ſuppliciter exoramus: ut intercedente beato Andrea Apoſtolo tuo, quæ pro illius veneranda gerimus paſſione, nobis proficiant ad medelam. Per. *l. El. g g.*

II. Kl. Dec. Nat. S. ANDREÆ.

Maieſtatem tuam, Dne, ſuppliciter exoramus: ut ſicut Eccleſiæ tuæ beatus Andreas Apoſtolus extitit prædicator & rector; ita apud te ſit pro nobis perpetuus interceſſor. Per. *l. g. El. gg.*

Alia.

Deus, qui humanum genus tuorum retibus præceptorum capere conſtituiſti: reſpice propitius ad tanti ſolemnia piſcatoris, & tribue; ut natalitia (l. *natalitio*) eius munere gratulantes æternæ vitæ præmia conſequamur. Per.

Secreta.

Sacrificium noſtrum tibi, Dne quæſumus, beati Andreæ precatio ſancta conciliet: ut in cuius honore ſolemniter exhibetur, eius meritis efficiatur acceptum. Per. *g. El. gg.*

Præfatio. (2)

VD. Adeſt enim nobis dies magnificus votivo myſterio, venerandus Andreas germanus glorioſi Apoſtoli tui Petri, tam prædicatione Xpi tui, quam converſatione monſtravit: ut id, quod libera prædicaverat voce, nec pendens taceret in cruce, auctoremque vitæ perennis tam in hac vita ſequi, quam in mortis genere meruit imitari: ut cuius præcepto terrena in ſemetipſo crucifixerat deſideria, eius exemplo ipſe patibulo fieretur (l. *figeretur*). Utriusque igitur germini (Greg. *utrique igitur germani*) piſcatores, ambo cruce elevantur ad cœlum, ut quos in huius vitæ curſu gratia tua tot vinculis pietatis obſtrinxerat, ſingulis (Greg. *hos immarceſcibilis in regno cœlorum necteret & corona;*) in regno cœlorum necteret & coronaret; & quibus erat una cauſa certaminis, una retributio eſſet & præmii. Per Xpm. *l. El. gg.*

Poſt Comm.

Beati Andreæ Apoſtoli tui, Dne quæſumus, interceſſione nos adiuva: pro cuius ſolemnitate percepimus tua ſancta lætantes. Per. *l. g.*

Ad populum.

Beati Andreæ Apoſtoli ſupplicatione, quæſumus Dne, plebs tua benedictionem percipiat: ut de eius meritis & feliciter glorietur, & ſempiternis valeat conſortiis ſociata lætari. Per. *Ad*

---

(1) Apud MENARDUM nota 505. ex cod. *Remenſi* legitur: *ut ad eadem &c.*: monet vero, ita eſſe legendum: *ut qui apoſtolica - - - officiis, ad eadem &c.*

(2) Præfatio mendoſa, in *Greg.* apud MURAT. & *Elig.* ita legitur: *Adeſt nobis dies magnifici votiva myſterii, qua venerandus Andreas Apoſtolus germanum ſe glorioſi Apoſtoli tui Petri, tam prædicatione Chriſti tui, quam converſatione monſtravit.*

Ad Veſp.

Da nobis, quæſumus Dne Deus noſter, beati Apoſtoli tui Andreæ interceſſionibus ſublevari: ut per quos Eccleſiæ tuæ ſuperni muneris rudimenta donaſti, per eos ſubſidia perpetuæ ſalutis impendas. Per. *l. El. gg.*

Alia.

Exaudi, Dne, populum tuum cum ſancti Apoſtoli tui Andreæ patrocinio ſupplicantem: ut tuo ſemper auxilio ſecura tibi poſſit devotione ſervire. Per. *El. gg.*

Dom. IIII. ante Natl. Dni. (1)

Excita, Domine quæſumus, potentiam tuam, & veni: ut ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante ſalvari. Per. *El. gg.*

Alia.

Præveniat nos, quæſumus omnipotens Deus, tua gratia ſemper & ſubſequatur: ut per adventum Unigeniti tui, quem ſummo cordis deſiderio ſuſtinemus, & præſentis vitæ ſubſidia, & futuræ etiam conſequamur. Per Dnm. *g.*

Secreta.

Hæc ſacra nos, Dne, potenti virtute mundatos, ad ſuum faciant puriores venire principium. Per. *gg.*

Præfatio.

VD. Cui proprium eſt ac ſingulare, quod bonus es, & nulla unquam a te es communicatione (g. gg. *commutatione*) diverſus: propitiare ſupplicationibus noſtris, & eccleſiæ tuæ miſericordiam tuam, quam confitetur, oſtende; manifeſtans plebi tuæ Unigeniti tui (2) mirabile ſacramentum, ut in univerſitate nationum perficiatur, quod per Verbi tui evangelium promiſiſti, & habeat plenitudo adoptionis, quod pertulit (l. *protulit*) teſtificatio veritatis. (3) Per Chriſtum. *g. El. gg.*

Poſt Comm.

Suſcipiamus, Dne, miſericordiam tuam in medio templi tui: & (al. *ut*) reparationis noſtræ ventura ſolemnia congruis honoribus præcedamus. Per. *El. gg.*

Orationes de Adventu Dni. Cotidianis diebus ad Miſſam.

Deus, qui conſpicis, quia in tua pietate confidimus: concede propitius, ut de cœleſti ſemper protectione gaudeamus. Per. *g. El.*

Alia.

Subveniat nobis, Dne, miſericordia tua: & (ed. *ut*) ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis te mereamur veniente ſalvari. Per. *g. El. gg.*

Secreta.

Grata tibi ſint, Dne, munera, quibus myſteria celebrantur noſtræ libertatis & vitæ. Per. *g. El.*

Poſt Comm.

Da, quæſumus omnipotens Deus! cunctæ familiæ tuæ hanc voluntatem (in Elig. deeſt *in*) in Chriſto Filio tuo Dno nro, veniente (ed. *venienti*) in operibus iuſtis aptos occurrere: ut eius dexteræ ſociati regnum mereantur poſſidere cœleſte. Per. *g. El.*

Item

---

(1) Ab hac *Dominica IIII. ante Natale Domini*, ut inſcribitur in antiquiſſimo ſacramentario *Gregoriano San-Blaſiano*, incipit ut hodieque Adventus Domini, iisdem orationibus, excepta ſecunda & Præfatione ſingulari, quæ ſunt a ritu *Gregor.* aliena.

(2) g. gg. Interponunt: *& Incarnationis myſterium, & Adventus &c.*

(3) Ita pariter habetur in Codice *Remenſi*, apud MENARDUM not. 644. & ſeqq. in ſacrament. *Greg.* & in ſacrament. *Gallicano* apud MURATOR. p. 785. ſeq.

Digitized by Google

Item alia Miſſa.

Excita, Dne, potentiam tuam, & veni: ut tua propitiatione ſalvemur. Per. *g. El*

Alia.

Feſtina, ne tardaveris Domine Deus noſter: & a diabolico furore nos potenter elibera. (g. El. *libera.*) Per. *g. El.*

Secreta.

Intende, quæſumus Dne, ſacrificium ſingulare: & (ed. *ut*) huius participatione myſterii, quæ ſperanda credimus, expectata ſumamus. Per. *l. El.*

Poſt Comm.

Hos, quos reficis ſacramentis, adtolle benignus auxiliis: ut tuæ redemptionis effectum & myſteriis accipiamus & moribus. *g*

Alia.

Exultemus, quæſumus Dne Deus noſter, omnes recti corde in unitate fidei congregati: ut veniente Salvatore noſtro Filio tuo, immaculati occurramus illi in eius Sanctorum comitatu. Per. *g. El.*

Alia.

Fac nos, Domine quæſumus, mala noſtra toto corde reſpuere: ut veniente Filio tuo Domino noſtro bona eius capere valeamus. Per. *g. El.*

Super Obl.

Concede, quæſumus omnipotens Deus! ut huius ſacrificii munus oblatum fragilitatem noſtram ab omni malo purget ſemper & muniat. Per.

Poſt Comm.

Spiritum in nobis, Dne, tuæ caritatis infunde; ut quos uno cœleſti pane ſatiaſti, una facias pietate concordes. Per. *l.*

Super populum.

Preces populi tui, quæſumus omnipotens Deus, clementer exaudi: ut qui iuſte pro peccatis noſtris affligimur, pietatis tuæ viſitatione conſolemur. Per. *g. El.*

[*VII. Id. Dec.*

Oct. Sci ANDREÆ Apoſtoli. (1)

Protegat nos, Dne, ſæpius beati Andreæ Apoſtoli repetita ſolemnitas: ut cuius patrocinia ſine intermiſſione recolimus, perpetuam defenſionem ſentiamus. Per. *g.*

Super Obl.

Indulgentiam nobis præbeant hæc munera, quæſumus Dne, largiorem, quæ venerabilis Andreæ ſuffragiis offeruntur. Per Dnm. *g.*

Poſt Comm.

Adiuvet familiam tuam tibi, Domine, ſupplicando venerandus Andreas Apoſtolus, & pius interventor efficiatur; qui tui nominis extitit prædicator. Per.] *g.*

[*III. Id. Dec.*

Nat. Sci DAMASI Papæ.

Miſericordiam tuam, Domine, nobis, quæſumus, interveniente beato Confeſſore tuo Damaſo clementer impende: & nobis peccatoribus ipſius propitiare ſuffragiis. Per.

Super Obl.

Da nobis, quæſumus Dne, ſemper hæc tibi vota gratanter perſolvere, quibus ſancti Confeſſoris tui Damaſi depoſitionem recolimus: & præſta; ut in eius ſemper laude tuam gloriam prædicemus. Per Dnm.

Poſt Comm.

Sumptum, Dne, cœleſtis remedii ſacramentum, ad perpetuam nobis prove-

(1) Eadem Miſſa habetur de octava S. ANDREÆ in vulgato *Gelaſ.*

Digitized by Google

nire gratiam beatus Damaſus Pontifex obtineat Per.]

Dom. III. ante Nat. Dni. (1)

Excita, Dne, corda noſtra ad præparandas Unigeniti tui vias: ut per eius adventum purificatis tibi mentibus ſervire mereamur. Per. *g. El. gg.*.

Alia.

Præcinge, Dne Deus noſter, lumbos mentis noſtræ divina virtute potenter: ut venientem Dnm nrm Ihm Xpm Filium tuum (ed. *veniente Dno nro Ihu Xpo Filio tuo*) digni inveniamur æternæ vitæ convivio, & vota cœleſtium dignitatum ab ipſo percipere mereamur. Per. *g. El. gg.*

Secreta.

Placare, Dne quæſumus, humilitatis noſtræ precibus & hoſtiis: & ubi nulla ſuppetunt ſuffragia meritorum, tuis (g. *tuæ*) nobis indulgentiæ ſuccurre præſidiis. Per. *g. El. gg.*

[*Præfatio.* (2)

VD. Cui proprium eſt veniam delictis impendere, quam pœnaliter imminere: qui fabricam tui operis pereuntem (al. *per eundem rurſus lapidem*) rurſus lapide es dignatus erigere, ne imago, quæ ad ſimilitudinem tui facta fuerat vivens, diſſimilis haberetur ex morte, munus venialis indulgentiæ præſtitiſti: ut unde mortem peccatum contraxerat, inde vitam pietas repararet immenſa. Hæc poſtquam prophetica ſæpius vox prædixit, & Gabriel Angelus Mariæ iam præſentia nuntiavit, mox puellæ credentis in utero fidelis Verbi manſit aſpirata conceptio. Et illa proles naſcendi ſub lege latuit, quæ cuncta ſuo naſci nutu conceſſit. Tendebatur Virginis ſinus, & fœcunditatem ſuorum viſcerum corpus mirabatur intactum. Grande mundo ſpondebatur auxilium, feminæ partus ſine viro myſterium, quando nullius nebulæ fuſcata tenſo nutriebat ventre præcordia, mox futura ſui genitrix genitoris. Quem.] *El. gg.*

Poſt Comm.

Repleti cibo ſpiritalis alimoniæ ſupplices te, Dne, deprecamur; ut huius participatione myſterii, doceas nos terrena deſpicere, & amare cœleſtia. Per. *g. El. gg.*

[*Id. Dec. Natl. Scæ LUCIÆ.*

Interceſſio nos, quæſumus Domine, ſanctæ Luciæ Martyris tuæ votiva confoveat: ut eius ſacrata natalitia & temporaliter frequentemus, & conſpiciamus æterna. Per Dnm. *g. El.*

Super Obl.

Quæſumus virtutum cœleſtium Deus! ut ſacrificia pro ſanctæ tuæ Luciæ ſolemnitate dicata deſideriorum nos temporalium doceant habere contemptum, & ambire dona faciant cœleſtium gaudiorum. Per. *g. El.*

Poſt

(1) Eadem Miſſa ad Dominicam tertiam ante Natale Domini, quæ eſt ſecunda Adventus, notatur in *San-Blaſiano* ſacram. *Gregoriano*, eſtque eadem cum hodierna, excepta oratione ſecunda & Præfatione, quæ ipſa in antiquiſſimo *Rhenaugienſi* deſideratur.

(2) Hæc eadem Præfatio ex Cod. *Remenſi* citatur a MENARDO not. 647. in ſacram. *Greg.* & habetur in ordine Miſſæ *Ambroſianæ*, Dom. IV. Adventus infra, item in antiquo ſacramentario *Gallicano* apud MURATORIUM uſque ad verba: *aſpirata conceptio.* p. 791. ex quo variantes damus. Eadem fere Præfatio legitur in *Gregoriano* apud MURATORIUM p. 344. ſeq. & in *Elig.* pag. 188.

Digitized by Google

Poſt Cemm.

Læti, Domine, ſumpſimus ſacramenta cœleſtia, quæ intercedente pro nobis beata Lucia Martyre tua ad vitam nobis proficiant ſempiternam. Per.] *g. El.* (1)

Dom. II. ante Natl. Dni. (2)

Aurem tuam, quæſumus Domine, precibus noſtris accommoda: & mentis noſtræ tenebras, gratia tuæ viſitationis illuſtra. Per. *g. El. gg.*

Alia.

Fac nos, quæſumus Domine Deus noſter, pervigiles atque ſollicitos adventum expectare Chriſti Filii tui Domini noſtri, ut dum venerit pulſans, non dormientes peccatis, ſed vigilantes, & in ſuis inveniat laudibus exultantes. Per. *g. El.*

Secreta.

Devotionis noſtræ tibi, quæſumus Domine, hoſtia iugiter immoletur: quæ & ſacri peragat inſtituta myſterii, & ſalutare tuum nobis mirabiliter operetur. Per. *g. El. gg.*

Præfatio.

VD. Referentes gratiarum de præteritis muneribus actionem, promptius, quæ ventura ſunt, præſtanda confidimus; nec eſt nobis ſeminum deſperanda fœcunditas, cum pro ſupplicationibus noſtris annua devotione venerandus etiam Matris Virginis fructus ſalutaris intervenit Chriſtus Dominus noſter; Per quem. *g.*

Poſt Comm.

Imploramus, Domine, clementiam tuam: ut hæc divina ſubſidia a vitiis expiatos, ad feſta ventura nos præparent. Per Dnm. *El. gg.*

Menſis decimi

Fer. IIII. ad Scam MARIAM.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus: ut redemptionis noſtræ ventura ſolemnitas & præſentis nobis vitæ ſubſidia conferat, & æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per Dnm. *g. El. gg.*

Alia.

Feſtina, quæſumus Dne, ne tardaveris, & auxilium nobis ſupernæ virtutis impende: ut adventus tui conſolationibus ſubleventur, qui in tua pietate confidunt. Per. g. *El. gg.*

Secreta. (3)

Eccleſiæ tuæ, Dne, munera placatus adſume: quæ & miſericors offerenda tribuiſti, & in noſtræ ſalutis potenter efficis tranſire myſterium. Per. *l. g.*-

Præfatio.

VD. Ieiunii obſervatione quærere, qui ſanctificator & inſtitutor es abſtinentiæ, cuius nullus finis, nullusque numerus eſt: effunde ſuper nos in diebus ieiuniorum

---

(1) Alia Miſſa *Gregoriana* ex *San-Blaſiano*:

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter: ut ſicut de beatæ Luciæ feſtivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per D.

Secreta.

Accepta tibi ſit, Dne, ſacratæ plebis oblatio, pro tuorum honore Sanctorum: quorum ſe meritis percepiſſe de tribulatione cognoſcit auxilium. Per D.

Ad Comm.

Satiaſti, Dne, familiam tuam muneribus ſacris: eius, quæſumus, ſemper interventione nos reſove, cuius ſolemnia celebramus. Per.

(2) Eadem eſt in ſacramentario *Gregoriano San-Blaſiano* Miſſa, excepta oratione ſecunda & præfatione.

(3) Deinceps in his feriis menſis decimi paſſim variant orationes in antiquiſſimo ſacramentario *Gregoriano San-Blaſiano*; eædem enimvero ad unam omnes cum hodiernis miſſalis *Romani* ſunt.

Digitized by Google

niorum noſtrorum ſpem gratiæ ſalutaris, & ab omnibus nos perturbationibus ſæculi huius tua defenſione conſerva. Per. *gg.* (1)

Poſt Comm.

Tuorum nos, Dne, largitate donorum & temporalibus adtolle præſidiis, & renova ſempiternis. Per D. *l. g. gg.*

Super populum.

Gratiæ tuæ, quæſumus Dne, ſupplicibus tuis tribue largitatem: ut mandata tua, te operante (ed. *opitulante*) ſectantes conſolationem præſentis vitæ percipiant & futuræ. Per. *El.*

Fer. VI. ad Apoſtolos.

Excita, quæſumus Dne, potentiam tuam, & veni: ut hi, qui in tua pietate confidunt, ab omni citius adverſitate liberentur. *g. El. gg.*

Alia.

Prope eſto, Dne, omnibus expectantibus te in veritate: ut in adventum Filii tui Dni noſtri placitis ſibi actibus præſentemur. Per eundem. *g. El. gg.*

Secreta.

Præſta, Domine quæſumus, ut dicato munere congruente noſtræ devotionis offeramus affectum. Per. *l. g. El.*

Præfatio.

VD. Qui non ſolum peccata dimittis, ſed ipſos etiam iuſtificas peccatores, & reis non tantum pœnam relaxas, ſed donas & præmia. *l. El. gg.* (2)

Poſt Comm.

Proſint nobis, Dne, ſumpta myſteria: pariterque nos & a peccatis exuant, & præſidiis tuæ propitiationis adtollant, Per. *l. g. El.*

Super populum.

Exaudi, Dne, populum tuum tota tibi mente ſubiectum: ut corpore & mente protectus, quod pie credit, tua gratia conſequatur. Per. *gg.*

Sabb. ad Scm PETRUM in XII. Lect.

Deus, qui conſpicis, quia ex noſtra pravitate adfligimur: concede propitius, ut ex tua viſitatione conſolemur. Per Dnm. *g. El. gg.*

Alia.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris; & præſentis vota ieiunii placita tibi devotione exhibere concede. Per. *g.*

Alia.

Indignos nos, quæſumus Dne, famulos tuos, quos actionis propriæ culpa contriſtat, unigeniti Filii tui nos adventu lætifica. Per. *g. El. gg.*

[*Alia.*

Deus, qui pro animarum expiatione noſtrarum ſacri ieiunii inſtituta mandaſti: fragilitati noſtræ adiumenta concede, & effectum cœleſtium mandatorum benignus inſpira. Per. *g.*

Alia.

Miſerationum tuarum, Dne quæſumus, præveniamur auxilio: ut in huius ſolemnitate ieiunii omnium tibi ſit devotio grata fidelium. Per.] *g.*

Poſt

---

(1) *Ubi in fine adiectum legitur:* ut qui Unigeniti Dni celebramus adventum, continuum eius ſentiamus auxilium. Per quem *ſimiliter & in* Eligiano.

(2) *In quibus additur:* Cuius nos pietatem ſupplices exoramus, ut qui ieiuniis & votis ſolemnibus nativitatem Unigeniti tui prævenimus, illius dono & præſentis vitæ perturbationibus careamus & æterna munera capiamus. Per quem.

Digitized by Google

Poſt Bened. (1)

Deus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum. Per. *g. El. gg.*

Secreta.

Eccleſiæ tuæ, Dne, munera ſanctifica: concede, ut per hæc veneranda myſteria pane cœleſti refici mereamur. Per. *g. El.*

Præfatio.

VD. Quoniam ſalubre meditantes ieiunium neceſſaria curatione tractamus, ut per obſervantiæ competentes (l. *competentis*) obſequium, de perceptis gratis (l. *grati*) muneribus de percipiendis efficiamur gratiores: ut non ſolum terrena felicitate (Leon. *fertilitate*) lætemur, ſed nativitatem panis æterni purificatis ſuſcipiamus mentibus honorandum. Per Xpm. *l.*

Poſt Comm.

Quæſumus, Dne Deus noſter: ut ſacroſancta myſteria, quæ preparationis (l. *pro reparationis*) noſtræ munimine contuliſti, & præſens nobis remedium eſſe facias & futurum. Per. *El. gg.*

Super populum.

Veniat, Dne quæſumus, populo tuo ſupplicanti tuæ benedictionis infuſio; quæ diabolicas ab eodem repellat inſidias, quæ fragilitatem mundet & protegat, quæ inopem ſuſtentet & foveat. Per. *g.*

Alia Miſſa Gregoriana.

Deus, qui conſpicis, quia ex noſtra pravitate. *Ut ſupra. g. El. gg.*

Alia.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut quia ſub peccati iugo ex vetuſta ſervitute deprimimur, expectata Unigeniti Filii tui nova nativitate liberemur. Per eundem. *g. El. gg.*

Alia.

Indignos, quæſumus Dne, famulos tuos. *Ut ſupra. g. El. gg.*

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut Filii tui ventura ſolemnitas, & præſentis nobis vitæ remedia conferat, & præmia æterna concedat. Per eundem. *g. El. gg.*

Alia.

Preces populi tui, quæſumus Dne, clementer exaudi: ut qui iuſte pro peccatis noſtris affligimur, pietatis tuæ viſitatione conſolemur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis. *g. El. gg.*

Ad Miſſas.

Deus, qui tribus pueris mitigaſti. *Ut ſupra.*

Secreta.

Sacrificiis præſentibus, Dne, placatus intende, ut & devotioni noſtræ proficiant, & ſaluti, per Dnm. *l. g. gg.*

Poſt Comm.

Quæſumus Dne Deus noſter, ut ſacroſancta myſteria. *Ut ſupra. El. gg.*

Die Dominica vacat. (2)

Excita, Dne, potentiam tuam & veni, & magna nobis virtute ſuccurre: ut per auxilium gratiæ tuæ, quod noſtra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret, qui vivis. *g. El. gg.*

Alia.

Adiuva, Dne, fragilitatem plebis tuæ: ut ad votivum magnæ feſtivitatis effectum & corporaliter gubernata recurrat, & ad perpetuam gratiam devota mente perveniat, per Dnm. *g. El.*

Secreta.

Sacrificiis præſentibus, Dne, placatus intende, ut & devotioni noſtræ proficiant, & ſaluti, per. *l. g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus, ſanctificator & conditor generis humani, qui Filio tuo tecum æterna claritate regnante, cum de nullis

---

(1) Hucusque mancus reſciſſis paginis codex *San-Gallenſis* ritus triplicis, hic iterum intrat.

(2) Antiquo ritu hæc eſt Dominica I. ante Natale Domini, moderno autem Dominica IV. Adventus.

Digitized by Google

nullis extantibus cuncta protuliſſes, hominem limoſi pulveris initiis inchoatum, ad ſpeciem tui decoris animaſti, eumque credula perſuaſione deceptum reparare voluiſti, ſpiritalis gratiæ æterna ſuffragia mittendo nobis Ihm Xpm Dnm nrm; per quem maieſtatem.

Poſt Comm.

Sumptis muneribus, Dne, quæſumus, ut cum frequentatione myſterii, creſcat noſtræ ſalutis effectus. Per Dnm. *g. gg.*

Miſſa Ambroſiana.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut adventus glorioſiſſimi Filii tui, & peccata noſtra abluat, & populo tuo pacem conferat & ſalutem. Qui tecum.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per adventum Unigeniti Filii tui Dni nri Ihu Xpi nova luce radiare dignatus es: concede nobis, ut ſicut eum per Virginis partum in forma noſtri corporis meruimus habere participem, ita & in regno gratiæ eius mereamur eſſe conſortes. Per eundem.

Secreta.

Devotionis noſtræ tibi, Domine quæſumus, hoſtia iugiter immoletur: quæ & ſacri peragat inſtituta myſterii, & ſalutare tuum nobis mirabiliter operetur. Per Dnm. *l. g. El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus, cui proprium eſt veniam delictis impendere, quam pœnaliter imminere: qui fabricam tui operis per eundem rurſus lapidem es dignatus erigere, ne imago, quæ ad ſimilitudinem tui facta fuerat vivens, diſſimilis haberetur ex morte, munus veniabilis indulgentiæ præſtitiſti, ut unde mortem peccatum contraxerat, inde vitam pietas repararet immenſa. Per Xpm. *Vid. ſupra p. 204. El. gg.*

Poſt Communion.

Animæ noſtræ, quæſumus omnipotens Deus, hoc potiantur deſiderio: ut a tuo Spiritu inflammentur, & divino munere ſatiati, ante conſpectum venientis Xpi Filii tui, velut clara luminaria fulgeamus. Per eundem. *g. El.*

[*XII. Kal. Ian.*

Natl. ſancti THOMÆ Apoſtoli.

Da nobis, quæſumus Dne, beati Apoſtoli tui Thomæ ſolemnitatibus gloriari: ut eius ſemper & patrociniis ſublevemur, & fidem congrua devotione ſectemur, per Dnm. *l. g. El. gg.*

Secreta.

Debitum, Dne, noſtræ reddimus ſervitutis, ſuppliciter exorantes: ut ſuffragiis beati Thomæ Apoſtoli in nobis tua munera tuearis, cuius honorando confeſſionem, laudis tibi hoſtiam immolamus. per Dnm. *l. g. El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus. Qui eccleſiam tuam in apoſtolicis tribuiſti conſiſtere fundamentis, de quorum collegio beati Thomæ ſolemnia celebrantes, tua, Dne, præconia non tacemus. Per Xpm Dnm. *l. El. gg.* *Poſt Comm.*

Conſerva, Dne, populum tuum, & quem Sanctorum tuorum præſidiis non deſinis adiuvare, perpetuis tribue gaudere remediis, per Dnm.] *g. El.*

Dominica V. de Adventu Domini.

Miſſa Ambroſiana.

Preces populi tui, quæſumus Dne, clementer exaudi; ut qui de adventu unigeniti Filii tui ſecundum carnem lætantur, in ſecundo, cum venerit in maieſtate ſua, præmium capiant vitæ æternæ, per eundem. *g. El. gg.*

Alia.

Deus, qui hominem delapſum in mortem conſpiciens, Unigeniti tui adventu redimere voluiſti: præſta quæſumus, ut qui eius glorioſam incarnationem fatentur, ipſius etiam redemptoris conſortia mereantur. Qui tecum vivit.

Secreta.

Propitius intuere, Dne quæſumus, munera, quæ tuis altaribus exhibemus: & quod a noſtra fragilitate defertur, tua virtute ſacretur, per Dnm. *l.*

Præ-

Præfatio.

VD. per Xpm Dnm nrm. Cuius divinæ nativitatis potentiam ingenita virtutis tuæ genuit magnitudo, quem ſemper Filium, & ante tempora æterna genitum, quia tibi pleno atque perfecto æterni Patris nomen non defuit, prædicamus: verum etiam honore & maieſtate atque virtute æqualem tibi cum ſancto Spiritu confitemur, dum in trino vocabulo unicam credimus maieſtatem, quam laudant angeli, *vel* & ideo. *gg.*

Poſt Comm.

Repleti cibo ſpiritalis alimoniæ te, Dne, ſupplices deprecamur: ut huius participatione myſterii doceas nos terrena deſpicere, & amare cœleſtia; atque omni nexu mortiferæ cupiditatis exutos, regni perpetuæ libertatis conſortes efficias, per Dnm. *g. El. gg.*

Aliæ orationes de Adventu Domini.

Concede, quæſumus omnipotens Deus! ut magnæ feſtivitatis ventura ſolemnia proſpero celebremus effectu, pariterque reddamur & intenti cœleſtibus diſciplinis, & de noſtris temporibus lætiores, per Dnm. *El. gg.*

Alia.

Mentes noſtras, quæſumus Dne, lumine tuæ viſitationis illuſtra: ut eſſe te largiente mereamur, & inter proſpera humiles, & inter adverſa ſecuri, per Dnm. *El. gg.*

Alia.

Preces populi tui, quæſumus Dne, clementer exaudi, ut qui de adventu unigeniti Filii tui ſecundum carnem lætantur, in ſecundo, cum venerit in maieſtate ſua, præmium vitæ æternæ percipiant, per eundem. *g. El. gg.*

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut Filii tui ventura ſolemnitas, & præſentis nobis vitæ remedia conferat, & præmia æterna concedat. Per eundem. *g. El. gg.*

Alia.

Concede, quæſumus omnipotens Deus! ut quia ſub peccati iugo ex vetuſta ſervitute deprimimur, exſpectata unigeniti Filii tui nova nativitate liberemur. Per eundem. *g. El. gg.*

[*Alia.*

Quæſumus, omnipotens Deus, preces noſtras reſpice, & tuæ ſuper nos viſcera pietatis impende: ut qui ex noſtra culpa affligimur, Salvatore noſtro adveniente reſpiremus. Per eundem. *g. El.*

Alia.

Concede, quæſumus omnipotens Deus! hanc gratiam plebi tuæ, adventum Unigeniti tui cum ſumma vigilantia exſpectare: ut ſicut ipſe auctor noſtræ ſalutis docuit, velut fulgentes lampades in eius occurſum noſtras animas præparemus. Per eundem. *g. El.*

Alia.

Voci noſtræ, quæſumus Dne, aures tuæ pietatis accommoda, & cordis noſtri tenebras lumine tuæ viſitationis illuſtra. Per Dnm. *g. El. gg.*

Alia.

Porrige nobis, Dne, dexteram tuæ propitiationis & veni: & peccata noſtra propitiatus abſolve. Per Dnm. *g. El.*

Alia.

Feſtinantes, omnipotens Deus! in occurſum Filii tui Dni nri nulli impediant actus terreni: ſed cœleſtis ſapientiæ eruditio faciat nos eius eſſe conſortes. Per eundem. *g. El.*

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut qui pro peccatis noſtris meremur affligi, per adventum Xpi Filii tui a cun-

Digitized by Google

ctis mereamur adverſitatibus liberari. Per eundem. *g. El.*

Alia.

Deus, qui nos conſpicis ex noſtra infirmitate deſtitui: adventus tui nos propitiatione cuſtodi, per Dnm. *g. El.*

Alia

Adeſto nobis, quæſumus omnipotens Deus! atque in cunctis actionibus noſtris & aſpirando nos præveni & adiuvando cuſtodi. Per Dnm.] *g. El.*

Item aliæ Orationes de Adventu Domini

Ambroſiana.

Aſpice de cœlo Deus, & veni, & multiplica fidem populi tui; ut per te conſequatur augmentum, per quem ſumpſit initium, qui cum Patre. *Alia.*

Feſtina, quæſumus Dne, ne tardaveris; ut & peccata noſtra deleas, & quæ nobis ſunt adverſa depellas, qui vivis & regnas.

Alia.

Redemptor noſter aſpice Deus, & veni ad liberandum nos de profundo iniquitatis; & dona eccleſiæ tuæ perpetuam tranquillitatem & pacem. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Alia.

Verbi tui nos, quæſumus Dne, adventus illuminet; & a ſordibus peccatorum clementer emundet, qui tecum vivit. *Alia.*

Adiuva, quæſumus Dne, plebem tuam; & ad nativitatem unigeniti Filii tui tribue nos pariter pervenire gaudentes. Per eundem.

Alia.

Reſpice nos, miſericors Deus, & mentibus clementer humanis naſcente Xpo ſummæ veritatis lumen oſtende. Per eundem. g.

Dom. VI. De Adventu Domini.

Ambroſiana Miſſa.

Aſpice de cœlo Deus, & veni, & multiplica fidem. *Ut ſupra.* *Alia.*

Conſcientias noſtras, quæſumus omnipotens Deus, cottidie viſitando purifica: ut veniens Filius tuus Dn9 noſter, paratam ſibi in nobis inveniat manſionem, qui tecum vivit. *g. El. gg.*

Secreta.

Hæc hoſtia, Dne quæſumus, emundet noſtra delicta: ut ſicut adoranda Filii tui natalitia prævenimus, ſic eius munera capiamus ſempiterna gaudentes, qui tecum. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare, nos beatæ ſemper Virginis Mariæ ſolemnia celebrare, quæ parvo utero Dominum cœli portavit, & redemptorem mundi angelo prænuntiante verbum carne mortali edidit Salvatorem, quem caſtis concepit viſceribus clauſa ingrediens & clauſa relinquens, quem una tecum omnipotens Pater cum ſancto Spiritu.

Ad Comm.

Læti, Dne, frequentamus ſalutis humanæ principia, quæ trina celebratio beatæ complectitur myſterio Trinitatis. Per Dominum. *g.*

Item ad ſanctam MARIAM.

Excita, Dne, corda noſtra ad præparandas Unigeniti tui vias, ut per eius adventum purificatis tibi mentibus ſervire mereamur. Per eund. *g. El. gg.*

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus: ut redemtionis noſtræ ſolemnitas & præſentis nobis vitæ ſubſidia conferat, & æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per Dominum. *g. El. gg.*

Secreta.

Altari tuo, Dne, ſuperpoſita munera Spiritus ſanctus aſſumat: qui beatæ Mariæ viſcera ſui ſplendoris veritate replevit. Per Dominum noſtrum. in unitate eiusdem Spiritus S.

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare. Nos tibi Dne Deus omnipotens gratias agere, & cum tuæ invocatione virtutis, beatæ Mariæ feſta celebrare, de cuius ventre fructus effloruit, qui panis angelici munere nos replevit. Quod Eva voravit in crimine, Maria reſtituit: diſtat opus ſerpentis & virginis; inde fuſa ſunt venena diſcriminis, hinc egreſſa myſteria Salvatoris. Inde ſe præbuit tentantis iniquitas, hinc redemptoris eſt opitulata maieſtas; inde partus occubuit, hinc conditor reſurrexit, a quo humana natura non iam captiva ſed libera reſtituitur: quod Adam perdidit in parente, Xpo recepit auctore, quem una tecum omnipotens Pater cum ſancto Spiritu laudant angeli. *Vide Præfat. Chriſmæ in Cœna Dni,*

Poſt Comm.

Adeſto nobis, omnipotens Deus! ut quæ fideliter ſumpſimus, mente & corpore, beatæ Mariæ piæ Matris & perpetuæ Virginis interceſſione, cuſtodiamus. Per Dnm.

COM-

Digitized by Google

COMMUNE SANCTORUM.

MONITUM.

Incipit hic in omnibus antiquis Codicibus Commune, quod vocant, Sanctorum, quamvis inſcriptio hæc in nullo eorum exprimatur; quam nos diſtinctionem, ut hodiernæ conſuetudini aliquid daremus, adponendam eſſe cenſuimus. Uſi quidem ſumus hucuſque codice *San-Gallenſi* triplicis ritus, *Gelaſiani* ſcilicet, *Gregoriani* & *Ambroſiani*, quem initiali littera ſemper expreſſit, prout nos ſupra pag. 5. in notis monuimus. Hoc vero cum deinceps haud amplius obſervet Codex iſte, inſuper deficientibus hinc inde quibusdam foliis ad finem mutilus, *Rhenaugienſem* eidem ſubſtituimus, ordine dumtaxat ex Cod. *San-Blaſiano* nonnihil ſubinde ad normam editorum omnium aliorum Codicum immutato, quem eius ſcriptor haud ſatis obſervavit. Orationibus porro & Præfationibus easdem litteras initiales ſubiunximus, indices ſacra-

Digitized by Google

mentarii, unde deſumtæ ſint, ubi quidem reperiri illud potuit; potiſſimum enim eiusmodi Communia ex proprio ſeu Feſtis Sanctorum fuere deſumta. Nonnumquam vero etiam Miſſale *Gothicum* & *Gallicanum* vetus ad calcem Liturgiæ *Romanæ* a Cl. MURATORIO editæ poſitum citavimus, unde magnam lucem fœneratur Liturgia noſtra *Alemannica*. Sic vero Commune Sanctorum orditur Codex noſter *San-Blaſianus* ex authentico libro bibliothecæ cubiculi editus.

In Vigil. unius Apoſtoli. (1)

Quæſumus, omnipotens Deus, ut beatus ill. Apoſtolus tuus, cuius glorioſa ſolemnia devotis obſequiis prævenimus, (ed. tuum) *pro nobis imploret auxilium: ut a noſtris reatibus abſoluti, a cunctis etiam periculis exuamur. Per D.* El. gg.

Secreta.

Sacrandum tibi, Dne, munus offerimus, quo beati ill. Apli tui ſolemnia recolentes, purificationem quoque nris mentibus imploramus. Per. l. El. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus & maieſtatem tuam ſuppliciter exorare: ut qui beati ill. Apli feſtum ſolemnibus ieiuniis, & devotis prævenimus officiis, illius apud maieſtatem tuam & adiuvemur meritis, & inſtruamur exemplis. Per Xpum. El. gg.

Ad Complendum.

Perceptis, Dne, ſacramentis ſuppliciter exoramus: ut intercedente beato ill. Aplo tuo, quæ pro illius veneranda gerimus ſolemnitate (ed. paſſione), *nobis proficiant ad medelam. Per.* El. gg.

In Nat. unius Apoſtoli.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui huius diei venerandam ſcamque lætitiam beati ill. Apli tui feſtivitate tribuiſti: da eccleſiæ tuæ, quæſumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit. Per. l. g. El. gg.

Alia. (2)

Beatus Aplus tuus ill., Dne quæſumus, te pro nobis imploret: ut a noſtris reatibus abſoluti, a cunctis etiam periculis eruamur. Per. *ex gg. ſupra.*

Secreta.

Offerimus tibi, Dne, preces & munera: quæ ut tuo digna ſint conſpectui, beati ill. Apli tui precibus adiuvemur. Per. l. gg.

Alia ſuper Oblata.

Beati Apli tui ill. Dne, ſolemnia recenſentes, quæſumus; ut eius auxilio benefi-

(1) In edito *Gregoriano* apud MURATORIUM hæc Miſſa habetur in natali unius Apoſtoli.

(2) Hic incipit Commune Sanctorum Codex *San-Gallenſis.*

Digitized by Google

beneficia capiamus, in cuius commemoratione tibi hoſtias laudis offerimus. Per. *l.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Qui nos aſſiduis Aplorum paſſionibus conſolaris, & eorum ſanguinem triumphalem, quem profeſſione nominis tui infidelibus præbuere fundendum, ad tuorum facis auxilium tranſire fidelium. Per Xpm. gg.

Ad Comm.

Da nobis, quæſumus Dne, beati ill. Apli tui ſolemnitate gloriari: ut eius ſemper & patrociniis ſublevemur, & fidem congrua devotione ſectemur. Per. l. gg.

Alia.

Beati Apli tui ill. Dne, nos adiuva interceſſione: pro cuius ſolemnitate percepimus tua ſancta lætantes. Per. *l. g.*

Super populum.

Adiuvet familiam tuam, quæſumus Dne, tibi ſupplicantem venerandus Aplus tuus ill. & interventor efficiatur, qui tui nominis extitit prædicator. Per. *g. El. gg.*

Orationes & preces.

In Natl. unius Apoſtoli. Ambroſ.

Deus, qui es omnium Sanctorum tuorum ſplendor mirabilis, quique hunc diem beati Apli tui ill. martyrio conſecraſti: da eccleſiæ tuæ de natalitia tanti Pontificis tui feſtivitate lætari; ut apud miſericordiam tuam & exemplis eius adiuvemur & meritis. Per. *g. El.* var. *de Com. Aplorum.*

Alia.

Beati ill. Apli tui, Dne, veneranda ſolemnitas & devotionem nobis augeat & ſalutem. Per. *gg.*

Alia.

Maieſtatem tuam, Dne, ſuppliciter exoramus: ut ſicut eccleſiæ tuæ ſanctus Aplus ill. extitit prædicator & rector, ita ſit pro nobis perpetuus ſuffragator. Per. *l. g. El. gg.*

Alia.

Beati Apli tui ill Dne, ſolemnia recenſemus: ut eius auxilio tua beneficia capiamus, pro quo tibi laudes offerimus. Per. *l. El.*

Alia.

Quæſumus omnipotens Deus, beatus ill Aplus tuus pro nobis imploret auxilium. *Ut ſupra.*

Secreta.

Sacrandum tibi, Dne, munus offerimus. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus; Et in huius diei feſtivitate devotionis noſtræ vota perſolvere, in qua beatus Apoſtolus tuus ill. glorioſum Filii tui Dni nri Ieſu Chriſti, & ſui magiſtri ſecutus exemplum, ſuum pro eius amore non dubitavit effundere ſanguinem: unde & mirificam de hoſte proſtrato palmam adeptus nobis non minimam vincendi fiduciam tribuit. Hinc eſt, quod hodierna die fidelis per orbem populi cœtus tibi Deo laudes annua ſolemnitate concelebrat: tuam namque, paſtor mitiſſime! ineffabilem clementiam eius ſuffragiis absque dubio credimus implorandam, per eundem Xpum.

Ad Comm.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus: ut ſicut nobis per doctrinam aplicam Catholicæ fidei rudimenta donaſti, ita etiam imploratu beati Apli tui ill. cœleſtia tribuas ſine fine ſubſidia, per.

In Vig. plurium Apoſtolorum.

Concede, quæſumus omnipotens Deus: ut ſicut beatorum Apoſtolorum tuorum ill. glorioſa natalitia prævenimus, ſic ad tua beneficia promerenda maieſtatem tuam pro nobis ipſi præveniant. Per. g. El. gg.

Secreta.

Muneribus noſtris, Dne, Apoſtolorum tuorum feſta præcedimus: ut qui conſcientiæ noſtræ obſtaculis præpedimur, præſta, ut illorum meritis adiuvemur. Per. l. g. El. gg.

Ad Comm.

Eſto, Dne, plebi tuæ ſanctificator & cuſtos: ut apoſtolicis munita ſubſidiis & converſatione tibi placeat, & ſecura deſerviat. Per. l. gg.

In Nat. plurium Apoſtolorum.

Deus, qui nos annua Apoſtolorum tuorum ill. ſolemnitate lætificas: præſta quæ-

Digitized by Google

quæſumus, ut quorum gaudemus meritis, inſtruamur exemplis. Per. El. gg.

Secreta.

Munera, Dne, quæ pro Apoſtolorum tuorum ſolemnitate deferimus, propitius ſuſcipe: & mala omnia, quæ meremur, averte. Per. El. gg.

Ad Comm.

Quæſumus, Dne, ſalutaribus repleti myſteriis: ut quorum ſolemnia celebramus, eorum orationibus adiuvemur. Per. El. gg.

Item unde ſupra Ambroſ.

Protector in te ſperantium Deus! familiam tuam propitius reſpice: & per beatos Apoſtolos tuos ill. a cunctis eam adverſitatibus potentiæ tuæ brachio defende. Per.

Alia.

Deus, qui nos annua &c. *Ut ſupra.*

Secreta.

Munera, Dne &c. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! ſupliciter exorantes, ut gregem tuum paſtor æterne non deſeras, ſed per beatos Apoſtolos tuos ill. continua protectione cuſtodias; & iisdem rectoribus dirigatur, quos operis tui vicarios eidem contuliſti præeſſe paſtores, per Xpm Dnm nrm. *g. El. gg.*

Ad Comm.

Quæſumus, Dne, ſalutaribus &c. *Ut ſupra.* (1)

Denuntiatio Natalis unius Martyris. (2)

Noverit veſtra devotio, ſanctiſſimi fratres! quod B. Martyris ill. anniverſarius dies intrat, quod (l. *quo*) diaboli tentationes exſuperans, univerſitatis Creatori glorioſa paſſione coniunctus eſt.

Item pluraliter.

Quod (l. *quo*) diaboli tentamenta vincentes, univerſitatis Creatori glorioſa paſſione coniuncti ſunt. Ideoque Dominum conlaudemus, qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis: ut qui illis victoriæ coronam contulit, nobis eorum meritis delictorum indulgentiam largiatur. In illo igitur loco, vel in illa via (El. *villa*), illa feria hanc eandem feſtivitatem ſollicita (g. *ſolita*) devotione celebremus. Per. *g. El.* nota 588.

In Vigilia unius Sancti. (3)

Quæſumus omnipotens Deus! ut noſtra devotio, quæ natalitia beati ill. Martyris & Confeſſoris antecedit, patrocinia nobis eius accumulet. Per. *g. El.*

Secreta.

Magnifica, Dne, beati ill. ſolemnia recenſemus, quæ promtis cordibus ambientes oblatis muneribus & ſuſcipimus, & præimus. Per. *g. El.*

[*Præfatio.*

VD. Glorioſi ill. Martyris vel Confeſſoris pia certamina præcurrendo, cuius honorabilis annua recurſione ſolemnitas & perpetua ſemper & nova eſt: quia & in conſpectu tuæ maieſtatis permanet mors tuorum

---

(1) Hic inſerendum foret etiam Commune Evangeliſtarum, quod Codex *Solodorenſis* poſt Commune Confeſſorum exhibet, quod vero in omnibus reliquis codicibus deeſt, cum horum Miſſæ feſtis Sanctorum ſint inſertæ. Qua ipſa de cauſa præcedentia quoque Communia unius vel plurium Apoſtolorum deſunt in *Rhenaugienſi*, qui, uti paſſim quoque in aliis fit, incipit a Communi unius Martyris.

(2) Ita olim ante uſum Martyrologii annuntiabantur Sanctorum feſta, locusque & dies, quo ſint celebranda. Similem denuntiationem ex codice *Remenſi* profert MENARDUS nota 588. in ſacrament. *Gregor.* quam ex noſtris codicibus ſolus *Rhenaugienſis* exhibet.

(3) Sic *Rhenaugienſis* & uterque *San-Gallenſis*, nempe in vigilia Sancti ſive Martyris ſive Confeſſoris, prout ex prima oratione liquet. *San-Blaſianus* autem cum editis habet: *In vigilia unius Martyris*, unde & titulum *Confeſſoris* in oratione omittit.

Digitized by Google

tuorum pretioſa iuſtorum, & reſtaurantur incrementa lætitiæ, cum felicitatis æternæ recoluntur exordia, per Chriſtum. *El.*]

Poſt Comm.

Sancta tua, Dne, beati (1) ill. Martyris pretioſa paſſione, & ſolemnia, quæ præimus, nos refovent (El. *refoveant*): quibus & iugiter ſatiamur, & ſemper deſideramus expleri. Per. *g. El.*

Item Gregoriana In Vigilia unius Martyris.

Omnipotens ſempiterne Deus! concede propitius, ut noſtra devotio &c. Ut ſupra.

Secreta.

Magnifica, Dne, beati ill. Martyris tui &c. Ut ſupra.

Præfatio.

VD. æterne Deus. Et glorioſi ill. Martyris pia certamina venerando prævenire &c. Ut ſupra.

Ad Comm.

Sancta tua, Dne. Ut ſupra.

In Natl. unius Martyris.

Votivus (al. *votivos*) nos, Dne quæſumus, beati Martyris tui ill. natalis ſemper excipiat: qui & iucunditatem nobis ſuæ glorificationis infundat, & tibi nos reddat acceptos. Per. *El.*

[*Alia.*

Deus, qui ſanctam nobis huius diei ſolemnitatem, pro commemoratione beati Martyris tui ill. vel paſſione feciſti: adeſto familiæ tuæ precibus, & da, ut cuius hodie feſta celebramus, eius meritis & interceſſionibus adiuvemur. Per. *El.*]

Secreta.

Præſentia munera, quæſumus Dne, ita ſerena pietate intuere, ut ſancti Spiritus perfundantur benedictione: ut in noſtris cordibus eam dilectionem validam infundant, per quam ſanctus Martyr ill. omnia corporis tormenta devicit. Per. *El.*

Præfatio.

VD. Te ſemper in laude Martyrum honorare, & in præſenti feſtivitate ſancti Martyris tui ill. te confitentes (2) gratias agere: cui dediſti cœleſtis palmam triumphi, nobis eo ſuffragante emendationem ac veniam concede peccati, ut in te etiam exultemus in miſericordia, in quo ille lætatur in gloria. Per Chriſtum. *El. Goth. ex gg. infra in Greg.*

Poſt Commun.

Sumſimus, Dne, ſancti ill. Martyris ſolemnitate cœleſtia ſacramenta: cuius ſuffragiis, quæſumus, largiaris, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis conſequamur. Per. *l. El. g g.*

Super populum.

Plebs tua, Dne, ſancti Martyris tui ill. te glorificatione magnificet; & eodem ſemper precante te mereatur habere rectorem. Per. *El.*

Aliæ Orationes.

Sancti ill. Martyris tui, Dne, nos oratio ſancta conciliet, quæ ſacris virtutibus veneranda refulget. *El.*

[*Alia.*

Beati Martyris tui ill. nos, quæſumus Dne, precibus adiuvemur: & eius digne ſolemnia celebrantes tuo nomini fac ſemper eſſe devotos. *El.*

Alia.

Beati Martyris tui ill. nos, quæſumus Dne,

---

(1) San-Gallenſis: *De beati ill. pretioſa paſſione, & ſolemnitate, quam præimus, nos refoveant &c.*

(2) S. Gall. *Confitentis gratias agere; & cui &c.*

Dne, patrociniis collatis non deſeras: qui fragilitatem noſtram & meritis tueatur & precibus.] *El.*

[*Item alia Miſſa.*

Concede, quæſumus omnipotens Deus! ut qui beati Martyris tui ill. ſolemnia colimus, cuius gaudemus natalitiis, inſtruamur exemplis. Per.

Super Obl.

Muneribus noſtris, quæſumus Dne, precibusque ſuſceptis, & cœleſtibus nos munda myſteriis, & clementer exaudi. Per. *l. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus: Tibi enim, Dne, feſta ſolemnitas agitur, tibi dies ſacrata celebratur, quam beati ill. Martyris ſanguis, in veritatis tuæ teſtimonium profuſus, magnifico nominis tui honore ſignavit, per Xpum. *l.*

Ad Comm.

Beati Martyris tui ill., Dne, ſuffragiis exoratus, percepta ſacramenti tui virtute nos defende. Per.] *El.*

Item unde ſupra Miſſa Gregoriana.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui beati ill. Martyris tui natalitia colimus, interceſſione eius in tui nominis amore roboremur. Per. gg.

Secreta.

Oblatis, quæſumus Dne, placare muneribus: & intercedente beato ill. Martyre tuo, a cunctis nos defende periculis. Per. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus, & in præſenti feſtivitate ſancti Martyris tui ill. tibi confitendo laudis hoſtias immolare, quamque immenſam pietatem implorare, ut ſicut illi dediſti cæleſtis palmam triumphi, ſic eo ſuffragante nobis emendationem ac veniam concedas peccati: ut in te exultemus in miſericordia, in quo ille lætatur in gloria. Per Xpm. El. gg. vid. ſupra.

Ad Comm.

Sumſimus, Dne, pignus redemtionis æternæ: ſit nobis, quæſumus, intervenientе beato ill. Martyre tuo, vitæ præſentis auxilium pariter & futuræ. Per. l. gg.

Unde ſupra alia Miſſa ad Veſp. vel ad Vigil.

Da nobis, quæſumus Dne, beati Martyris tui ill. paſſione gloriari: ut eius ſemper & patrociniis confidamus, & fidem congrua devotione ſectemur. Per. *l. g.*

Alia.

Beati Martyris tui ill. Dne, ſolemnia recenſemus: ut eius auxilia tuo beneficia capiamus, pro quo tibi laudes offerimus. Per. *l.*

Alia in Vigilia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut beati Martyris tui ill. natalitia ſine ceſſatione venerantes, & fideli muniamur auxilio, & magnifico proficiamus exemplo. Per *g. var.*

Alia.

Deus, qui ſanctam nobis huius diei ſolemnitatem pro commemoratione beati Martyris tui ill. vel paſſione feciſti: adeſto familiæ tuæ precibus, & da, ut cuius hodie feſta celebramus, eius meritis & interceſſionibus adiuvemur. Per. *Goth.*

Alia.

Beati Martyris tui ill. quæſumus Dne, precibus adiuvemur: & eius digna ſolemnia celebrantes, tuo nomini fac nos ſemper eſſe devotos. Per. *El.*

In Baptiſterio.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus: ut eius ſine ceſſatione fruamur auxilio, cuius patrocinia te largiente adepti ſumus. Per.

Alia.

Ut tibi, Dne, placere poſſimus, beati Martyris tui ill. precibus adiuvemur. Per.

Alia.

Exaudi, Dne, preces noſtras; & beati Martyris ill. nos tuere ubique præſidio. Per. *l.*

Oratio.

Digitized by Google

Oratio ſuper populum. (1)

Propitiare, Dne, populo tuo, & quos in frequentatione beati Martyris tui ill. tribuis intereſſe, protectione perpetua ſemper facias eſſe ſecuros. Per. *Alia.*

Beati Martyris tui ill. nos, quæſumus Dne, glorioſa merita perſequantur: quæ fragilitatem noſtram & precibus tueantur & meritis. Per. *l. var.*

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, propitius munera, quæ in beati Martyris tui ill. commemoratione deferimus: ut cuius honore ſunt grata, eius nobis fiant interceſſione perpetua. Per. *l.*

Præfatio.

VD. æterne Deus: quia tibi feſta ſolemnitas agitur, tibi dies ſacrata celebratur, quam beati Martyris tui ill. ſanguis in veritatis tuæ teſtificatione profuſus, magnifico nominis tui honore ſignavit. Et ideo. *l. Goth. vid. ſupra.*

Ad Comm.

Sumſimus, Dne, in ſancti Martyris tui ill. ſolemnitate &c. *Supra &c. l. El. gg.*

Item alia Miſſa.

Oratio ſuper populum.

Beati Martyris tui ill. nos, quæſumus Dne, præclara comitetur oratio: & miſericordiam tuam nobis indeſinenter imploret. Per.

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, ut qui beati Martyris tui ill. natalitia colimus, interceſſione eius in tui nominis amore roboremur. Per. *gg.*

Secreta.

Muneribus noſtris, quæſumus Dne, precibusque ſuſceptis, & cœleſtibus nos munda myſteriis, & clementer exaudi. Per. *l. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus: per cuius potentiam beatus Martyr tuus ill. tyrannicam acerbitatem timere neglexit, ſed ita paſſionis ſuæ certamina pro tuo nomine alacris ſuſcipere non dubitavit, ut dominicæ paſſionis per Unigeniti tui cruorem in ſui ſanguinis effuſione ſequipeda efficeretur: per quem maieſtatem.

Ad Comm.

Protegat nos, Dne, cum tui perceptione ſacramenti beatus Martyr tuus ill. intercedendo pro nobis, ut confeſſionis eius ſemper expiemur auxilio. Per.

In vigil. plurimorum Martyrum.

Beatorum Martyrum tuorum, Dne, ill. veneranda natalitia præeuntes, ſupplices te exoramus: ut quos cœleſti gloria ſublimaſti, ipſos etiam interceſſores habeamus. Per.

Secreta.

Suſcipe, Dne, preces & munera, quæ ut tuo digna ſint conſpectui, Sanctorum tuorum precibus adiuvemur. Per.

Ad Comm.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut ſanctorum Martyrum tuorum ill. interceſſionibus adiuvemur, pro quorum ſolemnitate lætamur. Per.

In Natl. plurimorum Martyrum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per glorioſa bella certaminis ad immortalitatis triumphos Martyres extuliſti: da cordibus noſtris dignam pro eorum commemoratione lætitiam, ut quorum hic corpora pio amore amplectimur, eorum precibus adiuvemur. Per. *El. in quo:* ut quorum memoriam.

[*Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in Sanctorum tuorum cordibus flammam tuæ dilectionis accendis: da mentibus noſtris eandem fidei caritatisque virtutem, ut quorum gaudemus triumphis, proficiamus exemplis. Per. *El. Goth.*]

Secreta.

Salutari ſacrificio, Dne, populus tuus ſemper exultet: quo & debitus honor ſacris

(1) Oratio hæc *ſuper populum* ſtatim in principio Miſſæ præmiſſa hic, & deinceps Miſſam *Ambroſianam* deſignat, etſi a ſcriptore non notetur. *Vid. Diſquiſit. IV. p.* 400.

Digitized by Google

ſacris Martyribus exhibetur, & ſanctificationis tuæ munus adquiritur. Per. *l.g. El.* (1) *Præfatio.*

VD. qui ſanctorum Martyrum tuorum certamina ad copioſam perducis victoriam, atque perpetuum largiris triumphum, ut in exemplum eccleſiæ tuæ per innumeroſa proficiant ſecula: præſta nobis per eorum, quorum feſta celebramus, interceſſionem tuæ pietatis æternum perfrui (S. Gall. *conſequi*) auxilium. Per. *El. var. & gg. infra.*

Poſt Comm.

Quæ pro Martyrum tuorum ill. beata paſſione peregimus, ipſorum nobis, quæſumus, fiant interceſſione ſalutaria, in quorum natalitiis ſunt exultanter impleta. Per. *El.*

Aliæ Orationes.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ut ſanctorum Martyrum, quorum celebramus victoriam, participemus & præmiis. Per. *El.*

Alia.

Sanctorum Martyrum tuorum, quæſumus Dne, precibus adiuvemur: ut quod noſtra poſſibilitas non obtinet, eorum nobis, qui ante te iuſti inventi ſunt, oratione donetur. Per. *l. Goth.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos idoneos non eſſe perpendis ad maieſtatem tuam, ſicut dignum eſt, exorandum: da ſanctos Martyres ill. pro noſtris ſupplicare peccatis, quos digne poſſis audire. Per. *l. El.*

Alia.

Ad defenſionem fidelium, Dne quæſumus, dexteram tuæ maieſtatis extende: & ut perpetuæ pietatis tuæ protectione muniantur, interceſſio pro his non deſit Martyrum continuata ſanctorum. Per. *g. El.*

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus, fidelium lumen animarum, adeſto votivis ſolemnitatis hodiernæ, eccleſiæ tuæ gaudiis de beatorum Martyrum ill. glorioſa manifeſtatione conceptis, (&) benignus aſpira; ut & corda noſtra paſſione ſanctorum Martyrum igniantur, (2) & apud miſericordiam tuam eorum iuvemur meritis, quorum gaudemus exemplis. Per. *El.*

Unde ſupra alia Miſſa ex Gregoriano.

D*eus, qui nos concedis ſcorum Martyrum tuorum ill. natalitia colere: da nobis*

---

(1) In *San-Gallenſi* triplicis ritus habetur

Alia Secreta.

Plebis tuæ munera benignus intende, quæ maieſtati tuæ pro ſanctorum Martyrum ſolemnitate ſunt dedicanda. Per. *Præfatio.*

VD & iuſtum eſt, prædicare paſſionem Sanctorum tuorum, ſupplicium diaboli, triumphum fidelium, lætitiam angelorum. Quis enim tantæ altitudinis poteſt enarrare myſteria, ubi de ſupplicio beatitudo naſcitur, de dedecore gloria procuratur, de morte vita perficitur? O magnam mirabilemque & inæſtimabilem victoriam! ubi interfici laus eſt, & interfeciſſe damnatio: magnum & ſacratiſſimum bellum! ubi alii occiduntur, & alii occidi videntur; cum percuſſore diabolus punitur, cum percuſſis Chriſtus exultat; ſatanas ſuos miniſtros ſecum in tormenta demergit, & Chriſtus Sanctos ſuos ad regna cœlorum perducit, ubi aſtant angeli dicentes Sc9, Sc9, Sc9.

Ad Commun.

Celebritatis annuæ vota, quæ pro Martyrum tuorum beata paſſione peragimus, ipſorum nobis, Dne quæſumus, fiant interceſſione ſalutaria, in quorum natalitiis ſunt exultanter impleta. Per. *El. ſupra.*

(2) i. e. *inflammentur.*

Digitized by Google

nobis in æterna lætitia de eorum ſocietate & interceſſione gaudere. Per. gg.

Secreta.

Munera noſtra, Dne, beatorum Martyrum tuorum ill. fiant tibi grata ſuffragiis: ut quod pro illorum gloria celebramus, ipſorum meritis nobis proſit ad veniam. Per. l.

Præfatio.

VD. æterne Deus: qui ſcorum Martyrum tuorum pia certamina ad copioſam perduxiſti victoriam, atque perpetuum eis largiris triumphum, ut eccleſiæ tuæ ſemper ſint in exemplum: præſta nobis, quæſumus, ut per eorum interceſſionem, quorum feſta celebramus, pietatis tuæ munera capiamus, per Xpum. gg. vid. etiam ſupra.

Ad Comm.

Supplices te rogamus, omnipotens Deus! ut intervenientibus ſanctis Martyribus tuis ill. & tua in nobis dona multiplices, & tempora noſtra diſponas. Per. l.

Item Natl. plurimorum Sanctorum. (1)

Orat. ad Veſp. vel ad Vigil. Ambroſ.

Protector fidelium Deus, & Sanctorum lumen animarum, ſupplicum tuorum preces dignanter exaudi: ut ſpiritalium virtutum amore flagrantes, beatiſſimorum Martyrum tuorum ill. conſortio copulemur. Per.

Alia.

Deus, qui Sanctis tuis copioſa fide pugnantibus ipſe certaminis gloriam tribuiſti: annue, quæſumus, ut eam in nobis ſuis patrociniis operentur, quam ſibi præſtitam per tuam gloriam didicerunt. Per.

Alia.

Deus vita & fortitudo iuſtorum! da nobis in tua gratia amare quæ recta ſunt: ut te cuſtode ſervati, ab omnibus vitæ huius ſæculi periculis liberemur. Per.

Alia.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus! ut non deſinant Sancti tui pro noſtris tibi ſupplicare peccatis, a quibus te voluiſti pro peccatoribus exorari. Per.

Alia.

Deus, qui per glorioſa bella certaminis ad immortales triumphos beatos Martyres tuos extuliſti: concede, quæſumus, ut eorum meritis protegamur, in quorum feſtivitate lætamur. Per. *El. ſupra.*

Alia.

Deus, qui ſanctorum Martyrum tuorum nobis interceſſione ſuccurris: da, quæſumus, ut eorum meritis exultemus, & patrocinio protegamur. Per.

Alia.

Lætificet nos, quæſumus Dne, beatiſſimorum Martyrum tuorum ill. glorioſa ſolemnitas: ut qui tibi placuerunt ſuis meritis, pro nobis implorent auxilium. Per.

Alia.

Miſericordiam tuam, quæſumus Dne, nobis clementer impende: & ſcorum Martyrum tuorum ill. nobis placare præſidiis. Per.

Alia.

Deus, qui Sanctis tuis coronam dediſti, & peccatoribus veniam non negaſti: omnes exaudi, & omnibus miſerere. Per.

Ad Miſſam Orat. ſuper populum.

Deus, qui gloriaris in concilio ſcorum Martyrum tuorum ill. reſpice ad preces humilitatis noſtræ: & quorum ſolemnia celebramus, eorum precibus adiuvari mereamur. Per.

Alia.

Deus, qui nos in Sanctorum ſolemnitate lætificas, & imitatione excitas ad profectum: tribue, quæſumus, ut quos veneramur meritis Martyrum tuorum, piæ converſationis ſequamur exemplis. Per. *l.*

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, & ſanctifica hoc ſacrificium populi tui: ut quod in honore beatiſſimorum Martyrum tuorum ill. offertur ad gloriam, nobis proſit ad veniam. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus: quia te benedicunt omnes Sancti tui, teque collaudant, qui (l. *quos*) magnum illud Unigeniti tui nomen, quod eſt ſuper omne nomen, coram principibus & poteſtatibus voce libera confitentes, pretioſum tibi ſanguinem glorioſa morte fundere feciſti. Et ideo.

Ad Comm.

Salutaris tui, Dne, munere ſatiati, ſupplices exora-

(1) Nempe Martyrum, ut ex orationibus aliisque patet.

Digitized by Google

exoramus: ut ſicut in ſcorum Martyrum tuorum ill. lætamur guſtu, renovemur effectu, Per. *l.*

Item alia Miſſa Ambroſiana.

Orat. ſuper populum.

Omnium virtutum Deus, bonorumque largitor! da, quæſumus, ut beatiſſimorum Martyrum tuorum ill. ſemper nobis ſint & honoranda ſolemnia, & deſiderata præſidia. Per. *l.*

Alia.

Deus, qui nos concedis ſcorum Martyrum tuorum ill. natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum ſocietate gaudere. Per. *gg.*

Secreta.

Munera tibi, Dne, noſtræ devotionis offerimus: quæ & pro tuorum tibi grata ſint honore iuſtorum, & nobis ſalutaria, te miſerante, reddantur. Per. *gg.*

Præfatio.

VD. Per Xpm D. N. cuius pretioſus ſanguis non ſolum pro noſtræ captivitatis redemtione effuſus eſt, ſed etiam Martyres ſuos in ſui teſtimonii victoria imitatores efficere dignatus eſt. Tu namque, omnipotens Deus! eisdem Martyribus fidei tuæ conſtantiam, ut hoſtem antiquum vincerent, contuliſti. Et nos quoque famulos tuos ope miſericordiæ tuæ condonatos, Martyrum tuorum ill. quorum hodie lætamur triumphis, conſortes efficias, per eundem Xpm Dnm nrm.

Ad Comm.

Da, quæſumus Dne Deus noſter! ut ſicut in tuorum commemoratione Sanctorum temporali gratulamur officio, ita perpetuo lætemur aſpectu. Per. *gg.*

In Baſilicis Martyrum.

Indulgentiam nobis, Dne quæſumus, ſancti ill. poſtulet tibi grata precatio. Per. *Super Oblata.*

Sacrificium, Dne, quod deſideranter offerimus, gratum tibi beatus ill. ſuffragator exhibeat. Per.

Præfatio.

VD. Quia dum beati ill. merita glorioſa veneramur, auxilium nobis tuæ propitiationis adquirimus, non deſperamus de veniæ largitate, quam per eos, qui tibi placuere, depoſcimus. Per Xpm.

Poſt Comm.

Beati ill. Martyris, Dne, ſuffragiis exoratus percepta ſacramenti tui nos virtute defende. Per.

Miſſa in Eccleſia cuiuslibet ſancti Martyris vel Confeſſoris.

Propitiare, Dne quæſumus, nobis famulis tuis per huius ſancti Martyris vel Confeſſoris tui ill. qui in præſenti requieſcit eccleſia, merita glorioſa, ut eius interceſſione ab omnibus protegamur adverſis. Per. *Alia.*

Da æterne conſolationis Pater! per huius ſancti Martyris vel Confeſſoris tui ill. preces populo tuo pacem & ſalutem: ut tuis tota dilectione inhæreant præceptis, & quæ tibi placita ſunt, tota perficiant voluntate. Per.

Secreta.

Suſcipiat clementia tua, Dne quæſumus, de manibus noſtris munus oblatum: & per huius ſancti Martyris vel Confeſſoris tui ill. orationes ab omnibus nos emundet peccatis. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus: pia devotione tuam laudantes clementiam, qui huic ſancto Martyri vel Confeſſori tuo ill. talem contuliſti gloriam, ut pro tui nominis amore tota deſpiceret terrena, & amaret cœleſtia: unde & pro eius veneratione, in loco Reliquiarum illius, hæc ſacramenta ſalutis noſtræ tuæ offerimus maieſtati, ut tanto pro nobis intercedente patrono, dextera potentiæ tuæ nos ubique protegat & regat, per Xpm.

Ad Comm.

Divina, Dne, libantes myſteria, quæ pro huius ſancti Martyris vel Confeſſoris tui ill. veneratione tuæ obtulimus maieſtati, præſta quæſumus, ut per ea veniam mereamur peccatorum, & cœleſtis gratiæ donis reficiamur. Per.

In Vigilia unius Confeſſoris.

Exaudi, Dne, preces noſtras, quas in ſci ill. Confeſſoris tui ſolemnitate deferimus: & qui digne tibi meruit famulari, eius intercedentibus meritis ab omnibus nos abſolve peccatis. Per. g. gg.

Secreta.

Sancti Confeſſoris tui, Dne quæſumus, annua

Digitized by Google

annua ſolemnitas pietati tuæ reddat acceptos: ut per hæc piæ oblationis officia, & illum beata retributio comitetur, & nobis gratiæ tuæ dona conciliet. Per. g. gg

Ad Comm.

Repleti, Dne, benedictione cæleſti, quæſumus clementiam tuam: ut intercedente beato ill. Confeſſore tuo, quæ humiliter gerimus, ſalubriter capiamus. Per. l. gg.

In Natl. unius Confeſſoris.

Adeſto, Dne, precibus noſtris, quas in ſancti Confeſſoris tui ill. commemoratione deferimus: ut qui noſtræ iuſtitiæ fiduciam non habemus, eius, qui tibi placuit, precibus adiuvemur. Per. *l. El. gg.*

Alia.

Sancti Confeſſoris tui ill. nos, quæſumus Domine, tuere præſidiis; ut eius (1) ſemper interceſſionibus adiuvemur. Per. *El.*

Secreta.

Propitiare, Domine quæſumus, ſupplicationibus noſtris, & interveniente pro nobis ſancto ill. Confeſſore tuo, his ſacramentis cœleſtibus ſervientes ab omni culpa liberos eſſe concede: ut purificante nos gratia tua his, quibus famulamur, myſteriis emundemur. Per. *El.*

[*Præfatio.*

VD. æterne Deus: qui in omnium Sanctorum tuorum perfectione es laude colendus, qui hunc diem beati Confeſſoris tui ill. tranſitu ſacro conſecraſti. Da eccleſiæ tuæ, quæſumus, de tanto gaudere patrono, & illam ſequi devotionem doctrinæ, qua dilectus tuus tibi greges pane eruditionis pavit, ut adiuvari nos apud miſericordiam tuam & exemplis eius ſentiamus & meritis; per Xpm. *El.*]

Poſt Comm.

Ut nobis, Domine, tua ſacrificia dent ſalutem, beatus Confeſſor tuus ill. quæſumus, precator accedat. Per. *El. gg.*

Aliæ Orationes.

Miſericordiam tuam, Domine, nobis, quæſumus, interveniente beato confeſſore ill. clementer impende: & nobis peccatoribus ipſius propitiare ſuffragiis. Per. *El.*

[*Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus, cui cuncta famulantur elementa: intercedente pro nobis beato Confeſſore tuo ill. exaudi propitius orationem noſtram, & tribue nobis miſericordiam tuam, ut quæcumque præcipis ut agamus, ipſo adiuvante implere poſſimus. Per. *El. Gall.*

Alia.

Sancti Confeſſoris tui ill., Dne, tribue nos foveri ſupplicationibus; ut cuius depoſitionem annuo celebramus obſequio, eius apud te interceſſionibus & meritis commendemur. Per. *El, Gall.*]

Alia.

Interceſſio nos, quæſumus Dne, beati ill. Confeſſoris tui atque Pontificis ſancta commendet: ut quod meritis noſtris non valemus, eius patrociniis conſequamur. Per.

Item unde ſupra Miſſa ex Gregoriano.

Da, quæſumus omnipotens Deus, ut beati ill. Confeſſoris tui veneranda ſolemnitas & devotionem nobis augeat & ſalutem. Per. l. gg.

 Se-

---

(1) San-Gall. *ut cuius ſolemnia celebramus, eius ſemper &c.*

Digitized by Google

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, pro commemoratione ſci ill. Confeſſoris tui offerimus, ſupplicite deprecantes: ut ſicut illi præbuiſti ſacræ fidei largitatem, ſic nobis largiaris & pacem. Per. g. vid. infra Ambroſ.

Præfatio.

VD. æterne Deus. Et te in Sanctorum tuorum virtute laudare, quibus pro meritis ſuis beatitudinis præmia contuliſti: quoniam in manu tua ſunt ſemper, & non tanget illos tormentum mortis, quos te cuſtodiente beatitudinis ſinus intercludit; ubi etiam perpetua ſemper exultatione lætantur, ubi etiam beatus ſummus (forte leg. beatiſſimus) *Confeſſor tuus ill. ſociatus exultat. Petimus ergo, ut memor ſit miſeriarum noſtrarum, & de tua miſericordia nobis impetret beatitudinis ſuæ conſortium, per Xpm.* El. gg.

Ad Comm.

Aures tuæ pietatis, quæſumus Dne, precibus noſtris inclina: ut qui peccatorum noſtrorum flagellis percutimur, intercedente beato ill. Confeſſore tuo, tua gratia liberemur. Per. El.

Orationes & preces in Nat. Confeſſorum

Ambroſ.

Beatus Sacerdos & Confeſſor tuus ill. quæſumus Dne, ſua nos interceſſione apud te commendet: ut tibi placito fulti ſuffragio, quam precamur, indulgentiam peccatorum conſequi mereamur. Per.

Alia.

Adeſto, Dne, precibus noſtris, quas &c. *Ut ſupra.*

Alia.

Concede, quæſumus Dne, beati Sacerdotis & Confeſſoris tui ill. nos deprecatione muniri: ut & temporaliter his patrociniis foveamur, & ſpiritaliter præparemur æternis. Per.

Alia.

Da, quæſumus omnipotens Deus. *Ut ſupra.*

Alia in Vigil.

Beatus Sacerdos & Confeſſor tuus ill. quæſumus Dne, ſua nos interceſſione lætificet, & pie faciat in ſua ſolemnitate gaudere. Per. *g.*

Secreta.

Propitiare, Dne quæſumus. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus: qui glorificaris in confeſſioni beati Sacerdotis & Confeſſoris tui ill. & non ſolum excellentioribus præmiis merita glorioſa proſequeris, ſed ſacrum miniſterium competentibus ſervitiis exſequentem, gaudium Dni ſui tribuis benignus intrare: ut qui in modico vitæ præſentis excurſu fidelis apparuit, ſupra multa bona in manſura beatitudine diſponatur, per Xpm Dnm nrm.

Ad Comm.

Quæſumus, omnipotens Deus! ut cuius nos tribuis communicare memoria, eius facias ſemper eſſe ſectatores. Per.

Item alia Miſſa.

Libera, quæſumus Dne, a peccatis & hoſtibus tibi populum ſupplicantem; ut in beati Sacerdotis & Confeſſoris tui ill. doctrinis viventes, nullis affligantur adverſis. Per. *l.*

Alia.

Exaudi, Dne, preces noſtras, quas in ſci Confeſſoris tui ill. commemoratione deferimus, in conſpectu tuo, (*ut*) qui tibi digne meruit famulari, clarus ſemper exiſtens, ſupplicationem noſtram adiuvet, quod ipſe præſtare digneris, qui cum Patre. *gg. var. ſupra.*

Alia.

Beatus Sacerdos & Confeſſor tuus ill. *Ut ſupra.*

Alia.

Da nobis, quæſumus omnipotens Deus! ut qui beati Sacerdotis & Confeſſoris tui ill. ſolemnia colimus, eius apud te interceſſionibus adiuvemur. Per. *gg.*

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, pro commemoratione beati Sacerdotis & Confeſſoris tui ill. offerimus, ſuppliciter deprecantes: ut ſicut illi præbuiſti ſacræ fidei claritatem, ſic nobis indulgentiam largiaris & pacem. Per. *g. Vid. ſupra Gregor.*

Præfatio.

VD. P. X. D. N. verum æternumque pontificem, & ſolum ſine peccati macula ſacerdotem, cuius ſanguine omnium fidelium corda mundantur: placationis tibi hoſtias non ſolum pro delictis populi, ſed etiam pro noſtris offenſionibus immolamus; ut omne peccatum, quod carnis fragilitate contrahitur, ſummo pro nobis antiſtite interpellante ſolvatur: per quem maieſtatem tuam laudant angeli. *gg.*

Ad

Digitized by Google

Ad Comm.

Deus, fidelium remunerator animarum! præſta: ut & per ſancta, quæ ſumſimus, & beati Sacerdotis & Confeſſoris tui ill. cuius venerandam celebramus feſtivitatem, precibus indulgentiam conſequamur. Per. (1)

[*In Natl. plurimorum Confeſſorum.*

Adiuva nos, Dne, tuorum deprecatione Sanctorum: ut quorum feſta gerimus, ſentiamus auxilium. Per. *l.*

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, pro Sanctorum tuorum commemoratione ſupplices deferimus, humiliter deprecantes, ut indulgentiam nobis pariter conferant & ſalutem. Per. *l. g.*

Ad Comm.

Paſce nos, Dne, tuorum gaudiis ubique Sanctorum: quia & noſtræ ſalutis augmenta ſunt, quotiens illis honor impenditur, in quibus tu mirabilis prædicaris. Per. *El.*

Alia Miſſa.

Proſint nobis, Dne quæſumus, tuorum ſuffragia collata Sanctorum: ut quæ nos non poſſumus noſtris orationibus obtinere, placentium tibi precibus aſſequamur. Per. *l.*

Secreta.

Offerimus, Dne, preces & munera in honore Sanctorum tuorum gaudentes: præſta, quæſumus, ut convenienter hæc agere, & remedium ſempiternum aſſequi valeamus. Per.

Ad Comm.

Adſit nobis, Dne quæſumus, deprecatio ſancta Iuſtorum: quæ nos, a terrenis affectibus inceſſabiliter expeditos, cœleſtia deſiderare perficiat. Per. *A. Goth.*]

Item unde ſupra alia Miſſa ex Gregoriano.

Deus, qui nos ſanctorum tuorum ill. confeſſionibus glorioſis circumdas & protegis: da nobis & eorum imitatione proficere, & interceſſione gaudere. Per. gg.

Secreta.

Suſcipe, Dne, preces & munera: quæ ut tua ſint digna conſpectui, Sanctorum tuorum precibus adiuvemur. Per. gg.

Ad Comm.

Corporis ſacri & pretioſi ſanguinis repleti libamine quæſumus, Dne Deus noſter: ut quod pia devotione gerimus, certa redemtione capiamus, Per. l. gg. (2)

In Natl. Virginum.

Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in ſexu fragili virtutem martyrii contuliſti: concede propitius, ut cuius natalitia colimus, per eius exempla ad te gradiamur. Per. *El. gg.*

[*Alia.*

Deus, qui nos hodie beatæ & ſanctæ ill. Virginis Martyriſque annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut eius adiuvemur meritis, cuius caſtitatis irradiamur exemplis. Per. *El.*

Alia.

Indulgentiam nobis, Dne, beata ill. Martyr imploret; quæ tibi grata ſemper extitit, & merito caſtitatis, & tuæ profeſſione virtutis. Per. *El. gg.*]

Secreta.

(1) Vigilia plurium Confeſſorum, quæ habetur in *Eligiano*, in noſtris codicibus, excepto *Solodorenſi*, haud reperitur. In *Rhenaugienſi* ipſum quoque Natl. plur. Confeſſorum deeſt.

(2) Omittitur hic in codicibus noſtris vigilia Virginum, cuius Miſſam exhibet *Eligianum*, & *Solodorenſe*.

Digitized by Google

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, beatæ ill. Martyris tuæ dicatas meritis benignus aſſume, & ad perpetuum nobis tribue provenire ſubſidium. Per. *l.*

[*Alia.*

Accipe, Dne, munera, quæ in beatæ Martyris tuæ ill. ſolemnitâte deferimus: quia ad tua præconia recurrit & laudem, quod vel talis orta eſt, vel talis aſſumta. Per. *g.*

Præfatio.

VD. Maxime hodie in beatæ & ſacratiſſimæ Virginis Martyrisque tuæ ill. feſtivitate laudare, & benedicere, per Chriſtum Dnm nrm: pro cuius ardore iſta & omnes ſanctæ Virgines a beata Maria exemplum virginitatis accipientes, præſentis ſæculi voluptates omnes ac delicias neglexerunt, ut ipſum Filium tuum inviolabilem ſponſum cum ornatis lampadibus & obviantes meruiſſent habere. In cuius regni gloria cum coronis virginitatis & palmis florentibus ſicut ſol ſine fine fulgebunt. Per quem maieſtatem. *El. interpolat.*]

Poſt Comm.

Adiuvent nos, quæſumus Dne, & hæc myſteria ſancta, quæ ſumſimus: (&) beatæ ill. interceſſio veneranda. Per. *El.*

[*Alia.*

Sic nos, Dne, gratia tua quæſumus, ſemper exerceat: ut & divinis inſtauret noſtra corda myſteriis, & ſcæ Martyris tuæ ill. commemoratione lætificet. Per.]

Aliæ Orationes.

Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in fragili ſexu victoriam caſtitatis & martyrii contuliſti: da quæſumus, ut beatæ & ſanctæ Virginis Martyrisque tuæ ill. adiuvemur meritis, cuius beatitudinis inradiamur exemplis. Per. *El. Vat.*

[*Alia.*

Adſit plebi tuæ, omnipotens Deus, beatæ Martyris tuæ ill. veneranda feſtivitas: ut cuius gaudet honore, protegatur auxilio. Per.]

Unde ſupra alia Miſſa ex Gregor.

Deus, qui nos beatæ ill. Martyris tuæ annua ſolemnitate &c. ſupra. El.

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, beatæ &c. Ut ſupra.

Ad Comm.

Adiuvent nos, quæſumus Dne, hæc ſancta myſteria quæ ſumſimus: & beatæ ill. Martyris tuæ interceſſio veneranda ad manſiones perducat æthereas. Per.

Orationes & preces in Natl. Virginum.

Ambroſiana.

Deus, qui nos hodie beatæ & ſanctæ &c. *Ut ſupra.*

Alia.

Deus, qui inter cætera &c. *Ut mox ſupra.*

Alia.

Deus, qui nos per beatam Martyrem tuam ill. ad cognitionem tui nominis venire tribuiſti: da nobis per gloriam paſſionis, ſempiternam tuam gratiam amplecti, & proficiendo eius ſolemnitatem celebrare. Per.

Alia.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut beata Martyr tua ill. nos orationibus ſuis apud te commendet, & inceſſabiliter contra adverſarias poteſtates defendat. Per.

Alia.

Foveat nos, quæſumus Dne, beata Virgo & Martyr tua ill. in ſua iucunda ſolemnitate: & pietati tuæ commendare non deſinat. Per.

Secreta.

Muneribus noſtris, quæſumus Dne, ſanctæ ill. interceſſione gratiam tuæ placationis interſere: ut & collata nobis remedia tuearis, & conferenda perficias. Per.

Præ-

Digitized by Google

Præfatio.

VD. æterne Deus: quia per te conſtantiam fides, per te virtutem ſumit infirmitas, & quidquid in perſecutionibus ſævum eſt, quidquid in morte terribile, nominis tui facis confeſſione ſuperari. Unde benedicimus te, Dne, in operibus tuis, & in beatæ Martyris tuæ ill. provectione laudamus, per Xpm.

Ad Comm.

Quæſumus Dne, ut beatæ Martyris tuæ ill. deprecationibus ſacramenta ſancta, quæ ſumſimus, ad tuæ nobis proficiant placationis augmentum. Per.

Item alia Miſſa. Oratio ſuper populum.

Deus, qui nos hodie beatæ & ſanctæ ill. &c. *Ut ſupra.* *Alia.*

Beata Martyr tua ill. nobis, quæſumus Dne, in ſuo natalitio fideli munere ſuffragetur: & quæ tibi placuit ſui martyrii certamine, a te nobis iugiter, quæ tuis Electis olim promiſiſti, imploret reddi beneficia. Per.

Secreta.

Annue, quæſumus omnipotens Deus! ut hæc ſacrificia populi tui, quæ tibi offerimus, interveniente ſuffragio beatæ Virginis & Martyris tuæ ill. donis cœleſtibus propitiatus immiſceas. Per.

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrm: pro cuius amore & ſuæ continentiæ puritate beata Martyr tua ill. reſpuit divitias ſæculares, & dignitatem viri mortalis, ut in cœleſtibus conſequeretur præmia caſtitatis, ubi in perpetuo fructus permanet virginalis. Lampades denique ardentes ipſas Virgines demonſtrant, quarum ſpiritus ſemper ad te Deum vigilat Patrem omnipotentem, & Dnm Ieſum Xpm Filium tuum: cui venienti obviam eccleſiæ in choro innumerabilium virginum hymnum divinis laudibus decantant, dicentes: Sanctus, ſanctus, ſanctus &c.

Ad Comm.

Gratia tua, quæſumus Dne, nos ſemper exerceat: ut & divinis inſtauret corda noſtra myſteriis, & ſcæ Martyris tuæ ill. commemoratione lætificet. Per. *Supra.*

In Natl. plurimorum Sanctorum.

Præſta, Domine quæſumus, ut ſicut Sanctorum tuorum nos natalitia celebranda non deſerunt: ita iugiter ſuffragiis comitentur. Per. *l. g. El.*

Alia.

Sancti tui, quæſumus Domine, iugiter nobis a te & veniam poſtulent & profectum. Per. *El.*

Secreta.

Munera plebis tuæ, Domine quæſumus, beatorum ſanctorumque tuorum ill. fiant grata ſuffragiis: & pro quorum triumphis tui nominis (l. *tuo nomini*) offeruntur, ipſorum digna perficiantur & meritis. Per. *l. El.*

Præfatio.

VD. Et te in tuorum honore ſanctorum ill. glorificare, qui & illis pro certaminis conſtantia beatitudinem tribuiſti ſempiternam, & infirmitati noſtræ talia præſtitiſti ſuffragia, quæ pro eorum meritis poſſis audire dignanter. Per Xpm. *El.*

Poſt Comm.

Et natalitiis Sanctorum, Dne, & ſacramenti munere vegetati, quæſumus: ut bonis, quibus perpetuam (l. *per tuam*) gratiam nunc fovemur, perfruamur æternis. Per. *l. g. El.*

[*Aliæ Orationes.*

Adeſto Dne populo tuo, cum Sanctorum patrocinio ſupplicanti: ut quod propria fiducia non præſumit, ſuffragantium meritis conſequatur. Per. *g. El.*

Alia.

Magnificantes, Dne, clementiam tuam ſuppliciter exoramus: ut qui nos Sanctorum tuorum frequentibus facis natalitiis intereſſe, perpetuis tribuas gaudere conſortiis. Per. *l. g. El.*

Alia.

Da nobis, omnipotens Deus, in Sanctorum tuorum te ſemper commemora-

Digitized by Google

tione laudare: quia refovere curabis, quos in honore tuo perſeverare concedis. Per. *g. El.*

Alia.

Sanctorum tuorum ill. ſuffragiis imploramus: ut a cunctis, Dne, liberemur offenſis. Per. *El.*

Alia.

Exaudi nos, omnipotens & miſericors Deus: & Sanctorum tuorum nos ubique tuere præſidiis. Per. *El.*]

Alia.

Tribue, quæſumus Dne, Sanctos tuos iugiter orare pro nobis, & ſemper clementer audiri. Per. *l. El.*

Orationes in ipſa Dedicatione templi, quando elevantur Reliquiæ. (1)

Aufer a nobis, quæſumus Dne, iniquitates noſtras, ut ad ſancta ſanctorum puris mereamur mentibus introire. Per. *l. El. gg.*

Oratio in introitu eccleſiæ.

Domum tuam, Dne quæſumus, clementer ingredere, & in tuorum tibi corde fidelium perpetuam conſtitue manſionem: ut cuius ædificatione ſubſiſtit, huius fiat habitatione præclara. Per. *El. gg.*

Oratio poſt velatum altare.

Deſcendat, quæſumus Dne Deus noſter, Spiritus ſanctus tuus ſuper hoc altare: qui & populi tui dona ſanctificet, & ſumentium corda dignanter emundet, per Dnm. in unit. eiusdem. *El. gg.*

Oratio ad Miſſam.

Deus, qui inviſibiliter omnia contines, & tamen pro ſalute generis humani ſigna tuæ potentiæ mirabiliter oſtendis: templum hoc potentia tuæ inhabitationis illuſtra, ut omnes, qui huc deprecaturi conveniunt, ex quacumque tribulatione ad te clamaverint, conſolationis tuæ beneficia conſequantur. Per. *El. gg.*

Alia.

Deus, qui ſacrandorum tibi auctor es munerum, effunde ſuper hanc orationis domum benedictionem tuam: ut ab omnibus invocantibus nomen tuum defenſionis tuæ auxilium ſentiatur. Per. *g. gg.*

Item alia, quando Reliquiæ conduntur.

Deus, qui ex omni coaptatione Sanctorum æternum tibi condis habitaculum: da ædificationis tuæ incrementa cœleſtia, ut quorum hic Reliquias pio amore complectimur, eorum ſemper meritis adiuvemur. Per. *g. El. gg.*

Secreta.

Omnipotens ſempiterne Deus! altare nomini tuo dicatum cœleſtis virtutis benedictione ſanctifica: ut omnibus in te ſperantibus auxilii tui munus oſtendas, & hic ſacramentorum virtus, & votorum obtineatur effectus. Per. *El. gg.*

Præfatio.

VD. P. X. D. N. Per quem te ſupplices deprecamur, ut altare hoc ſanctis uſibus præparatum cœleſti dedicatione ſanctifices: ut ſicut Melchiſedech ſacerdotis præcipui oblationem dignatione mirabili ſuſcepiſti, ita impoſita novo huic altari munera ſemper acceptabilia habere digneris: ut populus, qui in hanc eccleſiæ domum ſanctam convenit, per hæc liba-

---

(1) Hæc eadem fere habentur in *Eligiano* & *Gelaſiano* edito apud THOMASIUM T. VI. p. 107. ſeq. ubi tamen ipſius etiam dedicationis ritus ſimul continetur, qui in hoc *San-Gallenſi* deeſt.

Digitized by Google

libamina cœleſti ſanctificatione ſalvatus, animarum quoque ſuarum ſalutem perpetuam conſequatur; & ideo. *g. El. gg.*

Ad Comm.

Quæſumus, omnipotens Deus: ut hoc in loco, quem nomini tuo indigni dedicavimus, cunctis petentibus aures tuæ pietatis accommodes. Per. *El. gg.*

Alia Miſſa.

Quæſumus, omnipotens Deus: ut hoc in loco, qui nomini tuo dedicatus eſt &c. *Ut mox.*

Secreta.

Præſta, quæſumus Dne, ut munera, quæ ſacris inferuntur altaribus, devotis mentibus ad remedium animarum præparentur. Per.

Ad Comm.

Omnipotens ſempiterne Deus! effunde ſuper hunc locum gratiam tuam: & omnibus invocantibus te auxilii tui munus oſtende. Per. *g var.*

Orationes & preces in Dedicatione Eccleſiæ. Ambroſ.

Magnificare, Dne Deus noſter, in hoc templo nomini tuo ædificato, & ita benignus appare, ut & peccata populi deleas, & eorum vota clementer aſſumas. Per. *g. var.*

Alia.

Deus, qui ad honorem nominis tui templi fabricam conſtruere voluiſti; præſta quæſumus, ut in hoc orationis domicilio congregatos pietatem tuam precantes cunctos exaudias, vota ſuſcipias, & præmia largiaris. Per.

Alia.

Veniat, quæſumus Dne, ſuper hanc orationis domum claritas miſericordiæ tuæ: ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum, protectionis tuæ auxilium ſentiatur. Per. *g var.*

Alia.

Domum tuam, quæſumus Dne, continuis auge ſubſidiis: eamque de lapidibus vivis, id eſt, fidelibus tuis ita ſemper ædifica, ut eam in perpetuum poſſidere digneris. Per.

Alia.

Deus, qui de vivis atque electis lapidibus æternum nomini tuo condis habitaculum: da ædificationi huic incrementa iuſtitiæ; ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum protectionis tuæ auxilium ſentiatur. Per.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus! qui in omni loco dominationis tuæ totus aſſiſtis, & totus operaris: adeſto ſupplicationibus noſtris, & huius domus, cuius es fundator, eſto protector: nulla hic nequitia contrariæ poteſtatis obſiſtat, ſed virtute Spiritus ſancti operante fiat hic tibi ſemper purum ſervitium, & devota libertas. Per.

Super Oblata.

Deus, qui ſacrandorum tibi auctor es munerum, ad ſanctificationem loci huius propitius adeſſe digneris: ut qui hæc in tui nominis honore condiderunt, protectorem te in omnibus habere mereantur. Per. *g.*

Alia Secreta.

Omnipotens ſempiterne Deus! qui legalium differentias hoſtiarum in unius huius ſacrificii perfectione ſanxiſti: reſpice propitius de throno gloriæ tuæ, & ſuper hoc altare benedictionis tuæ munus effunde; ut in eo ſic temporales hoſtiæ conſecrentur, ut perpetuæ vitæ ſumentibus procurent ſubſtantiam. Per. *g.*

Præfatio.

VD. P. X. D. N. qui eminentiam poteſtatis acceptæ eccleſiæ tradidit, quam pro honore percepto & reginam conſtituit & ſponſam; cuius ſublimitati univerſa ſubiecit, ad cuius iudicium conſentire iuſſit e cœlo. Hæc eſt mater omnium viventium, filiorum numero facta ſublimior, quæ per Spiritum ſanctum cottidie Deo filios procreat, cuius palmitibus mundus omnis impletus eſt, quæ propagines ſuas ligno baiulante ſuſpenſas erigit ad regna cœlorum. Hæc eſt civitas illa ſublimis, iugo montis erecta, perſpicua cunctis & omnibus clara, cuius conditor & inhabitator eſt idem Dnus noſter Ieſus Xpus Filius tuus, quem una tecum.

Alia Præfatio.

VD. æterne Deus: qui cum ubique ſis totus, & univerſa tua maieſtate contineas, ſacrari tamen tibi loca tuis myſteriis apta voluiſti: ut ipſæ domus orationum ſupplicum mentes ad invocationem tui nominis incitarent, per Xpm. g. *El.*

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem famulorum tuorum, quam tibi offerunt ob hanc dedicandam eccleſiam, quæſumus Dne, ut placatus accipias, noſtraſque

Digitized by Google

preces dignanter exaudias: ut ſint oculi tui aperti ſuper domum iſtam die ac nocte, templumque hoc in honore Sanctorum tuorum ſacris myſteriis inſtitutum clementiſſimus dedica, miſerator illuſtra, propitio ſplendore clarifica, cunctamque familiam tuam ad aulæ huius ſuffragia concurrentem benignus exaudi; eiusque conditorum omnia deſideria cordis complacita tibi pius adimple, votisque reſponde, augmenta eis annos vitæ & temporum felicitatem, ut eis per ſpatia longæva viventibus melioribus ornamentis ſtudio eorum locus iſte refulgeat. Diesque noſtros *g.*

Poſt Comm.

Benedictionis tuæ, quæſumus Dne, plebs tibi ſacra fructus reportet & gaudium: ut quod in huius feſtivitatis die corporali ſervitio exhibuit, ſpiritaliter ſe retuliſſe cognoſcat. Per.

Alia.

Copioſa beneficia, quæſumus Dne, chriſtianus populus aſſequatur: ut qui in honore Sanctorum ſacrandis tibi liminibus devotus occurrit, & præſentis vitæ ſubſidia accipiat, & gratiam ſempiternæ redemtionis inveniat. Per. *g. El.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Deus, qui loca nomini tuo dicata ſanctificas: effunde ſuper hanc orationis domum gratiam tuam; ut ab omnibus hic te invocantibus auxilium tuæ miſericordiæ ſentiatur. Per. *g. El.*

Alia.

Populum tuum, Dne, propitius intuere: & in templo nomini tuo ædificato tuam pietatem invocantes miſerationis tuæ potiantur auxilio. Per.

Secreta.

Quæ in hoc altari propoſita, Dne, oculis tuæ maieſtatis offerimus, ſancti tui ill. quæſumus, ſupplicationibus propitiatus aſſume. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus: qui hanc eccleſiam nomini tuo dicatam annua feſtivitate illuſtras, atque myſticis ornatam virtutibus de terris mittis ad cœlum. Hæc eſt enim, Dne, mater viventium, vita & ſalus omnium in te credentium. Hæc eſt ſponſa agni tui, mirabili ipſius illuſtrata decore, pro qua, clementiſſime Pater! Unigenitus tuus crucem pertulit, & adverſarium vicit: unde & a dexteris tuis in cœleſtibus conſtituta, ac ſuorum civium decorata virtute, maieſtatem tuam trina voce interpellare non ceſſant: quam laudant.

Infra Actionem.

Has igitur oblationes famulorum tuorum, quas tibi in huius templi ſanctificatione offerunt immolandas, quæſumus Dne, dignanter intende: ut aulam, quæ beati Martyris tui ill. meritis æquiparari non potuit, tuæ claritatis vultus illuſtret; fiatque tua propitiatione tuis ſacroſanctis digna myſteriis: ſit æternæ lucis fiducia habitaculum temporale: nihil hic mundanæ ſordes, obſcuritatesque poſſideant, ut veniens hic populus tuus ſuæ conſequatur orationis effectum, dignumque locum hunc tuæ ſentiat maieſtati, dum a te poſtulata fuerit conſecutus: ſitque ædificantibus in pretio delictorum, dum a te non pro ſui operis quantitate, ſed pro offerentium fuerit devotione ſuſcepta. Diesque noſtros.

Ad Commun.

Sanctorum tuorum, Dne, precibus confidentes, quæſumus, ut per ea, quæ ſumſimus, æterna remedia capiamus. Per. *l. g. El.*

Alia.

Deus, qui eccleſiam tuam ſponſam vocare dignatus es, ut, quæ habet gratiam per fidei devotionem, haberet etiam ex nomine pietatem: da, ut omnis hæc plebs, nomini tuo ſerviens, huius vocabuli conſortio digna eſſe mereatur, & eccleſia tua in templo, cuius natalis eſt hodie, tibi collecta te timeat, te diligat, te ſequatur: & dum iugiter per veſtigia tua graditur, ad cœleſtia promiſſa te ducente pervenire mereatur. Per. *El. gg.*

In Dedicatione Baſilicæ anniverſaria.

Deus, qui nobis per ſingulos annos huius ſancti templi tui conſecrationis reparas diem, & ſacris ſemper myſteriis repræſentas incolumes: exaudi preces populi tui, & præſta, ut ſi quis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta ſe impetraſſe lætetur. Per. *El. gg.*

Super Obl.

Annuæ feſtivitatis cultum Domino Deo noſtro, fratres dilectiſſimi! ſumma noſtrarum precum ſupplicatione poſcimus: ut quicumque intra templi huius, cuius natale eſt hodie, ambitum continemur, plena illic atque perfecta corporis & animæ devotione placeamus: ut dum hæc præſentia vota reddimus, ad æterna præmia venire mereamur. Per. *gg. var. Vid. infra.* Con-

Digitized by Google

Conteſtatio.

VD. Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus! pro annua dedicatione tabernaculi huius honorem tibi (&) gratias referre, per Chriſtum Dnm, cuius virtus magna, pietas copioſa. Reſpice, quæſumus, de cœlo, & vide, & viſita domum iſtam, ut ſi quis in ea nomini tuo ſupplicaverit, libenter exaudias, & ſatisfacientibus clementer ignoſcas. Hic tibi Sacerdotes tui ſacrificium laudis offerant, hic fidelibus populis (Gall. *fidelis populus*) vota perſolvat, hic peccatorum onera deponantur, hic fides ſancta ſtabilitetur. Hic ipſe inter bonum malumque diſcernens, cum cauſam interpellatus iudicaveris, quam non ignoras, hic (l. *hinc*) pietas abſoluta redeat, hinc iniquitas emendata diſcedat. Inveniat apud te, Domine, locum veniæ, quicumque ſatisfaciens confugerit, & ſerio dolore victus altaria tua rivis ſuarum laverit lacrymarum. Hic ſi quando populus tuus triſtis mœſtusque convenerit, adquieſce rogari, & rogatus indulge. Per. *Gall.*

Poſt Comm.

Deus, qui eccleſiam tuam ſponſam vocare dignatus es, & quæ haberet gratiam per fidei devotionem, haberet etiam ex nomine pietatem: da, ut omnis hæc plebs nomini tuo ſerviens huius vocabuli conſortio dignatus (*digna*) eſſe mereatur, (&) eccleſia tua in templo, cuius natalis eſt hodie, tibi collecta (te) teneat, te diligat, te ſequatur; & dum iugiter per veſtigia tua graditur, ad cœleſtia promiſſa, te ducente, pervenire mereatur. Per. *El. gg. Supra.*

Super populum.

Deus, qui de vivis & electis lapidibus æternum maieſtati tuæ condis habitaculum, auxiliare populo tuo ſupplicanti: ut quod eccleſiæ tuæ corporalibus proficit ſpatiis, ſpiritualibus amplificetur augmentis. Per. *g g.*

Unde ſupra alia Miſſa Gregoriana.

D*eus, qui nobis per ſingulos annos huius ſancti templi tui conſecrationis reparas diem: exaudi preces.* Ut ſupra.

Secreta.

Annuæ feſtivitatis cultu ſupplices te, Dne, deprecamur: ut omnes, qui intra templi huius ambitum continemur, perfecta tibi devotione placeamus, & per hæc devotionis noſtræ munera ad æterna præmia pervenire mereamur. Per. gg.

Ad Comm.

Cœleſtibus myſteriis recreati, quæſumus omnipotens Deus! ut in hoc loco, qui nomini tuo dicatus eſt, cunctis petentibus aures tuæ pietatis accommodare digneris. Per.

Alia.

Deus, qui de vivis. Ut ſupra.

Unde ſupra alia Miſſa. (1)

Deus, qui nos ad anniverſarium diem conſecrationis huius eccleſiæ tribuiſti venire: concede, quæſumus, ut quidquid in tuo nomine petituri intraverimus, Sanctorum tuorum precibus imploremus. Per.

Alia.

Deus, qui nobis per ſingulos annos &c. *Ut ſupra.*

Super Oblata.

Annue, quæſumus Dne, precibus noſtris, ut quicumque intra templi huius, cuius anniverſarium dedicationis diem celebramus, ambitum continemur. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! pro annua dedicatione ta-

(1) Sequentes duæ Miſſæ ex cod. *San-Gallenſi* deſumtæ, *Ambroſianæ* eſſe videntur.

bernaculi huius honorem tibique gratiasque referre. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Deus, qui de vivis atque electis. *Ut ſupra.*

Item in anniverſario Die.

Recenſentes annuæ dedicationis occurſum, pietatem tuam, Dne, ſupplices exoramus, ut cuius meritis hanc tui nominis domum ſacrare iuſſiſti, eius precibus apud te nos adiuvare digneris. Per.

Super Oblata.

Votorum noſtrorum munus, quæſumus Dne, propitiatus aſſume, vitalibus ſacrificiis exoratus; ut noſtris veniam delictis impertias, & huius tabernaculi ex te ſanctificationibus cumulatis exaudias. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! quia tantam fidem nobis beatæ eccleſiæ tuæ præſidio conceſſiſti, ut non ſolum piis exemplis ad beatitudinem provocemur, ſed etiam glorioſa nobis in hoc templo eius patrocinia ſentiamus, per Xpm.

Ad Commun.

Sanctificationem domus tuæ, Dne, ſuppliciter recolentes exaudi: & Sanctorum tuorum nos ſacra dedicatione lætantes, in eorum nos facias, quæſumus, ſorte participes. Per.

Alia.

Protege, Dne, famulos tuos, & præſta propitius: ut in hac domo te annuente perfecta ad honorificentiam beati Apoſtoli tui ill. religioſa multitudo concurrat. Per.

Incipiunt orationes cotidianis diebus ad Miſſam cum canone. (1)

Perpetua, quæſumus Dne, pace cuſtodi, quos in te ſperare donaſti. Per. *g. El. gg.*

Alia.

Adeſto nobis, miſericors Deus, & tuæ pietatis in (2) nobis propitius dona concede. Per. *g. El. gg.*

Secreta.

Adeſto nobis, quæſumus Dne, & preces noſtras benignus exaudi: ut quod fiducia non habet meritorum, placationis (3) obtineat hoſtiarum. Per. *gg.*

Poſt Comm.

Myſteria ſancta nos, Dne, & ſpiritalibus expleant alimentis, & corporalibus tueantur auxiliis. Per. *g.*

Ad populum.

Protector in te ſperantium, Deus, & ſubditarum tibi mentium cuſtos, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & pia populi tui vota benignus exaudi. Per.

Item alia Miſſa.

Exaudi nos, miſerator & miſericors Deus; & continentiæ ſalutaris propitius nobis dona concede. Per. *g. gg.*

Alia.

Plebis tuæ, Deus, ad te corda converte; ut tuo munere talis exiſtat, cui tu perpetua beneficia largiaris. Per. *g.*

Secreta.

Hoſtias, quæſumus Dne, ſuſcipe placatus oblatas, quas ſanctificando nobis efficiant ſalutares. Per. *gg.* (4)

Poſt Comm.

Sancta tua nos, Dne quæſumus, & a peccatis exuant, & cœleſtis vitæ vigorem (S. Blaſ. *vigore*) confirment. Per. *g. gg.*

Ad

---

(1) Miſſæ ſequentes pleræque omnes in vulgato *Gelaſ.* noſtroque *San-Blaſiano* & aliis *Gregorianis* leguntur, eo tantum diſcrimine, quod in *Gregorianis* tribus tantum conſuetis conſtent orationibus, prima Miſſa excepta, ubi poſt primam orationem alia additur, uti in reliquis omnibus vulgati *Gelaſiani*, ſicut in paribus noſtris *Rhenaugienſi* & *San-Gallenſi* vetuſtioribus, in quibus prælerea ſingulis in Miſſis oratio *ſuper populum* adiicitur, quæ in *Gelaſ.* vulgato deſideratur. In *Petrobuſano* ſingulæ hæ Miſſæ ſingulis hebdomadæ feriis adſignantur.

(2) San-Blaſ. Gregor. omittit *in.*

(3) San-Blaſ. *placatio.*

(4) San-Blaſ. *quæ te ſanctificante nobis efficiantur ſalutares.*

Digitized by Google

Ad populum.

Suſcipe, quæſumus Dne, preces noſtras, & ad aures miſericordiæ tuæ poſtulationes ſacratæ tibi plebis admitte. Per.

Alia Miſſa.

Quæſumus, omnipotens Deus: ut plebs tua toto tibi corde deſerviens & beneficia tua iugiter mereatur, & pacem. Per. *g. gg.*

Alia.

Miſerere noſtri, Deus: & tuæ nobis pietatis effectum potenti bonitate largire. Per. *g.*

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, hoſtiam redemtionis humanæ, & ſalutem nobis mentis & corporis placatus operare. Per. *g. gg.*

Ad Comm.

Da, quæſumus omnipotens Deus, ut myſteriorum tuorum virtute ſatiati ad vitam firmemur æternam. Per. *gg.*

Ad populum.

Adſit, Dne, fidelibus tuis ſacræ benedictionis effectus, qui mentes omnium ſpiritali vegetatione diſponat; ut per opera pietatis gratiæ tuæ muneribus impleantur. Per. *g.*

[*Alia Miſſa.*

Rege noſtras, Dne, propitius voluntates; ut nec propriis iniquitatibus implicentur (1) nec ſubdantur alienis. Per. *g. El. gg.*

Alia.

Da famulis tuis, Deus, indulgentiam peccatorum, conſolationem vitæ, gubernationemque perpetuam; qua tibi fideliter ſervientes, ad tuam iugiter miſericordiam pertinere mereantur. Per. *g.*

Secreta.

Tua ſacramenta nos, Deus, circumtegant, & reforment; ſimulque nobis temporale remedium conferant & æternum. Per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus, ut quia tui eſt operis, ſi, quod tibi placitum eſt, aut cogitemus, aut agamus: tu nobis ſemper & intellegendi quæ recta ſunt, & exſequendi tribuas facultatem, per Xpm.

Ad Comm.

Tua ſancta nobis, omnipotens Deus, quæ ſumſimus, & indulgentiam præbeant, & auxilium perpetuæ defenſionis impendant. Per. *g. gg.*

Super populum.

Familiam tuam, Dne, pervigili protectione conſerva, & perpetuis defende præſidiis: ut omni ſemper inordinatione ſecluſa, tua iugiter providentia dirigatur. Per. *g.*

Item alia Miſſa Gel.

Comprime, Dne quæſumus, noxios ſemper incurſus, & ſalutarem temporibus noſtris propitius da quietem. Per. *g. El. gg.*

Alia.

Tu, Dne, ſemper a nobis omnem remove pravitatem; & ad tuam nos propitius converte iuſtitiam. Per. *g.*

Secreta.

In tuo conſpectu, Dne quæſumus, talia noſtra ſint munera; quæ & placare te valeant, & nos tibi placere perficiant. Per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus, ut non in nobis noſtra malitia, ſed indulgentiæ tuæ proveniat ſemper effectus, qui nos a noxiis volun-

(1) San-Blaſ. *implicemur, nec ſubdamur alienis.*

Digitized by Google

voluntatibus indeſinenter expediat, & a mundanis cladibus dignanter eripiat. Per Xpm. *gg.*

Ad Comm.

Cottidiani, Dne quæſumus, munere ſacramenti perpetuæ nobis tribue ſalutis augmentum. Per. *g. gg.*

Super populum.

Reſpice, Dne, propitius plebem tuam; & toto tibi corde ſubiectam præſidiis invictæ pietatis attolle. Per.] *g.*

Alia Miſſa Gel. (1)

Eccleſiæ tuæ, Dne, voces placatus admitte; ut deſtructis adverſantibus univerſis, ſecura tibi ſerviat libertate. Per. *l. gg.*

Alia.

Ab omnibus nos defende, quæſumus Dne, ſemper adverſis, & continuis tuere præſidiis. Per. *g. gg.*

Alia.

Porrige dexteram, quæſumus Dne, plebi tuæ miſericordiam poſtulanti; per quam & errores declinet humanos, & ſolatia vitæ mortalis accipiat, & ſempiterna gaudia comprehendat. Per. *l. gg.*

Secreta.

Offerimus tibi Domine, munera, quæ dediſti: ut & creationis tuæ circa mortalitatem noſtram teſtificentur auxilium, & remedium nobis inmortalitatis operentur. Per. *l. gg.*

Alia Secreta.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & his muneribus præſentiam tuæ maieſtatis interfere: ut quod noſtro ſervitio geritur, te potius operante firmetur. Per Dnm nrm. (2)

Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Surſum corda. ℟. Habemus ad Dominum.

Gratias agamus Dno Deo noſtro. ℟. Dignum & iuſtum eſt.

VD. æquum & ſalutare. Nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus! per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem Maieſtatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, cœli cœlorumque Virtutes, ac beata Seraphim ſocia exultatione concelebrant. Cum quibus & noſtras voces ut admitti iubeas, deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes:

---

(1) Sequens Miſſa, ut iam notavimus, deſideratur in vulgato *Gelaſ.* & aliis; habetur autem in *San-Blaſiano, Rhenaugienſi* & *San-Gallenſi* vetuſtiori, excepta oratione tertia, & *Secreta alia.*

(2) Ut habeatur hic tota ſeries, ſive, ut hodie vocari ſolet, ordo Miſſæ, totum codicis noſtri *San-Blaſiani Gregoriani* titulum adponimus. *In nomine Domini incipit liber ſacramentorum de circulo anni, expoſitus a ſco Gregorio Papa Romano, ex autentico editus libro bibliothecæ cubiculi ſcriptus. Qualiter Miſſa Romana celebratur: hoc eſt, inprimis Introitus, qualis fuerit ſtatutis diebus ſive temporibus, ſeu cottidianis. Dein* Kyrie eleiſon. *Item dicitur* Gloria in excelſis Deo; *ſi Epiſcopus fuerit, tantummodo die Dominica, ſive diebus feſtis; a Presbyteris autem minime, niſi in Paſcha. Quando Litania agitur, neque* Gloria in excelſis, *neque* Alleluia *canitur. Poſtmodum dicitur oratio; ſequitur Apoſtolus (id eſt, Epiſtola), item Graduale ſeu* Alleluia. *Poſtmodum legitur Evangelium, deinde Offertorium, oratio ſuper oblata (id eſt Secreta). Deinde dicit alta voce:* Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Dominus vobiſcum &c. quod in *Gelaſ.* ed. & hoc *Rhenaug. Gelaſ.* deſideratur, habetur autem in *Gregor. San-Blaſ.* aliiſque.

Digitized by Google

centes: Scs, Scs, Scs Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt cœli & terra gloria tua. Oſanna in excelſis. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Oſanna in excelſis. (1)

Te igitur, clementiſſime Pater! per Ieſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum ſupplices rogamus & petimus, uti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia inlibata. Inprimis quæ tibi offerimus pro eccleſia tua ſancta catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare & regere digneris toto orbe terrarum: unacum famulo tuo Papa noſtro ill. (2) & antiſtite noſtro ill. (3)

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, & omnium circum adſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe ſuisque omnibus: pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ.

Memento etiam, Domine, & animarum famulorum famularumque tuarum fidelium Catholicorum in Chriſto quieſcentium, qui nos præceſſerunt, illorum & illarum, qui per eleemoſynam & confeſſionem tibi reddunt vota ſua æterno Deo vivo & vero. (4)

Communicantes & memoriam venerantes, inprimis glorioſæ ſemperque Virginis Mariæ, genitricis Dei & Dni noſtri Ieſu Chriſti: ſed & beatorum Apoſtolorum, ac

(1) *Solodorenſis*, *Petrobuſanus*, *San-Blaſianus*, aliique Codices Præfationem cum Canone initio mox exhibent, quem ex ſacramentario *Rhenaugienſi* poſt Miſſas quotidianas poſitum hic quoque damus.

(2) In Codice *Vindobonenſi* ſæc. IX. qui canonem ſolum cum Præfatione præmittit, prioribus paginis cum titulo litteris aureis pulcherrime exornatis, additaque ad marginem expoſitione Canonis ceu commentario perpetuo, leguntur ſola verba *papa noſtro ill.* adiicitur tamen hæc nota: *Quia ipſe vice Petri Apoſtoli caput eſt eccleſiæ, & ideo primus nominatur. Antiſtitis quoque mentio fit, quia dignum eſt, ut nominatim ſacerdotes pro eo exorent, in cuius paroechia, vel ſub cuius gubernatione reguntur.* In eodem codice verbis *papa noſtro ill.* immediate Sequentia adduntur: *Memento Dne famulorum famularumque tuarum, & omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt & devotio. Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt &c.* omnia una manu & contextu. In Cod. *Augienſi* vero eiusdem bibliothecæ verba: *pro quibus tibi offerimus, vel*, alia, antiqua licet manu in margine ſunt addita, ut paſſim in aliis MSS. antiquioribus.

In codice *Petrobuſano* pariter ſolius Papæ fit mentio, uti & in *San-Blaſiano*, in quo verba illa: *& Antiſtite noſtro.* recentiore manu ſunt adſcripta. *Conf. Diſquiſit. IV.* p. 345. &c.

(3) In *San-Gallenſi* infra ad oram antiqua manu additur litteris maioribus: *Memento Dne famuli tui Remedii*, Curienſis haud dubie ineunte ſæc. IX. epiſcopi. *Vid. Diſquiſ. II. p.* 104.

Inter nomina Epiſcoporum conſcriptorum monaſterii *S. Galli* ſecundo mox loco occurrit *Remedius epiſcopus* apud GOLDAST. T. II. *Aleman.* Antiquitatum. P. II. p. 155. De memoria Regis vel Imperatoris in Canone, quæ hic & alibi paſſim in antiquis codicibus deſideratur, *vid. Diſquiſit. IV. p.* 348. *ſeq.*

(4) Memento, ſeu memoriam mortuorum ante Conſecrationem nuſpiam alibi reperi. Repetitur ſuo loco poſt Conſecrationem memoria *eorum, qui nos præceſſerunt &c.* Hic additur: *illorum & illarum, qui per eleemoſynam & confeſſionem &c.* Quod tamen codici huic ſingulare eſt; in *San-Blaſiano* etenim, ut in cæteris ſuo loco, quo hodiedum, habetur; illa autem verba: *Tibi reddunt vota ſua æterno Deo, vivo & vero* in memoria vivorum ponuntur. *Vid. Diſquiſit. II. p.* 103. *ſeq.*

Digitized by Google

ac Martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Iohannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thaddæi: Lini, Cleti, Clementis, Syxti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chryſogoni, Iohannis & Pauli, Coſmæ & Damiani, (1) Hilarii, Martini, Auguſtini, Gregorii, Hieronymi, Benedicti, (2) & omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Chriſtum Dnm noſtrum. (3)

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Dne, *(ut)* placatus accipias, diesque noſtros in tua pace diſpone (al. *diſponas*) atque ab æterna damnatione nos eripias, (al. *eripi*) & in Electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Chriſtum Dominum noſtrum. (4)



Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæſumus (5) Bene†dictam Aſſcri†ptam, Ra†tam rationabilem acceptabilemque facere digneris: Ut nobis Cor†pus & San†guis (6) fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Qui

(1) *San-Gallenſis* recentior addit: *Et Sanctorum Confeſſorum tuorum:* quæ verba in antiquiori *San-Gallenſi* recentiori manu ad marginem adnotantur.

(2) Recentior *San-Gallenſis* addit GALLI, OTHMARI, aliorumque Sanctorum nomina. Ad calcem recentiori manu ſcriptum legitur: *Sed & diem natalicii beatorum N. celebrantes.* Codex noſter *San-Blaſianus* haud alia in Canone Sanctorum nomina exhibet, quam qui hodiedum in eo continentur. Cæterum de varia Sanctos in Canone nominandi ratione conf. *Diſquiſit. IV. p.* 356. *&c.*

(3) *San-Gallenſis*, ut & *San-Blaſienus* in margine hanc habent rubricam: *Hic inclinat ſe uſque ad altare dicens:*

(4) San. Blaſ. *Hic erigit ſe ſurſum.* Cum figura hic expreſſa, ex quo etiam ſequentes ſunt.

(5) Idem: *Hic ſolam oblatam benedicit.*

(6) Idem: *Hic ambos ſignat, id eſt, Oblationem & Calicem.*

Digitized by Google

Qui pridie, quam pateretur, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas: & elevatis oculis in cœlum ad Te Deum Patrem ſuum Omnipotentem Tibi gratias agens Benedixit, fregit, dedit diſcipulis ſuis dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes. Hoc eſt (alii interponunt *enim*) Corpus meum.

Simili modo, poſtquam cœnatum eſt, accipiens & hunc præclarum Calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas item Tibi gratias agens benedixit, dedit diſcipulis ſuis dicens: Accipite & bibite ex eo omnes.

Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni teſtamenti: Myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.

Unde & memores ſumus (alii omittunt *ſumus*) Domine, nos tui ſervi, ſed & plebs tua ſancta, Chriſti Filii tui Domini noſtri tam beatæ Paſſionis, nec non & ab inferis Reſurrectionis, ſed & in cœlos (alii *glorioſæ*) Aſcenſionis: Offerimus præclaræ Maieſtati tuæ de tuis donis ac datis (1) Hoſtiam † puram, Hoſtiam † ſanctam, Hoſtiam † immaculatam, Panem ſanctum vitæ æternæ & Calicem ſalutis perpetuæ.

Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere dignare, & accepta habere, ſicúti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech ſanctum ſacrificium, immaculatam Hoſtiam. (2)



Supplices te rogamus omnipotens Deus: (3) Iube hæc perferri per manus (al. *ſancti*) Angeli tui in ſublime altare tuum, in conſpectu divinæ Maieſtatis tuæ (4), ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus & Sangui-

(1) *San-Blaſ.* Hic quatuor vicibus ſolam Oblatam ſignat & in quinta vice ſuper Calicem ſolam crucem faciens.

(2) San-Bl. *Hic inclinat ſe ante altare dicens:*

(3) Id. *Hic orat apud ſe, quod voluerit, deinde dicit:* Iube hæc. (4) Id. *Hic ſe erigit hæc verba dicens:*

nem ſumſerimus, omni Benedictione cœleſti & gratia repleamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. (1)

Memento etiam, Domine, & eorum nomina, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei & dormiunt in ſomno pacis. (2) Ipſis, Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus, partem aliquam & ſocietatem donare digneris cum tuis ſanctis Apoſtolis & Martyribus: Cum Iohanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agne, Cæcilia, Anaſtaſia, & cum omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos conſortium, non æſtimator meriti, ſed veniæ, quæſumus, largitor admitte. Per Chriſtum Dnm nrm.

Per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas (3) ſanctificas, vivificas, benedicis & præſtas nobis. (4) Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo, eſt tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus ſancti omnis honor & gloria.

Per omnia ſæcula ſæculorum. ℟. Amen.

Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere. Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum &c. (5)

Libera nos, quæſumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præſentibus & futuris, & intercedente beata & glorioſa ſemperque Virgine Dei genitrice Maria (6)

&

(1) In codice *Vindobonenſi* Bibl. Cæſ. hæc memoriæ mortuorum præmittitur oratio: *Memento mei, quæſo Dne, & miſerere, licet hæc ſancta indigne tibi, ſancte Pater omnipotens æterne Deus, meis manibus offerantur ſacrificia, qui nec invocare ſanctum ac venerabile nomen tuum dignus ſum. Sed quoniam in honore, laude, & memoria glorioſiſſimi dilecti Filii tui Dni nri Ieſu Chriſti offeruntur, ſicut incenſum in conſpectu divinæ maieſtatis tuæ cum odore ſuavitatis accendantur. Per eundem Chriſtum Dnm nrm. Memento etiam, Dne, & eorum nominum, qui nos &c.* Parum diverſa eſt oratio Diſquiſ. IV. p. 364. ex codice *San-Gallenſi* recenſita. Cur hic loci olim ſui commemorationem fecerit Sacerdos, vide l. c.

(2) Memoria mortuorum in altero *Rhenaugienſi Gregoriano* codice, & *San-Gallenſi* deeſt, ſuppletur autem recentiori manu ſæc. XII. in *San-Blaſiano*, & *Petershuſano*.

Eadem deſideratur in Cod. *Augienſi* Bibl. Cæſ. *Vindob.* ſæc. IX. de quo ſupra, & LAMBEC. L. II. Bibl. Cæſ. c. 5. Deeſt etiam in altero codice Bibl. Cæſ. ſuppari modo citato, ut tamen antiqua manu in ora paginæ ſuppleatur.

In *Solodorenſi* legitur hæc rubrica: *Si fuerint defunctorum nomina recitanda, dicat Sacerdos:* & eorum nomina *poſt verba* in ſomno pacis. Rubr. *deinde cum recitata fuerint, dicat Sacerdos:* Nobis &c.

(3) San-Blaſ. *Hic ambos ſignat, id eſt Oblationem & Calicem tribus vicibus ſingulis ſingulas faciens cruces:* Sancti†ficas &c.

(4) Id. *Hic levat Sacerdos Oblationem ad oram Calicis.* Per ip†ſum &c.

(5) *San-Blaſ.* hic integram ponit orationem Dominicam, & in fine: *Amen.* In *Petershuſano* vero eſt cum notis muſicis.

(6) In recentiori *San-Gallenſi* in margine additur alia manu: *& ſancto Michaele.*

Digitized by Google

& ſanctis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea & beatis Confeſſoribus tuis ill. (1) Da propitius pacem in diebus noſtris, ut ope miſericordiæ tuæ adiuti & a peccatis ſimus liberi ſemper, & ab omni perturbatione ſecuri.



Per Dnm. (2)

Pax Domini ſit ſemper vobiscum.

℟. Et cum ſpiritu tuo. (3)

Poſt

(1) In San-Blaſ. *atque Andrea, cum omnibus Sanctis.*

(2) *San-Blaſ. pergit:* Noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus ſancti Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

(3) In *San-Blaſiano Gregoriano* ſacramentario ſimilibusque Mſſ. & editis additur *Agnus Dei qui tollis peccata mundi miſerere nobis. ter*: quæ ultima vox ſingularis eſt cod. *San-Blaſiano*: ut nec quidem in cod. *Tiliano* reperiatur apud MENARDUM n. 88. in quo tamen rubricæ adhuc plures, quam in noſtro habentur. Hic codices noſtri manuſcripti ac editi terminant Canonem. In *Vindobonenſi* autem Bibl. Cæſ. Codice ſæc. X. plura continentur, quæ ex parte hodiedum adhuc in miſſalibus exſtant. Ad illa verba: *Hæc commixtio &c.* ad rubrum: *Quando Corpus Sanguini Domini miſcetur*, ſequentia adduntur: *Fiat nobis, & omnibus ſumentibus, quæſumus Dne, commixtio & conſecratio Corporis & Sanguinis Dni nri Ieſu Chriſti remiſſio omnium peccatorum, tutamentum quoque mentis & corporis, & ad vitam capeſſendam æternam præparatio ſalutaris. Amen.* Ante oſculum: *Qui es omnium Deus & dominator, fac nos pacificando digne operari in hora iſta, amator humanitatis, ut emundatos ab omni ſimulatione ſuſcipias nos invicem in oſculo & dilectione ſancta, in quo manet vera pacificatio, & charitatis & unitatis coniunctio. Amen.* Ad rubricam *ante Euchariſtiam* leguntur duæ orationes modernis in miſſalibus aſſignatæ: *Perceptio Corporis & Sanguinis &c. Dne Ieſu Chriſte Fili Dei vivi &c.* tum additur tertia: *Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, da mihi Corpus & Sanguinem Chriſti Filii tui Dni nri ita ſumere, ut merear per hoc remiſſionem peccatorum accipere, & tuo ſancto Spiritu repleri; quia tu es Deus, & in te eſt Deus, & præter te non eſt alius. Qui vivis.* Sequitur rubr. *Expleta Miſſa veniat Sacerdos ante altare, & oſculato eo dicat:* Placeat tibi, Deus ſancta Trinitas, obſequium ſervitutis &c. *Ante altare dicat, quando ſe reveſtit Presbyter, veniens iterum:* Corpus tuum, Dne Ieſu Chriſte, quod ego indignus accepi, & Calix tuus, quem potavi &c.

Poſt hæc commonenda eſt plebs pro ieiunii (ieiuniis), *IIII.ti VII.mi & X.mi menſis temporibus ſuis, ſive per ſcrutinis* (*l.* pro ſcrutiniis) *vel aurium apertionum* (*l.* apertione) *ſive orandum pro infirmis, vel ad nuntiandum Natalitia Sanctorum. Poſt hæc communicat Sacerdos cum Ordinibus ſacris, cnm omni populo.*

Poſt Comm.

Quos cœleſti, Dne, alimento ſatiaſti, apoſtolicis interceſſionibus ab omni nos, quæſumus, adverſitate cuſtodi. Per. *g.*

Alia.

Læti, Domine, ſumſimus ſacramenta cœleſtia, ut intercedente pro nobis beata & glorioſa ſemperque Virgine Dei genitrice Maria ad vitam proficiant ſempiternam. Per *.g.*

Alia.

Augeatur in nobis, Domine quæſumus, tuæ virtutis operatio: ut divinis vegetati ſacramentis, ad eorum promiſſa capienda tuo munere præparemur. Per. *g.*

Alia.

Omnipotens Deus! fac nos tibi ſemper & devotam gerere voluntatem, & maieſtati tuæ ſincero corde famulari. Per. *g.*

Alia.

Myſteria nos, Domine, ſancta purificent, & ſuo munere tueantur. Per. *g.*

Alia.

Quos tantis, Domine, largiris uti myſteriis: quæſumus, ut effectibus nos eorum veraciter aptare digneris. Per. *g.*

Alia

Menſa tua nos, Domine, a delectationibus terrenis expediat, & cœleſtibus ſemper inſtituat alimentis. Per. *g.*

Alia.

Tui nobis, Domine, communio ſacramenti & purificationem [conferat, & tribuat unitatem. Per. *g.*

Alia.

Tua ſancta nobis, omnipotens Deus, & indulgentiam præbeant, & auxilium perpetuæ defenſionis impendant. Per. *g.*

Alia.

Tua nos, Domine, medicinalis operatio & a noſtris perverſitatibus clementer expediat, & tuis faciat ſemper inhærere mandatis. Per. *g.*

Alia.

Purificent ſemper & muniant tua ſacramenta nos, Domine, & ad perpetuæ ducant ſalvationis effectum. Per. *g.*

Alia.

Quæſumus omnipotens Deus, ut munere divino (*munus divinum*) quod ſumſimus, ſalutari nobis proſit effectu. Per. *g.*

[*Alia.*

Quod ore ſumſimus, Domine, mente capiamus, & de munere temporali, fiat nobis remedium ſempiternum. Per. *l. gg.*

Alia.

Conſervent nos, quæſumus Dne, munera tua, & vitam nobis tribuant æternam. Per. *gg.*]

Alia.

Quod ore ſumſimus, Dne, mente capiamus, ut de Corpore & Sanguine Dni nri Ihu Xpi fiat nobis remedium ſempiternum. Per eundem. *l. gg.*

Item benedictiones ſuper populum. (1)

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus! de abundantia miſericordiarum tuarum famulos tuos & famulas tuas præſta locupletes, præſta ſecuros: ut

(1) *Gelaſ.* p. 177. addit poſt Communionem.

ut confirmati benedictionibus tuis abundent in omni gratiarum actione, teque perpetua exultatione benedicant. Per. *g.*

Alia.

Gregem tuum, Paſtor bone, placatus intende, & oves, quas pretioſo ſanguine redemiſti, diabolica non ſinas incurſione lacerari. Per. *g.*

Alia.

Benedic, Dne, hanc familiam tuam in cœleſtibus, & reple eam donis tuis ſpiritualibus: concede eis caritatem, gaudium, pacem, patientiam, bonitatem, manſuetudinem, ſpem, fidem, continentiam, ut repleti omnibus caſtitatem donis tuis deſiderantes (1) ad te pervenire mereantur. Per. *g.* *Alia.*

Benedicat vos Deus omni benedictione cœleſti, Sanctosque (&) puros efficiat in conſpectu ſuo: ſuperabundent in vos divitiæ gloriæ eius, verbo veritatis inſtruat: evangelio ſalutis erudiat, omniumque Sanctorum caritatem locupletet. Per. *g.* *Alia.*

Plebis tuæ, quæſumus Dne, ad te corda ſemper converte; & quam tantis facis patrociniis adiuvari, perpetuis non deſinas gubernare præſidiis. Per. *g.*

Alia.

Propitiare populo tuo, Deus, ut a ſuis pravitatibus liberatus, & toto tibi corde deſerviat, & ſub tua ſemper protectione conſiſtat. Per. *g.*

Alia.

Tuere, Dne quæſumus, familiam tuam: & ſpiritalibus inſtrue diſciplinis. Per. *g.*

Alia.

Familiam tuam, Dne, pervigili protectione conſerva, & perpetuis defende præſidiis: ut omni ſemper inordinatione ſecluſa, iugiter providentia dirigatur. Per. *g.* (2)

[*Alia.*

Familia tua, Deus, & ad celebranda principia ſuæ redemptionis deſideranter accurrat, & eius dona perſeveranter acquirat. Per. *g.*

Alia.

Fideles tuos, Dne quæſumus, corpore pariter & mente purifica: ut tua inſpiratione compuncti, noxias delectationes vitare prævaleant, atque ut earum non capiantur illecebris, tua ſemper ſuavitate paſcantur. Per. *g.* *gg.*

Alia.

Propitiare, Dne, populo tuo, & ab omnibus abſolve peccatis, ut quod noſtris offenſionibus promeremur, tua indulgentia repellatur. Per. *g.*

Alia.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris (Gel. *ſupplicibus tuis*), & nihil de ſua conſcientia præſumentibus ineffabili miſeratione ſuccurre; ut quod non habet fiducia meritorum, tuorum conferat largitas invicta donorum. Per. *g.*

Alia.

Da, quæſumus Dne, populo tuo & mentem, qua tibi devotus exiſtat, & intellectum, quo iuſta depoſcat, & propitiationem tuam, qua pie deſiderantibus quæ ſint profutura perficias. Per. *g.*

Alia.

Plebem nomini tuo ſubditam, Dne, propitius intuere; eique conſolationes tuas iugiter

(1) Sic & in editis.

(2) Claudit hic *Rhenaug.* hac rubrica: *Expliciunt Benedictiones anni circuli eſt numerus LXXII. Incipit liber ſecundus de extrema parte.*

Digitized by Google

iugiter per cœleſtem gratiam dignanter operare. Per. *g.* (1)

Item Cottidianis Diebus Miſſa Ambr.

Exaudi, Dne, vocem tibi ſupplicantis Eccleſiæ, quæ in modum vineæ Filii tui propagata cultoribus, firmis in te nititur ſtare radicibus; ut præſentis ſeculi fluctibus aliena, pullulantis in ſe populi nativitate ditata, ubertatis ſuæ fructibus glorietur. Per eund. *Alia.*

Deus, qui diligentibus te bona inviſibilia præparaſti, infunde cordibus noſtris tui amoris affectum; ut te in omnibus, & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperant, conſequamur. Per. *g. gg.*

Secreta.

Propitiare, Dne, ſupplicationibus noſtris, & has populi tui oblationes benignus aſſume; & ut nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, præſta quæſumus, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus, Maieſtatem tuam ſuppliciter deprecantes, ut qui rei ſumus meritis, non efficiamur noſtra duritia contumaces; nec te protervis ſenſibus accuſare nitamur, cum tua nobis, quæ non meremur, beneficia retardentur: ſed hinc potius & noſtras cognoſcamus offenſas, & opem tuam iugiter imploremus, quia multo amplius continuata ſubſidia devotis mentibus miniſtrabis, qui eadem largiris indignis, per Xpm.

Poſt Comm.

Gratias tibi agimus, Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui nos corporis & ſanguinis Dni nri Ihu Xpi communione ſatiaſti: tuamque miſericordiam imploramus, ut hoc tuum, Dne, ſacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam, ſed ſit interceſſio ſalutaris ad veniam, ſit ablutio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra mundi pericula firmamentum (2) Hæc nos communio mundet a crimine, & cœleſtis gaudii tribuat eſſe participes. Per eundem.

Item alia Miſſa.

Deus, qui Eccleſiam tuam nova ſemper prole fœcundas, auge eam cottidie credentium puritate, & divinæ gratiæ infuſione multiplica; ut repulſa impugnatione malorum omnium, in tranquillitate pacis & fidei tuo ſemper ditata munere glorietur. Per.

Alia.

Deus, qui nos in tantis periculis conſtitutos pro humana conſpicis fragilitate non poſſe ſubſiſtere; da nobis ſalutem mentis & corporis, ut ea, quæ pro peccatis noſtris patimur, te adiuvante vincamus. Per. *g. gg.*

Secreta.

Deus, qui legalium differentias hoſtiarum unius ſacrificii perfectione ſanxiſti; accipe ſacrificium a devotis tibi famulis, & pari benedictione, ſicut munera Abel ſanctifica, ut quod ſinguli obtulerunt ad maieſtatis tuæ honorem, cunctis proficiat ad ſalutem. Per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus. Implorantes clementiam tuam, ut gubernare digneris onera divinæ militiæ ſuſtinentes; & quia neceſſe eſt, ut ab eo, cui plus creditur, amplius exigatur, tu noſtras propitius dirigas actiones, ut & propriis non implicemur erroribus, & exuamur externis. Per Xpm.

Ad Comm.

Sit nobis, Dne quæſumus, medicina mentis & corporis, quod de ſancti altaris tui benedictione percepimus; ut nullis adverſitatibus fatigemur, qui tanti remedii participatione munimur. Per.

Item alia Miſſa Ambroſiana.

Omnipotens ſempiterne Deus, in protectione fidelium populorum antiqua brachii tui operare miracula; ut hoſtibus noſtris tua virtute compreſſis, ſecura tibi ſerviat catholica fides, & devotio Xpiana. Per. *Alia.*

Deus, qui creaturæ tuæ miſereri potius eligis quam iraſci, cordis noſtri infirma conſidera, & tuæ nos gratia pietatis illuſtra. Per.

Secreta.

Suſcipe munera, quæſumus Dne, quæ tibi de tua largitate deferimus; ut hæc ſacroſancta myſteria, gratiæ tuæ operante virtute, & præſentis vitæ nos converſatione ſanctificent, & ad gaudia ſempiterna perducant. Per. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus: Et ut te auctorem noſtrum pronis viſceribus humana famulatio religioſo excolat affectu: & ideo obſecramus miſericordiam tuam, ne pro noſtra nos iniquitate condemnes, ſed pro tua pietate in viam rectam ſemper diſponas: ne ſicut meremur, delinquentibus iraſcaris, ſed fragilitati

(1) *Gelaſianum* ſacramentarium duas adhuc ſuperaddit orationes apud THOMAS. T. VI. p. 178. Hic finit *San-Gallenſe* ſacramentarium antiquius, quod antiquiſſimo *Rhenaugienſi* in omnibus reſpondens ea ſuperaddit, quæ uncinis incluſimus, ad apicem fere contenta, & paſſim GELASII nomine notata in altero *San-Gallenſi*, quod ex triplici, ut ſæpius obſervavimus, compoſitum eſt ritu.

(2) Hæc ſeparanda eſſe videntur, ut poſterior ſit diviſa oratio.

Digitized by Google

litati noſtræ invicta tua bonitate ſubvenias. Per Xpm *Ad Compl*

Sumpſimus, Dne, ſacri dona myſterii, humiliter deprecantes, ut quæ in tui commemoratione nos facere præcepiſti, in noſtræ proficiant infirmitatis auxilium. Per te Ihu Xpe. *l.* *gg.*

Miſſa Ambroſiana.

Da, quæſumus Dne, populo tuo ſanitatem mentis & corporis; da vitare quod nocet, & amare quod ſalvet: da, ut bonis operibus inhærendo, & benedici mereatur, & tua ſemper virtute defendi Per. *Alia.*

Adeſto ſupplicationibus noſtris, omniporens Deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per. *g.* *gg.*

Secreta.

Sanctificationem tuam, Dne, nobis his myſteriis placatus operare; quæ nos & a terrenis purget vitiis, & ad cœleſtia dona perducat. Per. *l.*

Præfatio.

VD. æterne Deus. Te deprecantes, ut tua nos gratia protegat, & conſervet. Et quia ſine te nihil recti valemus efficere, ipſius munere ſemper capiamus, ut tibi placere poſſimus. Per Xpm.

Ad Compl.

Quos cœleſti, Dne, dono ſatiaſti, præſta quæſumus, ut a noſtris mundemur occultis, & ab hoſtium liberemur inſidiis. Per. *g.* *gg.* (1)

Incipit liber ſecundus de extrema parte. Orationes ad Matutinis. (2)

Matutina ſupplicum vota, Dne, propitius intuere, & occultis cordis noſtri remedio tuæ glorifica (3) pietatis; ut deſideria tenebroſa non teneat, quos lux cœleſtis gratiæ reparavit. Per. *g.* *El.*

Emitte, quæſumus Dne, lucem tuam in cordibus noſtris, & mandatorum tuorum lucem perpetuam: ut in via tua ambulantes nihil patiamur erroris. Per. *g.* *El.* *gg.*

Deus, qui diem diſcernis ac noctem (al. *a nocte*) actus noſtros a tenebrarum diſtingue caligine; ut ſemper quæ ſancta ſunt meditantes, in tua iugiter laude vivamus. Per. *l.* *g.* *El.* *gg.*

Alia. (4)

Deus, qui vigilantes in laudibus tuis cœleſti mercede remuneras, tenebras de cordibus noſtris auferre digneris, ut ſplendore luminis tui ſemper gaudeamus. Per.

Gratias tibi agimus, Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus! qui nos de transacta noctis ſpatio ad matutinas horas perducere dignatus es: quæſumus, ut dones nobis diem ſine peccato tranſire, quatenus ad veſperum & ſemper tibi gratias referamus. Per.

Exurgentes de cubilibus noſtris auxilium gratiæ tuæ matutinis, Dne, precibus imploramus: ut diſcuſſis tenebris vitiorum ambulare mereamur in luce virtutum. Per.

Te lucem veram & lucis auctorem, Dne, deprecamur: ut digneris a nobis tenebras depellere vitiorum, & clarificare nos luce virtutum. Per.

Aliæ Orationes ad Veſper.

Oriatur, Domine, naſcentibus tenebris aurora iuſtitiæ, ut peracto die tibi ſuppli-

(1) Deficiente hic uno alterove folio, poſtea Codex habet totam Miſſam *Deus qui tribus pueris &c.* prout ſupra pag. 207. habetur in Sabbato Ieiunii decimi menſis.

(2) Hic eſt titulus codicis Rhenaugienſis poſt *Benedictiones*, prout ſupra monuimus. Pro *ad matutinis* lege *ad matutinas.* San-Blaſianus Gregorianus ſic inſeribit *orationes matutinales & veſpertinales*; ex quo, uti & ex altero Petrohuſano illas ſupplemus, quæ hic deſiderantur.

(3) Hæc ex Elig. & Petrohuſ. ita legenda: *& occulta cordis noſtri remedio tuæ clarifica pietatis &c.*

(4) Quatuor orationes hic poſitas ex *Petrohuſano* adponimus, quæ in MURATORII *Gregoriano* deſunt.

ſuppliciter gratias agentes, etiam mane dignanter reſpicias vota ſolventes. Per D. *g. El. Ad Completor. gg.*

Tuus eſt dies, Domine, & tua eſt nox; concede ſolem iuſtitiæ permanere in cordibus noſtris, ad repellendas tenebras cogitationum iniquarum. Per. *g. El. ad Complet. gg.*

Aliæ.

I*llumina, Dne quæſumus, corda credentium: ut tuo ſemper munimine & tuo auxilio protegamur. Per.* gg.

Illumina, quæſumus Dne, tenebras noſtras; & totius noctis inſidias tu a nobis repelle propitius. Per. g. El. ad Complet. gg.

Quæſumus, Dne Deus noſter, diei moleſtias noctis quiete ſuſtenta: ut neceſſaria temporum viciſſitudine ſuccedente, noſtra reficiatur infirmitas. Per. El. ad Complet. gg.

Adeſto, Dne, precibus noſtris, & die noctuque nos protege: ut quibuslibet alternationibus temporum tua ſemper incommutabilitate firmemur. Per. El. ad Complet. gg. Alia. (1)

Gratias tibi agimus, Dne, cuſtoditi per diem; grates tibi exſolvimus, cuſtodiendi per noctem: repræſenta nos, quæſumus Dne, matutinis horis incolumes, ut nos omni tempore habeas laudatores. Per.

Omnipotens ſempiterne Deus! veſpere & meridie maieſtatem tuam ſuppliciter deprecamur: ut expulſis de cordibus noſtris peccatorum tenebris ad veram lucem, quæ Chriſtus eſt, nos facias pervenire. Per.

Veſpertinæ laudis officia perſolventes, clementiam tuam humili prece depoſcimus: ut nocturni inſidiatoris fraudes te protegente vincamus. Per.

Propitiare, Dne, veſpertinis ſupplicationibus noſtris: & fac nos ſine ullo reatu matutinis tibi laudibus præſentari. Per.

Aliæ Orationes.

Vox noſtra te, Domine, ſemper deprecetur, & ad aures tuæ pietatis aſcendat. Per. *gg.*

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut liberis tibi mentibus ſerviamus. Per. *gg.*

Ut tuam, Domine, miſericordiam conſequamur: fac nos tibi toto corde eſſe devotos. Per. *gg.*

Tua nos, Domine, veritas ſemper illuminet, & ab omni pravitate defendat. Per. *g. gg.*

Suſcipe, Domine, preces noſtras, & clamantium ad te pia corda propitius intende. *gg.*

Cunctas, Domine, ſemper a nobis iniquitates repelle; & ad vitam (Greg. *viam*) ſalutis æternæ ſecura mente curramus. *gg.*

Redemptor noſter aſpice Deus! & tibi nos iugiter ſervire concede. Per. *gg.*

A cunctis iniquitatibus noſtris exue nos Domine: & in tua fac pace gaudere. Per. *gg.*

Salva nos, omnipotens Deus, & lucem nobis concede perpetuam. Per. *gg.*

Tua nos, quæſumus Domine, gratia benedicat: & ad vitam perducat æternam. Per D. *gg.*

Fac nos, Domine quæſumus, mala noſtra toto corde reſpuere, ut bona tua capere valeamus. Per. *gg.*

Exaudi

(1) Orationes quatuor, quæ ſequuntur, ex *Petrohuſano* ſunt deſumtæ, & nec in MURATORIO, nec in *San-Blaſiano* habentur.

Exaudi nos miſericors Deus, & mentibus noſtris gratiæ lumen oſtende. Per. *El. gg.*

Abſolve, Dne quæſumus, noſtrorum vincula peccatorum: & quicquid pro eis meremur, averte. *gg.*

Clamantes ad te, Deus, dignanter exaudi: ut nos de profundo iniquitatum eripias, & ad gaudia æterna perducas. *gg.*

Reſpice nos, miſericors Deus: & nomini tuo perfice veraciter obſequentes. *gg.*

Porrige nobis, Deus, dexteram tuam: & auxilium nobis ſupernæ virtutis impendas. Per. *gg.*

Iniquitates noſtras ne reſpicias Deus, ſed ſola nobis miſericordia tua proſit indignis. Per. *gg.*

Aliæ.

Deus cœli terræque Dominator, auxilium nobis tuæ defenſionis benignus impende. Per. gg.

Præſta, quæſumus miſericors Deus, ut tibi placita mente ſerviamus. Per. gg.

Vide, Dne, infirmitates noſtras, & celeri nobis pietate ſuccurre. Per. gg.

Delicta noſtra, Dne quæſumus, quibus adverſa nobis dominantur, abſterge: & tua nos ubique miſeratione cuſtodi. P. gg.

Aſcendant ad te, Dne, preces noſtræ, & ab eccleſia tua cunctam repelle nequitiam. Per. g. gg.

Concede nobis, quæſumus Dne, veniam peccatorum; & eos, qui nos impugnare moliuntur, expugna. Per. gg.

Tuere nos, ſuperne moderator, & fragilitatem noſtram tuis defende præſidiis. Per. gg.

Aufer a nobis, Dne quæſumus, noſtras pravitates, ut non indignationem tuam, ſed indulgentiam ſentiamus. Per. gg.

Oculi noſtri ad te, Dne, ſemper intendant: ut auxilium tuum & miſericordiam ſentiamus. Per. gg.

Aliæ. (1)

Peccata noſtra, Dne quæſumus, humanæ conditionis abſolve: & quidquid eorum retributione meremur, averte. Per. gg.

Intende, Dne, ſupplices tuos quæſumus: & pariter nobis indulgentiam tribue benignus & gaudium. Per. gg.

Oratio ad Primam.

Domine Deus omnipotens, qui nos in hac hora prima per nocturnam caliginem incolumes pervenire feciſti: & momenta temporis, & per tuam gratiam nos ſemper fac manere illæſos. Per.

Oratio ad Tertiam.

Domine Deus Ieſu Chriſte, qui hora tertia diei ad crucis pœnam pro mundi ſalute ductus es; Te ſuppliciter deprecamur, ut noſtra deleas peccata, ut & de præteritis malis noſtris cuſtodias. Per.

Oratio ad Sextam.

Domine Ieſu Chriſte, qui tu (l. *cum*) hora ſexta pro redemptione mundi crucis aſcendiſſes lignum, univerſus mundus in tenebras converſus eſt: illam nobis lucem in anima & corpore noſtro ſemper tribue, per quam ad æternam vitam pervenire mereamur. Per D.

Oratio ad Nonam.

Convenientes ad orationis horam nonam diei, fratres kariſſimi, in qua latro confeſſus eſt, & regnum cœlorum pollicitum eſt ei: ita & nos confiteamur pec-

(Hh) 2 cata

(1) Sequentes duas orationes *Petrohuſanus* adhuc exhibet.

Digitized by Google

cata noſtra, ut regnum cœlorum conſequi mereamur. Per Dominum.

Orationes pro peccatis. (1)

Exaudi, quæſumus Dne, gemitum populi ſupplicantis: ut qui de meritorum qualitate diffidimus, non iudicium tuum, ſed miſericordiam conſequi mereamur. Per. gg.

Succurre, quæſumus Dne, populo ſupplicanti, & opem tuam tribue benignus infirmis: ut ſincera tibi mente devoti, & præſentis vitæ remediis gaudeant, & futuræ. Per. l. gg.

Exaudi, quæſumus Dne, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per. gg.

Deus, qui iuſte iraſceris, & clementer ignoſcis: afflicti populi lacrymas reſpice, & iram tuæ indignationis, quam iuſte meremur, propitiatus averte. Per. gg.

Conſerva, quæſumus Dne, populum tuum, & ab omnibus, quas meretur, adverſitatibus redde ſecurum: ut tranquillitate percepta, devota tibi mente deſerviat. Per. gg.

Afflictionem familiæ tuæ, quæſumus Domine, intende placatus: ut indulta venia peccatorum, de tuis ſemper beneficiis gloriemur. Per. gg.

Ab omnibus nos, quæſumus Dne, peccatis propitiatus abſolve: ut percepta venia peccatorum, liberis tibi mentibus ſerviamus. Per. gg.

Precibus noſtris, quæſumus Dne, aurem tuæ pietatis accommoda, & orationes ſupplicum, occultorum cognitor, benignus exaudi: ut te largiente ad vitam perveniant ſempiternam. Per. gg.

Præſta populo tuo, Dne quæſumus, conſolationis auxilium: & diuturnis calamitatibus laborantem propitius reſpirare concede. Per. gg.

Quæſumus omnipotens Deus: ut qui noſtris fatigamur offenſis, & merito noſtræ iniquitatis affligimur, pietatis tuæ gratiam conſequi mereamur. Per. gg.

Deus, qui nos conſpicis in tot perturbationibus non poſſe ſubſiſtere: afflictorum gemitum propitius reſpice, & mala omnia, quæ meremur, averte. Per. gg.

Deus, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram: & quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per. gg.

Da nobis, quæſumus Dne, de tribulatione lætitiam: ut qui diu pro peccatis noſtris affligimur, intercedente beato ill. Martyre tuo, in tua miſeratione reſpiremus. Per. gg.

Exaudi, Dne, populum tuum tota tibi mente ſubiectum: ut corpore & mente protectus, quod pie credit, tua gratia conſequatur. Per. gg.

Subiectum tibi populum, quæſumus Domine, propitiatio cæleſtis amplificet: & tuis ſemper faciat ſervire mandatis. Per. gg.

Purifica, quæſumus Dne, tuorum corda fidelium: ut a terrena cupiditate mundati, & præſentis vitæ periculis exuantur, & perpetuis donis firmentur. Per. gg.

Clamantium ad te, quæſumus Domine, pre-

(1) Orationes pro peccatis & quotidianæ cum in codice *Rhenaugienſi* deſiderentur, eas hic ex codice *Sanblaſiano* & *Petrohuſano* damus: quæ omnes apud MURATORIUM quoque leguntur.

Digitized by Google

preces dignanter exaudi: & ſicut Ninivitis in afflictione poſitis pepercisti, ita & nobis in præſenti tribulatione ſuccurre. Per. gg.

Miſerere iam, quæſumus Dne, populo tuo: & continuis tribulationibus laborantem celeri propitiatione lætifica. Per. gg.

Auxiliare, Dne, quærentibus miſericordiam tuam, & da veniam confitentibus, parce ſupplicibus: ut qui noſtris meritis flagellamur, tua miſeratione ſalvemur. Per. gg.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut qui iram tuæ indignationis agnovimus, miſericordiæ tuæ indulgentiam conſequamur. Per. gg.

Deus, qui peccantium animas non vis perire, ſed culpas: contine, quam meremur iram, & quam precamur, ſuper nos effunde clementiam; ut de mœrore gaudium tuæ miſericordiæ conſequi mereamur. Per. gg.

Quæſumus, omnipotens Deus! afflicti populi lacrymas reſpice, & iram tuæ indignationis averte: ut qui reatum noſtræ infirmitatis agnoſcimus, tua conſolatione liberemur. Per. gg.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris: preces populi ſupplicantis propitius reſpice, & flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis noſtris meremur, averte. Per. gg.

Parce, Domine, parce populo tuo: ut dignis flagellationibus caſtigatus, in tua miſeratione reſpiret. Per. l. gg.

Intende, quæſumus Dne, preces noſtras: & qui non operando iuſtitiam correptionem meremur, afflicti in tribulatione clamantes reſpiremus auditi. Per. gg.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut qui offenſa noſtra per flagella cognoſcimus, tuæ conſolationis gratiam ſentiamus. Per. gg.

Ne deſpicias, omnipotens Deus! populum tuum in afflictione clamantem: ſed propter gloriam nominis tui tribulantibus (*f.* tribulatis) *ſuccurre placatus. Per.* gg.

Exaudi, Dne, gemitum populi tui: nec plus apud te valeat offenſio delinquentium, quam miſericordia indulta fletibus ſupplicantum. Per. gg.

Tribulationem noſtram, quæſumus Dne, propitius reſpice: & iram indignationis tuæ, quam iuſte meremur, propitiatus averte. Per. gg.

Omnipotens Deus! miſericordiam tuam nobis placatus impende: ut qui te contemnendo culpam incurrimus, confitendo veniam conſequamur. Per. gg.

Deus refugium pauperum, ſpes humilium, ſalusque miſerorum! ſupplicationes populi tui clementer exaudi: ut quos iuſtitia verberum fecit afflictos, abundantia remediorum faciat conſolatos. Per. g. gg.

Moveat pietatem tuam, quæſumus Dne, ſubiectæ tibi plebis affectus, & miſericordiam tuam ſupplicatio fidelis obtineat: ut quod meritis non præſumit, indulgentiæ tuæ largitate percipiat. Per. gg.

Deprecationem noſtram, quæſumus omnipotens Deus! benignus exaudi: & quibus ſupplicandi præſtas affectum, tribue defenſionis auxilium. Per. gg.

Averte, quæſumus Dne, iram tuam propitiatus a nobis: & facinora noſtra, quibus indignationem tuam provocamus, expelle. Per. gg.

Digitized by Google

Memor eſto, quæſumus Dne, fragilitatis humanæ: & qui iuſte verberas peccatores, parce propitiatus afflictis. Per. gg.

Aures tuæ pietatis, quæſumus Dne, precibus noſtris inclina: ut qui peccatorum noſtrorum flagellis percutimur, miſerationis tuæ gratia liberemur. Per. gg.

Orationes cottidianæ.

D*eus, qui conſpicis omni nos virtute deſtitui, interius exteriusque cuſtodi: ut & ab omnibus adverſitatibus muniamur in corpore, & a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per.* gg.

Gratiæ tuæ, quæſumus Dne, ſupplicibus tuis tribue largitatem: ut mandata tua te operante ſectantes, conſolationem præſentis vitæ percipiant, & futuræ. Per. gg

Adeſto ſupplicationibus noſtris, omnipotens Deus! & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente beato ill. conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per. gg.

Subveniat nobis, quæſumus Dne, miſericordia tua: ut ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis, te mereamur protegente ſalvari. Per. gg.

Vox clamantis eccleſiæ ad aures, quæſumus Dne, tuæ pietatis aſcendat: ut percepta venia peccatorum tè fiat operante devota, te protegente ſecura. Per. gg.

Propitiare, Dne, ſupplicationibus noſtris, & animarum noſtrarum medere languoribus: ut remiſſione percepta in tua ſemper benedictione lætemur. Per. gg.

Propitiare, Domine, iniquitatibus noſtris, & exorabilis tuis eſto ſupplicibus: ut conceſſa venia, quam precamur, perpetuo miſericordiæ tuæ munere gloriemur. Per. gg.

Deus innocentiæ reſtitutor & amator, dirige ad te tuorum corda ſervorum: ut ſpiritus tui fervore concepto, & in fide inveniantur ſtabiles, & in opere efficaces. Per. in unitate eiusdem Spiritus. gg.

Eccleſiæ tuæ, Dne, voces placatus admitte: ut deſtructis adverſitatibus univerſis ſecura tibi ſerviat libertate. Per. gg.

Noſtris, Dne quæſumus, propitiare temporibus: ut tuo munere dirigatur & Romana ſecuritas, & devotio Chriſtiana. Per. gg.

Largire, quæſumus Dne, fidelibus tuis indulgentiam placatus & pacem: ut pariter ab omnibus mundentur offenſis, & ſecura tibi mente deſerviant. Per. gg.

Prætende, Dne, fidelibus tuis dexteram cæleſtis auxilii: ut te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, conſequi mereantur. Per. gg.

Gaudeat, Dne quæſumus, plebs tua beneficiis impetratis: & cui fiduciam ſperandæ pietatis indulges, optatæ miſericordiæ præſta benignus effectum. Per. gg.

Da nobis, Dne quæſumus, perſeverantem in tua voluntate famulatum: ut in diebus noſtris & merito & numero populus tibi ſerviens augeatur. Per. gg

Fideles tuos, Dne quæſumus, corpore & mente pariter purifica: ut tua inſpiratione compuncti, noxias delectationes vitare prævaleant. Per. gg.

Dies noſtros, quæſumus Dne, placatus intende: pariterque nos & a peccatis abſolve propitius, & a cunctis eripe benignus adverſis. Per. gg.

Fami-

Digitized by Google

Familiæ tuæ, Dne quæſumus, eſto protector, & miſericordiam tuam concede poſcenti: quæ tibi ſemper fiat obediens, & tua dona percipiat. Per. g g.

Da, quæſumus Dne, populo tuo ſalutem mentis & corporis: ut bonis operibus inhærendo, tua ſemper mereatur protectione defendi. Per. g g.

Excita, Dne quæſumus, tuorum fidelium voluntates: ut divini operis fructum propenſius exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant. Per. g g.

Proficiat, Dne quæſumus, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu: ut ſacris actionibus erudita, quanto maieſtati tuæ ſit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per. g. g g.

Protegat, Dne quæſumus, tua dextera populum ſupplicantem: ut præſentem vitam ſub tua gubernatione transcurrens, mereatur invenire perpetuam. Per. g g.

Reſpice, Dne, propitius plebem tuam, & toto tibi corde ſubiectam præſidiis invictæ pietatis attolle. Per. g g.

Adeſto, Dne, ſupplicibus tuis, & ſpem ſuam in tua miſericordia collocantes tuere propitius: ut a peccatorum labe mundati in ſancta converſatione permaneant. Per. g g.

Libera, Dne quæſumus, a peccatis & hoſtibus tibi populum ſupplicantem: ut in ſancta converſatione viventes, nullis afficiantur adverſis. Per. g g.

Excita, Dne, tuorum corda fidelium: ut ſacris intenta doctrinis, & intelligant quod ſequantur, & ſequendo fideliter apprehendant. Per. g g.

Da ſalutem, Dne quæſumus, populo tuo mentis & corporis, & perpetuis conſolationibus tuorum reple corda fidelium: ut tua protectione relevati, & pia tibi devotione complaceant, & tua ſemper beneficia conſequantur. Per. g g.

Quæſumus, omnipotens Deus! ne nos tua miſericordia derelinquat: quæ & errores noſtros ſemper amoveat, & noxia cuncta depellat. Per. g g.

Omnipotens ſempiterne Deus! univerſa nobis adverſantia propitiatus exclude: ut mente & corpore pariter expediti, quæ tua ſunt, liberis mentibus exequamur. Per. g g.

Tuere, Dne, populum tuum: & ſalutaribus præſidiis ſemper adiutum beneficiis attolle continuis & mentis & corporis. Per. g g.

Purifica, quæſumus Dne, tuorum corda fidelium: ut a terrena cupiditate mundati, & præſentis vitæ periculis exuantur, & perpetua donatione firmentur Per. g g.

Aliæ. (1)

Benedictionem tuam, Dne, populus fidelis accipiat: qua corpore ſalvatus ac mente, gratam tibi ſemper exhibeat ſervitutem, & propitiationis tuæ beneficia ſemper inveniat. Per. g. g g.

Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, & dies noſtros in tua pace diſpone: ut a cunctis perturbationibus liberati, tranquilla tibi ſervitute famulemur. Per. g g.

Incipit

(1) Duæ orationes ſequentes ex *Petrobuſano*, in quo pleræque præcedentium deſiderantur, ſunt deſumtæ.

Digitized by Google

Incipit Ordo Baptiſterii. (1)

Miſſa, quæ per Scrutinium celebratur. (2)

Da, quæſumus Domine, electis noſtris digne atque ſapienter ad confeſſionem tuæ laudis accedere: ut dignitate priſtina, quam originali transgreſſione perdiderant, per tuam gratiam reformentur. Per. *g.* *Secreta.*

Miſeratio tua, Deus, ad hæc percipienda myſteria famulos tuos, quæſumus, & proveniat (l. *præveniat*) competenter, & devota converſatione perducat. Per. *g.*

Infra Actionem

Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum, qui electos tuos ſuſcepturi ſunt ad ſanctam gratiam Baptiſmi tui. *Et taces, & recita nomina virorum ac mulierum, qui ipſos infantes ſuſcepturi ſunt, & intras.* Et omnium circumadſtantium, quorum tibi fides cognita eſt. *g.*

Req. (3)

Hanc igitur oblationem, Domine, ut propitius ſuſcipias deprecamur; quam tibi offerimus pro famulis & famulabus tuis, quos ad æternam (ed. *vitam*), & beatum gratiæ tuæ donum eligere, atque vocare dignatus es. Per Chriſtum.

Quam oblationem. *Et recitantur nomina electorum: poſtquam recenſita fuerunt, dices:*

Hos, Domine, fonte Baptiſmatis innovandos, Spiritus tui munere ad ſacramentorum tuorum plenitudinem poſcimus præparari. Per Chriſtum. Diesque noſtros. *g.* *Poſt Comm.*

Adeſto, Domine quæſumus, redemptionis effectibus: ut quos ſacramentis æternitatis inſtituis, eosdem protegas dignanter optatos. (*g. aptandos.*) Per. *g.*

Super populum.

Suppliciter, Domine, ſacra familia munus tuæ miſerationis expectat: concede quæſumus, ut quod te iubente deſiderat, te largiente percipiat. Per. *g.*

Item Miſſa pro Scrutinio. (4)

Omnipotens ſempiterne Deus, Eccleſiam tuam ſpiritali fœcunditate multiplica: ut qui ſunt generatione terreni, fiant regeneratione cœleſtes. Per. *g.*

Secreta.

Remedii ſempiterni munera, Domine, lætantes offerimus, ſuppliciter exorantes: ut eadem nos & digne venerari, & pro ſalvandis congruenter exhiberi perficias. P. *g.*

Infra actionem ut ſupra. Poſt Comm.

Tu ſemper, quæſumus Domine, tuam adtolle benignus familiam, tu diſpone correctam, tu propitius intuere ſubiectam: tu guberna perpetua benignitate ſalvandam. Per. *g.* (5)

Tu famulis tuis, quæſumus Dne, bonos mores placatus inſtitue: tua in eis, quod tibi placitum ſit, dignanter infunde: ut & digni ſint, & tua valeant beneficia promereri. Per. *g.* *Item*

---

(1) Codex noſter *Rhenaugienſis Gelaſianus* poſt preces matut. & veſpert. complectitur ordinem, qui in adminiſtrando baptiſmo in Quadrageſima ritu *Gelaſiano* olim adhibebatur: qui vero in edito Ven. THOMASII opp. T. VI. L. I. ſuo loco habetur, incipiendo ſcilicet Dominica III. Quadrageſimæ ſive feria II. ubi ſcrutinia electorum ſive baptizandorum ſumebant initium. De quo autem ritu nihil in *Gregoriano* occurrit, uſque ad Sabbatum S. Quamvis vero hic ordo baptiſterii ad Miſſas haud pertineat, cum tamen hic damus, cum & in editis iisdem ſit inſertus.

(2) Leg. *pro ſcrutinio.* Eſt autem hæc prima Miſſa de eo, ſeu Dominica III. Quadrag.

(3) Ed. Gelaſ. *Item intra actionem.*

(4) In citato *Gelaſ* habetur Dominica IV. Quadrag.

(5) In edit. ſequens oratio eſt ſuper populum & incipit: *Tu famulos tuos quæſ. Dom. bonis moribus &c.*

Digitized by Google

Item alia pro Scrutinio in auris apertione. (1)

Concede, Dne, electis noſtris, ut ſanctis edocti myſteriis & renoventur fonte baptiſmatis, & inter eccleſiæ tuæ membra numerentur. Per. *g.*

Alia. (i. e. *Secreta.*)

Exaudi nos, omnipotens Deus, & famulos tuos, quos fidei chriſtianæ primitiis imbuiſti, huius ſacrificii tribuas operatione mundari. Per. *g.*

Infra actionem ut ſupra.

Poſt Commun.

Concurrat, quæſumus Dne, populus tuus, & toto tibi corde ſubiectus obtineat, ut ab omni perturbatione ſecurus, & ſalvationis ſuæ gaudia promtus exerceat, & pro generandis (g. *regenerandis*) benignus exoret. Per. *g.*

Ad populum.

Deus, qui conſaluti (g. *cum ſalutem*) hominum ſemper operaris, nunc tamen populum tuum gratia abundantiori multiplicas: reſpice propitius ad electionem tuam, ut paternæ protectionis auxilio & regenerandos munias & renatos. Per. *g.*

Denunt. pro Scrutinio, quod in hebdom. III. in Quadrag. ſecunda feria initiatur.

Scrutinii diem, dilectiſſimi fratres! (ed. (*quo*) electi noſtri divinitus inſtruantur, imminere cognoſcite: ideoque ſolicita devotione ſuccedente ſeque(*nte*) illa feria circa horam diei ſextam convenire dignemini: ut cœleſte myſterium, quod diebus (g. *quo diabolus*) cum ſua pompa deſtruetur, & ianua regni cœleſtis aperitur, inculpabili Deo iubente (g. *iuvante*) miniſterio peragere valeamus. Per. *g.*

Aut ante horam quintam (ed. Cum autem) *venerint ad Eccleſiam, ſcribantur nomina infantium ab acolytho; & vocantur in Eccleſiam per nomina, ſicut ſcripti ſunt; & ſtatuuntur maſculi in dexteram partem, fœminæ in ſiniſtram* (2), *& adnuntiat Diaconus dicens*: Orate electi, flectite genua.

Poſtquam oraverint, dicit: Levate. Complete orationem veſtram in unum, & dicite: Amen. *Et reſpondent* Amen.

Signate illos. Accedite ad Benedictionem. *Poſtquam ſignaverint, dicat orationem Presbyter ſuper eos his verbis:*

Orationes ſuper electos ad Catechumenum faciendum. Ex his tribus orationibus unam, qualem volueris, dices. (3)

Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, reſpicere dignare ſuper hos famulos tuos, quos ad rudimenta fidei vocare dignatus es. Omnem

(1) In editis eſt hæc Miſſa tertia pro ſcrutinio, Dominica V. Quadrag. Titulum vero *in auris apertione* non exhibent: qui tamen ritus in tertia hac Miſſa pro ſcrutinio obſervabatur, ubi baptizandi primo ad Evangelii lectionem in Miſſa audiendam admittebantur, qua de re vid. THOMASIUS T. VI. opp. n. 33. nota 3. ritus autem huius apertionis habetur in editis ante Dominicam Palmarum.

(2) Gelaſ. ed. *& dat orationem presbyter ſuper eos.* deinde oratio *Omnipotens.* cætera autem hic interpoſita ibi deſunt: ſupplentur autem apud THOMAS. T. VI. L. I. n. 32. nota 1. ubi totus hic ritus deſcribitur.

(3) Hæc rubrica: *Ex his tribus &c.* deeſt in editis, *Gregorianum* quoque unam tantum, primam nempe, orationem, ſed pro uno ſolum, exhibet.

Digitized by Google

nem cæcitatem cordis ab eis expelle: diſrumpe omnes laqueos ſatanæ, quibus fuerant colligati. Aperi eis, Domine, ianuam pietatis tuæ, & ſigno ſapientiæ tuæ imbuti omnium cupiditatum fœtore careant, & ad ſuavem odorem præceptorum tuorum læti tibi in Eccleſia deſerviant, & proficiant de die in diem: ut idonei efficiantur accedere ad gratiam Baptiſmi tui percepta medicina. Per Dnm. *g. gg.* (1)

Benedictio Salis dandi Catechumenis.

Exorcizo te, creatura ſalis, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in virtute Spiritus ſancti. Exorcizo te per Deum vivum, & per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit. Proinde rogamus te, Domine Deus noſter, ut hæc creatura ſalis in nomine ſanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare ſacramentum ad effugandum inimicum; quod tu, Domine, ſanctificando ſanctifices, benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. *g. gg.*

Expleta autem iſta oratione accipit de ipſo ſale, & ponit in ore infantium, dicendo; Accipe ill. ſalem ſapientiæ propitiatus in vitam æternam. (2)

Deus patrum noſtrorum, Deus univerſæ conditor veritatis, te ſupplices exoramus, ut hunc famulum tuum reſpicere digneris propitius; ut hoc primum pabulum ſalis guſtantem non diutius eſurire permittas, quo minus cibo expleatur cœleſti; quatenus ſit ſemper, Domine, ſpiritu fervens, ſpe gaudens, tuo ſemper nomini ſerviens. Perduc eum ad novæ regenerationis lavacrum, ut cum fidelibus tuis promiſſionum tuarum æterna præmia conſequi mereatur. Per. *g. gg.*

Tunc .... (3) *facit crucem in frontibus ſingulariter imponens manus ſuper eos, dicens orationem excelſa voce his verbis:*

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob: Deus, qui Moyſi famulo tuo in monte Sinai apparuiſti, & filios Iſrael de terra Ægypti eduxiſti, deputans eis Angelum pietatis tuæ, qui cuſtodiret eos die ac nocte. Te quæſumus, Domine, ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum, (ed. *ut*) ſimiliter cuſtodiat & hos famulos tuos ill. & perducat eos ad gratiam baptiſmi tui. *g. gg.*

Ergo, maledicte diabole, recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo & vero, da honorem Ieſu Chriſto Filio eius, & Spiritui ſancto, & recede ab his famulis Dei: quia iſtos ſibi Deus & Domi-

(1) Reliquæ duæ orationes, quæ in titulo citantur, & habentur in editis, hic ſunt omiſſæ, ſcil. *Preces noſtras.* & : *Deus, qui humani generis.*

(2) In ed. rubrica: *benedictio poſt datum ſalem.*

(3) Hic relinquitur in codice ſpatium vacuum, in quod forte ex editis ſubſtituendum *Acolythus*; vel *Diaconus*; ita enim habent: *Item exorciſmi ſuper electos, quos acolythi, impoſita manu ſuper eos, dicere debent.* Mox tamen infra exorciſmus a Diacono dicendus præſcribitur: licet de hoc nihil ſit in editis. In *Gregoriano* hæc ipſi Sacerdoti tribuuntur.

Digitized by Google

Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, fontemque baptiſmatis dono vocare dignatus eſt: per hoc ſignum ſanctæ Crucis, frontibus eorum quod nos damus, tu maledicte diabole numquam audeas violare. Per. *g. gg.*

Super feminas.

Deus cœli, Deus terræ, Deus Angelorum, Deus Archangelorum, Deus Prophetarum, Deus Martyrum, Deus Virginum, Deus omnium bene viventium, Deus, cui omnis lingua confitetur, & omne genu flectitur cœleſtium & terreſtrium, & infernorum. Te invoco, Domine, ut has famulas tuas perducere eas & cuſtodire digneris ad gratiam baptiſmi tui. Ergo maledicte. *Ut ſupra. g.*

Item adnuntiat Diaconus, ut ſupra, ſuper maſculos.

Audi maledicte ſatanas, adiuro te per nomen æterni Dei, & Salvatoris noſtri Filii Dei, cum tua victus invidia tremens gemensque diſcede. Nihil ſit tibi commune cum ſervis Dei, iam cœleſtia cogitantibus, renuntiaturis tibi ac ſæculo tuo, & beatæ immortalitatis (ed. *immortalitati*) victuris. Da igitur honorem advenienti Spiritui ſancto, (1) qui ſumma cœli archa diſcedens pro turbatis fraudibus tuis divino purgata pectora, id eſt, ſanctificata, Deo templum & habitum (l. *habitaculum*) perficiat: & ab omnibus penitus noxuris (2) præteritorum criminum liberati ſervi Dei gratias perenni Deo referant ſemper, & benedicant nomen eius ſanctum in ſæcula ſæculorum. Per. *g.*

Ad Feminas.

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus, qui tribus Iſrael monuiſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti: Te ſupplex deprecor, Domine, ut liberes & has famulas tuas, & perducere digneris ad gratiam baptiſmi tui. Ergo maledicte. *g.*

Item adnuntiat Diac. ut ſupra, Catechum.

Exorcizo te, immunde ſpiritus, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut exeas & recedas ab his famulis Dei. Ipſe enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui pedibus ſupra mare ambulavit, & Petro mergenti dexteram porrexit.

Ergo maledicte. *Ut ſupra. g.*

Item ſuper Feminas.

Exorcizo te, immunde ſpiritus, per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, ut exeas & recedas ab his famulabus Dei. Ipſe enim tibi imperat, maledicte, damnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitavit. Ergo maledicte. *g.*

De iſto loco in antea tam ſuper maſculos, quam feminas æqualiter compleantur: imponis manum ſuper caput eius, & dicis: (3)

Æternam ac iuſtiſſimam pietatem tuam deprecor, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus luminis & veritatis, ſuper hos famulos tuos, & famulas tuas, ut

(1) Sequentia ita leguntur in editis: *Qui ex ſumma cœli arce deſcendens, perturbatis fraudibus tuis, divino fonte purgata &c.*

(2) Ed. *noxiis*, forte melius leg. *noxis.*

(3) Rubrica hæc deeſt in editis, in quibus habetur: *Sequitur oratio, quam Sacerdos dicere debet.* Cæterum hi exorciſmi nec in *Gothico* nec in *Gallico* ſacramentariis habentur.

Digitized by Google

ut digneris eos illuminare lumine intelligentiæ tuæ. Munda eos & ſanctifica. Da eis ſcientiam veram, ut digni efficiantur accedere ad gratiam Baptiſmi tui. Teneant firmam ſpem, conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut apti ſint ad percipiendum gratiam tuam. Per. *g. gg.* (1)

Sabbato . . . . reddentes ſymbolum prius cathecum. Impoſita ſuper caput eorum manu his verbis:

Nec te latet, ſatanas, imminere tibi pœnas, immigere tibi tormenta, imminere tibi tormenta, imminere tibi diem iudicii, diem ſupplicii, diem, qui venturus eſt velut clibanus ardens, in quo tibi atque univerſis angelis tuis æternus veniet interitus. Proinde damnate, da honorem Deo vivo & vero, da honorem Ieſu Chriſto Filio eius & Spiritui ſancto: in cuius nomine atque virtute præcipio tibi, quicumque es ſpiritus inmundus, ut exeas & recedas ab hoc famulo Dei, quem hodie Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, fontemque Baptiſmatis, dono Spiritus ſancti vocare dignatus eſt: ut fiat eius templum per aquam regenerationis, in remiſſione omnium peccatorum; In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. *g. gg.*

Deinde . . . . . . (2)

Effeta, quod eſt adaperire in odorem ſuavitatis: tu autem effugare diabole, adpropinquavit enim iudicium Dei. (3)

. . . .

Abrenuntias ſatanæ? ℟. Abrenuntio. Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuntio. Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio. (4) *Dicit Presbyter.* Ego te linio de oleo ſalutis in Chriſto Ieſu Domino noſtro in vitam æternam. Amen. (5) *Symbolum impoſita manu ſuper capita ipſorum.*

Credis in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ? ℟. Credo. Credis & in Ieſum Chriſtum Filium eius unicum Dominum noſtrum, natum & paſſum? ℟. Credo.

Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam, Amen? ℟. Credo. *g.* (6)

Complete orationem veſtram in unum, & dicite, Amen. *Et reſpondent omnes:* Amen. *Iterum admonentur ab Archidiacono his verbis:* Catechumeni recedant, omnes Catechumeni exeant foras. Filii kariſſi-

(1) Sequitur hic in editis *Expoſitio Evangeliorum in aurium apertionem ad electos, præfatio ſymboli & orationis Dominicæ:* quæ omnia in noſtro codice non continentur. In Sabbato ſancto iterum pergunt editi: *Sabbatorum die, mane reddunt infantes ſymbolum. Prius catechizas eos, impoſita &c.* unde manca in codice noſtro inſcriptio ſuppletur.

(2) Ex editis hæc lacuna ita ſupplenda: *Tanges ei nares & aures de ſputo, & dicis ei ad aurem: Ephpheta &c.*

(3) Et hæc lacuna codicis ita ſupplenda: *Poſtea vero tangis ei pectus & inter ſcapulas de oleo exorcizato: & vocato nomine ſingulis dicis.*

(4) Unctio hæc, ſive unctionis formula nec in *Gelaſiano*, nec in *Gregoriano* editis habetur.

(5) Ed. *inde vero dicis ſymbolum &c. impoſita manu ſuper capita ipſorum.* Et mox pergunt: *Poſtea vero dicitur eis ab Archidiacono*, orate electi, flectite genua, complete &c. ut infra. *Iterum dicit Diaconus:* Filii &c. infra. Quæ autem hic habentur interrogationes *Credis &c.* In editis primum poſt fontis benedictionem ponuntur.

(6) S. HIERONYMUS contra *Luciferianos* huius ritus mentionem iniiciens, *Præterea*, inquit, *quum ſolemne ſit, in lavacro poſt Trinitatis confeſſionem interrogare: Credis ſanctam Eccleſiam? Credis remiſſionem peccatorum &c.*

Digitized by Google

kariſſimi revertimini locis veſtris, & expectantes horam, qua poſſit circa nos Dei gratia Baptiſmus operari. *g.*

Deinde . . . . . (1)

℣. Dominus vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo.

Et dicit. Benedictio fontis. (2)

(3) *In ordine ſuo inde benedicto baptizas unumquemque:*

Deus omnipotens, Pater Domini noſtri Ieſu, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum: Ipſe te liniet Chriſmate ſalutis in Chriſto Ieſu Domino noſtro in vitam æternam. ℟. Amen. *g. gg.*

Sabbato ſancto Pentecoſtes celebrabitur Baptiſmus, ſicut in nocte ſancta Paſcha.

(4) *Ægrotanti Catechumeno imponit manum his verbis:*

Medelam tuam (5) deprecor Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, quas tribuit humanis infirmitatibus Chriſtus, erige famulum tuum ill. ægritudinis languore depreſſum, & omnem ſenſum eius dignare viſitationibus tuis refovere; quatenus adoptionem tuis expoſcit (ed. *tuam poſſit*) cum gaudio ſanitatis percipere. Expelle itaque ab eo cuncta contrariæ valetudinis tela, ut ad gratiam tuam gradanter (6) occurrat. Releva, quem redimere gloriaris, ut baptiſmi ſit in illo palma non mortis, & glorioſum ſemper baiulat (ed. *baiulet*) quod accepit, ſignaculum ſanctæ Crucis. Per Xpm Dnm noſtrum, qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos. *g.*

Impoſita manu energumen. Catechumenum. (7)

Omnipotens ſempiterne Deus, a cuius facie cœli diſtillant, montes ſicut ceræ liqueſcunt, terra tremuit (ed. *tremit*) cui patent abyſſi, quem infernus paveſcit, quem omnipotens (ed. *omnis*) irarum motus aſpiciens humiliatur. Te ſupplex deprecor, Dominator Domine, ut invocatione nominis tui ab huius famuli tui vexationibus inimicus confuſus abſcedat, & ab huius poſſeſſione anima liberata ad aurem (l. *auctorem*) ſuæ ſalutis recurrat; liberatoremque ſuum, diabolico fœtore depulſo, & odore ſuaviſſimo Spiritus ſancti percepto ſequatur. Per. *g. gg.*

Item alia pro Parvulo energumeno.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, virtutem (*tuam*) totis exoro gemitibus pro huius a diabolo oppreſſa infantia; qui etiam indignis preſſuris (ed. *inter preſſuras*) donas præſidium, exſurge pro infantia debellata, & noli diu retinere vindictam; nec ante conſpectum tuum veniant parentum delicta, quin & (l. *qui nec*) pro filio patrem, nec

(1) Supplendum ex editis: *Procedunt ad fontes cum Letania ad baptizandum.*

(2) Supra ſuo ordine in Sabb. S. p 85. poſitam benedictionem fontis hic omittimus.

(3) Finita benedictione in codice noſtro *Rhenaug.* immediate ſequitur rubrica: *In ordine &c.* Cæterum plura huc pertinentia vid. ſupra. p. 87. ſeq.

(4) Ritus hic infirmum baptizandi in *Gelaſiano* edito habetur T. VI. opp. Ven. THOMASII in Sabbato Pentecoſtes: & quædam orationes in *Gregoriano* apud MURAT. n. 144. ſeqq. pag. 237. & p. 263. quæ etiam habentur in cod. *San-Blaſiano.*

(5) In edit. *Innumeras medelæ tuæ curas . . . quas.*

(6) Sic & edit. ſed leg. *gratanter.*

(7) i. e. impoſitio manus ſuper energumenum catechumenum.

Digitized by Google

nec pro patre filium promiſiſti iudicari. Auxiliare, quæſumus, inimici furore vexato, ne ſine baptiſmate facias eius animam a diabolo poſſidere (ed. *poſſideri*) ſed potius tenera ætas maligni oppreſſionibus liberata referat gratias ſempiternas. Per Dnm. *g. gg.*

Oratio ſuper Catechumenum infirmum.

Famulum tuum, Domine, ad tui baptiſmi gratiam recurrentem reſpice (ed. *reſpicere*) & conſervare dignare: ut in tui nominis ſigno, quicquid in eum (ed. *eo*) per originalis peccati transgreſſionem pœnæ obnoxium diabolus detinebat, ſacri fontis indulgentia reſolvatur: veteris hominis exſuvias deponat, & novæ vitæ indutus amictu reſurgat. Omnis (l. *omnia*) nequiſſimi ſpiritus ab eo venena depelle, & ſalutari baptiſmi tui gratia adimple, ut tui muneris perceptione in æternam vitam valeat exultare. Per. *g.*

Si fuerit baptizandus, Sacerdos dicit Orationem & ſymbolum, & catechizat eum his verbis impoſita manu ſuper caput eius. Nec te latet ſatanas. *Sicut ſcriptum eſt in Sabb. Sco. Deinde dicit hanc orationem ſuper eum:*

Te, Domine, ſupplices exoramus, ut viſitatione tua ſancta erigas ad te hunc famulum tuum, ne adverſario liceat uſque ad tentationem animæ pervenire; ſed in eo ſicut in Iob terminum pone, ne inimicus de anima huius ſine redemptione baptiſmatis incipiat triumphare. Differ, Domine, exitum mortis, qui iudicas de futuris, & ſpatium vitæ extende: releva, quem perducis ad baptiſmi ſacramentum, ne redemptioni tuæ inferas damnum: tolle occaſionem diabolo triumphandi, & reſerva, in quem triumphes, compares Chriſti, (1) ut ſanus tibi in Eccleſia tua gratia baptiſmatis renaſcatur, facturus cuncta, quæ petimus. *g. & ex parte gg.*

Gentilem hominem cum ſuſceperis, catechizas eum divinis ſermonibus, & da (das) *ei monitum, quemadmodum poſt cognitam veritatem vivere debeat. Poſt hæc facis eum Catechumenum, exſufflas in faciem eius, & facis ei crucem in fronte, & imponis ei manum ſuper caput eius in his verbis:*

Accipe ſignum crucis tam in fronte quam in corde, & ſume fidem cœleſtium præceptorum: talis eſto moribus, ut templum Dei iam eſſe poſſis, ingreſſusque Eccleſiam Dei evaſiſſe te laqueos (ed. *mortis*) lætus agnoſce. Horreſce idola, reſpice ſimul agricolam (ed. *reſpue ſimulacra, cole*) Deum Patrem omnipotentem, & Ieſum Chriſtum Filium eius, qui vivit cum Patre & ſancto Spiritu per omnia ſæcula ſæculorum. *g.*

Te deprecor, Domine ſancte Pater omnipotens æterne (ed. *Deus, ut*) huic famulo tuo, qui in ſæculi huius nocte vocatur (ed. *vagatur*) incertus & dubius, viam veritatis & agnitionis iubeas demonſtrari; quatenus reſeratis oculis cordis tui (ed. *ſui*) te unum Deum Patrem in Filio, & Filium in Patre cum Spiritu ſancto recognoſcat, atque huius confeſſionis fructum &

(1) l. *quem triumphis compares Chriſti.*

Digitized by Google

& hic & in futuro ſæculo percipere mereatur. Per. *g.*

Deinde vero, poſtquam guſtaverit medicinam ſalis, & ipſe ſignaverit, dices (ed. benedicis *) eum his verbis:*

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui es, & qui eras, & permanes uſque in finem, cuius origo neſcitur, nec finis comprehendi poteſt: Te, Domine, ſupplices invocamus ſuper hunc famulum tuum, quem liberaſti de errore gentilium & converſatione turpiſſima. Dignare exaudire eum, qui tibi cervices tuas (*ſuas*) humiliat; perveniat ad lavacri fontem, ut renatus ex aqua & Spiritu expoliatus veterem hominem induatur novum, qui ſecundum te creatus eſt; accipiat veſtem incorruptam & immaculatam, tibique Domino noſtro ſervire mereatur. Per. *g.*

Item ad ſuccurrendum infirmum Catechumenum.

Si baptizatus (ed. baptizandus *) fuerit, accedens Sacerdos dicet ſuper eum orationes, quæ ſupra ſcriptæ ſunt, & tradit ei ſymbolum & orationem, & catechizat eum his verbis:*

Nec te latet ſatanas. *Et reliqua ſicut ſupra in nocte ſancta ſcriptum eſt. Inde de ſaliva oris tui cum digito tangis nares & aures, & dices ei:*

Effeta (*ephpheta*) quod eſt, adaperire in odore ſuavitatis. Tu autem effugare diabole, adpropinquavit enim iudicium Dei.

Deinde tangis ei pectus & inter ſcapulas de oleo exorcizato ſub has orationes:

(1) Abrenuntias ſatanæ? ℟. Abrenuntio. Et omnibus operibus eius? ℟. Abrenuntio. Et omnibus pompis eius? ℟. Abrenuntio.

Cum autem expoliatur infirmus benedices fontem incipiendo Orat.

Exaudi nos omnipotens Deus, & in huius aquæ ſubſtantiam tuam immiſce virtutem, ut abluendus per eam & ſanitatem ſimul & vitam mereatur æternam. *g.*

Item Bened. aquæ ad ſuccurrendum. (2)

Exorcizo te, creatura aquæ, per Deum vivum, per Deum ſanctum, per Deum totius dulcedinis Creatorem, qui te in principio verbo ſeparavit a terra, & in quatuor fluminibus dividens totam terram rigare præcepit. Adiuro te & per Ieſum Chriſtum Filium eius unicum Dominum noſtrum, ut efficiaris in eo, qui in te baptizandus erit, fons aquæ ſalientis in vitam æternam, regenerans eum Deo Patri & Filio & Spiritui ſancto; qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem, Amen. *g.* (3)

Item alia Benedictio.

Exorcizo te, creatura aquæ, in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Ieſu Chriſti Filii eius, & Spiritus ſancti. Omnis virtus adverſarii, omnis incurſio diaboli, omne phantaſma eradicare & effugare ab hac creatura aquæ, ut fiat fons ſalientis in vitam æternam: ut cum baptizatus fuerit, fiat templum

(1) Ed. *ſub his interrogationibus.*

(2) Scilicet *ad baptizandum infirmum*, qualis partim etiam habetur in *Gregoriano* l. c. pag. 263. & in *San-Blaſ.*

(3) Hic in vulgato *Gelaſ.* interponitur alia adhuc oratio & benedictio ad ſuccurrendum: & ſequitur

Digitized by Google

plum Dei vivi in remiſſionem peccatorum per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui venturus eſt. *g. gg.*

Et antequam perfundas eum aqua, interrogas eum verba Symboli dicens:

Credis in Deum Patrem omnipotentem Creatorem cœli & terræ? ℟. Credo.

Credis & in Ieſum Chriſtum Filium eius unicum Dominum noſtrum, natum & paſſum? ℟. Credo.

Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam Catholicam, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem & vitam æternam? ℟. Credo.

Tertio in aqua, & cum interrogas eum, per ſingulas vices immergis eum. (1)

Poſtea cum aſcenderit a fonte, infans ſignatur a Presbytero de Chriſmate his verbis:

Deus omnipotens Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto. *Et reliqua.*

Poſtea ſi fuerit Oblata, agenda eſt Miſſa, & communicant: ſin autem, dabis ei tantum ſacramenta Corporis & Sanguinis Chriſti, dicens:

Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit tibi in vitam æternam. *Et* ℟. Amen

Et das ei orat. ita dicens:

Omnipotens ſempiterne Deus, qui regeneraſti famulum tuum ex aqua & Spiritu ſancto, quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum; tribue ei continuam ſanitatem ad agnoſcendam unitatis veritatem. Per. *g.* (2)

Ad Clericum faciendum. (3)

Oremus, dilectiſſimi fratres! Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pro hoc famulo ſuo ill. qui ad deponendam comam capitis ſui pro amore Chriſti feſtinat, ut donet ei Spiritum ſanctum, qui habitum religionis in eo perpetuo cuſtodiat, & a mundi impedimentis vel ſeculari deſiderio eius corda cuſtodiat, ut ſicut immutatus erat (Greg. *immutatur*) in vultu, ita manus dexteræ ſuæ in eum (4) virtute perfectionis boni operis tribuat in actu, & ab omni cæcitate ſpiritali oculos aperiat, ac lumen æternitatis (5) gratiæ concedat. Per. *g g.*

Dum tondes eum.

Ant. Tu es Dne, qui reſtitues mihi hereditatem meam.

℣. Dnus pars hereditatis meæ. *Et Gloria. gg.* *Item alia.*

Ant. Hæc eſt generatio quærentium Dominum.

℣. Hic accipiet benedictionem a Domino. *Et gloria.*

Et dicit orationem.

Omnipotens ſempiterne Deus, propitiare peccatis noſtris (6) & ab omni ſer-

(1) In vulgato Gelaſ. *Et cum interrogas per ſingulas vices mergis eum tertio in aquam. Poſtea &c.*

(2) Sequitur in editis alia oratio; & demum conſignatio ſeu confirmatio ab Epiſcopo facienda: quæ tamen in noſtro codice deeſt.

(3) Ita poſt anniverſariam dedicat. Baſilicæ, quæ ſupra habetur, in noſtro *Rhenaugienſi* notatur: & in altera parte eiusmodi argumenti plura recurrent. Conf. MARTENE de antiquis Eccleſ. ritibus T. II. p. 187.

(4) Forte ex Greg. *in eo . . . tribuat incrementa, ut &c.* ed. *manus dexteræ eius ei virtutis tribuat incrementa.*

(5) Ed. *lumen ei æternæ gratiæ.*

(6) Apud MARTEN. ita legitur: *& da, ut ab omni ſervitute ſecularis habitus liber hic famulus tuus, dum ignominiam deponit, tua ſemper gratia perfruatur &c.* quæ ſequuntur, melius hic, quam ibi habentur.

Digitized by Google

ſervitute ſæculari habitum hunc famulum tuum ill. dum ignominia deponat, tua ſemper in eum perfruatur gratia, & ſicut ſimilitudine coronæ tuæ ornatum geſtare fecisti, ſic tua virtute & hereditatem ſubſequi mereatur in corde. Per.

Poſtquam tonſuratus eſt, ſeq. Oratio.

Præſta quæſumus, omnipotens Deus, ut famulum tuum ill. (1) cui hodie capitis comam ſuam pro divino amore depoſuimus, ut in tua dilectione perpetua maneat, & eum ſine macula in ſempiternum cuſtodias. Per. *gg.*

Pro his, qui prius (primo) *barbam tondit.* (2)

Deus, cuius providentia creatura omnis crementis ad alta congaudet propitius, ſuper hunc famulum tuum iuvenili ætatis decore lætantem, & florem primis auſpiciis adtondentem adeſto in omnibus tuæ protectionis muniamur auxilium evo longiore profectus & preſentis vitæ præſidiis gaudeat & æternis. *g. gg.*

Item Miſſa. Conſecratio Presbyteri. (3)

Deus, cuius arbitrio omnium ſæculorum ordo decurrit, reſpice propitius ad noſtri temporis ætatem: ut tibi ſervitus noſtra complaceat, & miſericordiæ tuæ in nobis dona concede. Per. *l. g.*

Super oblata.

Muneribus noſtris, Dne, precibusque ſuſceptis, & cœleſtibus nos munda myſteriis, & clementer exaudi. Per. *l. g. gg.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offero ego tuus famulus ob diem, quo me nullis dignum meritis, ſed ſolo miſericordiæ tuæ dono, ad hunc locum perducere dignatus es presbyteri (ed. *presbyterii*), quæſo placatus accipias, Maieſtatem tuam ſuppliciter exorans: ut ſicut me ſacris altaribus tua dignatio ſacerdotali ſervire præcepit officio, ita dignum præſtet & meritum. Quam oblationem &c. *l. g.*

Poſt Commun.

Purificet nos, Dne, cœleſtis executio ſacramenti: & ad tuam magnificentiam capiendam divinis affectibus ſemper inſtauret. Per. *l. g.* *Incipit*

(1) Ed. *Deus famulo tuo ill. cuius &c.*

(2) In edito *Gelaſ.* oratio hæc æque mendoſa eſt, ac in Mſc. noſtro: eam igitur ex altero Mſ. *Rhenaug.* & edito *Gregor.* emendatam damus: *Deus, cuius providentia creatura omnis incrementis adulta congaudet! exaudi preces noſtras ſuper hunc famulum ill. iuvenilis ætatis decore lætantem, & florem primis auſpiciis adtondentem: adeſto Dne, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, ævoque longiore provectus, & præſentis vitæ præſidiis gaudeat & æternæ. Per.* g. gg.

(3) In edito *Gelaſiano* inſcribitur: *In Natali conſecrationis Presbyteri*, ſeu anniverſaria die recurrente. Huius generis Miſſæ ſequentes exſtant in cod. *San-Gallenſi* triplicis ritus: *in natalitio conſecrationis Papæ*. Or. *Deus, qui licet ſis magnus &c.* Alia: *Deus qui populis &c.* Secreta: *Hoſtias tibi Dne laudis.* Præfatio *VD. Ut quia in manu tua.* Ad Comm. *Corporis ſacri.* Ut in Elig. T. III. opp. *S. Greg.* p. 226. Altera *Miſſa Epiſcopi pro ſe annuali die ordinationis* l. c. p. 227. & apud THOMAS. T. VI. p. 121. or. *Deus qui non propriis.* Alia: *Deus mundi rector.* Secreta: *Ad gloriam Dne.* Ad Comm. *Repleantur conſolationibus.* Item Miſſa Gelaſ. in natali conſecrationis Presbyteri; or. *Deus cuius arbitrio.* Alia: *Deus, qui digne tibi ſervientium.* Secreta: *Muneribus noſtris.* Alia: *Aufer a nobis.* Præf. *VD. Qui diſſimulatis peccatis.* Ad Comm. *Purificet nos.* ib. p. 119. Alia Miſſa Gel. *Dne ſancte Pater.* Secreta: *Perfice Dne.* Præf. *Me tibi ſemper & ubique.* Ad Comm. *Da nobis quæſ.* ib. p. 186. Item alia Miſſa. *In Natl. conſecrationis Diaconi.* or. *ad preces noſtras.* Secreta: *Suſcipe Dne.* Ad Comm. *Præſta quæſ. Dne.* ib. p. 118.

Digitized by Google

[*Incipit actio nuptialis.* (1)

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris,& inſtitutis tuis, quibus propagationem humani generis ordinaſti, benignus aſſiſte: ut quod te auctore iungitur, te auxiliante ſervetur. Per. *l. g.*

Alia.

Quæſumus, omnipotens Deus! inſtituta providentiæ tuæ pio favore comitare: & quos legitima ſocietate connectis, longæva pace cuſtodi. Per. *l. g.*

Secreta.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & hanc oblationem famulorum tuorum, quam tibi offerunt pro famula tua ill. quam ad ſtatum maturitatis & ad diem nuptiarum perducere dignatus es, placidus ac benignus aſſume: ut quod tua diſpoſitione expetitur, tua gratia compleatur. Per. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui ex inviſibili potentia omnia viſibiliter mirabiliterque condens, hominem tanto mirabilius præſtantiorem cæteris animantibus, quantum eum ad imaginem tuæ ſimilitudinis bonitate ineffabili condidiſti: cui etiam adiutorium ſimile ſui ex oſſibus illius auferendo efficiens, eis, ut per ordinatum affectum in filii prole generoſa multiplicarentur, benedixiſti. Cuius benedictionis gratiam dum mulier per peccatum primæ prævaricationis amitteret, ne ſterilitate humanum genus funditus interiret, etiam poſt peccatum, licet in doloribus, tamen generare filios præcepiſti. Qui affectus procreandorum filiorum ita in viſceribus matrum te diſponente eſt inditus, ut etſi cum dolore, eſſe tamen genitrices vel dolentes volunt; quia nec aliter fœminæ poſt prævaricationem, iuxta vocem Apoſtoli tui Pauli, niſi per filiorum generationem poſſent recuperare ſalutem. Quod quidem ſacramentum licet in eccleſiæ figura intelligimus prædictum, in rebus tamen humanis etiam carnaliter ordine tuæ diſpoſitionis cottidie cernimus adimpleri. Hinc eſt, quod prioris ſæculi ſanctarum fœminarum cor pium ſancti deſiderii pie exaudiens pro percipienda prole, ne eis de infœcunditate inter homines opprobrium remaneret, & tamquam a benedictione priſtina ſe excludi cernerent, dolori earum pie conſulens, eas multiplicius, oblata ſpe concipiendi in ſenectute, quam in iuventute poterant, benedicendo mirabilius fœcundaſti. Itaque deprecamur te, Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus! & per Ihm Xpm Filium tuum unicum Dnm nrm te obſecramus, ut preces famulæ tuæ ill. ne ſterilis remaneat, opem tuæ pietatis quærentis clementiſſimus exaudire, atque benigniſſimus eius uterum fœcundare digneris: & quæ per ſervum tuum Gregorium (*vel quemlibet Sanctum*) ad cognitionem tui nominis venit, quo certior de futuris bonis, quæ in ſacra-

(1) Miſſa hæc, ſeu actio nuptialis, ex *San-Gallenſi* eadem eſt cum illa in edito *Gelaſiano* Ven. THOMASII Opp. T. VI. p. 193. & *Leonino* apud MURATORIUM Lit. *Rom.* T. I. p. 446. & quæ hodieque in Miſſali *Romano*; Præfatio tamen ibi propria eſt, quæ vero cum ſequenti oratione potius pertinere videtur ad Miſſam pro *ſterilitate mulierum*, quæ in eodem *Gelaſiano* l. c. p. 193. habetur, uti & in *San-Gallenſi*, inſerta utrinque Miſſa *in natali genuino*, quam ibidem legere eſt p. 196.

Digitized by Google

ſacramento fidei, quæ in te eſt, promittuntur, poſſit exiſtere, eiusdem famuli tui precibus in præſenti, quod poſtulat, munus valeat obtinere. Per Xpm.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus pro famula tua ill. quæſumus Dne, ut placatus ſuſcipias: pro qua maieſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut orationem eius exaudias, & eius uterum vinculo ſterilitatis abſolvas; & prolem, in qua nomen tuum benedicatur, concedas: diesque noſtros &c. *g.*

Ad Comm.

Cœleſtis vitæ munus accipientes, quæſumus omnipotens Deus! ut quod pro famula tua ill. deprecati ſumus, clementer a tua pietate exaudiri mereamur. Per. *g.*]

MISSÆ VOTIVÆ.

MONITUM.

Complectitur hoc Commune Miſſas illas votivas, quæ vel de myſteriis Domini, vel de Sanctis, aut pro diverſis & ſalute vivorum, aut ad diverſa poſtulanda, vel varia mala & tribulationes avertendas dicuntur; eo fere modo, quo hodiedum in Miſſali *Romano* occurrunt. Quod vero ſupra ante Commune Sanctorum monuimus, & hic obſervandum eſt, codicem antiquiſſimum *Rhenaugienſem Gelaſianum* fundamenti loco eſſe poſitum, eique illas hinc inde Miſſas inſertas, quæ in eo deſiderantur, habentur vero in *San-Gallenſi*, & *San-Blaſiano*, & conſimili *Petrohuſano Gregorianis*. Ad quos codices diſtinguendos ſcripturæ varietas, prout hucusque, inſervit, *antiqua* nempe pro *Rhenaugienſi*, ſubin etiam pro *San-Gallenſi* cum uncinis [], ex quo tamen

men pleraque in notis occurrunt; *curſiva* vero pro *Petrohuſano* & *San-Blaſiano.* Atque ſic ambo ritus, *Gelaſianus* nimirum & *Gregorianus*, quem in ſuperioribus in uno codice *San-Gallenſi* triplicis ritus collectum exhibuimus, rurſum, licet ex duobus codicibus, ſimul coniuncti habentur; tertius enim, ſive *Ambroſianus*, in *San-Gallenſi* deinceps ut plurimum deficit. Initium autem Miſſarum votivarum facimus ab illis, quæ notantur per hebdomadam, uti etiamnum in Miſſali *Romano*, ex *San-Blaſiano* & *Petrohuſano* deſumtæ: quæ vero in edito *Gregoriano* apud MURATORIUM deſiderantur.

Miſſa de Sancta Trinitate. (1)

Omnipotens ſempiterne Deus! qui dediſti famulis tuis in confeſſione veræ fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoſcere, & in potentia maieſtatis adorare unitatem: quæſumus, ut eiusdem fidei firmitate ab omnibus muniamur adverſis. Per. gg. (2)

Secreta.

Sanctifica, quæſumus Dne Deus, per tui nominis invocationem huius oblationis hoſtiam; & per eam nosmetipſos tibi perfice munus æternum, per. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus, qui cum unigenito Filio tuo & Spiritu ſancto unus es Deus, unus es Dnus, non in unius ſingularitate perſonæ, ſed in unius Trinitate ſubſtantiæ. Quod enim de tua gloria revelante te credimus, hoc de Filio tuo, hoc de Spiritu ſancto ſine differentia diſcretionis ſentimus: ut in confeſſione veræ ſempiternæque Deitatis, & in perſonis proprietas, & in eſſentia unitas, & in maieſtate adoretur æqualitas, quam laudant angeli. g. gg. Vid. ſupra pag. 130.

Ad Comm.

Proficiat nobis ad ſalutem corporis & animæ, Dne Deus, huius ſacramenti ſuſceptio, & ſempiterna ſanctæ Trinitatis confeſſio, per. gg. Alia.

---

(1) Quamvis ipſum SS. Trinitatis feſtum in nullis antiquis eccleſiæ *Romanæ* ſacramentariis occurrat, utpote in ea primum ſub IOHANNE XXII. receptum, Miſſa tamen ſatis antiqua eſt, uti vel ex codicibus patet, unde eam damus; ſive dein ex ipſo authentico cubiculi *Gregoriano* ſacramentario, ſive ex uſu iam tum in *Galliis* uſitato, illis fuerit inſerta. Præfatio certe tam in *Gelaſiano* quam *Gregoriano* iam Dominica I. poſt Pentecoſten reperitur; ubi vid. ſupra pag. 130.

(2) *San-Gall.* *Alia.*

Da, quæſumus Dne, famulis tuis inviolabilem fidei firmitatem, ut qui Unigenitum tuum in tua tecum gloria ſempiternum, in veritate noſtri corporis natum de Matre Virgine confitemur, & a præſentibus liberemur, & manſuris gaudiis inſeramur. Per eundem Dnum. *l. gg. vid. ſupra p. 7. in Nativit. Domini.*

Digitized by Google

Alia.

Dne Deus Pater omnipotens, famulos tuæ maieſtati ſubiectos per unicum Filium tuum in virtute ſci Spiritus benedic & protege: ut ab omni hoſte ſecuri in tua iugiter laude lætentur, per Dnm.

Feria II. de Sapientia.

D*eus, qui per coæternam tibi ſapientiam hominem, cum non eſſet, condidiſti, perditumque miſericorditer reformaſti: præſta quæſumus, ut eadem pectora nra inſpirante te tota mente amemus, & ad te toto corde curramus, per eundem.*

Secreta.

Sanctificetur, quæſumus Dne, huius noſtræ oblationis munus tua cooperante ſapientia: ut tibi placere poſſit ad laudem, & nobis proficere ad ſalutem, per.

Præfatio.

VD. æterne Deus, qui tui nominis agnitionem, & tuæ potentiæ gloriam nobis in coæterna tibi ſapientia revelare voluiſti; ut tuam confitentes maieſtatem, & tuis inhærentes mandatis tecum vitam habeamus æternam, per Xpm.

Ad Comm.

Infunde, quæſumus Dne, per hæc ſca quæ ſumpſimus, tuæ cordibus nris lumen ſapientiæ: ut te veraciter agnoſcamus, & fideliter diligamus, per.

Alia.

Deus, qui miſiſti Filium tuum, & oſtendiſti creaturæ creatorem: reſpice propitius ſuper nos famulos tuos, & præpara agiæ ſophiæ (3) *dignam in cordibus noſtris habitationem, per Dnm.*

(2) *Hagia ſophia*, ſeu ſanctæ ſapientiæ.

Feria III.

De ſci Spiritus dono poſtulando.

D*eus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur, & nullum latet ſecretum, purifica per infuſionem ſci Spiritus cogitationes cordis noſtri; ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur, per eundem.* gg.

Secreta.

Hæc oblatio, Dne Deus, cordis noſtri maculas emundet: ut ſci Spiritus digna efficiatur habitatio, per Dnm. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus, qui inſpicis cogitationum ſecreta, & omnis noſtræ mentis intentio providentiæ tuæ pateſcit intuitu: reſpice propitius arcana cordis noſtri cubilia, & ſci Spiritus rore noſtras purifica cogitationes, ut tuæ maieſtati digna cogitemus & agamus, per Xpm.

Ad Comm.

Sacrificium ſalutis noſtræ tibi offerentes, concede nos, Dne Deus, purificatis mentibus ſæpius tuæ pietatis celebrare myſterium, per Dnm nrm. gg.

Alia.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, ſanctum nos Spiritum votis promereri ſedulis: quatenus eius gratia ab omnibus liberemur tentationibus, & peccatorum nrorum indulgentiam mereamur, per.

Fer. IIII. Ad Angelorum Suffrag. poſtul.

P*erpetuum nobis, Dne, tuæ miſerationis præſta ſubſidium, quibus & angelica præſtitiſti ſuffragia non deeſſe, per.* g. gg.

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, laudis offerimus ſuppli-

pliciter deprecantes: ut easdem, angelico pro nobis interveniente ſuffragio, & placatus accipias, & ad ſalutem nram provenire concedas. Per. l. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus. Quamvis enim illius ſublimis angelicæ ſubſtantiæ ſit habitatio ſemper in cœlis, tuorum tamen fidelium præſumit affectus, pro tuæ reverentia poteſtatis, per hæc tuæ (Leon. piæ *pro* tuæ) *devotionis officia quoddam retinere pignus in terris, adſtantium in conſpectu tuo iugiter miniſtrorum, per Xpm Dnm nrm.* l.

Ad Comm.

Repleti, Dne, benedictione cœleſti ſuppliciter imploramus: ut quod fragili celebramus officio, ſcorum Archangelorum nobis prodeſſe ſentiamus auxilio. Per. gg.

Alia.

Plebem tuam, quæſumus Dne, perpetua pietate cuſtodi: ut ſecura ſemper, & neceſſariis adiuta ſubſidiis, Spirituum tibimet placitorum pia ſemper veneratione lætetur. Per. l.

[*Alia Miſſa*
in Commemoratione SS. Angelorum.

Deus, qui in auxilium generis humani cœleſtia ſimul & terrena diſpenſas: in inferiore mundi parte laborantes ſupernorum nos, quæſumus, præſidiis refove propitius miniſtrorum, per. *l.*

Secreta.

In honore beati Archangeli Michaelis loca nomini tuo, Dne, dedicata myſtico frequentamus officio: præſta quæſumus, eius nos gaudere ſuffragiis, cuius ſublimia merita recenſemus, per Dnm. *l.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Teque profuſis gaudiis prædicare in die ſolemnitatis hodiernæ, qua in honore beati Archangeli Michaelis ſacrata nomini tuo loca divinis ſunt inſtituta myſteriis; quamvis enim illius ſublimis glorioſæque ſubſtantiæ &c. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Sumpſimus, Dne, votiva myſteria, deprecantes clementiam tuam: ut eorum nobis fiant deprecatione ſalutaria, quorum celebrantur affectu, per. *l.*

Super populum.

Plebem tuam quæſumus Dne &c. *Ut ſupra.*]

Feria V. De Caritate. (1)

Omnipotens ſempiterne Deus, qui iuſtitiam tuæ legis in cordibus credentium digito tuo ſcribis, da nobis fidei, ſpei & caritatis augmentum: & ut mereamur aſſequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis. Per. l. g. gg.

Secreta.

Mitte, Dne quæſumus, Spiritum ſanctum: qui & hæc munera præſentia noſtra tuum nobis efficiat ſacramentum, & ad hoc percipiendum corda noſtra purificet. Per.. eiusdem Spiritus. l.

Præfatio. (2)

VD. Per Xpm Dnum nrm. Per quem diſcipulis Spiritus ſanctus in terra datur ob dilectionem proximi, & de cœlo mittitur

(1) Diſtinguenda eſt hæc *Miſſa de Caritate* ab illa, quæ infra iterum recurret *pro Caritate.*

(2) Hæc deeſt in *San-Blaſiano*, habetur autem in *Petrobuſano*: altera autem in *San-Gallenſi*, ubi eadem Miſſa legitur.

titur ob dilectionem tui: cuius infuſio, petimus, ut in nobis peccatorum ſordes exurat, ac tui amoris ignem nutriat, & nos ad amorem fraternitatis accendat. Per eundem. g g.

[*Alia.*

VD. æterne Deus: qui fideles tuos mutua faciens lege concordes, pacem tuam tali fœdere nexuiſti, ut nec alteri quisque moliretur infligere, quod ſibi nollet inferri; & bona, quæ ſuis utilitatibus cuperet tribui a conſorte naturæ, hæc idem ipſe quoque præſtaret: quatenus, dum alterutra pietate ſe reperiunt communes, in ſingulis fieret ſemetipſam diligens, eſſetque mens una cunctorum. P. Ch. D. N.]

Ad Comm.

Spiritum nobis, Dne, tuæ caritatis infunde: ut quos uno cœleſti pane ſatiaſti, tua facias pietate concordes. Per .. eiusdem Spiritus. l. g. g g.

Alia.

Deus vita fidelium, gloria humilium, beatitudo iuſtorum! propitius accipe ſupplicum preces: ut animæ, quæ promiſſiones tuas ſitiunt, de tuæ ſemper caritatis abundantia repleantur. Per.

Feria VI. De Cruce.

D*eus, qui Unigeniti tui pretioſo ſanguine vivificæ Crucis vexillum ſanctificare voluiſti: concede quæſumus, ut qui eiusdem ſanctæ Crucis gaudent honore, tua quoque facias ubique protectione gaudere. Per eundem.*

[*Alia.*

Deus, cui cunctæ obediunt creaturæ, & omnia verbo tuo feciſti in ſapientia: ſupplices quæſumus ineffabilem miſericordiam tuam: ut quos per lignum ſanctæ Crucis Filii tui pio cruore es dignatus redimere, tu, qui es lignum vitæ, paradiſique reparator, omnibus in te credentibus diri ſerpentis venena extinguas, & per gratiam ſancti Spiritus poculum (*ſalutis*) infundas. Per eundem in unitate eiusdem. *g.*]

Secreta.

Hæc oblatio, Dne, ab omnibus nos purget offenſis; quæ in ara Crucis etiam totius mundi tulit offenſa. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus: qui ſalutem humani generis in ligno Crucis conſtituiſti: ut unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret; & qui per lignum vincebat, per lignum quoque vinceretur. Per. g g.

Ad Commun.

Adeſto nobis, Dne Deus noſter! & quos ſanctæ Crucis lætari feciſti honore, eius quoque perpetuis defende præſidiis. Per. l.

Alia.

Deus, qui præclara ſalutiferæ Crucis inventione hodiernæ nobis feſtivitatis gaudia dicaſti: tribue, quæſumus, ut vitalis ſigni tuitione ab omnibus muniamur adverſis. Per. (1)

Sabbato de ſancta MARIA. (2)

C*oncede nos famulos tuos, quæſumus Dne Deus, perpetua mentis & corporis ſani-*

---

(1) Oratio hæc, utpote ad feſtum Inventionis S. Crucis pertinens, in *San-Gallenſi* deeſt: notari tamen meretur, cum ſupra in illo feſto haud occurrat.

(2) In eodem *San-Gallenſi* habetur adhuc alia *Miſſa de ſancta Maria* ſequens, licet in fine manca: Deus, cuius Filium Maria Virgo Salvatorem edidit

Digitized by Google

ſanitate gaudere: & glorioſa beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione a præſenti liberari triſtitia, & futura perfrui lætitia. Per. gg.

Secreta.

Tua, Dne, propitiatione, & beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſione, ad perpetuam atque præſentem hæc oblatio nobis proficiat proſperitatem. Per. gg.

[*Præfatio.*

VD. æterne Deus: qui genus humanum prævaricatione ſua in ipſius originis radice damnatum, per florem virginalis uteri reddere dignatus es abſolutum, ut hominem, quem per Unigenitum tuum creaveras, per eundem Filium tuum Deum & hominem recreares: ut diabolus, qui Adam in fragili carne devicerat, conſervata iuſtitia a Deo carne vinceretur aſſumta. Per eundem Ch. D. N. *vel* & ideo.]

Ad Commun.

Sumptis, Dne, ſalutis noſtræ ſubſidiis, da, quæſumus, eius nos patrociniis ubique protegi, in cuius veneratione hæc tuæ obtulimus maieſtati. Per. gg.

Alia.

Omnipotens Deus! famulos tuos dextera potentiæ tuæ a cunctis protege periculis: & beata Maria ſemper Virgine intercedente fac eos præſenti gaudere proſperitate & futura. Per.

Miſſa in Cottidiana Sanctorum. (1)

D*eus, qui nos beatæ ſemper Virginis, & beatorum Spirituum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul Sanctorum continua lætificas commemoratione: præſta, quæſumus, ut quos cottidiano veneramur officio,* etiam

mundo, nec tamen per partum eius humanitatis nomen amiſit intemeratæ caſtitatis: tribue, quæſumus, ut ipſá pro nobis intercedat proprium apud Filium Ihm Xpm Dnm nrm, qui tecum vivit &c.

Alia.

Deus, qui in aulá virginali beatæ Mariæ habitare voluiſti, nec tamen forma noſtræ mortalitatis iura minuiſti æternæ Deitatis: concede propitius, ut eius precibus adiuvemur, cuius commemoratione lætamur. Qui vivis.

Secreta.

Oblata, Dne, munera ſanctifica: & intercedente beata Maria ſemper Virgine nobis ſalutaria concede. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! Licet enim caſtitas virginalis tibi ſit valde acceptabilis, tamen illa omni laude exſtat digniſſima, quæ non deſinit eſſe virgo, poſtquam ſalvatorem protulit huic mundo. Non ſunt namque cæteræ mulieres eatenus inſignes, quia nulla earum, poſtquam filium genuit, lucra virginitatis poſſedit. Huius igitur Genitricis precibus adiuvemur, cuius commemoratione lætamur. Credimus namque eam nobis impetrare ſalutem, quæ genuit regem atque ſacerdotem Ihm Xpm Dnm nrm. Per quem &c.

Ad Commun. *Deficit pagina.*

(1) In *San-Gallenſi* hæc habetur *Miſſa in honore omnium Sanctorum*, quæ tamen ad Patronos proprie pertinet.

Concede, quæſumus omnipotens Deus! ut ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, ſanctorumque Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium Sanctorum tuorum, quorum in iſta continentur Eccleſia Reliquiæ, patrocinia nos ubique adiuvent: quatenus hic in illorum præſenti ſuffragio tranquilla pace in tua laude lætemur. Per.

Secreta.

Munera tuæ, miſericors Deus! maieſtati oblata benigno, quæſumus, ſuſcipe intuitu: ut eorum nobis precibus fiant ſalutaria, quorum ſacratiſſimæ in hac baſilica Reliquiæ conduntur. Per.

Ad Complendum.

Divina libantes myſteria, quæſumus Domine, ut eorum nos ubique interceſſio protegat, quorum hic ſacra gaudemus habere patrocinia. Per.

Super populum.

Exaudi, Dne Deus, clementer in hac domo tua preces ſervorum tuorum: quatenus illorum meritis tuam conſequamur gratiam, quorum hic patrocinia veneramur. Per.

Digitized by Google

etiam piæ converſationis ſemper ſequamur exemplo. Per. l. gg.

Secreta.

Munera tibi, Dne, devotionis noſtræ offerimus, quæ & pro tuorum tibi grata ſint honore iuſtorum, & nobis ſalutaria, te miſerante reddantur. Per. gg.

Ad Commun

Præſta nobis, quæſumus Dne, intercedentibus omnium Sanctorum tuorum meritis: ut quæ ore contigimus, puro corde capiamus. Per. l. gg.

Alia.

Fac nos, quæſumus Dne, ſanctæ Mariæ ſemper Virginis ſubſidiis attolli, & glorioſa beatorum Spirituum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul Sanctorum protectione defendi: ut dum eorum pariter quotidie feſta celebramus, eorum pariter quotidie auxiliis ab omnibus protegamur adverſis. Per. Alia.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris: & interceſſione omnium Sanctorum tuorum perpetuam nobis miſericordiam benignus impende. Per.

[*Miſſa ad poſcenda Sanctorum ſuffragia.* (1)

Concede, quæſumus omnipotens Deus! ut interceſſio ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſanctorumque omnium Apoſtolorum, Martyrum, & Confeſſorum atque Virginum, nec non & omnium Electorum tuorum nos ubique lætificet: ut dum eorum merita recolimus, patrocinia ſentiamus. Per. *gg.*

Secreta.

Oblatis, Dne, placare muneribus, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis a cunctis nos defende periculis. Per. *gg.*

Præfatio.

VD. Per X. D. N. celebrantes commemorationem Sanctorum tuorum; quia dum tui nominis per eos gloriam frequentamus, noſtræ fidei creſcit affectus. Et ideo. *l.*

Ad Comm.

Cœleſtibus refecti ſacramentis & gaudiis, ſupplices te rogamus, omnipotens Deus: ut quorum gloriamur triumphis, protegamur auxiliis. Per. *l.*

Alia.

Sanctorum tuorum nos, Dne, patrocinia tueantur: quia tanto fiducialius tuo nomini ſupplicamus, quanto frequentius eorum precibus & benedictionibus confovemur. Per.

Alia.

Sacramentis, Dne, muniamur acceptis, & Sanctorum tuorum meritis intervenientibus contra omnes nequitias irruentes armis cœleſtibus protegamur. Per. *g. gg.*] Alia.

Sumſimus, Dne, Sanctorum tuorum ſolemnia celebrantes, ſacramenta cœleſtia: præſta quæſumus, ut quod temporaliter gerimus, æternis gaudiis conſequamur. l.gg.

Miſſa ſpecialis pro omni Congregatione S. Mariæ.

D*efende, quæſumus, beata Maria ſemper Virgine intercedente, Dne Deus, iſtam*

(1) Sic inſcribitur in *San-Gallenſi*, ex quo eam ampliorem damus, quam habetur in *Petrohuſano*, ubi prænotatur *In natalitiis Sanctorum.* Cæterum non habetur in vulgato *Gelaſiano*, neque integra, uti hic quidem eſt, in *Gregoriano.*

iſtam ab omni adverſitate familiam: & tibi toto corde proſtratam ab hoſtium propitius tuere clementer inſidiis. Per. gg.

Alia.

Familiam iſtam, quæſumus Dne, cœleſti protectione circumda; & te parcente ſit libera, te cuſtodiente a malis omnibus ſit ſecura. Per. gg.

Secreta.

Suſcipe, quæſumus, clementer, omnipotens Deus, noſtræ devotionis oblationem: & per virtutem huius ſacramenti, tuæ maieſtatis famulos a cunctis protege adverſitatibus. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus: qui es totius fons miſericordiæ, ſpes & conſolatio lugentium, vita & ſalus ad te clamantium: exaudi famulorum preces tuorum, & potentiæ tuæ dextera ab omni adverſitate eos protege & cuſtodi; quatenus tibi Deo ſecura mente ſervire valeant, atque ab omni tentationum moleſtia liberati, tranquilla pace ſalutis ſuæ tuæ pietati continuas agere gratias mereantur, per Xpm.

Ad Commun.

Sumtis redemtionis noſtræ muneribus, præſta, quæſumus miſericors Deus, eorum celebratione nobis tuæ protectionis contra omnes adverſitates ſubſidium. Per. gg.

Alia.

Copioſa protectionis tuæ beneficia, quæſumus Dne Deus noſter, familia tua conſequatur: ut quæ ſacris tibi liminibus devota conſiſtit, interceſſione beatæ Mariæ ſemper Virginis, atque omnium Sanctorum tuorum, & vitæ præſentis ſubſidio gratuletur, & gratiam æternæ benedictionis inveniat. Per.

Miſſa in Natali Sanctorum, vel pro memoria vivorum, ſive agenda mortuorum fidelium in Chriſto. (1)

Adſit oratio ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Virginum & Confeſſorum

---

(1) Miſſa hæc, ex *Rhenaugienſi* deſumta, ſcriptoris vel incuria vel inſcitia fœde, ut plura alia eiusdem codicis, corrupta eſt, & ex pluribus ſæpe aliis Miſſis conſarcinata. Quæ autem extra ordinem occurrit in eodem codice *Rhenaugienſi* eadem *Miſſa pro ſalute vivorum*, paullo quidem emendatior eſt, nec tamen ita, ut præſens exinde corrigi ſufficienter poſſit. Vel inde tamen notari meretur, quod Præfationem contineat, quam in cæteris codicibus tam editis quam Mſſ. nuspiam deprehendimus. Hanc nos unacum præcipuis variationibus hic exhibemus: cætera ex adiecta ſequente Miſſa *Gregoriana*, unde potiſſimum præſens deſumta eſt, fient clariora. Haud multum abſimilis eſt *Miſſa communis*, quam infra ex Cod. *San-Gallenſi* damus.

Miſſa pro ſalute Vivorum, ex cod. Rhen.

Beatorum Apoſtolorum, Martyrum & Confeſſorum vel Virginum, omniumque Sanctorum, quæſumus Dne, interceſſionibus nos protege: & famulis vel famulabus tuis, quorum commemorationem agimus, miſericordiam tuam ubique prætende: ut ab omnibus impugnationibus defenſi (*tua*) opitulatione ſalventur: & animas famulorum vel famularumque tuarum, quorum nomina ante ſancto (*ſanctum*) altare tuum ſcripta adeſſe videntur, quorum nomina & numerum tu ſolus Dominus cognoſcis, cunctorum tribue remiſſionem peccatorum, & indulgentiam (*quam*) optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur. Per.

Secreta.

Oblationes noſtras &c. *Ut ſupra.*

Conteſtatio.

VD. Te laudare & benedicere in mirabilibus tuis, & in confeſſione ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum & Confeſſorum, vel Virginum tuarum, vel quorum hodie feſta celebrantur. Petimus immenſam clementiam tuam, ut delictorum noſtrorum veniam conſequi mereamur, & famulos vel famulabus tuis, qui nobis eleemoſynas ſuas condonaverunt, tam vivis quam & defunctis (l. *famuli vel famulæ tuæ.. vivi & defuncti*) mereantur ab omnibus abſolvi peccatis, & inter Electos tuos percipere convivium. Per.

Digitized by Google

rum tuorum cum omnibus (ſ. *Sanctis*): eorum, quæſumus Dne (ſ. *interceſſio*) & nox (l. *nos*) protegat, & vitam noſtram in ſalutis tuæ proſperitate diſpone, ut inter omnes viæ (ſ. *vitæ*) huius varietates tuo ſemper protegatur auxilio: & famulis & famulabus tuis, quæ nobis bona fecerunt, & in orationibus meis ſe commendaverunt, vel qui mihi confeſſi fuerunt, quorum nomina ante ſanctum altare tuum ſcripta eſſe videntur, porrige eis dexteram cœleſtis auxilii, ut te toto corde perquirant, atque quod digni poſtulant, adſequantur: & animabus omnium fidelium Catholicorum orthodoxorum, quorum nomina ante ſanctum altare tuum ſcripta eſſe videntur, quorum numerum & omnia (l. *nomina*) tu ſolus Dominus & cognoſcis, & quibus donaſti Baptiſmi ſacramentum, in regione Sanctorum tuorum iubeas dare eis conſortium & plenitudinem gaudiorum. Per.

Secreta.

Oblationes noſtras, quæſumus Domine, propitiatus intende, quas tibi offerimus in honore ſanctorum tuorum Apoſtolorum, Martyrum, Virginum & Confeſſorum, quorum natalitia celebramus: vel (loco *vel* l. *ad*) incolumitatem famulorum famularumque tuarum, quorum commemorationem agimus: & animabus omnium fidelium Catholicorum orthodoxorum, quorum nomina tu ſolus Dns cognoſcis, ut (del. *ut*) ſacrificium præſentis oblationis ad refrigerium animarum earum te miſerante perveniat. Per.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus, Domine, in honore ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Virginum & Confeſſorum tuorum, & (*pro*) famulis & famulabus tuis, quorum commemorationem agimus, & pro animabus famulorum famularumque tuarum, quorum nomina ante ſanctum altare tuum ſcripta eſſe (*adeſſe*) videntur, quæſumus Dne, ut dignanter ſuſcipias, & tua pietate concedas, ut conſecuti tuæ gratiæ dignitatem, æternæ vitæ percipiant portionem. Diesque noſtros.

Poſt Commun.

Læti, Dne, ſumſimus ſacramenta cœleſtia, (*quæ*) intercedente pro nobis beata & glorioſa ſemperque Virgine Dei Genitrice Maria, ad vitam nobis proficiant ſempiternam. Deus conſolationis & pacis, reſpice ad pacem familiæ tuæ, & da, Dne virtutum, ut animæ famulorum famularumque tuarum, qui ab Adam uſque in hodiernum de hac luce migrarunt, baptizati & confeſſi fuerunt, & in fide catholica perſeveraverunt, vel de eorum rebus eccleſiam Dei ditaverunt, & de eorum eleemoſynis ſumus conſolati, ut in finibus Abrahæ, Iſaac & Iacob in illa Sanctorum tuorum ſede requieſcant, moxque ex mortuis reſuſcitati placebant (*placeant*) in

Infra actionem. *Ut ſupra.*

Ad Commun.

Sacramenta, quæ ſumſimus, Dne, per interceſſionem ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum & Confeſſorum vel Virginum tuarum, quorum natalitia celebramus, nobis proficiant ad ſalutem, & famulis vel famulabus tuis, quorum commemorationem agimus, tribue refrigerium ſempiternum, (*&*) quibus donaſti baptiſmum ſacramenti (l. *baptiſmi ſacramentum*), in regione Sanctorum iubeas dare conſortium & plenitudinem gaudiorum. Per.

in regione vivorum, præſtante Dno Deo noſtro Ieſu Chriſto.

Miſſa pro ſalute Vivorum. (1)

S*anctorum tuorum interceſſionibus, quæſumus Dne, & nos protege, & famulis & famulabus tuis, quorum commemorationem agimus, vel quorum eleemoſynas recepimus, ſeu etiam his, qui nobis familiaritate vel conſanguinitate iuncti ſunt, miſericordiam tuam ubique prætende, ut ab omnibus impugnationibus defenſi, tua opitulatione ſalventur: & animas famulorum famularumque tuarum, omnium videlicet fidelium catholicorum orthodoxorum, quorum commemorationem agimus, & quorum corpora in hoc monaſterio vel ubique requieſcunt, vel quorum nomina ante ſanctum altare tuum ſcripta adeſſe videntur, Electorum tuorum iungere digneris conſortio. Per.* g. gg.

Secreta.

Propitiare, Dne, ſupplicationibus noſtris, & has oblationes, quas pro incolumitate famulorum famularumque tuarum, & pro animabus fidelium catholicorum orthodoxorum, quorum nomina ante ſanctum altare tuum ſcripta adeſſe videntur, nomini tuo conſecrandas deferimus, benignus aſſume: ut ſacrificii præſentis oblatio ad refrigerium animarum eorum te miſerante perveniat. Per. gg.

Alia.

Oblationis huius, quæſumus Dne, placare muneribus: & intercedentibus Sanctis tuis omnem populum Chriſtianum a cunctis defende periculis: & animabus famulorum

(1) Sic prænotatur in *Gregoriano San-Blaſiano*, in *Petrohuſano* autem *pro ſalute vivorum vel mortuorum:* in quo poſteriore prima oratio incipit: *Omnium Sanctorum tuorum*, ſimulque aliam Secretam & Præfationem exhibet, quam hic inſerimus. Cæterum in *San-Gallenſi* vocatur hæc *Miſſa omnimoda*, quam hic ſubiicimus. Notatur etiam ad calcem codicis *San-Blaſiani* eadem *Miſſa communis*, atque pro Abbate vel Epiſcopo præcipue aptata eſt.

Scæ Dei genitricis Mariæ, ac beatorum Angelorum, Patriarcharum, Aplorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium Sanctorum tuorum, quæſumus omnipotens Deus, nos famulos tuos interceſſionibus protege; pariterque nobis familiaritate, atque conſanguinitate coniunctos, & omnem populum Xpianum ab omni pravitate defende; commiſſos etiam nobis ad regendum cuſtodi, & animabus famulorum famularumque tuarum ill. & ill. cunctorumque fidelium defunctorum requiem tribue benignus ſempiternam, & Scorum cœtibus conſociare digneris propitius, per.

Alia.

Beatæ Dei Genitricis Mariæ, & beatorum Angelorum, Patriarcharum, Aplorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, omniumque Scorum tuorum piis ſupplicationibus, quæſumus Dne, nos tua gratia protegat & conſervet; & famulis famulabusque tuis, qui nobis eleemoſynas ſuas condonaverunt, tam vivis quam & defunctis, ſeu iter agentibus, vel domi reſidentibus, & omni populo Xpiano miſericordiam tuam ubique prætende: ut ab omnibus impugnationibus defenſi, tua opitulatione ſalventur, & indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur, per Dnm.

Secreta.

Oblationis huius, Dne, placare muneribus, & intercedentibus omnibus Sanctis tuis, me, & omnem &c. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. æterne Deus. *Ut ſupra.* Sed hic inſeritur poſt *mereamur: & eos, quos nobis cura regiminis ſociaſti, ac familiaritate &c.*

Ad Comm.

Purificet, quæſumus Dne, nos famulos tuos divini ſacramenti libatio, & glorioſa ſcæ Dei genitricis Mariæ, & omnium Scorum tuorum oratio: & omnibus nobis commiſſis, ac familiaritate & conſanguinitate coniunctis, & omni populo Xpiano miſericordiam tuam ubique prætende! & animabus famulorum famularumque tuarum ill. & ill. & cunctorum fidelium defunctorum remiſſionem omnium tribue delictorum, per Dnm.

mulorum famularumque tuarum, & cunctorum fidelium defunctorum, per hæc ſancta ſacrificia remiſſionem omnium tribue peccatorum. Per.

Præfatio.

VD. uſque *æterne Deus. Et tuam clementiam profuſis precibus imploramus: ut intercedente beata & glorioſa Dei genitrice ſemperque Virgine Maria, & omnibus Sanctis tuis, cunctorum peccatorum veniam nos famuli tui conſequi mereamur; & eos, quos nobis familiaritate & conſanguinitate iunxiſti, & omnem populum Chriſtianum Angelorum tuorum, omniumque Sanctorum tuere præſidiis, & animas famulorum famularumque tuarum cunctorum fidelium defunctorum ut in pacis ac lucis regione conſtituas, deprecamur. Per Xpm.*

Ad Comm.

Purificet nos, quæſumus Dne, & divini ſacramenti perceptio, & glorioſa Sanctorum tuorum oratio: & animabus famulorum famularumque tuarum, quorum commemorationem agimus, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum. Per. gg.

Alia Miſſa. (1)

Prætende, Dne, miſericordiam tuam (2) famulis & famulabus tuis ill. dexteram cœleſtis auxilii; ut de toto corde te perquirant, atque, quod digne poſtulant, adſequantur. Per. *g. El. gg.*

Secreta.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus noſtris, & has oblationes famulorum famularumque tuarum, quas tibi pro incolumitate eorum offerimus, benignus adſume: (&) ut nullius ſit irritum votum, nullius vacua poſtulatio, præſta quæſumus, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per D. *g. El. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus. Humili devotione implo-

---

(1) Ad calcem codicis *San-Blaſiani* poſt *Miſſam communem* hæc ſequitur: quæ eadem eſt cum hic poſita, & ſic habet:

Item alia.

Prætende, Dne, fidelibus tuis omnibus Epis, Presbyteris, Abbatibus, Canonicis, Monachis, ſive Regibus & Gubernatoribus, atque conſanguineis nris, & his, qui ſe commendaverunt orationibus, & ſuas nobis largiti ſunt eleemoſynas, ſeu etiam cæteris fidelibus utriusque ſexus, dexteram cœleſtis auxilii, ut & te toto corde perquirant, & quæ digne poſtulant, conſequi mereantur, per.

Secreta.

Propitiare, Dne, ſupplicationibus nris, & has oblationes, quas tibi pro incolumitate omnium Eporum, Presbyterorum, Abbatum, Canonicorum, Monachorum, ſive Regum & Gubernatorum, atque conſanguineorum nrorum, & eorum, qui ſe nris commendaverunt orationibus, & ſuas nobis largiti ſunt eleemoſynas, ſeu etiam cæterorum utrorumque ſexuum fidelium offerimus, benignus aſſume, ut nullius meriti ſit irritum votum, nullius ſit vacua poſtulatio; præſta quæſumus, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur, per Dnm nrm Ihm Xpm.

Ad Comm.

Da famulis tuis, quæſumus Dne, omnibus Epis, Presbyteris, Abbatibus, Canonicis, Monachis, ſive Regibus & Gubernatoribus, atque conſanguineis nris, & his, qui ſe commendaverunt nris orationibus, & ſuas nobis largiti ſunt eleemoſynas, ſeu etiam cæteris fidelibus utriusque ſexus, in tua fide & ſinceritate conſtantiam, ut nullis tentationibus a te ſeparentur, ſed in tua caritate firmentur, per Dnm nrm.

Alia.

Pietate tua, Dne quæſumus, nrorum ſolve vincula peccatorum, intercedente beata Maria cum omnibus Scis tuis, Regem, & Epum nrm unacum omni congregatione ſibi commiſſa. *Ut infra pro omni gradu eccleſiaſtico.*

(2) *Miſericordiam tuam* deeſt in edita *Gregor.* & apud PAMELIUM.

Digitized by Google

implorantes miſericordiam tuam, ut fideles tuos ſereno vultu reſpicias, & omnia eorum peccata dimittas, ac miſerationis tuæ ſuper eos largitatem clementer infundas, per Xpm Dnm.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro fidelibus tuis, ut ſalutem corporis & animæ conſequi mereantur, quæſumus Dne, ut placatus &c. gg.

Alia.

VD. Te ſuppliciter deprecamur, ut accepta ſit tibi, Dne, oblatio noſtra, quam tibi offerimus de tua largitate pro peccatis atque offenſionibus noſtris: ut indulgentiam conſequi mereamur, qui es claritas Angelorum, creator omnium ſæculorum, fides Patriarcharum, divinitas Prophetarum, electio Apoſtolorum, corona Martyrum, gloria Confeſſorum, paſtor animarum, ſanctificatio Sacerdotum, ſponſus Virginum, caſtimonium Viduarum, dux peregrinorum, clementiſſimus Pater Orphanorum, proſperitatis largitor, in tribulationibus adiutor, in anguſtiis liberator, medicus animarum, reſurrectio mortuorum, gloria & præmium vitæ æternæ, diſpenſator meritorum. Tibi, Dne, omnes angelicæ Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim & Seraphim non ceſſant clamare ſine fine dicentes: Sanctus.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, Dne, famulorum famularumque tuarum, quam tibi offerimus ob devotionem mentis eorum, pius ac propitius clementi vultu ſuſcipias deprecamur, libens protege, dignanter exaudi, & æterna eius (l. *eos*) protectione conſerva: ut ſemper in tua religione lætantes inſtanter in ſanctæ Trinitatis confeſſione (&) fide catholica perſeverent. Dieſque noſtros. *g. gg.*

Poſt Comm.

Da famulis & famulabus tuis, quæſumus Dne, in tua fide & ſinceritate conſtantiam: ut in caritate divina firmati nullis tentationibus ab eius integritate vellantur. Per. *g. El. gg.*

Alia.

Gratiæ tuæ, quæſumus Dne, ſupplicibus tuis tribue largitatem: ut mandata tua, te operante, ſectantes conſolationem præſentis vitæ percipiant & futuræ. Per.

[*Miſſa communis S. Auguſtini.* (1)

Omnipotens ſempiterne Deus! qui vivorum dominaris ſimul & mortuorum,

---

(1) Ita inſcribitur hæc Miſſa in codice *San-Gallenſi*, in qua in plurali ſuperſcripta ſunt, quæ habentur in ſingulari: quacum convenit etiam *San-Blaſ.* In *Petrobuſano* autem habetur ſub titulo *Miſſa communis*, eſtque prorſus eadem cum Miſſali *Romano.* In eodem *San-Gallenſi* additur ſequens *Alia Miſſa communis*, illi monaſterio propria; ac eadem fere, quam ſupra *pro memoria vivorum* ex cod. *Rhenaug.* exhibuimus:

Suſcipe, clementiſſime Pater omnipotens æterne Deus! ſupplicationes & preces, quas tibi ego peccator præſumo offerre in honore Dni nri Ieſu Chriſti, & in commemoratione beatæ Mariæ ſemper Virginis, Matris Dni nri Ieſu Chriſti, & omnium Apoſtolorum, & Martyrum & Confeſſorum ac Virginum tuarum, pro pace & ſanitate populorum tuorum, & fructibus terræ, & ſanitate Regis & Epiſcoporum atque Abbatum, ac pro cuncta ſci GALLI congregatione ac familia eius, & pro me miſero famulo tuo, & pro omnibus viventibus famulis ac famulabus tuis, atque defunctis fidelibus tuis, & qui mihi propter nomen tuum, Dne, bona fecerunt, & mihi in tuo nomine confeſſi fuerunt: & concede propitius, ut intercedentibus omnibus Sanctis tuis ante conſpectum divinæ maieſtatis tuæ miſericordiam conſequamur. Per.

Secreta.

Oblationes noſtras, quæſumus Dne, propitius inten-

Digitized by Google

rum, omniumque miſereris, quos tuos fide & opere futuros eſſe prænoſcis: te ſuppliciter exoro, ut pro quibus effundere preces decrevi, quoſque vel præſens adhuc ſæculum in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore ſuſcepit, pietatis tuæ clementia delictorum ſuorum veniam conſequantur. Per. *gg.*

Super Oblata.

Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus Electorum in ſuperna felicitate locandus: tribue quæſo, ut univerſorum, quos in oratione commendatos ſuſcepi, vel nomina omnium fidelium beatæ prædeſtinationis liber adſcripta retineat. Per. *gg.*

Ad Complendum.

Purificent nos, quæſumus omnipotens & miſericors Deus! ſacramenta, quæ ſumſimus, & præſta: ut hoc tuum ſacramentum non ſit nobis reatus ad pœnam, ſed interceſſio ſalutaris ad veniam: ſit ablutio (S. Blaſ. *abolitio*) ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra mundi pericula firmamentum, ſit vivorum atque mortuorum remiſſio omnium delictorum. Per. *gg.*]

Pro omni gradu Eccleſiaſtico.

P*ietate tua, Dne quæſumus, noſtrorum ſolve omnium vincula delictorum: & intercedente beata Maria cum omnibus Sanctis tuis, Regem, Antiſtitem, & Abbatem noſtrum, ſeu omnes congregationes illis commiſſas, & nos famulos tuos, atque locum iſtum in omni ſanctitate cuſtodi: & me famulum tuum, atque monaſterium noſtrum, fratres noſtros, & totam familiam, omniaque nobis commiſſa cuſtodire a malis dignare; omneſque affinitate & familiaritate nobis iunctos, vel nobis eleemoſynas facientes, atque iter agentes, ſeu etiam omnes Chriſtianos a vitiis purga, virtutibus illuſtra: pacem & ſalutem nobis tribue, de morbis morteque ſubitanea & inproviſa nos ſemper libera, inſidias diaboli & ſagittas & noxia a nobis cuncta procul depelle, hoſtes viſibiles & inviſibiles remove: inimicis noſtris caritatem largire, & omnibus fidelibus vivis & defunctis in terra Viventium vitam & requiem æternam concede. Per.*

Secreta.

Deus, qui ſingulari Corporis tui hoſtia totius mundi ſolviſti delicta: hac oblatione placatus, ſcelerum noſtrorum nobiſque gregis commiſſi maculas abſterge, &

de, quas tibi offerimus in honore Dni nri Ieſu Chriſti, & in commemoratione beatæ Mariæ ſemper Virginis, & beatorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum & Virginum, pro pace & ſanitate populorum tuorum, & proſperitate itineris noſtri, & incolumitate famulorum famularumque tuarum, quorum commemorationem agimus, & pro animabus omnium fidelium defunctorum Catholicorum orthodoxorum, quorum numerum tu ſolus, Dne, cognoſcis: concede, ut per ſacrificium præſentis oblationis ad refrigerium animarum ſuarum te miſerante perveniant. Per.

Ad Comm.

Læti, Dne, ſumſimus ſacramenta cœleſtia: quæſumus, ut intercedente pro nobis beata ſemper Virgine Dei genitrice Maria, & omnibus ſanctis Apoſtolis & Martyribus, Confeſſoribus & Virginibus tuis, ad vitam nobis proficiant ſempiternam. Per.

Alia.

Deus conſolationis & pacis, reſpice, quæſumus, ad pacem (ſuperſcript. *precem*) familiæ tuæ, & concede: ut animæ famulorum famularumque tuarum, quæ ab Adam uſque in hodiernum diem de hac luce migraverunt, quique baptizati & confeſſi in fide catholica perſeveraverunt, & de ſuis rebus eccleſias Dei ditaverunt, & de quorum eleemoſynis ſumus conſolati, in ſinibus Abrahæ, Iſaac & Iacob feliciter requieſcant, moxque & a mortuis reſuſcitati tibi placeant in regno vivorum. Per.

Digitized by Google

& omnium Chriſtianorum vivorum vel mortuorum peccata dimitte, eisque præmia æterna concede. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus. Et tuam clementiam humiliter imploramus, ut intervenientibus omnibus Sanctis tuis, delicta noſtra clementer emundes, atque a me miſero gregique mihi commiſſo noxia cuncta procul amoveas; diesque noſtros in tua voluntate diſponas, ſimulque omnibus in te credentibus ſanitatem mentis & corporis tribuas, incredulos convertas, errantes corrigas, iter agentes in viam tuam dirigas, diſcordantibus pacis unitatem largiaris, omnibusque fidelibus vivis & defunctis veniam conferas, ut ad interminabilem gloriam pervenire mereantur. Per Chriſtum.

Ad Comm.

Sumta, quæſumus Dne, ſacramenta omnia crimina noſtra detergant; omnemque pravitatem & infirmitatem ſeu hoſticam rabiem, atque ſubitam mortem, meritis Sanctorum omnium a nobis noſtrisque procul repelle: & omnibus fidelibus vivis & defunctis proſint ad veniam, pro quorum tibi ſunt oblata ſalute. Per.

Miſſa pro peccatis. *gg.* (1)

E*xaudi, quæſumus Dne, ſupplicum preces, & confitentium tibi parce peccatis: ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per.* gg.

[*Alia.*

Averte, quæſumus Dne, iram tuam a nobis; & facinora noſtra, quibus indignationem tuam provocamus, expelle. Per.]

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, placationis offerimus: ut & delicta noſtra miſeratus abſolvas, & nutantia corda tu dirigas. Per. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus: te, Dne, ſuppliciter implorantes, ut nos ab omnibus peccatis clementer eripias, & a cunctis protegas benignus inimicis, per Xpm.

Hanc igitur oblationem, Dne, quam tibi offerimus pro peccatis atque offenſionibus noſtris, ut omnium delictorum noſtrorum remiſſionem conſequi mereamur, quæſumus Dne, &c. gg.

Ad Commun.

Præſta nobis, quæſumus Dne æterne Salvator: ut percipientes hoc munere veniam peccatorum, deinceps peccata vitemus. Per. gg.

Alia.

Deus, cui proprium eſt ſemper miſereri & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram: & quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per. gg.

Unde ſupra alia Miſſa.

Parce, Dne, parce peccatis noſtris: & quamvis inceſſabiliter delinquentibus continua pœna debeatur, præſta quæſumus; ut quod ad perpetuum meremur exitium, tranſeat ad correctionis auxilium. Per. g.

Secreta.

Sacrificia, Dne, tibi cum eccleſiæ precibus immolanda, quæſumus, corda noſtra purificent: & indulgentiæ tuæ nobis

(1) Ambas has Miſſas *pro peccatis* ex cod. *San-Blaſiano* damus, quarum prima tantum in edito *Gregoriano* habetur, ſed ſine Præfatione: eadem vero in *San-Gallenſi* quoque notatur.

bis dona concilient, & de adverſis proſpera ſentire perficiant. Per. g.

Ad Commun.

Vitia cordis humani hæc, Dne quæſumus, medicina compeſcat; quæ mortalitatis noſtræ venit curare languores. Per. g.

Miſſa pro tribulantibus de quavislibet extra flagella corporis. (1)

Omnipotens ſempiterne Deus! qui ſubvenis in periculis & neceſſitatibus, laborantes Maieſtatem tuam ſuppliciter exoramus: ut mittere digneris ſanctum Angelum tuum, qui famulos tuos domui conſiſtentes in anguſtiis & neceſſitatibus ſuis laborantes, conſolationibus tuis adtolle (l. *attollat, ut*) & de præſenti conſequantur auxilium, & æterna remedia comprehendant. Per.

Secreta.

Oblationes anguſtiæ pro peccatis atque offenſionibus famuli tui (*in*) hac domo conſiſtentis, omnipotens Deus, oblatas accepi (l. *accipe*), qui in te confidimus vere prophetans (f. *per Prophetam*) dixiſſe, immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua, & invoca me in die tribulationis tuæ, eruam te, honorabis me. Per.

Præfatio.

VD. Qui offenſionibus ſervi tui ill. & iuſte iraſceris, & clementer ignoſcis; præſta, quæſumus Dne, famulo tuo ill. indulgentiam (*de*) peccatis ſuis, ut (*omit.*) & ab ira tua ad te confugientem paterna recipe pietate: ut qui tuæ Maieſtatis flagella formidat, ab occultis reatibus ſemper expediat (l. *expediatur*), & manifeſtis convenienter expurget (*expurgetur*). Concede ei, benigniſſime Pater! tuæ conſolationis auxilium, da illi de tribulatione lætitiam, & de mœrore (*in*) gaudium perpetuæ miſericordiæ transferatur; & corruptio (l. *correptio*) ab iniquitate, & ceſſatio fiat a verbere, ut qui iuſtis (l *iuſte*) pro peccatis ſuis adfligitur, ſpiritum eis (*ei*) tribue corrigendi, ut celerius in tua miſericordia reſpiret, & quam iuſtitia verberum fecit afflictio (2), abundantia remedia eorum facit conſolatum, qui quos (*eos* pro *eum*) & ab humanis retrahat exceſſibus, & ad ſalutaria cuncta perducat. Per.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem (*pro*) famulo tuo (f. *in domo hac*) conſiſtenti, quam tibi offerimus ob diem neceſſitatis noſtræ, pius ac propitius clementi vultu ſuſcipias: ut qui de rectorum (Gel. *meritorum*) noſtrorum qualitate confidimus, (l. *diffidimus*) ut (*omit.*) non iudicium tuum, ſed indulgentiam ſentiamus: ut & de adverſis proſpera habere percipiamus, & ab (*omit.*) omni impugnatione inimici

(1) Hæc *Miſſa pro tribulationibus*, ita enim legendum, in ſolo *Rhenaugienſi* continetur, ex variis tamen Miſſis *Gelaſianis* editis compoſita, & miſere ſæpius depravata: quam nos hic utcumque emendatam exhibemus. Alias Miſſas de tribulatione vide mox infra.

(2) Legendum: *Quem iuſtitia verberum fecit afflictum, abundantia remediorum faciat conſolatum*: ex Gelaſ. unde forte ſequentia quoque ita ſupplenda: *Per hæc, quæſumus Dne, veniat ei redemtionis effectus, qui eum & ab humanis &c.*

Digitized by Google

inimici depulſi (l. *depulſa*) miſericordiam tuæ pietatis adipiſcamur. Diesque noſtros.

Poſt Commun.

Benedictio tua, Dne quæſumus, ſuper hunc famulum tuum, quia (f. *pro quo*) iam commemorationem agimus, copioſa deſcendat, & quia (l. *quæ*) ſubiectis cordibus expetit, largiter conſequatur. Per. g.

Alia Miſſa pro tribulatione. (1)

Ineffabilem miſericordiam tuam, Dne, nobis clementer oſtende: ut ſimul nos & a peccatis exuas, & a pœnis, quas pro his meremur eripias. Per. g. gg.

Secreta.

Suſcipe, Dne, propitiatus hoſtias, quibus & te placari voluiſti, & nobis ſalutem potenti pietate reſtitui. Per. g.

Ad Commun.

Sumti ſacrificii, Dne, perpetua nos tuitio non relinquat, & noxia ſemper a nobis cuncta depellat. Per. l. g.

Alia Miſſa unde ſupra. (2)

Deus, qui contritorum non deſpicis gemitum, & mærentium non ſpernis affectum, intercedentibus omnibus Sanctis tuis adeſto precibus noſtris, quas tibi pro tribulatione noſtra effundimus; easque clementer ſuſcipiens tribuas, ut quidquid contra nos diabolicæ atque humanæ moliuntur adverſitates, ad nihilum redigatur, & conſilio pietatis tuæ allidatur: ut nullis adverſitatibus læſi, ſed de omni tribulatione & anguſtia erepti, læti in eccleſia tua ſancta tibi gratias referamus. Per.

[*Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus! qui facturam tuam pio ſemper gubernas affectu: inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris,

---

(1) In *San-Gallenſi* ſequens habetur Miſſa in tribulatione.

Præſta nobis, quæſumus omnipotens Deus! ut omnes fremitus inimici mentis puritate vincamus, & is, qui nos in ſua virtute molitur affligere, interceſſione Sanctorum tuorum nobis ſupplicantibus ſuperetur. Per.

Alia.

Da nobis, quæſumus Dne, de tribulatione lætitiam: ut qui diu pro peccatis noſtris affligimur, intercedentibus Sanctis tuis clementer in tua miſericordia reſpiremus. Per. *g.*

Secreta.

Suſcipe, Dne quæſumus, preces tribulatorum cum oblationibus hoſtiarum: & tuam miſericordiam deprecantes ab omnibus defende periculis. Per. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! teque totis ſenſibus deprecari, ut in anguſtiis ad te clamantes exaudias, & anxium ſpiritum inter extrema refoveas, animasque fidelium tuorum, quas cœleſti pane non deſeris, terreni victus miſeratione ſuſtentes. Per X. D. N.

Ad Commun.

Repleti, Dne, participatione cœleſti, ſupplices te rogamus: ut quos divino munere non relinquis, perpetua gubernatione comiteris. Per.

(2) Miſſam hanc ex codice *Petrobuſano Gregoriano* damus, quæ etiam in *San-Gallenſi* continetur, ſed pro uno tantum, ſuperſcriptis tamen, quæ in ea pro pluribus habentur; prænotatur autem *Miſſa pro tribulatis & preſſuram ſuſtinentibus*, cum quibusdam hinc inde variationibus, ubi inſuper eraſis ſæpe vocibus aliæ recentius ſubſtitutæ ſunt, ex qua hic inſerimus, quæ in *Petrobuſano* deſunt. Ex tertia vero in eodem *San-Gallenſi* codice Miſſa de tribulatione præfationem duntaxat ponimus; cætera enim cum hodierno Miſſali *Romano* concordant. Orat. *Ne deſpicias omnipotens Deus &c.* gg. Secreta. *Suſcipe, Dne, propitius hoſtias &c.* g.

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui propterea iure punis errantes, & clementer refoves caſtigatos, ut nos & a malis operibus abſtrahas, & ad bona facienda convertas: quia non vis invenire quod damnes, ſed vis eſſe potius quod corones, per X. D. *gg.*

Ad Commun.

Vivificet nos, Dne, ſacræ participationis infuſio, & perpetua protectione defendat. Per. *g.*

Alia.

Tribulationem noſtram &c. gg.

Digitized by Google

noſtris, & famulos tuos nimia tribulatione laborantes placido intuere obtutu. Per.]

Secreta.

Deus, qui tribulatos corde ſanas, & mæſtificantes actu iuſtificas: ad hanc propitius hoſtiam, quam tibi pro tribulatione noſtra offerimus, dignanter attende, & benignus accipe; diſcrimina noſtra depelle, miſeriarum & anguſtiarum amove preſſuram: ut exuti omnibus, quæ patimur, malis, in tuis ſemper mereamur exultare præſidiis. Per.

[*Præfatio.*

VD. æterne Deus! Maieſtatem tuam ſuppliciter exorantes, ut famulis tuis præteritorum concedas veniam delictorum, & ab omni mortalitatis incurſu continuata nos miſeratione protegas: quia tum auxilium tuum non diffidimus affuturum, cum a nobis ea, quibus offendimus, dignanter expuleris, per X. D.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, Dne, quam tibi offerimus pro liberatione & conſolatione famulorum tuorum, ſereno vultu accepta, ut non nos fraus humana deiiciat, non tua Deitas ex iudicio puniat, non caſtigantis iuſtitia uſquequaque demergat, non iniquitas propria, non adverſitas gravet aliena. Si quid tibi deliquimus, ignoſce; ſi quid offendimus homines, tu dimitte: ſubmove a nobis cruciatus mentis ſimul & corporis, ut te compuncti requiramus, a te tacti non doleamus, per te ſuſtenti adverſa deſpiciamus, & a te correcti te diligenter exquiramus. Dieſque noſtros.]

Ad Commun.

Dimitte, Deus, peccata noſtra, & tribue nobis miſericordiam tuam, quam ſacramenti cœleſtis participatione exquirimus: & intercedentibus omnibus Sanctis tuis humilitatem noſtram attende, vincula ſolve, delicta dele, tribulationem inſpice, adverſitatem repelle, effectumque petitionis noſtræ clementer largire. Per.

Orationes de lacryma, vel de qualicumque tribulatione. (1)

Ineffabilem nobis Dne. *Ut ſupra. gg.*

Alia.

Parce, Dne, parce peccantibus, & ut ad propitiationem tuam poſſimus accedere, ſpiritum nobis tribue corrigendi. Per. *l. g.*

Secreta.

Quæſumus Dne, noſtris placare muneribus, quoniam tu eadem tribuis, ut placeris. Per. *g.*

Præfatio.

VD. Qui nos caſtigando ſanas, & refovendo benignus erudis (S. Gall. *educas*), dum vis ſalvos eſſe correptos, quam perire neglectos: qui famulos tuos ideo corporaliter verberas, ut mente proficiant, patenter oſtendens, quod ſit pietatis tuæ præclara ſalvatio, dum præſtas, ut

---

(1) Alia eſt hæc Miſſa *Rhenaug.* Codicis ab illa, quæ infra habetur *pro petitione lacrymarum.* Subiungimus hic ex San-Gallenſi *Miſſam pro irreligioſis*, quæ tota eſt *Gelaſ.* ed. apud THOMAS. opp. T. VI. p. 204. cum propria tamen præfatione, ſcilicet

Præfatio.

VD. æterne Deus! Magno etenim, Dne, reatu conſtringimur, ſi ad ſincerum tui nominis cultum nec caſtigationibus corrigimur, nec beneficiis incitamur. Ideo precamur attentius, ut quibus miſerationes tuas largiris ingratis, infundas etiam devotionis affectum, quo efficiantur & grati. Per X. D. N.

Digitized by Google

ut operetur nobis etiam ipſa infirmitas medicinam: qui fragilitatem noſtram non ſolum miſericordiæ donis temporalibus conſolaris, ut nos ad æternam (S. Gall. *æterna*) promoveas; ſed etiam ipſis adverſitatibus ſæculi benignus erudis, ut ad cœleſtia regna perducas. Per Chriſtum.

Poſt Commun.

Præſta, Dne quæſumus, ut terrenis affectibus expiatis ad ſuperni plenitudinem ſacramenti, cuius libavimus ſancta, tendamus. Per. *g. El. gg.*

Miſſa pro Pace. (1)

Deus largitor pacis, & amator caritatis! da ſervis tuis veram cum tua voluntate concordiam: ut ab omnibus, quæ nos pulſant, tentationibus liberemur. Per. g. gg.

Secreta.

His ſacrificiis, Dne quæſumus, concede placatus: ut qui propriis oramus abſolvi delictis, non gravemur externis. Per. g. gg.

Ad Comm.

Libera nos, Dne, ab omni malo, propitiusque concede: ut quæ nobis poſcimus relaxari, ipſi quoque proximis remittamus. Per. g. gg.

Miſſa pro Regibus. (2)

Deus, regnorum omnium, & Romani maxime protector imperii, da ſervis tuis

(1) Duas pro pace Miſſas in Codicibus noſtris habemus, unam in *Petrobuſano*, & *San-Gallenſi*, quam hic damus; & eadem fere eſt, quæ in vulg. *Gelaſ.* inſcribitur *pro caritate*, in San-Gallenſi vero *pro Concordia fratrum*, cum orat. ad Commun. *Spiritum nobis*, ut in Miſſali: aliam in *San-Blaſiano*, prout in editis legitur, oratio *Deus, a quo ſancta &c.* g. gg. Secreta *Deus qui credentibus in te populis nullis ſinis nocere terroribus &c.* gg. Ad Comm. *Deus auctor pacis &c.* g. gg. Quam vero hic ſubiicimus, ex *San-Gallenſi* eſt deſumta, convenitque fere cum *Gelaſ.* edita.

Miſſa pro pace Gelaſ.

Deus, conditor mundi, ſub cuius arbitrio omnium ſæculorum ordo decurrit: adeſto propitius invocationibus noſtris, & tranquillitatem pacis præſentibus concede temporibus, ut in laudibus miſericordiæ tuæ inceſſabili exultatione lætemur. Per. *g.*

Secreta.

Omnipotens ſempiterne Deus! placabilis & acceptabilis ſit tibi hæc oblatio, quam ego indignus offero tibi pro tribulatione & liberatione noſtra, & pro pace totius Chriſtianitatis; ut nos a præſenti tribulatione eripias, & pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem. Per.

Ad Commun.

Deus, qui miſericordiæ tuæ potenti auxilio & proſpera tribuis, & adverſa repellis, univerſa obſtacula, quæ ſervis tuis adverſantur, expugna: ut remoto terrore bellorum & libertas ſit ſecura, & religio ſit quieta. Per. *g.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus! qui cœleſtia ſimul & terrena moderaris, ſupplicationes populi tui clementer exaudi: & pacem tuam noſtris concede temporibus. Per. *gg.*

(2) Prima hæc Miſſa *pro Regibus* ex codice *Rhenaugienſi* ſumta eſt, altera ex *San-Blaſiano*, ubi alia adhuc exhibetur *Miſſa pro Rege*, eadem quæ in vulg. *Gregor.* & in Miſſali *Romano* habetur. Sequentes ex *San-Gallenſi* ſubiicimus, quarum prima eadem eſt cum cod. *Rhenaug.*

Alia Miſſa.

Quæſumus, omnipotens Deus &c. *Ut in Miſſali.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui de plebe tua imperii faſtigio famulum tuum N. dignatus es ſublimare: fac eum humilitatis, iuſtitiæ, cæterarumque virtutum bono excubare, ut a tuæ veritatis tramite non recedat, & ad te, qui vita es, gratioſus perveniat. Per.

Præf. *Qui es auctor totius bonitatis.* ut in ed. *Gregor.* apud MURAT. p. 350. Ad Commun. *Hæc Dne oratio ſalutaris &c.* ut in Miſſali.

Alia.

Hæc, Dne, ſalutaris ſacramenti perceptio peccatorum maculas diluat, & Imperatorem noſtrum ad regendum ſecundum tuam voluntatem populum idoneum reddat: ut hoc ſalutari myſterio contra viſibiles & inviſibiles hoſtes reddatur invictus, per quod mundus divina eſt diſpenſatione redemtus. Per.

Item Miſſa pro Regibus. gg.

Omnipotens ſempiterne Deus! in cuius arbitrio &c. *Ut ſupra.*

Digitized by Google

tuis Regibus noſtris ill. triumphum virtutis tuæ ſcienter excolere: ut cuius conſtitutione ſunt principes, eius ſemper munere ſint potentes. Per. *g. gg.*

Super Oblata.

Suſcipe, Dne, preces & hoſtias eccleſiæ tuæ pro ſalute famuli tui illius ſupplicantis, & protectione fidelium populorum antiqua brachio tuo operante (ed. *operare*) miracula: ut ſuperatis pacis inimicis ſecura tibi ſerviat Chriſtianorum Romana libertas. Per. *g. gg.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, Dne, famuli tui illius, quam tibi miniſterio officii ſacerdotalis offerimus pro eo, quod in ipſum poteſtatem imperii conferre dignatus es, propitius & benignus adſume, & exoratus noſtra obſecratione concede: ut Maieſtatis tuæ protectione confidens & ævo augeatur & regno. Per. *gg.*

Poſt Commun.

Deus, qui prædicando æterni regni Evangelio Romanum imperium præparaſti: prætende famulis tuis illis Principibus noſtris arma cœleſtia: ut pax eccleſiarum nulla turbetur tempeſtate bellorum. Per. *g. gg.*

Alia Miſſa pro Regibus.

Omnipotens ſempiterne Deus, in cuius arbitrio regnorum omnium iura conſiſtunt: protege Chriſtianorum ubique Rectorem, ut eius votiva proſperitas pax tuorum poſſit eſſe populorum. Per. gg.

Secreta.

Deus, qui ſubiectas tibi glorificas poteſtates, ſuſcipe propitius oblationes noſtras, & Chriſtianis vires adde Principibus: ut qui ſe dextera tua expetunt protegi, nulla poſſint adverſitate ſuperari. Per. g.

Ad Commun.

Deus, qui prædicando æterni regni Evangelio Chriſtianum &c. Ut ſupra.

Alia.

Deus, in cuius manu corda ſunt Regum, inclina ad preces humilitatis noſtræ aures miſericordiæ tuæ, & Principibus noſtris famulis tuis ill. regimen tuæ appone ſapientiæ: ut hauſtis de tuo fonte conſiliis & tibi placeant, & tua ſemper beneficia conſequantur. Per. g.

Miſſa in tempore Belli. (1)

Populi tui, quæſumus omnipotens Deus! propitiare peccatis, & totius hoſtilitatis terrores a nobis averte: ut Chriſtiani

---

Secreta.

Deus, qui ſubiectas tibi glorificas &c. *Ut ſupra.*

Ad Commun.

Divina libantes myſteria, quæſumus Dne, ut hæc ſalutaria ſacramenta Principi noſtro proficiant ad proſperitatem & pacem: quatenus tibi ſecura mente deſerviat, & in tua ſemper protectione ad tutamentum Chriſtiani populi aſſiſtere mereatur. Per.

Alia.

Deus regnorum omnium &c. *pro uno ut ſupra.*

(1) Sequentes Miſſas in ſolo *San-Gallenſi* contentas, & in vulg. *Gelaſ.* apud THOMASIUM T. VI. opp. occurrentes hic tantum indicare ſufficiat. Miſſa in tempore belli. orat. *Deus cuius regnum.* p 199. alia: *Deus qui providentia.* p. 201. alia: *Deus ſervientium tibi.* ib. Secreta. *Propitiare Dne.* ib. Præfatio: *qui ſubiectas.* gg. apud MURAT. p. 353. Ad Comm. *Protege Dne.* p. 201. Alia Miſſa. orat. *Deus regnorum omnium regumque.* p. 199. alia: *Protector noſter.* p. 202. Secreta: *Sacrificium Dne.* ſupra. Præfatio: *Sub cuius poteſtatis arbitrio.* p. 200. Ad Comm. *Sacroſancti Corporis.* p. 199. Miſſa contra Paganos. orat. *Deus qui conteris bella.* p. 199. Alia: *Omnipotens ſempiterne Deus, in cuius manu ſunt omnium poteſtates & omnia iura regnorum! reſpice ad Chriſtianum benignus imperium: ut gentes, quæ in ſua feritate confidunt, potentiæ tuæ dextera compri-*

Digitized by Google

ni nominis ſecura libertas in tua devotione ſemper exultet. Per. g.

Secreta.

Sacrificium, Dne, quod immolamus, intende placatus: ut ab omni nos exuat bellorum nequitia, & in tuæ protectionis ſecuritate conſiſtat (*Gel.* conſtituat). g.

Ad Commun.

Adeſto, Dne, populis, qui ſacra myſteria contigerunt: ut nullis periculis affligantur, qui in te protectorem confidunt. Per. l. g.

Miſſa in Monaſterio. (1)

O*mnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, prætende ſuper nos famulos tuos ſpiritum gratiæ ſalutaris: & ut in veritate tibi complaceamus, perpetuum nobis rorem tuæ benedictionis infunde. Per.* g. gg.

Secreta.

Hoſtias, Dne, famulorum tuorum placatus intende: & quas in honore nominis tui devota mente pro nobis celebramus, proficere nobis ſentiamus ad medelam. Per. l. g. gg.

Hanc igitur oblationem, Dne, famulorum tuorum, quam tibi offerunt ob devotionem mentis ſuæ, pius ac propitius clementi vultu ſuſcipias, tibi ſupplicantes libens protege & clementer exaudi, & æterna eos protectione conſerva: ut ſemper in tua religione lætantes, inſtanter in ſancta Trinitatis confeſſione fide catholica perſeverent; nobis hæc quoque unanimiter & crebro petentibus ipſe præſtabis omnipotens Deus, per Xpm Dnm nrum. g.

Ad Commun.

Quos cæleſti recreas munere, perpetuo, Dne, comitare præſidib, & quos fovere non deſinis, dignos fieri ſempiterna redemtione concede. Per. g. gg.

Alia.

---

mantur. Per. gg. Alia: *Hoſtium noſtrorum.* p. 200. Secreta: *Huius nos Dne.* ib. Præfatio: *Qui ideo malis præſentibus.* gg. MURAT. p. 354. Ad Comm. *Vivificet nos.* g. p. 200. Miſſa contra hoſtes. orat. *Populi tui.* ſupra. Alia: *Omnipotens & miſericors Deus, a bellorum nos, quæſumus, turbine fac quietos: quia bona cuncta nobis præſtabis, ſi pacem dederis & mentis & corporis. Per.* Alia: *Contere quæſumus.* p. 200. Secreta: *Huius quæſumus Dne.* ibid.

Præfatio.

VD. æterne Deus! agnoſcimus enim, Deus noſter, agnoſcimus, ſicut prophetica dudum voce teſtatus es, ad peccantium merita pertinere, ut ſervorum tuorum labore quæſita, ſub conſpectu noſtro manibus diripiantur alienis; & quæ deſudantibus famulis naſci tribuis, ab hoſtibus patiaris abſumi: totoque corde proſtrati ſupplices exoramus, omnipotens Deus! ut & præteritorum concedas veniam delictorum, & ab omni mortalitatis incurſu continuata miſeratione nos protegas: quia tum defenſionem tuam non diffidimus affuturam, cum a nobis ea, quibus offendimus, dignanter expuleris. Per X. D. N. Ad Comm. *Adeſto Dne populis &c.* ut ſupra. Alia: *Omnipotens Deus, Chriſtiani nominis inimicos.* p. 200. *Miſſa contra Iudices male agentes.* orat. *Eccleſiæ tuæ.* p. 203. Alia: *Omnipotens ſempiterne Deus! qui diabolicæ ſimulationis deteſtaris inſidias; tribue quæſumus, ut nec mentes noſtras mortiferis poſſint vexare nequitiis, nec per aliorum ſubdolas voluntates nocendi nobis ſumere facultatem. Per.* Secreta: *Protege nos.* Ad Comm. *Quæſumus.* ib.

(1) Altera *Miſſa in Monaſterio ſeu Epiſcopio* habetur in Cod. *San-Gall.* or. *Omnipotens ſempiterne Deus.* Ut ſupra. Alia. *Fac, quæſumus Dne, famulos tuos toto ſemper ad te corde concurrere, tibi ſubdita mente ſervire, tuam miſericordiam ſuppliciter exorare, & tuis iugiter beneficiis gratulari. Per.* g. Secreta: *Hoſtias Dne.* Ut ſupra Præfatio: *Qui es iuſtorum gloria, & miſericordia peccatorum, pietatem tuam humili prece depoſcimus, ut famulos tuos benignus reſpicias, & pietatis tuæ cuſtodiam impendas: ut ex toto corde, & ex tota mente tibi deſerviant, & ſub tua protectione conſiſtant. Per Xpm.* Infra actionem ut ſupra. Ad Compleud. *Quos cæleſti.* Sequuntur orationes *pro Monachis ſive Canonicis*, quæ in *Gelaſ.* vulg. habentur p. 193.

Digitized by Google

Alia.

Tu Dne, quæſumus, famulis tuis bonos mores placatus inſtitue, tu in eis, quod tibi placitum ſit, dignanter infunde: ut & digni ſint, & tua valeant beneficia promereri. Per. g.

Alia.

Famulos tuos, quæſumus Dne, benignus intende, & eis dignanter pietatis tuæ impende cuſtodiam. Per. g.

[*Miſſa, qui ſe Deo devoverint.* (1)

Deus, qui nos, ſæculi vanitate converſos ad ſupernæ dona vocationis accendis: pectoribus noſtris purificandis illabere, & gratiam nobis, qua in te perſeveremus, infunde: ut protectionis tuæ muniti præſidio, quod te donante promiſimus, impleamus; ut nræ profeſſionis exſecutores effecti, ad ea, quæ perſeverantibus in te dignatus es promittere, pertingamus, per.

Secreta.

Tibi, Dne Deus noſter, nræ devotionis hoſtias immolamus, hoc orantes pariter ac precantes: ut nos tibi ſacrificium mortificatione vitæ carnalis effectos, in odorem ſuavitatis accipias, ac moribus, quibus profeſſioni nræ congruamus, inſtituas; ut quos ſcæ compunctionis ardore ab hominum ſæcularium propoſito ſegregaſti, etiam a converſatione carnali, & ab immunditia actuum terrenorum, infuſa nobis cœlitus ſanctitate, diſcernas, per Dnm nrm.

Poſt Commun.

Purificent nos, Dne, ſacramenta, quæ ſumſimus, & famulos tuos ab omni culpa liberos eſſe concede: ut qui conſcientiæ reatu conſtringuntur, cœleſtis remedii plenitudine glorientur. Per Dnm.]

Miſſa votiva. (2)

Maieſtatem tuam, clementiſſime Pater, ſuppliciter exoramus, ut (l. &) mente devota poſtulamus pro fratribus & ſororibus noſtris, vel pro his, qui nobis propria crimina vel facinora ante tuam Maieſtatem confeſſi fuerint (*fuerunt*), vel pro his, qui ſe in noſtris orationibus commendaverunt; tam pro vivis, quam & pro ſalutis debito mortis (3), quorum eleemoſynas erogandi ſuſcepimus, & quorum animas ad memorandum conſcripſimus, vel quorum nomina ante ſanctum altare tuum adſcripta eſſe videntur: concede propitius, ut hæc oblatio mortis (l. *mortuis*) proſit ad veniam, & vivis proficiat ad medelam, & fidelibus tuis, pro quibus oblatio offertur, indulgentia tuæ pietatis ſuccurrat. Per.

Secreta.

Preces noſtras, quæſumus Dne, clementer

---

(1) Ex eodem *S. Gallenſi* Miſſa pro voto Virginum. orat. *Da, quæſumus Dne, famulæ.* p. 125. Secreta: *Tuis, Dne quæſumus, operare myſteriis; ut hæc tibi munera dignis mentibus offeramus. Per.* Infra actionem: *Hanc igitur oblationem famulæ, tuæ tibi debitam &c.* Ad Comm. *Reſpice.* p. 126. Miſſa pro voto viduæ. orat. *Deus caſtitatis amator.* Secreta: *Munera quæſ.* Ad Compl. *Bonorum omnium Deus.* p. 126. Item Miſſa in natalitio ancillarum Dei. orat. *Preces famulæ.* Super oblata: *Votivis quæſ.* Infra actionem: *Hanc igitur oblationem famulæ tuæ, quam.* Poſtcom. *Deus qui habitaculum.* p. 126.

(2) Miſſa hæc quoque in ſacramentario *Gallicano* apud MURATORIUM Lit. *Rom.* p. 914. ſeq. habetur ſub titulo *Miſſa pro vivis & pro defunctis*, excepta Præfatione & Poſtcommunione; haud adeo tamen, uti hic, depravata.

(3) Gall. *ſolutis debito mortis, quorum eleemoſynas erogandas ſuſcepimus*: ſic & in ſeqq. legendum.

Digitized by Google

menter exaudi, & ſupplicationem noſtram efficaciter comple: ſuſcipe propitius oblationem atque eleemoſynas, quas ante altare tuum pro fratribus & ſororibus noſtris offerimus, ſeu & pro cunctis benefactoribus noſtris, quorum eleemoſynas erogandas ſuſcepimus, & quorum animas ad memorandas conſcripſimus, vel nomina ante ſanctum altare tuum adſcripta eſſe videntur, ſive vivorum ſive defunctorum, & fidelibus tuis, pro quibus oblatio cunctis proficiat ad ſalutem. Per. (1)

Præfatio.

VD. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus qui vivificas mortuos, (&) vocas ea quæ non ſunt, tamquam ſint, qui facis ſpem, ubi ſpes non eſt; Tu enim Dne, & mortis & vitæ habes poteſtatem, & deducas (l. *deducis*) ad portas mortis, & reducis per regentem ex mortuos, (2) per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum; qui es (l. *eſt*) ſpes omnium, vita credentium & reſurrectio mortuorum, & in quo nos non ſolum pro viventibus, ſed ecce iam (l. *etiam*) pro defunctis preces fundere & miſericordiam tuam ſperare voluiſti. Unde nunc, Domine, refrigeria ac deſiderata remedia famuli tui ill. ſacrificia redemptionis adhibemus, (3) obſecrantes, ut ſicut ei potentiam tuam manifeſtaturus es in reparatione: ita iam nunc miſericordiam tuam oſtendas in requie. Per quem . . .

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, quam tibi offerimus, Domine, pro fratribus & ſororibus noſtris, ſeu pro omnibus benefactoribus noſtris, vel pro his, qui nobis propria crimina vel facinora ante tuam Maieſtatem confeſſi fuerint, vel pro his, qui ſe in noſtris orationibus commendaverunt, tam pro vivis, quam & ſalutis debitum mortis, quorum eleemoſynas erogandus ſuſcepimus, & quorum animas ad memorandum conſcripſimus, vel quorum nomina ante ſanctum altare tuum adſcripta eſſe videntur, quæſumus Dne, ut convenerint (l. *cum venerint*) ante thronum Maieſtatis tuæ, cum Sanctis & Electis tuis præmium æternæ vitæ percipiant portionem, Dieſque noſtros &c.

Poſt Comm.

Deus omnipotens (l. *ſuper*) vota humilia, atque ſupplicationes noſtras dexteram tuæ Maieſtatis extende, & animabus famulorum famularumque tuarum tam pro vivis, & pro ſolutis debitum (*debito*) mortis, quorum confeſſiones vel eleemoſynas erogandi (*erogandas*) ſuſcepimus, & quorum (*animas*) ad memorandum conſcripſimus, vel quorum nomina ante ſanctum altare tuum adſcripta eſſe videntur, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur. Per.

Miſſa pro ſalute unius vivi.

Omnipotens ſempiterne Deus, miſerere famulo tuo ill. & dirige eum ſecundum

---

(1) Sequens Præfatio extra ordinem hic videtur poſita, unice enim fere ad unum defunctum ſpectat.

(2) Leg. *per reſurgentem ex mortuis Dnum &c.*

(3) Forte leg. *famulo tuo per ſacrificia.*

Digitized by Google

dum tuam clementiam in viam ſalutis æternæ; ut te donante tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat. Per. gg.

Secreta.

Proficiat, Dne quæſumus, hæc oblatio, quam tuæ ſupplices offerimus maieſtati, ad ſalutem famuli tui ill. ut tua providentia eius vita inter adverſa & proſpera ubique dirigatur. Per. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus: implorantes tuæ maieſtatis miſericordiam, ut famulo tuo ill. veniam ſuorum largiri digneris peccatorum: ut ab omnibus inimici vinculis liberatus, tuis toto corde inhæreat mandatis, & te ſolum ſemper tota virtute diligat, & ad tuæ quandoque beatitudinis viſionem pervenire mereatur. Per. Xpm.

Ad Commun.

Sumentes Domine, perpetuæ ſacramenta ſalutis, tuam deprecamur clementiam: ut per ea famulum tuum ill. ab omni adverſitate protegas. Per. gg.

Alia.

Famulum tuum ill. quæſumus Domine, tua ſemper protectione cuſtodi: ut libera tibi mente deſerviat, & te protegente a malis omnibus ſit ſecurus. Per. gg.

Miſſa votiva in Sanctorum feriis. (1)
(*San-Gall. commemoratione.*)

Omnipotens & miſericors Deus, cui redditur votum in Hieruſalem: per merita & interceſſionem beati ill. Martyris tui exaudi preces famuli tui ill. memor eſto ſacrificii eius, pingue fiat holocauſtum eius. Tribue ei, quæſumus, divitias gratiæ tuæ, comple in bonis deſiderium, corona eum in miſeratione & miſericordia, tibique Domino pia devotione iugiter famuletur. Ignoſce ei facinora, & ne lugenda committat, paterna pietate caſtiga. Per. *Gall.*

Secreta.

Exaudi, omnipotens Deus, deprecationem noſtram pro famulo tuo ill. qui in honore ſancti ac beatiſſimi ill. oblationem tibi offert: ut per eius merita vota (S. Gall. *ſua vota perficias*) petitiones eius aſcendant ad aures clementiæ tuæ, & deſcendat ſuper eum pia benedictio tua; ut ſub umbra alarum tuarum protegatur, & orationes noſtræ, te propitiante, non refutentur, ſed (*in*) omnibus (*ei*) auxiliare atque defende. Per. *Gall.*

Præfatio.

VD. Cuius potentia deprecanda eſt, miſericordia adoranda, pietas amplectenda, opera magnificanda; quis enim diſputare poteſt opus omnipotentiæ tuæ? Sed nos, in quantum poſſumus, miſeri, territi quidem de conſcientia, ſed fidi de tua miſericordia, clementiam tuam ſuppliciter deprecamur, ut famulo tuo ill. intercedente ſancto ill. Confeſſore tuo, remiſſionem peccatorum tribuas, opus bonum perficias, admiſſa condones, concedasque eidem ſervo tuo ill. (*ut*) per cuius commemorationem remedium poſtulat,

---

(1) Damus hic ex *Rhenaugienſi* & *San-Gallenſi* codd. hanc Miſſam, quam etiam integram fere exhibet ſacramentarium *Gallicanum* ſæpe citatum, licet cum variationibus: cui ſubiungimus aliam ex eodem *Rhenaugienſi*, huic in multis ſimilem, ex qua etiam hinc inde corrigenda eſt.

lat, ad vota deſideriorum tuorum perveniat: præſta, omnipotens Deus, ſupplicanti indulgentiam, poſtulanti veniam, poſcenti vitam ſempiternam. Per Xpm. *Gall.*

Poſt Comm.

Muneris tui divini percepti (S. Gall. *divini largitate percepta*, forte leg. *perceptione*) quæſumus Dne, ut devotionem famuli tui ill. confirmes in bono, & mittas ei auxilium de Sancto, & de Sion tuere (*tuearis*) eum. Per.

Miſſa pro eis, qui ſibi in corpore vivi Miſſam cantare rogant.

Exaudi, omnipotens Deus, deprecationem noſtram ante conſpectum Sanctorum tuorum, ſpecialiter pro famulo tuo ill. qui in honore S. Pauli ac beatiſſimi Georgii oblatam offerat (*ſic*) vota proficiat; petitiones eius aſcendant ad aures clementiæ tuæ Dne, & deſcendat ſuper eum pia benedictio tua: ut ſub umbra alarum tuarum protegatur, & orationes noſtræ a te proficientes non refutentur, ſed in omnibus auxiliare atque defendere digneris. *Vid. ſupra Secreta.*

Secreta.

Auditis nominibus offerentium, fratres kariſſimi! rogemus Deum Patrem omnipotentem, ut oblationem famuli tui ill. inter Sanctorum tuorum dona conſtituas, per (*omit.*) quorum ſuffragia pia devotione poſtulamus. Per.

Poſt Commun.

Famulos tuos, quæſumus Dne, tua ſemper gratia benedicat, & inculpabiles ad vitam perducat æternam. Per.

Benedictio tua, Domine ſuper famulo tuo ill. copioſa deſcendat, & quia (l. *qua*) ſubiectis cordibus expedit (l. *expetit*) largiter conſequatur. Omnipotens ſicut ſuperbis reſiſtis, ſic ſuper famulo tuo ill. gratiam benignus impendas. Per.

Item alia Miſſa votiva. (1)

Omnipotentem Deum noſtrum fuſis precibus exoramus, Domine, pro famulo tuo ill. votum optabile deſiderio, ut ei, Dne, impleas petitionis affectum, preces eius exaudias, deſideria compleas, vota ſuſcipias, & propitius peccata dimittas:

---

(1) Has tres Miſſas votivas pro ſalute unius vivi ex *Rhenaugienſi* damus, prout ibi continentur, ſatis mendoſas; neque eas aliunde emendare facile licet, cum nec in editis, nec in Mſſ. aliis habeantur, ſi pauca ex ſacramentario *Gallicano* deſumta excipias. Sequentes duas ex *San-Gallenſi* hic ſubiicimus.

Miſſa pro amico votiva.

Da, quæſumus Dne, famulo tuo ill. ſanitatem mentis & corporis, da vitare, quod nocet, & amare quod ſalvet: da, ut bonis operibus inhærendo & benedici mereatur, & tua virtute defendi. Per.

Secreta.

Suſcipe, clementiſſime Pater! hoſtiam placationis & laudis, quam ego indignus & peccator famulus tuus tibi offerre præſumo ad honorem & gloriam nominis tui, ſive pro incolumitate famuli tui; ut omnium delictorum ſuorum veniam conſequi mereatur. Per.

Ad Commun.

Divini muneris largitate ſatiati quæſumus, Dne, ut devotionem famuli tui ill. confirmes in bonis, & mittas ei auxilium de ſancto, & de Sion tuearis eum. Per.

Miſſa pro Amico.

Deus infinitæ miſericordiæ, & bonitatis immenſæ! propitiare peccatis famuli tui ill. & omnibus animæ eius medere languoribus: ut miſerationum tuarum remiſſione percepta, in tua indulgentia lætetur. Per.

Secreta.

Suſcipe, Dne, propitius hoſtias famuli tui ill. indulgentiam pro peccatis ſuis poſtulantis: quibus & te placari voluiſti, & illi ſalutem animæ petenti potenti pietate reſtitui. Per.

Ad Commun.

Muniat, quæſumus Dne, famulum tuum ill. pro cuius iniquitatibus miſericordiam tuam deprecamur, ſumti vivificatio ſacramenti: ut a vitiis omnibus expiatus, in tua religione devotus permaneat. Per.

Digitized by Google

tas: ut dum pietatis intuitu placabilis oculis eius intentionem reſpexeris, votum ipſius eius orationi adcommodes, & libens ſuſcipias preces. Per.

Secreta.

Adeſto, omnipotens & miſericors Deus, invocationibus noſtris, & hanc famuli tui ill. oblationem propitius adſume: & quia non habet fiduciam, (*niſi per*) miſericordiam tuam & Sanctorum tuorum ſuffragia, quæſumus Domine, per hæc pia oblationis officia plenam indulgentiam atque perpetuam miſericordiam conſequi mereatur. Per.

VD. Et te ſuppliciter rogare per (l. *pro*) amantiſſimos caroſque noſtros ill. qui religioſo corde ac devoto tibi ſperant ſervire, miſerere, omnipotens Deus, famulos tuos libenter adhærentes tibi; præterita, præſentia, in quibus offendunt, eis remitte peccata, & gratiam pietatis tuæ ſenſibus & cordibus eorum largiter infundere digneris, & proſpera vita præſentibus vota incedunt, & vivant termi-nos, illius vita per angelica gradiantur mandata, & te adiuvante perfecta vita & perfectis actis placeant tibi, æterni regni inter Sanctos & Electos capiant præmia. Per Chriſtum.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem famuli tui ill. quam tibi offerimus pro peccatis atque offenſionibus eius in remiſſionem omnium peccatorum conſequi mereamur. quæſumus Domine. Per.

Poſt Comm.

Indulge, Domine, petentibus nobis pro famulo tuo ill. da indulgentiam poſcenti, ut ſecura mente Domino Deo noſtro victima pro ipſo tibi offerre valeam, ut pro delictis ſuis veniam obtineat ſanitatis, te ſancte Pater munera conſecuta ad ſalutem gratiæ æternæ poſſit cum tuo adiutorio pervenire.

Miſſa votiva cum Lectione. (1)

Deus, cui accepta ſunt vota & munera, fratres cariſſimi, exoramus, ut votum

---

(1) Leg. *cum Oblatione.* Differt hæc Miſſa a *Gelaſ.* L. III n. 48. p. 191. ſeq. *pro his, qui Agape faciunt*: quo titulo etiam, pluribus additis orationibus, cum altera Miſſa *unde ſupra* i. e. eiusdem argumenti habetur in *San-Gallenſi*, præciſior in *San-Blaſiano* inſcripta, *pro eleemoſynas facientibus.* Sequuntur ibi aliæ, in certis ſaltem orationibus diverſæ ab iis, quæ partim in *Gelaſiano*, partim hodieque in Miſſali *Rom.* leguntur, quas hic ex eod. cod. *San-Gallenſi* triplicis ritus damus.

Oratio pro Agapem faciente.

Sanctum ac venerabilem retributorem bonorum operum Dominum deprecemur pro filio noſtro ill. qui de ſuis iuſtis laboribus victum indigentibus adminiſtrat: ut Deus cœleſtis ei ſua miſericordia recompenſet terrenam eleemoſynam, & ſpiritales divitias largiatur: tribuat ei pro parvis magna, pro terrenis cœleſtia, pro temporalibus ſempiterna. Per. *g.*

Miſſa unde ſupra.

Deus, qui poſt baptiſmi ſacramentum ſecundam abolitionem peccatorum eleemoſynis indidiſti: reſpice propitius ſuper famulum tuum ill. cuius operibus tibi gratiæ referuntur: fac eum præmio beatum, quem feciſti pietate devotum. Per. *g. gg.*

Alia.

Deus, qui homini ad tuam imaginem facto etiam ſpiritalem alimoniam præparaſti: concede filio noſtro famulo tuo ill. qui in pauperes tuos tua ſeminat dona, ut veros metat ſuorum operum fructus, & largitatis hodiernæ compenſatio ipſi perpetua conferatur, recipiatque pro parvis magna, pro terrenis cœleſtia, pro temporalibus ſempiterna. Per. *g.*

Secreta.

Deus, qui tuorum corda fidelium per eleemoſynam dixiſti poſſe mundari: præſta, quæſumus, ut huius

votum ſervi tui ill. dignanter accipias: tribue ei divitias gratiæ tuæ, ab omnibus periculis eum liberare iubeas, tuearis ac defendas, protegas & confortas diebus ac noctibus, horis atque momentis: da ei auxilii tui præſidium iuxta evangelicam vocem, ut, quod precatur, obtineat, & quod impetratur, agnoſcat. Per.

Secreta.

Domine, qui per os David locutus es:

---

conſortes (al. *conſortiis*) ſacramenti ad conſcientiæ ſuæ fructum non gravare ſtudeant miſeros, ſed iuvare. Per. g. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus: devotis omnipotentiam tuam mentibus obſecrantes, ne ſenſus noſtri bonorum colore fallantur, & ne ſub inanis opinionis effectu ſalutiferæ perdamus officium pietatis, & non ſub imagine conſulendi percellamus afflictos, nec opem ſanis de infirmorum læſione quæramus, quod abſit; nec per ſpeciem pietatis exercenda crudelitas, nec doleamus vitare quod iniquum eſt, ſed intelligentes ſublatam nobis peccati materiam potius gaudeamus. Per Xpm.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Dne, famuli tui ill. quam tibi offert de iuſtis eleemoſynis ſuis, quas in pauperes tuos operatur, ut placatus ſuſcipias deprecamur; pro quo maieſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut adiicias ei tempora vitæ, ut per multa curricula annorum lætus tibi in pauperes tuos hæc operetur, atque annua vota tibi perſolvat, per Xpm D. N. quam oblationem &c. g.

Ad Complendum.

Omnipotens ſempiterne Deus! reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum ill. qui in pauperes tuos hæc operatur, virtute cuſtodias, poteſtate tuearis: ut per multa curricula annorum lætus tibi in pauperes tuos hæc operetur. Per. g.

Alia.

Concede nobis, omnipotens Deus! & in his, quæ tibi placent, fixam tenere conſtantiam, & tua ſemper protectione muniri. Per.

Alia.

Tu rege, Dne quæſumus, famulum tuum, tu guberna propitius, tu miſeratus attolle: ut non in homine ſperando deficiat, ſed in divino munere confidendo tua ſemper bonitate ſubſiſtat. Per.

Alia. GG.

Omnipotens & miſericors Deus! famulos tuos placatus intende, qui recolentes divina mandata opem indigentibus ſubminiſtrant, ut ſicut eorum devotio nobis eſt neceſſaria, ita ſit tibi ſemper accepta. Per. gg.

Item alia Miſſa unde ſupra.

Da, Dne, famulo tuo ill. ſperata obtinere ſuffragia: ut qui tuos pauperes vel tuas eccleſias memoravit, Sanctorum omnium ſimul & beati Laurentii Martyris tui mereatur conſortia, cuius nunc eſt exempla ſecutus. Per.

Secreta.

Hanc, quæſumus Dne, oblationem ſuſcipe, quam tibi offerimus pro famulo tuo ill. qui de ſuis iuſtis laboribus eccleſiis tuis adminiſtrat: tribue ei pro parvis magna, pro terrenis cœleſtia, pro temporalibus ſempiterna. Per.

Ad Commun.

Omnipotens ſempiterne Deus! reſpice propitius preces noſtras pro anima famuli tui ill. qui eccleſiis tuis eleemoſynas tribuit: fac eum præmio beatum, quem feciſti pietate devotum. Per.

Miſſa pro amicis viventibus.

Deus, qui caritatis dona per gratiam ſancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infundis: famulo tuo ill. omnibusque in corpore ſeu extra corpus viventibus, qui ei carnis affectu & ſpiritu coniuncti, vel dando, aut confitendo ob timorem nominis tui commiſſi ſunt, quorum numerus & nomina tibi univerſitatis Dno nota ſunt: Da, quæſumus, remiſſionem omnium peccatorum, ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur. Per D. in unitate eiusd. gg.

Secreta.

Suſcipe, Dne, propitius oblationem, quam tibi offerimus pro famulo tuo ill. & univerſis in corpore, ſeu extra corpus manentibus, qui illi carnis & ſpiritus familiaritate & confeſſione propter nomen tuum commendati ſunt, quorum numerum & nomina ſcis, qui omnia noſti: & concede, ut & his dormientibus in Chriſto proſit ad veniam, & vivis proficiat ad medelam. Per.

Ad Commun.

Purificet nos, quæſumus Domine, divini perceptio ſacramenti, & intercedentibus beatorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Patriarcharum, Prophetarum, cunctorumque cœleſtium civium meritis, famulo tuo ill. quæſumus Dne, omnibusque ſuperſcripta conditione ei adhærentibus, quorum commemorationem agimus, remiſſionem cunctorum tribue peccatorum. Per D.

Digitized by Google

es: vovete & reddite Domino Deo veſtro, fratres cariſſimi! ſuppliciter exoramus, ut famulum tuum ill. *nomen*, (i. e. *ponatur nomen*) vigilanter cuſtodias, tuearis, & optata oblationes, quam pro ipſo ei offerimus, interveniente ſancto illo clementer ac benigniter accedat (1) cor famuli tui ill. ignem amoris ac timoris vel deſiderii ſui, & ut ſancta Patriarcharum exempla imitetur, efficiat in bonis operibus teſtimonium, firmus ſtabilis perſeveret. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus: Te laudare, te benedicere, qui das eſcam omni carni, in quo eſt ſalus omnium populorum: cui Abel munera obtulit, cui Iacob votum vovit & reddidit. Miſerere Domine ſervo tuo ill. & circumda eum ſcutum & arma fidei; ſalva eum ab inimicis & a laqueis mortis, qui es in te ſperantium auxiliator. Inmitte in eum Spiritum ſanctum rectum ſapientiæ, & intellectus; de rore cœli & de pinguedine terræ tribue hæreditatem benedictionis æternæ, ut maneat in ſenſu eius pax vera, fides firma, caritas non deficiens, humilitas præcipua, manſuetudo & patientia, Dei ac proximi dilectio integra. Propitius eſto famulo tuo ill. evacua ab eo (*eum*), quæſumus, omnibus malis, & eum reple omnibus bonis: tribue in ſenſu eius quod diligis, & miſericors repelle quod odis. Sicut liberaſti ſervum tuum Moyſen cum filiis Iſrael de manu Pharaonis regis Ægypti, ita famulum tuum ill. liberare digneris de omnibus vitæ huius periculis; & ne tradas eum in manibus tribulantium vel inſurgentium in ſe. Tu es enim Deus, qui nullum hominem vis perire, ac iuſti in præconio tuo (*tui*) nominis cum choro perpetuo Cherubim & Seraphim conlaudant dicentes: Sanctus Sanctus Sanctus.

Poſt Commun.

Deus, qui es initium & finis, da profectionem ſervo tuo ill. per quem tibi in honore ſancti Archangeli Michaelis, vel omnibus Sanctis tuis votorum munera offerimus: ut ſub ope dexteræ tuæ ubique protegatur. Emitte ei auxilium de ſancto, & de Sion tuere eum, & auge illi felicitatis tempora longæva, qui Ezechiel ter quinos annos auxiſti (*ad*) vitam: tribue ei, Dne, gratiam tuam, & dele ei chirographum peccatorum ſuorum.

Item alia Miſſa pro devoto.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus noſtris, & hanc famuli tui ill. oblationem benignus adſume: ut auxilium tuæ miſerationis imploret, & ſanctificationis gratiam referat, & quæ pie precamur, obtineat.

Iteramus, omnipotens Deus, deprecationem noſtram, quam ſpecialiter pro famulo tuo ill. in honore Sancti tui ill. facimus, offerentes tibi hoſtiam placationis & laudis. Tu clementiſſime Pater, vota perficias, petitiones noſtræ aſcendant ad aures clementiæ tuæ, & deſcendat ſuper eum pia ſanctificatio atque protectio tua, ut inter omnes vitæ huius veritates (l. *varietates*) tuo ſemper protegatur auxilio. Per. *Gall.*

 Secreta.

(1) l. *accendat cor famuli tui ill. igne.*

Secreta.

Grata ſit tibi, Domine, hæc oblatio famuli tui ill. quam tibi offerimus in honore beati Martyris tui ill. quæſumus, eidem proficiat ad ſalutem. Per.

Præfatio.

VD. Sancte Pater omnipotens Deus! per Chriſtum Dominum noſtrum te laudare, te benedicere, teque glorificare, tuæ Maieſtati ac voluntati ſemper obtemperare, in quo eſt ſalus omnium populorum: cui Abel munera obtulit, cui Abraham holocauſta offerre decrevit, cui Iacob votum vovit & reddidit. Miſerere, Domine, famulo tuo ill. qui in honore ſancti tui ill. votorum munera offert, ut per ſuffragia orationum Sanctorum tuorum te protectorem ſuum ſemper agnoſcat, & ſui auxilii opera indeſinenter inveniat, in illud gloriatur (Gall. *illum glorietur*) recipere præmium, cui devotum pectus decrevit ad altam contemplationem ſuſpendere. Tu es enim Deus, qui nullum tibi perire vis, ſed omnibus reddis magna pro parvis, pro morte vitam, pro pœna gloriam, pro votorum officiis præmia ſempiterna. Per. *Gall. vid. mox ſupra.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem famuli tui ill. quam tibi offerimus pro peccatis atque offenſionibus eius, ut conſequi mereatur remiſſionem omnium peccatorum, quæſumus Domine, placatus accipias. *gg.*

Poſt Comm.

Purificent nos, Domine, ſacramenta, quæ ſumſimus, & famulum tuum ill. ab omni culpa liberum eſſe concede: ut qui conſcientiæ reatu conſtringitur, de cœleſtis remedii plenitudine glorietur. Per. *gg.*

Huius, Dne quæſumus, virtute myſterii, & a propriis emundemur occultis, & famulum tuum ill. ab omnibus abſolve peccatis. *gg.*

Miſſa votiva pro remedio animæ. (1)

Deus, qui iuſtificas impium, & non vis mortem peccatorum: Maieſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut famulum tuum ill. de tua miſeratione confidentem cœleſti protegas benignus auxilium (*auxilio*); & aſſidua eum protectione conſerva, ut tibi iugiter famuletur, & nullis tentationibus a te ſeparetur. Per. *gg.*

Secreta.

Suſcipe, clementiſſime Pater! hoſtias placationis & laudis, quas ego peccator & indignus tuus famulus tibi offerre præſumo ad honorem & gloriam nominis tui, & incolumitatem famulo tuo (l. *famuli tui*) ill. ut omnium delictorum ſuorum veniam conſequi mereatur. Per. *ſupra p.* 282.

Præfatio.

VD. qui factus eſt pro mundo, & expiavit effuſione ſanguinis ſui peccata hominum. Per eum te igitur deprecor, omnipotens Deus! ut hæc oblatio, quam tibi pro famulo tuo ill. offerimus, ſit in oculis tuis ſemper accepta; & ſicut Sanctis tuis, quorum fides recta, pervenit (l. *provenit*) ad coronam, ita eum te iubente perducat ad veniam, ut mereatur per hoc ſacrificium a cunctis emundare (l. *emundari*) ſordibus delictorum, & reconciliatus (l. *reconciliatum*) tibi per Chriſtum ſereno

(1) Ita in *Rhenaugienſi* inſcribitur, ſed in aliis tantum *votiva*, vel *pro voto*, & quidem pro pluribus, qualem mox ex *San-Blaſiano* dabimus.

Digitized by Google

ſereno vultu reſpicias, & omnia eius peccata dimittas, ſeveritatem quoque iudicii tui ab eo clementer ſuſpendas, & miſerationis tuæ largitatem ſuper eum clementer infundas. Per Chriſtum.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, Dne, quam tibi offerimus pro incolumitate famuli tui ob devotionem mentis ſuæ, pius ac propitius clementi vultu reſpicias, tibi vivere ſupplicantes libens protege, dignanter exaudi, & æterna protectione eum conſerva, ut ſemper tua religione lætus inſtanter in ſancta Trinitate (&) confeſſione fidei catholicæ perſeveret: quæſumus Dne, placatus accipias, & miſerationis tuæ largitatem concedas, ut fiat ei ad veniam delictorum & (f. *per*) hanc tuam emundationem, ut & tibi valeat vivere, & ad æterna gaudia pervenire: dieſque noſtros &c.

Poſt Commun.

Omnipotens & miſericors Deus, hoſtias placationis (&) pia obſequia deferimus pro famulo tuo ill. deprecamur, ut ei proficiant ad ſalutem, & hoc munus adſumtum ſit ſalus omnium animarum, mentium & corporis ſubſidium, & cœleſtis deſiderii ſine fine gloriatio. Per.

Alia Miſſa votiva. GG.

Deus, *qui iuſtificas &c.* Ut ſupra, in plurali.

Secreta.

Suſcipe &c. ut ſupra: in vulg. Gregor. eſt alia

Præfatio.

VD. æterne Deus: qui es iuſtorum gloria & miſericordia peccatorum: pietatem tuam humili prece depoſcimus, ut famulos tuos benignus reſpicias, & pietatis tuæ cuſtodiam impendas; ut ex toto corde, & ex tota mente tibi deſerviant, & ſub tua protectione conſiſtant. Per Xpm.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, quam tibi offerimus pro famulis tuis, ut remiſſionem omnium peccatorum ſuorum conſequi mereantur, quæſumus Dne, ut placatus accipias, & miſerationis tuæ largitate concedas, ut fiat illis ad veniam delictorum, & ad optatam emundationem, ut hic bene valeant vivere, & ad æternam beatitudinem pervenire. Dieſque noſtros.

Ad Comm.

Purificent nos, quæſumus Dne, ſacramenta, quæ ſumſimus, & famulos tuos ab omni culpa liberos eſſe concede: ut qui reatu conſcientiæ ſuæ conſtringuntur, cæleſtis remedii plenitudine glorientur. Per. gg. ſupra pag. 286.

Miſſa pro iter agentibus (1)

Preces noſtras, quæſumus Dne, clementer exaudi: & inter huius vitæ adver-

(1) Addimus hic ex *San-Gallenſi* ſequentes Miſſas pro iter agentibus. Orat. *Preces noſtras.* ut ſupra. Alia: *Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus! propitiare digneris ſupplicationibus noſtris, & mitte angelum tuum ſanctum nobiſcum, qui nos a cunctis adverſitatibus protegat, & in ſervitio ſancti nominis tui ubique cuſtodiat: ut nullus nos in via noſtra decipiat inimicus, ſed ut mereamur ab omni hoſte triumphum, & tuæ miſerationis ſemper ſubſidium, quatenus tua iuſſa complentes, ſoſpites ad propria redeamus, per te Ihu Xpe, qui cum Patre &c.* Secreta: *Propitiare.* Ad Comm. *Sumta Dne.* Alia: *Exaudi Dne.* ut ſupra.

Alia Miſſa.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus. g. gg. *ut in miſſali.*

Digitized by Google

verſitates atque diſcrimina famulos tuos N. ambulantes tua pietate cuſtodi. Per.

Secreta.

Propitiare, Dne, ſupplicationibus noſtris, & hanc oblationem, quam tibi offerimus pro famulis tuis N. benignus aſſume: & ut gratia tua præcedente viam illorum dirigas, & ſubſequente ab omni adverſitate cuſtodias. Per. g. & g g. var.

Ad Comm.

Sumta, Dne, cæleſtis ſacramenti myſteria, quæſumus, ut ad proſperitatem itineris famulorum tuorum proficiant. Per.

Alia.

Exaudi, Dne, preces noſtras, & iter famulorum tuorum propitius comitare, atque miſericordiam tuam, ſicut ubique es, ita ubique largire: quatenus a cunctis adverſitatibus tua opitulatione defenſi, gratiarum tibi referant actionem. Per. g. gg.

[*Unde ſupra alia Miſſa.*

Exaudi, Dne, preces &c. *Ut ſupra.*

Secreta.

Proficiat, quæſumus Dne, hæc oblatio, quam tuæ ſupplices offerimus Maieſtati ad ſalutem famulorum tuorum: ut tua providentia eorum via inter adverſa & proſpera ubique dirigatur. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui famulo tuo Tobiæ olim Angelum tuum Raphael ducem itineris præbuiſti: omnipotentiam tuam, Dne, humiliter imploramus, ut profectionem ſervorum tuorum cum ſuis omnibus proſpere dirigas, eosque Angelorum ſanctorum præſidio tueri non deſinas: quatenus ubicunque diſcurrerint (*vel pervenerint*) nulla diſcrimina perturbationum incurrant, ſed ſub tui nominis tuitione muniti, a cunctis protegantur hoſtibus liberati, per Xpm.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Dne, quam tibi offero pro incolumitate famulorum tuorum, & omnium ſuorum, quæſumus, ut

Alia.

Deus, qui diligentibus te miſericordiam tuam ſemper impendis, & a ſervientibus tibi in nulla es regione longinquus: dirige viam famuli tui in voluntate tua, ut te protectore, te præduce per iuſtitiæ ſemitas ſine offenſione gradiatur. Per. *g. gg.*

Secreta.

Propitiare Dne &c. *g. gg. ut in miſſali.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui properanti Iacob ſufficiens felicitatis commodum per itinera direxiſti, cuiusque per viæ curſum curam ſollicitudinemque dignatus es gerere, nec non & Tobi famulo tuo Angelum tuum ducem prævium præſtitiſti. Quapropter omnipotentiam tuam, Dne, humiliter imploramus, ut ita profectionem famuli tui ill. cum ſuis omnibus dirigere, eumque in itinere cuſtodire digneris; quatenus Angelorum tuorum præſidio fultus, comitatu quoque Sanctorum tuorum munitus, nullum periculum per ſpatia terræ, aut per iuga montium, anguſta vallium, vadaque fluminum, venena ſerpentium, vel impetum beſtiarum incurrat: ſed ſub tuo nomine ab omnibus malis defenſus, ad locum deſtinatum perveniat, & opportuni temporis iterato repetitu ad propria revertendo ſuffragii tui mereatur adipiſci cuſtodiam. Per Xpm. *Gallic.* p. 904.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Dne, famuli tui ill. quam tibi offert pro ſalute famuli tui ill. ut placatus ſuſcipias deprecamur: pro quo Maieſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut eum confirmato pacis fœdere cum omni gaudio ad nos quantocius facias remeare. Quam oblationem &c. g.

Poſt Commun.

Tua, Dne, ſperantes in te, quæ ſumſimus, ſacramenta cuſtodiant: & contra adverſos tueantur incurſus. Per.

Digitized by Google

ut placatus accipias, pro quibus Maieſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut Angelum pacis illis adhærere præcipias, cuius ſuffulti auxilio incolumes iter agentes, ad propria valeant remeare. Per Xpm.

Ad Comm.

Tuere, Dne, famulos tuos, omnesque cum eis in te ſperantes, quæ ſumſimus, ſacramenta cuſtodiant, & contra omnes adverſitatum tueantur incurſus. Per.

Alia.

Deus, qui ſperantibus in te miſericordiam tuam ſemper impendis, & nuſquam es ſervientibus tibi longinquus: concede famulis tuis & ſuis omnibus proſperum iter; ut te protectore & duce per iuſtitiæ callem ſine offenſione gradiantur. Per.] *g. gg. var. ſupra.*

Alia Miſſa Ambroſiana.

Adeſto, Dne, ſupplicationibus nris, & iter famuli tui ill interno diſcretionis moderamine ubique regendo diſpone, ſicque miniſterium eius pio favore proſequere; quatenus eum a tuis præceptis non patiaris deviare, per.

Super Oblat.

Famulum tuum ill. quæſumus Dne, hæc tueantur ubique gradientem oblata ſacrificia; quæ totius mundi interna virtute compeſcuere naufragia, per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! a quo deviare mori, coram te ambulare vivere eſt: qui fideles tuos in tuam viam ducis, & miſeratione gratiſſima in veritatem deducis; qui Abrahæ, Iſaac & Iacob in præſentis viæ & vitæ curriculo cuſtos, dux, & comes eſſe voluiſti, & famulo tuo Tobi Angelum prævium præſtitiſti: cuius immenſam miſericordiam humillimis precibus imploramus, ut iter famuli tui ill. cum ſuis in proſperitate dirigere, eumque inter viæ & vitæ huius varietates digneris cuſtodire; quatenus Angelorum tuorum præſidio fultus, interceſſione quoque Scorum tuorum munitus, a cunctis adverſitatibus tua miſeratione defenſus, protectionis & reverſionis ſuæ felicitate potitus, & compos reddatur iuſtorum votorum, & de ſuorum lætetur remiſſione peccatorum, per Xpm. *gg.*

Infra Act.

Hanc igitur oblationem, Dne, famuli tui ill. quam tibi offert ob deſiderium animæ ſuæ, commendans tibi Deo iter ſuum, ut placatus ſuſcipias deprecamur: cui tu, Dne, Angelum tuum ſcm mittere digneris, ſicut miſiſti famulo tuo Tobi Raphael Angelum, qui eum ſalvum atque incolumem perducat uſque ad loca deſtinata, & iterato tempore opportuno, omnibusque rite peractis, reduci eum facias in tuam ſanctam eccleſiam, & lætus tibi ſerviat, & nomini tuo gratias agat. Diesque noſtros.

Ad Commun.

Sumta, Dne, cœleſtia ſacramenta, quæſumus, ad proſperitatem itineris famuli tui proficiant, & eum ad ſalutaria cuncta perducant. Per. *gg. ſupra.* (1)

[*Miſſa*

(1) *Aliæ Orationes pro iter agentibus.*

Deus, infinitæ miſericordiæ & Maieſtatis immenſæ, quem nec ſpatia locorum, nec intervalla temporum ab his, quos tueris, abiungunt: adeſto famulis tuis in te ubique fidentibus, & per omnem, quam ituri ſunt, viam dux eis & comes eſſe dignare: nihil illis adverſitatis noceat, nihil difficultatis obſiſtat, cuncta eis ſalubria, cuncta ſint proſpera, & ſub ope dexteræ tuæ, quicquid iuſto expetierint deſiderio, celeri conſequantur effectu, per D. N. *g. gg.*

Alia.

Exaudi, Dne, preces nras, & profectionem famuli tui ill. qui ſemper es & ubique, proſperari concede: ut ab omnibus adverſitatibus tua opitulatione defenſus, iuſtorum deſideriorum potiatur effectibus, per. *g.*

Alia.

Exaudi nos, Dne Deus noſter, & viam famuli tui ill. in ſalutis dignare proſperitate dirigere; ut inter omnes varietatum caſus ſæcularium, tuo ſemper protegatur auxilio, per.

Orationes propriæ Iter agentium.

Dne ſce Pater omnipotens æterne Deus! qui es ductor Sanctorum, & dirigis itinera Iuſtorum: dirige Angelum pacis nobiſcum, qui nos ad loca deſtinata perducat: ſit nobis comitatus iucundus, ut nullus viæ nræ ſubripiat inimicus; procul a nobis ſit malignorum acceſſus, & comes nobis dignetur eſſe Spiritus ſanctus, per D. in unit. eiusdem.

Alia.

Deus veræ beatitudinis auctor atque largitor! diri-

Digitized by Google

[*Miſſa pro Navigantibus.*

Deus, qui tranſtuliſti Patres nros mare rubrum, & transvexiſti per aquam nimiam; ad laudem nominis tui decantandam, ſupplices deprecamur: ut in hac navi famulis tuis, repulſis adverſitatibus, portum ſemper optabilem, curſumque tranquillum largiaris, per. *gg.*

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, preces famulorum tuorum cum oblationibus hoſtiarum; & tua myſteria celebrantes ab omnibus defende periculis, per. *gg.*

Præfatio.

VD. P. X. D. N. cuius providentia cuncta, quæ per Verbum tuum creata ſunt, gubernantur: dediſti enim in mare viam, & inter fluctus ſemitam, oſtendens, quoniam potens es ex omnibus liberare, etiam ſi ſine rate quis in aquis ſedeat: ſed ut non eſſent vacua ſapientiæ tuæ opera, propter hoc exiguo ligno credunt homines animas ſuas ſalvare, quia tua, Dne, gubernat potentia; nam & omnes, qui tibi placuerunt ab initio, per tuam ſunt ſapientiam liberati, quæ per contemptibile lignum iuſtum gubernans, conſervavit ſine querela. Quæſumus itaque, Dne, ut famulos tuos per hoc navigationis lignum ipſe cuſtodiat, qui pro ſalute mundi pependit in ligno, ut liberatorem datoremque ſuum dignis mereantur præconiis collaudare; per quem Maieſtatem.

Ad Comm.

Sanctificati divino myſterio Maieſtatem tuam, Dne, ſuppliciter deprecamur & petimus: ut quos donis facis cœleſtibus intereſſe, per lignum ſcæ Crucis & a peccatis abſtrahas, & a periculis cunctis miſeratus eripias, per. *gg.*] (1)

Miſſa,

---

ge nos in eam, quam immaculati ambulant, viam: ut teſtimonia legis tuæ piis cordibus exquirentes, perſeveremus & diligere quæ præcipiunt, & deſiderare quæ ducunt, per Dnm nrm. *g.*

Alia.

Deus, qui Scorum tuorum dirigis greſſus! amove a nobis iniquitatis viam, & noſtri tua lege miſerere: ut non obliti iudicia tua, viam mandatorum tuorum dilatato corde curramus, per. *g.*

Oratio pro Regreſſis de Itinere.

Omnipotens ſempiterne Deus, noſtrorum temporum vitæque diſpoſitor! famulo tuo ill. continuæ tranquillitatis largire ſubſidium: ut quem incolumem ad propria redire feciſti, tua facias protectione ſecurum, per. gg.

Oratio in Nave.

Propitiare, Dne, ſupplicationibus noſtris, & mitte Angelum tuum de ſummitate cœlorum tuorum, qui liberet navem iſtam cum omnibus navigantibus in ea: perdue eam ad loca deſtinata, ut transactis omnibus negotiis, iterato tempore ad propria revocare digneris cum omni gaudio & effectu, per Dnm.

Alia Oratio transeuntium flumina.

Domine Deus, qui in myſterio aquarum ſalutis tuæ nobis ſacramenta ſanxiſti; exaudi orationem noſtram, & iube præſentium ſedatos eſſe fluctus aquarum, ut profundo nobis in tuo nomine ſubiecto, tua dextera gubernante, litus incolumes attingamus. Per.

Alia.

Deus, cuius dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit, & coapoſtolum eius Paulum tertio naufragantem de profundo pelagi liberavit; exaudi nos propitius & concede, ut amborum meritis huius profundi pericula te adiuvante ſalubriter evadamus. Per Dnm. *g. gg.*

(1) Sequentes Miſſas ex diverſis codd. Mſſ. damus. Primam ex *Rhenaugienſi*, quæ habetur etiam in ſacrament. *Galic.* apud MURATOR. p. 905. & in *San Blaſiano*, ac *San-Gallenſi*, ubi poſt *Deus miſericordiæ* habetur hæc Secreta:

Deus, qui pro ſalute generis humani crucis patibulum pertuliſti, & ſanguinem tuum pro redemtione noſtra fudiſti: preces noſtras placatus & benignus ſuſcipere dignare, & hoc ſacrificium, quod tuæ gratiæ offero, ſereno vultu digneris reſpicere, & miſericordiam tuam mihi concedas: ut cum me de corpore exire iuſſeris, pars iniqua in me non habeat poteſtatem, ſed

Digitized by Google

Miſſa, quam Sacerdos pro ſemetipſo debet canere.

Suppliciter te, Pater omnipotens æterne Deus! qui es creator omnium rerum, deprecor: ut dum me famulum tuum coram omnipotentia Maieſtatis *tuæ ſcis graviter deliquiſſe confiteor, per interceſſionem beatorum Martyrum & Confeſſorum tuorum* manum miſericordiæ tuæ mihi porrigas; quatenus ut hac oblatione, quam tuæ pietati offero, quod nequiter commiſi, clementiſſime digneris abſolvere. Per. *gg.*

Secreta.

Hæc tibi, ſancte Pater! licet meis manibus offeram indignis, qui nec invocatione nominis tui dignus ſum; tamen quia per ſanctum atque ſanctificatum Filii tui nomen oblationes offeruntur, ſicut incenſum in conſpectu tuo cum odore ſuavitatis aſcendant. Per.

Alia.

Deus miſericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, indulge quæſo & miſerere mei: ſacrificium quoque, quod pietatis tuæ gratia humiliter offero, benigne dignare ſuſcipere, & peccata, quæ labentibus vitiis contraxi, pius, & propitius ac miſeratus indulgeas, & loco pœnitentiæ ac flumine lacrymarum conceſſo, veniam a te merear accipere. (*S. Gall.* delictorum.) *Per.* gg.

Conteſtatio.

VD Qui pro amore hominum factus in ſimilitudinem carnis peccati, formam ſervi Dominus adſumpſit, & in ſpecie carnis vulneratæ medicus ambulavit. Hic nobis Dominus & miniſter ſalutis, advocatus & iudex, ſacerdos & ſacrificium. Per hunc te, Dne ſancte Pater! ſuppliciter exoro, ut dum reatum conſcientiæ meæ recognoſco, quod in præceptis tuis prævaricator extiti, & per delictorum meorum facinus corrui in ruinam: tu me, Domine, erige, quem lapſus peccati proſtravit; illumina cæcum, quem tenebræ peccatorum caligine (*tetræ peccatorum caligines*) obſcuraverunt; ſolve compeditum, quem vincula peccatorum conſtringunt. Præſta per ſanctum & glorioſum, adorandum & tremendum Filium tuum Dnum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem Maieſtatem tuam. *gg. Gallic.*

Hanc igitur oblationem, quam tibi offero, Domine, pro peccatis meis nimiis atque offenſis, Maieſtatem tuam totis viribus, Deus piiſſime! humili prece depoſco, dignanter ſuſcipias; orans, ut remittas crimina, quæ caro fragilitate atque tentatione iniquorum ſpirituum nequiter commiſit; etiam reverti ad ea non ſinas ultra, ſed confirma me in iuſtificationibus tuis, & perſeverantiam mihi tribue in illis, & fac me dignum ante conſpectum tuum adſtare, (&) ſacrificium tibi, Domine, caſto corpore & mundo corde digne offerre: quæſumus, Dne, placatus accipias.

Infra actionem alia.

Hanc igitur oblationem ſervitutis meæ, quam tibi offero ego indignus famulus tuus

---

Angelus tuus inter Sanctos & Electos me collocet, per te Ihu Xpe, qui cum Patre. Præfat. *Qui pro amore humani generis &c.* Infra act. *Hanc . . quam ego indignus.* g g. Ad Comm. *Miſericors.* Alia: *Deus qui vivorum &c.* ut ſupra.

tuus pro remiſſione omnium peccatorum meorum, ſuppliciter te, Dne, deprecor, ut placatus accipias, & quem propriæ conſcientiæ reatus accuſat, bonitatis tuæ veniam promerear. Diesque. gg.

Poſt Comm.

Deus vivorum, & Salvator omnium, qui non vis mortem peccatoris, nec lætaris in perditione morientium: te ſuppliciter deprecor intercedentibus Sanctis tuis: ut concedas mihi veniam delictorum meorum, (*gg. ut*) admiſſa defleam, & poſtmodum ultra non admittam; ut cum mihi extremenda (*gg. extrema*) dies finisque vitæ meæ advenerit, mundatis delictis omnibus me Angelus ſanctitatis tuæ ſuſcipiat. Per. *gg. Gallic.*

Alia.

Miſericors & miſerator Dne, qui parcendo ſuſtentas, & ignoſcendo ſanctificas: da mihi per hæc ſancta, quæ ſumpſi, purificationem mentis & corporis, & mearum abſolutionem culparum. Per. gg.

Item alia Miſſa pro ſemetipſo. (1)

Omnipotens ſempiterne Deus! cuius pietatis & miſericordiæ non eſt numerus, qui ſimul cuncta creaſti, qui Verbum tuum pro redemtione humani generis incarnare (l. *incarnari*) voluiſti, qui occulta cordium omnium hominum ſolus agnoſcis: miſerere animæ meæ, miſerere delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Deus, ſed erue eam de manu inimicorum, & de profundo laci & de luto fæcis: ne derelinquas me Domine Deus meus, ne discedas a me, & ne tradas me in animas (al. *manus*) quærentium animam meam, ſed libera eam de manibus anguſtiæ, piiſſime Pater. Per.

Super Oblata.

Exaudi me miſerum, omnipotens æterne Deus! qui dixiſti: caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus; ſanctifica hoc ſacrificium & oblationem, qui corpus ut adſumentes eum (*ſic*) e terre-

(1) Ex San-Gallenſi, *Alia Miſſa Sacerdoti propria.*

Deus fons bonitatis, & pietatis origo! qui peccantem non ſtatim iudicas, ſed ad pœnitentiam miſeratus expectas: te quæſo, ut facinorum meorum ſqualores abſtergas, & me ad peragendum iniunctum officium dignum efficias: & qui altaris tui miniſterium ſuſcepi indignus, perago trepidus, ad id peragendum reddar ſtrenuus, & inter eos, qui tibi placuerunt, inveniar iuſtificatus. Per. *g.*

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus, cuius pietatis &c. Ut ſupra.

Secreta.

Sacrificii præſentis, quæſo Dne, oblatio mea expurget facinora, per quod totius mundi voluiſti relaxari peccata: illiusque frequentatione efficiar dignus, quod ut frequentarem, ſuſcepi indignus. Per. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui dum libenter noſtræ pœnitudinis ſatisfactionem ſuſcipis, ipſe tuo iudicio, quod erramus, abſcondis, & præterita peccata noſtra diſſimulas, ut nobis ſacerdotii dignitatem concedas. Tuum eſt enim, me ad miniſtrandum altari tuo dignum efficere, quem ad peragendum id officium indignum dignatus es promovere: ut præteritorum actuum meorum mala oblitiſcens, præſentium ordinem in tua voluntate diſponens, futuris cuſtodiam imponens, per eum vitiorum ſqualoribus expurges, virtutum nutrimentis exornes, eorum Sacerdotum conſortio, qui tibi placuerunt, adunes, quem conſtat eſſe verum ſummumque pontificem, ſolumque ſine peccati contagione Sacerdotem, Ihm Xpm Dnm nrm, per quem Maieſtatem tuam &c. *gg.*

Ad Commun.

Huius mihi, Dne, ſacramenti perceptio ſit peccatorum omnium remiſſio, & tuæ pietatis optata propitiatio: ut per hæc te opitulante efficiar ſacris myſteriis dignus, quæ de tua pietate confiſus frequentare præſumo indignus. Per. *gg.*

Digitized by Google

terrenis deſideriis & carnali cupiditate civiaque (l. *nimiaque*) immunditia, tentatione quoque inimicorum ſpirituum liberare digneris, & ſancto Spiritu repleri concedas. Per. *Vid. infra Secret.*

Præfatio.

VD. Et iuſtum eſt; te ſuppliciter, omnipotens Deus! tuæ gloriæ pietatis ſupplici devotione depoſco, ut omnium malorum meorum vulnera abſolvas, cunctisque meis criminibus clementer ignoſcas: ut qui me indignum peccatorem ad miniſterium tuum vocare dignatus es, ſic me idoneum tibi miniſtrum perficias, & ſacrificium de manibus meis dignanter ſuſcipias, & de præceptis tuis in nullo me aberrare permittas. *gg. vid. infra not.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offero, omnipotens & miſericors Deus! ego inutilis ſervus tuus pro fragilitate corporis; dele, quæſo, crimina & ſcelera mea, piiſſime Pater! & revertenti (l. *reverti*) ad ea non ſinat me clementia tua: ut quando me egredi iuſſeris de corpore, non habeat quid inimicus in me de ſuis malis reperire, nec flammæ, quæ in me exurant; ſed, quia tu piiſſimus Pater, veniam tribue.

Poſt Commun.

Miſericordiam tuam, Dne, ſuppliciter deprecor, omnipotens æterne Deus! ut me famulum tuum, quem divino ſacramento Corporis & Sanguinis Ieſu Chriſti Filii tui Domini Dei mei ſatiaſti, ab omnibus inimicorum incurſibus liberare, & a carnis immunditia atque laſcivia animam meam purgare digneris, Paſtor bone Ieſu Domine, quia animam tuam pro tuis ovibus poſuiſti. Per.

Alia Miſſa. GG. (1)

Omnipotens ſempiterne Deus, qui me peccatorem ſacris altaribus adſtare voluiſti,

---

(1) Hæc eadem Miſſa eſt etiam in *San-Gallenſi*, ſed ſine *infra actionem.* cum ultima orat. ad commun. quam etiam *Petrobuſ.* habet. Ex eodem *San-Gall.* eſt etiam ſequens

Miſſa, quam Sacerdos pro ſe ipſo debet cantare.

Omnipotens ſempiterne DEUS! tuæ gratiæ pietatem ſupplici devotione depoſco, ut omnium malorum meorum vincula ſolvas, cunctisque meis criminibus & peccatis clementer ignoſcas: & quia me indignum & peccatorem ad miniſterium tuum vocare dignatus es, ſic me idoneum tibi miniſtrum efficias, ut ſacrificium de manibus meis placide ac benigne ſuſcipias, electorumque Sacerdotum me participem facias, & de præceptis tuis in nullo me aberrare permittas, per Dnm. *gg. vid. ſupra Præf.*

Secreta.

Da mihi, Dne, peccatori confeſſionem, quæ tibi ſit placita: parturi in corde meo inenarrabiles gemitus, qui aures tuas poſſint pulſare; da mihi mentis intentionem, qua ſuſcipiam probam voluntatem tuam, & præſta in humilitate mea deprecari, quæ te audire delectat, ut præſtes. Ipſe animæ meæ inſere, ut iugis delectatio eius ipſe ſis: da mihi lacrymas ex toto affectu internas, quæ peccatorum meorum poſſint exſolvere vincula. Exaudi me, omnipotens æterne Deus! qui dixiſti: caro mea verus eſt cibus, & ſanguis meus verus eſt potus. Et hoc ſacrificium tui Corporis & Sanguinis offerentem a terrenis deſideriis, & carnalis cupiditate laſciviæ, quæ vel immunda carnis, vel immundorum ſpirituum ſuggeſtione coaleſcunt, liberare, & ſco tuo Spiritu replere digneris, qui cum Deo Patre, & cum eodem Spiritu ſco vivit & regnat Deus, per omnia. *vid. ſupra Secreta.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui diſſimulatis humanæ fragilitatis peccatis, ſacerdotii dignitatem concedis indignis, & non ſolum peccata dimittis, verum etiam ipſos peccatores iuſtificare dignaris; cuius eſt muneris, ut non exiſtentia ſumant exordium, exorta nutrimentum, nutrita fructum, fructuoſa perſeverandi donum: qui me non exiſtentem creaſti, creatum fidei firmitate ditaſti, fidelem quamvis peccatis ſqualentem ſacerdotii dignitate donaſti. Tuam igitur omnipotentiam ſupplex depoſco, ut me a præteritis peccatis emundes; in mundi huius curſu in bonis operibus corrobores, & in perſeveran-

Digitized by Google

voluiſti, & *ſancti nominis tui laudare potentiam: concede, quæſumus, per huius ſacramenti myſterium meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ Maieſtati digne miniſtrare merear, per.* gg.

Secreta.

Da quæſumus, clementiſſime Pater! per huius ſacramenti myſterium meorum veniam peccatorum, ut non ad iudicium, ſed ad indulgentiam huius presbyteratus ordo mihi proficiat ſempiternam, per. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui ſeptiformes eccleſiaſticæ dignitatis gradus ſeptemplici dono ſancti Spiritus decoraſti: præſta mihi propitius famulo tuo eundem in ſanctitate vitæ promereri Spiritum paraclitum, quem unigenitus Filius tuus Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuis fidelibus mittendum eſſe promiſit, qui meo pectori inſpirare dignetur catholicæ fidei firmitatem, & *ſanctæ caritatis tuæ dulcedinem, meque terrena deſpicere* & *amare cæleſtia doceat, per Chriſtum.* gg.

Hanc igitur oblationem ſervitutis meæ, quam tibi offero ego indignus famulus tuus pro remiſſione omnium peccatorum meorum, ſuppliciter te Dne deprecor, ut placatus accipias, & *quem propriæ conſcientiæ reatus accuſat, bonitatis tuæ veniam promerear. Dieſque noſtros.*

Ad Comm.

Sumentes, Dne Deus, ſalutis noſtræ ſacramenta, præſta quæſumus, ut eorum participatio mihi famulo tuo ad perpetuam proficiat ſalutem, per.

Alia.

Huius, Dne, perceptio ſacramenti peccatorum meorum maculas tergat, & *ad peragendum iniunctum officium me idoneum reddat. Per.* gg.

Alia Miſſa Sacerdotis. (1)

D*a, quæſumus omnipotens Deus, meorum mihi veniam peccatorum, quatenus*

tiæ ſoliditate confirmes; ſicque me facias tuis altaribus deſervire, ut ad eorum, qui tibi placuerunt, Sacerdotum conſortium valeam pervenire: & per eum tibi meum ſit acceptabile votum, qui ſe tibi obtulit in ſacrificium, qui eſt omnium opifex, & ſolus ſine peccati macula pontifex Ihus Xp9 Dn9 noſter, per quem Maieſtatem tuam laudant. gg. *Alia Præfatio.*

VD. °P. X. D. N. qui beatum Petrum Aplum pietatis reſpexit intuitu, ut trinæ negationis peccatum amariſſimis dilueret lacrymis; per infuſionem ſci Spus pro peccatorum noſtrorum pondere lacrymas a nobis elice pœnitentiæ, ut amare defleamus, quæ inique geſſimus, quatenus fructuoſus in conſpectu pietatis tuæ nræ petitionis proveniat effectus, atque per eum veniam nobis ſperare liceat, qui traditus eſt pro delictis noſtris, ut redimeret nos in ſanguine ſuo, Xp9 Salvator noſter, per quem Maieſtatem tuam laudant.

Ad Comm.

Sacrificium, quod tuæ, Dne Deus, obtulimus pietati, nobis ad veniam nrorum proficiat peccatorum; & tuæ miſerationis ſemper tribuat ſolatium, per Dnm.

Alia.

Gratiam ſci Spus., Dne Deus, cordibus nris clementer infunde, quæ nos gemitibus efficiat lacrymarum maculas noſtrorum diluere peccatorum, atque optatæ nobis te largiente indulgentiæ præſtet effectum, per.

(1) *Item alia Miſſa Sacerdotis propria.*

Omnipotens æterne Deus, tuæ gratiæ pietatem ſupplici devotione depoſco &c. *Supra.*

Secreta.

Aures tuæ pietatis, mitiſſime Deus! inclina precibus meis, & per hanc oblationem gratia ſci Spus illumina cor meum: ut tuis myſteriis digne miniſtrare, teque æterna caritate diligere merear, per Dnm.

Ad Comm.

Suſcipiat pietas tua, Dne Deus, humilitatis meæ preces; & per hæc ſca, quæ ſumſi, erue me de manibus inimicorum meorum, & de carnalibus corporis mei deſideriis, & de cogitationibus animæ meæ immundis libera me, & de omnibus huius ſæculi vanitatibus eripe me: quatenus te miſerante æternorum flammas tormentorum evadere valeam, atque perpe-

Digitized by Google

tenus quicquid carnali delectatione, vel animi mei cogitatione, atque vana huius ſæculi ambitione, contra tuorum rectitudinem præceptorum perfeci, in hac præſenti vita veniam accipere merear, per. gg.

Secreta.

Suſcipe, clementiſſime Pater! hoſtiam placationis & laudis, quam ego indignus & peccator famulus tuus tibi offerre præſumo pro ſanitate corporis & animæ meæ; ut omnium delictorum meorum veniam conſequi merear, per.

[*Alia.*

Deus, qui per os David locutus es: vovete & reddite Dno Deo veſtro, te ſuppliciter exoro: ut me famulum tuum vigilanter cuſtodias, & oblationem, quam pro memetipſo offero, interveniente beata Maria ſemper Virgine clementer accipias. Per.]

Præfatio.

VD. æterne Deus. Implorans tuæ Maieſtatis miſericordiam, ut mihi famulo tuo, mole peccatorum gravato, veniam meorum largiri digneris delictorum; ut ab omnibus inimici vinculis liberatus, tuis toto corde mandatis inhæream, & te ſolum tota virtute diligam, & ad tuæ quandoque beatitudinis viſionem pervenire merear, per Xpm Dnm. gg.

[*Infra Actionem.*

Hanc igitur oblationem, quam tibi offero ego tuus famulus & Sacerdos pro eo, quod omni ſuffragio ceſſante iuſtitiæ, per affluentiam pietatis immenſæ ſacris altaribus me ſervire tribuiſti, quæſumus Dne &c.]

Ad Commun.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, per beatæ Mariæ ſemper Virginis interceſſionem, mihi famulo tuo meorum veniam peccatorum, & ſancti Spiritus gratiam cordi meo clementer infunde, ut te perfecte diligere, & digne laudare merear, per. gg.

Alia Miſſa Sacerdotis. GG.

D*eus, ſub cuius oculis omne cor trepidat, omnes conſcientiæ paveſcunt: reſpice propitius ad precem meam, ut qui me nullis dignum meritis in loco hoc ſervitutis tuæ ſacris adſtare feciſti altaribus, ita ſecundum multitudinem miſerationum tuarum da indulgentiam peccatorum meorum, ut mea fragilitas, quæ per*

---

tuam beatitudinem dignus accipere merear, per Dominum.

Item alia Miſſa Sacerdotis propria.

Fac me quæſo, omnipotens Deus, ita iuſtitia indui, ut in Scorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus ſordibus peccatorum, conſortium adipiſcar placentium tibi Sacerdotum, meque tua miſericordia a vitiis omnibus exuat, quem reatus propriæ conſcientiæ gravat, per Dnm. *gg.*

Secreta.

Deus, qui te præcipis a peccatoribus exorari, tibique ſacrificium contriti cordis offerri, hoc ſacrificium, quod indignis manibus meis offero, acceptare dignare, & ut ipſe tibi hoſtia & ſacrificium eſſe merear, miſeratus concede; quo per miniſterii huius exhibitionem omnium peccatorum percipiam remiſſionem, per Dominum.

Ad Comm.

Sumſimus, Dne Deus, ſalutis nræ ſacramenta: præſta quæſumus, ut eorum participatio mihi famulo tuo ad perpetuam proficiat ſalutem, per Dnm.

Alia ad Compl.

Gratias tibi ago, Dne Deus, qui me peccatorem ſatiare dignatus es Corpore & Sanguine Dni nri Ihu Xpi: & ideo peto, omnipotens Deus! ut hæc ſancta communio non ſit mihi in iudicium, neque ad condemnationem pœnæ, ſed ſit mihi arma fidei, & ſcutum bonæ voluntatis, ad evacuandas omnes inſidias diaboli de corpore meo; & illud introire convivium me peccatorem permittas, ubi lux vera eſt, & gaudia ſempiterna iuſtorum, per eundem Dnm nrm.

Digitized by Google

per ſe proclivis eſt ad labendum, per te ſemper muniatur ad ſtandum, & quæ per ſe prona eſt ad offenſa, per te ſemper reparetur ad veniam, per.

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, placationis pro venia delictorum meorum ego indignus famulus tuus offero; ut ab occultis me reatibus emundes, & a manifeſtis convenienter expurges, per.

Hanc igitur oblationem ſervitutis meæ, quam tibi offero, Dne, ego ſupplex famulus tuus pro remiſſione omnium peccatorum meorum, quæſumus Dne.

Ad Commun.

Omnipotens ſempiterne Deus Ihu Xpe Dne, adeſto propitius peccatis meis per aſſumptionem Corporis & Sanguinis tui, & per interceſſionem ſcæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum. Tu enim loquens dixiſti, qui manducat Carnem meam, & bibit meum Sanguinem, ipſe in me manet, & ego in eo. Ideo te ſupplex deprecor, ut in me cor mundum crees, & Spiritu principali confirmare digneris, & ab omnibus inſidiis diaboli atque vitiis emundes, ut gradibus cœleſtibus merear eſſe particeps, per.

[Miſſa votiva pro ſe, & omnibus, quibus debitor eſt.

Deus, cui proprium eſt, miſereri ſemper & parcere, Maieſtatem tuam ſuppliciter deprecor, ut mihi famulo tuo precibus Dei genitricis Mariæ veniam meorum largiri digneris peccatorum, & famulis ac famulabus tuis, qui mihi conſanguinitatis, familiaritatis, ſubiectionis, & dilectionis vinculo connectuntur, vivis & defunctis, quorum nomina tibi vivunt, pro quibus tuam miſericordiam exoro, ut interventu omnium ſupernorum civium cunctarum propitius indulgentiam culparum & plenitudinem æternorum largiaris gaudiorum, per.

Secreta.

Miſerere, quæſo clementiſſime Deus, mihi famulo tuo, qui hoc ſacrificium laudis tuæ offero Maieſtati, & precibus beatæ Virginis Mariæ omnes iniquitates meas dele indulgentia tuæ propitiationis, nec plus apud te valeat offenſio delinquentium, quam miſericordia indulta precibus ſupplicantium, & quod devota mente pro peccaminum meorum ablutione gero, proficere mihi ſentiam ad medelam. Famulis quoque & famulabus tuis, qui mihi conſanguinitatis, familiaritatis, ſubiectionis, & dilectionis vinculo connectuntur, vivis & defunctis, quorum nomina tibi vivunt, pro quibus tuam miſericordiam exoro, remiſſionem omnium peccatorum, & æternitatis gloriam tribue. Per Dnm nrm.

Ad Comm.

Sumentes, Dne, perpetuæ ſacramenta ſalutis, tuam deprecamur clementiam, ut per ea me famulum tuum interventu ſcæ Dei genitricis Mariæ, ab omnium peccatorum labe propitius emundes, atque a cunctis adverſitatibus protegas, & æternæ felicitatis conſortem efficias: famulos etiam & famulas tuas, qui mihi conſanguinitatis, familiaritatis, ſubiectionis & dilectionis vinculo connectuntur, vivos & defunctos, pro quibus tuam miſericordiam exoro, ut precibus omnium Scorum tuorum a cunctis iniquitatibus

exuas,

Digitized by Google

exuas, & ad ſempiterna promiſſa perducas, per. *Alia.*

Suſcipiat pietas tua. *Ut ſupra.*] (1)

Pro tentationibus inimicorum, vel cogitationibus cordis immundis. (2)

Omnipotens mitiſſime Deus! reſpice propitius preces noſtras, & libera cor famuli tui N. de malarum tentatione cogitationum: ut ſancti Spiritus dignum fieri habitaculum mereatur: Per Dnm. eiusdem Spir. Secreta.

Has tibi, Dne, offerimus oblationes pro ſalute famuli tui N. quatenus animam illius ſancti Spiritus gratia illuminare digneris. Per. Præ-

(1) *Miſſa propria & Acuuſatio Sacerdotis.*

Clementiſſime Xpe, impenetrabili Maieſtati tuæ tremebundus aſſiſto, dum multifarie obnoxia in me & accuſantia crimina recognoſco. Debita altaribus tuis indignus ſacrificia tuo conſpectui offerre præſumo, qui ante tuæ Maieſtatis præſentiam iaceo corpore, mente, cordeque pollutus. Habes in te tuum antidotum Xpe, qui ſanare bone medice vulnera noſti: conſcriptum quæſo contra me arbiter alme dele chirographum, ne ultor in me ſuum peccati ultra valeat exigere nummum. Et hoc a tua clementia indigno ore menteque depoſco, ut ſereno familiam tuam, ſacra tuo nomini officia præparantem, digneris aſpicere vultu, ne per me indignum eorum ſalutis pereat pretium, pro quibus dignatus es tuum ſem fundendo ſanguinem eſſe redemptio: ſed tua nos ſemper & ubique protectione conſerva, ut quos pretioſo ſanguine redemiſti in terris, æterna facias cum Scis tuis gloria munerari in cœlis, per D. N.

Secreta.

Omnipotens ſempiterne Deus! bonam nobis, quæſumus, in proſperis & adverſis tribue voluntatem: ut tuis in omnibus parere mereamur præceptis; & hanc oblationem famulorum tuorum benignus aſſume, ut qui brachio tuo reguntur, & te ſolum Patrem ac Dnm confitentur, ſentiant ſe nullis diaboli laqueis poſſe teneri, quos tua dextera protegit & defendit, ſed perpetua exultatione ſine fine lætentur, per.

Præfatio.

VD. P. X. D. N. verum & æternum pontificem, ſolumque ſine peccato ſacerdotem, cuius ſanguine omnium fidelium corda mundantur: tibi, Dne, placationis hoſtias, non ſolum pro delictis populi, pro quibus tibi ſupplices effundimus preces, ſed etiam pro noſtris offenſionibus immolamus; ut omne peccatum, quod carnis fragilitate contrahitur, ſummo pro nobis interpellante antiſtite ſolvatur. Et ideo cum.

Ad Comm.

Omnipotens ſempiterne Deus, cui miſerendi ſine fine poteſtas eſt; reſpice propitius ad humilitatis nræ ſupplicem ſervitutem: ut donum gratiæ tuæ, quod ſumſimus, nobis, & pro quibus oblatum eſt, te concedente proficiat ad ſalutem, & mentes noſtras ſemper tibi ſubditas perpetuo defenſionis tuæ conſerva auxilio, atque cœleſtis gaudii tribue nos eſſe participes, per.

(2) Utraque hæc Miſſa deeſt in editis, habetur autem in Miſſali *Romano*, & prima quidem, quæ in utroque *Gregoriano* Mſc. occurrit, ibi notatur *ad repellendas malas cogitationes*, pro pluribus: altera, quæ in *San-Blaſiano*, & *San-Gallenſi*, ſed in hoc ſine præfatione extat, in Miſſali inſcribitur *ad poſtulandam continentiam.* His ſubiicimus ſequentem ex *San-Gallenſi* Miſſam.

Contra ſuperbientes animi motus.

Præſta, Dne quæſumus, ut toto tibi corde ſubiecti, tumentium voluptatum reſpuamus afflatus. Per.

Secreta.

Hoſtias, Dne quæſumus, quas immolamus, placatus aſſume: & pro noſtri expiatione peccati, & pro acceleratione cœleſtis auxilii. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui profutura tuis & facienda provides, & facta diſpenſas, mirisque modis eccleſiæ tuæ gubernacula moderaris, ut & exerceatur adverſis, & proſperis ſublevetur, ne vel impugnatione ſuccumbat, vel ſecuritate torpeſcat, ſed ſubdita tibi ſemper affectu, nec in tribulatione ſupplicare deficiat, nec inter gaudia gratias referre deſiſtat: quia te ſine ceſſatione prædicantibus nec adverſa prævalent, nec proſpera negabuntur. Per X. D. N.

Ad Comm.

Da plebi tuæ, Dne, piæ ſemper devotionis affectum: ut quæ prava ſuut reſpuens, ſancta converſatione firmetur, & a peccatis libera nullis adverſitatibus atteratur. Per.

Alia.

Præſta, quæſumus Dne, ut eccleſia tua promta tibi voluntate deſerviat: quia propenlius audiri poterit & defendi, cum eam tibi digne præſtiteris famulari. Per.

Digitized by Google

Præfatio.

VD. æterne Deus! humiliter tuam deprecantes clementiam: ut gratiam ſancti Spiritus animæ famuli tui N. clementer infundere digneris, ut te perfecte diligere & digne laudare mereatur, per Xpm.

Ad Commun.

Per hoc, quæſumus Dne, ſacrificium, quod tuæ obtulimus pietati, ab omnibus cor famuli tui N. emundes tentationibus. Per.

Alia.

Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum; illumina, quæſumus, cor famuli tui N. gratiæ tuæ ſplendore: ut digne Maieſtatem tuam cogitare & diligere valeat. Per.

Miſſa pro tentatione carnis.

U*re igne ſancti Spiritus renes noſtros, & cor noſtrum, Dne! ut tibi caſto & corde ſerviamus, & corpore placeamus. Per.* gg.

Secreta.

Diſrumpe, Dne, vincula peccatorum noſtrorum, ut ſacrificare tibi hoſtiam laudis abſoluta libertate poſſimus: retribue, quæ ante tribuiſti; & ſalva nos per indulgentiam, quos dignatus es ſalvare per gratiam. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! per Xpm Dnm nrm. Salva nos ex ore leonis, qui circuit quærens de unitate eccleſiæ tuæ, quem devoret: ſed leo de tribu Iuda, conterens contrariæ ſuæ virtutis nequitiam, & corde nos ſervet, & corpore purificet: per quem Mai.

Ad Commun.

Domine adiutor & protector noſter! refloreat caro noſtra vel vigore pudicitiæ, vel ſanctimoniæ novitate: ereptamque de manu tartari in reſurrectionis gaudio iubeas præſentari. Per.

Miſſa pro petitione lacrymarum. (1)

O*mnipotens mitiſſime Deus! qui ſitienti populo fontem viventis aquæ de petra produxiſti: educ de cordis noſtri duritia compunctionis lacrymas; ut peccata noſtra plangere valeamus, remiſſionemque te miſerante mereamur accipere. Per. gg.*

[*Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus! da capiti noſtro abundantiam aquæ, & oculis noſtris fontem lacrymarum: ut peccati macula abluti, ultrices pœnarum flammas fletus ubertate vincamus. Per.]

Se-

(1) Hæc Miſſa habetur in *San-Blaſiano*, Miſſali *Romano*, & *San-Gallenſi*: ex quo etiam alteram ſubiecimus. Orat. *Omnipotens mitiſſime Deus! qui ſitienti &c.* Ut ſupra.

Secreta.

Per has oblationes quæſumus, Dnè, ut non tantum oculis noſtris lacrymas infundas; ſed & cordibus noſtris nimium peccatorum luctum tribuas. Per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! Audientes divini ſermonis ſonum dicentis: Beati qui lugent nunc, quoniam ipſi conſolabuntur. Multum nam flere peccata deſideramus, ſed tamen propter lapidei cordis noſtri duritiam lacrymare non valemus. Ideo rogamus te, Dne, ut duritiam cordis noſtri primum per noſtram pœnitentiam emundes; exinde dono gratiæ tuæ noſtris flumina lacrymarum oculis largiter deducas per X. D.

Ad Commun.

Corpore & Sanguine tuo, Dne, ſatiati, quæſumus, ut pro noſtris ſemper nunc peccatis nobis compunctionem cordis & luctum, fluminaque lacrymarum largiaris: quatenus cœleſtem in futuro conſolationem mereamur, per te Ihu Xpe, qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto vivis &c.

Digitized by Google

Secreta.

Hanc oblationem, quæſumus Dne Deus! quam tuæ Maieſtati pro peccatis noſtris offerimus, propitiatus reſpice: & produc de oculis noſtris lacrymarum flumina, quibus debita flammarum incendia valeant extingui. Per.

Præfatio.

VD. Per Xpm Dnm nrum. Qui beatum Petrum Apoſtolum pietatis reſpexit intuitu, ut trinæ negationis peccatum amariſſimis dilueret lacrymis: per infuſionem ſancti Spiritus pro peccatorum noſtrorum pondere lacrymas nobis elice pœnitentiæ, ut amare defleamus, quæ inique geſſimus; quatenus fructuoſus in conſpectu pietatis tuæ noſtræ petitionis proveniat effectus, atque per eum veniam nobis ſperare liceat, qui traditus eſt pro delictis noſtris, ut redimeret nos ſanguine ſuo, Chriſtus Salvator noſter: quem laudant.

Ad Commun.

Sacrificium, quod tuæ, Dne Deus, obtulimus Maieſtati, nobis ad veniam noſtrorum proficiat peccatorum: & tuæ miſerationis ſemper tribuat ſolatium. Per.

Alia.

Gratiam ſancti Spiritus, Dne Deus, cordibus noſtris clementer infunde: quæ nos gemitibus efficiat lacrymarum maculas noſtrorum diluere peccatorum, atque optatæ nobis, te largiente, indulgentiæ præſtet effectum. Per.

Miſſa pro Caritate. (1)

Deus, qui caritatis dona per gratiam ſancti Spiritus tuorum cordibus fidelium infundis: da famulis & famulabus tuis, pro quibus tuam deprecamur clementiam, ſalutem mentis & corporis, ut te tota virtute diligant, & quæ tibi ſunt placita, tota dilectione perficiant. Per. gg.

Secreta.

Miſerere, quæſumus Dne, famulis tuis, pro quibus hoc ſacrificium laudis tuæ offerimus Maieſtati: ut per hæc Sancta ſupernæ benedictionis gratiam obtineant, & gloriam beatitudinis æternæ adquirant. Per. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus! clementiam tuam pronis mentibus obſecrantes, ut famulos tuos, quos ſanctæ dilectionis nobis familiaritate adiunxiſti, tibi facias toto corde ſubiectos: ut tuæ caritatis Spiritu repleti, a terrenis mundentur cupiditatibus, & cœleſti beatitudine te donante digni efficiantur, per Xpm. gg.

Ad Commun.

Divina libantes myſteria, quæſumus Dne, ut hæc ſalutaria ſacramenta illis proficiant

---

(1) Utraque hæc Miſſa ex *SanBlaſiano* eſt deſumta, & prima in *Petrobuſano* inſcribitur *pro amicis viventibus*, & in Miſſali *pro devotis amicis*: altera *ad poſtulandam caritatem*. In *Petrobuſano* legitur adhuc Miſſa *pro concordia*, orat. *Deus a quo ſancta deſideria &c.* qualem ſupra *pro pace* notavimus, & Miſſale exhibet. Hic ſequentes ex *San-Gallenſi* Miſſas ſubiicimus, quæ fere integræ in vulg. *Gelaſiano* habentur.

Miſſa in Contentione.

Orat. *Omnipotens ſempiterne Deus! qui ſuperbis reſiſtis &c.* g. p. 203. gg. Alia: *Concede nobis.* ib. Secreta: *Ab omni reatu nos &c.* ib.

Præfatio.

VD. Per X. D. N. per quem Maieſtatem tuam ſuppliciter deprecamur, ut nos ab operibus iniquis dignanter expedias, & nec proprio reos fieri patiaris exceſſu, nec alienis impietatibus præbere conſenſum: ſed mores noſtros ea moderatione componas, ut tam in nobis, quam in aliis, quæ ſunt iuſta, ſervemus. Per eundem X. D.

Ad Comm. *Quos refeciſti, Dne, cœleſti myſterio &c.* p. 203. Alia: *Præſta, quæſumus omnipotens Deus &c.* p. 204.

Digitized by Google

ficiant ad proſperitatem & pacem, pro quorum dilectione hæc tua obtulimus Maieſtati. Per. gg. Alia.

Deus, qui ſupplicum tuorum vota per caritatis officium ſuſcipere dignaris: da famulis tuis in tua proficere dilectione, & in tua lætari protectione; ut tibi ſecura mente deſerviant, & in tua pace ſemper aſſiſtere mereantur. Per.

Item alia Miſſa.

Deus, qui diligentibus te facis cuncta prodeſſe, da cordibus noſtris inviolabilem caritatis affectum: ut deſideria de tua inſpiratione concepta nulla poſſint tentatione mutari. Per. g.

Secreta.

Deus, qui nos ad imaginem tuam ſacramentis renovas & præceptis: perfice greſſus noſtros in ſemitis tuis: ut caritatis donum, quod feciſti a nobis ſperari, per hæc, quæ offerimus, facias ſacrificia apprehendi. Per. g.

Ad Commun.

*Libera nos, Dne, ab omni malo propitius, & tuam caritatem infunde: ut quos uno cæleſti pane ſatiaſti, tua facias pietate concordes. P.*g. [*Alia.*

Confirma, Dne quæſumus, tuorum corda fidelium, & gratiæ tuæ virtute corrobora: ut & in tua ſint ſupplicatione devoti, & mutua dilectione ſinceri. Per. *g.*]

Miſſa pro Inimicis. (1)

D*eus pacis caritatiſque amator & cuſtos! da omnibus inimicis noſtris pacem caritatemque veram, cunctorumque eis remiſſionem tribue peccatorum: noſque ab eorum inſidiis potenter eripe, & in tuæ pacis tranquillitate conſolida. Per.* gg.

Secreta.

Oblatis, quæſumus Dne, placare muneribus, & nos ab inimicis noſtris clementer eripe, eiſque indulgentiam tribue delictorum. Per. gg.

Ad Commun.

Hæc nos communio, Dne, exuat delictis, & ab inimicorum defendat inſidiis. Per. gg.

Oratio pro ſterilitate terræ. (2)

Sempiternæ pietatis tuæ abundantiam, Do-

(1) *Miſſa contra obloquentes vel conſpirantes.*

Orat. *Conſpirantes Dne &c.* g. p. 204. gg. Alia: *Præſta, quæſumus Dne, ut mentium &c.* ib. Alia: D3, quæſumus omnipotens Deus, ſic nos gratiam promereri, ut noſtros corrigamus exceſſus; ſic confitentibus relaxare delictum, ut coerceamus in ſuis pravitatibus obſtinatos. Per. Secreta: *Oblatio, Dne, tuis aſpectibus &c.* g. ib.

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui famulos tuos informare dignaris, ut non tam nos exagitet inepta laceratio ſuperborum, quam potius maneat in nobis miſeratio lacerantium: quoniam ſicut nos convenit præcavere, ne veraciter appetamur; ſic eorum, qui a veritate ſunt devii, flere debemus interitum: ut vel illis correptionem ſuppliciter exorando ſubvenire poſſimus, vel nobis fructum pietatis adquirere. Per X. D. N.

Ad Comm. *Præſta, Dne quæſumus, ut per hæc ſancta &c.* ibid.

(2) In *San. Gallenſi* hæc habetur orat. *Sempiternæ pietatis &c.* ſupra. Alia: *Da nobis, quæſumus &c.* ut in vulg. *Gelaſ.* p. 189. Secreta: *Deus qui humani generis &c.* ſupra.

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui ſempiterno conſilio non deſinis regere, quos creaſti, noſque te relinquere manifeſtum eſt, cum ſupernæ diſpoſitionis ignari, de ſecretorum tuorum diſpenſatione cauſamur; ac tunc potius recta ſentire cognoſcimus, cum non noſtra, ſed tua providentia confidentes pietatem iuſtitiamque tuam iugiter perpendimus exorandam; certi, quod, qui iniuſtos maloſque non deſeris, multo magis, quos devotos eſſe tribuiſti, clementi nullatenus gubernatione deſtituas, per Xpm Dnm. &c.

Ad Comm. *Gubernas quæſumus.* ſupra. Alia: Ut nobis, Dne, terrenarum frugum tribuas ubertatem, & mentes noſtras cæleſti fertilitate fœcundas. Per.

Digitized by Google

Domine, ſupplices imploramus: ut nos beneficiis, quibus non meremur, anticipans, benefacere cognoſcaris indignis. Per. *g.*

Secreta.

Deus, qui humani generis utramque ſubſtantiam præſentium munerum & alimento vegetas, & renovas ſacramentum (l. *ſacramento*): tribue, quæſumus, in (pro *in* l. *ut*) eorum & corporibus noſtris ſubſidium non deſit & mentibus. Per. *l. g.*

Poſt Commun.

Guberna, quæſumus Dne, & temporalibus adiumentis, quos dignaris æternis informare myſteriis, Per. *l. g.*

Orationes ad pluviam poſtulandam. (1)

Deus, in quo vivimus, movemur, & ſumus! pluviam nobis tribue congruentem: ut præſentibus ſubſidiis ſufficienter adiuti, ſempiterna fiducialius appetamus. Per. *l. g. gg.*

Alia.

Delicta fragilitatis noſtræ, Dne quæſumus, miſeratus abſolve, & aquarum ſubſidia præbe cœleſtium: quibus terrena conditio vegetata ſubſiſtet. Per. *g. gg.*

Secreta.

Oblatis, Dne, placare muneribus; & opportunum tribue nobis pluviæ ſufficientis auxilium. Per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. Obſecrantes miſericordiam tuam, ut ſqualentes agri fœcundis imbribus irrigentur, quibus pariter æſtuum mitigentur ardores, & ſævientium morborum reſtringatur acceſſio; & ſalus hominibus iumentiſque proveniat. Atque ut hæc te largiente mereamur, peccata, quæ nobis adverſantur, relaxa; qui pluis ſuper iuſtos & iniuſtos, etiam noſtris offenſionibus relaxatis expectata nubium munera largiaris, quibus & ſalus nobis & alimenta præſtentur. Per. *g g.*

Poſt Commun.

Tuere, Dne quæſumus, tua ſancta ſumentes; & ab omnibus propitius abſolve peccatis. Per. *g gg.*

Ad Pluviam.

Da nobis, Dne quæſumus, pluviam ſalutarem; & aridam terræ faciem fluentis cœleſtibus dignanter infunde. Per. *g. gg.*

Alia.

Domine Deus omnipotens! qui ſolus das pluviam ſuper terram, ſolus mittis aquas ſub inferiora cælorum: dona ſervis tuis beneficium pluviale; ut quod noſtra facinora ſuſpenderunt, tuo munere prorogetur. Per.

Alia Miſſa.

Omnipotens ſempiterne Deus! cuius munere elementa omnia recreantur: reminiſcere miſerationum tuarum, & ſalutiferos imbres concede propitius; quatenus fœ-

---

(1) Hæc Miſſa habetur etiam in *Petrohuſano*, & Miſſali *Romano*, amplior vero in *San-Blaſiano*: a qua parum differt, quam ex *San-Gallenſi* ſubdimus.

Orat. *Deus, in quo vivimus &c.* ſupra.

Alia. *Terram tuam, Dne, quam videmus noſtris iniquitatibus tabeſcentem, cæleſtibus aquis infunde, atque irriga beneficiis gratiæ ſempiternæ. Per.* g g.

Secreta: *Delicta fragilitatis &c.* ſupra.

Præfatio: VD. *Obſecrantes miſericordiam &c.* ſupra.

Ad Comm. *Tuere nos Dne.* ſupra.

Alia: *Precibus populi tui &c.* ſupra.

Alia.

Deus omnipotens & clemens, qui ſolus das pluviam ſuper terram &c. *ſupra.* *Alia.*

Omnipotens ſempiterne Deus! qui ſalvas omnes, & neminem vis perire: aperi fontem benignitatis tuæ, & terram aridam aquis fluenti cœleſtis dignanter infunde. Per.

Digitized by Google

fœcunditatis tuæ alimoniis omnis terra lætetur. Per. Secreta.

Placare, Dne, muneribus ſemper acceptis, & diuturnam tempera diffuſis nubibus ſiccitatem. Per.

Poſt Commun.

Precibus populi tui, Dne quæſumus, placatus aſpira: ut veniam tribuas humanis exceſſibus, & opem miſeris benignus impendas.. Per.

Ad poſcendam ſerenitatem. (1)

Ad te nos, Dne, clamantes exaudi, & aeris ſerenitatem nobis tribue ſupplicantibus: ut qui pro peccatis noſtris iuſte adfligimur, miſericordia tua præveniente clementiam ſentiamus. Per. *g. gg.*

Alia.

Deus, qui omnium rerum tibi ſervientium naturam per ipſos motus aeris ad cultum tuæ Maieſtatis inſtituis: tranquillitatem nobis miſericordiæ tuæ remotis largire terroribus, ut cuius iram expavimus, clementiam ſentiamus. Per. g. gg.

Secreta.

Præveniat nos, quæſumus Dne, gratia tua ſemper, & ſubſequatur; & has oblationes, quas pro peccatis noſtris nomini tuo conſecrandas deferimus, benignus adſume: ut per interceſſionem Sanctorum tuorum cunctis nobis proficiant ad ſalutem. Per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. uſque *æterne Deus! per Xpm Dnm nrum. Cuius creatura omnis ingemiſcit, & metuens creatorem contremiſcit: qui pertingit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter: cuius providentiæ pia moderatione diſponuntur univerſa. Suppliciter te rogamus, omnipotens Deus! ut temperiem cœli ſerenam nobis praſtes opportunitatis officio; qui ſolem tuum oriri facis ſuper bonos & malos, & pluis ſuper iuſtos & iniuſtos, enormitatem aquarum a nobis repelle propitius: ut omnia, quæ imbrium denſitate deiiciuntur, pietatis tuæ moderatione ſubleventur. Per quem.*

Poſt Commun.

Plebs tua, Dne, capiat ſacræ benedictionis

(1) Miſſa hæc in *Rhenaugienſi* æque ac *San-Blaſiano*, in hoc tamen amplior multo habetur. In *Petrobuſano* inſcribitur: *Quando multum pluit*, ubi prima oratio eſt: *Dne Deus, qui in myſterio.* Secreta: *Præveniat nos.* Ad Comm. *Quæſumus omnipotens.* Ut ſupra. In *San-Gallenſi* autem ita habetur. Orat. *Ad te nos Dne.*

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus! adeſto propitius invocationibus noſtris, & preces populi tui benignus intende: pacem tuam nuntiet nobis purgati aeris ſerena tranquillitas, & obducta cœlo tetra nubium caligo discedat. Redeant ad ſuas naturales fluenta menſuras, & immodicæ effuſiones fluminum ab agrorum populatione revocentur, quo enim fugiemus ab ira tua, niſi ad miſericordiam tuam, ut qui delinquentes verberas, peccata confitentibus parcas. Per.

Alia.

Da nobis, quæſumus Dne, piæ ſupplicationis effectum, & peſtilentiam famemque propitiatus averte: ut & congruam tibi exhibeamus ſervitutem, & propitiationis tuæ beneficia ſemper inveniamus. Per. *g.*

Secreta.

Deus, qui fidelium precibus flecteris, & humilium confeſſione placaris: converſis ad te propitiare ſupplicibus, & quos feciſti iram intelligere caſtigantis, fac miſericordiam ſentire parcentis. Per. *g.*

Alia: *Præveniant nos &c.* ſupra.

Præfatio. VD. *Cuius ira creatura omnis &c.* ſupra. in fine: *Denſitate iactantur, pietatis tuæ moderatione ſubleventur, atque pro eccleſiæ tuæ utilitate iubeas nimborum amoveri diſcurſus, per eundem Xpm &c.*

Ad Comm. *Quæſumus omnipotens &c.*

Alia: *Dne Deus, qui in myſterio &c.* Ut ſupra.

Alia oratio in Letaniis recitanda: *Plebs tua, Dne &c.* Ut ſupra.

Digitized by Google

ctionis augmentum, & copioſis beneficiorum tuorum ſublevetur auxiliis; quæ tangis interceſſionum deprecationibus adiuvantur (S. Blaſ. *quæ tantis interceſſorum deprecationibus adiuvatur.*) Per. *g. gg.*

Alia.

Quæſumus, omnipotens Deus! clementiam tuam, ut inundantiam coerceas imbrium, & hilaritatem tui vultus nobis impertire digneris. Per.

Alia.

Domine Deus! qui myſterio aquarum ſalutis tuæ nobis ſacramenta ſanxiſti: exaudi orationem populi tui, & iube terrores inundantium ceſſare pluviarum, flagellumque huius elementi ad effectum tui converte myſterii: ut qui ſe regenerantibus aquis gaudent renatos, gaudeant his caſtigantibus eſſe correctos Per.

Orationes pro fulgure. (1)

Omnipotens ſempiterne Deus! parce metuentibus, & propitiare ſupplicationibus (S. Blaſ. *tuis ſupplicibus*:) ut poſt noxios ignes nubium & vim procellarum in materiam tranſeat laudis comminatio poteſtatis. Per *gg*.

Deus, ſub cuius imperio nihil non verbo regitur, nihil non oratione mutatur: parce metuentibus &c. *Ut mox. g.*

Benedictio aquæ & ſalis ad Exorciſ. ad fulgura.

Exorcizo te creatura ſalis & aquæ in nomine Domini Ieſu Chriſti Nazareni Filii Dei vivi, ut ſis purgatio in his locis, in quibus aſperſa fueris, & (l. *ad*) effugandos immundos & erraticos ſpiritus, omnemque nefariam vim diaboli depellendam, & omnes figuras & minas phantaſmatis ſatanæ exterminandas, & fulgura & ſidera, quæ emiſſa videntur in hanc arborem, non hominibus, aut pecoribus, aut frugibus noceant, ſed abſcedant & fugiant per invocationem nominis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti, qui venturus eſt iudicare. *g.* (2)

Orationes pro tempeſt. & fulgure. (3)

Magnificentiam tuam, Domine, prædecamus (l. *prædicamus*) ſuppliciter im-

---

(1) Hæc Miſſa in *San-Blaſiano* inſcribitur *contra tempeſtates* Sequentes *San-Gallenſis* exhibet

Miſſa ad repellendam tempeſtatem. Orat. *Deus, qui omnium rerum &c.* ſupra. Alia: *A domo tua &c.* infra. g. Secreta: *Offerimus tibi Dne laudes & munera &c.* ut infra. Ad Comm. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos & caſtigando &c.* infra. Oratio pro fulguribus: *Deus ſub cuius imperio totum verbo regitur, totum oratione mutatur: parce &c.* ſupra. Benedictio ſalis & aquæ ad fulgura: *Exorcizo te &c.* Ut ſupra ex *Rhenaug.*

Oratio pro frugibus, vel aerum temperie.

Te Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus! ſuppliciter deprecamur, ut per miſericordiam tuam nobis iugiter concedas ſufficientes meſſium copias, & fructum omnem largiter tribuas, vineæ quoque ſubſtantiam, abundantes arborum fœtus, proventus omnium rerum; atque ab omnibus his peſtiferum ſidus tempeſtatis, univerſasque procellas & grandines repellere digneris. Per.

(2) *In San-Blaſiano ita legitur*: & fulgura atque coruſcationes, quæ horribiliter noſtris ingeruntur obtutibus &c. *& in fine deeſt* & Spiritus ſancti.

(3) In *San-Blaſiano* inſcribitur *Miſſa contra fulgura*; melius in *San-Gallenſi*: oratio poſt ſedatam tempeſtatem; Magnificentiam &c. ut ſupra. Sequuntur in eodem cod.

Aliæ orationes contra fulgura.

Dne Deus Pater Dni nri Ihu Xpi, qui ſuper omnia regnas, qui Filium tuum Dnm nrm Ihm Xpm in hunc mundum pro ſalute noſtra mittere dignatus es: effunde benedictionem tuam de cœlis ſuper locum iſtum contra fulgura atque grandines & tempeſtates, ut eas tua miſericordia demergat ventorum flamine in profundum deſertum, ut hominibus nihil noceant, ſed absque

Digitized by Google

implorantes: ut quia nos eminentibus periculis exuiſti, (S. Blaſ. *ut nos ab imminentibus periculis exuas, & a peccatis omnibus*), a peccatis quoque benignus abſolvas: ut beneficia nobis maiora concedas, & tuis nos facias parere mandatis. Per. *l. g.* Alia.

A domo tua, quæſumus Dne, ſpiritales nequitiæ repellantur, & aerearum diſcedat malignitas tempeſtatum. Per. g.

Secreta.

Offerimus, Dne, laudes & munera, pro conſenſis (S. Bl. *pro conceſſis*) beneficiis gratias referentes, & pro concedendis ſemper ſuppliciter deprecantes. Per. *l. g.*

Alia.

Sacrificia, Dne, tibi cum eccleſiæ precibus immolanda, quæſumus, ut & corda noſtra purificent, & indulgentiæ tuæ nobis dona concilient, & de adverſis proſpera tribuant, & de imminentibus periculis eripiant, ac de inſtantibus terroribus, futuriſque tempeſtatum horroribus tueantur, perficiantque nobis tranquillitatem aeris. Per.

Poſt Commun.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui nos & caſtigando ſanas, & ignoſcendo conſervas: præſta ſupplicibus tuis, ut & tranquilitatibus huius oblatæ (S. Blaſ. *tranquillitate huius optata*) conſolationis lætemur, & dona tuæ pietatis ſemper utamur. Per. *l. g.*

Orat. temporum, quibus abſit mortalitas. (1)

Deus, qui non vis mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum: populum

---

ulla vaſtitate tranquillus nobis aer reddatur: quatenus de plenitudine miſerationis tuæ gaudentes, nos tibi omnipotenti indefeſſas gratias ſemper agamus; qui vivis & regnas cum Filio tuo redemtore noſtro & Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum. Amen. *g g.*

Alia.

Quæſumus, omnipotens Deus! ut intercesſione ſanctæ Dei Genetricis Mariæ, & ſanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium Sanctorum tuorum, continuum nobis præſtes auxilium. Petimus immenſam clementiam tuam, ut nobis tranquillum aerem tribuas, atque contra fulgura & tempeſtates deſuper nobis indignis tuam ſalutem effundas de cœlis, & generi ſemper humano æmulas dextera potentiæ tuæ aereas conteras poteſtates. Per. *g g.*

Alia

Omnipotens & miſericors Deus! qui per Ihm Xpm Filium tuum Dnm nrm mundum illuminare dignatus es: exaudi orationem noſtram, & nobis contra fulgura atque coruſcationes deſuper tuam miſericordiam dones, & de tribulatione nos ad lætitiam perducere digneris omnipotente miſeratione tua, devicto ſemper eccleſiæ tuæ inimico pariter cum ſatellitibus ſuis. Per. *g g.*

(1) Leg. ut in vulg. Gelaſ. *Tempore, quod abſit, mortalitatis.* Ex *San-Gallenſi* hæ Miſſæ ſequuntur: *Miſſa de mortalitate.* Deus, in cuius conſpectu ſanctus Michael glorioſus aſſiſtit: præſta quæſumus: ut ibi pro populo tuo exorare dignetur, ubi graciam tuam ſemper meretur habere præſentem. Per.

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus! reſpice propitius ſuper populum tuum Maieſtati tuæ ſubiectum: & ne nos furor ſævientis mortis inveniat, dextera tuæ propitiationis cuſtodiat. Per.

Secreta: *Subveniat nobis &c.* ſupra.

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui imminentem Ninivitis interitum ſola miſericordia removiſti, quibus ut propitiator exiſteres, converſionis pœnitentiam tribuiſti: & huic populo tuo ante conſpectum gloriæ tuæ proſtrato orandi tribue puritatem, & quem deſiderat, præſta liberationis effectum; ut quos Unigeniti tui ſanguine redemiſti, non patiaris propter miſericordiam tuam mortalitatis introire ſupplicium, per eundem Xpm.

Ad Commun.

Tuere nos, Dne quæſumus, tua ſancta ſumentes: & ab omni propitius iniquitate defende. Per.

Item alia de mortalitate.

Deus, qui non mortem &c. *Ut ſupra.*

Alia.

Populum tuum, quæſumus omnipotens Deus! ab ira tua ad te confugientem paterna recipe pietate, ut qui

Digitized by Google

pulum tuum, quæſumus, ad te converte propitius; ut dum tibi devotus extiterit, tuæ ab eo iracundiæ flagella amoveas. Per. *g. gg.*

Secreta.

Subveniat nobis, Domine quæſumus, ſacrificii præſentis operatio, quæ nos & (ed. *ab*) erroribus univerſis potenter abſolvat, & a totius eripiat perditionis incurſu. Per. *g.*

Præfatio.

VD. qui Sanctorum apud te gloriam permanentem fidelium ſuis devotione clareſcere: præſta quæſumus; ut bearorum Martyrum tuorum illorum & illarum (*merita*) obſequentibus ſibi beneficia dignanter impendant. Per.

Poſt Commun.

Sanctificati divino myſterio Maieſtatem tuam, Dne, ſuppliciter deprecamur & petimus: ut quos donis facis cœleſtibus intereſſe, per lignum ſanctæ Crucis & a peccatis abſtrahas, & a periculis cunctis miſeratus eripias. Per.

Bene-

---

tuæ Maieſtatis flagella formidant, de tua mereantur venia gratulari. Per. *g.*

Secreta.

Concede nobis, Dne quæſumus, ut hæc hoſtia ſalutaris & noſtrorum fiat purgatio delictorum, & tuæ propitiatio poteſtatis. Per. *g.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui Sanctorum apud &c. *Ut ſupra.*

Ad Commun.

Ne perdideris nos, Dne, cum iniquitatibus noſtris: ſed tua ſancta ſumentes a ſubitaneæ mortis defende periculis. Per.

Alia.

Exaudi nos, Deus ſalutaris noſter, & intercedente beato ill. Martyre tuo populum tuum & ab iracundiæ tuæ terroribus libera, & miſericordiæ tuæ fac largitate ſecurum. Per.

Miſſa pro peſte animalium.

Deus, qui laboribus hominum etiam de mutis animalibus ſolatia ſubrogaſti: ſupplices te rogamus; ut ſine quibus non alitur humana conditio, noſtris facias uſibus non perire. Per. *g. gg.*

Alia.

Deus, qui humanæ fragilitati neceſſaria providiſti miſericors adminicula iumentorum: quæſumus, ut eadem miſeris conſulendo non ſubtrahas; & quorum noſtris meritis ſævit interitus, tua nobis parcendo clementia ceſſare iubeas vaſtitatem. Per. *g. gg.*

Secreta.

Sacrificiis, Dne, placatus oblatis, opem tuam noſtris temporibus clementer impende. Per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui ideo malis præſentibus nos flagellas, ut ad bona futura perducas; ideo bonis temporalibus conſolaris, ut de ſempiternis efficias certiores: quo te & in proſperis & in adverſis pia ſemper confeſſione laudemus, per Xpm &c. *gg.*

Ad Commun.

Benedictionem tuam, Dne, populus fidelis accipiat: qua corpore ſalvatus ac mente, & congruam tibi ſemper exhibeat ſervitutem, & propitiationis tuæ beneficia ſemper inveniat. Per. *g. gg.*

Alia.

Averte, Dne, quæſumus, a fidelibus tuis cunctos miſeratus errores, & ſævientium morborum depelle perniciem: ut quos merito flagellas devios, foveas tua miſeratione correctos. Per. *g. gg.*

Orationes ſuper Aquam & Sal ad animalia.

Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus! defende pecora noſtra, defende miſericors dona tua per hanc creaturam ſalis & aquæ: defende, piiſſime, a rapacibus, a latronibus, & beſtiis, a ſcabie, a morbo, a mortibus, a laqueis diaboli, ab infirmitate, & a tentatione, & ab invidia, & a malitia, a malis hominibus, a malo loquente, a malis oculis, a veneficiis, & ab aruſpicibus, & ab omnibus tentationibus, atque infirmitatibus. Per.

Alia benedictio Salis.

Deus inviſibilis, inæſtimabilis! qui per cuncta defenſor es: pietatem tuam & miſericordiam per ſanctum & tremendum Filii tui nomen ſupplices deprecamur, ut in hanc creaturam ſalis benedictionem & potentiam viſibili operatione infundas; ut iumenta, quæ neceſſitatibus humanis tribuere dignatus es, cum ex eadem acceperint vel guſtaverint, hæc benedictio & ſanctificatio tua illæſa reddat, & ab omni tentatoris incurſu te protegente cuſtodiat. Per.

Benedictio Aquæ & Salis ad ſpargendum in domum.

Domine ſancte Pater omnipotens! Inſtaurator & Conditor omnium elementorum, (1) qui per Chriſtum Ieſum Filium tuum hanc creaturam ſpiritum creantem (*ſic*) iuſſiſti: te deprecamur, Domine, ut hanc creaturam ſalis & aquæ benedicere digneris, ut ubicumque aſperſæ fuerint, omnis ſpiritus inmundus ab eo loco confuſus & increpatus effugiat, ne ulterius in eo loco habeat poteſtatem commorandi. Per. *Gallic.*

Præſta, Domine, per hanc creaturam aſperſionis ſanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam ſalutis, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei, hic & in æterna ſæcula ſæculorum. Per.

Benedictio Aquæ.

Benedic, Domine, hanc creaturam aquæ, ut ſit remedium ſalutare generi humano: præſta per invocationem nominis tui corporis ſanitatem & animæ tutelam. Per

Benedictio Salis.

Præſta, Dne, tuum ſalubre remedium per ſanctam benedictionem tuam, qua hanc creaturam ſalis benedicimus: ut ubicumque interceſſerit, & animæ & corporis proficiant (l. *perficiant*) ſalutem. Per.

Exorciſmus Salis & Aquæ.

Exorcizo te, creatura ſalis & aquæ, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti Nazareni Filii Dei vivi, ut ſis purgatio & purificatio in his locis, in quibus ſperſa (ed. *aſperſa*) fueris, ad effugandos immundos & erraticos ſpiritus, omnemque nefariam (ed. *vim diaboli*) repellendam atque exterminandam: ne fulgura & ſidera, quæ emiſſa videntur in hanc arborem, aut hominibus aut pecoribus aut frugibus noceant, ſed aufugiant, per invocationem Nominis Dei & Ieſu Xpi Filii Dei Nazareni, qui venturus eſt iudicare ſæculum per ignem. *g.*

Ad ſpargendum faciendum Exorciſmus Salis.

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, qui te per Eliſeum in aquam mitti iuſſit, ut ſanaretur ſterilis, qui divina oris ſui voce ait: Vos eſtis ſal terræ; & idem per Apoſtolum dicit: Cor veſtrum ſit ſal (l. *ſale*) conditum. Ideoque efficere ſal exorcizatum, ut omnes, qui ex te ſumſerint, ſis eis animæ tutamentum, atque huic domui protectio in remiſſionem omnium peccatorum, in ſanitatem mentis, in protectionem animæ, in confirmationem ſalutis, ad expellendas & excludendas omnes dæmonum tentationes in nomine Dei Patris omnipotentis, (ed. & *Ieſu Chriſti Filii eius*) qui venturus eſt, & iudicaturus eſt in Spiritu ſancto ſæculum per ignem. *g. Gall.*

Benedictio Salis.

Rogamus te, Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, ut hanc creaturam ſalis, quam uſui humani generis tribuiſti, in ſignum ſapientiæ tuæ commutare digneris, ſed (l. &) ubicumque fuerit aſperſa, Angelorum tuorum diſcedat exercitus. Per.

Bene-

(1) In Gallicano: *Te per D. N. I. C. Filium tuum ſupplices exoramus, ut has creaturas &c.*

Digitized by Google

Benedict. Domus novæ.

Te Deum Patrem omnipotentem oramus pro hac domo, & pro domus huius habitatoribus, ac ſpe, ut eam benedicere & ſanctificare, & bonis omnibus amplificare digneris; ut & ſint promptuaria eorum conplena eructuantia (l. *eructantia*) ex hoc in illud; tribue eis de rore cœli abundantiam, & de pinguedine terræ vitæ ſubſtantiam, & deſideria voti eorum ad effectum tuæ miſerationis perducas; introitum vero noſtrum benedicere & ſanctificare digneris, ſicut benedicere dignatus es Abraham & Iſaac & Iacob, & infra parietes domus iſtius Angelus lucis tuæ inhabitet. Per.

Æternum atque omnipotentem unanimiter orantes petamus pro hac domo, atque omnes habitantes (l. *omnibus habitantibus*) in ea; uti eis Angelum pacis, Angelum lucis, Angelum defenſionis adſignare dignetur, totius (l. *tutos*) eos defenſosque præſtet, augeat eis a rore cœli pinguedinem terræ, frumenti, vini, & olei; pacem, ſanitatem, lætitiam, benignitatem ab homine uſque ad pecus præſtare dignetur. Per.

Orat. ad Miſſam in domo nova.

Protector in te ſperantium Deus, & ſubditarum tibi mentium cuſtos! habitantibus in hac domo famulis tuis propitius adeſſe dignare; veniat ſuper eos ſperatæ a te benedictionis ubertas, & pietatis tuæ repleti muneribus in tua gratia & in tuo nomine læti ſemper exultent. Per. *g. Gall.*

Super Oblata.

Suſcipe, Domine quæſumus, preces & hoſtias famulorum tuorum, & muro cuſtodiæ tuæ hanc domum circumda; ut omni adverſitate depulſa ſit hoc ſemper domicilium incolumitatis & pacis. Per. *g. Gall.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, famuli tui ill. quam tibi offert pro votis & deſideriis ſuis, atque pro incolumitate domus ſuæ, placatus ſuſcipias deprecamur; pro quo in hac habitatione auxilium tuæ Maieſtatis depoſco, ut mittere ei digneris Angelum tuum ſanctum ad cuſtodiendos omnes in hac habitatione conſiſtentes. Per. *g.*

Poſt Comm.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui facis mirabilia magna ſolus; prætende ſuper hos famulos tuos degentes in hac domo Spiritum gratiæ ſalutaris, & ut complaceant tibi, Deus, in veritate tua, perpetuum eis rorem tuæ benedictionis infunde. Per. *g.*

Omnipotens ſempiterne Deus, in certe (l. *inſere te*) officiis noſtris, & in hac manentibus domo præſentiæ tuæ concede cuſtodiam; ut familiæ tuæ defenſor, ac totius habitaculi huius habitator appareas. Per. *g. Gallic.*

Ad Fruges novas bened.

Oramus pietatem tuam, omnipotens Deus! ut has primitias creaturæ tuæ, quos aeris & pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas, & fructus terræ tuæ uſque ad maturitatem perducas: tribuas quoque populo tuo de tuis muneribus tibi ſemper gratias agere, ut a fertilitate terræ eſurientium animas bonis affluentibus repleas, & egenus & pauper laudent nomen gloriæ tuæ. Per. *g.*

Digitized by Google

Bened. Uvæ ſive Fabæ.

Benedic, Domine, hos fructus novos uvæ ſive fabæ, quos tu, Domine, per rorem cœli & inundantiam pluviarum, & tempora ſerena atque tranquilla ad maturitatem perducere dignatus es, ad percipiendum nobis cum gratiarum actione, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Per quem. *g. gg.*

Bened. Pomorum.

Te deprecamur, omnipotens Deus! ut benedicas hunc fructum novum pomorum: ut qui eſu interdictæ arboris lethalis pomi in protoparente iuſte funeris ſententia multati ſumus; per inluſtrationem unici Filii tui Redemptoris Dei ac Dni noſtri Ieſu Chriſti, & Spiritus ſancti benedictione ſanctificata omnia atque benedicta, depulſis atque abiectis vetuſti hoſtis atque primi facinoris incentoris inſidiis, ſalubriter ex huius diei anniverſaria ſolemnitate de univerſis terræ edendis germinibus ſumamus, qui vivis & regnas in ſecula. *g.*

Benedic, Domine, hunc fructum novarum arborum, ut hi, qui utuntur ex eo, ſint ſanctificati. Per.

Benedictio Arboris.

Deus, qui hæc arboris poma tua iuſſione & providentia progenita eſſe voluiſti; nunc etiam eadem benedicere & ſanctificare digneris precamur: ut quicumque ex ea ſumpſerint, incolumes eſſe valeant. *g.*

Bened. ad omnia, quæ volueris.

Benedic, Domine, creaturam iſtam, ut ſit remedium ſalutare generi humano; præſta per invocationem nominis tui, *(ut)* quicumque ex ea ſumpſerit, corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiat. Per. *El. gg.*

Creator omnium, & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritalis, largitor æternæ ſalutis; tu, Domine, permitte Spiritum tuum ſuper hanc creaturam illam, ut (*Sic*) arma tua virtute cœleſtis defenſionis, qui ex ea guſtaverint, proficiat illis ad æternam ſalutem. Per.

Benedictio Panis.

Benedic, Domine, creaturam iſtam panis, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto; ut ſit Dnus eiusdem abundans in annum alimentum, guſtantes qui (del. *qui*) ex eo, accipiant tam corporis quam animæ ſanitatem. Per. *El. pag.* 234. *gg. var.*

Bened. Vini.

Domine omnipotens Chriſte! qui ex quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiaſti, (&) in Cana Galileæ ex aqua vinum feciſti, qui es vitis vera: multiplica ſuper ſervos tuos miſericordiam pietatis tuæ, quemadmodum feciſti cum patribus noſtris in tua miſericordia ſperantibus, & benedicere & ſanctificare digneris hanc creaturam vini, quam ad ſubſtantiam ſervorum tuorum tribuiſti, ut ubicumque ex hac creatura fuſum fuerit, vel a quolibet potatum, divinæ benedictionis tuæ opulentia repleatur; ut accipientibus ex eo cum gratiarum actione ſanctificetur in viſceribus eorum Salvator mundi, qui vivis & regnas.

Benedictio Salis.

Sancte Domine, creator omnium creaturarum, & in his naturæ artifex, & unus

Digitized by Google

unus magiſter gignentium originis nationum utilitatisque virtutem (*Sic*), cuius providentia in hac quoque creatura liquentes aquas cœleſti igne ſolidaſti, uti hanc humanis uſibus admixtam condiret, & in longiorem uſum incorruptam ſervaret: da ei Domine exorantibus nobis eam ex tua benedictione ſubſtantiam, ut cuiuscumque viſcera penetraverit, fuget ex his atque depellat, quicquid erroris confuſio malignitatis ac fraudis diabolicæ tentationis infuderit, omni hoſte noſtra (l. *hoſtis noſtri*) infeſtatione depulſa, id in homine tantum, quod ante factum eſt, relinquatur.

Item alia ad Salis Bened.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus! Te ſuppliciter deprecamur, ut benedicere digneris hanc creaturam tuam ſalis, quam in uſum humani generis tribuiſti; ut qui ex ea guſtaverint, nunquam moriantur in æternum, ſed te ſapiant, in te roborentur, atque ad æterna dona gratiarum venire mereantur in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus.

Oratio in Domo Infirmorum. (1)

Omnipotens & miſericors Deus, quæſumus immenſam pietatem tuam, ut ad

(1) Hæc omnia ex codd. *Rhenaug.* & *San-Blaſiano* ſunt deſumta. Hic tamen in notis ex codice *San-Galenſi* ſæpe laudato alias adhuc orationes ac miſſas pro infirmis, quæ partim in *Gelaſ.* vulgato, aut *Gregor.* MURATORII leguntur, partim etiam peculiares recenſere aut addere iuvat.

Orat. Quando primum Infirmus viſitatur.

Oremus, fratres! Dnm Deum nrm pro fratre nro, quem ad præſens malum languoris exulcerat: ut eum Dni pietas cœleſtibus dignetur curare medicinis; ut qui dedit animam, det & ſalutem, per.

Alia.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ &c. *ſupra.*

Alia.

Dne ſce Pater omnipotens æterne Deus! qui fragilitatem conditionis nræ infuſa virtutis dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis corpora nra & membra vegetentur: ſuper hunc famulum tuum ill. propitiatus intende, ut omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa, gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur, per. *g.*

Alia.

Reſpice, Dne, famulum tuum &c. *ſupra. gg.*

Miſſa pro confitente Infirmo.

Omnipotens ſempiterne Deus! confitenti famulo tuo ill. pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ propitiationis ad veniam, per. *g.*

Secreta.

Præſta, quæſumus omnipotens & miſericors Deus! ut hæc ſalutaris oblatio famulum tuum ill. & a propriis reatibus indeſinenter expediat, & ab omnibus tueatur adverſis, per. *Ad Comm.*

Omnipotens & miſericors Deus! qui omnem animam pœnitentem & confitentem magis vis emendare quam perdere! reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum ill. & per hæc ſacramenta, quæ ſumpſimus, averte ab eo iram indignationis tuæ, & dimitte ei omnia peccata eius, per Dnm.

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus! qui peccatorum indulgentiam in confeſſione celeri poſuiſti: ſuccurre lapſis, miſerere confeſſis; & famulum tuum ill. quem delictorum catena conſtringit, magnitudo tuæ pietatis abſolvat, per.

Miſſa pro Infirmo.

Omnipotens ſempiterne Deus &c. *Ut ſupra.*

Alia.

Merito, omnipotens Deus! hanc incurrimus infirmitatem, qui tuam offendimus voluntatem: & tamen licet arguamur flagellis pro peccatis, ſed fiduciam de te non amittimus confidentiæ, ſcientes, quod non uſquequaque in nos peccata inſequeris, ſi tamen peccatorum oblatione placaris. Ob hoc, Dne, poſcentium attende propitius preces, lamentium (l. *lamentantium*) audi clamorem, impende pietatem, & pone iam finem propter miſericordiam tuam, & concede ſanitatem, per.

Secreta.

Deus, ſub cuius nutibus &c. *Ut ſupra.*

Præfatio.

VD. P. X. D. N. qui peccata nra portavit in cor-

ad introitum humilitatis noſtræ in tuo nomine hos famulos tuos huic habitaculo iacentes feſſos ſalutifere viſitare digneris, ſicut viſitaſti Dne Tobiam & Saram, ſocrum Petri, puerumque Centurionis; ita & iſti priſtina ſanitate animæ corporiſque reddita, gratiarum tibi in eccleſia tua referant actiones. Per. *gg.*

Oratio ſuper Infirmum in domo.

Deus, qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris effectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris; & famulum tuum ex adverſa valetudine corporis laborantem placidus (gg. *placatus*) reſpice, & viſita in ſalutari tuo, & cœleſtis gratiæ præſta medicinam. Per. *g.gg.*

Alia.

Deus, qui humani generis, & ſalutis remedii, & vitæ (gg. *humano generi & ſalutis remedia & vitæ*) æternæ munera contuliſti; conſerva famulo tuo tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per. *g. gg.*

Oratio ad viſitandum Infirmum.

Deus, qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti; ita & famulum tuum a lecto ægritudinis tua potentia erigat ad ſalutem. Per.

Alia.

Reſpice, Dne, famulum tuum in infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove, quam creaſti: ut caſtigationibus emendata, continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatam. Per.

Orat.

---

pore ſuo, cuius vulnere plagarum ſanati ſumus, cuius tactu vis febrium mox receſſit, cuius ſermone confeſtim ſurdus audivit, cuius iuſſu mutus fari non diſtulit, claudus cucurrit, cæcus vidit, ægrotus prævaluit, ſurrexit de ſepulchro quatriduanus. Per ipſum te ergo, Pater piiſſime, poſtulamus, ut ſacrificii huius oblationem placatus ſuſcipias, & peccantibus nobis veniam, & languenti fratri nro N. conferas ſalutem & veram medicinam, per eund. Xpm.

Ad Comm.

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium &c. *Ut ſupra.*

Item alia Miſſa pro Infirmis.

Deus, in cuius libro ſunt vocabula notata mortalium: concede nobis omnibus veniam delictorum, & præſta quæſumus famulo tuo N. (*ut*) quem immenſus languor excruciat, tua miſeratio reparet ad medelam; & ſi ei ambitio piaculi adduxit dolorem, adducat etiam confeſſio ſalutis optabilem ſanitatem, per.

Super Obl.

Sana, quæſumus Dne, vulnera famuli tui N. ægritudines eius perime, & peccata dimitte, & hanc oblationem, quam tibi pro eo offerimus, benignus ſuſcipe: & ſic eum flagella in hoc ſæculo, ut poſt tranſitum Scorum mereatur adunari conſortio, per.

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui famulos tuos ideo corporaliter verberas &c. *Ut ſupra.*

Ad Comm.

Omnipotens ſempiterne Deus! qui ideo delinquentibus occaſionem tribuis corrigendi, ut non ſit in eis, quod puniat cenſura iudicii. Ob hoc te, pie Pater, expoſcimus, ut hoc accipias pro ſacrificio laudis, quod famulus tuus N. atteritur virga correptionis: ſana eum, quæſumus Dne, ab omnibus infirmitatibus, quo te medicante, & plenitudinem ſalutis recipiat, & tuis ſemper iuſſionibus ſanus pareat, per.

Item aliæ Orationes.

Omnipotens & miſericors Deus, qui ſubvenis &c. *Ut ſupra.*

Alia.

Deus qui facturæ tuæ. *Ut ſupra.*

Alia

Deus qui humano generi. *Ut ſupra.*

Alia.

Virtutum cœleſtium Deus! qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis: adeſto propitius huic famulo tuo; ut fugatis infirmitatibus, & viribus revocatis, nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat, per. *g.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus! qui ægritudines & animarum depellis & corporum, auxilii tui ſuper infirmos nros oſtende virtutem: ut ope miſericordiæ tuæ adiuti, ad omnia pietatis tuæ reparentur officia, per. *g.*

Digitized by Google

Orat. ad Miſſam pro Infirmo.

Omnipotens ſempiterne Deus, ſalus æterna credentium! exaudi nos pro famulis tuis ill. pro quibus miſericordiæ tuæ imploramus auxilium: ut reddita ſibi ſanitate gratiarum tibi in Eccleſia tua referant actionem. Per. *g. gg.*

Secreta.

Deus, (*ſub*) cuius nutibus vitæ noſtræ momenta decurrunt, ſuſcipe preces & hoſtias famulorum famularumque tuarum, pro quibus miſericordiam tuam ægrotantibus imploramus: ut de quorum periculo metuimus, de eorum ſalute lætemur. Per. *g. El. gg.*

Præfatio.

VD. Qui famulos tuos ideo corporaliter verberas, ut mente proficiant; patenter oſtendens, quod ſit pietatis tuæ præclara ſalvatio, dum præſtas, ut operetur nobis etiam ipſa infirmitas ſalutem. Per. *gg.*

Poſt Commun.

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxilii tui ſuper infirmos noſtros oſtende virtutem: ut ope miſericordiæ tuæ (ed. *adiuti*, *Eccleſiæ*) ſanctæ repræſentari mereantur. Per. *g. El. gg.*

Alia.

Omnipotens & miſericors Deus! qui ſubvenis in periculis laborantibus, qui temperas flagella; te, Dne, ſupplices exoramus; ut viſitatione tua ſca erigas famulos tuos de lecto infirmitatis, & ſanos repræſentes eccleſiæ tuæ ſcæ ad laudem & gloriam nominis tui. Per.

Orat.

Oratio poſt redditam ſanitatem.

Dne ſce Pater omnipotens æterne Deus! qui benedictionis tuæ gratiam &c. *Ut ſupra.*

Miſſa pro Infirmo, qui proximus morti putatur.

Omnipotens ſempiterne Deus! conſervator animarum, qui quos diligis corripis, & quos recipis, pie ad emendationem coerces: te invocamus, Dne, ut medelam tuam conferre digneris in animam famuli tui N. qui in corpore patitur membrorum debilitationem, vim laboris, ſtimulos infirmitatum: da ei, Dne, gratiam tuam, ut in hora exitus illius de corpore abſque peccati macula tibi datori proprio, per manus ſcorum Angelorum repræſentari mereatur eius anima, per.

Secreta.

Adeſto, Domine, pro tua pietate ſupplicationibus nris, & ſuſcipe hoſtiam, quam tibi offerimus pro famulo tuo N. iacente in grabato, ſalutem non corporis, ſed animæ ſuæ petenti: præſta, omnipotens Deus! indulgentiam omnium iniquitatum ſuarum propter immenſam miſericordiam tuam, & per interceſſionem ſcorum tuorum N. ut per hoc, quod ſuſtinet flagellum, a ſcis Angelis tuis ſuſceptus, pervenire mereatur ad tuæ gloriæ regnum, per.

Infra Act.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro famulo tuo N. ut des ei cœleſte deſiderium, & in exitu corporis ſui ſpiritus refrigerium, quæſumus Dne'

Ad Comm.

Gratias agimus, Dne, multiplicibus largitatibus tuis, ex quibus animas in te ſperantium ſatiare conſueviſti: nam fidi de tua pietate precamur, ut miſereri digneris famulo tuo N. ne prævaleat adverſus eum adverſarius in hora exitus illius de corpore, ſed tranſitum habere mereatur ad vitam, per Dnm nrm.

Item Miſſa pro Infirmo, de cuius ſalute deſperatur.

Deus, qui famulo tuo N. tuæ dediſti fidei coniunctionem: concede, ut per temporalem corporis incommoditatem ad ſupernorum civium pertingere mereatur conſortium, per. *Alia.*

Famulum tuum N. quæſumus Dne, ab omnibus abſolve peccatis: & qui membrorum iam caret officio, numquam tuæ miſerationis deſtituatur auxilio, per.

Secreta.

Cuncta famuli tui N. quæſumus Dne, per hanc oblationem purgentur delicta: ut qui tuæ diſpoſitionis flagello in hac atteritur vita, in futuro ei requies tribuatur, per.

Ad Comm.

Sacris, Dne, muneribus vegetati, quæſumus: ut famulum tuum N. infirmitate laborantem, ſpe futuræ beatitudinis relevare digneris, per Dnm nrm.

Orat. pro reddita ſanitate.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus! qui benedictionem tuæ gratiæ ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate cuſtodis: ad invocationem nominis tui benignus adſiſte; & hunc famulum tuum liberatum ægritudine & ſanitatem donatam (l. *ſanitate donatum*) dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, Eccleſiæ tuæ ſanctisque altaribus tuis cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per. *g. gg.*

Oratio pro Infirmis.

Univerſæ ſalutis Deum & univerſæ virtutis, fratres dilectiſſimi! deprecamur pro fratribus & ſororibus noſtris, qui ſecundum carnem diverſis ægritudinum generibus inſalutantur; ut his Dominus cœleſtem medicinam ſive munus indulgeat. Per.

Alia.

Domine! vivificare mortuos tibi facile eſt, reſtitue ægrotantibus priſtinam ſanitatem; æterni medicaminis remedia deſiderent, quicunque medelam tuæ miſericordiæ deprecantur, Salvator mundi. Per.

Reconciliatio pœnitentis ad mortem. (1)

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſericordiarum tuarum peccata pœnitentia deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas: reſpice ſuper hunc famulum tuum, & remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piiſſime Pater! quicquid terrena fragilitate corruptum eſt, vel quicquid diabolica fraude violatum eſt: in unitatem corporis eccleſiæ tuæ membrum perfecta remiſſione reſtitue. Miſerere, Dne, gemituum, miſerere lacrymarum, & non habentem fiduciam, niſi in tua miſericordia, ad ſacramentum reconciliationis admitte. Per. *g. gg.*

Alia.

Maieſtatem tuam, Domine, ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo, longo ſqualore pœnitentiæ macerato, miſerationis tuæ veniam largire digneris: ut nuptiali veſte recepta ad regalem menſam, unde eiectus fuerat, mereatur intrare. Per. *g. gg.*

Maieſtatem tuam quæſumus, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus! qui non vis mortem, ſed peccatorum vitam ſemper inquiris: reſpice flentem famulum tuum, adtende proſtratum, eiusque planctum in gaudium tua miſeratione concede: (l. *converte*) ſcinde delictorum ſaccum, & indue eum lætitia ſalutari, ut poſt longam peregrinationis famem, de ſanctis altaribus tuis ſatietur, ingreſſus cubiculum regis in ipſius aula benedicat nomen gloriæ tuæ ſemper. Per. *g.*

Ordo ad Commendationem animæ. (2)

Proficiſcere, anima chriſtiana, de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit; in nomine Ieſu Chriſti Filii Dei vivi, qui pro te paſſus eſt; in nomine Spiritus ſancti, qui in te conſuſus (l. *infuſus*) eſt. In no-

(1) Tota hæc reconciliatio extat in vulg. *Gelaſ.* T. VI. THOMAS. p. 55. cum alia adhuc oratione in fine: duæ quoque priores in edito *Gregor.* poſt miſſam pro infirmis, n. CIII.

(2) Hic ritus habetur in vulg. *Gelaſ.* T. II. pag. 558.

Digitized by Google

nomine Angelorum & Archangelorum. In nomine Thronuum (l. *Thronorum*) & Dominationum. In nomine Principatuum & Poteſtatum, & omnium Virtutum cœlorum. In nomine Cherubim & Seraphim. In nomine omnis humani generis, quod a Deo ſuſceptum eſt. In nomine Patriarcharum & Prophetarum. In nomine Apoſtolorum ac Martyrum. In nomine Confeſſorum & Epiſcoporum. In nomine Sacerdotum & Levitarum, & omnium Eccleſiæ catholicæ graduum. In nomine Monachorum. In nomine Virginum & fidelium Viduarum. Hodie factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Hieruſalem cœleſti. Suſcipe ſervum tuum in bonum. Libera animam ſervi tui ill. ex omnibus periculis infernorum, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus multis. (*forte l.* mortis) Libera, Domine, animam ſervi tui ill. ſicut liberaſti Enoch & Eliam de communi morte mundi. Libera, Domine, animam ſervi tui ill. ſicut liberaſti Loth de Sodomis & de flamma ignis. Libera, Domine, animam ſervi tui ill. ſicut liberaſti Moyſen de manu Pharaonis regis Ægyptiorum. Libera, Domine, animam ſervi tui ill. ſicut liberaſti Iſaac de hoſtia & de manu patris ſui Abrahæ. Libera, Domine, animam ſervi tui ill. ſicut liberaſti Iob de paſſionibus multis. Libera animam ſervi tui ill. ſicut liberaſti Daniel de lacu leonis. Libera, Domine, animam ſervi tui ill. ſicut liberaſti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manibus regis iniqui. Libera animam ſervi tui ill. ſicut liberaſti Ionam de ventre ceti. Libera animam ſervi tui ill. ſicut liberaſti David de manu Saul regis, & de omnibus vinculis eius. Libera, Dne, animam ſervi tui ill. ſicut liberaſti Petrum & Paulum de carceribus. Libera animam ſervi tui ill. ſicut liberaſti Theclam de tribus tormentis: ſic liberare digneris animam hominis iſtius, & tecum habitare in bonis cœleſtibus concede. Per.

Orat. ſuper Defunctis, vel commend. animæ. (1)

Deus, apud quem omnia morientia vivunt, cui non pereunt moriendo corpora noſtra, ſed mutantur in melius: te ſupplices deprecamur, ut ſuſcipi iubeas animam famuli tui ill. per manus ſanctorum Angelorum deducendam in ſinu amici tui patriarchæ Abrahæ, reſuſcitandam in die noviſſimo magni iudicii; & ſi quid de regione mortali tibi contrarium contraxit fallente diabolo, tua pietate ablue indulgendo. Per. *g.*

Coll.

Tu nobis, Domine, auxilium præſtare digneris, tu opem feras, tu miſericordiam largiaris; ſpiritum etiam famuli tui & cari noſtri ill. vinculis corporis liberatum, in pace Sanctorum recipias: uti locum pœnalem & gehennæ ignem flammamque tartaris (ed. *tartari*) in regione viventium evadat. Per. *g.*

Ad lavandum Corpus.

Suſcipe, Domine, animam ſervi tui ill. revertentem ad te: veſtem cœleſtem indue

(1) Orationes iſtæ, & plures aliæ pro defuncto ante vel poſt ſepulturam, occurrunt in vulg. *Gelaſ.* T. VI. a pag. 215.

indue eam, & lava eam ſancto fonte vitæ æternæ; & inter gaudentes gaudeat, & inter ſapientes ſapiat, & inter Martyres coronata conſedeat; & inter Patriarchas & Prophetas proficiat; & inter Apoſtolos Chriſtum ſequi ſtudeat, & inter Angelos & Archangelos claritatem Dei ſemper videat, & inter paradiſi rutulos (ed. *rutilos*) lapides gaudium poſſideat, & notitiam miniſteriorum (ed. *myſteriorum*) Dei agnoſcat, & inter Cherubim & Seraphim claritatem Dei inveniat; & inter viginti quatuor Seniores cantica canticorum audiat, & inter lavantes ſtolas in fonte luminis veſtem lavet, & inter pulſantes depulſans (ed. *pulſans*) portas apertas cœleſtis Hieruſalem reperiat; & inter videntes Deum facie ad faciem videat, & inter canentes canticum novum cantet, & inter audientes auditum cœleſtis ſoni audiat. Suſcipe, Domine, ſervum tuum in æternum in bonum habitaculum, & da ei requiem, & regnum, id eſt Hieruſalem cœleſtem: ut eum in finibus Patriarcharum, id eſt Abrahæ & Iſaac & Iacob, conlocare digneris; & habeat partem in prima reſurrectione & inter reſurgentes reſurgat, & inter ſuſcipientes corpora in die reſurrectionis corpus ſuum ſuſcipiat, & cum Benedictis ad dexteram Dei Patris venientibus veniat, & inter poſſidentes vitam æternam poſſideat. *g.*

Antiqui memor eris (ed. *memores*) chirographi, fratres kariſſimi! qui (al. *quo*) primi hominis peccato & corruptioni addicta eſt humana conditio, ſub cuius lege ſibi unusquisque formidat, quod aliis accidiſſe videat: omnipotentis Dei miſericordiam deprecemur pro ſpiritu Cari noſtri ill. cuius hodie depoſitio celebratur; ut eum in æternam requiem ſuſcipiat, & beata reſurrectione præſentet. Per. *g. Gall.*

Item Oratio.

Deus, qui iuſtis ſupplicationibus ſemper præſto es, qui pia vota dignaris intuere: da famulo tuo ill. cuius diei depoſitionis hodie officia pia præſtamus, cum Sanctis & Electis tuis beati muneris portionem. Per. *g. gg. Gall.*

Et incipit pſalm. canere & lavare corpus, & ponitur in feretro, & antequam de domo egrediatur, dicit antiphonam.

Ad æterna formaſti me. *Pſal.* Dnus regit me.

Deus, qui iuſtis ſupplicationibus ſemper præſto es, qui pia vota dignaris intuere; da famulo tuo ill cuius depoſitionis officia præſtamus, cum Sanctis & Electis beati muneris portionem. *mox ſupra.*

Poſtea portatur in Eccleſiam, canentibus interim Antiph. cum pſalm.

Ant. Tu iuſſiſti naſci me Dne. *Pſal.* Quemadmodum.

Audi vocem de cœlo. *Pſal.* Dilexi quoniam exaud.

℣. In memoria æterna. *Al.* Redemit Dominus.

Al. Ne tradas Domine. *Al.* Exaudi nos Deus. *Al.* Exaudi orationem ad te. *Al. Ant.* Non derelinquas me Deus. *Al.* Delicta iuventutis meæ. *Et can.* Miſerere mei Deus.

Omnipotentis Dei miſericordiam deprecamur, cuius iudicio & naſcimur & fini-

Digitized by Google

ſinimur; ut ſpiritum fratris noſtri ill. quem Domini pietas de incolatu mundi huius tranſire præcepit, requies æterna ſuſcipiat, & eum in beata reſurrectione repræſentet, & in finibus Abrahæ & Iſaac & Iacob conlocare dignetur. Per Dnm. *g.*

Item Oratio.

Deum iudicem univerſitatis, Deum cœleſtium & terreſtrium & infernorum Dominum deprecamur pro ſpiritu Cari noſtri ill. uti eum in requiem conlocare dignetur, & in partem primæ reſurrectionis reſuſcitet. Per. *g.*

Poſtea deputandi ſunt, qui ibidem ſine intermiſſione, uſque dum ipſum corpus ſepel. pſallant pſalmos, vel reſponſ. permixta, & ipſum corpus ſemper in Eccleſia debet (1) *uſque pro anima Miſſa celebratur; cum vero ipſa expleta fuerit, antequam &c.*

Deus universorum Creator & Conditor, qui cum ſis tuorum beatitudo Sanctorum, præſta nobis petentibus, ut ſpiritum fratris noſtri ill. a corporis nexibus abſolutum in prima reſurrectione facias repræſentari. Per Dnm. *g. Gall.*

Levatur ipſum corpus, procedentes ante (illud) *cum cereis vel turibulum* (thuribulo) *cum incenſis, cantibus, antiphonis cum pſalm. An.* In Paradiſum deducant te. *Pſal.* Ad te Domine levavi. (2)

Ant. Ingrediar in locum tabernaculi. *Pſal.* Quemadmodum deſiderat.

Et ponunt in ſarcophago, & antequam cooperiant, orant omnes pariter pro ipſa anima & cantant: Miſerere mei Deus.

Et Sacerdos dicit præfationem ſepulturæ.

Debitum humani corporis ſepeliendi officium fidelium more complentes, Deum, cui omnia vivunt, fideliter deprecemur, ut hoc corpus a nobis in infirmitate ſepultum, in virtute & ordine Sanctorum reſuſcitet, & eius ſpiritum Sanctis & Fidelibus iubeat adgregari; cuique in iudicio miſericordiam tribuat, quemque morte redemptum, debitis ſolutum, Patri reconciliatum, boni Paſtoris humeris reportatum, Spiritum ſanctum (l. *Spiritu ſancto*) protectum, in comitatu & (omitt. &) æterni regis perenni gaudio perfrui concedatur. Per Dnm. *g. gg.*

Poſtea cooperitur, cant. interim Antiph. Aperite mihi portas. *Pſal.* Confitemini D.

Commendatio Animæ

Tibi, Domine, commendamus animam famuli tui ill. ut defunctus a ſæculo tibi vivat, & ſi quæ per fragilitatem carnis errorum peccata in mundi converſatione commiſit, tu venia veriſſimæ pietatis abſterge. Per. *gg.*

MISSÆ PRO DEFUNCTIS. (3)

Miſſa pro defuncto Sacerdote.

Deus, qui inter apoſtolicos Sacerdotes famulum tuum ill. Pontificali feciſti digni-

(1) Hæc ex parte leguntur in ed. *Gelaſ.* apud THOMASIUM opp. T. IV. p. 339. ſeq. inde forte ſuppleri poſſunt, quæ hic deficiunt, aut corrupta ſunt: *Semper in eccleſia debet cuſtodiri, quousque . . . antequam ipſum corpus elevetur*, dicitur oratio.

(2) In vulg. *Gelaſiano* l. c. hæc & ſequentia non habentur.

(3) Has priori ordine ex cod. *Rhenaugienſi* antiquiſ-

dignitate vigere: præſta quæſumus, ut eorum quoque & perpetuo adgregetur conſortio. Per. *g. gg.*

Coll.

Preces noſtras, quæſumus Dne, quas in famuli tui ill. depoſitione deferimus, propitiatus exaudi: ut qui nomine (l. *nomini*) tuo myſterio fideli (ed. *myſterium fidele*) dependit, perpetua Sanctorum ſocietate lætetur. Per. *g.*

Suſcipe, quæſumus Domine, pro anima famuli tui ill. & Sacerdotis tui ill. quas offerimus hoſtias: ut cui pontificale donaſti meritum, dones & præmium. Per. *l. g.*

VD. Quamvis enim humano generi mortis inlata conditio pectora noſtra contriſtet, tamen clementiæ tuæ dona (l. *dono in*) ſpem futuræ immortalitatis erigimur,

---

ſimo *Gelaſiano*, & noſtro *Gregoriano San-Blaſiano* damus: illas vero ex *San-Gallenſi* triplicis ritus, quæ omnes *Gelaſianæ* ſunt aut *Gregorianæ*, hic in notis recenſemus; quæ autem in editis non habentur, integras exhibemus.

Miſſa pro defuncto Sacerdote.

Deus, qui inter apoſtolicos &c. Ut ſupra. Alia: *Preces noſtras, quæſumus Dne &c.* Item alia: *Præſta, quæſumus Dne, ut anima &c.* ſupra. Alia: *Deus, cuius miſericordiæ &c.* Item Secreta: *Suſcipe, quæſumus Dne &c.* ſupra. Alia: *Hæc oblatio, quæſumus Dne, animam famuli & Sacerdotis tui ill. ab omnibus vitiis humanæ conditionis abſolvat. Per.* El. Præfatio: *VD. æterne Deus! quamvis enim humano &c.* ſupra. Infra actionem *Hanc igitur oblationem, quam tibi pro depoſitione &c.* ſupra. Ad Commun. *Propitiare Dne &c.* ſupra. Alia ad Compl. *Da veniam, Dne Deus, per hæc ſancta myſteria animæ famuli & Sacerdotis tui N. ut occurſo non terreatur malo, ſed tua ſemper protegatur auxilio. Per.* El.

Alia: *Quæſumus, omnipotens Deus! ut animam famuli & Sacerdotis tui N. in congregatione &c.* ſupra.

Item alia Miſſa.

Miſerere, quæſumus Dne, animæ famuli tui N. Epiſcopi; & quem in corpore conſtitutum ſedis apoſtolicæ gubernacula tenere voluiſti, in electorum tuorum numero conſtituas Sacerdotum. Per.

Secreta.

Suſcipe, Dne quæſumus, hoſtias pro anima famuli tui N. Epiſcopi: ut cui pontificale donaſti meritum, ſempiternum concedas & præmium. Per. *l. g. El.* ſupra.

Ad Commun. *Præſta quæſumus &c.* Ut ſupra.

Alia ad Compleud.

His ſacrificiis, quæſumus omnipotens Deus! purgata anima & ſpiritus famuli tui N. Epiſcopi ad indulgentiam & refrigerium ſempiternum pervenire mereatur. Per. *El.*

Miſſa pro Sacerdote defuncto.

Præſta, quæſumus Dne, ut anima &c. ſupra. Alia: *Deus cuius miſericordiæ non &c.* ſupra. Secreta: *Suſcipe, quæſumus Dne, pro anima &c.* ſupra.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro anima famuli tui Sacerdotis deferimus, quæſumus Dne, placatus intende: pro qua Maieſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut eam in numero Sanctorum tuorum tibi placentium facias dignanter adſcribi.

Ad Compleud.

Profit, quæſumus Dne, animæ famuli tui N. Sacerdotis miſericordiæ tuæ implorata clementia: ut eius, in quo ſperavit & credidit, æternitatis capiat, te miſerante, conſortium. Per. *g.*

Item alia Miſſa.

Omnipotens ſempiterne Deus! qui contuliſti fidelibus tuis remedia vitæ poſt mortem: præſta, quæſumus, propitius ac placatus, ut anima famuli & Sacerdotis tui N. a peccatis omnibus expiata, in tuæ redemtionis ſorte requieſcat. Per. *l. g.*

Secreta.

Hoſtias, quæſumus Dne, quas tibi pro anima famuli & Sacerdotis tui N. deferimus, propitiatus intende: & cui dediſti fidei chriſtianæ meritum, dones & præmium. Per. *g. gg.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro requie famuli & Sacerdotis tui N. quæſumus Dne, propitiatus accipias: ut per hæc ſalutis humanæ ſubſidia in tuorum numero redemtorum ſorte perpetua cenſeatur. Per Xpm.

Ad Commun.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut anima famuli & Sacerdotis tui N. quicquid converſatione contraxit humana, per huius ſacramenti myſterium & clementer indulgeas, & in tuorum ſede conſtituas redemtorum. Per.

Digitized by Google

mur, ac memores ſalutis æternæ non timemus lucis huius ſuſtinere iacturam, quoniam beneficio gratiæ tuæ fidelibus vita non tollitur, ſed mutantur (l. *mutatur*); atque animæ corporeo ergaſtulo liberatæ horrent mortalia, dum inter mortalia (l. *immortalia*) conſequuntur. Unde quæſumus, ut famulus tuus ill. beatorum tabernaculis Spiritu tuo (f. leg. *Spirituum*) conſtitutus evaſiſſe carnales glorietur anguſtias, diemque iudicii cum fiducia voto gratulationis expectet. Per Chriſtum.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi pro depoſitione famuli tui & Sacerdotis tui ill. deferimus, quæſumus Dne, intende; pro quo Maieſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut eum in numero tuo (ed. *tibi*) placentium cenſeri facias Sacerdotum. Per. *g.*

Poſt Commun.

Propitiare, Domine, ſupplicationibus (*noſtris*) & animam famuli tui ill. Epiſcopi in vivorum regione æternis gaudiis iube aſſociare. Per. *g.*

Item alia Miſſa pro Sacerdote Epiſcopo.

Præſta, quæſumus Dne, ut anima famuli tui vel (ed. *tui ill. Epiſc.*) Epiſcopi, quam in hoc ſæculo commorantem ſacris muneribus decoraſti, cœleſti ſede glorioſa ſemper exultet. Per. *l. g. El.*

Deus, cuius miſericordiæ tuæ non eſt numerus, ſuſcipe pro anima famuli tui ill. Epiſcopi preces noſtras: & luces ei lætitiæ cui (ed. *lucis ei lætitiaque*) in regione Sanctorum tuorum ſocietatem concedi (ed. *concede*) Per. *g.*

Secreta.

Suſcipe, Dne quæſumus, hoſtias pro anima famuli tui ill. Epiſcopi: ut cui pontificale donaſti præmium, dones & meritum. Per. *l. g. qui habent*, donaſti meritum, dones & præmium.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, quam tibi offerimus pro famulo tuo ill. Epiſcopo, quæſumus Dne, placatus accipias; & cum Præſulibus Apoſtolicæ dignitatis, quorum eſt ſecutus officium, habere tribuas ſempiternæ beatitudinis portionem. Dieſque noſtros. *g.*

Poſt Commun.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut anima famuli tui ill. Epiſcopi, congregationis (ed. *in congregatione*) iuſtorum ac æternæ beatitudinis iubeas eſſe conſortem. Per. *g.*

Alia Miſſa pro Epiſcopo defuncto. (1)

D*a nobis, Dne, ut anima famuli & Sacer-*

---

(1) Hæc Miſſa Cod. *San-Blaſiani* deeſt in editis, habetur autem in Miſſali, & in *San-Gallenſi* quoque Oratio ſuper Epiſcopum defunctum. *Da nobis Dne &c.* Secreta: *Annue nobis &c.* Infra act. *Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro commem.* ſuper Dypticia (i. e. *Diptycha*) *Memento etiam, Dne, & eorum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei &c.* Item poſt lectionem: *Ipſis & omnibus, Dne, in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerii, lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur. Per.* Ad Commun. *His ſacrificiis &c.*

Item Miſſa pro defuncto Epiſcopo.

Da, quæſumus omnipotens Deus! ut famulus tuus N. cui eccleſiaſticæ curæ talenta tradidiſti, cum multiplici laboris fructu gaudia Dni ſui ingrediatur æterna, qui totius mundi tulit etiam immolatus peccatum. Per.

Secreta.

Hæc oblatio, quæſumus Dne, animam famuli tui N. ab omnibus vitiis humanæ conditionis abſolvat. Per. *El.*

Ad Commun.

Da veniam, Dne Deus, per hæc ſancta myſteria animæ famuli tui N. ut occurſu non terreatur malo, ſed tuo ſemper protegatur auxilio. Per. *Supra.*

Digitized by Google

Sacerdotis tui Epiſcopi, quam de ſeculo educens (*ed.* ſeculi eduxiſti) *laborioſo certamine, Sanctorum tuorum cœtui tribuas eſſe conſortem. Per. g.*

Secreta.

Annue, nobis Dne, ut animæ famuli tui Sacerdotis tui hæc proſit oblatio: quam immolando totius mundi tribuiſti relaxari delicta. Per. gg.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro commemoratione depoſitionis animæ famuli & Sacerdotis tui ill. Epiſcopi, quæſumus Dne, ut placatus accipias: & quem in corpore conſtitutum ſedis apoſtolicæ gubernaculo praeeſſe voluiſti, in electorum tuorum numero conſtitue Sacerdotum. Diesque.

Supra Diptycha.

Memento etiam, Dne, & eorum nominum, qui nos præceſſerunt, & dormiunt in ſomno pacis, per.

Item poſt Lect.

Iſtis & omnibus, Dne, in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis & pacis indulgentiam deprecamur. Per.

Ad Commun.

His ſacrificiis, quæſumus omnipotens Deus! purgata anima & ſpiritus famuli tui ill. Epiſcopi ad indulgentiam & refrigerium ſempiternum pervenire mereatur. Per. Vid. ſupra S. Gall. in notis.

Item alia Miſſa pro Sacerdote ſive Abbate. (1)

Deus, qui famulum tuum ill. Sacerdotem atque Abbatem & ſanctificaſti vocatione miſericordiæ, & adſumpſiſti conſummatione felici: ſuſcipe propitius preces noſtras, & præſta; ut ſicut ille tecum eſt meritis, ita a nobis non recedat exemplis. Per. *g.*

Secreta.

Concede, quæſumus omnipotens Deus! ut anima famuli tui ill. Abbatis atque Sacerdotis per hæc ſancta myſteria in tuo conſpectu ſemper clara conſiſtat, quæ tibi fideliter miniſtravit. Per. *g.*

Infra Act.

Hanc igitur oblationem, Dne, quam tibi pro anima famuli tui ill. Abbatis atque Sacerdotis offerimus, quæſumus Dne, placatus intende: pro qua Maieſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut eam in numero

(1) Eandem miſſam exhibet San-Gallenſis: *Deus, qui famulum &c.*

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus! Maieſtatem tuam ſupplices exoramus, ut famulo & Sacerdoti tuo N. atque Abbati, quem in requiem tuam vocare dignatus es, dones ſedem honorificatam, & fructum beatitudinis ſempiternæ: ut ea, quæ in oculis noſtris docuit & geſſit, non iudicium nobis pariant, ſed profectum attribuant; ut pro quo nunc in te gaudemus in terris, cum eodem apud te exultare mereamur in cœlis. Per. *g.*

Secreta: *Concede &c.* ut ſupra; in fine: *Quæ tibi in hoc exilio fideliter miniſtravit. Per.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Devotis clementiam tuam mentibus obſecrantes: ut animam famuli tui N. in electorum tibimet Pontificum numero iubeas conſiſtere gaudentem; ut qui hic tuo pro eis ſupplex deſerviebat altari, glorioſa illic cum eis tua gratuletur & laude. Per Xpm.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, quam tibi offerimus pro commemoratione animæ famuli tui N. quæſumus Dne, placatus accipias; & cum Præſulibus Apoſtolicæ dignitatis, quorum eſt ſecutus officium, habere tribuas ſempiternæ beatitudinis portionem, atque inter ſummi Paſtoris efficias præcipua membra cenſeri, per Xpm. *g. Supra.*

Ad Commun.

Proſit, quæſumus &c. *Ut ſupra.*

Digitized by Google

mero Sanctorum tuorum tibi placentium facias dignanter adſcribi. Quam oblat.

Poſt Commun.

Profit, quæſumus Domine, animæ famuli tui ill. Sacerdotis miſericordiæ tuæ implorata clementia tua: ut eius, in quo ſperavit & credidit, æternum accipiat, te miſerante, conſortium. Per. *g.*

ORAT. AD OMNES.
In Natl. Sanctorum, ſive Agenda Mortuorum. (1)

Beati Martyris tui ill. quæſumus, interceſſione nos protege; & animam famuli ill. Sacerdotis Sanctorum tuorum iunge conſortiis. Per. *l. g.*

Adiuva nos, Dne Deus noſter, Beati ill. precibus exoratus; & animam famuli tui ill. Sacerdotis in beatitudinem ſempiternæ lucis conſtitue. *l. g.*

Secreta.

Suſcipe, quæſumus Dne, hoſtias placationis & laudis, quas tibi in honore ſancti Martyris tui ill. nomini tuo conſecrandas deferimus; & pro requie famuli tui ill. Sacerdotis tibi ſuppliciter immolamus. Per. *g.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi in honore ſancti Martyris tui ill. vel pro requie famuli tui ill. Sacerdotis offerimus, quæſumus Dne, placatus (ed. *intende*): pro quo Maieſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut eum in numero Sanctorum tibi placentium facias dignanter adſcribi. Quam oblat. *g.*

Poſt Comm.

Aſcendant ad te, Dne, preces noſtræ, & anima famuli tui ill. gaudia æterna ſuſcipiat: ut quem feciſti adoptionis participem, iubeas hæreditatis tuæ eſſe conſortem. Per. *g.*

Miſſa pro defuncto nuper baptizato (2)

Deus, qui ad cœleſte regnum nonniſi renatis per aquam & Spiritum ſanctum pandis introitum: multiplica ſuper ani-

---

(1) In *San-Gallenſi* Item Miſſa pro defuncto Sacerdote, in commemoratione Sanctorum:

Beati Galli Confeſſoris tui, quæſumus Dne &c. Alia. *Adiuva nos, Dne Deus noſter, omnium Sanctorum tuorum &c.* ſupra. Secreta: *Suſcipe ... quas in honore omnium Sanctorum nomini &c.* ſupra. Ad Complend. *Aſcendant &c.* ſupra.

Item Miſſa pro defuncto Sacerdote.

Fidelium, Deus, animarum conditor & redemtor! famulo & Sacerdoti tuo N. cunctorum remiſſionem tribue peccatorum: ut, quam ſemper optavit, miſericordiam conſequatur. Per. *g. g g.*

Secreta.

Offerimus tibi, Dne, hoſtiam placationis & laudis: ut per tuæ miſericordiæ largitatem, animam famuli & Sacerdotis tui N. in lucis æternæ facias regione gaudere. Per.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro anima famuli & Sacerdotis tui N. quæſumus Dne, ut placatus accipias & miſerationum tuarum largitate concedas: ut quidquid terrena converſatione contraxit, his ſacrificiis emundetur, ac mortis vinculo abſoluta, tranſitum mereatur ad vitam. Diesque noſtros. *l. g.*

Ad Commun.

Præſta, quæſumus Dne, ut anima famuli & Sacerdotis tui N. his purgata ſacrificiis, indulgentiam pariter & requiem capiat ſempiternam. Per. *g g.*

(2) Hæc eadem Miſſa legitur in *San-Gallenſi.*

Deus, qui cæleſtis regni nonniſi &c. Alia. *Deus, qui omne meritum vocatorum donis tuæ pietatis anticipas: propitiare animæ famuli tui N. quem in fine iſtius vitæ regenerationis unda mundavit; & quem feciſti non timere de culpa, fac gaudere de gratia. Per. g.* Reliqua ut ſuperius.

Cæterum in *Rhenaugienſi* hanc Miſſam ſequitur alia Miſſa pro ſemetipſo Sacerdote, quam ſupra ſuo ordine poſuimus; in cuius fine hæc leguntur: *Pro I. Sol. C. pſalmus, aut III. Miſſ. pro I. untia CL. pſalmus aut III. Miſſ. pro VI. untias VI. pſalterios & Miſſ. III. pro I. libra XII. pſalter. & XII. Miſſ.* quæ ſuffragia pro defuncto perſolvenda indicare videntur.

animam famuli tui ill. miſericordiam tuam; & cui donaſti cœleſtem & incontaminatum tranſitum poſt baptiſmi ſacramentum, da ei æternorum plenitudinem gaudiorum. P.g.gg. *Secreta.*

Propitiare, Dne, ſupplicationibus noſtris pro anima famuli tui ill. pro qua tibi offerimus ſacrificium laudis: ut eam Sanctorum tuorum cœtibus conſociare digneris. *g. gg.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus, Domine, pro anima famuli tui ill. benignus adſume: eumque regenerationis fonte purgatum, & periculis vitæ huius exutum Beatorum numero digneris inſerere Spiritum (l. *Spirituum*). Quam oblationem. *g. gg.*

Poſt Commun.

Propitiare, Domine, animæ famuli tui ill. ut quem in finem (al. *in fine*) iſtius vitæ regenerationis fonte mundaſti, ad cœleſtis regni beatitudinem facias pervenire. Per. *g. gg.*

Oratio pro defunctis deſiderantibus pœnitentiam, & minime conſequentibus. (1)

Si quis pœnitentiam petens, dum Sacerdos venit, fuerit officio linguæ privatus, conſumtus ſit & ſi (al. conſtitutum eſt, ut ſi) *idonea teſtimonia hoc dicere* (dixerunt) *& ipſe per motus aliquos ſatisfacit, Sacerdos impleat omnia circa pœnitentiam, ut mos eſt.*

Item ad Miſſam.

Omnipotens & miſericors Deus, in cuius humana conditio poteſtate conſiſtit, animam famuli tui ill. quæſumus, ab omnibus abſolve peccatis: ut pœnitentiæ fructum, quem voluntas eius optavit, præventus mortalitate non perdat. Per. *l. g. gg.* *Secreta.*

Satisfaciat tibi, Dne quæſumus, pro anima famuli tui ill. ſacrificii præſentis oblatio, & peccatorum veniam, quam quæſivit, inveniat: ut quod officio linguæ implere non potuit, deſideratæ pœnitentiæ compenſatione percipiat. *l. g. gg.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offert famula tua ill. pro anima famuli tui ill. cuius depoſitionis diem celebramus, quæſumus Dne, ut placatus accipias, & ineffabili pietate concedas; ut quod exſequi præventus conditione mortali, miniſterio linguæ non potuit, mereatur indulgentiam ſempiternam, quæ in eius mente non defuit pœnitenti. Diesque. *g. gg.*

Poſt Commun.

Deus, a quo ſperatur humanum corpus (ed. *humani corporis*) omne quod bonum eſt; tribue quæſumus, ut ſicut animæ famuli tui ill. pœnitentiam velle donaſti: ſic indulgentiam tribue miſeratus optatam. Per. *l. g. gg.*

Miſſa unius defuncti Laici. (2)

Omnipotens ſempiterne Deus, cui numquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur: propitiare animæ famuli tui ill. ut qui de hac vita in tui nominis confeſſione diſceſſit, Sanctorum tuorum numero facias adgregari. Per. *g. gg.*

Secreta.

---

(1) Eadem Miſſa eſt in *San-Gallenſi.*

(2) In *San-Blaſiano* & *San-Gallenſi* eadem Miſſa habetur, ſed ſine præfatione.

Digitized by Google

Secreta.

Propitiare, quæſumus Dne, animæ famuli tui ill. pro qua tibi hoſtias placationis offerimus: ut qui in hac luce fide manſit catholica, & in futura vita ei retributio condonetur. Per. *g. g g.*

Præfatio.

VD. In cuius adventu, cum geminam iuſſerit ſiſtere plebem, iubeas famulum tuum ill. a numero diſcernere malorum, quem tribuas pœnæ æternæ evadere flammas, & iuſtæ potius adipiſci præmia vitæ, induique iubeas devicta morte victorem (gg. *vigorem*), ſemper inextinctam habere luminis auram, dignare, perpetuam præclaro in corpore vitam, ubi nox nulla ſuas defendet atras tenebras, ſecurus de ſalute placitus (gg. *placidis*) lætetur in horis (f. *hortis*) ſemper victurus, ſemperque in luce futurus. Per Chr. *g g.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro requie animæ famuli tui ill. offerimus, quæſumus Dne, placatus accipias, & tua pietate concedas, ut mortalitatis nexibus abſoluta inter fideles tuos habere (gg. *mereatur*) conſtitutam portionem, diesque noſtros. *g. g g.*

Poſt Commun.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus! ut animam famuli tui ill. ab Angelis lucis ſuſceptam in præparatis habitaculis deducere (g. *deduci*) facias Beatorum. P. *g. gg.*

Alia Miſſa pro uno Defuncto. (1)

I*nclina, Domine, aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſuppliciter deprecamur: ut animam famuli tui, quam de hoc ſeculo migrare iuſſiſti, in pacis ac lucis regione conſtituas, & Sanctorum tuorum iubeas eſſe conſortem. Per.* g. gg.

Alia.

Annue nobis, Dne, ut anima famuli tui remiſſionem, quam ſemper optavit, mereatur percipere peccatorum. Per.

Secreta.

Annue nobis, Dne, ut animæ famuli tui hæc proſit oblatio, quam immolando totius mundi tribuiſti relaxari delicta. Per. g. gg.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro requie animæ famuli tui offerimus, quæſumus Dne, ut placatus accipias, & tua pietate concedas: ut mortalitatis nexibus abſolutam, inter fideles tuos habere conſtituas manſionem. Dieſque noſtros. g.

Ad Commun.

Præſta, quæſumus Dne, ut anima famuli tui his purgata ſacrificiis, indulgentiam pariter & requiem capiat ſempiternam. Per. g. gg.

Item Miſſa unde ſupra.

Deus, cui ſoli adiacet medicinam præſtare poſt mortem, tribue quæſumus, ut anima famuli tui N. a terrenis exuta contagiis, in tuæ redemtionis munere glorietur. Per. *g.*

Secreta.

Annue nobis, Dne &c. Ut ſupra.

Præ-

(1) Hæc Miſſa in *San-Gallenſi* inſcribitur pro *quolibet catholico defuncto*, eſtque prorſus eadem, niſi quod tertiam adhuc orationem addat. *Abſolve, Dne, animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum: ut in resurrectionis gloria inter Sanctos tuos reſuſcitari mereatur. Per.* nec habet *infra actionem.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! Exaudi nos, quæſumus, & animæ famuli tui N. indulgentiam largire culparum: quatenus & quæ in hoc ſeculo peregit, relaxes delicta, & cum beneplacitis tribuas lucidiſſimas manſiones. Per.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, Dne, quam tibi offerimus pro anima famuli tui, cuius commemorationem agimus, tribuens ei remiſſionem omnium peccatorum, quæſumus Dne, ut placatus.

Ad Commun.

His ſacrificiis, quæſumus omnipotens Deus! purgetur anima famuli tui: ut ad indulgentiam & refrigerium pervenire mereatur. Per. g.

Miſſa pro defuncta Femina. GG. (1)

Quæſumus, Dne, pro tua pietate miſerere animæ famulæ tuæ: & a contagiis mortalitatis exutam in æternæ ſalvationis parte reſtituas. Per. gg.

Secreta.

His ſacrificiis, Dne, anima famulæ tuæ a peccatis omnibus exuatur, ſine quibus nemo liber extitit: ut per hæc pia placationis officia perpetuam miſericordiam conſequatur. Per. gg.

Ad Commun.

Inveniat, quæſumus Dne, anima famulæ tuæ lucis æternæ conſortium; cuius perpetua gratia conſecuta eſt ſacramentum. Per. gg.

Item alia Miſſa in agenda plurimorum. (2) Pro-

(1) Tota hæc Miſſa habetur etiam in *San-Gallenſi*, & hodierno Miſſali.

(2) Huic Miſſæ, ex *Rhenaugienſi* codice deſumtæ, concordat alia ex *San-Blaſiano*, & *Petrohuſano*, qui poſterior cum priore conſentit, niſi quod *Hanc igitur* ut *Rhenaugienſis* habeat: uterque tamen hic *Gregorianus* Præfatione caret. *In San-Gallenſi* vero ſequens legitur:

Miſſa communis pro fidelibus Defunctis.

Propitiare, quæſumus Dne &c. *Ut ſupra.* Alia: *Deus, cui ſoli competit &c.* Item

Alia.

Fidelium, Deus, omnium conditor & redemtor! animabus famulorum famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam ſemper optaverunt, piis ſupplicationibus conſequantur. Per. *g. gg.* *Alia.*

Maieſtatem tuam, Dne, ſupplices exoramus: ut animæ famulorum famularumque tuarum ab omnibus, quæ humanitus commiſerunt, exutæ contagiis, in tuorum cenſeantur ſorte Iuſtorum. Per. *g.*

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne &c. Ut ſupra.

Alia Secreta.

Hoſtias, quæſumus Dne, quas tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, propitius intende: ut quibus fidei chriſtianæ meritum contuliſti, dones & præmium. Per. *g. gg.*

Præfatio.

VD. P. X. D. N. cuius ſacram paſſionem pro immortalibus & bene quieſcentibus animabus ſine dubio celebramus, pro his præcipue, quibus ſecundæ nativitatis gratiam præſtitiſti: quoniam exemplo Dni nri Ihu Xpi cœperunt eſſe de reſurrectione ſecuri, credentes, quia qui feciſti quæ non erant, potes reparare quæ fuerant; & reſurrectionis futuræ nobis documenta non ſolum per propheticam & apoſtolicam doctrinam, ſed eiusdem Unigeniti tui Redemtoris noſtri reſurrectione dediſti: ut quod per Prophetas eſt nuntiatum, per Apoſtolos traditum, ipſius reſurrectionis exemplo ſit firmatum; per quem &c. *gg.*

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro requie &c. Ut ſupra. *Alia.*

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro commemoratione animarum in pace dormientium ſuppliciter immolamus, quæſumus Dne, benignus accipias, & tua pietate concedas: ut & nobis proficiat huius pietatis affectus, & illis impetret miſericordiam ſempiternam, quam oblationem. *g. gg.*

Poſt Commun.

Inveniant, quæſumus &c. Ut ſupra.

Alia.

Animabus &c. Ut ſupra.

Digitized by Google

Propitiare, quæſumus Dne, animabus famulorum famularumque tuarum miſericordia ſempiterna: ut mortis nexibus expeditas lux eas æterna poſſideat. Per. *l. gg.* *Alia.*

Deus, cui ſoli competit medicinam præſtare poſt mortem: tribue quæſumus; ut animæ famulorum famularumque tuarum ab omnibus exutæ peccatis in Electorum tuorum ſocietatibus adgregentur. Per. *l. g.* *Secreta.*

Hoſtias tibi, Domine, humili ſupplicatione deferimus: ut animæ famulorum famularumque tuarum per hæc placationis officia tuam miſericordiam conſequantur. Per. *l. g. gg.*

Conteſtatio.

VD. Qui es redemtor animarum ſuarum (gg. *Sanctarum*) quamvis (*enim*) mortis humani generis illata conditio pectora humana mentesque contriſtet, tamen clementiæ tuæ dono ſpe futuræ immortalitatis erigimur, & memores æternæ, non timemus lucis huius ſubire diſpendium: quoniam miſericordiæ tuæ munere fidelibus vita mutatur, non tollitur, & timoris obſervatione defunctis domicilium perpetuæ felicitatis adquiritur. Tibi igitur, clementiſſime Pater! preces ſupplices fundimus, & Maieſtatem tuam devotis mentibus exoramus: ut animæ famulorum famularumque tuarum, quorum diem commemorationis celebramus, mortis vinculis abſolutæ tranſitum mereantur ad vitam, & in ovium placitarum benedictione numerentur ad vitam. Per Chriſtum Dominum. *gg.*

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro requie, & animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, quæſumus Dne, propitius intuere, & concede: ut mortuis proſit ad veniam, quod cunctis viventibus præparare dignatus es ad medelam. Diesque noſtros. *g. gg.*

Alia.

Hanc igitur oblationem, Dne quæſumus, intende placatus, quam pro animabus famulorum famularumque tuarum tuæ ſupplices exhibemus pietati: ut per hæc ſancta myſteria ab omnibus abſolutæ peccatis, æternæ beatitudinis participes efficiantur. Diesque.

Poſt Commun.

Inveniant, quæſumus Dne, animæ famulorum famularumque tuarum, omnium in Chriſto quieſcentium, lucis æternæ conſortium, qui in hac luce poſitum (ed. *poſiti tuum*) conſecuti ſunt ſacramentum. Per. *g. gg.*

Alia.

Fidelium, Deus, animarum conditor & redemtor, famulis & famulabus tuis cunctorum remiſſionem tribue peccatorum: ut quam ſemper optaverunt, indulgentiam conſequantur. Per. l. g. gg.

Alia.

Animabus famulorum famularumque tuarum oratio proficiat ſupplicantium: ut eas & a peccatis exuas, & tuæ redemtionis facias eſſe participes. Per. g. gg.

Alia Miſſa pro Defunctis. (1)

D*eus, cui proprium eſt miſereri, & preces exaudire ſupplicantium, propitia-*

 re

(1) Hæc Miſſa cod. *San-Blaſiani* in editis deeſt: quam ampliorem ex *San-Gallenſi* hic ſubiicimus.

Digitized by Google

re animabus famulorum famularumque tuarum: ut te miſerante a peccatorum vinculis abſolutæ, ad æternæ beatitudinis requiem pervenire mereantur. Per. gg.

Secreta.

Hoſtias tibi, Dne, humili ſupplicatione deferimus: ut animæ famulorum famularumque tuarum per hæc placationis officia tuam miſericordiam conſequantur. Per. gg.

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui nobis in Chriſto unigenito Filio tuo Dno Deo noſtro ſpem beatæ reſurrectionis conceſſiſti: præſta quæſumus, ut animæ, pro quibus hoc ſacrificium redemtionis noſtræ tuæ offerimus Maieſtati, ad beatæ reſurrectionis requiem, te miſerante, cum Sanctis tuis pervenire mereantur. Per Xpm Dnm.

Hanc igitur oblationem, Dne quæſumus, quam tibi pro requie animarum famulorum &c. Ut ſupra. gg.

Ad Commun.

*Divina libantes ſacramenta, concede, quæſumus, omnipotens Deus! ut hæc eadem nobis proficiant ad ſalutem, & animabus, pro quibus tuam deprecamur clementiam, proſint ad indulgentiam. Per.*gg.

Alia.

Deus vita viventium, ſpes morientium, ſalus omnium in te ſperantium: præſta propitius, ut animæ famulorum famularumque tuarum a noſtræ mortalitatis tenebris abſolutæ, in perpetua cum Sanctis tuis luce lætentur. Per. gg.

Alia Miſſa pro Defunctis. (1)

Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator! quæſumus clementiam tuam: ut

---

Item unde ſupra. *gg.*

Deus, cui proprium eſt &c. Ut ſupra.

Alia.

Animabus, quæſumus Dne, famulorum famularumque tuarum, miſericordiam concede perpetuam, ut eis proficiat in æternum, quod in te ſperaverunt & crediderunt. Per. *gg.*

Super oblata.

Hoſtias tibi, Dne, humili &c. Supra.

Alia Secreta.

His, quæſumus Dne, placatus intende muneribus: & quod ad laudem tui nominis ſupplices offerimus, ad indulgentiam proficiat defunctorum. Per. *gg.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! qui nobis in Chriſto &c. Ut ſupra.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Dne quæſumus, placatus intende, quam pro animabus fidelium noſtrorum tuæ ſupplices exhibemus pietati: ut per hæc myſteria ab omnibus abſoluti peccatis, & æternæ beatitudinis participes efficiantur: Dieſque noſtros.

Ad Commun.

Divina libantes &c. Ut ſupra.

Alia.

Deus vita viventium &c. Ut ſupra.

Alia.

Supplices, Dne, pro animabus famulorum famularumque preces effundimus, ſperantes: ut quidquid converſatione contraxerunt humana, & clementer indulgeas, & in tuorum ſede lætantium conſtituas redemtorum. Per. *gg.*

Item alia Miſſa.

Animabus, quæſumus &c. Ut ſupra. Secreta: *His, quæſumus Dne, placatus intende &c.* Supra.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum veneranter deferimus, quæſumus Dne, placatus intende, & tua dignatione concede: ut mortis vinculis abſolutæ, tranſitum mereantur ad vitam. Quam oblationem. *g.*

Ad Comm. *Supplices, Dne, pro animabus &c.* Ut ſupra.

(1) Hæc Miſſa in ſolo *Gregoriano San-Blaſiano* & *Petrohuſano* occurrens fere convenit cum ſequente pro fratribus defunctis. Cui hic ſubiungitur, quæ in ſolo *San-Galienſi* habetur.

Miſſa pro his, qui ob defenſionem Eccleſiæ occubuerunt.

Deus vera pietas, invicta clementia, & bonitas ſempiterna! qui nos a morte volens eripere, Dum nrm

Digitized by Google

ut nomina famulorum famularumque tuarum, quæ hic piæ dilectionis officio pariter conſcripſimus, in libro vitæ miſerationis tuæ gratia iubeas conſcribi. Per.

Secreta.

Præſta, quæſumus, miſericors Deus! ut animæ, pro quibus hoc ſacrificium laudis tuæ offerimus Maieſtati, per huius virtutem ſacramenti a peccatis omnibus expiatæ, lucis perpetuæ te miſerante recipiant conſortium. Per. gg.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro animabus famulorum famularumque tuarum offerimus, quæſumus Dne, ut placatus accipias, & tua dignatione concedas, ut mortis vinculis abſoluti, tranſire mereantur ad vitam. Dieſque noſtros. gg.

Ad Commun.

Proficiat, quæſumus Dne, ad indulgentiam animabus, pro quibus tuam obſecramus clementiam, divini celebratio ſacramenti: ut per hæc ſancta a contagiis terrenæ converſationis emundatæ ad cæleſtem mereantur venire habitationem. Per.

Miſſa pro defunctis Fratribus. (1)

Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator! quæſumus clementiam tuam: ut noſtræ Congregationis fratres, qui ex hoc ſeculo tranſierunt, beata Maria ſemper Virgine intercedente, ad perpetuæ beatitudinis conſortium pervenire concedas. Per. gg.

Secreta.

Deus, cuius miſericordiæ non eſt numerus, ſuſcipe propitius preces humilitatis noſtræ: & animabus, quibus tui nominis dediſti confeſſionem, per hæc ſacramenta ſalutis noſtræ tribue peccatorum remiſſionem cunctorum. Per. gg.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro animabus fratrum noſtrorum, quæſumus Dne, placatus intende: pro quibus Maieſtati tuæ ſuppliciter fundimus preces, ut eas in numero Sanctorum tuorum tibi placentium facias dignanter aſcribi. Dieſque.

Ad Commun.

Præſta, quæſumus miſericors Deus! ut animæ, pro quibus hoc ſacrificium laudis tuæ obtulimus &c. ut in priore Miſſa Secreta. Alia.

Ihm Xpm mortem feciſti ſubire, ut illius uſque infernum deſcenſus noſter eſſet uſque ad cœlum aſcenſus: te ſuppliciter poſtulamus, ut ſpiritus famulorum tuorum, qui de huius ſæculi ærumnoſa peregrinatione pro defenſione catholicæ eccleſiæ migraverunt, univerſa delictorum conceſſa remiſſione, in Abrahæ gremio iubeas collocari. Per.

Secreta.

Hoſtiam tibi, Dne, placationis pro ſpiritibus famulorum tuorum N. offerimus, obſecrantes: ut ſacri huius libaminis interventu propitius illis locum lucis, & refrigerium beatæ quietis indulgeas. Per.

Præfatio.

VD. æquum & ſalutare, omnipotens Deus! nos tibi & pro noſtra & pro conviventium temporali vita, atque illa, quæ defunctis æterna eſt, gratiarum actione preces cum laudibus exhibere. Pro hoc ergo, Dne, famuli tui nimium proſtrati ſupplices rogamus ac petimus, ne ſpiritus eorum aut triſtibus ignis gehennæ caminis, aut perpetui tartari fulgoribus locum habitationis introeant: ſed eos in ſinu Abrahæ, Iſaac & Iacob collocare digneris, ubi nullam læſionem ſentiant eorum animæ & caro, per Xpm.

Ad Commun.

Oramus te, Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus! pro ſpiritibus famulorum tuorum, qui de huius ſeculi ærumnoſa peregrinatione pro defenſione catholicæ eccleſiæ migraverunt: ut eos in locum lucis & refrigerii propitius deputare digneris. Per.

(1) Eadem Miſſa eſt etiam in *Petrohuſano*, cum præfatione: *Qui nobis in Chriſto Unigenito tuo &c.*. quæ ſupra iam habetur. In *San-Gallenſi* vero ita notatur.

Orat. *Deus veniæ largitor, & humanæ &c.* Ut ſupra. Secreta: *Deus, cuius miſericordiæ non eſt numerus &c.* Item Ad Commun. *Proficiat, quæſumus &c.* Ut in priore Miſſa.

Digitized by Google

Alia.

Deus vita viventium, ſpes morientium, ſalus omnium in te ſperantium! præſta propitius: ut animæ huius Congregationis vel hic requieſcentium, a noſtræ mortalitatis tenebris abſolutæ, beata Maria ſemper Virgine intercedente: in perpetua cum Sanctis tuis luce lætentur. Per. Supra.

Miſſa in Cœmeteriis. (1)

Deus, cuius miſeratione animæ fidelium requieſcunt, famulis tuis ill. & ill. vel omnibus hic in Chriſto quieſcentibus da propitius veniam peccatorum: ut a cunctis reatibus abſoluti ſine fine lætentur. Per. *g. gg.*

Secreta.

Pro animabus famulorum tuorum illorum & illarum, & hic omnium Catholicorum dormientium, hoſtiam, Dne, ſuſcipe benignus oblatam; ut (*per*) hoc ſacrificium ſingulare vinculis horrendæ mortis exutæ vitam mereantur æternam. Per. *g. gg.*

Alia.

Propitiare, Dne, ſupplicationibus noſtris pro animabus famulorum famularumque tuarum, vel omnium hic & ubique in Chriſto quieſcentium, pro quibus tibi offerimus ſacrificium laudis: ut eas Sanctorum tuorum conſortio ſociare digneris. Per. gg.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus, Domine, pro tuorum requie famulorum & famularum ill. & ill. (&) omnium fidelium catholicorum orthodoxorum in hac baſilica in Chriſto quieſcentium, & qui in circuitu huius eccleſiæ tuæ requieſcunt, quæſumus Dne, placatus accipias: ut per hæc ſalutis humanæ ſubſidia

(1) Codex *Petrohuſanus* hic concordat cum *Rhenaugienſi*, *San-Blaſianus* vero aliter nonnihil habet, quod hic notavimus. In *San-Gallenſi* duæ habentur Miſſæ in Cœmeteriis, quas ſubiungimus. Orat. *Deus, cuius miſeratione &c.* Ut ſupra.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus! annue precibus noſtris ea, quæ poſcimus, & dona omnibus, quorum hic corpora requieſcunt, refrigerii ſedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem: ut qui peccatorum ſuorum pondere prægravantur, eos ſupplicatio commendet eccleſiæ. Per.

Secreta: *Pro animabus famulorum &c.* ſupra. *Hanc igitur oblationem . . . pro tuorum requie &c.* ſupra. Ad Comm. *Deus fidelium lumen &c.* ſupra.

Item alia Miſſa.

Adeſto, quæſumus Dne, pro animabus famulorum famularumque tuarum, & omnium hic quieſcentium: ut ſi quæ carnales maculæ in eis de terrenis contagiis inhæſerunt, miſerationis tuæ venia deleantur. Per. *g.*

Secreta.

Munera, quæſumus Dne, quæ tibi pro requie animarum famulorum famularumque tuarum ill. & omnium in Chriſto quieſcentium offerimus, ad eorum redemtionem proficiant. Per. *g.*

Præfatio.

VD. P. X. Dnm nrm: Cuius ſacram paſſionem pro immortalibus & bene quieſcentibus animabus ſine dubio celebramus, pro his præcipue, quibus ſecundæ nativitatis gratiam præſtitiſti, qui exemplo Ihu Xpi Dni nri cœperunt eſſe de reſurrectione ſecuri; quippe qui feciſti quæ non erant, poſſeque reparari quæ fuerant. Nam ut in illo pleno aridis oſſibus campo ad vocem tubæ diſperſa oſſa ad oſſa, membra ad iuncturas corporum, ac lineamenta nervorum compaginata ſunt; ſic credimus, Dne, in reſurrectione futura, ut officium ſuum redivivum corpus accipiat; Et ideo &c. *gg.* *vid. etiam ſupra pag.* 322.

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, quam tibi pro defunctis offerimus, quæſumus Dne, ut propitiatus accipias, & miſerationis tuæ largitate concedas: ut ab omnibus, quæ per terrenam converſationem contraxerunt, vitiis his ſacrificiis emundentur, per Xpm. *g. mox ſupra.*

Ad Commun.

Multiplica, Dne, ſuper animas famulorum famularumque tuarum miſericordiam tuam: & quibus donaſti baptiſmi ſacramentum, da eis æternorum plenitudinem gaudiorum. Per. *g.*

Digitized by Google

ſubſidia in tuorum numero redemtorum inſorte perpetua cenſeantur: Diesque noſtros. *g. gg.*

Alia.

Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus pro animabus famulorum famularumque tuarum, vel omnium fidelium hic & ubique in Chriſto quieſcentium, & in circuitu huius eccleſiæ, quæſumus Dne, ut propitiatus accipias, & miſerationum tuarum largitate concedas: ut quidquid terrena converſatione contraxerunt, his ſacrificiis emundetur, ac mortis vinculis abſoluti tranſitum mereantur ad vitam. Per. g.

Poſt Commun.

Deus fidelium lumen animarum, adeſto ſupplicationibus noſtris: & da omnibus fidelibus in Chriſto, quorum corpora hic requieſcunt, refrigerii ſedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem. Per. *g. gg.*

Item alia Miſſa in die Depoſitionis Defuncti, vel III. VII. & XXX$^{mo.}$ (1)

Adeſto, Dne quæſumus, pro anima famuli tui ill. vel III. VII. & XXX^{mi,} cuius in die depoſitionis ſuæ officium commemorationis impendimus: ut ſi quæ ei ſecularis macula inhæſit, aut vitium mundi alefecit (l. *mundiale infecit*), dono tuæ pietatis indulgeas & extergas. Per. *g.*

Quæſumus, Domine, ut famulo tuo ill. cuius VII^{mum} obitus ſui diem commemoramus, Sanctorum atque Electorum largire (l. *largiri digneris*) conſortium; & rorem miſericordiæ tuæ perennem infunde. Per. *g.*

Pro anniverſario.

Deus indulgentiarum Domine! da famulo tuo ill. cuius anniverſarium depoſitionis diem commemoramus, refrigerii ſedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem largiaris oramus. Per. *g.*

Secreta.

Adeſto, Domine, ſupplicationibus noſtris, & hanc oblationem, quam tibi offerimus ob diem depoſitionis III. vel VII^{mi} XXX^{mi} pro anima famuli tui ill. placatus ac benignus adſume. Per. *g.*

Præfatio.

VD. Per Chriſtum Dnm noſtrum: per quem ſalus mundi, per quem vita omnium, per quem reſurrectio mortuorum. Per ipſum te, Domine, ſuppliciter deprecamur, ut animæ famuli tui ill. cuius diem ill. celebramus, indulgentiam largiri digneris perpetuam, atque contagiis mortalitatis exutam in æternam ſalvationis partem conſtituas. Per quem. *El. gg.*

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Dne, quam tibi offerimus pro anima famuli tui ill. cuius depoſitionis diem III.^{ium} VII.^{mum} vel XXX.^{mum} celebramus, qui depoſito corpore animam creatori reddidit, quam dediſti: pro qua petimus divinam clementiam, ut mortis vinculis abſoluta tranſitum mereatur: Diesque noſtros. *g.*

Poſt Commun.

Omnipotens ſempiterne Deus! collocare

---

(1) In vulg. *Gelaſ.* additur *vel annuali*, nihilque peculiare habet pro anniverſario, cuius prima tantum oratio hic eſt adiecta. Quæ vero in eodem *Rhenaugienſi* ſequitur *Miſſa pro defunctis*, proprie ad anniverſarium ſpectat.

Digitized by Google

care dignare corpus & animam & ſpiritum famuli tui ill. cuius III. VII[mum] & XXX[mum] ſive depoſitionem celebramus, in ſinum Ahrahæ, Iſaac & Iacob; & cum dies agnitionis venerit, inter Sanctos & Electos tuos eum reſuſcitare præcipias. Per. *g. El.*

Alia Miſſa in die Depoſitionis Tertii, Septimi vel Triceſimi. (1)

Quæſumus, Dne, ut famulo tuo, cuius tertium, vel ſeptimum vel triceſimum obitus ſui diem commemoramus, Sanctorum atque Electorum tuorum digneris largiri conſortium; & rorem miſericordiæ tuæ perennis infunde. Per. g. gg.

Secreta.

Adeſto, Dne, ſupplicationbus noſtris, & hanc oblationem, quam tibi offerimus ob diem depoſitionis tertium, vel ſeptimum, vel triceſimum, pro anima famuli tui placidus (*al.* placatus) *ac benignus aſſume. Per.*

Præfatio.

VD. æterne Deus! per quem ſalus mundi, per quem vita omnium, per quem reſurrectio mortuorum. Per ipſum te, Dne, ſuppliciter deprecamur, ut animæ famuli tui, cuius diem depoſitionis tertium, vel ſeptimum, vel triceſimum celebramus, indulgentiam largiri digneris perpetuam, atque a contagiis mortalitatis exutam in æternæ ſalvationis parte reſtituas. Per Chriſtum. gg.

Hanc igitur oblationem, Dne, quam tibi offerimus pro anima famuli tui, cuius diem depoſitionis tertium, vel ſeptimum, vel triceſimum celebramus, quo depoſito corpore animam tibi Creatori reddidit, quam dediſti: pro qua petimus divinam clementiam tuam, ut mortis vinculis abſoluta tranſitum mereatur ad perennem vitam. Dieſque noſtros. g.

Ad Commun.

Præſta, quæſumus, omnipotens Deus! ut animam famuli tui ab Angelis lucis ſuſceptam in præparata habitacula deduci facias Beatorum. Per. g gg.

Orationes pro Defunctis ad Miſſam. (2)

Præſta, Domine quæſumus, ut anima famuli tui ill. huius mortalitatis nexibus abſoluta indulgentiam pariter & requiem capiat ſempiternam. Per. *g. gg.*

Alia.

Deus indulgentiarum Domine, da famulo tuo, cuius anniverſarium depoſitionis diem

(1) Ita inſcribitur in utroqne *Gregoriano*, quam ex *San-Blaſiano* priore multo correctiorem damus: quacum etiam convenit illa ex *San-Gallenſi* hic ſubiecta.

Miſſa in die depoſitionis defuncti Tertio, Septimo vel Triceſimo.

Orat. *Quæſumus Dne, ut famulo tuo N.* Ut ſupra. Secreta: *Adeſto Dne &c.* Ut ſupra. Præfatio: *Per quem ſalus mundi &c.* & *Hanc igitur &c.* Ut ſupra.

Poſt Commun.

Omnipotens ſempiterne Deus! collocare dignare animam & ſpiritum famuli tui N. cuius diem tertium, ſeptimum, vel triceſimum depoſitionis celebramus, in ſinibus Abrahæ, Iſaac & Iacob: ut cum dies agnitionis tuæ venerit, inter Sanctos & Electos tuos eum reſuſcitari præcipias. Per *g.*

(2) Sic prænotatur in *Rhenaugienſi*, eſt tamen pro anniverſario, uti in *San-Blaſiano* inſcribitur: *Miſſa in anniverſario*: in *San-Gallenſi* vero *Miſſa annualis pro defuncto*, & ita habet:

Adeſto, Dne, quæſumus pro anima famuli tui N. cui in depoſitionis ſuæ die officium commemorationis impendimus: ut ſi qua ei ſecularis macula inhæſit, aut vitium mundiale infecit, dono tuæ pietatis indulgeas & extergas. Per. *g. ſupra.* Alia: *Deus indulgentiarum &c.* ſupra. Secreta: *Propitiare Dne ſupplicationibus &c.* ſupra. Infra act. *Hanc igitur.* Ad Commun. *Suſcipe,* & *Inclina.* Ut ſupra.

Digitized by Google

diem commemoramus, refrigerii ſedem, quietis beatitudinem, luminis claritatem. Per. g.

Secreta.

Propitiare, Dne ſupplicationibus noſtris pro anima & ſpiritu famuli tui ill. cuius hodie annua dies agitur, pro qua tibi offerimus ſacrificium laudis, ut eam Sanctorum tuorum conſortio ſociare digneris. Per. *g. gg.*

Infra actionem.

Hanc igitur oblationem, Domine, quam tibi offerimus pro anima famuli tui ill. cuius hodie annua dies agitur, quæſumus Dne, placatus intende, eamque mortalitatis nexibus abſolutam inter tuos fideles miniſtros habere perpetuam iubeas portionem. Quam oblationem. *gg.*

Poſt Commun.

Suſcipe, Dne, preces noſtras pro anima famuli tui ill. ut ſi quæ in eum (l. *eo*) maculæ de terrenis contagiis adhæſerunt, remiſſionis tuæ miſericordia deleantur. Per *gg.*

Alia.

Inclina, Dne, precibus noſtris aures tuæ pietatis, & animæ famuli tui remiſſionem tribue omnium peccatorum: ut uſque ad reſurrectionis diem in lucis amœnitate requieſcat. Per.

Miſſa, de cuius anima deſperatur. GG. (1)

O*mnipotens & miſericors Deus! inclina, quæſumus, venerabiles aures tuas ad exiguas preces noſtras, quas ante conſpectum Maieſtatis tuæ pro anima famuli tui N. fratris noſtri humiliter fundimus: ut dum de qualitate vitæ eius diffidimus, de abundantia pietatis tuæ conſolemur; & ſi ad plenum veniam animæ ipſius obtinere non poſſumus, ſaltem vel inter ipſa tormenta, quæ forſitan patitur, refrigerium de abundantia miſerationum tuarum ſortiatur. Per.*

Alia.

Miſericors & miſerator, patiens & multum miſericors! ſi iniquitates obſervaveris, quis ſuſtinebit? Precamur ergo immenſam clementiam tuam pro anima famuli tui N. & cui parva fiducia ſuppetit actionum, ſola gratia tua copioſe reſplendeat: ut vel veniam opus manuum tuarum ſentiat in inferis, quod (S. Gall. quem) *ad imaginem tuam creare dignatus es in terris. Per.*

Secreta.

Suſcipe Domine, clementiſſime Pater! pro commemoratione famuli tui N hoſtias placationis & laudis: ut ſacrificii præſentis oblatio ad refrigerium animæ eius, te miſerante, perveniat (l. proveniat.) *Per.*

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & famuli tui N. (2) *quam tibi offerimus pro anima fratris noſtri, quæſumus Domine, propitius intuere: & ſi in illo fructum boni operis non invenis, vel famuli tui fidem ac devotionem reſpicere*

(1) Ita in *San-Blaſiano* inſcribitur, in *San-Gallenſi* vero *Miſſa pro defuncto, de cuius anima dubitatur.* Vid. Diſquiſit. XI. cap II. p 1027. Orat. *Omnipotens.* Alia. *Miſericors & miſerator Dne, patiens &c.* Secreta: *Suſcipe &c.* Ut ſupra.

(2) In San-Gall. *Famuli tui, vel famulæ tuæ ill. quam tibi offerimus pro anima cari noſtri.*

cere digneris; & ut operi manuum tuarum locum refrigerii, lucis & pacis indulgeas, deprecamur. Dieſque. (1)

Ad Commun.

Sumſimus, Domine, Corporis & Sanguinis Chriſti Filii tui remedia, obſecrantes Maieſtatis tuæ clementiam: ut & viventibus ſint ad tutelam, & defunctis obtineant veniam. Per.

Alia.

Omnipotens clementiſſime Pater! pro abundantia clementiæ tuæ propitiare animæ famuli tui N. & pium te ſentiat in inferis, quæ multorum cruciatus forſitan tormentorum pro iuſtitiæ merito ſentit in pœnis. Per.

---

(1) In San-Gallenſi poſtea habetur: *Poſt orationem Dominicam. Libera nos, quæſumus Dne, ab omnibus malis præteritis, præſentibus & futuris: & intercedentibus Sanctis tuis anima famuli tui N. pro abundantia clementiæ tuæ pium te ſentiat in inferis, quæ multorum forſitan tormentorum cruciatus pro iuſtitiæ merito ſentit in pœnis. Per Dnm nrm &c.* quæ ex altera oratione poſt commun. ſunt deſumta, quæ hic deeſt, & ſolum habetur *Sumſimus Dne &c.* Ut ſupra.

IN-

INCIPIUNT

BENEDICTIONES EPISCOPORUM. (1)

In Vigilia Natalis Domini.

Omnipotens Deus, qui incarnatione Unigeniti ſui mundi tenebras effugavit, & eius glorioſa nativitate hanc ſacratiſſimam noctem irradiavit, effuget a vobis tenebras vitiorum, & irradiet corda veſtra luce virtutum. Amen.

Quique ſacratiſſimæ eius nativitatis gaudium magnum paſtoribus ab Angelo voluit nuntiari, ipſe ſuper vos benedictionis ſuæ gratiſſimum imbrem infundat, atque ipſo paſtore vos ad æternorum gaudiorum paſcua æterna perducat. Amen.

Et qui per eius incarnationem terrena cæleſtibus ſociavit, internæ pacis & bonæ voluntatis vos nectare repleat, & cæleſtis militiæ conſortes efficiat. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti,

Et pax Dni ſit ſemper vobiſcum.

In die Natalis Domini.

Benedicat vobis omnipotens Deus, veſtramque ad ſuperna excitet intentionem, qui hanc ſacratiſſimam diem nativitate Filii ſui fecit eſſe ſolemnem. Amen.

Et qui panis eſt Angelorum, in præſepi eccleſiæ cibum fecit eſſe fidelium animalium, ipſe vos & in præſenti ſæculo deguſtare faciat æternorum dulcedinem gaudiorum, & in futuro perducat ad ſatietatem æternorum præmiorum. Amen.

Quique eius infantiam vilibus voluit indui pannis, ipſe vos cæleſtium veſtimentorum induat ornamentis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus ſci, & pax Dni ſit ſemper vobiſcum.

Benedictio in Nat. ſancti Stephani.

Deus, qui beatum Stephanum Protomartyrem coronavit, & confeſſione fidei &

(1) Quas Codex *Eligianus* ſingulis iungit Dominicis & feſtis, easdem ex ſacramentario *San-Blaſiano* in unum collectas hic damus *Benedictiones Epiſcoporum*, in eodem pariter ad calcem reiectas: quas pariter ad unam omnes complectitur alter *Gregorianus Petrobuſanus*. Quis earum ſit Auctor, & ubinam fuerint in uſu, vid. Diſquiſit. II. Cap. I. pag. 113. ſeq. Cæterum ſæculo XIV. adhuc fuiſſe uſitatas, patet ex altero codice *San-Blaſiano* huius ſæculi, in quo eædem occurrunt, pauciores licet numero: ut tamen alias ibi reperire liceat, quæ in antiquiori Codice deſiderantur, unde illas uncinis incluſas ſuis quasque locis ſubiungimus.

& agone martyrii, veſtras mentes circumdet & in præſenti ſæculo corona iuſtitiæ, & in futuro perducat vos ad coronam gloriæ. Amen.

Illius obtentu tribuat vobis Dei & proximi caritate ſemper exuberare, qui hanc ſtuduit etiam inter lapidantium impetus obtinere. Amen.

Quo eius exemplo roborati, & interceſſione muniti, ab eo, quem ille a dextris Dei vidit ſtantem, mereamini benedici. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spu ſco vivit & gloriatur Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio Dei Patris. Ut ſupra.

In Nat. ſci Iohannis Evangeliſtæ.

Omnipotens Deus dignetur vobis per interceſſionem beati Iohannis Apli & Evangeliſtæ benedicere, qui per eum arcana Verbi ſui voluit eccleſiæ revelare, amen.

Concedat vobis, ut quod ille Spiritus ſci munere afflatus veſtris auribus infudit, eiusdem Spiritus dono capere mente valeatis, amen.

Quo eius documento de divinitate nri Redemtoris edocti, & amando quod tradidit, & prædicando quod docuit, & exequendo quod iuſſit, ad dona pervenire mereamini, quæ idem Dn9 nr Ib9 Ap9 repromiſit. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spu ſco vivit & gloriatur Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Benedictio Dei Patris.

In Nat. Innocentum.

Omnipotens Deus, pro cuius Unigeniti veneranda infantia infantium innocentum catervas Herodis funeſti peremit ſævitia, ſua vobis benedictionis tribuat dona gratiſſima. Amen.

Et qui eis conceſſit, ut unicum Filium eius Dnm nrm non loquendo, ſed moriendo confiterentur, concedat vobis, ut fidem veram, quam lingua vra fatetur, etiam mores probi, & vita inculpabilis fateatur. Amen.

Quique eos primitivum fructum ſcæ ſuæ ſuſcepit eccleſiæ, cum fructu bonorum operum vos pervenire faciat ad gaudia æternæ patriæ. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur. Ut ſupra.

Benedictio Dei Patris & Filii & Spus ſci.

In Octava Domini.

Omnipotens Deus, cuius Unigenitus hodierna die, ne legem ſolveret, quam adimplere venerat, corporalem ſuſcepit circumciſionem, ſpirituali circumciſione mentes vras ab omnibus vitiorum incendiis expurget, & ſuam infundat in vos benedictionem. Amen.

Et qui legem per Moyſen dedit, ut per mediatorem nrm benedictionem daret, exuat vos mortificatione vitiorum, & faciat perſeverare in novitate virtutum. Amen.

Quod ſic in ſenarii numeri perfectione in hoc ſæculo vivatis, & in ſeptenario inter beatorum Spirituum agmina requieſcatis, quatenus in octava reſurrectione renovati, iubilei remiſſione ditati, ad gaudia ſine fine manſura perveniatis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur.

Bene-

Digitized by Google

Benedict. In Theophania,

Dus lumen verum, qui Unigenitum ſuum hodierna die ſtella duce gentibus voluit revelare, ſua vos benedictione dignetur ditare. Amen.

Quo exemplo Magorum myſtica Dno Ihu Xpo munera offerentes, ſpreto antiquo hoſte ſpretiſque contagiis vitiorum, ad æternam patriam redire valeatis per viam virtutum. Amen.

Detque vobis veram mentium innocentiam, qui ſuper Unigenitum ſuum Spiritum ſcm demonſtrari voluit per columbam, eaque virtute mentes vræ exerceantur ad intelligenda divinæ legis arcana, qua in Cana Galileæ lympha eſt in vinum converſa. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius.

Benedictio in Purificatione ſcæ Mariæ.

Omnipotens Deus, qui Unigenitum ſuum hodierna die in aſſumpta carne in templo voluit præſentari, benedictionis ſuæ vos munere fultos, bonis operibus faciat exornari. Amen.

Et qui eum, ut legem adimpleret, miniſtrum voluit effici legis, mentes vras inſtruat legis ſuæ ſpiritualibus documentis. Amen.

Quo ei & pro turturibus caſtitatis ſeu caritatis munera offerre valeatis, & pro pullis columbarum ſci Spus donis exuberetis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum.

[*In Annuntiatione Dnca.*

Dominus Ieſus Chriſtus, qui in ſeculorum fine proceſſit ex Virgine, cor veſtrum corona clarificet virginitatis incorruptæ. Amen.

Et qui Virginis ingreſſus eſt uterum nuntiante Angelo, eius vos miniſterii & inſtruat & muniat ſacramento. Amen.

Quique hodie Virginis conceptionem devotiſſime celebratis, ad nativitatem nri Redemptoris exultantibus animis & mundo corde perveniatis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum & imperium ſine fine permanet in ſecula ſeculorum. Amen. Et Bene✝dictio Dei Omnipotentis Patris ✝, & Filii ✝, & Spiritus ſancti ✝ deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper. Amen.]

Dominica I. in Quadrageſima. (1)

Benedicat vobis omnipotens Deus, qui quadragenarium numerum in Moyſi & Heliæ, nec non & Mediatoris nri ieiunio conſecravit, concedatque vobis ita tranſigere præſentis vitæ diſpenſationem, ut accepto a patrefamilias remunerationis denario, perveniatis ad peccatorum omnium remiſſionem, & ad glorioſam cum Sanctis omnibus reſurrectionem. Amen.

Detque vobis ſpiritualium invictricia arma, quibus exemplo Dni devincere valeatis antiqui hoſtis ſagaciſſima tentamenta. Amen.

Quo non in ſolo pane, ſed in omni verbo, quod de ore eius procedit, ſpiritualem ſumentes alimoniam, per ieiunio-

rum

(1) Benedictio hæc apud MURATORIUM T. II. p. 366. *in initio Quadrageſimæ*; & ſic deinceps inſcriptio, nentiquam vero benedictiones differunt: unde pro dominica quinta, ſeu *de Paſſione*, benedictio deſideratur apud MURATORIUM; quod palam facit, inſcriptiones cod. *Vat.* & *Ottob.* in vitio cubare. Quod eorum benedictiones attinet, ubique eædem ſunt.

rum obſervationem, & cæterorum bonorum operum exhibitionem, percipere mereamini immarceſcibilem gloriæ coronam. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius.

Dom. II. in Quadrageſima.

O*mnipotens Deus, ieiunii cæterarumque virtutum dedicator, atque amator, ſua vos benedictione ſanctificet. Amen.*

Accendat in vobis piæ devotionis affectum, & præbeat ſupplicantibus ſuum benignus auditum. Amen.

Quatinus mentes vræ ſinceris purgatæ ieiuniis, bonorum omnium exuberent incrementis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius.

Dominica Tertia.

O*mnipotens Deus ieiuniorum vrorum victimas clementer accipiat, & ſua vos benedictione dignos efficiat. Amen.*

Mentes vras ita parſimoniæ bono contra vitia muniat, præceptorum ſuorum doctrinis erudiat, caritatis dono repleat, ut vos in omnibus ſibi placere concedat. Amen.

Quatinus præſentis Quadrageſimæ diebus devotiſſime celebratis, ad Paſchalia feſta purificatis cordibus accedere valeatis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius.

Dominica Quarta.

D*eus, qui vos ad præſentium Quadrageſimalium dierum medietatem dignatus eſt perducere, ipſe vos ſua miſeratione dignetur benedicere. Amen.*

Abſtinentiam vram præteritam acceptet, futuram ita ſibi placitam reddat, ut ſicut ab inlicitis cibis, ita vos etiam a vitiis omnibus abſtinere concedat. Amen.

Quo de præteritis & futuris ſpiritualium charisſmatum frugibus ei gratias perſolventes, ad ſcm Paſcha pervenire poſſitis indemnes. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius.

Dominica Quinta.

A*ccendat in vobis Dn9 vim ſui amoris, & per ieiuniorum obſervantiam infundat in vobis donum ſuæ benedictionis. Amen.*

Sic ei parſimoniæ victimas offeratis, ut contriti ei cordis & humiliati ſacrificio placeatis. Amen.

Quatinus oratio vra ieiunii & eleemoſynæ alis ſubvecta, ita ad aures vri conditoris aſcendat, ut vos æternæ beatitudinis heredes & ſupernorum civium conſortes efficiat. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum.

In Ramis Palmarum.

B*enedicat vobis omnipotens Deus, cui & ieiuniorum maceratione, & præſentium dierum obſervatione placere ſtudeatis. Amen.*

Concedatque vobis, ut ſicut ei cum ramis palmarum, cæterarumque frondium præſentari ſtuduiſtis, ita cum palma victoriæ & fructu bonorum operum ei poſt obitum apparere valeatis. Amen.

Quique unigeniti Filii eius paſſionem puro corde creditis, mente devota venerari ſtudetis, ad reſurrectionis eius facta, & veſtræ remunerationis præmia, ipſius fulti munimine veniatis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius.

De

Digitized by Google

De Paſſione Domini.

Omnipotens Deus, qui Unigeniti ſui paſſione tribuit vobis humilitatis exemplum, concedat vobis per eandem humilitatem percipere ſuæ benedictionis ineffabile donum. Amen.

Ipſius reſurrectionis percipiatis conſortia, cuius patientiæ veneramini documenta. Amen.

Quo ab eo ſempiternæ vitæ munus percipiatis, per cuius temporalem mortem æternam vos evadere creditis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

In Cœna Domini.

Benedicat vos Deus, qui per unigeniti Filii ſui paſſionem vetus Paſcha in novum voluit converti, concedatque vobis, ut expurgato veteris fermenti contagio, nova in vobis perſeveret conſperſio. Amen.

Et qui ad celebrandam Redemtoris nri cœnam mente devota conveniſtis, æternarum dapium vobiſcum epulas reportetis. Amen.

Ipſius opitulante clementia mundemini a ſordibus peccatorum, qui ad inſinuandum humilitatis exemplum pedes voluit lavare diſcipulorum. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum P.

In Sabbato ſancto.

Deus, qui eccleſiæ ſuæ intemerato utero novos populos producens eam virginitate manente nova ſemper prole fœcundat, fidei, ſpei, & caritatis vos munere repleat, & ſuæ in vos benedictionis dona infundat. Amen.

Et qui hanc ſacratiſſimam noctem Redemtoris nri reſurrectione voluit illuſtrare, mentes vras peccatorum tenebris mundatas, virtutum copiis faciat coruſcare. Amen.

Quo eorum, qui modo renati ſunt, innocentiam imitari certetis, & vaſcula mentium vrarum exemplo præſentium luminum illuſtretis, ut cum bonorum operum lampadibus ad huius ſponſi thalamum, cuius reſurrectionem celebratis, cum prudentibus virginibus intrare poſſitis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum P.

In Die Paſchæ.

Benedicat vos omnipotens Deus, hodierna interveniente paſchali ſolemnitate, & ab omni miſeratus dignetur defendere pravitate. Amen.

Et qui ad æternam vitam in Unigeniti ſui reſurrectione vos reparat, in ipſius adventu immortalitatis vos gaudiis veſtiat. Amen.

Et qui expletis ieiuniorum ſive paſſionis dominicæ diebus paſchalis feſti gaudia celebratis, ad ea feſta, quæ non ſunt annua ſed continua, ipſo opitulante exultantibus animis veniatis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum. (1)

In Octava Paſchæ.

Deus, cuius Unigenitus hodierna die diſcipulis ſuis ianuis clauſis dignatus eſt

(1) In *San-Elig.* pro ſingulis Feriis Oct. Paſch. peculiares habentur benedictiones. *Vaticanus* aut *Ottobonianus* MURATORII cum noſtro *San-Blaſiano* hic & ubique convenit.

eſt apparere, ſuæ vos benedictionis dono locupletare, & cœleſtis vobis regni ianuas dignetur aperire. Amen.

Et qui ab eorum pectoribus attactu ſui corporis vulnus amputavit dubietatis, concedat, ut per fidem, qua eum reſurrexiſſe creditis, omnium delictorum maculis careatis. Amen.

Et qui eum cum Thoma Deum & Dnm creditis, & cernuis vocibus invocatis, ab eo & in hoc ſæculo a malis omnibus tueri, & in futuro Scorum cœtibus aſſciſci valeatis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

Benedictio de Reſurrectione.

B*enedicat vos omnipotens Deus, qui vos gratuita miſeratione creavit, & in reſurrectione Unigeniti ſui ſpem vobis reſurgendi conceſſit. Amen.*

Reſuſcitet vos de vitiorum ſepulchris, qui eum reſuſcitavit a mortuis. Amen.

Et cum eo ſine fine feliciter vivatis, quem reſurrexiſſe a mortuis veraciter creditis. Amen.

Quod ipſe præſtare.

Item alia Benedictio. (1)

D*eus, qui per reſurrectionem Unigeniti ſui vobis contulit & bonum redemptionis & decus adoptionis, ſuæ vobis conferat præmia benedictionis. Amen.*

Et quo redimente percepiſtis donum perpetuæ libertatis, eo largiente conſortes efficiamini æternæ hereditatis. Amen.

Ut qui conſurrexiſtis in baptiſmate credendo, adiungi mereamini in cœleſti regione bene vivendo. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

Benedictio de Ieiunio. (2)

O*mnipotens Deus devotionem veſtram dignanter intendat, & ſuæ vobis benedictionis dona concedat. Amen.*

Indulgeat vobis mala omnia, quæ geſſiſtis, & tribuat vobis veniam, quam ab eo depoſcitis. Amen.

Sicque ieiunii veſtri & precum vota ſuſcipiat, ut a vobis adverſa omnia, quæ peccatorum retributione mereamini, avertat, & donum in vos Spiritus Paracliti infundat. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur; cuius regnum.

In Aſcenſa Domini.

B*enedicat vos omnipotens Deus, cuius Unigenitus hodierna die cœlorum alta penetravit, & vobis, ubi ille eſt, aſcendendi aditum patefecit. Amen.*

Concedat propitius, ut ſicut poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis viſus eſt manifeſtus, ita vobis in iudicium veniens videatur placatus. Amen.

Et qui eum conſedere Patri in ſua Maieſtate creditis, vobiſcum manere uſque in finem ſeculi ſecundum ſuam promiſſionem ſentiatis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

Bene-

(1) In S. ELIG. adſcribitur hæc benedictio Dom. II. poſt octavam Paſchæ.

(2) In uno Codicum MURAT. deeſt hæc benedictio; habetur vero in altero eodem titulo; in S. ELIGII aſcribitur Fer. II. Rogat. quæ hic nomine *ieiunii* venit.

Digitized by Google

Benedictio in Vigilia Pentecoſt.

Benedicat vobis omnipotens Deus, ob cuius Paracliti Spiritus adventum mentes veſtras ieiunii obſervantia præparatis, & præſentem diem ſolemnibus laudibus honoratis. Amen.

Inſtar modo renatorum infantium talem innocentiam habeatis, ut templum ſci Spiritus ipſo tribuente eſſe poſſitis. Amen.

Atque Spiritus ſcus ita vos hodie ſua benedictione dignos efficiat, ut cras ſe veſtris mentibus vobiſcum perpetim habitaturus infundat, & peracto præſentis vitæ circulo, vos ad cæleſtia regna perducat. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

Dominica in Pentecoſt.

Deus, qui hodierna die diſcipulorum mentes Spiritus Paracliti infuſione dignatus eſt illuſtrare, faciat vos ſua benedictione repleri, & eiusdem Spiritus donis exuberare. Amen.

Ille ignis, qui ſuper diſcipulos deſcendit, peccatorum veſtrorum ſordes expurget, & ſui luminis infuſione corda veſtra perluſtret. Amen.

Quique dignatus eſt diverſitatem linguarum in unius fidei confeſſione adunare, in eadem fide faciat perſeverare, & per hanc ab ſpe ad ſpeciem pervenire. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

Benedictio Dei Patris & Filii, & Spiritus ſci. (1)

[*De Sancta Trinitate.*

Omnipotens Trinitas, unus & verus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus det vobis ſe deſiderare feliciter, agnoſcere veraciter, diligere ſinceriter. Amen.

Æqualitatem, atque incommutabilitatem ſuæ eſſentiæ ita veſtris mentibus infigat, ut ab ea nunquam vos quibuscumque phantaſiis aberrare permittat. Amen.

Sicque vos in ſua fide & caritate perſeverare concedat, ut per eam poſtmodum ad ſuam manifeſtationem, viſionemque interminabilem introducat. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui.]

In Natale S. Iohannis Bapt.

Benedicat vobis omnipotens Deus beati Iohannis Baptiſtæ interceſſione, cuius hodie natalitia celebratis, concedatque vobis, ut cuius ſolemnia colitis, patrocinia ſentiatis. Amen.

Illius obtentu ab omnibus adverſis tueamini, & bonis omnibus perfruamini, qui adventum Redemptoris mundi necdum natus

(1) S. ELIG. habet etiam benedictiones pro Dominicis Pentecoſtes; cum noſtro convenit ubique MURATOR. tantum quod diverſam haud raro notet cod. *Vaticani* benedictionem.

Digitized by Google

tus cognovit, matris ſterilitatem naſcendo abſtulit, patris linguam natus abſolvit. Amen.

Quatinus ipſius Agni, quem ille digito oſtendit, cuius immolatione eſtis redempti, ita virtutum lana veſtiri, & innocentiam valeatis imitari, ut & in æternæ patriæ felicitate poſſitis adiungi. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

De ſca Cruce.

Benedicat vobis omnipotens Deus, qui per unigeniti ſui Ihu Xpi Dni nri paſſionem, & crucis patibulum genus redemit humanum. Amen.

Concedatque vobis, ut cum omnibus Scis, quæ ſit eiusdem crucis latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum, mente devota comprehendere poſſitis. Amen.

Quatinus vosmetipſos abnegando, crucemque geſtando, ita in præſentis vitæ ſtadio Redemptorem nrm ſequi poſſitis, ut ei inter choros Angelorum poſt obitum mereamini aſſciſci. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum.

In Nat. Aplorum.

Benedicat vobis omnipotens Deus, qui vos beati Petri ſaluberrima confeſſione in eccleſiaſticæ fidei fundavit ſoliditate. Amen.

Et quos beati Pauli ſanctiſſima inſtruxit prædicatione, ſua vos tueatur gratiſſima defenſione. Amen.

Quatinus Petrus clave, Paulus ſermone, utrique interceſſione, ad illam vos certent patriam introducere, ad quam illi alter cruce, alter gladio hodierna die pervenit. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum.

[*In Aſſumptione beatæ Mariæ.*

Deus, qui beatam Mariam Virginem Dni nri Ieſu Chriſti glorioſiſſimam genitricem hodierna die ad cœlos voluit evocare, & ſuper choros Angelorum ſublimitus exaltare, ſuæ vos benedictionis gratia per interceſſionem eius & merita dignetur taliter ditare, qualiter a vitiis ad virtutes mereamini transmigrare. Amen.

Concedatque vobis in hoc ſeculo ſic fide vigere, ſpe gaudere, & caritate pollere, caſtitatis iugiter eminentia fulgere, & humilitatis excellentia ſplendere, quo ipſi per omnia bonis operibus adornati valeatis placere. Amen.

Faciatque vos omnia præterita flagitia & facinora ita die noctuque gemitibus & fletibus expiare, præſentia & futura ſalubriter evitare, quatenus cum ipſa poſſitis æternaliter in cœleſtibus emicare. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur.]

In

Digitized by Google

In Feſtivitate ſcæ Mariæ.

Deus, qui per beatæ Mariæ Virginis partum genus humanum dignatus eſt redimere, ſua vos dignetur benedictione locupletare. Amen.

Eiusque ſemper & ubique patrocinia ſentiatis, ex cuius intemerato utero auctorem vitæ ſuſcipere meruiſtis. Amen.

Et qui ad eius celebrandam feſtivitatem hodierna die devotis mentibus conveniſtis, ſpiritualium gaudiorum & æternorum præmiorum vobiſcum munera reportetis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

[*In Nativitate beatæ Mariæ.*

Omnipotens Deus ſua vos dignetur protectione benedicere, qui hunc diem per nativitatem beatæ Mariæ fecit clareſcere. Amen.

Et qui per eam Filium ſuum voluit naſci, eius interceſſione ab omni vos adverſitate faciat defendi. Amen.

Quo in præſenti eius meritis & precibus adiuti, ſempiterna valeatis gratanter felicitate perfrui. Amen.

Quod ipſe.]

In Decollatione ſci Iohannis. (1)

Deus, qui vos beati Iohannis Baptiſtæ concedit ſolemnia frequentare, tribuat vobis & eadem devotis mentibus celebrare, & ſuæ benedictionis dona percipere. Amen.

Et qui pro legis eius præconio, & carceralibus eſt retruſus in tenebris, interceſſione ſua a tenebroſorum operum vos liberet incentivis. Amen.

Et qui pro veritate, quæ Deus eſt, caput non eſt cunctatus amittere, ſuo interventu ad caput vrm, quod Xpus eſt, vos faciat pervenire. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

[*In Feſtivitate Omnium Sanctorum.*

Benedicat vos omnipotens Deus benedictione perpetua, qui omnium vobis. Sanctorum tribuit celebrare ſolemnia. Amen.

Et quorum in terris glorioſum celebratis triumphum, eorum in celeſti beatitudine mereamini habere conſortium. Amen.

Quo eorum interceſſione a præſentibus malis liberati, cum eisdem valeatis æterna hereditate feliciter perfrui. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur.]

De Adventu Domini.

Omnipotens Deus, cuius Unigeniti adventum & præteritum creditis, & futurum expectatis, eiusdem adventus vos illu-

(1) Apud MURATORIUM inſcribitur: In. feſtivitate S. IOANNIS de Martyrio.

Digitized by Google

illuſtratione ſanctificet, & ſua benedictione locupletet. Amen.

In præſentis vitæ ſtadio vos ab omni adverſitate defendat, & ſe vobis in iudicio placabilem oſtendat. Amen.

Quo a cunctis peccatorum contagiis liberati, illius tremendi examinis diem expectetis interriti. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

Item Alia.

Omnipotens Deus, vos placito vultu reſpiciat, & in vos ſuæ benedictionis donum infundat. Amen.

Et qui hos dies incarnatione Unigeniti ſui fecit ſolemnes, a cunctis præſentis & futuræ vitæ adverſitatibus vos reddat indemnes. Amen.

Ut qui de adventu Redemptoris nri ſecundum carnem devota mente lætamini, in ſecundo, cum in maieſtate venerit, præmiis æternæ vitæ ditemini. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

In Nat. unius Apli.

Deus, qui vos in apoſtolicis tribuit conſiſtere fundamentis, benedicere vos dignetur beati Apli ſui ill. intercedentibus meritis. Amen.

Defendatque vos a cunctis adverſis apoſtolicis præſidiis, qui vos eorum voluit ornari, & munerari exemplis & documentis. Amen.

Quo per eorum interceſſionem perveniatis ad æternæ patriæ hereditatem, per quorum doctrinam tenetis fidei integritatem. Amen.

In Nat. unius Martyris.

Beati Martyris ſui ill. interceſſione vos Dnus benedicat, & ab omni malo defendat. Amen.

Extendat in vos dexteram ſuæ propitiationis, qui eum ſuſcepit per ſupplicia paſſionis. Amen.

Quo eius in cœlo mereamini conſortium, cuius devotis mentibus in terra celebratis triumphum. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum.

In Nat. plur. Martyrum.

Benedicat vobis Dominus beatorum Martyrum ſuorum ill. ſuffragiis, & liberet ab adverſitatibus cunctis. Amen.

Commendet vos eorum interceſſio glorioſa, quorum in conſpectu Dni eſt mors pretioſa. Amen.

Ut ſicut illi per diverſa tormentorum genera cœleſtis regni ſunt ſortiti hereditatem, ita vos eorum mereamini conſortium per bonorum operum exhibitionem. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum.

De uno Confeſſore.

Omnipotens Dnus det vobis copiam benedictionis, qui beatum ill. ſibi aſcivit virtute confeſſionis. Amen.

Et

Digitized by Google

Et qui illum fecit coruſcare miraculis, vos exornet bonorum operum incrementis. Amen.

Quo eius exemplis eruditi, & interceſſione muniti, cuius depoſitionis diem celebratis, in cœleſti regione illi poſſitis adiungi. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum.

In Nat. plur. Confeſſorum.

Sanctorum Confeſſorum ſuorum ill. meritis vos Dnus faciat benedici, & contra adverſa omnia eorum interceſſione muniri. Amen.

Eorum vos efficiat ſuffragiis felices, quorum feſtivitatis diem celebratis ovantes. Amen.

Quo eorum imitantes exemplum ad cœleſtia pervenire poſſitis promiſſa. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum.

In Nat. unius Virginis.

Benedicat vos Dnus, qui beatæ Virgini ill. conceſſit & decorem virginitatis, & gloriam paſſionis. Amen.

Et cuius opitulatione illa meruit & ſexus fragilitatem & perſequentium rabiem devincere, vos poſſitis & veſtrorum corporum illecebras, & antiqui hoſtis machinamenta ſuperare. Amen.

Quo ſicut illa ſexu fragili virile viſa eſt certamen adire, & poſt certamen de hoſtibus triumphare, ita vos in hac mortalitate viventes valeatis & antiquum hoſtem devincere, & ad regna cœleſtia pervenire. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum.

In Nat. plur. Virginum.

Omnipotens Deus, intercedentibus ſcis Virginibus ſuis; vos dignetur benedicere, qui de antiquo hoſte non ſolum per viros, verum etiam per feminas voluit triumphare. Amen.

Et qui illis voluit centeſimi fructus donum decore virginitatis & agone martyrii conferre, vos dignetur & vitiorum ſqualoribus expurgare, & virtutum lampadibus exornare. Amen.

Quatinus virtutum oleo ita pectorum veſtrorum lampades poſſint repleri, ut cum eis cœleſtis Sponſi thalamum valeatis ingredi. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum.

[*In Dedicatione.*

Benedicat & cuſtodiat vos omnipotens Deus, domumque hanc ſui luminis præſentia illuſtret, atque ſuæ pietatis oculos ſuper eam die ac nocte dignetur aperire. Amen.

Concedatque propitius, ut omnes, qui ad dedicationem huius baſilicæ devote conveniſtis, intercedente beato N. & ceteris

teris Sanctis ſuis, quorum reliquiæ hic pio venerantur amore, vobiscum hinc veniam peccatorum veſtrorum reportare valeatis. Amen.

Quatenus eorum interventu ipſum templum ſancti Spiritus, in qua ſancta una Trinitas iugiter habitare dignetur, efficiamini, & poſt huius vitæ labentis excurſum ad gaudia æterna feliciter pervenire mereamini. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur.]

In cottidianis diebus.

Benedicat vobis Dnus, & cuſtodiat vos. Amen.

Illuminet faciem ſuam ſuper vos, & miſereatur veſtri. Amen.

Convertat vultum ſuum ad vos, & donet vobis pacem. Amen.

Alia Benedictio.

Omnipotens Deus ſua vos clementia benedicat, & ſenſum in vobis ſapientiæ ſalutaris infundat. Amen.

Catholicæ fidei vos documentis enutriat, & ſcis operibus perſeverabiles reddat. A.

Greſſus veſtros ab errore convertat, & viam vobis caritatis (&) pacis oſtendat. A.

Alia Benedictio.

Inclinet Dnus aurem ſuam ad preces veſtræ humilitatis, & det vobis gratiam ſuæ benedictionis, & præmium ſempiternæ ſalutis. Amen.

Semper & ubique Dum propitium habeatis, & in eius laudibus exultetis. Am.

Omnium peccatorum veſtrorum vincula ſolvat, & ad gloriam ſempiternam pervenire vos faciat. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum.

Alia.

Multiplicet in vobis Dnus copiam ſuæ benedictionis, & confirmet vos in ſpe regni cæleſtis. Amen.

Actus veſtros corrigat, vitam emendet, mores componat, & vos ad cæleſtis paradiſi hereditatem perducat. Amen.

Talique intentione repleri valeatis, qua in perpetuum Dno placeatis. Amen.

Quod ipſe præſtare.

Alia.

Devotionem veſtram Dnus dignanter intendat, & ſuæ vobis benedictionis dona concedat. Amen.

Talique vos in præſenti ſæculo ſubſidio muniat, ut paradiſi vos in futuro habitatores efficiat. Amen.

Sicque corda vra ſanctificando benedicat, & benedicendo ſanctificet, ut vobiscum immo in vobis eum iugiter habitare delectet. Amen.

Quod ipſe præſtare.

Item Alia.

Det vobis Dnus munus ſuæ benedictionis, & repleat vos Spu veritatis & pacis. Amen.

Quatinus ſic per viam ſalutis devota mente curratis, ut ſurripientium delictorum laqueos ſalubriter evadatis. Amen.

Sicque

Digitized by Google

Sicque efficiamini in eius ſupplicatione devoti, & in mutua dilectione ſinceri, ut ad cœleſte regnum pervenire poſſitis ſecuri. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum.

Alia Benedictio.

Concedat vobis omnipotens Deus munus ſuæ benedictionis, qui veſtræ eſt conſcius infirmitatis. Amen.

Et qui vobis tribuit ſupplicandi affectum, tribuat conſolationis auxilium. Amen.

Ut ab eo & præſentis & futuræ vitæ ſubſidium capiatis, cuius vos bonitate creatos eſſe creditis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

Item Alia.

Omnipotens Deus cœleſti vos benedictione circumdet, & ſuæ benedictionis dono locupletet. Amen.

Concedatque vobis, ut qui in ſola ſpe gratiæ cœleſtis innitimini, cœleſti etiam protectione muniamini. Amen.

Quatinus & in præſenti ſæculo mortalis vitæ ſolatia capiatis, & ſempiterna gaudia comprehendere valeatis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

Alia.

Omnipotens Deus dexteræ ſuæ perpetuo vos circumdet auxilio, & benedictionum ſuarum repleat dono. Amen.

Ab omni vos pravitate defendat, & donis cœleſtibus exuberare concedat. Amen.

Quo corpore mundati ac mente talem ei exhibeatis ſervitutem, per quam ſuam conſequi valeatis propitiationem. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum.

Item Alia.

Purificet omnipotens Deus vrorum cordium arcana, & benedictionis ſuæ vobis tribuat incrementa. Amen.

Ab omnibus vitæ præſentis periculis exuamini, & virtutum ſpiritualium ornamentis induamini. Amen.

Quo illius adiutorio fulti ſic ei ſerviatis in terris, ut ei coniungi valeatis in cœlis. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum.

Item Alia

Omnipotens Deus univerſa a vobis adverſa excludat, & ſuæ ſuper vos benedictionis dona infundat. Amen.

Corda veſtra efficiat ſacris intenta doctrinis, quo poſſint repleri beneficiis ſempiternis. Amen.

Quatinus & exequenda intelligentes, & intellecta exequentes, & inter adverſa mundi inveniamini indemnes, & beatorum ſpirituum efficiamini coheredes. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius.

Alia Benedictio.

Omnipotens Deus dies noſtros (1) *in ſua*

(1) MURAT. *veſtros.*, prout alias ſemper in noſtro etiam cod. *San-Blaſ.* unde hic ſcribæ oſcitantia dignoſcitur; alias vero ad apicem convenit noſter cum *Othoboniano* MURATORII, ſimiliter etiam benedictione ſuper regem tempore ſynodi concludente, quæ in cod. *Vatic.* deſideratur, uti etiam nonnullæ aliæ in eodem codice aut deſunt, aut diverſæ ſunt ſemper etiam cum noſtro *San-Blaſiano*, qui ab *Othoniano* nec quidquam differt.

Digitized by Google

ſua pace diſponat, & ſuæ vobis benedictionis dona concedat. Amen.

Ab omnibus vos perturbationibus liberet, & mentes veſtras in ſuæ pacis tranquillitate conſolidet. Amen.

Quatinus fidei, ſpei & caritatis gemmis ornati, & præſentem vitam tranſigatis illæſi, & ad æternam perveniatis ſecuri. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre.

Super Regem tempore Synodi.

Benedicat tibi Dnus cuſtodiens te, ſicut voluit ſuper populum ſuum conſtituere regem, ita & in præſenti ſæculo felicem, & æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem. Amen.

Clerum ac populum, quem ſua voluit opitulatione tua ſanctione congregari, ſua diſpenſatione, & tua adminiſtratione, per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. Amen.

Quatinus divinis monitis parentes, adverſitatibus omnibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo miniſterio fideli amore obſequentes, & in præſenti ſæculo pacis tranquillitate fruantur, & tecum æternorum civium conſortio potiri mereantur. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur, cuius regnum.

Digitized by Google

PRÆPARATIO
EPISCOPI AD MISSAM SOLEMNEM.
Ex Codice San-Blaſ. Sec. XIV. (1)

Epiſcopus ad Miſſam celebrandam in plenis pontificalibus ſolemniter proceſſurus dicat:

Adiutorium noſtrum in nomine Dni, qui fecit cœlum & terram. Sit nomen Dni benedictum, ex hoc nunc & uſque in ſeculum

Pſal Quam dilecta. *Pſal.* Benedixiſti. *Item Pſal.* Inclina Dne. *Item Pſ.* Credidi. *Item* De profundis. *Epiſcopus dicat:* Ne reminiſcaris Domine delicta mea vel parentum meorum, neque vindictam ſumas de peccatis meis. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos.

Preces. Ego dixi, Domine miſerere mei &c.

Convertere Dne aliquantulum! Et deprecabilis eſto ſuper ſervum tuum.

Fiat miſericordia tua Dne ſuper nos, quemadmodum &c.

Sacerdotes tui induantur iuſtitiam.

Averte faciem tuam a peccatis meis.

Cor mundum crea in me Deus &c.

Ne proiicias me a facie tua, & Spiritum &c.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui &c.

Ab occultis meis munda me Dne!

Dne exaudi orationem meam, Et clamor &c.

Dominus vobiſcum. Et cum Spiritu tuo.

Oratio.

Aures tuæ pietatis, mitiſſime Deus! inclina precibus meis, & gratia ſancti Spiritus illumina cor meum: ut tuis myſteriis digne miniſtrare, teque æterna caritate diligere merear. Per Chriſtum Dnm nrm.

Item alia Oratio.

Ure igne ſancti Spiritus renes noſtros & cor noſtrum Domine! ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placere mereamur. Per Dnm nrm.

His dictis induatur (2) *cambagis, & dicat:*

Totius honeſtatis auctor omnipotens Deus! ad reprimendas antiqui hoſtis inſidias per noſtræ ſervitutis miniſterium, iube nos ſanctificari caligis iſtis: ut in ingreſſu earum reſplendeat Evangelii veritas, & in mente fidei exerceatur integritas. Per Chriſtum Dnm nrm.

Illud dicitur ad Sandalia.

Præſta Domine! ut calceentor pedes mei in præparationem Evangelii pacis. Per Chriſtum Dnm nrm.

Poſt hac ſurgat, & ſupponat Humerale, & dicat:

Pone Dne galeam ſalutis in capite meo, & humeros meos ſub umbra alarum tuarum protege, & pectus meum vitiis omnibus exutum præcinge tibi ad ſacrificandum viventi in ſecula ſeculorum. Per Chriſtum Dnm nrm.

Ad Albam.

Indue me Domine lorica fortitudinis, & veſtimento caritatis circumda me: ut poſſim reſiſtere adverſariis meis, & nomen tuum laudare convenienter, & dignum tibi ſervitium offerre valeam. Per Chriſtum Dnm nrm.

Ad Zonam.

Præcinge me Dne Zona caſtitatis & iuſtitiæ, & conſtringe in me dilectionem Dei & proximi. Per Chriſtum D. N.

Ad

(1) De eiusmodi præparatione ad Miſſam aliqua diximus Diſquiſit. IV. cap. II. Tom. I. pag. 290. ſeq. Orationes autem hic poſitæ paſſim ab hodiernis differunt, quæ in Pontificali habentur.

(2) Legendum hic *compagis.* Eſt autem *compagum* ſeu *compagus* ſandaliorum genus, quæ ad modum retium confibulabantur: ſed & caligas denotat, quo ſenſu hic accipiendum. De quo pluribus in Macri hierolexico h. v. Cæterum de veſtibus pontificalibus hic memoratis vid. Diſquiſ. III. c. III. Tom. I. p. 230. ſeqq.

Ad Manipulum. Omnipotens ſempiterne Deus! da mihi manipulo hoc digne uti, ut per quem fructus deſignatur bonorum operum, eius miniſterio ad conſortium valeam pervenire Beatorum. Per Ch.

Ad Stolam. Stola innocentiæ circumda Dne cervicem meam, & ab omni corruptione peccati purifica mentem meam p. Ch. D. n.

Ad Dalmat. Tribue ſancte Pater! illum, qui pro omnibus crucem ſubiit, me ſic imitari, ut per ipſum utriusque teſtamenti mediatorem doctrina ſancti Evangelii percepta, ſanctarum virtutum percipiam effectum. p. Dominum.

Ad Subtile. Fac me, quæſo Dne, cœleſtibus deſideriis ita eſſe intentum: ut animi virtutibus adeptis, digne accedam ad tuum miniſterium. p. Dnm.

Ad Chirothec. Conſerva, Dne, quæſo manus meas ab omni pollutione, ut tibi ſoli Deo ſacrificium laudis dignanter poſſim offerre. Per Chriſtum.

Ad Annulum. Annulo perfectæ dilectionis orna me Dne, ut te Regem regum & lapidem angularem tota mente & intentione valeam diligere. Per Chriſtum.

Ad Caſulam. Indue me, Dne, ornamento humilitatis & caritatis, & concede mihi protectionem contra hoſtem & inſidiatorem, ut valeam puro corde laudare nomen tuum glorioſum in ſecula ſeculorum. p. Ch. D. n. (1)

Sanctiſſime Deus! qui es lux & veritas figurarum, Maieſtatem tuam humiliter deprecamur; ut, quod noſtro merito non valemus, per hæc pontificatus inſignia & tuæ propitiationis dona facilius impetremus. p. Ch. D. n.

Ad Mitram. Pone Dne ſignum in capite meo, ut nullum præter te amatorem admittam. Per Ch. D. n.

Ad Baculum. Plebem tuam, Dne, mihi commiſſam paſtorali ſollicitudine ita fac me regere, ut in futuro talentum mihi commiſſum duplicatum tibi poſſim reportare. Per Chrm Dnm nrm.

Qualiter Epiſcopus ſe debeat habere in Officio Miſſæ.

Primo, cum iam ad altare proceſſit, dicat: Introibo ad altare Dei: Ad Deum, qui lætificat iuventutem meam. *Pſalm.* Iudica me Deus & diſcerne &c. *Epiſcopus dicat*: Confitemini Dno, quoniam bonus: quoniam in ſeculum miſericordia eius. *Epiſcopus mitra depoſita dicat*: Confiteor Deo & beatæ Virgini & omnibus Sanctis, quod ego peccator peccavi contra legem Dei cogitatione, locutione, opere & omiſſione. Ideo precor glorioſam Virginem Mariam & omnes Sanctos Dei & vos, orare pro me ad Dnm nrm Ieſum Chriſtum, ut miſereatur mei. *Miniſter dicat:* Miſereatur veſtri omnipotens Deus, & dimittat vobis omnia peccata veſtra, liberet vos ab omni malo, conſervet me (2) in omni opere bono, & perducat vos in vitam æternam. *Epiſc.* Amen. *Miniſter.* Confiteor. *Epiſc.* Miſereatur. *Epiſc.* Indulgentiam & abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum veſtrorum tribuat vobis omnipotens Pater & miſericors Dominus.

Miniſter. Amen. *Reponatur mitra. Epiſc. dicat:* Adiutorium nrm in nomine Domini. *Miniſter.* Qui fecit cœlum & terram. *Epiſc.* Dne exaudi orationem meam. *Miniſter.* Et clamor meus ad te veniat. *Epiſc.* Dominus vobiſcum. *Miniſter.* Et cum ſpiritu tuo.

Epiſc. accedat ad altare & dicat: Oremus. Aufer a nobis, quæſumus Dne, omnes iniquitates noſtras, ut ad Sancta Sanctorum puris mentibus introire mereamur. p. Ch. *Item inclinet ſe & dicat:* Oramus te Dne, ut per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hic ſunt repoſitæ; & omnium ſanctorum tuorum meritis, noſtra nobis dimitte peccata. per Ch. Dominum.

Deinde accedat ad librum miſſale, & oſculetur Evangelium officii: dicens:

Pax Chriſti, quam nobis per Evangelium ſuum tradidit, confirmet & conſervet corda & corpora noſtra in vitam æternam. Amen. *Deinde inchoetur Miſſa, & depoſita mitra Epiſc. dicat:* Gloria in excelſis Deo. *Quo dicto reponatur mitra, & converſus ad populum diſiunctis & extenſis manibus dicat:* Pax vobis. *Miniſtri.* Et cum ſpiritu tuo. Oremus. *Incipiens Collectam, iterum deponat mitram. Et cum perventum fuerit ad* per Dominum *mitra reponatur. Et ſi duæ Collectæ ſub eodem* per Dominum *concludendæ fuerint, uſque ad finem ſecundæ Collectæ mitra non reponatur. Et cum ad Evangelium in Miſſa perventum fuerit, Diaconus fixis genibus benedictionem ab Epiſc. petat dicens:* Iube Dne benedicere. *Epiſc.* Dnus ſit in corde tuo & in labiis tuis ad pronuntiandum Evangelium IESU Chriſti in nomine Domini. Amen. *Lecto Evangelio deportatur liber ad oſculum Epiſcopi & ipſe dicat:* Per evangelica dicta deleantur noſtra delicta in no✝mine Domini amen. *Poſt hæc Epiſc. incipiat:* Credo in unum. *Quo dicto reponatur mitra, & agatur Miſſa*

(1) Sequens oratio non prænotatur, nec etiam hodie amplius dicitur: videtur autem ante aſſumtionem mitræ & baculi, quæ propria ſunt pontificatus inſignia, fuiſſe dicenda. (2) Forte leg. *Conſervetque.*

Digitized by Google

Miſſa uſque ad Secretam, ubi dicto Oremus. *deponatur mitra & non reponatur ex tunc uſquequo dici debet:* Et pax eius ſit ſemper. *Ubi Diaconus converſus ad populum dicat:* Humiliate vos ad benedictionem. *Clerus:* Deo gratias. *Hic Epiſc. reſumptis mitra, annulo & baculo, & verſus ad populum dicat benedictionem pontificalem officio diei competentem. Qua dicta iterum remotis ab eo mitra, annulo, baculoque converſus ad altare dicat:* Et pax eius ſit ſemper vobiscum. *Sic perficiatur Miſſa uſque ad complendam. Ubi dicta communione, Epiſcopus reinduat chirothecas, & ſuperpoſita mitra, aſſumptis inſuper annulo & baculo converſus ad populum dicat:* Dnus vobiſcum. Oremus. *Quo dicto perficiat complendam ante,* per Dominum. *repoſita mitra, & miſſam perficiat more conſueto.*

In eodem codice iſti habentur ritus ad Miſſam ſolemnem Epiſcopi.

Primo eſt ſciendum, quod Epiſcopus in omni officio pontificali debet portare baculum in manu ſiniſtra, propter benedictiones per manum dextram dandas. Item ſciendum eſt, quod in officio miſſæ ſemper debet baculus ſequi librum miſſalem, ita, ut ante Evangelium in parte dextra altaris, & poſt Evangelium in parte ſiniſtra teneatur . . . Item ſciendum, quod in officio miſſæ in veſperis & in matutinis, quum Epiſcopus prædicta officia met ſollemniter fecerit, ſedes pontificalis ante medium altaris locanda eſt, & cum ſedendum eſt, Epiſcopus verſo vultu ad populum ſuper eam debet reſidere. Hic eſt ſciendum, quod in miſſa pro defunctis nunquam dicitur *pax vobis*, nec in miſſa pro defunctis datur benedictio pontificalis, ſed omnia fiunt ad modum ſimplicis Presbyteri. Item ſciendum, quod etiam in quacunque alia miſſa tantum ad primam collectam & ſemel in miſſa dicitur *pax vobis* . . . Item ſciendum, quod ſemper ad *Gloria in excelſis Deo*, & ad inceptionem *Credo in unum*, ad textum Evangelii, ſive in miſſa, ſive in matutinis fuerit, ſemper Epiſcopus mitram deponere debet . . . Item idem faciet ad *Magnificat* in veſperis & ad *Benedictus* in matutinis. Item ſciendum, quod in veſperis & in matutinis, quum Epiſcopusmet facit officium, ac etiam in reconciliationibus eccleſiarum & cœmeteriorum plenis pontificalibus ipſum indui non oportet, ſed tantum alba, ſtola, manipulo, & deſuper pluviali, id eſt cappa pro choro, in præmiſſis poterit contentari. Item ſciendum, quod quum Epiſcopus in privato & ſine ſollemnitate miſſam legit, indumentis presbyteralibus contentetur. Item quod ſuper altare, ubi Epiſcopus in privato vel ſolemniter miſſam dicit, illa die nullus Presbyter ſimplex deſuper celebrare debet, nec conſuevit. Item ſciendum, quod Epiſcopus circa principium canonis debet deponere chirothecas & annulum, uſque ad illum locum: *Et pax eius*: tunc pro benedictione pontificali tantum annulus cum baculo reſumitur. Data benedictione, uſque poſt ablutionem annulus iterum removetur. Item ſciendum, quod poſt miſſam, veſperas & poſt matutinum, ubi Epiſcopus ad finem prædictorum præſens adeſt, dabit benedictionem in hæc verba: *Sit nomen Domini benedictum.* Aſſiſtentes: *Ex hoc nunc & uſque in ſeculum.* Epiſcopus: *Adiutorium noſtrum in nomine Domini.* Aſſiſtentes: *Qui fecit cœlum & terram.* Epiſcopus: *Benedicat vo†s divina Maieſtas, una Deitas, Pa†ter & Fi†lius & Spiritus † ſanctus.* Item ſciendum, quod poſt menſam Epiſcopus præſens dabit benedictionem iſtam: *Sit nomen Domini benedictum* ut ſupra &c. *Adiutorium noſtrum in nomine Domini*, ut ſupra: *Benedicat, qui creavit, redemit & pavit nos, & animæ fidelium per miſericordiam Dei requieſcant in pace.* Aſſiſtentes: *Amen.*

Alia Præparatio ex Cod. *S. Blaſiano* ſæc. X. circ. (1)

Epiſcopus vel Presbyter, cum ſe ad Miſſam parat, cantet hos Pſalmos:

Quam dilecta. Benedixiſti. Inclina D. Credidi propter. De profundis. (2) Pater noſter.

Deinde ſequuntur Preces.

Exſurge Dne adiuva nos. Fiat miſericordia tua Dne ſuper nos. Deus tu converſus vivificabis nos. Oſtende nobis Dne miſericordiam tuam. Ne intres in iudicium cum ſervis tuis Dne. Domine exaudi orationem.

Oratio.

Fac me, quæſo omnipotens Deus, ita iuſtitia indui, ut in Scorum tuorum merear exultatione lætari, quatenus emundatus ab omnibus ſordibus peccatorum, conſortium adipiſcar tibi placentium Sacerdotum, meque tua miſericordia a vitiis omnibus

(1) De hac iam diximus Diſquiſit. IV. cap. II. pag. 290. revera enim appendix illa ſec. XII. circ. ſapere videtur.

(2) Pſalmus iſte recentiore manu ſuperſcriptus eſt.

Digitized by Google

nibus exuat, quem reatus propriæ conſcientiæ gravat, per Dnm.

Alia.

Aures tuæ pietatis, mitiſſime Deus, inclina precibus meis, & gratia ſci Spiritus illumina cor meum, ut tuis myſteriis digne miniſtrare, teque æterna caritate diligere merear, per.

Cum manus lavat, ſive ante Miſſam ſive poſtea, dicat:

Largire ſenſibus noſtris omnipotens Pater, ut ſicut exterius abluuntur inquinamenta manuum, ſic a te mundentur interius pollutiones mentium, & creſcat in nobis augmentum ſacrarum virtutum, per Dnm.

Poſtquam Eccleſiam intrat, dicat:

Introibo ad altare Dei. *cum Pſalmo*: Iudica me Deus & diſcerne. *Deinde* Confiteor *decantet & dicat:* Converte nos Deus. Dignare Dne die iſto. Fiat miſericordia tua Dne ſuper. Dne exaudi orat. meam. Aufer a nobis, Dne quæſumus, cunctas iniquitates noſtras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire, per.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui me peccatorem ſacris altaribus adſtare voluiſti, & ſancti nominis tui laudare potentiam, concede, quæſumus, per huius Sacramenti myſterium meorum mihi veniam peccatorum, ut tuæ Maieſtati digne miniſtrare merear, per.

Cum Evangelium oſculabitur, dicat:

Pax Xpi, quam nobis per Evangelium ſuum tradidit, confirmet & conſervet corda & corpora nra in vitam æternam. Amen.

Cum incenſum, antequam Evangelium legatur, in turibulum mittit, dicat:

Odore cæleſtis inſpirationis ſuæ accendat & impleat Dnꝰ corda noſtra ad audienda & implenda Evangelii ſui præcepta.

Deinde inclinanti Diacono benedicat dicens:

Dnꝰ ſit in corde tuo & in labiis tuis, ut nunties competenter Evangelium pacis. Pax tibi.

Allato autem Evangelio Epo vel cæteris dicat:

Per iſtos ſermones ſci Evangelii Filii tui (l. *ſui*) Dni nri Ihu Xpi indulgeat nobis Dnꝰ omnia peccata nra.

Et oblationem accipiendo dicat:

Acceptabilis ſit Deo omnipotenti oblatio tua.

Tunc rediens Epus vel Sacerdos ad altare, antequam Secreta dicat, accuſet ſe ipſum dicens:

Dne Deus omnipotens, fac me peccatorem hodie ſecundum magnam miſericordiam tuam accedere ad ſcm altare tuum, & præſta, ut non ſit mihi hoc ſacrificium reatus ad pœnam, ſed ablutio ſalutaris ad veniam, per.

Tunc puro corde offerat Dno oblatas altari impoſitas dicens:

Suſcipe ſca Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam incarnationis, nativitatis, paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis Dni nri Ihu Xpi, & in honore omnium Scorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, & eorum, quorum hodie feſtivitas celebratur, & quorum hic nomina & reliquiæ habentur, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem, ut illi omnes pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris, per Xpm Dnm nrm.

Alia.

Suſcipe ſce Pater omnipotens æterne Deus hanc immaculatam hoſtiam, quam ego indignus famulus tuus tibi offero Deo meo vivo & vero, quia te pro æterna ſalute cunctæ eccleſiæ tuæ ſuppliciter exoro per X. D. N.

Alia.

Suſcipe ſca Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro ſalute famulorum tuorum, quatenus te donante percepta venia peccatorum, vitæ quoque ſemper immenſa gaudia percipere mereamur, per X. D. N.

Suſcipe ſca Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero pro animabus famulorum tuorum, ut per hoc ſalutare ſacrificium purgatæ, Scorum tuorum conſortio adunari mereantur, per X. D. N. (1)

Sanctifica, quæſumus Dne, hanc oblationem, & concede, ut nobis unigeniti Filii tui Dni noſtri Ihu Xpi Corpus fiat.

Ad offerendum Calicem.

Offerimus tibi Dne Calicem ſalutaris, ſuppliciter deprecantes clementiam tuam, ut intercedente beata Maria ſemper Virgine cum omnibus Sanctis tuis in conſpectu divinæ Maieſtatis tuæ cum odore ſuavitatis aſcendat. Amen.

Item.

Oblatum tibi Dne Calicem ſanctifica, & concede, ut nobis unigeniti Filii tui Dni nri Ihu Xpi Sanguis fiat.

Super utroſque.

In nomine Dni nri Ihu Xpi ſit ſignatum, ordinatum, & benedictum hoc ſacrificium.

Poſtea incenſum accipiens, ponat in turibulum dicens:

Per

(1) Quæ hic habentur in plurali, etiam pro uno tantum ſuperſcripta ſunt in codice.

Digitized by Google

Per interceſſionem ſci Gabrielis (1) Archangeli ſtantis a dextris altaris incenſi, & omnium Electorum ſuorum incenſum iſtud Dnus dignetur benedicere, & in odorem ſuavitatis accipere.

Item.

Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine. *Item.*

Incenſum iſtud a te benedictum, aſcendat ad te Dne, & deſcendat ſuper nos miſericordia tua.

Quando odor eiusdem incenſi unicuique porrigitur, dicat:

Accendat in nobis Dn9 ignem ſui amoris, & flammam æternæ caritatis.

Item.

Illo nos igne, quæſumus Dne, Spiritus ſc9 inflammet, quem Dn9 nr Ih9 Xp9 miſit in terram, & voluit vehementer accendi.

Oratio ante Canonem.

Facturus memoriam ſalutaris hoſtiæ totius mundi, cum illius dignitatem, & meam intueor fœditatem, conſcientia torqueor peccatorum meorum. Verum quia tu Deus miſericors es, imploro, ut digneris mihi dare ſpiritum contribulatum, quod tibi gratum ſacrificium revelaſti, ut eo purificatus, vitali hoſtiæ manus admoveam, quæ oia peccata mea aboleat, & ea deinceps in perpetuum vitandi mihi tutelam infundat, omnibusque, pro quibus tibi offertur, præſentis vitæ & futuræ ſalutis commercia largiatur, per Dnm.

Tunc convertat ſe Sacerdos ad circumſtantes, & dicat:

Orate pro me peccatore, ut orao vra deleat peccata mea.

Infra Actionem.

Memento Dne famulorum famularumque tuarum N. præcipue deprecor pro his, qui memoriam mei coram te in ſuis precibus faciunt, vel qui ſe meis indignis precibus commendaverunt, quique etiam in tuo conſpectu ſua mihi delicta confeſſi ſunt, & qui mihi vel congregationi tuæ aliquid caritatis officio, ſive pietatis vel largitatis ſuæ ſtudio impenderunt, quique etiam mihi propinquitatis vel conſanguinitatis, ſeu tuæ caritatis affectu coniuncti ſunt: mihi quoque indigniſſimo famulo tuo propitius eſſe digneris, & ab omnibus delictorum offenſionibus me emundare. Et omnium circumſtantium.

Expleta autem Te igitur, *& oratione dominica, cum dixerit*, Pax Dni ſit ſemper vobiſcum, *miſceatur Corpus dominico ſanguini.*

Hæc ſacroſancta commixtio corporis & ſanguinis Dni nri Ihu Xpi fiat omnibus nobis ſumentibus ſalus mentis & corporis, & ad æternam vitam capeſſendam præparatio ſalutaris.

Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Dni nri Ihu Xpi omnibus accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.

Tunc oſculetur altare dicens:

Dne Ieſu Xpe, qui dixiſti aplis tuis: pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, ne reſpicias peccata mea, ſed fidem eccleſiæ, eamque ſecundum tuam voluntatem pacificare & adunare dignare.

Deinde convertat ſe, pacemque ferat circumſtantibus dicens:

Habete vinculum caritatis & pacis, ut apti ſitis ſacroſanctis myſteriis.

Et ipſi accipiendo dicant:

Pax Xpi & eccleſiæ abundet in cordibus noſtris.

Quando Corpus in manus accipit, dicat:

Panem cœleſtem accipiam, & nomen Dni invocabo.

Item Oratio.

Perceptio corporis tui Dne Ihu Xpe, quam indignus ſumere præſumo, non mihi proveniat in iudicium & condemnationem, ſed per tuam pietatem proſit mihi ad tutamentum mentis & corporis.

Quando Calicem accipit, dicat:

Quid retribuam Dno pro omnibus quæ retribuit mihi? calicem ſalutaris accipiam, & nomen Dni (invocabo). *Item.*

Laudans invocabo Dnm, & ab inimicis meis ſalvus ero.

Item.

Communicatio & confirmatio ſci ſanguinis tui Dne Ihu Xpe proſit mihi in remiſſionem omnium peccatorum meorum, & conſervet me, & perducat ad vitam æternam, Amen.

Item Oratio.

Dne Ihu Xpe Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante ſco Spiritu, per mortem tuam mundum vivificaſti, libera me per hoc ſacrum Corpus & Sanguinem tuum a cunctis iniquitatibus meis, & univerſis malis, & fac me tuis obedire mandatis, & a te nunquam in perpetuum digneris ſeparari, qui vivis &.

Deinde cum cœperit communicare, dicat ſingulis:

Per-

(1) Sic paſſim legitur in antiquis codicibus, ſecus ac hodie, ubi pro Gabrielis nomine illud Michaelis perperam irrepſit: quod probat Ven. Card. THOMASIUS Opp. T. VII. pag. 41.

Digitized by Google

Perceptio Corporis Dni nri Ihu Xpi proſit animæ tuæ & corpori in vitam æternam, amen.

Finita Miſſa, poſtquam dicit: Ite Miſſa eſt, *veniat ante altare, & eo oſculato dicat:*

Placeat tibi ſca Trinitas obſequium ſervitutis meæ, & præſta, ut ſacrificium, quod oculis tuæ Maieſtatis indignus obtuli, ſit tibi placens, mihique & omnibus, pro quibus illud obtuli, te miſerante ſit propitiabile.

Expletis omnibus ad ſacrarium rediens, cantet hymnum trium puerorum, & Laudate Dnm in Scis eius. Kyrie eleiſon, Pater noſter. *Deinde preces:*

Confiteantur tibi Dne omnia opera tua. Et Sancti tui benedicant tibi.

Exultabunt Sci in gloria. Lætabuntur in cubilibus ſuis.

Exultent iuſti in conſpectu Dei.. Et delectentur in lætitia.

Non nobis, Dne, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

Sacerdotes tui induantur iuſtitia. Et Sancti tui exultent.

Benedicat nos Deus, Deus nr. Benedicat nos Deus.

Dne exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat. *Oratio.*

Deus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium, concede propitius, per interventum eorum & merita omnium Scorum tuorum, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum, per.

Alia Oratio.

Actiones nras, quæſumus Dne, & aſpirando præveni, & adiuvando proſequere, ut omnis oratio, & cuncta nra operatio, & a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur, per D. nrm.

Oratio antequam ad Altare acceſſeris.

Maieſtatem tuam totis viribus, Deus piiſſime! humili prece depoſco, & exoro, ut remittas crimina, quæ caro fragilis a tentatione iniquorum ſpirituum nequiter admiſit, & iam reverti ad ea non ſinas ultra, ſed confirma me (*in*) iuſtificationibus tuis, & perſeverantiam mihi tribue in illis, & fac me dignum ante conſpectum Maieſtatis tuæ aſtare, & ſacrificium tibi Dne caſto corpore & mundo corde digne offerre, per Dnm.

Alia Oratio.

Ignoſce mihi Dne, quem maculatæ vitæ conſcientia trepidum, & criminum meorum confuſio fecit eſſe captivum. En! qui pro me veniam obtinere non valeo, pro aliis rogaturus aſſiſto. Profero, ſi digneris Dne, captivorum gemitus, tribulationes plebium, pericula populorum, neceſſitates peregrinorum, inopiam debilium, deſperationes languentium, deſpectus ſenum, ſuſpiria iuvenum, lamenta monachorum vel viduarum, deſolationes eccleſiarum. Sed quoniam me eadem quæ populum peccati catena conſtringit, ideo communes lugeo paſſiones. Non obſit Dne populo tuo oratio ſubiugata peccatis: per me offertur votum, per te Dne meum compleatur officium, per.

Oratio ante Altare.

Ignoſce Dne, quod dum rogare compellor, dum per immunda labia nomen ſcm tuum aſſumo, & immundorum actuum ſecreta confiteor, non habeo apud te verba ſine crimine. Tu enim conſcientiæ meæ vulnera, tu cogitationum mearum occulta noſti, & immunditias meas tu ſolus agnoſcis. Miſerere mihi Dne miſerere mihi! ignoſce myſterii tui ſecreta tractanti, nec indignum miſericordiæ tuæ iudices, quem pro aliis rogare permittis; & in quo teſtimonium boni operis non agnoſcis, officium ſaltim diſpenſationis creditæ non recuſes, Sal.

Oratio Sci AMBROSII Epi & Confeſſoris. (1)

Ante conſpectum divinæ Maieſtatis tuæ reus aſſiſto! qui nomen ſcum tuum invocare præſumo. Miſerere mihi Dne homini peccatori, ignoſce indigno ſacerdoti, per cuius manus hæc oblatio videtur offerri. Parce peccatorum labe capitalium præ cæteris polluto, & non intres in iudicium cum ſervo tuo, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens, ſcilicet vitiis ac voluptatibus carnis aggravatus ſum. Recordare quod caro ſum. In tuo conſpectu etiam cœli non ſunt mundi, quanto magis ego homo terrenus, immundus velut pannus menſtruatæ. Indignus ſum Ihu Xpe, ut ſim vivens; ſed tu, qui non vis mortem peccatoris, dona mihi veniam in carne conſtituto, ut per pœnitentiæ labores vita æterna fruar in cœlo, Amen.

Alia Oratio.

Dne Ihu Xpe redemptor mundi, propitius eſto mihi peccatori, omnibus modis in peccatis iacenti, quia tu ſolus Dne Deus nr immortalis es, & ſine peccato Indulge mihi miſerrimo præſumenti accedere ad ſcm altare tuum, & invocare te, quia peccavi ab infantia mea uſque nunc coram te, & coram obꝰ Scis tuis. Sed per illorum interceſſionem tribue mihi divinam clementiam, veniamque

(1) Oratio hæc in Cod. bibliothec. Cæſar. *Vindob.* Sæc. IX. inſcribitur *Confeſſio Sacerdotis*, atque eadem omnino eſt, niſi quod ibi in plurali ponantur, quæ hic circa medium & deinceps habentur in ſingulari.

Digitized by Google

niamque delictorum meorum, & doce me facere voluntatem tuam omnibus diebus vitæ meæ, qui vivis & regnas.

Confeſſio peccatorum.

Ego miſer & peccator, qui me præ ob9 Xpianis ſceleratiſſimum eſſe computo & ſcio, confiteor Dno & omnibus Scis eius, & vræ paternitati Sacerdos & legate Xpi, omnibus ſceleribus & flagitiis infinitis ab ineunte ætate uſque in præſentem diem me ſemper occupatum eſſe ſine aliquo divini timoris intuitu, maxime autem in fornicationibus nimiis & variis, ſedula ebrietate hoc perpetrante, negligentiis omnigenis, periuriis, mendaciis, invidia, ſuperbia, malitia, gula, avaritia, rapina, furto, in vana gloria, in arrogantia, in inobedientia, in contumacia, in duritia mentis, in contradictione, in murmuratione, in indignatione, in detractione, in ira, in odio, in maledictione, in ſuſurratione, in triſtitia, in lætitia, in loquendo, in reticendo, in increpando immoderate, in remittendo incaute, in dilectione vana, in riſu, in ioco, in ſcurrilitate, in diſcordia, in ſeminando diſcordiam, in ficta amicitia, in dando & accipiendo, & in ob9 ſenſibus corporis me corruptum eſſe confiteor, & in omnibus peſtibus, quæ ad mortem meam pertinent, me gravatum & repletum eſſe profiteor, in tantum, ut nec homicidii ſecurum confidam, quia plurimos per meam negligentiam fame mortificatos eſſe timeo, quos aliquatenus vivificare potuiſſem, ſi de his, quæ mihi ſuperflua erant, propenſiorem eis curam impendiſſem. Hæc omnia cum ſemper feciſſem, numquam pura confeſſione ea purgavi, vel debita pœnitentia minui, ſed ſemper gravibus graviora adieci. Pro his omnibus & aliis innumerabilibus, quæ non ſolum non numerare, ſed nec ad memoriam reducere potero, veniam a miſericordiſſimo Dno peto, quia neſcio ubi fugiam ab ira eius niſi ad illum: quod per vram interceſſionem & abſolutionem credo me poſſe obtinere venerande Sacerdos Xpi. Idcirco precor vos, quatinus intentiſſime, ut neceſſarium eſt, dignemini orare pro me.

De Indulgentia.

Ipſe occultorum omnium cognitor, per Dnm nrm Ihm Xpm Filium ſuum, una cum ſco Spu, contritionem ſpiritus, gemitum cordis, & confeſſionem oris vri, blande & veniabiliter ſuſcipere dignetur: quique mulieri peccatrici omnia peccata dimiſerat lacrymanti, & latroni ad unam confeſſionem clauſtra paradiſi aperuit, ipſe vos redemptionis ſuæ participes ab omni vinculo peccatorum abſolvat, & membra aliquatenus debilitata ſuæ medicina miſericordiæ ſanata, corpori ſcæ eccleſiæ redintegrata reſtituat, atque in perpetuum ſolidata cuſtodiat, qui cum Deo Patre.

Oratio ſancta ad Filium.

Deus meus & Dn9 meus Ih9 Xp9, tu ſcis, quod ſine te nihil poſſum boni nec incipere nec perficere, ſed habeo in te magnam fiduciam, & totam ſpem meam ponam in te, quia tu tam dives es in miſericordia, ut traderes te ipſum pro me. Et ideo obſecro te per ſcam incarnationem tuam, & per ſcam eccleſiam, quam proprio ſanguine redemiſti, ut ſis mihi mitis & miſericors, & dimittas mihi omnia peccata mea, & adiuves me, ut poſſim continue in memoria mea habere incognitum diem mortis meæ, & terribile tribunal iudicii tui, & deſiderabilem aſpectum beatorum angelorum, & diras facies dæmonum, & triſte aſpectum horrendi tartari, & incognitum iudicium meum, & te ſemper rogare, & miſericordiam tuam quærere, nec terribilem vocem cum impiis & peccatoribus propter peccata mea audiam: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum; ſed etiam merear propter tuam ſolam bonitatem ac miſericordiam & pietatem, illam amabilem vocem audire: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum. Et ut hæc omnia recordando continue poſſim inutiles cogitationes terrenarum curarum & cupiditatum ſeculi his cogitationibus ſuperare, & te in memoria mea continua habere, invoco te Deum & Dnm meum Ihm Xpm, protectorem & propitiatorem, conſolatoremque meæ neceſſitatis & anguſtiæ imminentis, qui cum Deo Patre.

Alia Oratio.

Deus meus & Dn9 meus Ih9 Xp9, nunc confiteor tibi peccata mea, quia es æternus pontifex, & Scorum miniſter, & veri tabernaculi ſacerdos, qui ſemel in anno in huius ſeculi myſtica ſancta intraſti, & ſanctum & immaculatum agnum proprii Corporis tui ad hoſtiam dediſti pro peccatis meis, & nunc ſedes ad dexteram Dei Patris, ſemper vivens & interpellans pro delictis meis. Scio Dne, ſcio, quod pro omnium delictis intercedis ad Patrem; ſed mea delicta non ſunt aliis ſimilia, nequiorem me cunctis peccatoribus penſo, comparationi meæ nullus nequior eſt: ſed ad quem clamabo niſi ad te? Tuæ miſericordiæ nullo fine con-

Digitized by Google

concluduntur. Tu pius es, tu benignus, miſericordia tua plena eſt terra. Scio te ſuperiorem & inferiorem & latiorem ſuper peccata mea. Propterea clamo ad te, ut per infinitam miſericordiam tuam me eripere digneris de faucibus lupi peſſimi, qui mihi invidet te paſtorem ſequi, Deum & Dnm meum Ihm Xpm. Sum enim ovis perdita, & de grege tuo proiectus pro peccatis meis. Veni Dne, veni, qui latronem confitentem ſalvaſti, & tecum regnaturum in paradiſo collocaſti, & eripe me famulum tuum de captivitate draconis, & perduc me ad caulas ovium tuarum, Salvator mundi, qui cum Patre.

Carmina cum ſuperis chorus hac hymnite fidelis.

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Dne Deus rex cœleſtis, Deus Pater omnipotens Dne Fili unigenite Ihu Xpe. Dne Deus agnus Dei, Filius Patris, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. Qui tollis peccata mundi, ſuſcipe deprecationem nram. Qui ſedes ad dexteram Patris miſerere nobis. Quoniam tu ſolus ſanctus, tu ſolus Dn9, tu ſolus altiſſimus Ihu Xpe cum ſco Spiritu in gloria Dei Patris, amen

Ne fuerit violata fides, hac norma tenenda eſt.

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium; & in unum Dnm Ihm Xpm Filium Dei unigenitum, ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines & propter nram ſalutem (*deſcendit*) de cœlis. Et incarnatus eſt de Spiritu ſco & Maria Virgine, & homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die ſecundum ſcripturas, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris, & iterum venturus eſt cum gloria iudicare vivos & mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spm ſcm Dnm & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam catholicam & apoſtolicam eccleſiam. Confiteor unum baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, & vitam futuri ſeculi. Amen.

---

(1) Sequuntur poſtea intonationes hymni angelici ac ſymboli latine & græce cum notis antiquis. Inde carmen angelicum græce, item græce & latine, ac demum duo ſymbola Apoſtolorum & *Nicænum* græce, ubique tamen litteris latinis, quibus textus græcus ſatis corrupte exprimitur: quæ adeo hic edenda eſſe haud cenſemus. De hoc ritu vid. Diſquiſit. IV. cap. I. Tom. I. pag. 287.

GRA-

GRADUALE

ex Codice Mſc. *Rhenaugienſi* Sæc. circ. VIII. cum Supplemento
ex Codice *San-Blaſiano* Sæc. XII.

Oeconomia ſequentis Gradualis.

Non reſpondet titulus: *Dominicalis* (de) *anni circulo*, obvio verborum ſenſui, dum non ſolum multa adduntur ferialia per hebdomadam officia, verum etiam feſta quædam præcipua, extra Dominicas celebrari ſolita. Hæc ſi ſpectes, ſic accipi poſſunt hæ *Dominicales*, ut S. P. BENEDICTUS in S. ſua Regula c. 14. feſtivitates celebrandas præſcribit cum officio Dominicali: *In Sanctorum vero feſtitatibus, vel omnibus ſolemnitatibus, ſicut diximus Dominico die, ita agatur.* Idem hoc eſt, quod in Regula CHRODEGANGI Ep. *Metenſis* poſt recenſionem Feſtorum dicitur: *Plenarium officium celebretur.* Quæ quidem ad rationem celebrandi feſtum in choro attinent: quod forum vero ſpectat ac etiam laicos, in Conc. *Agathenſi* an. 506. ſtatuitur Can. 21. *Paſcha vero, Natale Domini, Epiphaniam, Aſcenſionem Domini, Pentecoſten, & Natalem S. Ioannis Baptiſtæ, vel ſi qui maximi dies in feſtivitatibus habentur, nonniſi in civitatibus, aut in parochiis teneant.* Unum hic ex feſtis Sanctorum S. IOANNIS *Baptiſtæ* notatur, quod

quod in Concilio *Claromontano* an. 535. Can. 27. cum feſto Epiphaniæ & Aſcenſionis Domini omittitur; habentur vero tria hæc cum octava Natalis Domini (quod ſub nomine feſti Circumciſionis Domini in Concilio *Turonenſi* II. an. 567. notatur) in noſtro hoc Dominicali Graduali: ubi inter feſta Sanctorum primum occurrit Nat. S. LUCIÆ poſt Dominicam III. ante Natale Domini menſe *Decembri*, quo hodie ad diem XIII. S. LUCIÆ *Syracuſanæ* in *Sicilia* feſtum agitur, illud vero S. LUCIÆ *Romanæ* die XVI. *Septembris*. Feſtum S. LUCIÆ hic poni ob ſingulare patrocinium, extra dubium ponit, quod ex reliquorum Sanctorum feſtis pauca, eaque antiquiſſima tantum in hoc Graduali habeantur: veluti ea, quæ proximis poſt Natale Domini diebus hodie celebrantur; de quo antiquiſſimo uſu S. GREGORIUS *Nyſſenus* in funebri oratione de S. BASILIO *Præclarum*, inquit, *Deus hiſce noſtris anniverſariis feriis, quas certa quadam ſerie per iſtos dies iam celebravimus, ac rurſum celebramus, impoſuit ordinem.*

Sequitur in Graduali noſtro IIII. Non. Febr. *Purificatio Sanctæ Mariæ*, uti in ſacramentario *Gregoriano*, & Ordine *Romano* appellatur, notaturque in Capitularibus CAROLI M. L. I. c. 164. inter *feſtivitates in anno, quæ per omnia venerari debent. Natalis Domini, Sancti Stephani, Sancti Ioannis Evangeliſtæ, Innocentium, Octavæ Domini, Epiphania, Octava Epiphaniæ, Purificatio Sanctæ Mariæ, Paſcha dies octo, Letania maior, Aſcenſio Domini, Pentecoſte, S. Ioannis Baptiſtæ, Sancti Petri & Pauli, Sancti Martini, Sancti Andreæ. De Aſſumtione beatæ Mariæ interrogandum relinquimus.* Verba

ba

Digitized by Google

ba hæc dubium relinquunt, an feſtum Aſſumtionis perinde ac Nativitatis B. M. V. contentum fuerit in una alterave pagina exciſa ex vetuſtiſſimo noſtro codice (CAROLO M. certe coævo) a Dominica XII. poſt Pentecoſten uſque ad Dominicam XVIII. ſeu III. Kal. *Oct.* quo die feſtum S. MICHAELIS agitur, quod poſt lacunam in codice noſtro comparet. De feſto S. LAURENTII eo magis eſt dubitandum, quod eſt *Romanum,* haud tamen celebre adeo vel antiquum per orbem catholicum, ut feſtum SS. Apoſtolorum PETRI & PAULI, id quod tamen in noſtro codice deſideratur. Certe in capitulari AHYTONIS *Baſileenſis* Epiſcopi ſæc. IX. in feſtorum ſolemnium recenſione nulla fit mentio S. LAURENTII, ſed enim *duodecim Apoſtolorum, maxime tamen SS. Petri & Pauli, qui Europam ſua prædicatione illuminarunt.* Nihilominus in Regula CHRODEGANGI *Metenſis* Epiſcopi ſub PIPINO & CAROLO M. plenarium officium præſcribitur poſt feſta Natali Domini proxima *in Purificatione & in Aſſumtione Sanctæ Mariæ; ſimiliter in beatorum Apoſtolorum feſtis, & Sancti Ioannis Baptiſtæ, & Sancti Laurentii & Sancti Martini.* Iam tum temporis plura Apoſtolorum feſta fuiſſe celebrata, patet ex antiquiſſimo noſtro ſacramentario *Rhenaugienſi*, quod eadem manu ſcriptum eodemque codice compactum eſt cum noſtro hoc dominicali Graduali: in ſacramentario autem plerorumque Apoſtolorum diſtincta leguntur feſta, forte non omnia inter dies feriatos computata. Hos inter in Concilio *Moguntino* anni 813. unum feſtum SS. PETRI & PAULI connumeratur, feſto S. IOANNIS *Evangeliſtæ* inter quatuor dies feſtos Natalis Domini concluſo inter feſtum S. STEPHANI & SS. Inno-

nocentum, quæ habentur in noſtro dominicali Graduali, excluſis reliquis (præter feſtum Purificationis, S. IOANNIS *Baptiſtæ*, & S. MICHAELIS) in Conc. *Moguntino* notatis. Eſt autem hic Can. 36. eius Concilii: *Feſtos dies in anno celebrare ſancimus, hoc eſt, diem dominicum Paſchæ cum omni honore & ſobrietate venerari; ſimili modo totam hebdomadam illam obſervari decrevimus. Diem Aſcenſionis Domini pleniter celebrare. Item Pentecoſten ſimiliter ut in Paſcha. In natali Apoſtolorum Petri & Pauli diem unum. Nativitatem S. Ioannis Baptiſtæ, Aſſumtionem ſanctæ Mariæ. Dedicationem S. Michaelis. Natalem S. Remigii, ſancti Martini, ſancti Andreæ. In natali Domini dies quatuor. Octavas Domini, Epiphaniam Domini. Purificationem ſanctæ Mariæ. Et illas feſtivitates Martyrum vel Confeſſorum obſervare decrevimus, quorum in unaquaque parochia ſancta Corpora requieſcunt. Similiter etiam Dedicationem templi.*

Vides hic integram hebdomadam Paſchatis & Pentecoſtes feriandam ſanciri: in noſtro autem dominicali Graduali poſt Dominicam Reſurrectionis nonniſi Feriæ II. IV. & Sabbati officium ponitur; poſt Pentecoſten vero Feriæ II. tantum cum octava Pentecoſtes ſicut in die; cum tamen in antiquiſſimis quibusque *Gelaſianæ* & *Gregorianæ* Liturgiæ exemplaribus pro ſingulis diebus legantur officia, perinde ac pro Quadrageſima: in qua hic ſingularis deprehenditur varietas in officiis feriarum diverſarum per hebdomadas ſingulas. Poſt Dominicam primam, *Initium Quadrageſimæ* inſcriptam, Feria II. Feria III. & ſabbatum in XII. lectiones notatur,

tur, quod ad quatuor tempora ſpectat, cum tamen his conſtanter Feria IV. & VI. coniungantur. Niſi hoc officium ſabbati in XII. lect. hic legeretur, dicerem, Feriam II. & III. hic poni, ut locus eſſet officiis quatuor temporum, quæ olim, ut P. III. Diſquiſit. X. c. 6. oſtendimus, non erant fixa ad hanc primam Quadrageſimæ hebdomadam, ſed poſt Kal. *Martii* celebrabantur. Poſt Dominicam I. Quadrag. iuxta codicem, quæ nobis ſecunda eſt, unum Feriæ IV. habetur officium; proximis vero duabus hebdomadibus notatur Feria V. VI. & Sabbatum, qui erant legitimi ſtationum dies inde a prima Eccleſiæ ætate, ut P. III. Diſquiſit. X. c. 1. explicavimus. Sequentibus hebdomadibus celebrantur ſcrutinia catechumenorum. In uno antiquiſſimo *Rhenaugienſi* codice ad Fer. VI. hebdomadæ II. annotatur: *Hic facis ſcrutinium.* Communiter tamen Fer. II. vel IV. hebdomadæ tertiæ, quæ ſecunda dicitur in noſtro Graduali, celebrabatur primum ſcrutinium catechumenorum, quod Feria II. proxime antecedente, ſecundum autem Feria IV. qua primum agebatur, denuntiabatur ad ſabbatum proximum. Et ſic etiam fiebat ſequenti hebdomada poſt Dominicam IV. (in hoc codice III.) circa tertium & quartum ſcrutinium itidem Feria IV. & ſabbato, ac quidem Feria IV. *maximum eſt inter ſeptem ſcrutinia*, ut legitur in ordine divini officii a nobis infra edendo. In antiquiſſimo autem ſacramentario *Rhenaugienſi* ad hanc diem notatur: *Hic facis ad aurium apertionem.* P. COUSTANT tamen in not. ad epiſt. SIRICII P. p. 694. vult, in *Romana* eccleſia tria tantum primis ſeculis celebrata fuiſſe ſcrutinia, quot in ſacramentario *Gelo-*

nenſi pro ſolemni baptiſmo in Pentecoſte & Epiphania, ac perinde etiam in Paſchate præſcribuntur. Quæſtionem hinc movit SENARIUS IOANNI diacono: *Quare tertio ante Paſcha ſcrutinentur infantes?* A tribus Miſſis pro ſcrutiniis incipit ordo baptiſterii in antiquiſſimo noſtro ſacramentario *Alemannico*, ubi *incipit liber ſecundus de extrema parte.* In vulgato *Gelaſiano* tres conſequenter Dominicæ in Quadrageſima aſſignantur *pro ſcrutinio* III. IV. & V. *de paſſione Domini*: poſt quam iterum variant officia ferialia in noſtro Graduali, ac duo tantum ponuntur, ſcilicet Fer. IV. & V. præter Stationum ordinem ac vetuſtiſſimum uſum, iuxta quem Fer. V. in Quadrageſima officio carebat, ut in vulgato *Gelaſiano.* A Dominica Palmarum, *paſcha petitum, ſive competentium & capitolavium* ob catechumenos vocata, habentur officia tota hebdomada, per quam a Sabbato ante Palmas incipiendo catechumeni orationem dominicam ſingulis diebus reddebant antiquiſſimis temporibus (teſte S. AUGUSTINO hom. 42. inter 50. & ſerm. 136. de temp.) uſque ad Sabbatum S. quo ultimum ſcrutinium ipſeque baptiſmus celebrabatur. Quonam vero delectu officia feriarum Quadrageſimæ in noſtro dominicali Graduali diſpoſita ſint, cum arbitrarius prorſus non videatur ordo, determinare non licet, neque aſſerere, eadem, quæ hic occurrunt certarum feriarum officia, in illis, quæ omittuntur, feriis eſſe repetita. Ex epiſtola S. AUGUSTINI ad IANUARIUM conſtat, alibi ſingulis, alibi certis tantum per hebdomadam diebus ſacrificium celebratum eſſe. In lectionario Cod. *Fuldenſis* S. BONIFACII præter Dominicam duæ tantum lectiones notantur

tur

Digitized by Google

tur per hebdomadas Quadrageſimæ, excepta maiore hebdomada. In Miſſali *Mozarabico*, præter Dominicales, duæ tantum ſunt Miſſæ per hebdomadam quamlibet, pro ſingulis nimirum feriis quartis & ſextis. In Miſſali *Gothico* ſeptem leguntur quadrageſimales Miſſæ, ex quibus nonnullæ tantum, ſicut in ſacramentario *Gallicano*, generales quædam ſpecialem titulum a ritibus circa catechumenos accipiunt. Hic autem nihil deſignatur, quid ſive initiandos ſive initiatos attinuerit.

Initiandis iam S. CYRILLUS *Hieroſol.* quadraginta dies præſtitutos meminit: *Tempus*, ait in Pro-catecheſi, *præſcriptum tibi multum, quadraginta dierum pœnitentiam habes.* Et S. HIERONYMUS in epiſtola ad PAMMACHIUM: *Conſuetudo*, inquit, *apud nos huiusmodi eſt, ut iis, qui baptizandi ſunt, per quadraginta dies publice tradamus ſanctam & adorandam Trinitatem.* SIRICIUS P. ad HYMERIUM *Tarraconenſem*, *generalia*, ſcribit, *baptiſmatis tradi convenit ſacramenta his dumtaxat electis, qui ante quadraginta vel eo amplius dies nomen dederint, & exorciſmis, quotidianisque orationibus atque ieiuniis fuerint expiati.* S. AUGUSTINUS ſerm. 13. ad neophytos, *Per omnem*, inquit, *quadrageſimam competentes vacaverunt orationibus & ieiuniis, in ſacco & cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum ſuorum confeſſione quærentes.*

Sic cum pœnitentibus cenſebantur catechumeni, dimittebanturque in ſacra liturgia ſuo ordine, ut in Concil. *Laodiceno* c. 19. de tertia claſſe pœnitentium ordinatum eſt: *Quod*

Digitized by Google

Quod non oporteat ſeorſum primum poſt allocutiones Epiſcoporum orationes ſuper catechumenos celebrare; & poſtquam catechumeni egreſſi fuerunt, ſuper eos, qui ſunt in pœnitentia, precem fieri: his etiam accedentibus ad manus Sacerdotis & diſcedentibus tres orationes conſummari fidelium. Huc pertinet, quod in Conc. *Africano* IV. Can. 80. ſtatuitur: *Omni tempore ieiunii manus pœnitentibus a Sacerdotibus imponantur.* Et Can. 82. *pœnitentes etiam diebus remiſſionis genua flectant.* Conſtituta ſunt hæc, antequam caput ieiunii eſſet feria quarta ante Dominicam primam Quadrageſimæ, quæ in noſtro Graduali *initium Quadrageſimæ* nominatur, nihilque prorſus de feria IV. antecedente legitur, qua ſuſcipiebantur pœnitentes. Et quidem, ut apud REGINONEM & GRATIANUM quidam *Agathenſis* Canon 63. diſt. 50. habet: *Eos in eccleſiam introducant, & cum omni Clero ſeptem pſalmos pœnitentiales in terra proſtratus Epiſcopus cum lacrymis pro eorum abſolutione decantet... Poſt hæc iubeat miniſtris, ut eos extra ianuas eccleſiæ expellant; Clerus vero proſequatur eos cum reſponſorio:* In ſudore vultus tui &c. Et *poſtmodum eant in circuitu eccleſiæ cantando antiphonam:* In ſudore. Quæ quidem in noſtro Graduali omittenda penitus non fuiſſent, ſi iam tuliſſet uſus, antiquato veteri, per ſuas claſſes & tempora, pœnitentiæ publicæ ritu: quæ mutatio in Occidente ſerius accidit, ſubſtitutis una aut pluribus quadrageſimis per annum. Hoc vero uſuvenit, poſtquam publica pœnitentium ſuſceptio ſtatuta eſt in capite Quadrageſimæ feria IV. ante Dominicam I. quæ, utpote celebris & a ieiunio ſoluta dies, huic ritui accommodata eſſe non poterat. Hæcque

Digitized by Google

que cauſa fuerit, cur Feria IV. anticiparetur, media inter *Quinquageſimam* & *Quadrageſimam*, ut phraſi utar Concilii *Aurel.* I. & IV. quibus hic lux aliqua accendi videtur, dum in primi Can. 24. ſtatuitur: *Ut ante Paſchæ ſolemnitatem non Quinquageſima, ſed Quadrageſima teneatur.* Et in quarti Can. 2. *Ut Quadrageſima ab omnibus eccleſiis æqualiter teneatur; neque Quinquageſimam aut Sexageſimam ante Paſcha quilibet Sacerdos præſumat indicere.* Si officium dominicale ſpectes, legitur id in noſtro Graduali cum ſequentibus ſuo nomine Quinquageſimæ, Sexageſimæ ac Septuageſimæ ritu *Romano*, licet ritu *Gallicano* infra poſt Dominicam IV. poſt octavam Paſchæ cantus Miſſæ notetur in *Letania maiore* (quod eſt *triduum Rogationum*, in Concilio *Aurelianenſi I.* an. 511. præcipuis feſtis, quæ hoc Graduali continentur, annumeratum) ante officium *in Vigilia Aſcenſa Domini*, & *in Aſcenſa Domini.* Deinceps vero, præterquam in Sabb. Pentecoſtes & Fer. II. poſt Pentecoſten, in vigilia item, & feſto S. IOANNIS *Baptiſtæ*, nullum (feſtivitatis S. MICHAELIS fragmentum tantum ex lacuna ſupereſt) recurrit officium, niſi Dominicarum poſt Pentecoſten ad uſque XXIII. cuius Dominicæ officium mancum eſt, una, an pluribus reſciſſis paginis? incertum. Quod quidem, uti & cætera, quæ in antiquiſſimo hoc *Rhenaugienſi* alicubi deficientibus paginis deſiderantur, ex noſtro *San-Blaſiano* ſæc. XII. circ. charactere minutiore, & Sanctorum quidem feſta in margine inferiore, ſupplemus.

INCIPIUNT DOMINICALES

Anni Circulo. (1)

Dom. V. ante Nat. Dni. (2)

Ant. (3) Dicit Dominus, Ego cogito cogitationes pacis, & non adflictionis. Invocabitis me, & ego exaudiam vos, & reducam captivitatem veſtram de cunctis locis. *Pſal.* Deus venerunt.

Pſ. *Benedixiſti Dne terram tuam.*

℟. (4) Timebunt gentes nomen tuum Domine, & omnes reges terræ gloriam tuam.

℣. (5) Quoniam elevata eſt magnificentia.

Grad. Liberaſti nos Dne ex affligentibus nos, & eos, qui nos oderunt, confudiſti.

℣. In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in ſecula.

All. Memento noſtri Domine in beneplacito populi tui, viſita.

All. Lauda Ieruſalem Dnm, lauda Deum tuum Sion.

℣. Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te. (6)

Off. De profundis clamavi ad te Domine, Domine.

Off. Audi Iſrael, Ecce venio ego Dominus, & abſolvo peccata plebi tuæ.

Ad Comm. Amen dico vobis, quidquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. (7)

Dom.

(1) *l.* De anni circulo.

(2) Alii Codices tam editi quam Mſſ. hanc Miſſam Dominica XXIII. poſt Pentecoſten exhibent, in qua tamen noſter hic codex aliam habet, quæ in miſſalibus Dominica XXII. poſita eſt. Cæterum nulla hic Adventus Domini fit mentio, nulla etiam in vetuſtioribus ſacramentariis noſtris, licet ab antiquiſſimis temporibus præparatio quædam ante feſta natalitia Domini obtinuerit, & quidem per quadraginta dies ſeu hebdomadas ſex, ita ut tribus per hebdomadam diebus ieiunium obſervaretur poſt feſtum S. MARTINI; quod a S. PERPETUO *Turonenſi* inſtitutum iam T. II. Diſquiſ. X. cap. 2. pag. 931. ex S. GREGORIO *Turonenſi* memoravimus. In Conc. *Matiſconenſi* I. an. 581. Can. 9. præſcribitur: *Ut a feria S. Martini uſque ad Natale Domini ſecunda & quarta & ſexta Sabbati ieiunetur, & ſacrificia quadrageſimali debeant ordine celebrari.* In Capitular. CAROLI M. lib. VI. cap. 185. nullo dierum diſcrimine legitur: *Admoneant Sacerdotes, ut ieiunia tria legitima in anno agantur, id eſt, quadraginta dies ante Nativitatem Domini, & quadraginta ante Paſcha, ubi decimas anni ſolvimus, & poſt Pentecoſten quadraginta dies.* Quadrageſimæ ante Natale Domini etiam AMALARIUS meminit. Apud nos vero *Rhabanus* MAURUS lib. VI. de Inſtitut. Clericor. cap. 22. Imo NICOLAUS I. P. in epiſtola ad conſulta *Bulgarorum* inter quatuor Quadrageſimas per annum eam etiam ante Natale Domini recenſet, cuius adhuc ſec. XI. S. PETRUS *Damiani* lib. III. epiſt. 10. & 37. meminit. Licet vero numquam ritu *Romano*, uti veteri *Gallicano*, *Mozarabico* & *Ambroſiano*, ſex Dominicæ ante Natale Domini computarentur, quinque tamen in antiquis libris miſſalibus & lectionariis AMALARIUS a nobis loc. cit. relatus notavit: quod & hic cernis in antiquiſſimo antiphonario graduali, quod inſertum eadem manu legitur in vetuſtiſſimo ſacramentario *Rhenaugienſi* ritus *Gelaſiani*, in quo perinde ac in vulgato *Gelaſiano* Dominica quinta ante Natale Domini cum quatuor ſequentibus, quas ſec. XI. BERNO *Augienſis* ſolas notat apud nos, occurrit.

(3) Seu antiphona ad Introitum Miſſæ.

(4) *Reſponſorium*, ſive *Gradale* aut *Graduale* promiſcue occurrunt.

(5) In aliis leg. *Quoniam ædificavit.*

(6) Quod tanta in codicibus tam editis, quam Mſſ. occurrat varietas quoad Grad. verſus, & Allel. inde eſt, quod liberum fuerit eligere, quod placuerit, ut quandoque in codicibus legere eſt: *Grad. v. Allel. quale volueris.* Offertor. alt. nuſpiam alias occurrit.

(7) In *Pameliano*, aliisque quibusdam editis codicibus in fine additur Pſalm.

Digitized by Google

Dom. IIII. Ante Natl. Dni. (1)

Ant. Ad te levavi animam meam, Deus meus in Te confido, non erubeſcam, neque irrideant me inimici mei; etenim univerſi, qui te expectant, non confundentur. *Pſal.* ipſe. (2)

Grad. Univerſi qui te expectant, non confundentur Domine.

℣. Vias tuas Domine.

All. Oſtende nobis Domine miſericordiam.

Off. Ad te Domine levavi animam.

Ad Comm. Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Dom. III. ante Natl. Dni. (3)

Ant. Populus Sion! ecce Dominus veniet ad ſalvandas gentes, & auditam faciet Dominus gloriæ (l. *gloriam*) vocis ſuæ in lætitia cordis veſtræ. (l. *veſtri*) *Pſal.* Qui regis Iſrael, intende.

Grad. Ex Sion ſpecies decoris eius, Deus manifeſte veniet.

℣. Congregate illi Sancto (*os*) eius, qui ordinant teſtamentum eius ſuper ſacrum. (4)

All. Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domo (*um*) Domini ibimus.

Off. Deus tu converſus vivificabis nos, & plebs tua lætabimur (*lætabitur*) in Te. Oſtende Domine.

Ad Comm. Hieruſalem ſurge, & ſta in excelſo, & vide iocunditatem, quæ veniet, all.

In Nat. S. LUCIÆ. (5)

Ant. Dilexiſti iuſtitiam. *Pſal.* Eructavit. *Grad.* Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti:

℣. Propterea unxit te Deus.

All. Specie tua & pulchritudine. (6)

Off. Offerentur regi virgines.

Ad Comm. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

Dom. II. ante Nat. Dni. (7)

Ant. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico, gaudete. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus, Dominus prope eſt; nihil ſolliciti ſitis, ſed in omni oratione petitionis (*es*) veſtræ innoteſcant pud Dominum. *Pſal.* Benedixiſti Domine terram.

Grad. Qui ſedes Domine ſuper Cherubim, excita potentiam tuam, & veni.

℣. Qui regis Iſrael, intende.

All.

(1) Al Dominica I. de Adventu Domini.

(2) Id eſt ipſe pſalmus, ſeu eius verſus ſequentes: *Vias tuas Domine demonſtra mihi &c.* ut in *Pameliano* & *San-Blaſiano* notatur.

(3) Al. Dominica II. de Adventu.

(4) Pamel. *Sacrificia.*

(5) Unum hoc S. LUCIÆ *Syracuſanæ* ex feſtis Sanctorum minus celebribus per eccleſiam, ob ſingulare certe eccleſiæ, pro qua exaratum eſt, patrocinium poſitum eſt in hoc Graduali dominicali, ſeu feſtivo: iuxta regulam nempe CHRODEGANGI codici noſtro coævam cap. 74. *in Natali cuiuslibet Sancti, cuius honor in qualicunque parochia ſpecialiter celebretur, & his reſiciatur.* Huc pertinent in capitulari AHYTHONIS Ep. *Baſileenſis* inter feſta ferianda: *Dedicatio cuiuslibet oratorii ſeu cuiuscunque Sancti, in cuius honore eadem eccleſia fundata eſt.* Sic NICOLAUS I. P. ab opere ſervili *Bulgaris* feriandum præſcribit, *nec non & in eorum Sanctorum natalitiis, quorum apud vos Deo favente memoria celebris, & dies feſtivus habebitur.*

(6) In *San-Blaſ.* Alleluia cum v. deeſt.

(7) Al. Dominica III. de Adventu.

Digitized by Google

All. Excita, Domine, potentiam tuam & veni, ut ſalvos facias.

Off. Benedixiſti, Domine, terram tuam, avertiſti captivitatem Iacob, remiſiſti iniquitatem plebi tuæ.

Ad Comm. Dicite puſillanimis, confortamini & nolite timere: ecce Deus noſter veniet, & ſalvabit nos.

Fer. IIII. ad Scam MAR.

Ant. Rorate cœli deſuper, & nubes pluant iuſtum; aperiatur terra, & germinet Salvatorem. *Pſal.* Cœli enarrant.

Grad. Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

℣. Quis aſcendit in montem.

Gr. (1) Prope eſt Dns omnibus invocantibus eum, omnibus, qui invocant eum in veritate.

℣. Laudem Dni loquetur os meum, & benedicat omnis caro nomen ſanctum eius.

Off. Confortamini, & iam nolite timere: ecce enim Deus noſter retribuit iudicium, ipſe veniet & ſalvos nos facit. (2)

Ad Comm. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium; & vocabitur nomen eius Emmanuel.

Fer. VI.

Ant. Prope eſto, Dne, & omnes viæ tuæ veritas, initio cognovi de teſtimoniis tuis, quia in æternum tu es. *Pſal.* Beati immaculati.

Grad. Oſtende nobis, Dne, miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.

℣. Benedixiſti Dne terram tuam, avertiſti captivitatem Iacob.

Offert Deus tu convertens vivificabis nos, & plebs tua lætabitur in te.

Ad Comm. Ecce Dnus veniet, & omnes Sancti eius cum eo, & erit in die illa lux magna.

Sabb. ad ſcm PETRUM in XII. Lect.

Ant. Veni & oſtende nobis faciem tuam Domine, qui ſedes ſuper Cherubim, & ſalvi erimus. *Pſal.* Qui regis.

Gr. A ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius uſque ad ſummum eius.

℣. Cœli enarrant.

Gr. In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe. ℣. A ſummo cœlo.

Grad. Dne Deus virtutum converte nos.

℣. Excita Dne.

Gr. Excita Domine potentiam tuam & veni, ut ſalvos facias nos.

℣. Domine Deus virtutum convertere. (3)

Tr. Qui regis Iſrael.

Off. Exulta ſatis filia Sion, prædica filia Hieruſalem: Ecce rex tuus veniet tibi (*Sanctus*) & Salvator.

Ad Comm. Exultavit ut gigas ad currendam viam ſuam; a ſummo cœlo egreſſio eius, & occurſus eius uſque ad ſummum eius.

Dom. I. Ante Natl. Dni.

Ant. Veni & oſtende nobis. ℣. Qui regis Iſrael intende.

Gr. A ſummo cœlo egreſſio eius.

℣. Cœli enarrant.

Off. Exulta ſatis filia Sion.

Ad Comm. Exultavit. (4) Domi-

---

(1) Eſt hoc Grad. poſt II. lect. quod in *Rhen.* deeſt.

(2) In *Pamel.* aliisque *Thomaſianis* plures ad Offertorium ponuntur verſus.

(3) In *San-Blaſ.* & *Thomaſ.* ponitur poſt Grad. *Excita Dne.* ℣. *Qui regis Iſrael, intende, qui deducis velut ovem Ioſeph, qui ſedes ſuper Cherubim, appare coram Effraim, Beniamin, & Manaſſe.* Sequitur Canticum trium puerorum: *Benedictus es Dne Deus patrum noſtrorum*, cum *Gloria Patri*. ut in modernis Miſſalibus.

(4) Officium hoc idem eſt cum precedenti; alterum autem ex Cod. *San-Blaſ.* quod & PAMELIUS refert, recentius eſſe, idem teſtatur in nota ad hanc Dncam. Vid Opp. THOMASII T. V. p. 13. n. 2.

Digitized by Google

Dominica proxima.

Ant. Memento noſtri, Dne, in beneplacito populi tui: viſita nos in ſalutari tuo, ad videndum in bonitate Electorum tuorum, in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua.

Pſal. Confitemini Dno, quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia eius.

Gr. Prope eſt Dns. ℣. Laudem Dni. *Ut ſupra Feria IV.*

Offert. Ave Maria gratia plena, Dns tecum. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quomodo in me fiet hoc, quæ virum non cognoſco? Spiritus Dni ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.

Ad Comm. Ecce Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.

In Vigl. Natl. Dni, Statio ad Scam MARIAM.

Ant. Hodie ſcietis, quia veniet Dominus & ſalvabit vos, & mane videbitis gloriam eius. *Pſal.* Domini eſt terra.

Grad. Hodie ſcietis, quia veniet Dominus, & mane videbitis gloriam eius.

℣. Qui regis Iſrael.

All. Veni, Dne, & noli tardare, relaxa facinora plebi tuæ. All.

Off. Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introivit *(bit)* Rex gloriæ, tollite portas principes veſtras.

Si Dom. evenerit ipſa Vigilia, Alleluia de Adventu Dni, quale volueris.

Ad Comm. Revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro ſalutare Dei noſtri.

Item Miſſa de Vigl. Natl. Dni prima collocanda. (1)

Statio ad Scam MARIAM.

Ant. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.

Pſal. Quare fremuerunt gentes.

Grad. Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.

℣. Dixit Dominus Dno meo, ſede a dextris meis.

All. Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.

Off. Lætentur cœli & exultet terra ante faciem Domini, quoniam venit.

Ad Comm. In ſplendoribus Sanctorum ex utero ante luciferum genui te.

Item ad Miſſam Mane. prima in Die Natl. Dni. (2)

Ant Lux fulgebit hodie ſuper nos, quia natus eſt nobis Dns, & vocabitur Admirabilis, Deus, Pater futuri ſeculi, cuius regni non erit finis.

Pſal. Dominus regnavit.

Grad. Benedictus, qui venit in nomine Dni: Deus Dnus & illuxit nobis.

℣. A Domino factum eſt, & eſt mirabile in oculis noſtris.

All. Dominus regnavit, decorem induit: induit Dominus fortitudinem, & præcinxit ſe virtutem.

Off. Deus enim firmavit orbem terræ, qui non commovebitur: parata ſedes tua Deus ex tunc, a ſeculo tu es.

Ad Comm. Exulta filia Sion, lauda filia Hieruſalem, Ecce rex tuus venit iuſtus, & ſalvator mundi.

VIII. Kal. Ian.

Natl. Dni ad Miſſ. in Die ad Scm PETRUM.

Ant. Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius imperium

 ſuper

(1) Leg. ut in San-Blaſ. *In primo Gallicantu.*

(2) San-Blaſ. *In primo diluculo.*

Digitized by Google

ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius magni conſilii Angelus.

Pſal. Cantate Domino canticum.

Grad. Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri, iubilate Deo omnis terra.

℣. Notum fecit Dominus ſalutare ſuum, ante conſpectum gentium revelabit (*vit*) iuſtitiam ſuam.

All. Dies ſanctificatus illuxit nobis, venite gentes & adorate Dominum, quia hodie deſcendit lux magna ſuper terram.

Off. Tui ſunt cœli & tua eſt terra, orbem terrarum & plenitudinem eius tu fundaſti, iuſtitia & iudicium præparatio ſedis tuæ.

Ad Comm. Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri.

VII. Kal. Ian. Nat. Sci STEPHANI Mart. (1)

Ant. Etenim ſederunt principes, & adverſum me loquebantur, & iniqui perſecuti ſunt me: adiuva me Domine Deus meus, quia ſervus tuus exercebatur in tuis iuſtificationibus. *Pſal.* Beati immaculati.

Grad. Sederunt principes, & adverſum me loquebantur, & iniqui perſecuti ſunt me.

℣. Adiuva me Domine Deus meus: ſalvum me fac propter miſericordiam.

All. Video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem a dextris virtutis Dei.

Off. In virtute tua Domine lætabitur iuſtus, & ſuper ſalutare tuum exultavit vehementer, deſiderium animæ eius tribuiſti ei.

Ad Comm. Video cœlos apertos (&) Ieſum ſtantem a dextris virtutis Dei; Domine Ieſu accipe ſpiritum meum, & ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt, quid faciunt.

VI. Kal. Ian. Nat. Sci IOHANNIS Evangel. (2)

Ant.

(1) Etſi ſcriptor huius antiphonarii Gradualis *Dominicales* tantum *de anni circulo* præferat in titulo, feſta tamen Natale Domini antiquiſſimo Eccleſiæ ritu ſubſequentia hic ponit: *Diem feſtum ex die feſto*, ut rem S. GREGORIUS *Nyſſ.* exprimit. Et S. ASTERIUS: *Feſtus dies feſtum diem excipit.* Uterque ſermone in feſto S. STEPHANI. Ex Latinis S. AUGUSTINUS eodem modo loquitur in ſerm. de S. STEPHANO. Huius feſti iam in Conſtit. Apoſt. ſit mentio inter ferias, quibus ſit vacandum. Etſi in Oriente Natalis Domini alia die, ſexta nempe *Ianuarii*, celebraretur, tamen utrobique idem obtinebat mos, nonnihil tamen diverſus. Plura S. GREGORIUS *Nyſſ.* ſerm. funebri in honorem S. BASILII enumerat poſt Natale feſta Sanctorum: *Sunt autem*, inquit, *hi Stephanus*, *Petrus*, *Iacobus*, *Ioannes*, *Paulus*, *deinde Baſilius.* SS. PETRUS & PAULUS ſemper in Occidente peculiare habuerunt feſtum, IACOBUS autem & IOANNES ſimul veteri ritu *Gallicano*, ac hodieque *Ambroſiano* celebrantur, uti in antiquis Martyrologiis, noſtro etiam, quod antiquiſſimo ſacramentario *Rhenaugienſi* huicque Graduali adiectum eſt, notatur. Ritu *Mozarabico* feſtum S. IACOBI celebratur altero poſt S. IOANNIS die. *I.* GRANCOLAS comment. in Brev. *Rom.* c. 24. putat, poſtquam translatio reliquiarum S. IACOBI ad diem 25. *Iulii* feſtum huius Apoſtoli immobile ac perpetuum reddiderit, remanſiſſe poſt Nat. D. feſtum S. IOANNIS fratris eius, de quo in Conc. *Epheſ.* ubi mortuus eſt S. IOANNES, duæ leguntur panegyricæ orationes a S. CYRILLO *Alex.* & THEODORO *Ancyrano*, tamen menſe *Iunio*, habitæ.

(2) Iunctum fuiſſe olim IOANNI *Evang.* fratrem ſuum IACOBUM, modo notavimus. In antiquiſſimo Calend. *Carthag.* a MABILLONIO ed. poſt Natale Domini inter feſta S. STEPHANI & *ſanctorum Infantum, quos Herodes occidit*, ponitur *ſancti Ioannis Baptiſtæ, & Iacobi Apoſtoli, quem Herodes occidit.* In hoc Graduali nullum deinceps Apoſtoli cuiuscunque occurrit feſtum.

Digitized by Google

Ant. In medio Eccleſiæ aperuit os eius: & implevit eum Dominus Spiritu ſapientiæ & intellectus, ſtola gloriæ induit eum. *Pſal.* Bonum eſt.

Gr. (1) Domine prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronam de lapide pretioſo.

℣. Et vitam petiit a te, & tribuiſti ei.

All. Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his: ſcimus quia verum eſt teſtimonium eius.

Off. Iuſtus ut palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Comm. Exiit ſermo inter fratres, quod diſcipulus ille non moritur, & non dixit Ieſus: non moritur, ſed ſic eum volo manere, donec veniam. (2)

In Nat. S. IOANNIS Apoſt. & Evang.

Ant. Ego autem ſicut oliva fructificavi in domo Dni, ſperavi in miſericordia Dei mei, & expectabo nomen tuum, quoniam bonum eſt ante conſpectum Sanctorum tuorum.

Pſal. Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate?

Grad. Iuſtus ut palma florebit, ſicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Dni.

℣. Ad annuntiandam mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

Offert. Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum Dne.

Ad Comm. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo, gloriam & magnum decorem impones ſuper eum Dne.

Ad maiorem Miſſam.

Ant. In medio eccleſiæ. *Ut ſupra.*

V. Kal. Ian. Nat. Innocentum ad Miſſ.

Ant. Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos.

Pſal. Domine Dominus noſter.

Grad. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.

℣. Laqueos (*us*) contritus, & nos liberati.

℣. Laus tibi Chriſte.

All. Te Martyrum candidatus laudat exercitus Dne. (3)

Off. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium, laqueos (*us*) contritus eſt, & nos liberati ſumus.

Ad Comm. Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt. (a)

Dom. I. poſt Nat. Dni.

Ant. Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuum (*ſuo*) curſum (*ſu*) medium iter haberet, omnipotens ſermo tuus Domine de cœlis a regalibus ſedibus venit. *Pſal.*

(1) Loco huius Grad. in *Pamel. San-Blaſ.* aliiſque habetur: *Exiit ſermo inter fratres &c.* ℣. *Sic eum volo manere &c.*

(2) In Cod. *San-Blaſ.* duæ adſignantur miſſæ, quæ & in *Pameliano*, paucis mutatis, notantur, quarum prima eadem eſt, quæ hodie in vig. unius Apoſtoli habetur. De hoc ritu vid. T. V. opp. THOMASII p. 21. n. 1.

(3) Tractus in utroque noſtro codice deeſt, ut & in *Pameliano*, ac *Othoboniano*. In Antiph. *Thomaſ.* legitur ſequens: *Effuderunt ſanguinem Sanctorum velut aquam in circuitu Ieruſalem.*

℣. *Et non erat qui ſepeliret. Vindica Dne ſanguinem Sanctorum tuorum, qui effuſus eſt ſuper terram.* Qualem nempe hodieque habemus.

(a) *In Nat. S. Silveſtri ex Cod. S. Blaſ.*

Ant. Sacerdotes tui, Dne, induant iuſtitiam, & Sancti tui exultent; propter David ſervum tuum non avertas faciem Chriſti tui.

Pſal. Memento Dne David.

Grad. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus ſuis placuit Deo, & inventus eſt iuſtus.

℣. Non eſt inventus ſimilis illi, qui conſervaret legem Excelſi. *All.* deeſt, quæ tamen cum ſuo ℣. habentur ad calcem codicis.

Offert. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum.

Ad Comm. Beatus ſervus, quem cum venerit Dns, invenerit vigilantem: amen dico vobis, ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.

Digitized by Google

Pſal. Dominus regnavit.

Grad. Specioſus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℣. Eructavit cor meum.

All. Dominus regnavit, decore (*rem*) induit.

Off. Deus enim firmavit orbem terræ.

Ad Comm. Tolle (*puerum*) & matrem eius, & vade in terram Iuda, defuncti ſunt, qui quærebant animam pueri.

Kal. Ian. Oct. Dni. (1)

Ant. Puer natus eſt nobis, & filius. *Pſal.* Cantate Domino.

Grad. Benedictus qui venit in nomine.

℣. A Domino factum eſt, & eſt mirabile.

All. Dominus regnavit, decore ind.

Off. Tui ſunt cœli.

Ad Comm. Viderunt omnes fines terræ ſalutare.

Alia. In Octava Dni.

Ant. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis, adducentur Regi Virgines poſt eam, proximæ eius adducentur tibi in lætitia & exultatione.

Pſal. Eructavit cor meum verbum bonum.

Grad. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & iuſtitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua.

All. deeſt. In Pamel. Poſt partum Virgo.

Offert. Offerentur Regi Virgines, proximæ eius offerentur tibi in lætitia & exultatione, adducentur in templum regi Dno.

Ad Comm. Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori, quærenti bonas margaritas; inventa una pretioſa margarita dedit omnia ſua, & comparavit eam. (2)

VIII. Id. Ian. Theophania Dni ad Miſſam.

Ant. Ecce advenit Dominator Dominus, & regnum in manu eius, & poteſtas & imperium.

Pſal. Deus iudicium tuum regi.

Grad. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino adnuntiantes.

℣. Surge & illuminare Hieruſalem, quia gloria Domini ſuper te orta eſt.

All. Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum.

Off. Reges Tharſis & Inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſervient ei.

Ad Comm. Vidimus ſtellam eius in Oriente, & venimus cum muneribus adorare Dominum.

Dom. I. poſt Theophaniam.

Ant. In excelſo throno vidi ſedere virum, quem adorat multitudo Angelorum pſallentes in unum: Ecce cuius imperium nomen eius in æternum.

Pſal. Iubilate Deo.

Grad. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia magna ſolus a ſeculo.

℣. Suſcipiant montes pacem populo tuo, & colles iuſtitiam.

All. Iubilate Deo omnis terra.

Off.

---

(1) Officium hoc temporibus D. GREGORII poſterius eſſe contendit PAMELIUS, miſſam alteram *Vultum tuum* authenticam & Graduale D. GREG. conformem ex Micr. c. 39. afferens. At ſimul notari meretur, duas olim hac die celebratas fuiſſe miſſas, alteram de Puerperio B. V. alteram de feſto ſeu octava. Illam proinde huic a D. Greg. ſuperadditam fuiſſe dicendum eſt. Vid. VEZZOSII not. ad hoc officium. T. V. Opp. V. THOMASII pag. 25. ubi utraque hæc Miſſa habetur, addita adhuc alia. Miſſa: *Puer natus eſt.* deſideratur in *San-Blaſ.*

(2) De Vig. Epiph. in neutro codice noſtro fit mentio, cum idem ſit officium, quod Dom. I. poſt. Nat. Dni aſſignatur: *Dum medium ſilentium.*

Digitized by Google

Off. Iubilate Deo omnis terra, ſervite Domino in lætitia, introite in conſpectu eius in exultatione.

Ad Comm. Fili quid feciſti nobis ſic? ego & pater tuus dolentes querebamus te. Et quid eſt, quod me querebatis? aut neſciebatis, quia in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? (a)

Dom. II. poſt Theoph.

Ant. Omnis terra adoret te Deus, & pſallat tibi: pſalmum dicat nomini tuo Altiſſime.

Pſal. Iubilate Deo.

Grad. Miſit Dominus verbum ſuum & ſanavit eos; & eripuit eos de interitu eorum.

℣. Confiteantur Domino miſericordiæ eius.

All. Laudate Dominum omnes Angeli eius, laudate eum omnes virtutes.

Off. Iubilate Deo univerſa terra: pſalmum dicite nomini eius, venite, & adaudite: narrabo vobis, omnes qui timetis Dominum, quanta fecit Dominus animæ meæ.

Ad Comm. Dicit Dominus, implete hydrias aqua, & ferte architriclino: cum guſtaſſet architriclinus aquam vinum factum, dixit ſponſo: Servaſti vinum bonum uſque adhuc: hoc ſignum fecit Ieſus primum coram diſcipulis ſuis. (b)

Dom. III. poſt Theophan.

Ant. Adorate Dominum omnes Angeli eius: audivit, & lætata eſt Sion: & exultaverunt filiæ Iudæ.

Pſal. Dominus regnavit.

Gr. De neceſſitatibus meis eripe me Domine: vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.

℣. Ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubeſcam.

Gr. Timebunt gentes nomen tuum, Dne, & omnes Reges terræ gloriam tuam.

℣. Quoniam ædificavit Dns Sion, & videbitur in maieſtate ſua.

All. Dominus regnavit, exultet terra, lætentur inſulæ.

Off. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me, non moriar ſed vivam, & narrabo opera Dni.

Ad

a) *In Nat. S. Felicis Confeſſoris.*

Ant. Os iuſti meditabitur. *Pſal.* Noli æmulari. *Grad.* Iuravit Dominus. ℣. Dixit Dnus Dno meo. *Offert.* Gloria & honore. *Commun.* Poſuiſti Dne.

(b) *In Nat. S. Marcelli Papæ.*

Ant. Statuit ei Dnus. *Pſal.* Miſericordias Dni in æternum cantabo. *Grad.* Inveni David. ℣. Nihil proficit inimicus. *Offert* Veritas mea. *Commun.* Domine quinque talenta tradidiſti mihi.

In Nat. S. Priſcæ.

Ant. Loquebar de teſtimoniis tuis. *Pſal.* Beati immaculati. *Grad.* Specie tua. ℣. Propter veritatem. *Offert.* Filiæ regum. *Commun.* Feci iudicium.

In Nat. SS. Fabiani & Sebaſtiani.

Ant. Intret in conſpectu tuo. *Pſal.* Deus venerunt gentes. *Grad.* Glorioſus Deus in Sanctis ſuis. ℣. Dextera tua Dne glorificata eſt. *Offert.* Lætamini in Dno. *Commun.* Multitudo languentium, & qui vexabantur a ſpiritibus immundis, veniebant ad eum: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.

In Nat. S. Agnetis Virg. & Mart.

Ant. Me exſpectaverunt. *Pſal.* Beati immaculati. *Grad.* Diffuſa eſt. *Offert.* Offerentur. *Commun.* Quinque prudentes Virgines.

Digitized by Google

Ad Comm. Mirabantur omnes de his, quæ procedebant de ore Dei. (a)

Dom. IIII. poſt Theoph. (1)

Ant. Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. ℣. Subiecit.

Gr. Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, humilia reſpicit in cœlo & in terra?

All. Venite exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro.

Off. Sicut in holocauſtum arietum, & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pinguium, & ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi, quia non eſt confuſio confidentibus in te Domine.

Ad Comm. Inclina aurem tuam, accelera, ut eruas nos.

IIII. Non. Febr.

Purificatio Scæ MARIÆ. (2)

•

Ad Proceſſionem. (3)

Ant. Ave gratia plena, Dei genitrix Virgo! ex te enim ortus eſt ſol iuſtitiæ, illuminans, quæ in tenebris ſunt. Lætare & tu, Senior iuſte, ſuſcipiens in ulnas liberatorem animarum noſtrarum, donantem nobis reſurrectionem.

Ant. Adorna thalamum tuum Sion, & ſuſcipe regem Chriſtum. Amplectere Mariam, quæ eſt cœleſtis porta; ipſa enim portat regem gloriæ novi luminis. Subſiſtit Virgo, adducens manibus Filium ante luciferum genitum, quem accipiens Simeon in ulnas ſuas prædicavit populis Dnum Deum eſſe vitæ & mortis, & Salvatorem mundi.

Ant. Reſponſum accepit Simeon a Spiritu S. non viſurum (*ſe*) mortem, niſi videret Chriſtum Dni. Et cum inducerent Puerum in templum, accepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis Dne ſervum tuum in pace.

Ad Miſſam.

Ant. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui: ſecundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ, iuſtitia plena eſt dextera tua.

Pſ. Magnus Dominus.

Gr. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui, ſecundum nomen tuum Domine.

℣. Sicut audivimus, ita & vidimus in civitate Domini virtutum. *All.*

(1) Officium huius Dominicæ in editis Antiphonariis non deprehendi, cum in Ant. *Gregorianis* ſequentes cum tertia eædem ſunt. Nec tamen noſter hic codex plures quam quatuor numerat Dominicas poſt Theoph. Cæterum huic Miſſæ concinit alia T. V. opp. THOMASII pag. 154. Dominia VII. poſt S. Angeli, ſeu ultima poſt Pentecoſten notata, cum Grad. *Beata gens.* ℣. *Verbo Dni. Alla. Quoniam confortavit ſeras.* Atque eadem fere eſt, quæ infra habetur Dom. VII. poſt Pentecoſt.

(2) De antiquitate huius feſti diximus P. III. Diſq. IX. c. 2. n. 12. quod in Sacrament. p. 26. *hypapante*, in antiquiſſimis codd. *Rhenaug.* & *San-Gall.* S. SIMEONIS inſcribitur; hic a Purificatione B. M. V. nomen habet: nec ullum alterum eiusdem Dei genitricis feſtum in hoc graduali occurrit, niſi forte in excifis paginis a Dom. XII. uſque ad XVIII. poſt Pentec. aliud fuerit. Dum vero Graduale hoc cum antiquiſſimo ſacramentario *Rhenaugienſi* eadem manu ſcriptum in eodem codice continetur, nihilominus inſcriptio feſti differt, palam eſt diverſam eſſe orginem, rationemque utriusque monumenti liturgici.

(3) Antiphonas ſequentes SERGIO P. adſcribit PAMELIUS Lit. T. II. p. 78. in nota ad h. d.

(a) *In Nat. S. Vincentii.*

Ant. Lætabitur iuſtus in Dno. *Pſal.* exaudi Deus orationem. *Grad.* Poſuiſti Dne. ℣. Deſiderium animæ eius. *Offert.* Gloria & honore. *Commun.* Qui vult venire poſt me.

In Oct. S. Agnetis.

Ant. Vultum tuum. *Grad.* Specie tua. *Offert.* Diffuſa eſt gratia. *Commun.* Simile eſt regnum cœlorum.

Digitized by Google

All. Adorabo ad templum ſanctum tuum.

All. Poſt partum Virgo inviolata.

Si venerit ipſa Miſſa poſt Septuageſimam.

Tr. Iubilate.

Tr. Audi filia & vide. *Thomaſ. & Pamel.* Diffuſa eſt.

Off. Tollite portas principes veſtras.

Require in Vigil. Nat. Dni.

Off. Diffuſa eſt gratia. Ita & *Thomaſ. ac Pamel.*

Ad Comm. Reſponſum accepit Simeon ab Spiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Dominum. (a)

Dominica in Septuageſima, Statio ad S. LAURENTIUM.

Ant. Circumdederunt me gemitus mortis, dolores inferni circumdederunt me, & in tribulatione mea invocavi Dominum, & exaudivit de templo ſancto ſuo vocem meam.

Pſal. Diligam te Domine.

Gr. Adiutor in opportunitatibus in tribulatione, ſperent in te, qui noverunt te, quoniam non derelinques quærentes te Domine.

℣. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem: exſurge Domine, non prævaleat homo.

Tr. De profundis clamavi ad te Domine, Dne exaudi.

℣. Fiant aures tuæ intendentes in orationem ſervi tui.

℣. Si iniquitates obſervaveris Dne, Dne, quis ſuſtinebit?

℣. Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Dne. *Ita* & Thomaſ. *ac* Pamel.

Off. Bonum eſt confiteri in Domino, & pſallere nomini tuo Altiſſime.

Ad Comm. Illumina faciem tuam ſuper ſervum tuum, ſalvum me fac in tua miſericordia, Domine non confundar, quoniam invocavi te.

Pſal. In te Domine ſperavi.

Dom. in Sexag. Statio ad S. PAULUM,

Ant. Exſurge, quare obdormis Domine? exſurge, & ne repellas in finem; quare faciem tuam avertis, obliviſceris tribulationem noſtram? Adhæſit in terra venter noſter; exſurge, adiuva nos, & libera nos.

Pſal. Deus auribus.

Gr. Sciant (*gentes*) quoniam nomen tibi Deus: Tu ſolus Altiſſimus ſuper omnem terram. ℣.

(a) *In Nat. S. Agathæ Virg. & Mart.*

Ant Gaudeamus omnes in Domino. *Pſal.* Eructavit cor meum. *Grad.* Adiuvabit eam. ℣. Fluminis impetus. *Tract.* Qui ſeminant in lacrymis. ℣. Euntes ibant. ℣. Venientes autem. *Offert.* Offerentur. *Commun.* Qui me dignatus eſt ab omni plaga curare, & mammillas meas meo pectori reſtituere, ipſum invoco Deum vivum.

In Nat. S. Valentini Mart.

Ant. In virtute tua. *Pſal.* Magna eſt gloria eius. *Grad.* Beatus vir, qui timet. ℣. Potens in terra. *Tract.* Deſiderium animæ eius. ℣. Quoniam prævenisti eum. ℣. Poſuiſti ſuper caput eius. *Offert.* In virtute tua. *Commun.* Magna eſt gloria eius.

In Cathedra S. Petri.

Ant. Statuit ei Dns. *Grad.* Conſtitues eos principes. *Tract.* Tu es Petrus. ℣. Et portæ inferi. ℣. Quodcumque ligaveris. ℣. Et quodcumque ſolveris. *Offert.* Conſtitues eos principes. *Commun.* Tu es Petrus.

In Nat. S. Gregorii Papæ.

Ant. Sacerdotes Dei. *Pſal.* Benedicite omnia opera Dni. *Grad.* Iuravit Dnus. *Tract.* Beatus vir, qui timet. ℣. Potens in terra. ℣. Gloria & divitiæ. *Offert.* Veritas mea. *Commun.* Fidelis ſervus.

In Annuntiatione S. Mariæ.

Ant. Rorate cœli. *Gr.* Tollite portas. *Tr.* Audi filia. *Off.* Ave Maria. *Com.* Ecce Virgo. *In Pamel. & Thomaſ.* alia Miſſa.

℣. Deus meus, pone illos ut rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti.

Tr. Commoviſti Dne terram, & conturbaſti eam: ſana contritiones eius, quia mota eſt.

℣. Ut fugiant a facie arcus, ut liberentur Electi tui. *Ita etiam* Thomaſ. & Pamel.

Off. Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moveantur veſtigia mea: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea: mirifica miſericordias tuas, qui ſalvos facis ſperantes in te Domine.

Ad Comm. Introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuventutem meam.

Dominica in Quinquageſima.

Ant. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii, ut ſalvum me facias: quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu, & propter nomen tuum dux mihi eris, & enutries me.

Pſal. In te Domine ſperavi.

Gr. Tu es Deus, qui facis mirabilia ſolus: notam feciſti in gentibus virtutem tuam.

℣. Liberaſti in brachio tuo populum tuum, filios Iſrael.

Tr. Iubilate Domino omnis terra.

℣. Intrate in conſpectu eius in exultatione. Scitote, quod Dns ipſe eſt Deus.

℣. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos.

Off. Benedictus es Domine, doce me iuſtificationes tuas: in labiis meis pronunciavi omnia iudicia oris tui.

Ad Comm. Manducaverunt & ſaturati ſunt nimis, & deſiderium eorum attulit eis Dominus: non ſunt fraudati a deſiderio ſuo.

In Capite Ieiunii. (1)

Ad benedictionem Cinerum.

Ant. Exaudi nos, Dne, quoniam benigna eſt miſericordia tua, ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos.

Pſal. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ uſque ad animam meam.

Tract. Immutemur habitu in cinere & cilicio; ieiunemus & ploremus ante Dnm, quia multum miſericors eſt dimittere peccata noſtra Deus noſter.

Ant. Iuxta veſtibulum & altare plorabunt ſacerdotes & levitæ miniſtri Dni, dicentes: Parce, Dne, parce populo tuo, & ne diſſipes ora clamantium ad te. Sic & in *Thomaſ.* ac *Pamel.*

Ad Miſſam.

Ant. Misereris omnium Dne, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam, & parcens illis, quia tu es Dns Deus noſter.

Pſal. Miſerere mei Deus, miſerere mei.

Grad. Miſerere mei Deus, miſerere mei, quoniam in te confidit anima mea.

℣. Miſit de cœlo, & liberavit me: dedit in opprobrium conculcantes me.

Tract. Dne non ſecundum, *deeſt hic & in ſequentibus, quum is teſte* Micrologo de Miſſa cap. 50. *potius ex noſtra conſuetudine, quam ordine Romano in Quadrageſima dicatur.*

Offert. Exaltabo te, Dne, quoniam ſuſcepiſti me; nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Dne clamavi ad te, & ſanaſti me.

Ad Comm. Qui meditabitur in lege Dni die ac nocte, dabit fructum ſuum in tempore ſuo.

Fer. V. (2)

Ant. Dum clamarem ad Dnm, exaudivit vocem meam ab his, qui appropinquant mihi, & humiliabit (*vit*) eos, qui eſt ante ſecula & manet in æternum. Iacta cogitatum tuum in Dno, & ipſe te enutriet.

Pſal. Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam.

Grad. Iacta cogitatum tuum in Dno, & ipſe te enutriet.

℣. Dum clamarem ad Dnm, exaudivit vocem meam ab his, qui appropinquant mihi.

Offert.

---

(1) Quandonam diverſis in locis inchoatum ſit quadrageſimale ieiunium vid. Diſquiſit. X. p. 944. ſeqq.

(2) Officia Fer. V. in Quadr. non a Gregorio I. ſed II. compoſita ex Micrologo c. 50. aſſerit Pamelius T. II. Liturg. pag. 85. ad h. d. Vid. Diſquiſit. cap. III. p. 947. Cæterum quæ hic ex *San-Blaſiano* notantur, eodem modo habentur in Thomasio ex cod. *San-Gallenſi*, & Pamelio l. c.

Digitized by Google

Offert. Ad te, Dne, levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubeſcam.

Ad Comm. Acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes & holocauſta ſuper altare tuum vitulos.

Fer. VI.

Ant. Audivit Dns, & miſertus eſt mihi: (*Dnus*) factus eſt adiutor meus.

Pſal. Exaltabo te Dne, quoniam.

Grad. Unam petii a Dno, hanc requiram, ut inhabitem in domo Dni.

℣. Ut videam voluntatem Dni, & protegar a templo ſancto eius.

Offert. Dne vivificabis me ſecundum eloquium tuum, ut ſciam teſtimonia tua.

Ad Comm. Servite Dno in timore, & exultate ei cum tremore, apprehendite diſciplinam, ne pereatis de via iuſta. (1)

Initium Quadrageſimæ. (2) *Statio ad Lateranis.*

Ant. Invocavit me, & ego exaudiam eum, eripiam eum & glorificabo eum, longitudinem dierum adimplebo eum.

Pſal. Qui habitat.

Grad. Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

℣. In manibus tuis (*ſuis*) portabunt te, ne unquam offendas ad lapidem pedem (*tuum*) (3)

Tract. Qui habitat in adiutorio. (4)

Offert. Scapulis ſuis obumbravit (*bit*) tibi Dominus, & ſub pennis eius ſperabis, ſcuto circumdabit te veritas eius.

Ad Comm. Scapulis ſuis obumbrabit.

Feria II. Item ad Miſſ.

Ant. Sicut oculi ſervorum in manibus.

Pſal. Ad te levavi oculos meos.

Grad. Protector noſter aſpice Deus.

℣. Domine Deus virtutum;

Offert. Levabo (5) oculos meos, & conſiderabo mirabilia tua.

Ad Comm. Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit.

Feria III.

Ant. Domine refugium tu factus es nobis a generatione & progenie, a ſeculo & in ſeculum tu es.

Pſal. Priuſquam montes fierent.

Grad. Dirigatur oratio mea.

℣. Elevatio manuum.

Offert. In te ſperavi Domine: dixi, tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea.

Ad Comm. Cum invocarem te, exaudiſti.

Fer. IV.

Ant. Reminiſcere miſerationum tuarum, Dne, & miſericordiæ tuæ, quæ a ſeculo ſunt; ne unquam dominentur nobis inimici noſtri: libera nos Deus Iſrael ex omnibus anguſtiis noſtris.

Pſal.

(1) Officium Sabbati hic & in *Pamel.* ac *Otbob.* & *Thomaſ.* deficit, cum idem ſit cum præcedenti fer. VI. In ultimo tamen tria Gradualia notantur, una cum Litania ſeu proceſſione, uti & ſeq. Feria VI.

(2) Seu Dnca I. Quadrag. Vide quæ P. II. Diſquiſ. V. p. 944. &c. diximus de initio Quadrageſimæ, quod olim a Dominica hac ſumtum fuit, ut hodieque fit ritu *Ambroſiano*, licet *Mozarabes* mutarint morem veterem *Gotho-Hiſpanum*, ieiunium a Fer. IV. Cinerum auſpicando, ut obſervat P. *Alex.* LESLEUS p. V. Præfat, in *Miſſale mixtum ſecundum regulam beati Iſidori dictum Mozarabes.* Cum ritu *Gotho-Hiſpano* conveniebat vetus *Gallicanus* ac etiam *Scoticus* uſque ad ſec. XI. quo S. MARGARITHA *Scotorum* regina auctoritate mariti regis, ut in eius vita apud SURIUM ad diem X. *Iunii* legimus, inchoari fecit Quadrageſimam Fer. IV. Cinerum: de qua habetur officium in antiquiſſimo ſacramentario *Rhenaugienſi*, cui hoc Graduale adiectum eſt, etſi hic deſideretur, haud obſtante, quod aliarum nonullarum feriarum Quadrageſimæ minus celebrium miſſas contineat.

(3) Ita etiam in *San-Gallenſi* THOMASII, ac *San-Blaſiano* ſed in PAMEL. aliud Grad. *Tenuiſti manum.*

(4) Cod. *San-Blaſ.* cum editis ſingulos huius pſalmi verſus adnectit.

(5) Ita & San-Gall. *Thomaſ.* ſed *San-Blaſ.* cum aliis *Revela.*

Digitized by Google

Pſal. Ad te, Dne, levavi animam meam.

Grad. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis eripe me Dne.

℣. Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte omnia peccata mea.

Grad. (1) De neceſſitatibus meis eripe me Dne. Vide humilitatem meam *ut ſupra.*

℣. Ad te Dne levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubeſcam.

℣. Etenim univerſi, qui te expectant, non confundentur: confundantur omnes facientes vana.

Offert. Meditabor in mandatis tuis, quæ dilexi valde. & levabo manus meas ad mandata tua, quæ dilexi.

Ad Comm. Intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus: quoniam ad te orabo Dne

Feria V.

Ant. Confeſſio & pulchritudo in conſpectu eius. Sanctitas & magnificentia in ſanctificatione eius.

Pſal Cantate Dno canticum novum: cantate.

Grad. Cuſtodi me, Dne, ut pupillam oculi: ſub umbra alarum tuarum protege me

℣. De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitatem.

Offert. Emittet Angelum Dns in circuitu timentium eum, & eripiet eos: guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dns.

Ad Comm. Panis, quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita.

Feria VI.

Ant De neceſſitatibus meis eripe me Dne: vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea.

Pſal. Ad te, Dne, levavi animam meam.

Grad. (2) Salvum fac ſervum tuum.

℣. Auribus percipe Dne orationem meam.

Tractus. Dne non ſecundum peccata noſtra facias nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuas nobis.

℣. Dne, ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum, cito anticipent nos miſericordiæ tuæ, quia pauperes facti ſumus nimis.

℣. Adiuva nos Deus ſalutaris noſter, & propter gloriam nominis tui Dne libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum

Offert. Benedic anima mea Dno, & noli oblivisci omnes retributiones eius, & renovabitur ſicut aquilæ iuventus tua.

Ad Comm. Erubeſcant, & conturbentur omnes inimici mei: Avertantur retrorſum, & erubeſcant valde velociter.

Sabb. in XII. Lect. (3) *ad Scm PETRUM.*

Ant. Intret oratio mea in conſpectu tuo, inclina aurem tuam ad precem meam Domine.

Pſalm. Domine Deus ſalutis.

Grad. (4) Miſerere mihi Domine;

℣. Conturb. *Grad.* Eſto mihi.

Grad. Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcam illorum in tempore opportuno.

℣. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Grad. Propitius eſto.
Grad. Protector noſter.
Grad. Dirigatur oratio.
Grad. Convertere Dne.
Hymnus: Benedictus es.
Tractus: Laudate Dnm omnes gentes.
℣. Quoniam confirmata eſt. *Off.*

---

(1) In *Pamel.* ſecundum hoc Graduale inſcribitur Tractus.

(2) Sic & *San-Gall.* THOMASII, qui ex alio codice etiam Tractum *Dne non ſecundum &c.* exhibet: quem tamen omittit PAMELIUS, & loco noſtri aliud ponit Grad. *Miſerere mei Dne.* ℣. *Conturbata ſunt.*

(3) Vides hic in antiquiſſimo noſtro codice eandem inſcriptionem, quæ communiter habetur in antiquis & recentioribus libris liturgicis, etſi lectionum numerus haud reſpondeat Putat vero *Ed.* MARTENIUS L. I. de ant. Eccl. rit. cap. 8. art. 4. diverſas olim ab hodiernis ſex vel ſeptem lectionibus olim duodecim fuiſſe dictas in eccleſia, ubi fiebat collecta ante ordinum celebrationem, probatque auctoritate antiqui ordinis *Romani* ad uſum eccleſiæ *Salisburgenſis* ante ſexcentos & amplius annos exarati. Diſquiſit. X. cap. VI. T. II. pag. 987. pluribus de hoc egimus, ac oſtendimus, ideo Sabbata IV. Temporum inſcribi *XII. lectionum*, quod quælibet ſex lectionum olim bis legeretur, græce nempe & latine.

(4) Tria hic tantum Gradualia notantur, eaque ab omnibus editis, quæ quatuor aut quinque exhibent, diverſa: nec ullum eorum in *San-Gallenſi Thomaſiano* occurrit, ubi octo omnino habentur, una cum hymno & Tractu, qui hic deſiderantur.

Digitized by Google

Off. Domine Deus ſalutis meæ, in die clamavi & nocte coram te, intret oratio mea in conſpectu tuo Domine.

Ad Comm. Domine Deus meus in te ſperavi.

Dom. I. in Quadrageſima. (1)
Item ad Miſſ. ſicut iam ſupra ſcriptum eſt in Sabbato.

Alia.

Ant. Reminiſcere. *Ut ſupra Fer. IV.*

Grad. Tribulationis cordis. *Ut ſupra.* (2)

Tract. Dixit Dns mulieri Chananææ, non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus ad manducandum.

℣. At illa dixit: Etiam Dne, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dnorum ſuorum.

℣. Ait illi Ieſus: Mulier magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut petiſti. (3)

Offert. Meditabor. *Ut ſupra.*

Ad Comm. Intellige clamorem. *Ut ibid.*

Fer. II.

Ant. Redime me Dne, & miſerere mei, pes enim meus ſtetit in via recta, in eccleſiis benedicam Dno.

Pſal. Iudica me Dne, quoniam.

Grad. Adiutor meus & liberator meus eſto Domine: ne tardaveris.

℣. Confundantur & revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam.

Offert. Benedicam Dno, qui mihi tribuit intellectum; providebam Deum in conſpectu meo ſemper, quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear.

Ad Comm. Dne Dnus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra.

Feria III.

Ant. Tibi dixit cor meum, quæſivi vultum tuum: vultum tuum Dne requiram: ne avertas faciem tuam a me.

Pſ. Dns illuminatio mea.

Gr. Iacta cogitatum tuum.

Offert. Miſerere mihi Dne ſecundum magnam miſericordiam tuam: dele Dne iniquitatem meam.

Ad Comm. Narrabo omnia mirabilia tua, lætabor & exultabo in te, pſallam nomini tuo Altiſſime.

Feria IIII.

Ant. Ne derelinquas me Dne Deus meus, ne diſcedas a me: intende in adiutorium meum Dne virtus ſalutis meæ.

Pſ. Dne, ne in furore tuo.

Gr. Propitius eſto Dne peccatis nris.

Gr. Salvum fac populum tuum Dne, & benedic hæreditati tuæ.

℣. Ad te, Dne, clamavi, Deus meus ne ſileas a me: & ero ſimilis deſcendentibus in lacum. *Ita & Thomaſ. ac Pamel. uti & Offert.* Ad te.

Off. Miſerere mihi Dne ſecundum. *Ut ſupra.*

Off. Ad te Dne levavi.

Ad Comm. Iuſtus Dns noſter iuſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius.

Feria V.

Ant. Deus in adiutorium meum intende: Dne ad adiuvandum me feſtina. Confundantur & revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam.

---

(1) Hæc noſtra eſt Dominica II. Quadrageſimæ. Vid. T. V. opp. THOMAS. pag. 54. n. 5. Singularis autem in noſtro Graduali eſt inſcriptio, Miſſam huius Dominicæ *vacat.* ex præcedente Sabbato eſſe repetendam, unde etiam hodieque Evangelium deſumitur; cum tamen in *San-Gallenſi Thomaſ. & Pamel.* aliiſque editis Miſſa Feriæ IV. præced. hic ponatur; quod ritu *Romano* fieri, MICROLOGUS aſſerit. Vid. quæ diximus Diſquiſit. X. cap. VI. pag. 988. ſeq. Nempe tum demum alia Miſſa in Dominica *Vacat* ſubſtituta eſt officio Sabbati præcedentis, quando vigiliæ agi defierunt; de quibus S. LEO ſerm. IX. de ieiunio ſeptimi menſis, paſſimque ſcriptores liturgici. In ordine divini officii, quem edemus inter hæc monumenta liturgica, de hoc officio Sabb. ita legitur. *Oratio poſt Communionem non habetur ſuper populum in menſe primo: quia illud officium frequenter & circa noctem Dominicam ſolet finiri, in qua minime genuflectitur.*

(2) *Thomaſ. & Pamel.* Grad. *de neceſſitatibus.*

(3) Hunc tractum etiam PAMEL. & SAMMARTHANUS exhibent, qui ex Evangelio præced. Feriæ V. deſumtus eſt, quod forte in hac Dominica legebatur: & revera in *Comite Hieronymi* apud PAMELIUM in hac Dominica ita notatur. *San-Gallenſis* tamen THOMASII habet Tract. *Confitemini Dno, quoniam bonus.* ℣. *Quis loquetur.* ℣. *Beati qui cuſtodiunt.* ℣. *Memento noſtri.* qualem nempe hodieque habemus.

Digitized by Google

Pſ. Avertantur retrorſum, & revereantur.

Gr. Propitius eſto Dne peccatis noſtris, ne quando dicant gentes, ubi eſt Deus eorum?

℣. Adiuva nos Deus ſalutaris noſter.

Offert. Precatus eſt Moyſes in conſpectu Dni Dei ſui, & dixit: quare Dne iraſceris populo tuo? parce iræ animi tui. (1)

Ad Comm. Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo, dicit Dns.

Feria VI.

Ant. Ego autem cum iuſtitia apparebo in conſpectu tuo: ſatiabor, dum manifeſtabitur gloria tua.

Pſal. Exaudi Dne iuſtitiam meam, intende.

Grad. Ad Dnm cum tribularer clamavi, & exaudivit me.

℣. Dne libera animam a labiis iniquis, & a lingua doloſa.

Offert. Dne in auxilium meum reſpice: confundantur & revereantur, qui quærunt animam meam, ut auferant eam.

Ad Comm. Tu, Dne, ſervabis nos, & cuſtodies nos a generatione hac in æternum.

Sabbato.

Ant. Lex Dni irreprehenſibilis convertens animas: teſtimonium Dei fidele, ſapientiam præſtans parvulis.

Pſal. Cœli enarrant gloriam Dei.

Grad. Bonum eſt confiteri Dno, & pſallere nomini tuo Altiſſime.

℣. Ad annuntiandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

Offert. Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.

Ad Comm. Oportet te fili gaudere, quia frates tuus mortuus fuerat, & revixit: perierat, & inventus eſt.

Dominica II. in Quadrageſimæ. (2)

Ant. Oculi mei ſemper ad Dominum, quia ipſe evellit de laqueo pedes meos: reſpice in me & miſerere mei, quoniam unicus & pauper ſum ego.

Grad. Exſurge Domine, non prævaleat homo, iudicentur gentes in conſpectu tuo.

℣. In convertendo inimicum meum retrorſum.

Tract. Ad te levavi oculos.

Offert. Iuſtitiæ Domini rectæ lætificantes corda; & dulciora ſuper mel & favam, nam & ſervus tuus cuſtodiet ea.

Ad Comm. Paſſer invenit ſibi domum, & turtur nidum, ubi reponat pullos ſuos. Altaria tua Domine (*virtutum*) Rex meus & Deus meus. Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſeculum ſeculi laudabunt te.

Feria II. (3)

Ant. In Deo laudabo verbum, in Dno laudabo ſermonem, in Deo ſperavi: non timebo, quid faciat mihi homo.

Pſal. Miſerere mei Deus, quoniam conculcavit.

Grad. Deus vitam meam nuntiavi tibi, poſuiſti lacrymas in conſpectu tuo.

℣. Miſerere mihi Dne, quoniam conculcavit me homo: tota die bellans tribulavit me.

Offert. Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam: intende in me, & exaudi me.

Ad Comm. Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? cum averterit Dns captivitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob & lætabitur Iſrael.

Feria III.

Ant. Ego clamavi, quoniam exaudiſti me Deus: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea. Cuſtodi me Dne ut pupillam oculi, ſub umbra alarum tuarum protege me.

Pſal. Exaudi Dne iuſtitiam meam, intende.

Grad. Ab occultis meis munda me Dne, & ab alienis parce ſervo tuo.

℣. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo.

Offert. Dextera Dni fecit virtutem. *Ut ſupra.*

Ad

---

(1) In *San-Gall. Thomaſ.* & *Pamel.* integrum notatur hoc Offertorium.

(2) Dom. III. Quadrag.

(3) Thomasius duas in hac feria habet Miſſas, primam nempe *pro ſcrutinio.*

Digitized by Google

Ad Comm. Domine! quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo? Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam.

Fer. IIII.

Ant. Ego autem in Dno ſperavi, exultabo & lætabor.

Pſ. In te Dne ſperavi.

Gr. Miſerere mihi Dne.

℣. Conturbata ſunt omnia.

Offert. Iuſtitia Dni.

Aliud. Dne fac mecum miſericordiam tuam propter nomen tuum, quia ſuavis eſt miſericordia tua. *Ita &* Thomaſ. *ac* Pamel.

Ad Com. Notas mihi feciſti vias vitæ.

Fer. V.

Ant. Salus populi ego ſum, dicit Dnus, de quacunque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos, & ero illorum Dns in perpetuum.

Pſ. Attendite popule meus legem meam.

Gr. Oculi omnium in te ſperant Dne: & tu das illis eſcam in tempore opportuno.

℣. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.

Off. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me Dne, & ſuper iram inimicorum meorum extendes manum tuam, & ſalvum me fecit dextera tua.

Ad Comm. Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.

Fer. VI. ad Scm LAUR.

Ant. Fac mecum Dne ſignum in bonum, ut videant, qui me oderunt.

Pſ. Inclina Dne aurem tuam.

Gr. In Deo ſperavit cor meum, & adiutus ſum: & refloruit caro mea, & ex voluntate mea (*confitebor illi.*)

℣. Ad te Domine.

Off. Intende voci orationis meæ, rex meus & Deus meus.

Ad Comm. Qui biberit aquam, quam ego dabo, dicit Dns Samaritanæ, fiat in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

Sabb. ad Scm SUSAN.

Ant. Verba mea auribus percipe Domine.

Pſ. Quoniam ad te orabo Dne.

Gr. Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es Domine.

℣. Virga tua Domine.

Off. Greſſus meos dirige Dne ſecundum eloquium tuum.

Ad Com. Nemo te condemnavit, mulier? Nemo Domine: nec ego te condemnabo, iam amplius noli peccare.

Dom. ad Hieruſalem. (1)

Ant. Lætare Hieruſalem, & conventum facite omnes, qui diligitis eam: gaudete cum lætitia, qui in triſtitia fuiſtis: ut exultetis (&) ſatiemini ab uberibus conſolationis veſtræ.

℣. Lætatus ſum in his.

Gr. Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domo (*domum*) Domini ibimus.

℣. Fiat pax in virtute tua.

Tr. Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion.

Off. Laudate Dnm, quia benignus eſt, pſallite nomini eius, quoniam ſuavis eſt: omnia quæcunque voluit Dns (*fecit*) in cœlo & in terra.

Ad Com. Hieruſalem, quæ ædificatur ut civitas, cuius participatio eius in idipſum: illic enim aſcenderunt tribus Dni ad confitendum nomini tuo Dne.

Fer. II.

(1) i. e. Dom. IV. Quadrageſ.

Fer. II.

Ant. Deus in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tua iudica (al. *libera*) me, Deus exaudi orationem meam.

Pſ. Averte mala inimicis meis, & in veritate tua diſperde illos.

Grad Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii, ut ſalvum me facias.

℣. Deus in te ſperavi: Dne non confundar in æternum.

Off. Iubilate Deo omnis terra.

Ad Com. Ab occultis meis munda me Dne, & ab alienis parce ſervo tuo.

Fer. III.

Ant. Exaudi Deus orationem meam, & ne deſpexeris deprecationem meam: intende in me & exaudi me.

Pſ. Contriſtatus ſum in exercitatione mea.

Gr. Exurge, Dne, fer opem nobis, & libera nos propter nomen tuum.

℣. Deus auribus noſtris audivimus.

Off. Expectans expectavi Dnm, & reſpexit me, & exaudivit deprecationem meam: & immiſit in os meum canticum novum, hymnum Deo nro.

Ad Com. Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dni Dei nri magnificabimur.

Fer. IIII. ad S. PAULUM.

Ant. Dum ſanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de univerſis terris, & effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis ſpiritum novum.

Pſ. Benedicam Dno.

Gr. Venite filii audite me, timorem Dni docebo vos.

℣. Accedite ad eum, & illuminamini.

Grad. II. Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eorum, populus, quem elegit Dominus in hereditatem ſibi.

℣. Verbo Dni cœli firmati ſunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum. *Ita & Thomaſ. ac Pamel.*

Off. Benedicite gentes Dominum.

Ad Com. Lutum fecit ex ſputo Dominus, & linivit oculos meos: & abii, & lavi, & vidi, & credidi Dnm.

Feria V.

Ant. Lætetur cor quærentium Dnm: quærite Dnm & confirmamini: quærite faciem eius ſemper.

Pſal. Confitemini Dno, & invocate.

Grad. Reſpice Dne in teſtamentum tuum, & animas pauperum tuorum ne obliviſcaris in finem.

℣. Exurge Dne, & iudica cauſam tuam, memor eſto opprobrii ſervorum tuorum.

Offert. Dne in auxilium.

Ad Comm. Dne, memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Deus docuiſti me a iuventute mea: & uſque in ſenectam & ſenium Deus ne derelinquas me.

Fer. VI. ad EUSEPIUM. (1)

Ant. Meditatio cordis mei.

Pſ. Cœli enarrant gloriam Dei.

Gr. Bonum eſt confiteri.

℣. Ad adnunciandum.

Gr. Bonum eſt confidere in Dno, quam confidere in homine.

℣. Bonum eſt ſperare in Dno, quam ſperare in principibus.

Off. Miſerere mihi Dne ſecundum.

Off. Populum humilem ſalvum facies Dne, & oculos ſuperborum humiliabis. Quoniam quis Deus præter te Dne?

Ad Com. Adiutor meus es tu, Dne ne derelinquas me.

Ad Com. Videns Dns flentes ſorores Lazari ad monumentum, lacrymatus eſt coram Iudæis. Exclamabat (al. *& clamabat*) Lazare veni foras: & prodiit ligatis manibus & pedibus, qui fuerat quatriduanus mortuus.

Sabb. ad Scm LAURENT.

Ant. Sitientes venite ad aquas, dicit Dns: & qui non habetis pretium, venite, edite, & bibite in lætitia.

Pſ.

(1) S. Euseбium. Cæterum Miſſa hæc plane ſpecialis eſt, in omnibus enim editis legitur eo modo, quo hic ex *San-Blaſiano* exhibetur: niſi quod in *Thomaſ.* utrumque ℟. Graduale ponatur.

Pſ. Dominus regit me, & nihil. (1)

Gr. (2) Bonum eſt confiteri Domino.

℣. . . . .

Gr. Tibi derelictus eſt pauper.

℣. Ut quid Dne receſſiſti.

Off. Factus eſt Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Ad Com. Dominus regit me & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocavit, ſuper aquam refectionis educavit me.

Dom. V. ad Scm PETRUM. (3)

Ant. Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta: ab homine iniquo & doloſo eripe me: quia tu es Deus meus & fortitudo mea.

Pſ. ipſe.

Pſ. Emitte lucem tuam.

Gr. Eripe me Dne de inimicis meis: doce me facere voluntatem tuam.

℣. Liberator meus Dne de gentibus: iracundis: ab inſurgentibus: in me exaltabis me: a viro iniquo eripias me.

Tr. Sæpe expugnaverunt me a iuventute mea.

℣. Dicat nunc Iſrael. Sæpe.

℣. Etenim non potuerunt.

℣. Prolongaverunt iniquitatem.

Off. Confitebor tibi Dne in toto corde meo; retribue ſervo tuo, vivifica me ſecundum eloquium tuum.

Ad Com. Hoc Corpus, quod pro vobis traditur: hic Calix novi teſtamenti eſt in meo Sanguine, dicit Dns: hoc facite, quotieſcunque ſumitis, in meam commemorationem.

Fer. II.

Ant. Miſerere mihi Dne, quoniam conculcavit me homo; tota die bellans tribulavit me.

Pſ. Conculcaverunt me inimici.

Gr. Deus exaudi orationem meam, auribus percipe verba oris mei.

℣. Deus in nomine tuo ſalvum me fac, & in virtute tua iudica me.

Off. Dne convertere, & eripe animam meam; ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Ad Com. Dns virtutum ipſe eſt rex gloriæ.

Fer. III.

Ant. Expecta Dnm, viriliter age, & confortetur cor tuum & ſuſtine Dnm.

Pſ. Dns illuminatio mea.

Gr. Diſcerne cauſam meam Dne: ab homine iniquo & doloſo eripe me.

℣. Emitte lucem tuam, & veritatem tuam.

Off. Sperent in te omnes, qui noverunt nomen tuum Dne, quoniam non derelinquis quærentes te. Pſallite Dno qui habitat in Sion: quoniam non eſt oblitus orationem pauperum.

Ad Com. Redime me Deus Iſrael ex omnibus anguſtiis meis.

Fer. IIII.

Ant. Liberator meus Dne de gentibus iracundis, ab inſurgentibus in me exaltabis me, a viro iniquo eripies me Dne.

Pſ. Eripe me Dne.

Pſ. Diligam te Dne virtus mea. *Sic &* Thomaſ. *ac* Pamel.

Gr. Exaltabo te Dne, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti.

℣. Domine Deus meus.

Off. Eripe me de inimicis meis Deus meus, & ab inſurgentibus in me, a viro iniquo eripias me Dne.

Blaſ.

---

(1) In *San Blaſ.* & *Pamel.* Pſ. *Attendite populus meus legem meam.*

(2) Nuſpiam alibi hoc Graduale reperire eſt: Ideo autem duo hic ponuntur, quod olim duæ lectiones in hoc Sabbato dictæ fuerint, ut teſtis eſt MICROLOGUS cap. 52. quæ tamen cum continuatim legebantur, vix erat locus primo Graduali.

(3) San-Blaſ. *De Paſſione Dni.*

Digitized by Google

Blaſ. cum aliis: ab inſurgentibus in me libera me Dne.

Ad Com. Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Dne, ut audiam vocem laudis tuæ, ut enarrem univerſa mirabilia tua.

Fer. V.

Ant. Omnia quæ feciſti nobis Dne.

Pſal. Magnus.

Gr. Tollite hoſtias. ℣. Revelavit.

Off. Super flumina Babl.

Ad Com. Memento verbo verbi tui. (*verbi tui ſervo tuo*).

Fer. VI.

Ant. Miſerere mihi Dne, quoniam tribulor: libera me, & eripe me de manibus inimicorum meorum, & a perſequentibus me. Dne non confundar, quoniam invocavi te.

Pſ. In te Dne ſperavi, non confundar.

Gr. Pacifice loquebantur mihi inimici mei, & in ira moleſti erant mihi.

℣. Vidiſti Dne Deus meus, ne ſileas, ne diſcedas a me.

Off Benedictus es Dne, doce me iuſtificationes tuas: & non tradas me calumniantibus me ſuperbis, & reſpondebo exprobrantibus mihi verbum.

Ad Com. Ne tradideris me Dne in animas tribulantium me, quia inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

Sabbato. Iudica. *Ut ſupra in Dominica.* (1)

Dom. in Palmas. Stat ad Lateranis.

Antiphona ad Proceſſionem. (2)

Cum adpropinquaret Ieſus Ieroſolymam, miſit duos ex diſcipulis ſuis &c. *Ut in modernis miſſalibus.*

Alia.

Collegerunt Pontifices & Phariſæi concilium, & dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum: ne forte veniant Romani, & tollant noſtrum locum & gentem. Unus autem ex ipſis Caiphas nomine, cum eſſet Pontifex anni illius, prophetavit dicens: Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat: ab illa ergo die cogitaverunt interficere eum dicentes: Ne forte veniant.

Alia.

Cum audiſſet populus, quia Ieſus venit Ieroſolymam &c. *Alia.*

Ante ſex dies ſolemnis Paſchæ.

Gloria, laus & honor. *Ut in modernis miſſalibus, uſque ad* Fecerat Hebræos.

Ad Miſſam.

Ant. Domine, ne longe facias auxilium tuum a me, ad defenſionem meam aſpice; libera me de ore leonis, & a cornibus unicornium humilitatem meam.

Pſal. LXX. Deus Deus meus reſpice.

Gr. Tenuiſti manum dexteram meam: in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria adſumſiſti me.

℣. Quam bonus Iſrael.

Tr. Deus, Deus meus reſpice in me: quare me dereliquiſti? (3)

Off. Improperium expectavit cor meum & miſeriam, & ſuſtinui, qui ſimul contriſtaretur, & non fuit, qui conſolaret me: quæſivi, & non veniet: (al. *conſolantem me quæſivi, & non inveni*) dederunt in eſcam meam fel, (&) in ſiti mea potaverunt me aceto.

Ad

(1) In ord. divini officii a Dominica mediana uſque in Octavis Paſchæ, prout Vol. II. edemus, ſic notatur in ord. diei Sabbati ante palmas: *quia de hac feria officium non habetur, de eiſdem feriis repetitur, id eſt de quarta feria.* Apud Pamelium, & Amalarium lib. 1. cap. 8. inſcribitur *Sabbatum Vacat.* Vid. Thomas. opp. T. IV. pag 84. num. 1. Cæterum *San-Gallenſ. Thomaſ.* cum *San-Blaſ.* concordat: alii codices apud eumdem Thomas. Miſſam feriæ IV. præced. ponunt.

(2) De Ant. ad Benedictionem Palmarum uterque codex noſter ſilet, nihil pariter in *Pameliano*, qui, uti *Rhenaugienſis* noſter Miſſam tantum exhibet. Tres priores antiphonæ ad proceſſionem notantur etiam in *San-Gallenſi Thomaſiano*, ubi & ℣. *Gloria, laus.*

(3) Sequentes tredecim verſus huius pſalmi *San-Blaſ.* & *Pamel.* ut & miſſalia moderna addunt Tractui.

Digitized by Google

Ad Com. Pater, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.

Fer. II.

Ant. Iudica me (*me* omitt.) Dne nocentes me, expugna!

Pſ. ipſe. Effunde frameam.

Gr. Exſurge & intende.

℣. Effunde framea & conclude.

Off. Eripe me de inimicis meis.

Ad Com. Erubeſcant & conturbentur.

Fer. III.

Ant. Nos autem gloriari oportet in cruce Dni noſtri Ieſu Chriſti, in quo. *Pſ.* Deus misereatur noſtri.

Gr. Ego autem, dum mihi moleſti eſſent, induebam me cilicio, & humiliabam. ℣. Iudica me Dne.

℣. Iudica Dne nocentes.

Off. Cuſtodi me Dne de manu.

Ad Com. Nos autem gloriari oportet in cruce Dni noſtri Ieſu Chriſti.

Ad Com. Adverſum me exercebantur, qui ſedebant in porta: & in me pſallebant, qui bibebant vinum: ego vero orationem meam ad te Dne: tempus beneplaciti Deus in multitudine miſericordiæ tuæ. *Sic* & Thomaſ. *ac* Pamel.

Fer. IIII.

Ant. In nomine Dni omne genu flectetur cœleſtium & terreſtrium & infernorum, quia Dominus factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. ideo Dominus Ieſus Chriſtus in gloria Dei Patris.

℣. *ſeu Pſal.* Domine exaudi.

Grad. Ne avertas faciem tuam a puero tuo, quoniam tribulor, velociter exaudi me

℣. Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt.

Grad. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

℣. Non avertas faciem tuam.

Tract. Dne exaudi. *Ut ſupra.*

℣. Ne avertas faciem tuam.

℣. In quacunque die.

℣. Quia defecerunt.

℣. Percuſſus ſum ſicut fœnum.

℣. Tu exurgens miſereberis Sion.

Offert. Exaudi orationem meam, & clamor meus.

Ad Comm. Potum meum cum fletu temperabam, quia levans (al. *elevans*) adliſiſti me; tu autem Domine in æternum permanes.

Feria V. Cœna Dni.

Ant. Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, in quo & vita eſt & reſurrectio noſtra, per quem ſalvati & liberati ſumus. *Pſal.* Cantate Dno.

Grad. Chriſtus factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis;

℣. Propter quod & Deus exaltavit illum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen.

Offert. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me; non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini.

Ad Comm. Dominus Ieſus, poſtquam cœnavit cum diſcipulis ſuis, lavit pedes eorum, & ait illis: ſi ſcitis quid fecerim vobis ego Dominus & maieſter (*magiſter*) veſter? exemplum dedi vobis, ut & vos ita faciatis.

Feria VI. quod eſt in Paraſceve & in S. † (S. Cruce)

Digitized by Google

Grad. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

℣. Non avertas faciem tuam a me, in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

℟. Domine audivi auditum tuum, & timui: conſideravi opera tua, & expavi.

℣. In medio duorum animalium innoteſceris.

℣. In eo dum conturbata fuerit anima mea, in ira miſericordiæ recordaberis.

℣. Deus aLibano veniet, & Sanctus de monte umbroſo & condenſo.

℣. Operuit cœlos maieſtas eius, & laudis eius plena eſt terra.

Tractus. (1) Eripe me Dne ab homine malo, a viro iniquo libera me.

℣. Qui cogitaverunt malitias in corde, tota die conſtituebant prælia.

℣. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes: venenum aſpidum ſub labiis eorum.

℣. Cuſtodi me Dne de manu peccatoris, & ab hominibus iniquis libera me.

℣. Qui cogitaverunt ſupplantare greſſus meos, abſconderunt ſuperbi laqueos mihi.

℣. Et funes extenderunt in laqueum pedibus meis, iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi.

℣. Dixi Dno, Deus meus es tu: exaudi Dne vocem orationis meæ.

℣. Dne Dne virtus ſalutis meæ, obumbra caput meum in die belli.

℣. Ne trades me a deſiderio meo peccatori: cogitaverunt adverſum me, ne derelinquas me, ne unquam exaltentur.

℣. Caput circuitus eorum: labor labiorum ipſorum operiet eos.

℣. Verumtamen iuſti confitebuntur nomini tuo, & habitabunt recti cum vultu tuo.

Poſtea vero vadit Sacerdos ante Altare, & dicit: Oremus. *& dicit:* Flectamus genua. Levate.

Ad Comm. (2) Ecce lignum crucis, in quo ſalus mundi pependit: venite adoremus.

℣. Deus miſereatur noſtri.

Antiphona ad ſalutandam Crucem.

Ant. Crucem tuam adoramus (3) Dne, & ſanctam reſurrectionem tuam laudamus & glorificamus; ecce enim propter crucem venit gaudium in univerſo mundo.

Ant. Tuam crucem adoramus Dne, tuam glorioſam recolimus paſſionem. Miſerere nobis, qui paſſus es pro nobis.

Ant. Dum fabricator mundi mortis ſupplicium pateretur in cruce, clamans voce magna tradidit ſpiritum: & ecce velum templi diviſum eſt, monumenta aperta ſunt: terræ motus enim factus eſt magnus, quia mortem Filii Dei clamabat mundus ſe ſuſtinere non poſſe. Aperto ergo militis lancea latere crucifixi Dni exivit ſanguis & aqua in redemtionem ſalutis noſtræ.

Ant. O admirabile pretium, cuius pondere captivitas redemta eſt mundi, tartarea confracta ſunt clauſtra inferni, aperta eſt nobis ianua regni.

Populc meus.

Agios O Theos.

Pange

(1) De Tractu hoc vid. Diſquiſ. IX. cap. I. pag. 852. Vel inde patet antiquitas Gradualis noſtri, in quo Tractus iſte deeſt. Cuius primum Graduale ℟. nuſpiam alibi inveni.

(2) Ætate attritas literas non aſſecutus eſt ſcriba, ant hic mendum irrepſit, dum ſcribendum fuiſſet: *Ad adorandam crucem.*

(3) Antiphonam hanc iam IONAS *Aurelianenſis* cum illa *Ecce lignum crucis* in antiquiſſimo cod. *Rhenaug.* IONÆ coævo notatam memorat in libro de cultu imaginum adverſus CLAUDIUM *Taurinenſem*, cultum S. Crucis reiicientem, *ſecundum traditionem eccleſiaſticam* in die Paraſceves cani ſolitas: „Ob recordationem (inquit) ſalutiferæ paſſionis dominicæ annuatim in ſanctiſſimo die Paraſceves ſecundum traditionem eccleſiaſticam crucem Chriſti adorat, id eſt, ſupplicando ſalutat: quæ etiam tota diffuſa per orbem in Chriſti laudem prorumpens gratulabunda canit: *Crucem tuam adoramus Domine, & ſanctam reſurrectionem tuam laudamus.* Et iterum: *Ecce lignum crucis, in quo ſalus mundi pependit, venite adoremus.* Et beatus Gregorius, de cuius dictis nemo, niſi immemor ſalutis ſuæ, ambigit, in libro ſacramentorum ita meminit: *Deus qui unigeniti tui Domni noſtri Ieſu Chriſti pretioſo ſanguine humanum genus redimere dignatus es: concede propitius, ut qui ad adorandam vivificam crucem adveniunt, a peccatorum ſuorum nexibus liberentur.* Habes orationem hanc inter *Ambroſianas* diei in ſacramentario *Alemannico* Vol. I. Monum. vet. lit. *Alem.* p. 78.

Digitized by Google

Pange lingua glorioſi. *Ut in modernis miſſalibus. Ita pariter in* San-Gall. *apud* THOMASIUM.

Et incipiunt canere (1) *in Sabbato ad Miſſam ad Introitum letania. Et dicit Sacerdos* Gloria in excelſis Deo. *Tr.* Laudate.

Tract. Laudate Dominum omnes gentes.

All. Eduxit Dominus populum ſuum in exultatione, & electos ſuos in lætitia.

All. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam.

Offert. (2) Angelus Domini deſcendit de cœlo & dixit mulieribus: quem quæritis? ſurrexit ſicut dixit Alleluia.

Ad Comm. Cito euntes dicite alleluia diſcipulis eius.

Dom. Sca in Paſch. ad Miſſam.

Ant. Reſurrexi, & adhuc tecum ſum, alleluia: poſuiſti ſuper me manum tuam alleluia: mirabilis facta eſt ſcientia tua, alleluia all.

Pſal. Dne probaſti me.

Grad. Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.

℣. Confitemini Domino, quoniam bonus.

All. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.

℣. Epulemur.

Offert. Terra tremuit & quievit, dum reſurgeret in iudicio Deus, alleluia.

Ad Comm. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, alleluia. Itaque epulemur in azymis ſinceritatis & veritatis, all. all.

Feria II.

Ant. Introduxit vos Dominus in terram fluentem lac & mel, alleluia: & ut lex Domini ſemper ſit in ore veſtro, alleluia, alleluia.

Pſal. Confitemini Domino.

Grad. Hæc dies, quam.

℣. Dicat nunc.

All. Dominus regnavit, decorem.

Offert. Angelus Domini deſcendit.

Ad Comm. Surrexit Dominus, & apparuit Petro, all. quem quæris mulier? alleluia, viventem cum mortuis, alleluia. (3)

Feria III.

Ant. Aqua ſapientiæ potavit eos, all. confirmabitur in illis & non flectetur, All. & exaltabit eos in æternum. All. all.

Pſal. Confitemini Dno, quoniam.

Grad. Hæc dies. *Ut ſupra.*

℣. Dicant nunc, qui redemti ſunt a Dno, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregavit eos.

Alla. Chriſtus reſurgens iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. All. *quale volueris.*

Offert.

---

(1) Codex *San-Blaſ.* hic præmittit *In Sabb. S. Paſchæ Canticum de Exodo* Cantemus Domino &c. *Canticum Eſaiæ* Vinea facta eſt &c. *Canticum de Deuteronomio.* Attende cœlum &c. *Canticum de Pſ.* XLI. Sicut cervus &c. Quæ hodieque inter lectiones XII. Sabb. canuntur, ultimum autem ad benedictionem Fontis.

(2) Præter *Othobonianum* nullus ex editis codicibus *Offertorium* hac die habet. Antiphonam autem *Ad Comm.* omnino nullibi reperi, niſi in noſtro hoc *Rhenaug.* Ponitur autem iuxta antiquiſſimum ritum *Romanum*, de quo in ordine divini officii a nobis volumine ſequenti P. II. edendo ſic legitur: *Poſtquam omnes communicaverint, dicit orationem ad Compl. Dicit diaconus* Ite miſſa eſt. *ſecundum ordinem Romanum. Sed uſus Eccleſiæ non vult hoc propter veſperos. In hac nocte de veſpertinali ſynaxi apud Romanos nihil agitur, neque ante Miſſam neque poſt Miſſam.* Vid. quæ ad illum locum adnotavimus.

(3) In omnibus editis prior tantum pars huius antiphonæ legitur: forte poſteriora ad Offertorium ſpectant.

Offert. Intonuit de cœlo Dns, & Altiſſimus dedit vocem ſuam, & apparuerunt fontes aquarum. alla.

Ad Comm. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, All. ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite. All.

Feria IIII.

Ant. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, alleluia, quod vobis paratum eſt ab origine mundi, alleluia, alleluia.

Pſal. Cantate.

Grad. Hæc dies quam fecit.

All. (1) Redemptionem miſit Dominus.

℣. Dextera Dni fecit virtutem.

Alla Oportebat pati Chriſtum.

Offert. Portas cœli aperuit Dominus, & pluit illis manna: panem Angelorum manducavit homo. All.

Ad Comm. Chriſtus reſurgens a mortuis, alleluia. iam non moritur alleluia, mors illi ultra non dominabitur, alleluia, all.

Feria V.

Ant. Victricem manum tuam Dne laudaverunt pariter, alla: quia ſapientia aperuit os muti, & linguas infantium fecit diſſertas, All.

Pſal. Confitemini Dno. *Al.* Dnus regnavit, *vel* Cantate Dno.

Grad. Hæc dies.

℣. Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.

All. In die reſurrectionis meæ, dicit Dns, præcedam vos in Galilæam.

Offert. In die ſolemnitatis veſtræ, dicit Dns, inducam vos in terram fluentem mel & lac, all.

Ad Comm. Populus adquiſitionis adnunciate virtutes eius, alla, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen ſuum all.

Fer. VI.

Ant. Eduxit eos Dns in ſpe, all. & inimicos eorum operuit mare, all. all.

Pſal. Adtendite popule meus legem.

Grad. Hæc dies.

℣. Benedictus qui venit in nomine Dni.

Alla Surrexit Altiſſimus de ſepulchro.

Offert. Erit vobis hic dies memorialis, alla; & diem feſtum celebrabitis ſolemnem Dno in pronias veſtras legitimum ſempiternum diem, alla.

Ad Comm. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. alla. Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. All. All.

Sabb. item ad Miſſ.

Ant. Eduxit Dominus populum ſuum, alleluia.

Pſal. Confitemini Domino.

Grad. Hæc dies quam fecit.

All. Laudate pueri Dominum, laudate.

Offert. Benedictus, qui venit in nomine Domini, benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus & illuxit nobis, alleluia, all.

Ad Comm. Omnes, qui in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis, alleluia, all.

Item ad Miſſam Dom. Oct. Paſchæ. (2)

Ant. Quaſi modo geniti infantes, alleluia: rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite, all. all.

Pſal. Exultate Deo adiutori.

All. Hæc dies, quam fecit Dominus.

All. Paſcha noſtrum immolatus.

All. In reſurrectione tua Chriſte cœlum & terra lætantur. Lux tua fulgebit ſuper terram.

All. Paſcha noſtrum.

Offert. Angelus Domini deſcendit.

Ad Comm. Mitte manum tuam in latus meum,

---

(1) Diverſitas in *Allel.* & Verſibus Tempore Paſchali maxime eſt; unde eam deinceps non notabimus, niſi ex noſtris MSS.

(2) In San-Blaſ. *Dnca poſt Albas*, quæ hodie prima eſt poſt Paſcha.

Digitized by Google

meum, & cognoſce loca clavorum, allel. & noli eſſe incredulus, ſed fidelis, all.

Dom. I. poſt Oct. Paſchæ. (1)

Ant. Miſericordia Dni plena eſt terra, alleluia: verbo Dni cœli firmati ſunt allel. allel.

Pſal. Exultate iuſti in Domino.

All. Confitemini Domino & invocate.

All. Confitemini Domino, quoniam bonus.

All. Surrexit Dnus vere & apparuit Simoni Petro: at illi narrabant eis, quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

All. Surrexit paſtor bonus, qui poſuit animam ſuam pro ovibus ſuis, & pro ſuo grege mori dignatus eſt.

Offert. Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.

Ad Comm. Ego ſum paſtor bonus, alleluia: & cognoſco oves meas, & cognoſcunt me meæ, alleluia, all.

Dom. II. poſt Oct. Paſchæ.

Ant. Iubilate Deo omnis terra, alleluia: pſalmum dicite nomini eius, alleluia, alleluia, alleluia.

℣. Dicite Deo, quam terribilia ſunt.

All. Redemptionem miſit Dnus.

All. Eduxit Dnus populum ſuum.

All. Obtulerunt diſcipuli Dno partem piſcis aſſi, & favum mellis.

All. Chriſtus reſurgens ex mortuis.

Off. Lauda anima mea Dominum: laudabo Dominum.

Ad Com. Modicum, & non videbitis me, alleluia: iterum modicum, & videbitis me, quia vado ad Patrem, alleluia, allel.

Dom. III. poſt Oct. Paſchæ.

Ant. Cantate Dno canticum novum, alleluia: quia mirabilia fecit Dominus, alleluia: ante conſpectum gentium revelavit iuſtitiam ſuam, allel. all.

℣. Salvavit.

All. Surrexit Dns vere, & apparuit Simoni Petro.

All. Benedictus es Dei Filius, qui reſurrexiſti a mortuis, miſerere nobis.

All. In die reſurrectionis. *Ut ſupra.*

Off. Iubilate Deo omnis terra. *Require in Dom. III. poſt Theophaniam.*

Ad Com. Dum venerit Paraclitus, Spiritus veritatis, ille arguet mundum de peccato, & de iuſtitia, & de iudicio, all. all.

Dom. IIII. poſt Oct. Paſchæ.

Ant. Vocem iucunditatis & nunciate (S. Blaſ. *adnuntiate*) & audiatur, alleluia: nunciate uſque ad extremum terræ: liberavit Dnus populum ſuum, allel.

℣. Iubilate Deo.

All. Confiteantur Domino.

All. Cantate Dno canticum.

All. Benedictus es. *All.* Chriſtus reſurgens.

Off. Benedicite gentes Dnum Deum noſtrum, & obaudite vocem laudis eius; qui poſuit animam meam ad vitam, & non dedit commoveri pedes meos: benedictus Dnus, qui non amovit orationem & miſericordiam ſuam a me, allel.

Ad Com. Cantate Dno, alleluia: cantate

(1) i. e. Dominica II. poſt Paſcha; & ſic de ſequentibus.

Digitized by Google

tate Dno & benedicite nomen eius: bene nuntiate de die in diem ſalutare eius, allel. allel. (a) *Poſtea Letania.* (1)

In Letania Maiore.

Ant. Exaudivit de templo ſancto ſuo vocem meam, alleluia: & clamor meus introivit in aures eius: allel. allel.

Pſalm. Diligam te Dne.

All. Confitemini Dno, quoniam.

Off. Confitebor Dno nimis in ore meo, & in medio multorum laudabo eum; quia adſtitit a dextris pauperis: ut ſalvam faceret a perſequentibus animam meam, allel.

Ad Com. Petite, & accipietis: quærite, & invenietis: pulſate, & aperietur vobis: omnis enim, qui petit accipit, & qui quærit, invenit: & pulſanti aperietur, alleluia.

In Vigl. Aſcenſa Dni.

Ant. Narrabo nomen tuum fratribus (2) meis, alleluia: in medio Eccleſiæ laudabo te, allel. all.

℣. Deus, Deus meus reſpice.

All. Qui poſuit fines tuos pacem, & adipe frumenti ſatiat te.

Off. Deus, Deus meus! ad te de luce vigilo.

Ad Com. Pater! cum eſſem cum eis, ego ſervabo (al. *ſervabam*) eos, quos dediſti mihi, alleluia: nunc autem ad te venio, non rogo ut tollas eos, ſed ut ſerves eos a malo, allel.

Alia.

(1) Letania quæ hic notatur poſt Dominicam quartam poſt octavas Paſchæ i. e. Dominicam quintam poſt paſcha, ad dies Rogationum pertinet, nihil morante inſcriptione ſequenti *in letania maiore*, quo quippe nomine etiam Rogationum dies veniſſe P. III. Diſquiſ. X. cap. 7. n. 14. oſtendimus.

(2) Varias huius Vigiliæ Miſſas exhibet THOMAS. T. V. opp. ac propriam etiam PAMELIUS; unde conſtat, olim hanc Vigiliam peculiari officio fuiſſe celebratam: quamquam iam tempore MICROLOGI ſec. XI. officium Dominicæ præcedentis in ea ſit repetitum, uti mox infra ex *San-Blaſiano* notabimus.

(a) *In Nat. S. Tiburtii & Valerii & Maximi.*

Ant. Sancti tui Dne benedicent te. *Pſal.* Exaltabo te Deus meus rex. *Offert.* Confitebuntur cœli. *Alii.* Lætamini in Dno. *Commun.* Gaudete iuſti.

De S. Georgio.

Ant. Protexiſti me Deus. *Pſal.* Exaudi Deus orationem. *Offert.* Confitebuntur cœli. *Commun.* Lætabitur iuſtus. *In* San-Gall. *apud* THOMASIUM *notatur etiam officium S. Marci Evang.* quod in cæteris deeſt.

In maiore letania. *Ut ſupra: ſequitur.* In Vigilia Aſcenſionis Dni: *Ut ſupra notatur.*

In Nat. S. Vitalis M.

Ant. Protexiſti me Deus. *Offert.* Repleti ſumus mane miſericordia tua, Alleluia: exultavimus & lætati ſumus, alleluia. *Commun.* Ego ſum vitis vera, & vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, Allel. Allel.

In Nat. Apoſtolorum Philippi & Iacobi.

Ant. Exclamaverunt ad te. *Pſal.* Exultate iuſti. *Offert.* Confitebuntur cœli. *Commun.* Tanto tempore.

In Nat. S. Alexandri, Eventii & Theoduli.

Ant. Clamaverunt iuſti, & Dnus exaudivit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos. *Pſal.* Benedicam Dno in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo. *Allel.* Gaudete iuſti. *Offert.* Repleti ſumus. *Commun.* Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt.

In San-Gall. Thomaſ. & Pamel. *notatur etiam Inventio S. Crucis.*

In Nat. S. Gordiani & Epimachi.

Ant. Sancti tui Dne. *Grad.* Iuſtorum animæ. ℣. Viſi ſunt oculis. *Offert.* Mirabilis Deus in Sanctis. *Commun.* Gaudete iuſti.

In Nat. S. Nerei, Achillei & Pancratii.

Ant. Ecce oculi Dni. *Pſal* Exultate iuſti. *Offert.* Confitebuntur cœli. *Comm.* Gaudete iuſti.

In dedicatione Eccleſiæ (S. Mariæ ad Martyres).

Ant. Terribilis eſt locus. *Pſal.* Quam dilecta. *All.* Dnus regnavit, decorem. *Grad.* Locus iſte a Deo factus eſt ℣. Deus cui adſtat. *Offert.* Domine Deus in ſimplicitate. *Comm.* Domus mea.

In Nat. S. Pudentianæ.

Ant. Dilexiſti iuſtitiam. *Grad.* Diffuſa eſt. *Offert.* Offerentur. *Comm.* Diffuſa eſt gratia.

Digitized by Google

Alia.
Ant. Vocem iocunditatis.
All. Omnes gentes plaudite.
Off. Aſcendit Deus.
Ad Com. Pater cum eſſem.

In Aſcenſa Dni.

Ant. Viri Galilæi, quid admiramini aſpicientes in cœlo? all.: quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlo, ita veniet: all. all. all.

Pſ. Exſurgat

Pſ. Omnes gentes plaudite. *Ita & alii.*

All. Aſcendit Deus in iubilatione, & Dnus in voce tubæ.

All. Dominus in Sinai in ſancto, aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem.

Off. (1) Viri Galilæi, quid admiramini aſpicientes in cœlo, hic Ieſus, qui adſumptus eſt in cœlo, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum aſcendentem in cœlum, all.

Ad Com. Pſallite Dno, qui aſcendit ſuper cœlos cœlorum ad Orientem.

Dom. poſt Aſcenſ. Dni.

Ant. Exaudi Dne vocem meam, qua clamavi ad te, all.: tibi dixit cor meum, quæſivi vultum tuum, vultum tuum Dne requiram: ne avertas faciem tuam a me, all. all.

Pſ. Dominus illuminatio mea.

All. Aſcendit Deus in iubilatione.

All. Dominus in Sina.

All. Confiteantur Dno omnia.

Off. Aſcendit Deus in iubilatione, & Dnus in voce tubæ.

Off. Viri Galilæi. *Alii.* Lauda anima mea Dominum.

Ad Com. Pater cum eſſem cum eis. (a)

In Sabb. Pentecoſt.
Ad Introitum Letania.

All. Confitemini Domino, quoniam bonus.

Tract. Laudate Dnum omnes.

Off. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur; & renovabis faciem terræ: ſit gloria Dni in ſecula, allel.

Ad Com. Ultimo feſtivitatis die dicebat Ieſus: qui in me credit, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ: hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, allel.

Dom. Sco Pentecoſt. Stat. ad Scm PETRUM.

Ant. Spiritus Dni replevit orbem terrarum, all. & hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis, allel. all. all.

Pſal. Exſurgat Deus.

Pſal. Confirma hoc Deus.

All. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ.

All. Spiritus Dni replevit orbem terrarum, & hoc, quod continet.

All. Veni ſancte Spiritus.

Off. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis, a templo tuo, quod eſt in Hieruſalem: tibi offerent reges munera, all.

Ad

(1) Ita & *San-Blaſ.* ac *San-Gall.* apud THOMAS. licet PAMELIUS cum aliis habeat Offert. *Aſcendit Deus.*

(a) *In Nat. S. Urbani Papæ.* *Ant.* Sacerdotes tui Dne. *Grad.* Inveni David. *Offert.* Veritas mea. *Comm.* Fidelis ſervus.

Ad Com. Factus eſt repente de cœlo ſonus advenientis ſpiritus vehementis.

Fer. II. Stat. ad Scm PETRUM.

Ant. Cibavit eos ex adipe frumenti, all. & de petra mellis (*melle*) ſaturavit eos. All. all.

Pſ. Exultate Deo.

All. Spiritus Dni replevit orbem.

All. Emitte Spiritum tuum.

All. Veni S. Spiritus.

Off. Portas cœli aperuit.

Ad Com. Spiritus ſanctus docebit vos, alleluia: quæcunque dixero vobis, all.

Feria III.

Ant. Accipite iocunditatem lætitiæ veſtræ, allel. gratias agentes Deo, allel. qui vos ad cœleſtia regna vocavit. All. all. all.

Pſ. Attendite popule meus.

All. Emitte. *All.* Veni S. Spiritus.

Off. Portas cœli aperuit Dominus, & plnit illis manna, ut ederent: panem cœli dedit illis, panem Angelorum manducavit homo.

Ad Com. Spiritus qui a Patre procedit, allel. ille me clarificabit, all. all.

Fer. IIII.

Ant. Deus, cum egredereris coram populo tuo, allel.; iter faciens eis, all.: habitans in illis. All. all.

Pſ Exurgat Deus.

All. Spiritus Dni replevit.

All. Paraclitus Spiritus.

Off. Emitte Spiritum tuum. (1)

Ad Com. Pacem meam do vobis, all. pacem relinquo vobis. All. all.

Feria V.

Ant. Spiritus Dni. *Ut ſupra in Feſto.*

Feria VI.

Ant. Repleatur os meum laude tua, all. ut poſſim cantare, all. Gaudebunt labia mea, cum cantavero tibi, all. all.

Pſ. In te Dne ſperavi.

All. Spiritus Dni. *Ut ſupra.*

Off. Lauda anima mea Dnm, laudabo Dnm in vita mea, pſallam Deo meo, quamdiu ero.

Ad Com. Spiritus ubi vult, ſpirat, all & vocem eius audis, all. & neſcis unde veniat, aut quo vadat, all. all. all.

Sabb.

Ant. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, all. per inhabitantem Spiritum eius in nobis, all. all.

Pſ. Dne Deus ſalutis meæ.

Grad. Allel. Emitte Spiritum. *Ut ſupra.*

All. Spiritus Dni replevit.

All. Paracletus Spiritus.

All. Sancti Spiritus Dne corda noſtra mundet infuſio, & ſui roris intima aſperſione fecundet. (2)

Hymnus. Benedictus es.

Tract. Laudate Dnm.

Off. Emitte Spiritum. *Ut ſupra.*

Ad Com. Non vos relinquam orphanos, veniam ad vos iterum all. & gaudebit cor veſtrum. All. all. (a)

Octava

(1) Hoc Offertorium, quod & *San-Gallenſe* habet, genuinum GREGORII eſſe, MICROLOGUS cap. 25. & 28. aſſerit. uti & Sabb. ſeq.

(2) Ita etiam in *San-Gallenſi* apud THOMASIUM legitur: ſed loco Grad. *Emitte*; habetur *Veni.*

(a) *In Nat. S. Marcellini & Petri.*

Ant. Clamaverunt iuſti. *Grad.* Clamaverunt. ℣. Iuxta eſt Dnus. *Offert.* Lætamini in Dno. *Commun.* Iuſtorum animæ

In Nat. SS. Primi & Feliciani.

Ant. Sapientiam Sanctorum. *Pſal.* Exultate iuſti. *Grad.* Iuſtorum animæ. *Offert.* Mirabilis Deus. *Comm.* Ego vos elegi de mundo

In Nat. S. Baſilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii.

Ant. Intret in conſpectu tuo. *Grad.* Vindica Dne. ℣. Poſuerunt mortalia. *Offert.* Exultabunt ſancti. *Comm.* Poſuerunt mortalia. *In San-Gallenſi* THOMASII notatur etiam officium SS. VITI, MODESTI, & CRESCENTIÆ.

In Nat. S. Marci & Marcelliani.

Ant. Salus autem iuſtorum. *Pſal.* Noli æmulari. *Grad.* Anima noſtra. *Offert.* Anima noſtra *Comm.* Amen dico vobis: quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Venite Benedicti Patris mei, poſſidete præparatum vobis regnum ab initio ſeculi.

In Nat. S. Gervaſii & Protaſii.

Ant. Loquetur Dnus pacem. *Pſal* Benedixiſti Dne. *Grad.* Iuſtorum animæ. *Offert.* Lætamini in Dno. *Comm.* Poſuerunt mortalia.

Digitized by Google

Octava Pentecoſtes.

Canitur ſicut in Die Pentecoſtes. (1)

Dom. poſt Oct. Pentecoſtes. (2)

Ant. Domine, in tua miſericordia ſperavi: exultavit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino, qui bona tribuit mihi.

Pſ. Uſquequo Domine.

Grad. Miſerere mihi Dne, quoniam infirmus ſum: ſana me Dne.

All. Confiteantur tibi Dne.

Grad. Ego dixi, Dne, miſerere mei, ſana animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Beatus, qui intelligit ſuper egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dns.

All. Dne Deus meus, in te ſperavi.

Off. Intende voci orationis meæ, Rex meus & Deus meus, quoniam ad te orabo Dne.

Ad Com. Narrabo omnia mirabilia tua, lætabor & exultabo in te, pſallam nomini tuo Altiſſime.

Dom. II. poſt Oct. Pentecoſtes.

Ant. Factus eſt Dns protector meus, & eduxit me in latitudinem: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Pſ. Diligam te.

Gr. Domine, Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra.

℣. Quoniam elevata eſt magnificentia tua ſuper cœlos.

All. Dominus regnavit, decorem.

Grad Ad Dnm, cum tribularer, clamavi, & exaudivit me.

All Deus iudex iuſtus, fortis & patiens, numquid iraſcitur per ſingulos dies?

Off. Domine convertere, & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.

Ad Com. Cantabo Dno, qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini tuo Altiſſime.

Dom. III. poſt Oct. Pentecoſt.

Ant. Reſpice in me, & miſerere mei Domine, quoniam unicus & pauper ſum ego: vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea, Deus meus.

Pſ. Ad te levavi.

Grad. Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, ſperent in te, qui noverunt te, quoniam non dereliquiſti quærentes te Dne.

℣. Quoniam non in finem oblivio erit pauperis, patientia non peribit.

All. Iudica Dne nocentes me.

Grad. Iacta cogitatum tuum in Dno, & ipſe te enutriet.

All. Diligam te Dne virtus mea, Dns firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus.

Off. Sperent in te omnes, qui noverunt nomen tuum Dne, quoniam non derelinquis quærentes te; pſallite Dno, qui habitat in Sion: quoniam non eſt oblitus orationem pauperum.

Ad Com. Ego clamavi, quoniam exaudiſti me Deus: inclina aurem tuam, & exaudi verba mea.

Dom. IIII. poſt Oct. Pentecoſt.

Ant.

---

(1) BERNO *Augienſis* de rebus ad miſſam ſpectantibus, ut Feſtum SS. Trinitatis ceu res nova impediretur, octavam Pentecoſtes celebrandam conſuluit ſec. XI. quod hic factum vides iam ſec. VIII. etſi *Romanus* ritus contrarius fuiſſe videatur. Vid. GRANCOL. in Br. R. L. II. cap. 8. &c. THOMASIN. Tr. I. des Feſtes. L. II. cap. 17.

(2) De Dominicis poſt Pent. vid. Diſquiſ. X. cap. V. pag. 975.

Ant. Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dnus defenſor vitæ meæ, a quo trepidabo? Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt & ceciderunt.

Pſ. Si conſiſtant.

Gr. Exurge Dne, non prævaleat homo, iudicentur gentes in conſpectu tuo.

℣. In convertendo inimicum.

Grad. Propitius eſto Dne peccatis noſtris, nequando dicant gentes, ubi eſt Deus eorum?

All. Dne in virtute tua lætabitur.

All. Quoniam Deus magnus, Dominus, & Rex magnus ſuper omnem terram.

Off. Inclina (S. Blaſ. *Inlumina*) oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adverſus eum.

Ad Comm. Dominus firmamentum meum, & refugium meum; liberator meus, Deus meus, adiutor meus.

Dom. V. poſt Oct. Pentecoſt.

Ant. Exaudi vocem meam, qua clamavi (*ad te*) adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. *Pſ.* Dns illuminatio.

Grad. Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſervo tuo.

℣. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto.

All. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem.

Grad. Protector noſter aſpice Deus, & reſpice ſuper ſervos tuos.

All. In te Dne ſperavi, non confundar in æternum.

Off. Benedicam Domino, qui tribuit mihi intellectum: providebam Domino (*um*) in conſpectu meo ſemper: quoniam a dextris eſt mihi, ne commovear.

Ad Comm. Unam petii a Dno, hanc requiram, ut inhabitem in domo Dni omnibus diebus vitæ meæ.

In Vigl. Sci IOHANN. Bapt.

Ant. Ne timeas Zacharias: Exaudita eſt oratio tua, & Heliſabeth uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Iohannes: & erit magnus coram Domino, & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex utero matris ſuæ, & multi in nativitate eius gaudebunt.

Pſal. Dne in virtute tua.

Grad. Fuit homo miſſus a Deo, cui nomen Iohannes erat.

℣. Hic venit, ut teſtimonium perhiberet de lumine, & pararet Domino plebem perfectam.

Off. Gloria & honore coronaſti eum.

Ad Comm. Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo: gloriam & magnum decorem impones ſuper eum Domine.

VIII. Kl. Iul. Natl. Sci IOHANNIS Baptiſtæ. (1)

Ant.

---

(1) Præter S. LUCIÆ & Natale Domini mox ſub ſequentia feſta, feſtum item *Purificationis* B. M. V. (niſi forte feſtum aliquod paginis exciſis poſt Dom. XII. poſt Pentec. habebatur) & S MICHAELIS, unum hoc eſt S. Io. *Baptiſtæ* inter feſta Sanctorum in Graduali vetuſtiſſimo: quod nimirum Conc. *Agathenſe* an. 506. can. 21. inter maximas connumeravit feſtivitates. Iam antea feſtum *hoc maiorum traditione* ſuſcepiſſe ſe S. AUGUSTINUS teſtatur T. V. opp. ſerm. 292. inter plures habitos ab eodem S. Patre ſermones *in Nativitate S. Io. Baptiſtæ.* Ubi etiam illud animadvertit, *poſt illum ſacroſanctum Domini Natalis diem nullius hominis nativitatem celebrari, niſi ſolius beati Ioannis Baptiſtæ. Quia*, ut loquitur alibi, nimirum ep. 174. *nullius illorum nativitas Domino militavit.* *Paulus* PACCIAUDI, qui de cultu S. IOANNIS *Baptiſtæ* antiquitates chriſtianas ſingulari libro explicavit, in ea ſententia eſt diſſ. I. cap. 1. primarium totius chriſtiani orbis templum *Romæ* ad ædes Lateranas in *Cælii* montis dorſo a CONSTANTINO extructum non tantum a proxi-

Digitized by Google

Ant. De ventre matris meæ vocavit me Dominus nomine meo: & poſuit os meum ut gladium acutum: ſub tegumento matris (*manus*) ſuæ protexit me, poſuit me quaſi ſagittam electam.

Pſal. Bonum eſt.

Grad. Priusquam te formarem in utero, novi te, & antequam exires de ventre, ſanctificavi te.

℣. Miſit manum ſuam, & tetigit os meum, & dixit mihi. (1)

All. Beatus vir qui timet Dominum.

All. Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.

Off. Iuſtus ut palma florebit, ſicut cedrus, quæ in Libano eſt, multiplicabitur.

Ad Comm. Tu puer propheta Altiſſimi vocaberis, præibis enim ante faciem Domini, parare vias eius.

Dom. VI. poſt Oct. Pentecoſt. (a)

Ant. Dominus fortitudo plebis ſuæ & protector ſalutarium Chriſti ſui eſt.

mo ei baptiſterio baſilicam *S. Ioannis* appellatam, *ſed*, inquit, *quia vere, quum ſanctiſſimis religionibus conſecraretur, Baptiſtæ patrocinio ſit comprobata.* Habetur hic unica miſſa in die, cum tamen in ſacramentario, cui in codice *Rhenaugienſi* Graduale hoc eadem manu adſcriptum legitur, duæ habeantur p. 139. &c unaque tertia in vigilia: quo de ritu laudatus PACCIAUDI agit Diſſ. IV. cap. 1. Terminabatur hic ultima ex tribus illis Quadrageſimis, de quibus diximus P. III. Diſquiſ. X. cap. 3. n. 14. ſed contenta quatuordecim tantum diebus, de quibus in Conc. *Saleganſtad.* an. 1022. ſtatuitur: *Ut quatuordecim dies omnes Chriſtiani ante feſtivitatem S. Iohannis Baptiſtæ in abſtinentia ſint carnis & ſanguinis, niſi infirmitate impediente, aut alicuius feſti ſolemnitate, quæ in illo epiſcopio celebris habetur, interdicente.* In antiquo ordine divini officii, ſec. XII. quem P. II. edemus, quædam praxis diverſitas notatur his verbis: *Duas autem varietates habet Eccleſia de ieiunio, quod ſit poſt reſurrectionem Domini. Secundum vulgarem uſum ſtatuunt terminum quadrageſimalis ieiunii in feſtivitate ſancti Iohannis, aliqui volunt omnes dies habere in lætitia.* Quod non eſt intelligendum de ieiunio Vigiliæ nativitatis S. Io. *Bapt.* quod ſpecialiter notatur in laudato paulo ante antiquiſſimo ſacramentario *Rhenaugienſi*, cui Graduale hoc annectitur, his verbis: *Ieiunium S. Ioannis Baptiſtæ.* Additur miſſa pro more vigiliarum, quæ ipſa in ſacram. *Gelaſiano & Gallicanis* deſideratur. Ut iam P. III. Diſquiſ IX. cap. 2. n. 19. p. 899. notavimus.

(1) Nempe more antiquo poſt ℣. ſemper repetebatur Graduale, & ſic ſenſus ſatis concinnus prodibat; qui nunc neglecto hoc ritu ſæpe hic & alibi hiat.

(a) *In Nat. SS. Iohannis & Pauli.*

Ant. Multæ tribulationes iuſtorum. *Pſal.* Benedicam Dno. *Grad.* Ecce quam bonum. ℣. Sicut unguentum. ℣. Mandavit Dnus benedictionem & vitam uſque in ſeculum. *Offert.* Gloriabuntur in te. *Comm.* Etſi coram hominibus.

In Vig. S. Petri & Pauli.

Ant. Dicit Dnus Petro. *Pſal.* Cœli enarrant. *Grad.* In omnem terram. ℣. Cœli enarrant. *Offert.* Mihi autem nimis. *Comm.* Simon Iohannis diligis me.

In Nat. S. Petri.

Ant. Nunc ſcio vere. *Pſal.* Dne probaſti me. *Grad.* Conſtitues eos. ℣. Pro patribus tuis. Allel. Tu es Petrus. ℣. Beatus es Simon Petre, quia caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis. *Offert.* Conſtitues eos. *Comm.* Tu es Petrus.

De S. Paulo.

Ant. Scio cui credidi. *Pſal.* Cœli enarrant. *Grad.* Qui operatus eſt Petro. ℣. Gratia Dei. *Offert.* In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. *Comm.* Amen dico vobis, quod vos.

In Nat. S. Proceſſi & Martiniani.

Ant. Iudicant ſancti gentes, & dominantur populis, regnabit Dnus Deus illorum in perpetuum. *Pſal.* Exultate iuſti. *Grad.* Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. ℣. Cantate Dno canticum novum, laus eius in eccleſia Sanctorum. *Offert.* Gloriabuntur. *Comm.* Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium.

In Nat. VII. Fratrum.

Officium hoc etiam in Pameliano præcedit octavam Apoſtolorum.

Ant. Laudate pueri Dnum. *Pſal.* Sit nomen Dni. *Grad.* Vindica Dne. All. Laudate pueri. *Offert.* Anima noſtra. *Commun.* Quicumque fecerit voluntatem.

In Octava Apoſtolorum.

Ant. Sapientiam Sanctorum. *Grad.* Iuſtorum ani-

Digitized by Google

eſt. Salvum fac populum tuum Domine, & benedic hereditati tuæ, & rege eos uſque in ſeculum.

Pſal. Ad te Domine clamabo.

Grad. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Dni.

℣. Ut videam voluntatem.

All. Dominus regnavit, decorem.

Grad. Convertere Domine aliquantulum, & deprecare ſuper ſervos tuos.

℣. Domine refugium factus es nobis a generatione & progenie.

All. Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis.

Off. Perfice greſſus meos.

Ad Comm. Circuibo & immolabo in tabernaculo eius hoſtiam iubilationis cantabo, & pſalmum dicam Domino.

Dom. VII. poſt Oct. Pentecoſt. (1)

Ant. Omnes gentes plaudite manibus. ℣. Subiecit.

Grad. Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos.

℣. Accedite ad eum, & inluminamini.

All. Venite exultemus Domino.

All. Eripe me de inimicis meis Dne, & ab nſurgentibus in me libera me.

Off. Sicut in holocauſtum arietum & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pinguium: & ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, ut placeat tibi, quia non eſt confuſio confidentibus in te, Domine.

Ad Comm. Inclina aurem tuam, adcelera, ut eruas me.

Dom. VIII. poſt Oct. Pentecoſt.

Ant. Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui: ſecundum nomen tuum Deus, ita & laus tua in fines terræ: iuſticia plena eſt dextera tua.

Pſal. Magnus Dominus.

Grad. Liberaſti nos Domine ex adfligentibus nos, & eos, qui nos oderunt, confudiſti.

℣. In Deo laudabimus tota die, & in nomine tuo confitemur (*confitebimur in ſecula*).

All. Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante Deum.

Grad.

(1) In *Othobon.* deeſt hæc Dnca, officium tamen habetur Dnca 22. p. Pent. deficit quoque in Antiphonario *Romano*, aliisque Codd. Mſſ. in quibus ſequens Dominica VIII. dicitur VII. & ſic deinceps; unde etiam Dominicarum poſt Pentecoſten diverſitas quædam conſurgit.

mæ. *Offert.* Exultabunt Sancti. *Comm.* Iuſtorum animæ.

In Nat. S. Praxedis Virg.

Ant. Loquebar de teſtimoniis. *Grad.* Dilexiſti iuſtitiam. *Offert.* Diffuſa eſt gratia. *Comm.* Simile eſt regnum.

In Nat. S. Apollinaris Epi & Mart.

Ant. Sacerdotes Dei. *Grad.* Inveni David. *Offert.* Veritas mea. *Comm.* Semel iuravi in Sancto meo, ſemen eius in æternum manebit, & ſedes eius ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna perfecta in æternum, & teſtis in cœlo fidelis.

In Nat. S. Felicis Papæ & Mart. Simplicii, Fauſtini & Beatricis.

Inſcriptio quidem eſt de omnibus, ſed officium de ſolo S. Felice, uti & in San-Gall. Thomaſ.

Ant. Sacerdotes eius induant ſalutare, & Sancti eius exultatione exultabunt. *Pſal* Memento Dne David. *Grad.* Sacerdotes eius induant . . . exultabunt. ℣. Illuc producam cornu David, paravi lucernam Chriſto meo. *Offert.* Veritas mea. *Comm.* Beatus ſervus.

S. Abdon & Sennes.

Ant. Intret in conſpectu. *Grad.* Glorioſus Deus. *Offert.* Mirabilis Deus. *Comm.* Poſuerunt mortalia. *In San-Gall.* THOMASII *notatur feſtum S. Petri ad Vincula, quod in noſtro deeſt.*

Digitized by Google

Grad. Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum refugii, ut ſalvum me facias.

℣. Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate.

All. Te decet hymnus Deus in Sion, & tibi reddetur votum in Hieruſalem.

Off. Populum humilem ſalvum facias, & oculos ſuperborum humiliabis, quoniam quis Deus præter te Domine?

Ad Comm. Guſtate, & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus. Beatus vir, qui ſperat in eo.

Dom. VIIII. poſt Oct. Pentecoſt.

Ant. Ecce Deus adiuvat me, & Dominus ſuſceptor eſt animæ meæ: averte mala inimicis meis, & in veritate tua diſperde illos, protector meus Dne.

Pſal. Deus in nomine tuo.

Grad. Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis.

℣. Eructavit cor meum.

All. Cantate Domino canticum.

Grad. (1) Domine, Dominus noſter.

℣. Quoniam elevata eſt.

All. Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei.

Off. Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, & dulciora ſuper mel & favum: nam & ſervus tuus cuſtodit ea.

Ad Comm. Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis, dicit Dominus.

Dom. X. poſt Oct. Pentecoſt.

Ant. Dum clamarem ad Dominum, exaudivit vocem meam, ab his qui adpropinquant mihi: & humiliavit eos, qui eſt ante ſecula, & manet in æternum: iacta cogitatum tuum in Domino, & ipſe te enutriet.

Pſal. Exaudi Deus.

Grad. Benedictus Dominus Deus Iſrael.

℣. Suſcipiens (*ant*) montes pacem.

All. Iubilate Deo omnis terra.

Grad. Cuſtodi me Dne.

All. Exultate.

Offert. Ad te Domine levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubeſcam: neque irrideant me inimici mei: etenim univerſi, qui te expectant, non confundentur.

Ad Comm. Acceptabis ſacrificium iuſtitiæ, oblationes, & holocauſta, ſuper altare tuum Dne.

Dom. XI. poſt Oct. Pentecoſt.

Ant. Deus in loco ſancto ſuo: Deus inhabitare facit unanimes in domo:

(1) Gradualia tam huius quam ſequentium Dncarum ex codice *San-Blaſiano* deſumta nec in *Pamel.* nec in *Othobon.* extant ſuo ordine, ſed plerumque Dominica inſequente primum.

In Nat. S. Stephani Epi & Mart.

Ant. Iuſtus ut palma florebit. *Pſal.* Bonum eſt confiteri. *Grad.* Iuſtus non conturbabitur, quia Dnus firmat manum eius. ℣. Tota die miſeretur & commodat, & ſemen eius in benedictione erit. *Offert.* Inveni David. *Comm.* Dne quinque talenta.

In Nat. S. Sixti, Feliciſſimi & Agapiti.

Ant. Salus autem. *Grad.* Iuſtorum animæ. *Offert.* Gloriabuntur in te. *Comm.* Ego vos elegi.

In Nat. S. Cyriaci & ſociorum eius.

Ant. Timete Dnum omnes Sancti eius. *Pſal.* Benedicam Dno. *Grad.* Timete Dnum. ℣. Inquirentes autem. *Offert.* Lætamini in Dno. *Comm.* Signa eos, qui in me credunt.

In Vigilia S. Laurentii Mart.

Ant. Diſperſit dedit pauperibus. *Pſal.* Beatus vir qui timet. *Grad.* Diſperſit dedit. ℣. Potens in terra. *Off.* Oratio mea munda eſt. *Com.* Qui vult venire.

Digitized by Google

mo: ipſe dabit virtutem & fortitudinem plebi ſuæ.

Pſal. Exſurgat Deus.

Grad. Sciant gentes, quoniam nomen tibi Deus: tu ſolus altiſſimus ſuper omnem terram.

℣. Deus meus pone illos ut rotam, ſicut ſtipulam ante faciem venti.

All. Confitemini Domino, & invocate nomen eius, adnuntiate.

Grad. In Deo ſperavit cor.

All. Dne Deus ſalutis meæ.

Offert. Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me: Domine clamavi ad te, & ſanaſti me.

Ad Comm. Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis frugum tuarum, ut impleantur horrea tua ſaturitate, & vino torcularia laudabunt (*redundabunt*).

Dom. XII. poſt Oct. Pentecoſt.

Ant. Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuvandum me feſtina: confundantur & revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam.

Pſal. Avertantur retrorſum.

Grad. Protector noſter aſpice Deus.

Deficientibus hic in codice Rhenaugienſi aliquot paginis, ex San-Blaſiano Ducas ſequentes ſupplemus.

Grad. Benedicam Dno in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.

℣. In Dno laudabitur anima mea, audiant manſueti, & lætentur.

All. Dne refugium factus es nobis a generatione & progenie.

Offert. Precatus eſt Moyſes.

Ad Comm. De fructu operum tuorum Dne ſatiabitur terra, ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis: ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.

Dom. XIII.

Ant. Reſpice Dne in teſtamentum tuum, & animas pauperum tuorum ne derelinquas in finem. Exurge Dne, & iudica cauſam tuam: & ne obliviſcaris voces quærentium te.

Pſal. Ut quid Deus repuliſti.

Grad. Reſpice Dne in teſtamentum.

All. Venite exultemus Dno, iubilemus Deo ſalutari noſtro.

℣. Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei.

Offert. In te ſperavi Dne: dixi, tu es Deus meus, in manibus tuis tempora mea.

Ad Comm. Panem de cœlo dediſti nobis Dne, habentem omne delectamentum, & omnem ſaporem ſuavitatis.

Dom. XIV.

Ant. Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui: quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia.

Pſal.

In Nat. S. Laurentii M.

Ant. Confeſſio & pulcritudo. *Pſal.* Cantate Dno canticum. *Grad.* Probaſti Dne. ℣. Igne me examinaſti. *All.* Laurentius bonum opus operatus eſt. *Offert.* Confeſſio & pulcritudo. *Comm.* Qui mihi miniſtrat.

In Nat. S. Tiburtii M.

Ant. Iuſtus ut palma. *Grad.* Os iuſti meditabitur ſapientiam. ℣. Lex Dei eius. *Offert.* In virtute tua. *Comm.* Poſuiſti Dne.

In Nat. S. Hippolyti & ſociorum eius.

Ant. Iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei, delectentur in lætitia. *Pſal.* Exurgat Deus, & diſſipentur. *Grad.* Iuſtorum animæ. *Offert.* Anima noſtra. *Comm.* Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui vos perſequuntur.

In Nat. S. Euſebii Confeſſoris.

Ant. Os iuſti. *Grad.* Os iuſti. *Offert.* Deſiderium animæ eius. *Comm.* Beatus ſervus. *In San-Gall. Thomaſ. inſeritur hic Vigilia Aſſumtionis cum ſuo officio.*

In Aſſumtione S. Mariæ.

Ant. Vultum tuum. *Grad.* Propter veritatem. ℣. Audi filia. *Offert.* Offerentur regi. *Comm.* Dilexiſti iuſtitiam.

In Oct. S. Laurentii.

Officium hoc a Pameliano *diverſum, idem eſt, quod in* Thomaſiano *primo loco ponitur in ipſo feſto.*

Ant. Probaſti Dne cor meum. *Pſal.* Exaudi Dne

Digitized by Google

Pſal. Quam dilecta tabernacula.
Grad. Bonum eſt confidere.
All. Quoniam Deus magnus Dns; & rex magnus ſuper omnem terram.
Offert. Immittet Angelus Dni.
Ad Comm. Panis, quem.

Dom. XV.

Ant. Inclina Dne aurem tuam ad me, & exaudi me, ſalvum fac ſervum tuum Deus meus ſperantem in te: miſerere mihi Dne, quoniam ad te clamavi tota die.
Pſal. Lætifica animam ſervi tui.
Grad. Bonum eſt confiteri Domino.
All. Confitemini Dno, & invocate nomen eius: annuntiate inter gentes opera eius.
Offert. Expectans expectavi Dnm.
Ad Comm. Qui manducat carnem.

Dom. XVI.

Ant. Miſerere mihi, Dne, quoniam ad te clamavi tota die, quia tu Dne ſuavis & mitis es, & copioſus in miſericordia omnibus invocantibus te.
Pſal. Inclina Dne aurem tuam.
Grad. Timebunt gentes.
All. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, cantabo & pſallam in gloria mea.
Offert. Dne in auxilium.
Ad Comm. Dne memorabor iuſtitiæ.

Dom. XVII.

Ant. Iuſtus es Domine &c. (1)

Feria IIII.

Ant. Exultate Deo Adiutori nro, iubilate Deo Iacob; ſumite pſalmum iucundum cum cithara. Canite initio menſis tuba, quia præceptum in Iſrael eſt, & iudicium Deo Iacob.
Pſal. Teſtimonium in Ioſeph poſuit.
Grad. Tribulationes cordis mei.
Grad. Quis ſicut Dns Deus noſter.
℣. Suſcitans a terra inopem.
Offert. Meditabar.
Ad Comm. Comedite pinguia, & bibite muſtum, & mittite partes eis, qui non præparaverunt ſibi, ſanctus enim dies Dni eſt: nolite contriſtari, gaudium etenim Dni eſt fortitudo nra.

Fer. VI.

Ant. Lætetur cor quærentium.
Grad. Convertere Dne.
Offert. Benedic anima.
Ad Comm. Aufer a me opprobrium & contemtum, quia mandata tua exquiſivi Dne, nam & teſtimonia tua meditatio mea eſt.

Sabbato.

Ant. Venite adoremus Deum, & procidamus ante Dnm: ploremus ante eum, qui fecit nos, quia ipſe eſt Dns Deus noſter.
Pſal. Præoccupemus faciem eius. *Grad.*

(1) Eſt idem prorſus officium, quod in *Rhenaug.* ponitur Dom. XVIII. ſeq. in PAMELIO autem & THOMASIO eodem modo ut in *Blaſiano* notatur. Forte in exciſis paginis officia IV. Temporum poſt Dominicam XVI. notata erant, & ſequens Dom. XVII. officio proprio vacabat. Neque enim certæ hebdomadæ aſſignatæ erant iſtæ autumnalis ieiunii feriæ. Nos omnium Dominicarum officia ex Mſc. manco exhibuiſſe contenti, in re incerta haud immoramur. Exinde tamen *Rhenaugienſis* in Dominicarum ſupputatione deinceps una ſemper excedit; ut tamen omnes & editi & Mſſ. Dominicas XXIII. numerent, cum *Rhenaugienſis* officium Dominicæ ultimæ poſt Pentecoſten ad Dominicam V. ante Natale Domini reponat.

iuſtitiam. *Grad.* Probaſti Dne. *Offert.* Oratio mea munda. *Comm.* Qui mihi miniſtrat.

In Natale S. Agapiti.

Ant. Lætabitur iuſtus. *Grad.* Poſuiſti Dne. *Offert.* In virtute tua. *Comm.* Beatus ſervus.

In Nat. SS. Timothei & Symphoriani.

Ant. Salus autem. *Grad.* Iuſtorum animæ. *Offert.* Mirabilis Deus. *Comm.* Ego vos elegi.

In San-Gallenſ. Thomaſ. *habetur officium vigiliæ S. Bartholomæi: uti infra feſtum decollationis S. Ioannis Baptiſtæ.*

In Nat. S. Hermetis M.

Ant. Iuſtus non conturbabitur, quia Dnus firmat manum eius: tota die miſeretur & commodat, & ſemen eius in benedictione erit; in æternum conſervabitur. *Pſal.* Noli æmulari. *Grad.* Iuſtus ut palma. *Offert.* In virtute tua. *Comm.* Poſuiſti Dne.

De S. Sabina.

Ant. Cognovi Dne, quia æquitas. *Pſal.* Beati immaculati in via. *Grad.* Specie tua. *Offert.* Filiæ regum. *Comm.* Principes perſecuti ſunt me gratis, & a verbis tuis formidavit cor meum: lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa: concupivit anima mea teſtimonia tua Dne, & dilexit ea vehementer.

In Nat. SS. Felicis & Adaucti.

Ant. Sapientiam Sanctorum. *Grad.* Glorioſus Deus.

Digitized by Google

Grad. Propitius eſto.
Grad. Protector noſter.
Grad. Ad Dnm cum tribularer.
Grad. Dirigatur oratio.
Cant Benedictus es Dne.
Tract. Laudate Dnm.
Offert. Dne Deus ſalutis meæ.
Ad Comm. Menſe ſeptimo feſta celebrabitis, cum in tabernaculis habitare fecerim filios Iſrael, cum educerem eos de terra Ægypti, ego Dns Deus veſter.

In dedicatione S. Michaelis.

Ant. Benedicite Dno omnes Angeli eius, potes virtutes, qui facitis verbum eius ad audiendam vocem ſermonis eius.

Pſal. Benedic anima mea Dno.
Grad. Benedicite Dno. *Ut ſupra.*
All. Concuſſum eſt mare & contremuit terra, ubi Archangelus Michael deſcendebat de cœlo.

Offert. Stetit Angelus iuxta aram (1) templi habens turabulum (*thuribulum*) aureum, & data ſunt ei incenſa multa, & aſcendit fumus aromatum in conſpectu Dei.

Ad Com. Benedicite omnes Angeli eius Dnm, hymnum dicite, & ſuperexaltate eum in ſecula. (a)

Dom.

(1) Hocce fragmentum ad feſtum S. MICHAELIS pertinet, quod etiam in ſacramentariis *Gregoriano*, *Gelaſiano* & *Leonino* habetur ſub titulo dedicationis baſilicæ Angeli in *Salaria*. Hinc autem defectus antiquiſſimi codicis noſtri ſe prodit uſque ad finem menſis *Septembris*; unde etiam feſtum Nativitatis B. M. V. complecti potuit, quod in ſtatutis S. BONIFACII inter feſtivitates *Sabbatizandas* notatur VI. *Idus Septembris diem unum.* Extat etiam in ſacramentario *Gelaſiano* & antiquiſſimis *Gregorianis*, quos aliaque monumenta eccleſiaſtica recenſet *Ed.* MARTENIUS de ant. eccl. rit. T. III. L. IV. cap. 34. Contra *Thomaſinum*, qui feſtum hoc ſec. IX. nondum inſtitutum fuiſſe contendit.

Offert. Lætamini in Dno. *Comm.* Quod dico vobis in tenebris.

In Nat. S. Adriani Mart.

In San-Gall. Thomaſ. notatur etiam officium Nativitatis B. M.

Ant. Lætabitur iuſtus. *Grad.* Dne præveniſti eum. ℣. Vitam petiit a te. *Offert.* Gloria & honore. *Comm.* Poſuiſti Dne.

In Nat. S. Gorgonii Mart.

Ant. Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. *Pſal.* Dne Dnus noſter. *Grad.* Poſuiſti Dne. *Offert.* Poſuiſti Dne in capite eius coronam de lapide pretioſo, vitam petiit a te, (*&*) tribuiſti ei, all. *Comm.* Qui vult venire.

In Exaltatione S. Crucis.

Ant. Nos autem. *Grad.* Chriſtus factus eſt. *Alleluia.* Dulce lignum. *Offert.* Protege Dne plebem tuam. *Comm.* Nos autem gloriari oportet in cruce Dni noſtri Ieſu Chriſti.

In San-Gall. cit. habetur etiam officium SS. Cornelii & Cypriani : & infra SS. Euphemiæ, Luciæ & Geminiani.

In Nat. S. Nicomedis M.

Ant. Lætabitur iuſtus. *Grad.* Poſuiſti Dne. *Offert.* Gloria & honore. *Comm.* Qui vult.

In Vigil. S. Matthæi Apoſt.

Ant. Ego autem ſicut oliva. *Grad.* Iuſtus ut palma. *Offert.* Gloria & honore. *Comm.* Poſuiſti Dne.

In die Sancto.

Ant. Os iuſti. *Grad.* Beatus vir qui timet. *Offert.* Inveni David. *Comm.* Magna eſt gloria.

In Nat. S. Coſmæ & Damiani.

Ant. Sapientiam Sanctorum. *Grad.* Clamaverunt iuſti. *Offert.* Gloriabuntur. *Comm.* Poſuerunt mortalia.

In laud. San-Gall. occurrit etiam officium vigiliæ S. Michaelis.

(a) *Codex San-Gallenſis apud* THOMASIUM *hæc habet officia, ſcil. S. Marci Conf. SS. Sergii & Bacchi. SS. Dionyſii & Ruſtici, S. Caliſti Papæ, S. Lucæ Evangeliſtæ, & ad finem menſis vigiliæ & commemorationis omnium Sanctorum; quæ omnia in noſtro San-Blaſiano, utpote antiquiore, deſunt.*

In Vigil. Apoſtolorum Simonis & Iudæ.

Ant. Intret in conſpectu tuo. *Grad.* Vindica Dne. *Offert.* Exultabunt Sancti. *Comm.* Iuſtorum animæ.

In Nat. eorundem.

Ant. Mihi autem nimis honorati ſunt. *Pſal.* Dne probaſti me. *Grad.* Nimis honorati ſunt. ℣. Dinumerabo eos. *Offert.* In omnem terram. *Comm.* Vos qui ſecuti eſtis me.

In Nat. IIII. Coronatorum.

Ant. Intret in conſpectu tuo. *Grad.* Vindica Dne. *Offert.* Anima noſtra. *Comm.* Poſuerunt mortalia.

In Nat. S. Theodori M.

Ant. In virtute tua. *Grad.* Dne præveniſti eum. *Offert.* Gloria & honore. *Comm.* Poſuiſti Dne.

Dom. XVIII. poſt Oct. Pentecoſt. (1)

Ant. Iuſtus es Dne, & rectum iudicium tuum: fac cum ſervo tuo ſecundum miſericordiam tuam.

Pſal. Beati immaculati.

Grad. Bonum eſt confiteri (l. *confidere in*) Dno, quam confiteri in homine.

℣. Bonum eſt ſperare in Domino.

All. Laudate nomen Domini, laud.

Grad. Beata gens, cuius eſt Dnus Deus eius.

All. In exitu Iſrael de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro, facta eſt Iudæa ſanctificatio eius, Iſrael poteſtas eius.

Off. Oravi Deum meum ego Daniel, dicens: exaudi Domine preces ſervi tui: illumina faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum: & propitius intende populum iſtum, ſuper quem invocatum eſt nomen tuum, Deus.

Ad Comm. Vovete, & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu eius adferatis (*adfertis*) munera: terribili & ei qui auferat (*aufert*) ſpiritum principum: terribili apud reges terræ.

Dom. XVIIII. poſt Oct. Pentecoſt. (2)

Ant. Da pacem Domine ſuſtinentibus te, ut prophetæ tuæ (l. *tui*) fideles inveniantur: exaudi preces ſervi tui, & plebis tuæ Iſrael.

Pſal. Beati immaculati.

Pſal. Lætatus ſum in his.

Grad. Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.

℣. Fiat pax in virtute.

All. Laudate Dominum, quoniam benignus.

All. Dilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem meam.

Off. Sanctificavit Moyſes altare Domino, offerens ſuper illud holocauſtum, immolans victimas: fecit ſacrificium matutinum Domino Deo in odorem ſuavitatis, in conſpectu filiorum Iſrael.

Ad Comm. Tollite hoſtias & introite in atria eius, adorate Dominum in aula ſancta eius.

Dom. XX. poſt Oct. Pentecoſt. (3)

Ant. Salus populi ego ſum, dicit Dnus: de quacunque tribulatione clamaverint ad me, exaudiam eos, & ero illorum Dnus in perpetuum.

Pſal. Beati immaculati.

Grad.

(1) In *San-Blaſ.* eſt Dominica XVII.

(2) In *San-Blaſ.* aliiſque eſt Dominica XVIII.

(3) In *San-Blaſiano* & aliis eſt Dominica XIX.

In Nat. S. Martini Epi.

Ant. Sacerdotes tui Dne. *Grad.* Ecce Sacerdos. *All.* Iuravit Dnus. *Offert.* Inveni David ſervum meum. *Comm.* Dne quinque talenta.

In Nat. S. Ceciliæ V.

Ant. Loquebar de teſtimoniis tuis. *Grad.* Audi filia. ℣. Specie tua. *Offert.* Offerentur. *Comm.* Confundantur ſuperbi.

In Nat. S. Clementis.

Ant. Dicit Dnus: ſermones meos. *Pſal.* Miſericordias Dni in æternum cantabo. *Grad.* Iuravit Dnus. *Offert.* Veritas mea. *Comm.* Beatus ſervus.

In San-Gall. cit. etiam officium de S. Felicitate.

In Nat. S. Chryſogoni M.

Ant. Iuſtus non conturbabitur. *Grad.* Gloria & honore. ℣. Quoniam elevata eſt. *Offert.* Deſiderium animæ. *Comm.* Poſuiſti Dne.

In vigilia S. Andreæ Apoſtoli.

Ant. Dominus ſecus mare Galileæ. *Pſal.* Cœli enarrant. *Grad.* Nimis honorati ſunt. *Offert.* Gloria & honore. *Comm.* Dicit Andreas Simoni.

In die ſancto.

Ant. Mihi autem nimis. *Grad.* Conſtitues eos. *Allel.* Dilexit Andream Dnus. *Offert.* Mihi autem. *Comm.* Venite poſt me. *Hic in cit. San-Gallenſi ſequuntur officia de S. Nicolao, octava S. Andreæ, de S. Damaſo Pa-*

Grad. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo Domine.

℣. Elevatio manuum mearum, ſacrificium veſpertinum.

All. Confitebor tibi Domine.

All. Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi.

Off. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me Domine, & ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſalvum me fecit dextera tua.

Ad Comm. Tu mandaſti, mandata tua cuſtodire nimis. Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodiendas iuſtificationes tuas.

Dom. XXI. poſt Oct. Pentecoſt. (1)

Ant. Omnia, quæ feciſti nobis Domine, in vero iudicio feciſti, quia peccavimus tibi, & mandatis tuis non obedivimus: ſed da gloriam nomini tuo, & fac nobiſcum ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ.

Pſal. Beati inmaculati.

Grad. Eripe me Domine de inimicis meis: doce me facere voluntatem tuam.

℣. Liberator meus Dne de gen.

All. Adorabo ad templum ſanctum.

Grad. Oculi omnium.

All. Dextera Dei fecit virtutem, dextera Dni exaltavit me.

Off. Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion.

Ad Comm. Memento verbi tui ſervo tuo, in quo mihi ſpem dediſti: hæc me conſolata eſt in humilitatem meam.

Dom. XXII. poſt Oct. Pentecoſt. (2)

Ant. In voluntate tua Domine univerſa ſunt poſita: & non eſt, qui poſſit reſiſtere voluntati tuæ: tu enim feciſti omnia, cœlum & terram, & univerſa, quæ cœli ambitu continentur, Dominus univerſorum tu es.

Pſal. Beati immaculati.

Grad. Domine refugium tu factus es nobis a generatione in progenie.

℣. Priusquam montes fierent, &.

All. Lauda anima mea Dominum.

All. De profundis clamavi ad te Dne, Dne exaudi vocem meam.

Off. Vir erat in terra nomine Iob, ſimplex & rectus, ac timens Deum, quem ſatan petiit, ut tentaret, & data eſt ei poteſtas a Dno in facultates, & in carnem eius:

---

(1) In *San-Blaſiano* & aliis eſt Dominica XX.

(2) In *San-Blaſiano* ac cæteris eſt Dominica. XXI.

---

pa, vigilia & feſto S. Thomæ, dedicatione, ordinatione Epiſcopi, aliaque votiva.

Alleluia & Verſus feſtivales.

Dominicales THOMASIUS T. V. opp. pag. 227. exhibuit ex *San-Gallenſi* antiquiore. Nos hic feſtivales damus ad calcem codicis *Blaſiani* adiectos, paucos quidem illos, a novitate tamen illa alienos, qua in ſequioris ævi codicibus Verſus illi non ex ſcripturis, ſed plerumque ex actis ſuppoſititiis aut aliunde aſſumebantur.

De Apoſtolis.

Alleluia. ℣. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos & poſui vos; ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.

Alleluia. ℣. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.

Allel. ℣. Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.

Alleluia. ℣. In omnem terram exivit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.

Alleluia. ℣. Per manus autem Apoſtolorum, fiebant ſigna & prodigia multa in plebe.

De Martyribus.

Alla. ℣. Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum.

Alla. ℣. Iuſti epulentur, exultent in conſpectu Dei, delectentur in lætitia.

Digitized by Google

eius: perdiditque omnem ſubſtantiam ipſius, & filios, carnem quoque eius gravi ulcere vulneravit.

Ad Com. In ſalutari tuo anima mea, & in verbo tuo ſperavi: quando facies de perſequentibus me iudicium? iniqui perſecuti ſunt me, adiuva me Dne Deus meus.

Dom. XXIII. poſt Oct. Pentecoſt. (1)

Ant. Si iniquitatem obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? quia apud te propitiatio eſt Dne Deus noſter.

Pſal. De profundis.

Grad. Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in unum.

℣. Sicut unguentum in capite.

All. Qui ſanat contritos corde. *Hic iterum ex Codice tota pagina reſciſſa eſt* (2)

All. Lauda anima mea Dnm.

Offert. Recordare mei, Dne, omni potentatui dominans, da ſermonem rectum & bene ſonantem in os meum, ut placeant verba mea in conſpectu principis.

Ad Com. Dico vobis, gaudium eſt Angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. (3)

De Sancta Trinitate.

Ant. Benedicta ſit ſancta Trinitas. *Pſ.* Benedicamus Patri & Filio cum ſancto Spiritu, laudemus & ſuperexaltemus eum in ſecula. *Grad.* Benedictus es Dne, qui intueris abyſſos, & ſedes ſuper Cherubim. ℣. Benedictus es in throno regni tui, & laudabilis in ſecula. *Offert.* Benedictus ſit Deus Pater. *Commun. deeſt.*

Pro

(1) In *San-Blaſiano* aliisque eſt Dominica XXII.

(2) Sequitur autem in hoc antiquiſſimo Codice, & quidem immediate ante ipſum Sacramentarium ſine titulo *liber pænitentialis* ſeu *iudicium pænitentis*, ut inſcribi ſolet, quod MABILLONIUS in præf. Sect. VIII. de *Bobienſi* Sacramentario notavit, *in fine* (*quod*, inquit, *rariſſimum eſt*, *& pene ſingulare*) haberi librum pœnitentialem. Noſtrum hunc, quia volumine proximo monumenta liturgica de adminiſtratione Sacramentorum ſuo ordine dabimus, eo reiecimus edendum.

(3) Sequitur hic in *Blaſiano* Dominica XXIII. cuius officium idem eſt, quod ab initio Gradualis Dom. V. ante Natale D. habetur: *Dicit Dnus.* Subiungimus hic ex eodem *San-Blaſiano* officium de S. Trinitate, & pro defunctis, prout etiam *in Pameliano* ac *Thomaſiano* & *Gregoriano* T. III. opp. notantur.

Alla. ℣. Exultent iuſti in conſpectu Dei, delectentur in lætitia.

Alla. ℣. Lætamini in Domino, & exultate iuſti: & gloriamini omnes recti corde.

Alla. ℣. Te Martyrum candidatus laudat exercitus Domine.

Alla. ℣. Mirabilis Dominus noſter in Sanctis ſuis.

Alla. ℣. Sancti tui Domine benedicent te, gloriam regni tui dicent.

Alla. ℣. Iuſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum.

Alla. ℣. Gaudete iuſti in Domino, rectos decet collaudatio.

Alla. ℣. Sancti tui Domine florebunt ſicut lilium, & ſicut odor balſami erunt ante te.

De Confeſſoribus.

Alla. ℣. Lætabitur iuſtus in Dno, & ſperabit in eo: & laudabuntur omnes recti corde.

Alla. ℣. Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.

Alla. ℣. Beatus vir qui timet Dnum, in mandatis eius cupit nimis.

Alla. ℣. Iuſtus ut palma florebit, & ſicut cedrus multiplicabitur.

Alla. ℣. Iuſtus germinabit ſicut lilium, & florebit in æternum ante Dnum.

Alla. ℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum.

Alla. ℣. Iuravit Dnus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.

Alla. ℣. Iuſtum deduxit Dnus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei.

De Virginibus.

Alla. ℣. Egregia ſponſa Chriſti implora pro nobis ad Dnum Ieſum Chriſtum.

Alla. ℣. Adducentur regi virgines poſt eam, proximæ eius offerentur tibi in lætitia.

Alla. ℣. Omnis gloria eius filiæ regis ab intus, in fimbriis aureis.

Alla. ℣. Diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.

Digitized by Google

Pro Defunctis.

Ant. Requiem æternam dona eis Dne, & lux perpetua luceat eis. ℣. In memoria æterna erunt iuſti, ab auditione mala non timebunt. *Grad.* Requiem æternam. ℣. In memoria. *ut mox.* *Tract.* De profundis.

Pro uno Defuncto. (1)

Grad. *Si ambulem in medio umbra mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es Dne.* ℣ *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt.*

Tract. *Sicut cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus.* ℣. *Sitivit anima mea ad Deum vivum; quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei.* ℣. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per ſingulos dies, ubi eſt Deus tuus?*

Pro pluribus Defunctis.

Grad. *Requiem.* ℣. *In memoria.* Tract. *Abſolve.* ℣. *Et gratia.* ℣. *Et lucis æternæ.*

Off. Domine Ieſu Chriſte, rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de manu inferni & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus, ne cadant in obſcura; ſed ſignifer ſanctus Michael repræſentet eas in lucem ſanctam: quam olim Abrahæ promiſiſti & ſemini eius.

℣. Hoſtias & preces tibi Dne offerimus; tu ſuſcipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam agimus: fac eas Dne de morte tranſire ad vitam æternam.

℣. Redemtor animarum omnium Chriſtianorum, mitte Archangelum S. Michaelem, ut ille dignetur eas eripere de regionibus tenebrarum, & perducat eas in ſinum Abrahæ, in lucem ſempiternam. Quam olim.

Aliud.

Offert. *Erue Domine animas eorum de morte, & proiice poſt tergum tuum omnia peccata eorum: quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te.*

Comm. Abſolve Dne animas eorum ab omni vinculo delictorum: ut in reſurrectionis gloria inter Sanctos tuos reſuſcitati reſpirent. ℣. Requiem æternam... luceat eis. Ut in reſurrectionis. Tuam Deus depoſcimus pietatem, ut eis tribuere digneris lucidas & quietas manſiones.

Alia.

℣. *Lux æterna luceat eis Domine: cum Sanctis tuis in æternum, quia pius es.*

℣. *Requiem æternam. Cum Sanctis.*

Comm. *Abſolve Dne &c.* Ut ſupra.

Comm. *Animas de corpore quas aſſumſiſti Domine, fac eas gaudere cum Sanctis tuis in gloria.* ℣. *Et lux perpetua.*

Comm. *Pro quorum memoria Corpus Chriſti ſumitur, dona eis Dne requiem ſempiternam. Et lux perpetua luceat eis. Pro quorum memoria Sanguis Chriſti ſumitur, dona eis &c.*

Tempore paſchali pro defunctis. (2)

Ant. *Si enim credimus, quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Ieſum, adducet cum eo.*

℣. *Et ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Vel ℣. *Requiem æternam.* Conſuetudo patriæ ſervat pro Graduale infra Paſcha & Pentecoſten ℣. ſequentem: *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.*

Offert. *Domine convertere, & eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.* Comm. *Lux æterna.*

---

(1) Hæc ex altero *Blaſiano* nonnihil recentiore addita.

(2) Specialis eſt hic ritus, quem in duobus noſtris Mſſ. codd. deprehendi, quo propria pro defunctis Miſſa tempore paſchali præſcribitur, qui in ſequioris primum ſeculi codicibus occurrit; nec etiam apud Thomasium T. V. opp. pag. 215. notatur, licet ibi plures aliæ pro defunctis Miſſæ occurrant.

SUP-

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM FESTIVALE.

Ex Codice *San-Gallenſi* ſeu *Turicenſi* Seculi X. circ.

Fragmentum hoc reiectum ad calcem Codicis *San-Gallenſis* triplicis ritus, ex quo Sacramentarium edidimus, habetur absque inſcriptione. Complectitur autem paſſim Officia nocturnalia, & matutinalia, cum Graduali & Lectionario ac Evangeliario Miſſæ, ritu monaſtico circa ſeculum X. & deinceps uſitato: idque de Feſtis dumtaxat Sanctorum; illa enim Domini plane deſunt, uti & poſteriora Sanctorum, partim reſciſſis ex Codice paginis, partim litteris exeſis ac evanidis, oculumque omnino fugientibus.

In Nat. S. Silveſtri.

Lect. Ecce Sacerdos. *Evang.* Homo quidam peregre. (1)

De S. Hilario.

Similiter. (2)

De S. Felice. (3)

℟. Iſte cognovit. Deſiderium. Stolam. *Ad Mat.* Iuſtum. *In Ev. A.* Iuſtus cor. *Lect.* (4) Teſtificor. *Ev.* Qui vos audit.

De S. Marcello.

℟. Ecce Sacerdos. ℟. Inveni David. Amavit. *Ad Mat.* A. Ecce Sacerdos. *Lect.* (5) Plures. *Ev.* Vigilate. *Comm.* Fidelis ſervus.

In Cathedra S. Petri. (6)

A. Statuit. *Lect.* Omnis Pontifex. *Grad.* Inveni. *All.* Elegit. *Ev.* Venit Ieſus. *Offert.* Veritas mea.

In

(1) In *Pamel.* & *Thomaſ. lect.* Plures facti ſunt Sacerdotes. *Evang.* Vigilate. Cæterum de lectionibus & Evangeliis vid. infra ſuo loco.

(2) In editis deeſt.

(3) Notantur tria ℟℟. ad lectiones I. Nocturni. Antiphona una ad matutinas ſeu Laudes, alia in Evangelium, ſeu Canticum de Evangelio, ſcil. *Benedictus:* deinde lectio & Evangelium Miſſæ; qui ordo & in ſequentibus obſervandus.

(4) Ita & PAMELIUS, ſed *Thomaſ. lect.* Doctrinis variis.

(5) *Pamel.* & *Thomaſ. lect.* Iuſtus cor ſuum tradidit. *Evang.* Homo quidam peregre.

(6) Patet hinc Ritus *Gallicanus* & *Alemannicus*, quo feſtum Cathedræ S. PETRI in *Ianuario*, uti *Romæ* in *Februario* celebrabatur. Atque ita pariter ex alio MS. *San-Gallenſi* exhibet THOMASIUS opp. T. V. pag. 159. cum Com. *Fidelis ſervus.* Vide Diſquiſ. IX. cap. II. pag. 893. & T. III. opp. S. GREGORII pag. 661. not. l. Cæterum eadem eſt Miſſa, quæ in editis habetur die XXII. *Febr.* quo die *Romæ* agebatur.

Digitized by Google

In Nat. S. Priſcæ.

℟. Hæc eſt. Veni Sponſa. Virgo glorioſa. *Ad Mat. A.* Hæc eſt. *Lect.* Sapientia vincit. *Ev.* Simile eſt regnum cœlorum theſauro.

De SS. Fabiano & Sebaſtiano.

Lect. Sancti per fidem. *Ev.* Deſcendens Ieſus.

De S. Agna.

Lect. Confitebor. *Ev.* Simile erit.

De S. Vincentio.

Ant. (1) Iſte eſt qui c (*ontemſit*). ℟. Puer meus. Hic eſt. ℟. Hic eſt vir. *Ad Mat.* Qui me confeſſus. *Lect.* Memor eſto. *Ev.* Amen amen dico vobis, niſi granum.

In Octava S. Agnæ. (2)

℟. Diem feſt. Amo Chriſtum. Mel & lac. *Lect.* Sapientia laud. *Ev.* Simile eſt regnum cœlorum theſauro.

De S. Brigita. (3)

Ant. Virgo ℟. Hæc eſt. Induit. Pulchra & Virgo. *Ad Mat. ant.* Vidi ſpecioſ. *Ant* Veni. *Ant.* Iſta. *Ant.* Ornatam. *Ant.* Tota pulchra. *In Ev. ant.* Filiæ regum. *Ad Miſſam ant.* Dilexiſti. *Lect.* Qui gloriatur. *Gr.* Dilexiſti. *Lect.* Qui gloriatur. *All.* Egregia. *Ev.* Simile erit. *Off.* Offerentur minor. (4) *Comm.* Diffuſa eſt.

De

---

(1) Antiphona Reſponſoriis præmiſſa, videtur eſſe illa ad *Magnificat* in I. *Veſperis.* Notari quoque meretur, quod in feſtis minoribus ſeu trium lectionum unica tantum ad Matutinas ſeu Laudes antiphona ponatur in hoc fragmento, plures vero in pleno officio: uti mox infra de S. BRIGIDA.

(2) In martyrologio RHABANI apud CANISIUM ed. BASN. T. II. P. II. p. 318. notatur *V. Calend. Romæ S. Agnetis virginis genuinum, hoc eſt de nativitate.* Et in martyrol. NOTKERI *Octava S. Agnæ, vel iuxta quosdam natalis genuinus.* Apud eundem CANIS. P. III. p. 96. in margine adnotatur lectio var. *geminus.* Sed retinenda eſt prior lectio, quæ etiam corrupta in martyrol. *Epternacenſi* apud BOLLAND. legitur: *Romæ Agnæ ingenuinum.* In ſacramentario *Gelaſ.* lib. III. habentur orationes pro Miſſa *in Natale genuino*, quæ pro die natalitio, quo quis ex utero matris prodiit, compoſitæ ſunt: atque hic etiam eundem ſenſum determinat inſcriptio, quo dies diſtinguitur a natali S. AGNETIS *de paſſione ſua*, ut legitur ad XII. Kal. *Febr.* in eodem *Gelaſ.* ad hunc vero diem *de nativitate*, ut etiam in noſtris Monumentis ac quidem in ſacrament. Vol. I. p. 25. *In nat. S. Agnes de nativitate.* Qua de re legendus eſt *Alex. Sym.* MAZZOCHIUS in Kalend. marmor. *Neapolit.* p. 17. & 18. Neque vero ſilentio hic prætereundus eſt locus in actis SS. PIONII & Sociorum MM. apud RUINARTIUM p. 123. quo *natale Polycarpi Martyris celebrantes genuinum* memorantur diem martyrii agentes. Quod eſt per emphaſim dictum. Eo ſenſu TERTULLIANO de corona militis n 36 *Natalitia* dicuntur, & in libris liturgicis nihil frequentius quam nomen natalis: *Quod nomen* (inquit S. AUGUSTINUS in Natali S CYPRIANI M.) *ſic frequentat Eccleſia, ut natales vocet pretioſas Martyrum mortes.* Et NICOLAUS I. P. de Confeſſoribus etiam in epiſt. ad conſulta *Bulgarorum* cap. 4. *Conſuetudinem*, ait, *tenet Eccleſia, ut ſolemnes beatorum Martyrum vel Confeſſorum Chriſti dies, quibus ex hoc mundo ad regionem migraverunt vivorum, nuncupentur Natales. Sed & eorum ſolemnia non funebria tanquam morientium, ſed utpote in vera vita naſcentium Natalitia vocitentur.* Sic etiam appoſite feſtum hoc alterum, primo, quod *de paſſione* appellatur S. AGNETIS, *Romæ* & *Mediolani* celebratiſſimæ, ſuperadditum, *Agnetis ſecundo* dici potuit, aut quia poſt hebdomadam recurrit, uſitato nomine *octava*, ut Diſquiſ. IX. cap. 2. n. 11. p. 890. P. III. notavimus.

(3) S. BRIGIDA Virgo in *Scotia* ſec. VI. in Martyrol. *Rom.* ad diem I. *Febr.* notatur, paſſimque in antiquis æque ac recentioribus Calendariis tam *Gallicis*, quam *Alemannicis* eius memoria habetur: idque iam a tempore CAROLI *Calvi*, ut ex *Leone* ALLATIO & *Bollandianis* notat *Adrianus* BAILLET *Vies de Saints* 1. *Febr.* Cæterum hic quinque omnino antiphonæ *ad Matutinas* ſeu *Laudes* aſſignantur, quod maioris feſtivitatis indicium eſt, cum alias una tantum in hoc fragmento notetur.

(4) Duæ habentur antiphonæ ad Offertorium de Virginibus *Offerentur*, quarum prima in codicibus dicitur *maior*, nempe: *Offerentur regi virgines, proximæ eius offerentur tibi * in lætitia & exultatione, adducentur in templum regi Domino:* prior vero illius antiphonæ pars vocatur *minor.*

De S. Agatha. (1)

Lect. Dominus mihi adſtitit. *Evang.* ſupraſcriptum. i. e. *Simile erit.*

De S. Blaſio. (2)

℟. Iſte Sanctus. ℟. Hic eſt vere. Poſuit. *Ad Mat.* Qui me. *Ad Miſſ. ant.* Os iuſti. *Lect.* Beatus homo. *Grad.* Os iuſti. *All.* Inveni David. *Ev.* Nemo lucernam. *Comm.* Qui vult.

De S. Valentino.

Ut ſupra. *Ad Mat. ant.* Dne quinque. *Lect.* Beatus homo. *Evang.* Si quis vult poſt me.

In Vigilia S. Mathiæ Apoſtoli. (3)

Ant. Ego autem. *Lect.* Beatus vir, qui inventus eſt. *Grad.* Iuſtus ut palma. *Ev.* Ego ſum vitis vera. *Off.* Gloria & honore. *Comm.* Magna eſt.

In Nat. Eiusdem.

Ant. Iudicant Sancti. *Lect.* Benedictus Deus, qui benedixit nos. *Grad.* Nimis. ℟. (*i. e. Tract.*) Qui ſeminant. *Ev.* Miſit Ieſus duodecim. *Off.* Mihi autem. *Comm.* Dico.

De S. Attala. (4)

Ant. Stolam. ℟. Iſte eſt. Amavit. Dnus qui eleg. *Ad Mat. ant.* Iuſtum deduxit. *In Evang. ant.* Iuſtus cor. *Ad Miſſ. ant.* Os iuſti. *Lect.* Beatus vir, qui in ſapientia. *Grad.* Gloria & honore. ℟. (*Tract.*) Deſiderium. *Ev.* Nolite arbitrari. *Off.* Gloria & honore. *Comm.* Poſuiſti.

De S. Gregorio.

Lect. Qui timet Dominum. *Ev.* Homo quidam nobilis. (5)

De S. Patritio. (6)

Ad Miſſam ant. Iuſtus non (conturbabitur) *Lect.* Iuſtus ſi morte. *Grad.* Iuſtus ut palma. ℟. (*Tract.*) Deſiderium. *Ev.* Nemo lucernam accendit, & in abſcondito. *Offert.* Inveni David. *Comm.* Domine quinque talenta.

De S. Fridolino. (7)

Os iuſti. *Cum reliquis.* De

(1) Extra ordinem ponitur hoc feſtum, cum ſequenti poſtponendum fuiſſet; niſi forte S. BLASII memoria more *Græcorum* die XI. *Febr.* hic recolatur. *Lectio* ubique fere hæc aſſignatur: *Confitebor tibi Dne.*

(2) Aſſerit quidem BARONIUS in notis ad Martyrolog. *Rom.* III. *Febr.* S. BLASII mentionem fieri in Martyrologio BEDÆ; quæ tamen in illis a MARTENE *Collect. Ampliſſ.* T. VI. vulgatis non reperitur, uti nec in aliis ante ſeculum IX. vel X. exaratis, licet iam antea eius reliquias in Occidente fuiſſe ex vita S. FINTANI paſſim edita conſtet, quibuscum ſimul Sancti huius cultum ex Oriente in Occidentem migraſſe ſuſpicatur BAILLET in vita ad h. d. Notari tamen merentur, quæ ex LAMBERTI *Schafnaburgenſis* Continuatore refert BOLLANDUS Comment. præv. ad III. *Febr.* §. 3. n. 16. *Anno DCCVII. Dagobertus rex Chriſtianiſſimus conſtruxit monaſterium in* Erfort . . . *rogatu Adeodati vel Trutmanni Incluſi, qui quidem tempore eiusdem regis ſecus eccleſiam S. Blaſii, quæ ſita fuit iuxta prædictam urbem . . . fuit incluſus.* Iude iam ſec. VII. S. BLASII cultum in his regionibus fuiſſe liquet. A ſeculo autem X. eiusdem ſancti nomen paſſim legitur inſertum tam Calendariis, quam Martyrologiis ſive III. ſive etiam XV. *Febr.* quamvis in ipſis Sacramentariis vel Lectionariis nihil de eo occurrat, atque hoc primum facile monumentum ſit, in quo eius officium exhibeatur. In antiquo noſtro Graduali *San-Blaſiano* notatur quidem Proſa vel ſequentia de S. BLASIO, Miſſa vero deſideratur, quæ tamen in Sacramentario æque ac Lectionario adnexo continetur, ſed cum lectione vel Epiſtola *Doctrinis variis.* In libello, ex quo in eccleſia *Aquileienſi* feſta denunciabantur ſec. XIII. Apud *Frider.* ALTHANUM *de Calendariis* p. 282. ſic legitur: *Dominica ventura paſſio erit beati Blaſii martyris Chriſti: omnes ab opere abſtinentes devotiſſime celebremus.*

(3) Feſtum hoc ſeparatum ad hanc diem iam occurrit in Calendario ſec. IX. a DACHERIO ex Cod. *Corbeienſi T. II. Specileg. nov. edit.* vulgato, ſed ſine vigilia. Iam *Io. Bapt.* SOLERIUS annotavit in USUARDI martyrologium de vigilia nativ. Dom. agens, in antiquioribus martyrologiis raro vigilias commemorari. Hæc vero unacum feſto notatur in altero *San-Gallenſi* apud THOMASIUM opp. T. V. eodem modo, ut hic, abſque tamen lectionibus, quæ in *San-Blaſiano* ſec. XII. circ. pro ipſo feſto habentur, prout hodie in Miſſali.

(4) Eſt hic ATTALAS Abbas *Luxovienſis*, diſcipulus & ſucceſſor S. COLUMBANI, cuius memoria in Martyrol. *Rom.* die X. *Martii* aſſignatur, paſſimque in aliis, etiam in illo S. HIERONYMI nomine vulgato. Eius vitam ex IONA abbate exhibet MABILLONIUS ſec. II. *Benedictino.*

(5) In S. Blaſ. *Vigilate.* Vid. infra.

(6) Feſtum hoc in genuino BEDÆ, aliisque etiam *Gallicanis* Martyrologiis circa CAROLI M. tempora exaratis occurrit.

(7) Præponendus eſt S. PATRITIO S. FRIDOLINUS, de quo Diſquiſit. I. cap. II. pag. 31. nonnulla diximus, eiusque feſtum in Martyrologiis *Alemannicis* ad VI. *Martii* aſſignatur.

Digitized by Google

De S. Benedicto. (1)

Ant. Iuſtus ut palma. *Lect.* Dilectus Deo. *Grad.* Os iuſti. ℟. (*Tract.*) Beatus vir. *Evang.* Dixit Simon Petrus. *Off.* Gloria & honore. *Com.* Fidelis ſervus.

Apud civitatem Galileæ Nazareth adnuntiatio Incarnationis Dominicæ. Scriptum in loco ſuo. (2)

De S. Ambroſio. (3)

Ant. Sacerdotes Dei. *Lect.* Doctrinis variis. *Grad.* Iuravit. ℟. (*Tract.*) Beatus vir. *Ev.* Homo quidam peregre. *Off.* Veritas mea. *Comm.* Beatus.

De S. Tiburtio, Valeriano & Maximo.

Lect. Iuſtorum animæ. *Ev.* Hoc eſt præceptum. (4)

De S. Sineſio. (5)

Lect. Beatus vir, qui in ſapientia. *Ev.* Ego ſum vitis vera.

De S. Georgio.

Lect. Iuſtum deduxit Dominus. *Ev.* Convocata turba Ieſus. (6)

De S. Marco. (7)

Ant. Sancti tui Domine. *Lect.* Teſtificor. *All.* Qualem volueris. *Ev.* Deſignavit. *Off.* Confitebuntur. *Comm.* Gaudete iuſti.

De S. Vitale.

Lect. Iuſtus ſi morte. *Ev.* Ego ſum vitis vera.

In Vigilia Apoſtolorum Philippi & Iacobi. (8)

Ant. Venite Benedicti. *Lect.* Multitudinis. *Ev.* Amen amen dico vobis, quia plorabitis. *Offert.* Mirabilis. *Comm.* Gaudete.

S. Walpurgæ. (9)

Ant. Dilexiſti. *Lect.* Qui gloriatur. *Ev.* Simile erit X. Virginibus. *Off.* Offerentur, *minor.* *Comm.* Diffuſa eſt.

De

---

(1) Habetur etiam in alio *S. Gallenſi* apud THOMASIUM, T. V. Opp. idem prorſus officium, cui ibidem alia duo propria ſubiiciuntur de S. BENEDICTO officia, ex codice ſec. XI. deſumta. Quamquam in antiquioribus feſtum hoc die XI. *Iulii* notetur cum officio. Vid. ſupra pag. 149. n. 2.

(2) Unicum hoc eſt ex antiquiſſimis feſtis in hoc fragmento contentis, quod cum ad feſta dominicalia pertineat, ſub hac rubrica notatur: *Scriptum in loco ſuo.*

(3) Feſtum S. AMBROSII aſſignatur ad diem IV. *Aprilis* ſeu obitus in Martyrologiis BEDÆ, & *Gellonenſi* ineunte ſec. IX. ſcripto, *T. II. Spicil.* DACHERII: licet illud Eccleſia *Romana* ad diem VII. *Dec.* ceu ordinationis transtulerit, quod nulla olim in Quadrageſima feſta celebraret. In ſacramentario noſtro triplicis ritus infra Octavam Paſchæ ad diem V. *Apr.* legitur Depoſit. S. AMBROSII ep. cum officio Miſſæ *Ambroſiano* p. 98.

(4) Ita etiam in *Rhenaug.* & *S Blaſ.*

(5) Nuſpiam in editis S. SENESIUM hoc loco reperire eſt; in mſc. tamen *Petrohuſano* Calendario, infra edendo, ad diem XIX. *Aprilis* notatur SENESIUS cum THEOPONTO Martyre, quorum Reliquiæ a RATHOLDO *Veronenſi* Epiſcopo ſec. IX. *Augiæ diviti* illatæ, indeque in oppidum *Cellæ* (inde *Ratholdi-Cella* dictum) ad lacum *Acronianum* ſitum tranſlatæ ſunt, ubi ceu primarii Patroni hucuſque hac ipſa die coluntur. Ut adeo facile ob viciniam eorundem Sanctorum cultus ad propinqua *San-Gallenſe* & *Petrohuſanum* monaſteria potuerit propagari. Quin & in noſtro *San-Blaſiano* ſec. XII. Codice idem feſtum notatur cum lect. *Iuſtus ſi morte.*

(6) Variationem Lectionis & Evangelii infra ſuo loco notabimus; quæ enim hic notantur, ſingularia ſunt.

(7) Idem feſtum cum eodem officio habetur in altero *San-Gallenſi* apud THOMASIUM T. V. Opp. absque Lectionibus, quæ in noſtro *Blaſiano* illæ aſſignantur: Lect. *Vidi oſtium.* Evang. ſec. Marc. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire.* uſque, *& in ſeculo futuro vitam æternam.*

(8) Eiusdem Vigiliæ officium habetur etiam in altero *San-Gallenſi Thomaſiano*, Lectio autem & Evang. in *San-Blaſiano.* Vid. quæ diximus Diſquiſit. IX. cap. II. pag. 897.

(9) S. WALDPURGA Virgo paſſim in omnibus tam editis quam Mſſ. Martyrologiis ad diem I. *Maii* notatur, eſtque illa ipſa, cuius feſtum nunc in *Alemannia* die XXV. *Febr.* celebratur, ex die nimirum eius obitus, proxime antecedenti 24. ob feſtum S. MATTHIÆ ad hunc diem tranſlato feſto. Nec tamen RHABANUS *Maurus*, & NOTKERUS eius mentionem faciunt in martyrolog. ſive ad V. Kal. *Martii* ſive Kal. *Maii*, qui eſt dies canonizationis ac tranſlationis eius ex *Heidenhemio Eyſtadium* iuxta PHILIPPUM *Eyſtadienſem* apud GRETSERUM *de Eyſtettenſis eccleſiæ divis tutelaribus.*

Digitized by Google

De S. Alexandro. (1)

Lect. Sancti per fidem. *Evang.* Hæc mando.

De S. Victore. (2)

Ant. Protexiſti. ℣. Gratias agere. *Lect.* Iuſtum deduxit Dominus. *Evang.* Convocata turba. *Off.* Confitebuntur. *Comm.* Lætabitur.

De S. Gordiano & Epimacho.

Lect. Iuſtorum. *Ev.* Videns Ieſus. (3)

De S. Pancratio. (4)

Ant. Ecce oculi Dni. *Lect.* Iuſti in perpetuum. *Ev.* Acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi. *Off.* Confitebuntur. *Comm.* Gaudete.

Nat. S. Mariæ ad Martyres. (5)

Lect. & Evang. cuiuſcumque occurrerit hebdomadæ, eoquod apud *Romanos* die Dominica ipſa ſolemnitas celebratur.

De S. Pudentiana.

Ant. Simile eſt regnum X. Virginibus. ℟. Hæc eſt. Veniens a Libano. *All.* Delectatio b. *Ad Mat. ant.* Hæc eſt Virgo ſapiens. *In Ev. ant.* Quinque prudentes. *Ad Miſſam ant.* Dilexiſti. *Lect.* De Virginibus. *Ev.* Simile eſt regnum cœl. theſauro. *Off.* Offerentur, *minor.* *Comm.* Diffuſa eſt.

De S. Deſiderio. (6)

Ant. Ecce oculi. *vel* Sacerdotes Dei. - *Lect.* Benedictus Deus, qui conſolatur. *Gr.* Ecce Sacerdos. *Ev.* Si quis vult poſt me venire. *Off.* Confitebuntur. *Off.* Inveni David. *Comm.* Gaudete. *Comm.* Beatus.

De S. Urbano.

Lect. Plures facti. *Ev.* Vigilate quia neſcitis.

De S. Germano. (7)

Ant. Statuit. *Lect.* Gratias agere. *Gr.* Iuravit. *Ev.* Vigilate & orate. *Off.* Veritas mea. *Comm.* Domine quinque talenta.

De S. Petronella. (8)

Ut ſupra de S. Pudentiana.

De S. Marcellino & Petro.

Ant. Abſterget Deus. *ant.* Iſtorum eſt. ℟. Iſti ſunt Sancti qui per. ℟. Abſterget. ℟. Viri ſancti. ℟. Tradiderunt. *Ad Mat. ant.* Iuſtorum. *In Ev. ant.* Gaudete. *Lect.* Reſpondit unus. *Ev.* Cum audieritis.

De S. Bonifacio. (9)

Ant. Abſterget. ℟. Sancti tui. ℟. Certamen. ℟.

---

(1) Habetur III. *Maii* cum SS. EVENTIO & THEODULO. In *San-Blaſiano* notatur Lect. *Stabunt iuſti.*

(2) VICTOR Martyr *Mediolanenſis* VIII. *Maii*, cuius Miſſam *Ambroſianam* ſupra pag. 114. dedimus. Videtur autem hic eſſe mendum, & legendum *Lect.* Gratias agere. *Grad.* Iuſtum deduxit Dnus.

(3) In *Blaſiano* lect. *Stabunt iuſti.* Ev. *Ego ſum vitis vera.* In *Rhenaug.* Ev. *Nolite arbitrari.*

(4) Miſſa hæc in *Rhenaug.* & *San-Blaſ.* aſſignatur SS. NEREO &c. ac alia particularis S. PANCRATIO. Qui hodie in Miſſali omnes in uno officio iunguntur.

(5) Similiter inſcribitur hoc feſtum in ADONIS, USUARDI, & NOTKERI martyrologiis *Natalis* ſeu *nativitas S. Mariæ ad Martyres* ut habet NOTKERUS: RHABANO *Mauro Mariæ martyris feſtivitas* dicitur, qui licet paſſim BEDÆ martyrologium exſcribat, apud hunc tamen etiam in codd. *Palat. Vat.* 833. 834. *Natalis* nominatur, uti apud eundem BEDAM & alibi *Natalis Nicomedis martyris* pro dedicatione eccleſiæ accipitur, perinde ac in ſacramentario Leonino *Natale baſilicæ Angeli in Salaria.* Quæ eadem hic obtinet ratio, explicaturque paſſim in martyrologiis. Sic in noſtro ſacramentario ſupra pag. 116. inſcribitur *Dedicatio Eccleſiæ B. Mariæ ad Martyres*, uti & in Martyrol. *Rom.* XIII. *Maii.* Infra in *Rhenaug.* eadem rubrica de lectione & Evangelio habetur, illa nempe ex feria currente intra hebdomadam eſſe ſumenda, cum nulla habeant propria in ordine *Romano*, ubi ſemper in die Dominica celebretur, cuius lectio & Evang. tunc legantur.

(6) An DESIDERIUS hic ſit *Lingonienſis*, num *Viennenſis* Epiſcopus & Martyr, quorum uterque in Martyrol *Rom.* die XXVI. *Maii* recenſetur, incertum eſt. Duplex autem hic ponitur officium, unum, ut videtur, pro tempore paſchali, alterum extra illud. Qui ritus notari meretur, cum raro, aut numquam in antiquis Codd. occurrat.

(7) *Pariſienſi* nempe Epiſcopo, qui die XXVIII. *Maii* in martyrol. notatur.

(8) In *San-Blaſ. Lect.* Sapientia vincit. *Ev.* Simile eſt regnum cœl. X. Virg.

(9) Archiepiſcopo ſcilicet *Moguntino* & Martyre, eiusque ſociis, quorum memoria in omnibus paſſim Martyrologiis *Alemannicis* celebratur. In *San-Blaſ.* notatur Evang. *Ecce ego mitto vos.* vel *Ego ſum vitis.*

Digitized by Google

℟. Exultabunt. *Ad Mat. ant.* Omnes Sancti. *Ad Miſſam ant.* Intret. *Lect.* Qui timent. *Gr.* Vindica. *Ev.* Deſcendens Ieſus. *Off.* Exultabunt. *Comm.* Poſuerunt.

De S. Medardo. (1)
Primo ac Feliciano.

Ant. Cum vidiſſet Ieſus. ℟. Abſterget. In circuitu tuo Dne. Fulgebunt iuſti. *Ad Mat. ant.* Super nivem. *Lect.* Benedictus Deus, qui ſecundum magnam. *Ev.* Ecce ego.

De S. Columba. (2)

℟. Iuſtus germinabit. *Ant.* Serve bone. *Ad Noct. ant.* In lege D. ℟. Iſte cognovit Deſiderium. Stolam. Corona. Poſui. *Super III. Cant. ant.* (3) Beatus ille. ℟. Amavit. Iſte homo ab. Inveni David. Iſte homo perfecit. *Ad Mat. ant.* Dne quinque. *Ad C. D. ant.* (4) Iuſtum deduxit. *Ad Miſſam ant.* Iuſtus ut palma. *Lect.* Dilectus Deo. *Grad.* Os iuſti. *Ev.* Nemo lucernam accendit. *Off.* Deſiderium. *Comm.* Beatus ſervus. *Ad Veſp. ant.* Iuravit, cum reliquis. ℟. Dnus, qui elegit. *In Ev. ant.* Amavit eum Dnus.

De S. Barnaba. (5)

Ant. Dum ſteteritis. ℟. Ecce ego. ℟. Tollite. ℟. Dum ſtet. *Ad Mat. ant.* Tollite iugum. *In Ev.* Iam *Ad Miſſam ant.* Mihi autem. *Lect.* Convenit. *Grad.* In omnem terram. All. Nimis. *Ev.* Deſignavit. *Off.* In omnem terram. *Comm.* Dico autem.

De S. Nazario aliiſque Sanctis. (6)

℟. Viri ſancti. Verbera. ℟. Tradiderunt. *Ad Mat. ant.* Omnes Sancti. *Lect.* Iuſtorum. *Ev.* Sedente Ieſu.

De S. Vito. (7)

Ant. Verbera. ℟. Sancti tui. ℟ Certamen. ℟. Sancti mei. *Ad Mat. ant.* Iuſtorum. *Ad Miſſam ant.* Clamaverunt. *Lect.* Rememoramini. *Grad.* Iuſtorum. All. Exultabunt. *Ev.* Cum perſequentur vos. *Off.* Mirabilis. *Comm.* Iuſtorum.

De S. Marco & Marcelliano. (8)

Ant. Iſtorum eſt. ℟. Abſterget. Viri Sanct. Propter teſtamentum. *Ad Mat. ant.* Omnes Sancti. *Lect.* Gratias agere. *Ev.* Ecce ego.

De S. Gervaſio & Protaſio.

Ant. Verbera. ℟. Tradiderunt. Beati qui perſecutionem. Hæc eſt. *Ad Mat. ant.* Super nivem. *Lect.* Sancti per fidem. *Ev.* Sedente. (9)

De

(1) Sanctus hic *Noviomenſis* Epiſcopus VIII. *Iunii* in Martyrol. *Rom.* deſcribitur. Speciale autem eſt, quod hic cum SS. PRIMO &c. iungatur, quorum memoria ſequenti die habetur; forte ob feſtum S. COLUMBÆ ibi occurrens pridie de iis cum S. MEDARDO agebatur. In *San-Blaſ.* Ev. *Videns Ieſus.* In *Rhenaug.* Ev. *Hoc eſt præceptum meum.*

(2) Notatur ad diem IX. *Iunii* in Martyrologio S. COLUMBA, aut COLUMBUS vel COLUMBANUS presbyter *Scotus*, a S. COLUMBANO Abbate, cuius natalis XXI. *Nov.* occurrit, diverſus. Quem tamen hac die IX. *Iunii* coluiſſe, & utrumque confudiſſe videntur *S. Gallenſes*, cum ſolemne ſeu plenum de eo officium hic exhibeatur, tamquam de S. Patroni ſui GALLI Magiſtro; tres enim nocturni cum ſecundis Veſperis alligantur: in quibus antiphonæ de Apoſtolis notantur.

(3) Id eſt *ſuper tria cantica* in III. Nocturno.

(4) Forte leg. *ad canticum Evang.* ſeu *Benedictus.*

(5) Eamdem huius feſti haud adeo antiqui Miſſam exhibet THOMASIUS ex *San-Gall.* ubi *Allel.* ℣. *Vos eſtis lux.* itemque Lect. & Evangel. codex *San-Blaſianus.*

(6) Nempe SS. BASILIDE, CYRINO & NABORE XII. *Iun.* de quibus idem officium in *San Blaſiano* notatur. Infra in *Rhenaug.* Evang. *Erat homo ex Phariſæis.*

(7) Idem de SS. VITO & Sociis officinm ex *S. Gall.* altero habetur apud THOMASIUM, ſed cum Gr. *Glorioſus.* & Lect. ac Evang in *San-Blaſiano.*

(8) In *San-Blaſ.* Ev. *Cum audieritis.* in *Rhenaug.* Ev. *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis.*

(9) In *San-Blaſ.* Ev. *Attendite.* In *Rhenaug.* Evang. *Egrediente Ieſu de templo.*

Digitized by Google

De S. Albano. (1)

Ant. Qui vult. ℟. Iſte Sanctus. ℟. Hic eſt. Poſuit. *Ad Mat. ant.* Qui me. *Ad Miſſam ant.* Lætabitur. *Lect.* Iuſtus cor ſuum. *Grad.* Poſuiſti. All. Beatus vir qui ſuffert. *Ev.* Nolite arbitrari. *Off.* In virtute tua. *Comm.* Qui vult.

De S. Leone. (2)

Ant. Qui dum eſſet. ℟. Ecce Sacerdos. Iuravit. Iſte eſt qui ante. *Ad Mat. ant.* Ecce Sacerdos.

De Proceſſo & Martiniano.

Ant. Verbera. ℟. Abſterget. Sancti mei. Exultabunt. *Ad Mat. ant.* Super nivem. *Lect.* Stabunt. (3) *Ev.* Sedente.

De S. Chiliano. (4)

Ant. Verbera. Certamen. Beati, qui perſecutionem. *Ad Mat. ant.* Iuſtorum. *Ad Miſſam ant.* Clamaverunt. *Lect.* Sancti per fidem. *Gr.* Clamaverunt. All. Vox exultationis. *Ev.* Ecce ego (*mitto*). *Off.* Lætamini. *Comm.* Etſi coram.

De VII. Fratribus.

℟. Viri ſancti. Hæc eſt. Propter. *Ad Mat. ant.* Omnes Sancti. *In Ev.* Si quis. *Lect.* Rememoramini. (5) *Ev.* Loquente.

De S. Chriſtina. (6)

℟. Hæc eſt. Veni. Virgo. *Ad Mat.* Hæc eſt. *In Ev.* Quinque prudentes. *Ad Miſſ. ant.* Me exſpectaverunt. *Lect.* Sapientia I. *Grad.* Adiuvabit. *Ev.* Simile eſt regnum cœlorum theſauro. *Off.* Offerentur. *minor.* *Comm.* Quinque prudentes.

De S. Praxede.

℟. Induit. Diffuſa eſt. Pulchra. *Ad Miſſam ant.* Vidi ſpecioſam. (7) *Lect.* Qui gloriatur. *Ev.* Simile erit R. C. X. virg.

De S. Apollinare.

Ant. Sacerdos & pontifex. ℟. Ecce Sacerdos. Iuravit Dnus. ℟. Elegit. *Ad Mat. ant.* Domine quinque talenta. *Lect.* Doctrinis. *Ev.* Homo quidam nobilis. (8)

De S. Chriſtophoro. (9)

℟. Puer meus. Iſte Sanctus. Hic eſt vere. *Ad Mat. ant.* Iuſtum deduxit. *In Ev. ant.* Iuſtus cor ſuum. *Ad Miſſ. ant.* Lætabitur. *Lect.* Confitebor. *Grad.* Iuſtus non conturbabitur. All. Iuſtus germinabit. *Ev.* Nolite arbitrari. *Off.* Deſiderium *Comm.* Poſuiſti. *Vigilia*

---

(1) ALBANUS Martyr *Moguntinus* in *Rom.* Martyrol. die XXI. *Iunii* deſcriptus, cum & in aliis Calendariis eius nomen die cit. exprimatur. Eum RHABANUS *Maurus*, & NOTKERUS in Martyrol. ad hunc diem ſub THEODOSIO martyrium expleviſſe ſcribunt, atque altero mox die ponunt cognominem in *Britannia* Martyrem ſub DIOCLETIANO paſſum, quem cum *Moguntino* confundit BEDA. Conf. chronicon SIGEBERTI de hoc Martyre, &, ut aliqui putant, etiam Epiſcopo *Moguntino.* Cuius quoque Miſſam ſupra pag. 139. ex *San-Blaſ.* dedimus, ubi ſimul cum S. GENESIO notatur. In altero *San-Blaſ.* eadem Lect. & Ev. aſſignatur.

(2) Nihil hic de officio Miſſæ habetur, quæ ex alio *San-Gall.* apud THOMASIUM hæc eſt: *Ant.* Statuit. *Gr.* Gloria & honore. ℣. Quoniam *Allel.* ℣. Elegit. *Off.* Veritas. *Comm.* Dne quinque talenta. Et in *San-Blaſ. Lect.* Ecce Sacerdos magnus. *Ev.* Vos eſtis. in *Rhenaug. Ev.* Homo quidam peregre. Eſt hic LEO iunior ſeu II. P. R. qui obiit an. 684. de quo BEDA in Martyrol. V. Non. *Iulii* agit; ad hunc vero diem obſcurius quidem RHABANUS *Maurus*, apertius vero NOTKERUS de S. LEONE I. ſermonem habent, de quo monumenta Liturgica IV. & III. Id. *April.* loquuntur.

(3) In *San-Blaſ.* Lect. *Expectatio iuſtorum.*

(4) CHILIANUS *Franconiæ* Apoſtolus cum Sociis notatur in Martyrol. *Rom.* in USUARDO, RHABANO & NOTKERO ad diem VIII. *Iulii.* Eius paſſio legitur in CANISII Lect. antiq. & in MABILLONII ſec. II. *Benedictino.* Lect & Evang. idem etiam in *San-Blaſ.* Vid. ſupra pag. 148.

(5) In *San-Blaſ.* lect. *Mulierem fortem.* quæ & in *Pameliano* pro S. FELICITATE, quæ hic cum filiis ſuis iuncta eſt.

(6) S. CHRISTINA die XXIV. *Iul.* notata extra ordinem hic ponitur. Eius officium ſupra pag. 152. exhibuimus. In *San-Blaſ.* altero notatur lect. *Dne Deus meus.*

(7) Introitum hunc nuſpiam in editis reperi, cumque de Graduali Miſſæ nihil ulterius habeatur, videtur loco *ad Miſſam ant.* legendum eſſe, *ad Mat. Ant.*

(8) In *Rhenaug.* Ev. *Facta eſt contentio.*

(9) Sanctus hic extra ordinem ante Vigiliam S. IACOBI ponitur. Eius Miſſam ex *San-Blaſ. Gregoriano* ſupra pag. 152. dedimus.

Vigilia S. Iacobi. (1)

Ant. Ego autem. *Lect.* Beatus vir, qui inventus eſt. *Grad.* Iuſtus ut palma. *Ev.* Miſit Ieſus duodecim diſcipulos. *Off.* Gloria & honore. *Comm.* Magna eſt.

In Nat. Eiusdem.

Ant. Mihi autem. *Lect.* Benedictio. Domini. *Grad.* Conſtitues. All. Vos eſtis. *Ev.* Acceſſit. *Off.* Mihi autem. *Comm.* Dico autem vobis.

De S. Pantaleone. (2)

Ant. Iſte Sanctus. ℟. Puer meus. Poſuit. Hic eſt vir. *Ad Mat. ant.* Beatus vir. *Ad Miſſ. ant.* Gloria & honore. Cum reliq. *Lect.* Creans te Iacob. *Ev.* Si quis vult poſt me.

De S. Felice, Simplicio, Fauſtino & Beatrice.

Ant. Cum vidiſſet. ℟. Hæc eſt. Propter teſtamentum. Sancti mei. *Ad Mat. ant.* Iuſtorum. (3) *Ant.* Sacerdos. *Ad Miſſam ant.* Sacerdotes eius.

---

(1) Idem huius vigiliæ officium in altero *San-Gallenſi* apud THOMASIUM notatur, lectiones vero pariter ita in *San-Blaſiano* habentur. Uti & in ipſo feſto, ubi tamen lect. *Benedictus Deus.*

(2) Vid. ſupra pag. 153. Miſſa eiusdem ex *Gregor. San-Blaſ.* & in altero *lect.* Expectatio inſt.

(3) Suppl. *In Evang.* Miſſam ſupra ex Grad. *San-Blaſ.* dedimus. & in altero notatur *lect.* Plures facti ſunt. *Evang.* Sint lumbi. ita & in *Rhenaug.* Cæterum ultimum hoc feſtum eſt in hoc *San-Gallenſi* fragmento; quæ enim ſequuntur, ita detrita ant exeſa ſunt, ut nihil exinde erui poſſit. Neque vero operæ pretium duxi, plura aliunde id genus monumenta veteris liturgiæ *Alemannicæ* conquirere, poſt quam iam Ven. THOMASIUS hunc prævertit laborem ex Mſſ. præſertim monaſterii S. GALLI collectis, editisque T. IV. & V. operum a P. *Ant.* VEZZOSIO, quæ vel ad reſponſoriale & antiphonarium, vel ad Graduale pertinet, id eſt, vel ad officium Miſſæ concinendum, vel ad horas canonicas: cuiusmodi eſt: *Reſponſoriale & antiphonarium Romanæ eccleſiæ de circulo Anni a beato Gregorio Papa Romano coactum, ſed nonnullis accretionibus ac demtionibus aliquantulum immutatum, ad ritumque monaſticum ex parte accommodatum,* quod ex codice *San-Gallenſi* extat T. IV. opp. p. 171. &c. varia item in appendice ibidem p. 306. &c. ex Mſſ. eiusdem monaſterii, quæ Tomo V. ſequenti litera G. in antiphonario Graduali frequenter admodum ſolent deſignari.

LECTIO.

Digitized by Google

LECTIONARIUM
SEU
TABULA ANTIQUARUM LECTIONUM
B. PAULI APOST. AD MISSAS.
Ex Codice *Fuldenſi* S. Bonifacii Sec. VI.

Vetuſtiſſimum hunc Codicem ex Schannati *Vindemiis litterariis* p. 218. deſcripſimus iam T. I. Diſquiſit. II. c. II. p. 124. promiſimusque ibi deſumtam inde tabulam lectionum, quam Henricus Epiſcopus ac Princeps *Fuldenſis* manu ſua teſtatam ceu fideliter ex autographo tranſſumtam mecum interea communicavit, ſuo hic loco & charactere quidem nonihil grandiore tantæ antiquitatis monumentum decente edendam, cum initiis titulorum, in quos diviſæ ſunt omnes B. Pauli epiſtolæ: nempe Epiſtola ad *Romanos* in 51. titulos. Ad *Corinthios* I. in 72. Ad *Corinthios* II. in 28. Ad *Galatas* in 37. Ad *Epheſios* in 31. Ad *Philippenſes* in 19. Ad *Theſſalonicenſes* I. in 25. Ad *Theſſalonicenſes* II. in 9. Ad *Coloſſenſes* in 31. Ad *Laodicenſes* in 5. Ad Timotheum I. in 30. Ad Timotheum II. in 25. Ad Titum in 10. Ad Philemonem in 4. Ad *Hebræos* in 39. Operæ vero pretium duximus, addere initia titulorum, prout reſpondent ipſi tabulæ lectionum in eccleſia recitari ſolitarum autographæ, quæ legitur in Codice, poſt concordiam Evangeliorum, ante epiſtolas, eo quo recenſuimus ordine, unacum apocrypha ad *Laodicenſes* epiſtola. Codicem hunc, ſua iam ætate ducentis annis ſuperiorem, S. Bonifacius, qui *Romam* ter conceſſerat, veroſimilius ſecum detulit ex *Italia*, ac ipſa forte monti *Caſino* vicina urbe *Capuana*, cuius Epiſcopus Victor annis 546. & 547. Codicem legit, recognovitque.

Digitized by Google

Gratias individuæ Trinitati.

De Adventu. (1)

Ad Romanos ſub titulo XVIII.

Scimus enim, quod lex ſpiritalis eſt, ego autem carnalis ſum &c.

Ad Romanos ſub titulo XXXVIII.

Nolo enim vos ignorare fratres myſterium hoc &c.

Ad Galatas ſub titulo XIII.

Fratres ſecundum hominem dico, tamen hominis confirmatum teſtamentum &c.

Ad Theſſalonicenſes I. ſub titulo XXI.

Rogamus autem vos fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos &c.

Pridie Natale Domini.

Ad Philippenſes ſub titulo XIII.

Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete &c.

In Natale Domini. (2)

Ad Hebræos. Principium epiſtolæ.

Multifariam & multis modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis.

In Natale Sancti Ioannis.

Ad Timotheum 2. ſub titulo XVII.

Omnis ſcriptura divinitus inſtituta &c.

In Natale Innocentum.

Ad Romanos ſub titulo XI.

Iuſtificati igitur ex fide pacem habeamus &c.

De

---

(1) Quatuor *de Adventu* deſignantur lectiones, quot nempe hodieque numerantur Dominicæ Adventus; licet paſſim in antiquioribus monumentis liturgicis, quæ *Ed.* MARTENIUS lib. IV. de antiq. eccl. rit. cap. 10. notavit, atque etiam in noſtro antiquiſſimo ſacramentario & Graduali *Alemannico*, numerentur quinque Dominicæ ante Natale Dni; quæ tamen quarta eſt ſupra p. 202. & 363. reſpondet officio Dominicæ primæ, & ſic deinceps. Quæ vero lectio habetur Dominica III. Adventus, illa in *Comite Hieronymi* apud PAMELIUM Dominica proxima Natali D. & hic in noſtra tabula aſſignatur *Pridie Natale Domini*, a quo die in antiquioribus quibusvis monumentis liturgicis anni eccleſiaſtici auſpicium fit. In lectionario *Græco*, quod celebri regio *Alexandrino* codici præmiſſum legitur T. X. Bibl. PP. ed. *Venetæ* p. 316. poſt Dominicam XXVIII. poſt Pentecoſten notatur mox *Dominico ante Nativitatem Chriſti*, & *in feſto Transfigurationis Ad Philippenſes principium cap., II.* 5. Hoc enim ſentite &c. ut ſupra poſt. Dom. X.

(2) Vides hic unicam lectionem in Natali Domini, eamdem, quæ hodie in Miſſa tertia legitur, eademque notatur in lectionario *Græco*, regii *Alexandrini* codicis T. X. Bibl. PP. ed. novæ *Venetæ* p. 317. una tantum lectio in ipſo die, cui una item in vigilia Nativitatis eiusdem præmittitur. Tres vero Miſſæ in antiquiſſimis quibusvis liturgiæ *Romanæ* monumentis notantur, teſtante etiam S. GREGORIO M. hom. 8. in Evang. *Miſſarum ſolemnia ter hodie celebrari.* Sed Codex noſter S. GREGORIO antiquior eſt. In *Gelaſiano* vulgato plures Miſſæ Vigiliæ Natalis Domini adſcribuntur: nihil porro habetur de S. ANASTASIA, uti nec in noſtro lectionario, neque etiam ad diem proximum de S. STEPHANO, cuius tamen feſti antiquitatem Diſquiſ. IX. cap. 2. n. 7. & paullo ante ad Graduale dominicale p. 366. n. 1. oſtendimus. Cauſſa vero hic in promtu eſt, quod Tabula hæc lectionum ſolum ad codicem epiſtolarum D. PAULI ſit compoſita, lectio autem in feſto S. STEPHANI ex Actis Apoſtolorum, hiſtoria nimirum huius Protomartyris, quæ capp. VI. & VII. continetur, ſemper fuit deſumta, uti ex comite ſeu lectionario apud PAMELIUM T. II. Liturg. p. 2. & THOMASIO T. V. p. 298. palam eſt. Eadem lectio in mox laudato lectionario *Græco* notatur *Die ſequenti poſt feſtum Nativitatis Chriſti*, & *in feſtivitate S.* STEPHANI. At *Die III. poſt feſtum Nativitatis Chriſti ad Baptiſterium*, & *in feſtivitate S. Ioannis Evangeliſtæ ex Catholicis epiſtolis S. Ioannis epiſt. I.* Hinc colligit editor, baptiſmum eo die in quibusdam *Græcorum eccleſiis* fuiſſe collatum; SIRICIUS vero P. ep. I. ad HIMERIUM *Tarraconenſem* reiicit morem baptizandi infantes in Natalitiis Chriſti in eccleſiis etiam Occidentis. Quod de baptiſmo ſolemni in Epiphania Domini intelligi poteſt.

Digitized by Google

De Circumciſione Domini. (1)

Ad Romanos ſub titulo LI.

Quæcumque enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt &c.

De eodem die contra idola.

Ad Corinthios I. ſub titulo XXXVIIII.

De his autem, quæ idolis immolantur, ſcimus &c.

De eodem die.

Ad Corinthios I. ſub titulo XLVII.

Fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos &c.

In ieiunio Epiphaniorum. (2)

Ad Coloſſenſes ſub titulo II.

Ideo & nos, ex qua die audivimus, non ceſſamus &c.

In Epiphania mane. (3)

Ad Corinthios 2. ſub titulo X.

Quodſi etiam opertum eſt Evangelium noſtrum, in his &c.

In eodem die Epiphaniorum.

Ad Titum ſub titulo IV.

Servos dominis ſuis ſubditos eſſe in omnibus &c.

In eodem die Epiphaniorum.

Ad Galatas ſub titulo X.

Igitur qui ex fide ſunt, benedicentur cum fideli Abraham &c.

Cottidiana poſt Epiphaniam.

Ad Romanos ſub tituló XLII.

Sicut enim in uno corpore multa membra habemus &c.

Cot-

(1) Cum unam tantum Miſſam in Natali Domini obſervaverimus, hic ad diem octavam tres occurrunt; ac altera quidem *contra idola*, quæ nempe *Gelaſiano* inſcribitur *probibendum ab idolis*, in noſtro *de probibendo ab idolis*, ob ſuperſtitiones nimirum paganicas, ut Diſquiſit. IX. cap. 1. n. 5. &c. oſtendimus, de continuato ieiunio etiam easdem ob cauſſas in ipſa Vigilia Epiphaniæ Domini, quod hic præſcriptum legimus. Hinc geminata divina officia, & forte etiam multiplicata *cottidiana poſt Epiphaniam.* Id quod tamen cum ad primam tantum lectionem notetur, deinceps vero *cottidiana* ſimpliciter inſcribantur officia decem numero, quot in antiquis Capitularibus Evangeliorum notantur, eadem ratio eſſe poteſt, quam mox, & paullo poſt ad Capitulare noſtrum Evangeliorum per annum notabimus; & eo quidem veriſimilior, quod nulla prorſus officia Dominicarum poſt Paſcha & deinceps in Tabula noſtra *Fuldenſi* amplius occurrant.

(2) De celebri hoc in Oriente & Occidente olim ieiunio diſſeruimus Diſquiſ. IX. P. III. cap. 1. n. 6. ad illuſtrandum locum antiquiſſimi *Alemannici* Capitularis ſeu breviarii ordinis eccleſiaſtici, in quo ſolemnes vigiliæ ordinantur, cum adminiſtratione Baptiſmi, ut in Paſchate & Pentecoſte, quæ in Orientali præſertim & *Africana* eccleſia celebrabantur: videnturque explicare appoſite vexatum locum S. HIERONYMI cap. 1. Comment. in EZECHIELIS verba *In quinto menſe*, ſic loquentis: *Quintam autem adiungit, ut ſignificet baptiſma, in quo aperti ſunt Chriſto cæli, & Epiphaniorum dies bucusque venerabilis eſt, non, ut quidam putant, natalis in carne.* Quæ nempe accipi poſſunt de vigilia Epiphaniæ ex die quinto menſis luceſcente in ſextum, quo conſtanter in Oriente & Occidente agitur hoc feſtum, apud *Græcos* olim pro ipſo Natalitio Domini habitum. Nihil tamen de hac vigilia occurrit in laudato lectionario *Græco* T. X. Bibl. PP. p. 318.

(3) Vides, in hac ſolemnitate triplex officium, prout etiam tria myſteria celebrata iam a S. PAULINO notantur Natali IX. de S. FELICE, ubi Epiphaniam inter maximas canit ſolemnitates. Iamque ex MABILLONIO de *Liturg. Gallic.* p. 117. obſervavimus loco in ſuperiori nota citato, hac die ex tribus Evangeliſtis contextum in lectionario *Luxovienſi* evangelium de Chriſti baptiſmo & nuptiis in Cana *Galilææ*, in Miſſa vero Vigiliæ de adoratione Magorum.

Digitized by Google

Cottidiana.

Ad Hebræos ſub titulo XII.

Confidimus autem de vobis dilectiſſimi meliora &c.

Cottidiana.

Ad Hebræos ſub titulo VIII.

Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem &c.

Cottidiana.

Ad Galatas ſub titulo XIII.

Nemo ſpernit aut ſuperordinat, Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones &c.

Cottidiana.

Ad Hebræos ſub titulo XII.

Confidimus autem de vobis dilectiſſimi meliora &c.

Cottidiana.

Ad Timotheum I. ſub titulo XXVII.

Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia &c.

Cottidiana.

Ad Romanos ſub titulo XLII.

Sicut enim in uno corpore multa membra habemus &c.

Cottidiana.

Ad Romanos ſub titulo XVIII.

Scimus enim, quod lex ſpiritalis eſt, ego autem carnalis ſum &c.

Cottidiana.

Ad Romanos ſub initium epiſtolæ.

Paulus ſervus Chriſti Ieſu vocatus Apoſtolus, ſegregatus &c.

Cottidiana.

Ad Romanos ſub titulo XLIII.

Omnibus poteſtatibus ſublimioribus ſubditi eſtote &c.

Cottidiana.

Ad Romanos ſub titulo I.

Id ſupra.

In Sexageſima (1)

Ad Timotheum I. ſub titulo V.

Obſecro igitur primo omnium fieri &c.

Cottidiana.

Ad Corinthios I. ſub titulo XLII.

Neſcitis, quod hi, qui in ſtadio currunt &c.

In Quinquageſima.

Ad Romanos ſub titulo XLVIII.

In hoc enim Chriſtus mortuus eſt, & revixit &c.

In Quadrageſima.

Ad Corinthios I. ſub titulo XLII.

Neſcitis, quod hi, qui in ſtadio currunt &c.

In

(1) Ita etiam in lectionario antiquiſſimo apud Ven. THOMASIUM T. V. opp. ed. VEZZOS. p. 424. ad uſum eccleſiæ *Mediolanenſis*, omiſſa Septuageſima, notatur *lectio in caput Sexages.* Sequitur in noſtro lectionario cottidiana *Neſcitis quod hi, qui in ſtadio currunt &c.* quæ lectio hodie legitur in Septuageſima. Quodſi coniici poſſet, hic aliquam interceſſiſſe ordinis aut inſcriptionis inverſionem, de ſuperiore etiam inſcriptione *Cottidiana* coniectura fieri poſſet, eſſe potius officis communia Dominicarum per annum, non ſolum poſt Epiphaniam; qualia deinceps, præterquam in Quadrageſima, nulla recurrunt poſt officia in Sexageſima & Quinquageſima. Quæ ipſa ad ritum quemdam ac obſervantiam veterem cum ieiunio quadrageſimali coniunctum referri poſſunt; de quo in Conc. IV. *Aurel.* can. 2. decernitur: *ut Quadrageſima ab omnibus eccleſiis æqualiter teneatur; neque Quinquageſimam aut Sexageſimam ante Paſcha quilibet Sacerdos præſumat indicere.* Convenit hoc quodammodo cum eo, quod SOCRATES lib. V. cap. 21. & SOZOMENUS lib. VII. cap. 19. de ſex vel ſeptem hebdomadis ieiunii Quadrageſimalis, ſed minus curate, ſcribunt.

Digitized by Google

In ieiunio I. in Quadrageſima.(1)

Ad Romanos ſub titulo XVI.

Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore &c.

Ieiunio II. in Quadrageſima.

Ad Romanos initium ſub titulo XL.

Obſecro itaque vos fratres per miſericordiam Dei &c.

In Quadrageſima Dominica II.

Ad Romanos ſub titulo XLIV.

Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum &c.

In Quadrageſima ieiunio III.

Ad Galatas ſub titulo XXVIII.

Omnis enim lex in uno ſermone impletur &c.

In Quadrageſima ieiunio IV.

Ad Epheſios ſub titulo XVI.

Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino &c.

In Quadrageſima Dominica III.

Ad Epheſios ſub titulo XVII.

Vos autem non ita didiciſtis Chriſtum &c.

In Quadrageſima ieiunio V.

Ad Epheſios ſub titulo XX.

Eſtote ergo imitatores Chriſti &c.

In Quadrageſima ieiunio VI.

Ad Epheſios ſub titulo XXX.

De cætero fratres confortamini in Domino &c.

In Quadrageſima Dominica IV.

Ad Galatas ſub titulo IV.

Notum autem vobis facio &c.

In Quadrageſima ieiunio VII.

Ad Theſſalonicenſes 1. ſub titulo XIII.

De cætero ergo fratres rogamus vos, & obſecramus in Domino Ieſu &c.

In Quadrageſima ieiunio VIII.

Ad Theſſalonicenſes 2. ſub titulo VI.

Fidelis autem Deus eſt, qui confirmavit &c.

In Quadrageſima Dominica V.

Ad Coloſſenſes ſub titulo V.

Hoc autem dico, ut nemo vos decipiat &c.

In Quadrageſima ieiunio IX.

Ad Romanos ſub titulo L.

Et quæ ædificationis ſunt in invicem &c.

In Quadrageſima ieiunio X.

Ad Corinthios 2. ſub titulo VII.

Incipimus autem nosmetipſos commendare &c.

Do-

(1) Hoc titulo poſt Officium Dominicæ primæ uſque ad Dominicam Palmarum, quæ hic dicitur *Dominica ante octo dies Paſchæ*, per ſingulas hebdomadas, præter officium Dominicæ, binæ habentur lectiones, adeoque decem tantummodo numerantur ferialia officia uſque ad hebdomadam maiorem; quæ hic uno abundat officio ſeu lectione poſt Dominicam ante octo dies Paſchæ. Sequitur enim lectio una *in ebdomada maiore* poſt officium Dominicæ, ante illud *in ſecunda feria ante Paſcha ebdomada maiore.* Congruit quodammodo dierum quindecim ieiunii quadrageſimalis numerus a SOCRATE l. c. notatus. Demum lectionarium hoc in eo convenit cum Graduali dominicali, paullo ſupra ex Codice *Rhenaugienſi* edito, quod ſola hebdomada maiori ſingulis diebus occurrat officium: ita tamen, ut hic in Feria V. i. e. in Cœna Domini, duplex ſit officium, alterum nempe *ad Veſperum Cenam Domini*, de quo agimus in Diſquiſit. IX. P. III. cap. 1. p. 850. & ſupra p. 78. n. 1. duplex item poſt officium *in Sexta feria ante noctu magna*, nempe *in noctu ſancta mane*, & *in noctu ſancta noctu:* de quo officio diximus Diſquiſit. IX. P. III. p. 861. &c.

Dominica ante octo dies Paſchæ.

Ad Corinthios 2. ſub titulo V.

Statui autem hoc ipſe apud me iterum &c.

In Ebdoma maiore.

Ad Corinthios 2. ſub titulo XXV.

Nam ſi is, qui venit, alium Chriſtum prædicat &c.

In ſecunda feria ante Paſcha Ebdoma maiore.

Ad Galatas ſub titulo VII.

Cum autem veniſſet Petrus &c.

In tertia feria ante Paſcha.

Ad Galatas ſub titulo IX.

Cognoſcite ergo, quia qui ex fide ſunt &c.

In quarta feria ante Paſcha.

Ad Epheſios ſub titulo VII.

Nunc autem in Chriſto Ieſu vos &c.

In quinta feria ante Paſcha.

Ad Corinthios 1. ſub titulo XXIII.

Non bona gloriatio veſtra, fratres neſcitis, quia &c.

In Quinta feria ad Veſperam Cœnam Domini.

AdCorinthios 1.ſub tituloLVI.

De collectis autem, quæ fiunt &c.

In Sexta feria ante noctu magna.

Ad Philippenſes ſub titulo V.

Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu &c.

In noctu ſancta mane.

Ad Philippenſes ſub titulo XIII.

Gaudete in Domino ſemper, iterum dico gaudete &c.

In noctu ſancta noctu.

Ad Corinthios I. ſub titulo XLIV.

Nolo vos ignorare fratres, quoniam Patres noſtri &c.

In ſanctum Paſcha.

Ad Coloſſenſes ſub titulo XI.

Igitur ſi conſurrexiſtis cum Chriſto &c.

In ſecunda feria Paſchæ.

Ad Romanos ſub titulo XV.

An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus &c.

In tertia feria Paſchæ.

Ad Romanos ſub titulo XII.

Si enim Chriſtus, cum adhuc infirmi eſſemus.

In Quarta feria Paſchæ. (1)

Ad Epheſios ſub titulo IV.

Deus autem, qui dives eſt in miſericordia &c.

In

(1) Sic in ſtatutis S. BONIFACII, ad quem codex iſte pertinuit, ponuntur *in Paſcha Domini poſt Dominicam dies tres ſabbatizandi*, omiſſo feſto Pentecoſtes, quod in ſtatutis laudatis fieri potuit, quia paſſim feriæ poſt Pentecoſten tot diebus celebrantur, quot in Paſchate aguntur. Sed enim in noſtro Lectionario nec Pentecoſtes nec Aſcenſionis feſtum defectu quodam, aut negligentia ſcriptoris omiſſum eſt, ex cauſſa ſuperius iam indicata, quod hiſtoria Aſcenſionis Domini, nec non effuſionis S. Spiritus in Apoſtolos ex Actis Apoſtolorum legi in Miſſa ſemper conſueverit, veluti in feſto S. IOANNIS *Baptiſtæ* ex HIEREMIA propheta. Alia ratio eſt antiquiſſimi lectionarii *Ambroſiani* apud Ven. THOMASIUM T. V. p. 424. &c. quia ritu illo duæ in Miſſa habebantur lectiones, una ex veteri teſtamento, *prophetia* dicta, alia ex novo, quæ accommodate *Apoſtolus* nominatur.

Digitized by Google

In Paſcha annotina. (1)

Ad Epheſios ſub titulo XIIII.

Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino &c.

In Natale ſanctorum Petri & Pauli. (2)

Ad Romanos ſub titulo XXXII.

Corde enim creditur ad iuſtitiam &c.

In ieiunium ſancti Laurentii.

Ad Timotheum 2. ſub titulo XXIIII.

In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt &c.

In Natale eodem.

Ad Corinthios 2. ſub titulo XXII.

Hoc autem dico, quoniam qui parce ſeminat, parce & metit &c.

In ieiunio ſancti Andreæ.

Ad Timotheum 2. ſub titulo V.

Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus &c.

In Natale ſancti Andreæ.

Ad Corinthios 1. ſub titulo VII.

Et ego cum veniſſem ad vos fratres, veni &c.

De Martyribus.

Ad Hebræos ſub titulo XII.

Chriſtus autem adſiſtens Pontifex futurorum bonorum &c.

De Martyribus.

Ad Hebræos ſub titulo XII.

De Martyris generalis feminini. (3)

Ad Corinthios 2. ſub titulo XXIIII.

Qui autem gloriatur, in Domino glorietur &c.

De

(1) Quando nimirum, qui ſuperiore Paſchate baptizati fuerant, circumacto anno baptiſmi ſui diem uſitatis aliis in paſchali feſtivitate ſolemnibus ritibus celebrabant. Vid. Diſquiſit. IX. P. III. cap. 1. n. 13.

(2) Ritus *Romani* fuiſſe hoc lectionarium, ipſa hæc tria feſta ſubſequentia, præſertim S. LAURENTII, oſtendunt. Forte SS. PETRI & PAULI vigilia hic non notatur, quod ubique cum lectione ex Actis Apoſtolorum notetur; quod quamvis in ipſo etiam eorumdem feſto tam in Miſſali *Romano*, quam apud PAMELIUM obſervetur, id tamen haud conſtans adeo ſemper fuit, uti vel ex hoc lectionario liquet, ubi lectio ex Apoſtolo aſſignatur; ne quid dicam de antiquiſſimo lectionario *Mediolanenſi* apud THOMASIUM T. V. p. 426. in quo pro eodem feſto lectio itidem ex Apoſtolo, licet a noſtra diverſa, occurrit.

(3) Lege *De martyribus generis feminini*, ſimulque adverte, nihil in hoc lectionario vel in generali vel in ſpeciali occurrere de Confeſſoribus vel Virginibus non Martyribus, nec quidem de ipſa Virgine virginum B. MARIA. Hoc fieri potuit ob rationem iam allatam; illud vero de nullo alio monumento veteris liturgiæ *Romanæ*, *Gallicanæ*, *Gotho-Hiſpanicæ* ſeu *Mozarabicæ* ac *Ambroſianæ* dici poteſt, ut cum antiquitate huius lectionarii contendi queat. In lectionario Græco ſuperius citato pag. 316. poſtquam ordine temporum in feſto Transfigurationis Domini, in Aſſumtione & Nativitate Virginis Deiparæ, in feſto Exaltationis S. Crucis, in feſtivitate SS. COSMÆ & DAMIANI inter Dominicas poſt Pentecoſten, & ante Dominicam Palmarum in feſto Annuntiationis Deiparæ lectiones fuiſſent notatæ, in fine occurrunt lectiones in Sanctorum commemorationibus, in Feſto unius & plurium Pontificum, plures in feſtivitatibus Sanctorum, in Dedicatione eccleſiæ, in ſanctarum Mulierum feſtis, demum in commemorationibus mortuorum.

Digitized by Google

De Martyribus.

Ad Hebræos ſub titulo XII.

Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis &c.

De Martyribus.

Ad Timotheum 2. ſub titulo II.

Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione &c.

De Martyribus.

Ad Romanos ſub titulo XXI.

Iuſtificati igitur ex fide &c.

In Dedicatione. (1)

Ad Corinthios 1. ſub titulo XI.

Qui plantat autem, & qui rigat, unum ſunt &c.

In Dedicatione.

Ad Hebræos ſub titulo III.

Unde fratres ſancti, vocationis cœleſtis participes &c.

In Dedicatione.

Ad Epheſios ſub titulo VI.

Propter quod memores eſtote, quod aliquando vos &c.

In Natale Epiſcopi. (2)

Ad Hebræos. *Vacat titulus.*

De Ordinationibus.

Ad Timotheum 1. ſub titulo VIII.

Fidelis ſermo, ſi quis Epiſcopatum deſiderat &c.

De Ordinationibus Diaconorum.

Ad Timotheum 1. ſub titulo XII.

Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus &c.

De Agendis. (3)

Ad Theſſalonicenſes 1. ſub titulo XVII.

Nolumus autem ignorare vos fratres de dormientibus &c.

---

(1) Trina lectio ſeu officia *in Dedicatione* videntur pro uſu diverſarum eccleſiarum *Romæ* fuiſſe diſtincta; prout hodieque non in Urbe tantum, ſed per orbem quoque Catholicum nonnullarum *Romæ* eccleſiarum dedicatio celebratur: aut certe pro repetitione officii intra octavam fuere deſtinata, loco lectionum cottidianarum; iam enim tum per octo dies Dedicationis ſolemnia peragebantur.

(2) Ita paſſim dies anniverſarius ordinationis Epiſcopi, vel Papæ *natalis*, *natalitius*, vel etiam *dedicatio* dicitur, non in antiquioribus ſolum monumentis liturgicis, verum etiam apud SS. PP. AMBROSIUM, AUGUSTINUM, PETRUM *Chryſologum*, LEONEM M. & GREGORIUM, etiam *Turonenſem* vid. *Wilh. Ern.* TENZELII Tract. *de Natalitiis Epiſcop.* Exercit. ſelect. P. I. p. 345. Et *Ioach.* HILDEBRAND Tract. *de Natalitiis vet. ſacr. & prof.* In Mſc. monaſterii *Rhenaugienſis* circa finem ſæc. VIII. vel initium IX. exarato lectiones deſignantur pro vigiliis ſeu officio canonico *in Natali epiſcoporum* ex homiliis S. GREGORII M. in EZECHIELEM.

(3) i. e. mortuorum, ſeu pro defunctis, quam hodieque in die obitus legimus.

CAPI-

CAPITULARE EVANGELIORUM

DE ANNI CIRCULO.

Ex Mſc. *Spirenſi* Sec. VIII. circ. collato cum *Rhenaugienſi* Sec. X. circ.

Sequens laterculum, ſeu Capitulare Evangeliorum mecum communicavit *A.* BEEKE, *Spiræ* Præbendarius regius, inſertum antiquiſſimo codici Evangeliorum, cui etiam Canones Evangeliorum, ut frequens eſt in vetuſtioribus manuſcriptis, præmittuntur. Lacunas, quas ſubinde temporum iniuria paſſus eſt Codex *Spirenſis*, ſupplevimus ex gemino, cum quo *Spirenſe* contulimus, & variantes uncinis incluſas adnotavimus, Mſc. *Rhenaugienſis* bibliothecæ, adeo antiquis Codicibus liturgicis refertæ, ut ſuapte veterem liturgiam *Alemannico-Romanam* poſtliminio reſtituere poſſit. Convenit utrumque hoc noſtrum Capitulare ut plurimum & ad verbum fere cum *Vaticano* & *Palatino*, ſeu *Laureshaimenſi* apud THOMASIUM T. V. Opp. p. 429. & ſeqq. ac præcipue cum eo, quod FRONTO edidit ex Mſc. ſec. VIII. & minus accurate *Kalendarium* inſcripſit.

Digitized by Google

Incipit Capitulare Evangeliorum De anni circulo.

In Natale Domini (1) ad Sanctam Mariam [Maiorem] ſecundum Lucam capitulo III. *In illo tempore exiit edictum a Cæſare Auguſto*, uſque, *pax hominibus bonæ voluntatis.*

Item ad S. Anaſtaſiam ſec. Lucam c. III. *In illo tempore paſtores loquebantur ad invicem*, uſque, *ſicut dictum eſt ad illos.*

Item ad S. Petrum ſec. Ioh. cap. I. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum*, uſque, *plenum gratiæ & veritatis.*

In Nat. S. Stephani ſec. Matth. cap. CCXL. *In illo tempore dicebat Ieſus turbis Iudæorum & principibus ſacerdotum: ecce ego mitto ad vos prophetas*, uſque *benedictus qui venit in nomine Domini.*

In Nat. S. Iohannis Apoſtoli & Evangeliſtæ, ſec. Ioh. cap. CCXXXI. *In illo tempore dixit Ieſus Petro ſequere me*, uſque, *quia verum eſt teſtimonium eius.* (2)

In Nat. Innocentum, ſec. Matth. cap. VI. *In illo tempore angelus Dni in ſomnis apparuit Ioſeph*, uſque, *Rachel plorans filios ſuos noluit conſolari, quia non ſunt.* (3)

In Nat. S. Sylveſtri die XXXI. menſis Decemb. ſec. Matth. cap. CCLXII. (al. CCLXIII.) *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: vigilate, quia neſcitis*, uſque, *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.*

Dominica I. poſt Nat. Dni ſec. Lucam cap. III. *In illo tempore erant pater & mater Ieſu mirantes*, uſque, *gratia Dei erat in illo.* (4)

In Octavas Dni [ad ſanctam Mariam ad Martyres] ſec. Lucam cap. III. *In illo tempore cum conſumtis diebus*, uſque, *gloriam plebis tuæ Iſrael.* (5)

In Nat. S. Martinæ Id. Ian. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cœlorum theſauro*, uſque, *nova & vetera.*

[Die ſupraſcripto Nat. S. Martinæ, ſec. Matth. cap. CCLXVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis, ſimile eſt regnum cœlorum decem virginibus*, uſque, *quia neſcitis diem neque horam, qua Dominus veſter venturus ſit.*] (6)

In

(1) Uterque codex noſter non a Vigilia Natalis D. ut alia antiqua Evangeliaria, ſed a prima Miſſa ipſius Natalis incipit, quæ ſicut & duæ ſequentes per ſuas Stationes inſcribuntur; quod paſſim etiam fit in aliis ſtationum diebus, qui *Romanæ* eccleſiæ more notantur. Idipſum obſervatur etiam in Capitulari Evangeliorum apud THOMASIUM T. V. opp. pag. 431.

(2) Unica tantum Miſſa in hoc feſto paſſim notatur, quantum ad Evangelium, quamvis in *Thomaſ.* l. c. & etiam in ſacramentariis, ac Graduali duplex aſſignetur, de quo vid. ſupra pag. 367. n. 2.

(3) In *Rhenaug.* uti in *Marteniano* aſſignatur integrum Evangelium uſque, *quoniam Nazaræus vocabitur:* & ita paſſim. Vid. THOMAS. l. c. pag. 432.

(4) Dominica hæc in *Rhenaug.* deeſt. Vid. infra in vigil. Epiph. & apud THOMAS. p. 433. n. 1.

(5) Eſt error in MS. legendum ut in *Rhenaug.* & *Thomaſ.* ac *Pamel.* *Poſtquam conſummati ſunt dies octo*: ubi ſimul notandum, nonniſi in paucis, iiſque recentioribus Codd. decurtatum Evangelium aſſignari, quod hodie in Miſſali habetur.

(6) Feſtum hoc etiam in aliis notatur ad diem 1. ſeu Cal. *Ian.* cum Evang. ut ſupra in *Rhenaug.* Vid. MARTENE *Theſ. Anecdot.* T. V. pag. 67. n. c. Cæterum utrumque etiam Evangelium exhibet THOMASIUS T. V. pag. 433.

Digitized by Google

In Vigil. de Theophania, ſec. Matth. cap. VI. *In illo tempore defuncto Herode,* uſque, *Nazaræus vocabitur.*

[In Vigilia Theophaniæ, Ipſa legitur Dominica prima poſt natale Domini in eccleſia ſancti Petri, ſecundum Matth. cap. VI. &c. *ut in Spirenſi.*] (1)

In Theophania ad S. Petrum, ſec. Matth. cap. IIII. *In illo tempore cum natus eſſet Ieſus in Bethlehem,* uſque, *reverſi ſunt in regionem ſuam.*

Poſt Theoph. ad S. Petrum ad Vincula ſec. Marc. cap. III. *In illo tempore fuit Iohannes in deſerto baptizans,* uſque, *filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* (2)

Item altera poſt Theophan. ad S. Anaſtaſiam, ſec. Ioh. cap. XIII. *In illo tempore vidit Iohannes Ieſum venientem ad ſe,* uſque, *quia hic eſt filius Dei.* (3)

Item altera [poſt Theophan.] ad S. Iohannem & Paulum, ſec. Matth. cap. VII. *In illo tempore venit Iohannes Baptiſta,* uſque, *filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*

Dominica I. poſt Theoph. ſec. Lucam cap. III. *In illo tempore cum factus eſſet Ieſus annorum XII.* uſque, *apud Deum & homines.*

Menſe Ianuario, die XIIII. Nat. S. Felicis Mart. [Confeſſoris in Pincis] ſec. Luc. cap. CXVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis, qui vos audit, me audit,* uſque, *nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo.*

It. XVI. menſe ſupraſcripto Nat. S. Marcelli [Martyris & Pontificis] ſecundum Matth. cap. CCLXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: homo quidam peregre proficiſcens,* uſque, *intra in gaudium Dni tui.* (4)

Hebdomada II. poſt Theoph. [die Dominico] ſec. Ioh. cap. XVIII. *In illo tempore nuptiæ factæ ſunt in Cana Galileæ,* uſque, *crediderunt in eum diſcipuli eius.*

Item alia poſt Theoph. ſec. Matth. [l. Luc.] cap. XVII. *In illo tempore regreſſus Ieſus in virtute Spiritus in Galilea,* uſque, *procedebant de ore eius.* (5)

Item Fer. IV. ſec. Marc. cap. XVIII. *In illo tempore venit ad Ieſum leproſus deprecans eum,* uſque, *præcipit Moyſes* [*in*] *teſtimonium illis.* (6)

Fer.

(1) Ita etiam in Calendario FRONTONIS, quoad Stationem & Evangelium, quod in *Marteniano* diverſum eſt. Cæterum quod hic in *Rhenaug.* eſt, *ipſa legitur dominica prima poſt natale,* apud THOMASIUM p. 433. in Cod. Palat. habetur: *ipſa legitur dominica II. poſt natale Dni;* & in Vatic. *ipſa legitur Dominica prima poſt octabas Dni.*

(2) In *Rhenaug.* inſcribitur *Die prima poſt Theoph.* ſimiliter in Calend. FRONT. in quo etiam duæ ſequentes Miſſæ notantur, ſed in *Marteniano* una tantum poſt Theophan. Miſſa occurrit.

(3) In *Rhenaug.* in margine paullo inferius recentiore manu idem aſſignatur Evangelium, ſub prævia rubrica *Feria IIII. poſt Theoph.*

(4) Evangelium hoc in omnibus Codd. notatur, etſi hodie in Miſſali aliud legatur.

(5) Miſſa hæc in *Marteniano* habetur fer. IV. poſt Dominicam I. & in *Pameliano* fer. IV. poſt Dom. II. videtur autem ad priorem hebdomadam eſſe referenda; licet etiam in *Thomaſiano* ut in *Spirenſi* notetur.

(6) Ita etiam quoad tres has ferias legitur in Calendario FRONTONIS, aliter vero in *Marten.* & *Pamel.* in quibus etiam Sabbati officium hic & in ſequentibus deeſt, qui dies primum Stationum ſeu ieiunii diebus MARTENIO arbitro accenſitus eſt ſec. V. neque eius officium inter dies ſtationum reperitur in vetuſtiſſimis codicibus, quamvis in *Frontoniano* eo ut in noſtris modo ſemper notetur. Cæterum hic & deinceps poſt Epiphaniam & Pentecoſten ſæpius aſſignantur Evangelia pro antiquiſſimis diebus ſtationum Fer. IV. VI. & Sabb. Vid. Diſquiſit. X. P. III. cap. I. n. 4.

Fer. VI. ſec. Marc. cap. L. *In illo tempore venit Ieſus in patriam ſuam*, uſque, *impoſitis manibus curavit.*

Die Sabb. ſec. Luc. cap. XXVI. *In illo tempore ſurgens Ieſus de ſynagoga*, uſque, *evangelizare regnum Dei.*

Die XVIII. menſis ſupraſcripti Nat. S. Priſcæ, ſec. Matth. cap. CXL. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cælorum theſauro*, uſque, *nova & vetera.* (1)

Hebdom. III. poſtTheophan. ſec. Matth. cap. LXIII. *In illo tempore cum deſcendiſſet Ieſus de monte, ſecuta eſt eum turba*, uſque, *ſanatus eſt puer ex illa hora.*

Fer. IIII. ſec. Marc. cap. XXV. *In illo tempore introivit Ieſus in ſynagoga*, uſque, *& reſtituta eſt manus illius.*

Fer. VI. ſec. Luc. cap. XXXIII. *In illo tempore cum eſſet Ieſus in una civitate*, uſque, *curarentur ab infirmitatibus ſuis.*

Die Sabb. ſec. Marc. cap. XXXVI. *In illo tempore cæpit Ieſus docere*, uſque, *qui habet aures audiendi, audiat.* (2)

Die XX. menſis ſupraſcripti. Nat. S. Sebaſtiani ſec. Luc. cap. XLV. *In illo tempore deſcendens Ieſus de monte* [uſque] *ecce enim merces veſtra multa eſt in cælis.* (3)

Die ſupraſcripto Nat. S. Fabiani [Martyris & Pontificis, ſec. Matth.] cap. CCLXIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: vigilate, quia neſcitis*, uſque, *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.*

Hebd. IIII. poſt Theoph. [die Dominico ſec. Matth. cap. LXVIIII. *In illo tempore*] *aſcendente Ieſu in naviculam*, uſque, *quia venti & mare obediunt ei.*

Die XXI. menſe ſupraſcripto Nat. S. Agnæ de paſſione, ſec. Matth. cap. CCLVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cælorum decem virginibus*, uſque, *quia neſcitis diem neque horam.*

Fer. IIII. ſec. Matth. cap. LXXIIII. *In illo tempore loquente Ieſu ad turbas, ecce unus de principibus*, uſque, *in univerſam terram illam.*

Fer. VI. ſec. Marc. cap. XLI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis & turbis, videte, quid audiatis*, uſque, *diſcipulis ſuis diſſerebat omnia.*

Die Sabb. ſec. Luc. cap. CLXXVIII. *In illo tempore dicebat Ieſus parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent*, uſque, *beatus qui manducabit panem in regno Dei.* (4)

Hebd. V. [poſt Theophan.] ſec. Matth. cap. CXXXVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cælorum homini, qui ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo*, uſque, *triticum autem congregate in horreum meum.* (5)

Die

(1) Similiter in *Martentano*, ſed in *Pameliano* deeſt, quamvis in ſacramentariis, & apud THOMASIUM notetur, T. V. opp. pag. 438.

(2) Sic & in *Frontoniano* ac *Thomaſiano* quoad tres iſtas ſtationes, aliter tamen in *Marten.* ac *Pamel.* quod & in ſequentibus paſſim fit.

(3) In *Pameliano* habetur officium unum pro SS. FABIANO & SEBASTIANO, in *Marteniano* pro ſolo S. SEBASTIANO; ſed in *Frontoniano* ac *Thomaſiano*, ut in noſtris, propria pro unoquoque notatur Miſſa.

(4) Conſentiunt hic iterum codices noſtri cum *Fronton.* & *Thomaſ.*

(5) In *Marteniano* quatuor tantum hebdomades poſt Epiphaniam habentur; in *Pameliano* notatur Dominica V. ſed cum alio Evangelio: *Fronton.* & *Thomaſ.* cum noſtris conveniunt.

Digitized by Google

Die XXII. menſe ſupraſcripto Nat. S. Vincentii [Statio in baſilica ſancti Euſebii iuxta Merulana (1)] ſec. Ioh. cap. CIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: niſi granum frumenti*, uſque, *honorificabit eum Pater meus, qui eſt in cœlis.*

[Die ſupraſcripta Nat. Anaſtaſii monachi, item alia *ut mox.* (2)]

Item alia ſec. Marc. cap. XLVIIII. *In illo tempore cum tranſcendiſſet Ieſus in naviculam, rurſus transfretavit*, uſque, *vade in pace, & eſto ſana a plaga tua.*

Die XXVIII. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Agnæ de Nativitate, ſec. Matth. cap. CXL. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cœlorum theſauro*, uſque, *nova & vetera.* (3)

Fer. VI. ſec. Marc. cap. XLVII. *In illo tempore venit Ieſus trans fretum in regionem Geraſenorum*, uſque, *& miſertus eſt tui.*

Die Sabb. ſec. Luc. cap. LXVII. *In illo tempore factum eſt, deinceps ibat Ieſus in civitatem*, uſque, *Deus viſitavit plebem ſuam.*

Hebd. VI. poſt Theoph. ſec. Marc. cap. LXVII. *In illo tempore cum ſero eſſet factum, erat navis in medio maris*, uſque, *quotquot tangebant eum, ſalvi fiebant.*

Fer. VI. ſec. Luc. cap. LXXIIII. *In illo tempore rogavit Ieſum [quidam] Phariſæus, ut cum illo manducaret*, uſque, *quoniam dilexit multum.* (4)

Die Sabb. ſec. Marc. cap. XXI. *In illo tempore egreſſus Ieſus ad mare, omniſque turba*, uſque, *non veni vocare iuſtos, ſed peccatores.*

Hebd. VII. ſec. Matth. cap. CXVI. *In illo tempore cum veniſſet Ieſus [ad turbas] in ſynagogam Iudæorum*, uſque, *curavit eos omnes.*

Menſe Februario [Die] ſecunda, hypapante [ad Sanctam Mariam] ſec. Luc. cap. III. *In illo tempore poſtquam impleti ſunt dies purificationis matris Ieſu [purgationis eius] ſecundum legem Moyſis*, uſque, *gloriam plebis tuæ Iſrael.*

Die V. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Agathæ, ſec. Matth. cap CCLXVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cœlorum decem virginibus*, uſque, *quia neſcitis diem neque horam.* (5)

Fer. IIII. ſec. Marc. cap. LXIII. *In illo tempore exiens Ieſus de nave vidit turbam multam*, uſque, *& cum dimiſiſſet eos, abiit in montem orare.*

Fer. VI. ſec. Matth. cap. CXLVII. *In illo tempore veſpere autem facto acceſſerunt ad Ieſum*, uſque, *manducantium autem*

---

(1) Vid. de hac Statione Ven. THOMAS. opp. T. V. pag. 440. not. A. Idem huius feſti Evangelium exhibet Calend. FRONTONIS & THOMASII, aliud vero *Martenianum*; in *Pameliano* ipſum feſtum deeſt.

(2) Eodem modo, ut in *Rhenaugienſi*, notatur in *Thomaſiano*, omiſſo *item alia.* Videtur autem Evangelium hoc pertinere ad Fer. IV. non ad feſtum S. ANASTASII, cum & in duobus codicibus a THOMASIO editis ita aſſignetur.

(3) Ita & in *Thomaſiano*, ſed in *Marten.* & *Pamel.* omnino deficit.

(4) Feria IV. ceu dies ſtationum, hic & in *Thomaſiano* omiſſa; ſic & in ſequentibus aliqui ſtationum dies deſiderantur.

(5) Idem Evangelium in omnibus aliis codicibus aſſignatur, quamvis hodie in Miſſali aliud legatur.

autem fuit numerus quinque millia hominum.

Hebd. VIII. ſec. Luc. cap. LXXXVI. *In illo tempore convocatis Ieſus diſcipulis ſuis*, uſque, *evangelizantes & curantes ubique.*

Fer. IIII. ſec. Matth. cap. CLIIII. *In illo tempore acceſſerunt ad Ieſum ab Hieroſolymis Scribæ*, uſque, *non lotis manibus manducare non coinquinat hominem.*

Die XIIII. menſis ſupraſcripti Nat. S. Valentini, ſec. Luc. cap. XCVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſi quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum*, uſque, *donec videant regnum Dei.* (1)

Fer. VI. ſec. Luc. cap. LXXXIIII. *In illo tempore, factum eſt autem in una dierum aſcendens Ieſus in naviculam*, uſque, *prædicans quanta illi Ieſus feciſſet.*

Die Sabb. ſec. Marc. cap. LXXII. *In illo tempore ſurgens Ieſus abiit in fines Tyri & Sidonis*, uſque, *& dæmonium exiſſe ab ea.*

Hebd. VIIII. ſec. Matth. cap. CCXXI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc; ſimile eſt regnum cælorum homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo*, uſque, *multi vocati, pauci autem electi.*

Hebd. X. ſec. Matth. cap. CLVII. *In illo tempore egreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri & Sidonis*, uſque, *& ſanata eſt filia eius ex illa hora.* (2)

[Menſis Martii die XII. Nat. ſancti Gregorii Confeſſoris atque Pontificis, ſec. Matth. cap. CCLXIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: vigilate*, uſque, *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* (3)]

Die XXV. menſis Martii Adnuntiatio Domini, ſec. Luc. cap. III. *In illo tempore miſſus eſt Gabriel Angelus a Deo*, uſque, *fiat mihi ſecundum verbum tuum.*

Incipiunt Lectiones Evangeliorum a Septuageſima uſque in Paſcha.

Dom. I. [in Septuageſima.] ad S. Laurentium, ſec. Matth. cap. CC. *In illo*

(1) Feſtum hoc notatur pariter in *Frontaniano*, *Pamel.* & *Thomaſ.* deeſt autem in *Marteniano*, uti & ſequens S. Gregorii, quin & ipſum Incarnationis Dominicæ ſeu Annuntiationis B. M. V. feſtum, cum in antiquiſſimis monumentis nullum prorſus in Quadrageſima occurrat feſtum.

(2) Ponuntur hic, uti & in *Frontoniano*, & *Thomaſ.* decem omnino Dominicarum officia poſt Epiphaniam, & quidem ſingulis fere hebdomadis, ultimis dumtaxat exceptis, lectionibus pro Feriis ſtationum duabus aut tribus, Fer. IV. VI. & Sabbato, adnotatis: uti etiam in Capitulari Evangeliorum apud Ven. Thomasium T. V. opp. edit. *Vezzoſ.* pag. 442. habentur. Coniicit autem Vezzosius, cum tot hebdomadæ numquam occurrant inter Epiphaniam & Septuageſimam, forte hanc numerationem olim factam fuiſſe ante Septuageſimæ inſtitutionem; unde etiam accidiſſe ſuſpicatur, quod nulli poſt Septuageſimam uſque ad caput ieiunii (quin nec hebd. IX. aut X. præc.) ſtationum dies adnotentur, ut hoc modo Evangelia in præcedentibus aſſignata, pro iis inſervire poſſint uſque ad Quadrageſimam. Vid. Thomas. T. V. pag. 442. A. & Diſquiſit. X. P. III. p. 937. Eadem porro ratio eſt Dominicarum poſt Pentecoſten, quæ in antiquioribus monumentis liturgicis aut ſufficienti ſaltem non reperiuntur numero, aut ſeorſim extra ordinem ſuperadduntur: unde abundantes hic lectiones ibi etiam uſui eſſe potuerunt; ſicuti hodieque officia Dominicarum, quæ ſuperfuerunt poſt Epiphaniam, reponuntur ultimis poſt Pentecoſten Dominicis.

(3) Feſtum hoc deeſt in *Spirenſi*; de S. Benedicto vero in utroque nil habetur, neque in *Martio* neque in *Iulio*.

Digitized by Google

illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam banc: ſimile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, uſque, *pauci vero electi.* (1)

Dom. II. in Sexageſima, ad S. Paulum, ſec. Luc. cap. LXXVI. *In illo tempore cum turba plurima convenirent*, uſque, *fructum adfert in patientia.*

[Dom.] in Quinquageſima, ad S. Petrum, ſec. Luc. cap CCXXII. *In illo tempore adſumſit Ieſus XII*, uſque, *omnis plebs ut vidit, dedit laudem Deo.*

Feria IIII. ad S. Sabinam, ſec Matth. cap. XLV. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis, cum ieiunatis, nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes*, uſque, *ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum.*

Fer. V. ad S. Gregorium, ſec. Matth. cap. LXIIII. *In illo tempore cum intraſſet Ieſus Capharnaum*, uſque, *& ſanatus eſt puer ex illa hora.*

Feria VI. In Pamachus (2) ſec. Matth. cap. XL. [cap. XXXVIIII.] *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis, audiſtis, quia dictum eſt diliges proximum tuum*, uſque, *& Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.*

Die Sabb. ad S. Laurentium in regione tertia (3) ſec. Marc. cap. LXVII. *In illo tempore cum ſero eſſet factum, erat navis in medio*, uſque, *ſalvi fiebant.*

Die Dom. in Quadrageſima, ad Lateranis. ſec. Matth. cap. XV. *In illo tempore ductus eſt Ieſus in deſerto ab Spiritu*, uſque, *& ecce angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.*

Fer. II. [ad S. Petrum] ad Vincula, ſec. Matth. cap. CCLXXIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis, cum autem venerit filius hominis*, uſque, *iuſti autem in vitam æternam.*

Fer. III. ad S. Anaſtaſiam, ſec. Matth. cap. CCX. *In illo tempore cum intraſſet [Ieſus] Hieroſolymam*, uſque, *ibique docebat eos de regno Dei.*

Menſe primo. (4)

Fer. IIII. ad S. Mariam, ſec. Matth. cap. CXVII. [CXXVII]. *In illo tempore acceſſerunt ad Ieſum ſcribæ*, uſque, *ipſe meus frater, & ſoror & mater eſt.*

Fer. V. ad S. Laurentium [ad Formonſum (5)] ſec. Matth. cap. CLVII. *In illo tempore regreſſus Ieſus ſeceſſit in partes Tyri*, uſque, *ſanata eſt filia eius ex illa hora.*

Fer. VI. ad Apoſtolos, ſec. Ioh. cap. XXXVI. [XXXVIII.] *In illo tempore erat*

(1) Supra iam notavimus, nulla in codicibus noſtris aſſignari Evangelia pro feria IV. VI. & Sabbato intra hebdomadam Septuag. & Sexageſ. quod item in *Thomaſ.* & *Fronton.* obſervatur: habentur autem in *Marteniano* & *Pameliano*, exceptis ſabbatis, quæ ibi extra Quadrageſimam deficiunt.

(2) In *Rhenaug.* leg. *Pamacha*, alii *Pachimis.* Sed iam obſervavit THOMASIUS T. V. p. 446. A. legendum eſſe *Pamachii*, ſcilicet eccleſia a PAMMACHIO in honorem SS. IOANNIS & PAULI exſtructa, unde hæc ſtatio in PAMELIO & alibi etiam *ad SS. Ioannem & Paulum* appellatur.

(3) Sic etiam inſcribitur hæc Statio apud THOMASIUM, quæ in aliquibus, & in Miſſali notatur *ad S. Tryphonem*: *Rhenaugienſe* absque ſtatione ſimpliciter habet *Feria VII.* ſtatio quoque in *Pameliano* deeſt, & FRONTONIS Calendarium nec Miſſam habet, nec ſtationem in hoc Sabbato.

(4) Id eſt, ieiunium vel Quatuor Tempora primi menſis, ſeu *Martii.* vid. Diſquiſit. X. cap. 6. p. 985.

(5) Ita & in *Frontoniano*, qui fuit locus eius martyril, eſtque illa ipſa eccleſia, quæ in Miſſali vocatur *S. Laurentii in Paniſperna.*

Digitized by Google

rat dies feſtus Iudæorum, uſque, *quia Ieſus eſt, qui fecit eum ſanum.*

Die Sabb. [in] XII. lect. (1) ad S. Petrum ſec. Matth. cap. CLXXII. *In illo tempore adſumſit Ieſus Petrum, Iacobum & Iohannem*, uſque, *donec filius hominis a mortuis reſurgat.*

Hebd. II. Die Dominico vacat. ſec. Matth. cap. CLVII. *Egreſſus Ieſus ſeceſſit*, uſque, *ſanata eſt filia eius ex illa hora.* (2)

Feria II. ad S. Clementem ſec. Ioh. c. LXXXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus turbis Iudæorum, ego vado, & quæretis me*, uſque, *quæ placita ſunt ei, facio ſemper.*

Feria III. ad S. Balbinam, ſec. Matth. cap. CCXXVII. *In illo tempore locutus eſt Ieſus ad turbas*, uſque, *qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Fer. IIII. ad S. Cæciliam, ſec. Matth. cap. CCI. *In illo tempore aſcendit Ieſus Hieroſolymam*, uſque, *redemtionem pro multis.*

Fer. V. N. Caliſti trans Tiberim [ad Sanctam Mariam trans Tiberim, titulum Calliſti] ſec. Luc. cap. CXCVI. [CXCIII.] *In illo tempore homo quidam erat dives, induebatur*, uſque, [*neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.*] (3)

Fer. VI. [ad Apoſtolos in titulo Veſtinæ (4)] ſecundum Matth. cap. CCIX. [CCXVIIII.] *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis & turbis Iudæorum: homo erat, qui plantavit vineam*, uſque, *quia ſicut prophetam eum habebant.*

Die Sabb. ad S. Marcellinum & Petrum, ſec. Luc. cap. CXC. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: homo quidam habuit duos filios*, uſque, *perierat, & inventus eſt.*

Hebd. III. die Dom. ad S. Laurentium. ſec. Luc. cap. CXXVI. *In illo tempore erat Ieſus eiiciens dæmonium*, uſque, *beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

Fer. II. ad S. Marcum, ſec. Luc. cap. XX. *In illo tempore dixerunt Phariſæi ad Ieſum, utique dicetis mihi* [*ad Ieſum quanta audivimus facta in Capharnaum*] (5) uſque, *ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat.*

Feria III. ad S. Pudentianam, ſec. Matth. cap. CLXXXIII. *In illo tempore reſpiciens Ieſus diſcipulos ſuos dixit Simoni Petro, ſi peccaverit in te frater tuus*, uſque, *ſeptuagies ſepties.*

Fer. IIII. ad S. Xyſtum, ſec. Matth. cap. CLIIII. *In illo tempore acceſſerunt ad*

(1) Vid. quæ de hac inſcriptione diximus ſupra ad Graduale pag. 374. n. 3.

(2) Loco mox cit. pag. 375. Tractum ex Evang. fer. V. præced. exhibuimus, hicque in *Spirenſi* uti in *Pameliano* & *Marteniano* ipſum etiam eiusdem feriæ V. Evangelium aſſignatur: in *Rhenaugienſi* vero & *Frontoniano* Dominica hæc omni prorſus officio vacat, etſi hodie Evangelium ex Sabbato præcedente repetatur. Vid. ſupra pag. 375. n. 1.

(3) Ita & in *Thomaſ.* ac *Fronton.* ſed in *Pamel.* ac *Marteniano* aliud Evangelium notatur.

(4) Ex Thomasio T. V. p. 449. A. diſcimus, eccleſiam Tituli Veſtinæ in honorem Apoſtolorum, nec non S. Vitalis eſſe dicatam: atque exinde diverſa huius Stationis inſcriptio orta eſt, dum in aliis *ad Apoſtolos in titulo Veſtinæ* (alii perperam legunt *inter Veſtinæ*, cum primitus ſcriptum ſuſpicemur *in t.* quod *Amanuenſes* haud intelligentes, *inter* expreſſerint) uti hic & in *Fronton.* ac *Thomaſ.* in aliis vero & in Miſſali *ad S. Vitalem* notatur.

(5) Eſt error *Amanuenſis*, vel enim legendum ut in Miſſali: *dixit Ieſus Phariſæis, utique dicetis &c.*; vel ut in *Rhenaug.* ac cæteris: *dixerunt Phariſæi ad Ieſum: quanta audivimus &c.*

Digitized by Google

ad Ieſum ab Hieroſolymis, uſque, *non lotis manibus manducare non coinquinat hominem.*

Fer. V. ad ſanctos Coſmam & Damianum, ſec. Luc. cap. XXV. [XXVI.] *In illo tempore ſurgens Ieſus de ſynagoga*, uſque, *oportet me evanglizare regnum Dei.* [uſque, *erat prædicans in ſynagogis Galileæ.*] (1)

Fer. VI. ad S. Laurentium in [titulo] Lucinæ, ſec. Ioh. cap XXXIII. *In illo tempore venit Ieſus in civitatem Samariæ*, uſque, *quia hic eſt vere Salvator mundi.* (2)

Die Sabb. ad S. Suſannam, ſec. Ioh. cap. LXXXVI. [*In illo tempore perrexit Ieſus in montem Oliveti*, uſque, *vade & amplius noli peccare.*]

Hebd. IIII. Die Dom. [in Suxurio (3) ſec. Ioh. cap. XLVI. *In illo tempore abiit Ieſus trans mare Galileæ*, uſque, *quia hic eſt vere propheta, qui venturus eſt in mundum.*]

Fer. II. ad ſanctos IIII. Coronatos, ſec. Ioh. XXI. *In illo tempore prope erat paſcha Iudæorum*, uſque, *ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.* (4)

Fer. III. in [titulo] Damaſi, ſec. Ioh. cap. LXXV. *In illo tempore iam die feſto mediante*, uſque, *de turba autem multi crediderunt in eum.*

Fer. IIII. ad S. Paulum, ſec. Ioh. cap. LXXXVIIII. *In illo tempore præteriens Ieſus vidit hominem cæcum*, uſque, *& procidens adoravit eum.*

Fer. V. ad S. Silveſtrum, ſec. Luc. cap. LXVII. *In illo tempore ibat Ieſus in civitatem, quæ vocatur Naim*, uſque, *quia Deus viſitavit plebem ſuam.* (5)

Fer. VI. ad S. Euſebium ſec. Ioh. cap. XCIIII. *In illo tempore erat quidam languens Lazarus*, uſque, *& viderunt, quæ fecit Ieſus, & crediderunt in eum.*

Die Sabb. ad S. Laurentium [Martyrem] (6) ſec. Ioh. cap. LXXXVI. *In illo tempore dicebat Ieſus turbis Iudæorum: ego ſum lux mundi*, uſque, *quia nondum venerat hora eius.*

Hebd. V. Die Dom. ad S. Petrum, ſec. Ioh. cap. LXXXVIIII. *In illo tempore dicebat Ieſus turbis Iudæorum, & principibus ſacerdotum: quis ex vobis arguet me de peccato*, uſque, *Ieſus autem* [*abſcondit ſe, & exivit de templo.*

Fer. II. ad S. Chryſogonum, ſec. Ioh. cap. LXXVIIII. *In illo tempore miſerunt prin-*

(1) Sic etiam notatur duplex hæc lectionis terminatio apud THOMASIUM; ſed in *Pamel.* ac *Marteniano* alind habetur Evangelium.

(2) In ſolo *Marteniano* hac feria aliud Evangelium notatur.

(3) Diverſe vox hæc exprimitur apud THOMASIUM, & in noſtris, *ſuxurio*, *ſuxorio*, vel *ſuſulio*, ac tunc tantum ponitur, ubi notanda eſt ſtatio *S. Crucis in Jeruſalem*, veluti infra in Paraſceve. Sed omnino legendum videtur *in Sexorio* ſeu verius *Seſſorio*; in ædibus enim SESSORII eccleſia iſta exſtructa eſt. Sic ſupra *in Veſtina*, *in Pamachio*, denominatione ſtationis a loco vel conditore eius ſumta. Cæterum quæ hic in *Spirenſi* exeſa ſunt, ex *Rhenaugienſi* ſupplevimus, ut mox infra plura.

(4) Variant hic ſtationes in ſolo *Pameliano* per hanc hebdomadam: in cæteris eædem notantur.

(5) In *Pamel.* & *Marteniano* aliud hic aſſignatur Evangelium.

(6) Sic & in *Thomaſ.* in *Marten.* vero *ad S. Laurentium foris murum*; *Pamel.* *ad S. Laurentium in Mediana*, quæ omnia eandem ſtationem deſignant; ſed diſſentit Miſſale, in quo habetur *ad S. Nicolaum in carcere.*

Digitized by Google

principes & Phariſæi, uſque, *quem accepturi erant credentes in eum.*

Fer. III. ad S. Quiriacum (1) ſec. Ioh. cap. LXXV. *In illo tempore*] *abiit Ieſus in Galileam*, uſque, *nemo tamen loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.*

Fer. IIII. ad S. Marcellum, ſec. Ioh. cap. XCII. *In illo tempore facta ſunt encænia*, uſque, *quia in me eſt Pater, & ego in Patre.*

Fer. V. ad S. Apollinarem, ſec. Luc. cap. LXXIIII. *In illo tempore rogabat Ieſum*, uſque, *quoniam dilexit multum.* (2)

Fer. VI. ad S. Stephanum, ſec. Ioh. cap. XCIIII. *In illo tempore collegerunt pontifices & Phariſæi concilium*, uſque, *& ibi morabatur cum diſcipulis ſuis.*

Sabb. ad S. Petrum, quando eleemoſyna datur, ſec. Ioh. cap. CLIII. *In illo tempore ſublevatis Ieſus oculis in cœlum*, uſque, *non rogo, ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos de malo.* (3)

[Sabbato. Datur fermentum in conſiſtorio Lateranenſe, ſec. Marc. cap. CLX. *In illo tempore Iudas Scariotes unus de XII.* uſque, *& præparaverunt paſcha.* (*Evangelio huic alia, ut videtur, manus paullo recentior in ſuperiore ora folii ſequens ſubſtituit*: ſec. Ioh. cap. CLIII. Sublevatis Ieſus oculis, *uſque*, & ego ad te venio.)] (4)

Hebd. VI. Die Dom. ad Lateranis, legitur paſſio Dni ſec. Matthæum cap. CCLXXIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſcitis quia poſt biduum paſcha fiet*, uſque, *ſignantes lapidem cum cuſtodibus.*

Fer. II. ad S. Praxedem [ad S. Nereum & Achilleum] (5) ſec. Ioh. cap. XCVII. *In illo tempore ante ſex dies paſchæ venit Ieſus*, uſque, *abiit & abſcondit ſe ab eis.*

Fer. III. ad S. Priſcam, ſec. Ioh. cap. CXII. *In illo tempore ante diem feſtum* [*paſchæ ſciens Ieſus*, uſque, *& continuo clarificavit eum.*] (6)

Fer.

(1) In aliquibus codd. ut & in Miſſali melius legitur *ad S. Cyriacum.*

(2) Evangelium hoc etiam in *Frontoniano*, *Thomaſ.* & Miſſali notatur, in *Marteniano* tamen & *Pameliano* alind aſſignatur.

(3) Hæc inſcriptio pariter habetur in *Marteniano*, *Pamel.* & *Thomaſ.* cum diverſis tamen Evangeliis. In *Frontoniano* inſcribitur ut in *Rhenaug.* ſed absque officio. Supra *p.* 63. in ſacramentario notatur *Sabbato vacat eleemoſyna datur.* De hoc ritu, quo hac die a ſtationibus vacabant, & Papa generalem eleemoſynam ob imminens paſchale feſtum elargiebatur, videndus MARTENE *de divinis officiis* cap. 19. p. 187. & THOMASIUS T. V. pag. 452. A. Hodie in Miſſali plane diverſum habetur Evangelium.

(4) Eſt hic alius antiquus Sabbati huius ritus *Romanus*, in *Frontoniano* etiam aliisque notatus, quo Euchariſtia a Pontifice conſecrata, alias ſingulis diebus dominicis per urbis Titulos mitti ſolita, hac die presbyteris titularibus ſequenti dominica alias occupatis diſtribuebatur; quæ MARTENII conjectura eſt, l. c. p. 188. vid. THOMAS. l. c. pag. 453. Cæterum ſpeciale hic in iſta diſtributione Evangelium notatur, quod in unico cod. Vatic. ſec. IX. apud THOMAS. adſignatum reperi. Alterum vero recentiore manu adſcriptum idem eſt cum notato in *Spirenſi*, etſi in clauſula variet.

(5) In *Marteniano* & in uno THOMASII pariter notatur Statio *ad S. Praxedem*; in *Pamel.* vero & *Frontoniano*, *Thomaſ.* ac antiquo Stationum indice aſſignatur ut in *Rhenaug.* *ad SS. Nereum & Achilleum.*

(6) Evangelium hoc, loco paſſionis, quam hodie ex Marco legimus, in *Marten. Fronton.* & *Thomaſ.* adnotatur; in *Pameliano* tamen ponitur ipſa paſſio ſec. Marcum cap. CLVI. quæ, ut obſervat MARTENE, cum olim in plerisque eccleſiis in Dominica Palmarum ad nocturnos legeretur, hac feria III. non amplius repetebatur. Ex S. LEONIS quoque ſerm. 3. de paſſ. Dom. erui videtur, lectionem Dominicæ paſſionis in feria quarta tantum fuiſſe iteratam: THOMASIUS vero T. V. pag. 457. A. ex aliis eius ſermonibus colligit, paſſionem illam ſec. Marcum unacum reſurrectionis hiſtoria in Sabbato ſancto fuiſſe recitatam.

Digitized by Google

Fer. IIII. [ad S. Mariam, legitur paſſio Domini ſec. Lucam cap. CCLX. *In illo tempore adpropinquabat dies feſtus azymorum*, uſque, *in quo nondum quiſquam poſitus fuerat.*]

Fer. V. ad [Lateranis] conficitur Chriſma (1) [ſec. Ioh. cap. XCII. al. CXII.] *In illo tempore ſciens Ieſus, quia venit eius hora*, uſque, *ita & vos faciatis.*

Fer. VI. in Suxorio [quod eſt in baſilica in Hieruſalem] (2) legitur paſſio Domini ſec. Ioh. cap. CLVI. *In illo tempore egreſſus eſt Ieſus trans torrentem Cedron*, uſque, *quia iuxta erat monumentum, poſuerunt eum.*

In Sabbato ſancto ad Lateranis, ſec. Matth. cap. CCCLII. *Veſpere autem Sabbati, quæ luceſcit*, uſque, *ibi eum videbitis, ecce dixi vobis.*

In Paſcha Dominica ſancta, ad S. Mariam [maiorem in præſepe] ſec. Marc. cap. CCXXX. *In illo tempore Maria Magdalene, & Maria Iacobi*, uſque, *ibi eum videbitis, ſicut dixi vobis.*

Fer. II. ad S. Petrum, ſec. Luc. cap. CCCXXXVIIII. *In illo tempore duo ex diſcipulis Ieſu ibant in caſtellum*, uſque, *cognoverunt eum in fractione panis.*

Fer. III. ad S. Paulum, ſec Luc. cap. CCCXL. *In illo tempore ſtetit Ieſus in medio diſcipulorum ſuorum*, uſque, *remiſſionem peccatorum in omnes gentes.*

Fer. IIII. ad S. Laurentium (3) ſec. Ioh. cap. CCXIX. *In illo tempore manifeſtavit ſe Ieſus diſcipulis ſuis ad mare Tiberiadis*, uſque, *cum reſurrexiſſet a mortuis.*

[Fer. V. ad Apoſtolos, ſec. Ioh. cap. CCXI. *In illo tempore Maria ſtabat ad monumentum*, uſque, *quia vidi Dnum, & hæc dixit mihi.*] (4)

Fer. VI. ad [S. Mariam maiorem] (5) ſec. Matth. cap. CCCLV. *In illo tempore undecim diſcipuli abierunt in Galilæam*, uſque, *ad conſummationem ſeculi.*

Die Sabb. ad Lateranis, ſec. Ioh. cap. CCXIII. *In illo tempore cum eſſet ſero die illo una Sabbatorum*, uſque, *& quorum retinueritis, retenta ſunt.*

(*Solus Spirenſis*) Item ſec. Ioh. cap. CCVIIII. *In illo tempore, una autem ſabbati Maria Magdalene*, uſque, *oportebat eum a mortuis reſurgere.* (6) Die

(1) Benedictionem Chriſmatis in Cœna Domini fieri ſolitam, exhibuimus ſupra in Sacramentario p. 74. 75. &c.

(2) Vid. quæ de hac Statione, eiusque inſcriptione diximus ſupra ad Dom. IV. in Quadrag. p. 425.

(3) In *Marten.* & Miſſali additur *Foris murum*, vel *extra muros.*

(4) Feriæ huius officium in *Spirenſi* exeſum ex *Rhenaugienſi* ſubſtituimus.

(5) In *Marteniano*, & *Thomaſiano*, ac Miſſali Statio hæc prænotatur *ad S. Mariam ad Martyres.*

(6) Prius hoc Evangelium habetur etiam in *Fronton.* & *Thomaſ.* ac in Miſſali quoad partem priorem Dom. ſeq. eſtque in illud S. GREGORII M. homilia 26. *in octavis Paſchæ* habita, quam tamen inſcriptionem quidam codices non habent. Alterum, quod in *Rhenaug.* deeſt, notatur in *Pameliano*, *Marteniano*, & in Miſſali, quod proprium huius diei eſſe, patet ex homilia 22. S. GREGORII in illud, ſabbato poſt Paſcha dicta. Singulare autem eſt, quod utrumque Evangelium in *Spirenſi* ponatur, quod in nullo alio deprehendimus. Ritu *Ambroſiano* duplex per hanc hebdomadam, ut ſupra videre eſt p. 92. ſeqq. habetur miſſa, una pro baptizatis, vocaturque a S. AUGUSTINO *octavæ infantium. Tam multis*, inquit ep. 55. n. 35. *præſumtionibus ſic plena ſunt omnia, ut gravius corripiatur, qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quam qui mentem violentiis ſepelierit.* Pertinent huc quos duos notat tractatus S. AUGUSTINI *de octavis infantium*, nempe neophytorum, POSSIDIUS cap. 8. & 10. in Indiculo opp. S. AUGUSTINI T. X. p. 292. &c. Cum hoc ſabbato recens baptizati Albas ſuas ubique depoſuerint, fieri potuit, ut eo ſaltem die peculiaris miſſa alicubi celebraretur, quod ritu *Ambroſiano* ſingulis diebus fit. Idem duplex officium notatur in eodem *Spirenſi* etiam in ſabbato poſt Pentecoſten; ubi vide.

Die Dom. Octabas Paſchæ, ſec. Ioh. cap. CCXVI. [CCXIII.] *In illo tempore Thomas unus ex duodecim*, uſque, *vitam habeatis in nomine eius.* (1)

Menſe Aprile.

Die XIIII. Nat. Sanctorum Tiburtii, Valeriani & Maximi, ſec. Ioh. cap. CXXXIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis, hoc eſt præceptum meum*, uſque, *in nomine meo det vobis.*

[In Paſcha annotina (2) ſec. Ioh. cap. XXIIII. *In illo tempore erat homo ex Phariſæis Nicomedes* (l. *Nicodemus*) uſque *ſed habeat vitam æternam.*]

Die XXIIII. [XXIII.] menſis ſupraſcripti Nat. S. Georgii, ſec. Luc. cap. CCLI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ponite in cordibus veſtris*, uſque [*poſſidebitis animas veſtras.* (3)

Die XXV. menſis ſupraſcripti, in Letania maiore, ſec. Luc. cap. CXXIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: quis veſtrum habebit amicum*, uſque, *Spiritum bonum petentibus ſe.*

Fer. IIII. ſec. Ioh. cap. CLIII. *In illo tempore reſpiciens Ieſus diſcipulos ſuos dixit: Pater ſancte ſerva eos*, uſque, *ſed ut ſerves eos a malo.*] (4)

Fer. VI. ſec. Ioh. cap. XXXVII. *In illo tempore erat quidam regulus*, uſque, *domus eius tota.*

Die XXVIII. menſis ſupraſcripti Nat. S. Vitalis ſec. Iohan. cap. CXXXII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ego ſum vitis vera*, uſque, *quodcumque volueritis petetis, & fiet vobis.*

Die Sabb. ſec. Ioh. cap. XLVI. *In illo tempore abiit Ieſus trans mare Galileæ*, uſque, *& ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.*

Hebd. II. ad Sanctos Coſmam & Damianum, ſec. Ioh. cap. LXXXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ego ſum paſtor bonus*, uſque, *fiet unum ovile & unus paſtor.*

Menſe Maio.

Kal. Maii. Nat. Apoſtolorum Philippi & Iacobi, ſec. Ioh. cap. CXXVII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis, non turbetur cor veſtrum*, uſque, *quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam.*

Die III. [menſis ſupraſcripti] Nat. Sanctorum Alexandri & Soc. [Eventii & Deotholi] ſec. Ioh. cap. CXXXVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis, hæc mando vobis*, uſque, *quia oderunt me gratis.* (5) [Fer.

(1) Sic pariter legitur in *Fronton.* eſtque altera pars Evangelii, quod in Miſſali aſſignatur. Cæterum in neutro noſtro Codice aliqua hodie Statio notatur.

(2) Vid. quæ Diſquiſ. IX. cap. 1. p. 866. & ſupra p. 415. diximus de paſchate annotino, ſeu anniverſario ſuſcepti præterito paſchate baptiſmi, unde & Evangelium de NICODEMO ſeu baptiſmo ubique in eo notatur. Deeſt in *Spirenſi.*

(3) Tam ex noſtris codicibus quam ex illis apud THOMASIUM videre eſt, antiquam iam eſſe diverſitatem diei pro feſto S. GEORGII, dum illud quidam XXIII. alii XXIV. *Aprilis* hodieque celebrant. Cæterum ex feſtis Sanctorum menſe *Aprili* hic aſſignatis nullam in *Pameliano* occurrit, & in *Marteniano* feſtum S. GEORGII deeſt, utut antiquiſſimum. In Miſſali hodie eſt aliud Evang.

(4) Dies ſtationum etiam poſt Paſcha, ſed pauci tantum, & in prima hebdomada fere, notantur in noſtris codicibus; in *Pameliano* vero ut ante Quadrageſimam ſemper Feria IV. & VI. aſſignantur, ubi tamen paſſim diverſa a noſtris habentur Evangelia; in *Marteniano* nulli habentur uſque poſt III. poſt octavas Paſchæ, ubi in noſtris deſunt.

(5) Deeſt hoc feſtum in *Pameliano*, ſed in *Marteniano* ut in noſtris notatur: in quibus tamen omnibus excepto *Pamel.* feſtum Inventionis S. Crucis deſideratur, quamvis ſupra in Sacramentario p. 112, continetur.

Digitized by Google

[Fer. VI.] ſec. Ioh. cap. CXI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: qui credit in me*, uſque, *ſicut dixit mihi Pater*, *ſic loquor.*

Hebd. III. die Dom. ſec. Iohan. cap. CXLVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: modicum & iam non videbitis me*, uſque, *gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.*

Die X. Maii menſis ſupraſcripti Nat. S. Gordiani, ſec. Matth. cap. XCV. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: nolite arbitrari*, *quia veni*, uſque, *non perdet mercedem ſuam.* (1)

Die XII. menſis ſupraſcripti Nat. Sanctorum Nerei & Achillei, ſec. Matth. c. CLXXXVIIII. *In illo tempore acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi tentantes*, uſque, *ſed quibus datum eſt.*

(*Solus Spir.*) Item alia in Nat. Nerei & Achillei, ſec. Joh. cap. XXXVII. *In illo tempore erat quidam regulus*, uſque, *& domus eius tota.* (2)

Die ſupraſcripto Nat. S. Pancratii, ſec. Ioh. cap. CXXXVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis*, *hæc mando vobis*, *ut diligatis*, uſque, *quia oderunt me gratis.* (3)

Hebd. IIII. Die Dom. ſec. Ioh. cap. cap. CXLVII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis*, *vado ad eum*, *qui me miſit*, uſque, *quia de meo accipiet*, *& annuntiabit vobis.*

Hebd. V. Die Dom. ſec. Ioh. cap. CL. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: amen amen dico vobis*, *ſi quid petieritis Patrem*, uſque, *hoc credimus, quia a Deo exiſti.*

[Die XIIII. menſis ſupraſcripti, Dedicatio eccleſiæ ſanctæ Mariæ ad Martyres. Legitur lectio, cuius concurrerit hebdomadæ; eoquod ſemper in die dominico celebratur ipſa ſolemnitas. (4)]

Die XVIIII. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Pudentianæ ſec. Matth. cap. CXL. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cælorum theſauro abſcondito*, uſque, *nova & vetera.*

Fer. IIII. ſec. Ioh. cap. XXV. *In illo tempore abiit Ieſus cum diſcipulis ſuis in Iudæam terram*, uſque, *gaudium meum impletum eſt.* (5)

Die XXV. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Urbani Conf. atque Pont. via Appia, ſec. Matth. cap. CCLXIII. *In illo tempore dixit*

(1) Deeſt hoc feſtum in *Pameliano.*

(2) Prius Evangelium notatur in *Marten.* & *Thomaſ.* quod in *Pameliano* S. PANCRATIO tribuitur: alterum, quod in *Rhenaug.* deeſt, legitur in *Vatic.* apud THOMAS. extatque S. GREGORII homilia 28. in illud in die Natali horum Martyrum dicta.

(3) Evangelium iſtud etiam in *Fronton.* & *Thomaſ.* aſſignatur, convenitque fere cum *Ev. Hoc eſt præceptum meum &c.* quod olim hoc die fuiſſe lectum patet ex homil. 27. S. GREGORII in eiusdem ſancti natali habita.

(4) Vid. ſupra pag. 405. eamdem inſcriptionem ex *San-Gallenſi*; ubi tamen n. 5. hæc minus recte de Evangelio feriali ſumendo explicantur, cum potius tam lectio quam Evangelium de ipſa Dominica occurrente, in qua ſemper celebratur, ſumenda præſcribatur. Cæterum in *Spirenſi* deeſt.

(5) Quorſum hæc feria referenda ſit, incertum eſt, neque enim ei in hac hebdomada locus eſt, ubi feria IV. vigilia Dominicæ Aſcenſionis cum proprio officio notatur; neque etiam ad Rogationes ſpectat, de quibus hic nullum veſtigium extat: ſed nec in *Pameliano* aut *Marteniano* ullibi inter ferias poſt Paſcha notatur. Facile ergo THOMASIO conſentimus, eam ad præteritam quamdam hebdomadam eſſe referendam.

Digitized by Google

dixit Ieſus diſcipulis ſuis, vigilate, uſque, *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* (1)

In Vigilia de Aſcenſa Dni, ſec. Iohan. cap. CLIII. *In illo tempore ſublevatis Ieſus oculis in cælum, dixit*, uſque, *& ego ad te venio.*

(*Solus Spirenſis*) Item alia ſec. Lucam cap. CCCXLII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: hæc ſunt verba*, uſque in finem. (2)

Fer. V. In Aſcenſa Dni, ſec. Marc. cap. CCXXXIIII. *In illo tempore recumbentibus undecim diſcipulis*, uſque, *ſequentibus ſignis.*

Hebd. poſt Aſcenſa Dni [Hebd. VI.] Die Dom. ſec. Ioh. cap. CXLV. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: cum autem venerit*, uſque, *quia ego dixi vobis.*

Fer. IIII. ſec. Ioh. cap. CXXXIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis, ſi manſeritis in me*, uſque, *& gaudium veſtrum impleatur.* (3)

Die Sabb. In Vigilia Pentecoſtes, ſec. Ioh. cap. CXXVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſi diligitis* [*me*] *mandata*, uſque, *manifeſtabo ei meipſum.*

(*Solus Spir.*) Evangel. de nocte, ſec. Ioh. cap. LXXXI. *In noviſſimo autem die magno*, uſque, *erant credentes in eum.* (4)

[(5) Dom. Pentecoſt. ſec. Ioh. cap. CXXX. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſi quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*, uſque, *ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*

Fer. II. ad Vincula, ſec. Ioh. cap. XXIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſic enim dilexit Deus mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*, uſque, *ut manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta.*]

Fer. III. [ad S. Anaſtaſiam] ſec. Ioh. cap. LXXXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: amen amen dico vobis, qui non intrat per oſtium*, uſque, *& abundantius habeant.*

Menſe

(1) Feſta S. PUDENTIANÆ & S. URBANI deſunt in *Pamel.* poſterius vero notatur in *Marteniano*, uti & primum in *Frontoniano*. Hodie de S. URBANO legitur Evang. *homo peregre proficiſcens.*

(2) Duplex hæc Miſſa huius vigiliæ in ſolo *Thomaſ.* habetur, in cæteris enim prima tantum aſſignatur, & ſecunda in *Pamel.* & *Marteniano* notatur feria VI. ſequente, in qua etiam in *Fronton.* nihil habetur.

(3) Idem Evang. in *Fronton.* & *Pamel.* quoque habetur, aliud vero in *Marteniano*. In *Pamel.* notatur inſuper Feria VI. ante vigiliam.

(4) Notandum hic in *Spirenſi* & *Thomaſ.* duplex Evangelium in vigilia Pentecoſtes; quorum primum hodieque eo die cantatur, alterum *de nocte* inſcribitur, quia aliquando ad inſtar paſchalis pervigilii hoc etiam celebrababatur, ut Diſquiſ. IX. P. III. cap. 1. n. 16. oſtendimus ex ſtatutis S. BONIFACII, & GRATIANO, qui locum quemdam eam in rem ſub nomine S. AMBROSII affert diſt. 76. cap. 9. dum tamen genuinus S. AMBROSIUS, uti alii SS. Patres Latini & Græci de paſchali tantum pernoctatione loqui ſoleant; tantum, quod utrumque diem comparent in baptiſmi adminiſtratione, quæ etiam anſam Vigiliæ dare potuit; extantque duo S. AUGUSTINI ſermones in vigiliis Pentecoſtes, etiam a POSSIDIO ſic in indiculo notati. Sed de antiquiore huius Vigiliæ per orbem catholicum frequentatione non adeo conſtat, quam de baptiſmi ſolemni adminiſtratione: qua certe perdurante, immutata, vel potius ad antiquiorem ritum reſtituta eſt divini officii celebratio, cuius initium horam ſeptimam, finem autem horam nonam determinat breviarium ordinis eccleſiaſtici a nobis l. c. recenſitum.

(5) Sequentia uncinis incluſa in *Spirenſi* detrita ex *Rhenaugienſi* ſupplevimus, in quo, ut & in *Pamel.* ac *Marten.* Statio *ad S. Petrum* non notatur.

Digitized by Google

Menſe Iunio. (1)

Fer. IIII. ad S. [Mariam] ſec. Ioh. cap. LX. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: nemo poteſt venire ad me,* uſque, *caro mea pro mundi vita.* (2)

Fer. VI. ad Apoſtolos, ſec. Luc. cap. XXXVI. *In illo tempore factum eſt in una dierum*, uſque, *quia vidimus mirabilia hodie.*

Die Sabb. [in] XII. lect. ad S. Petrum, ſec. Matth. cap. CCV. *In illo tempore egrediente Ieſu ab Hiericho*, uſque, *& ſecuti ſunt eum.* (3)

Item alia [Dominica vacat] ſec. Luc. cap. LV. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis*, *eſtote miſericordes*, uſque, *ut educas feſtucam de oculo fratris tui.* (4)

Octabas Pentecoſten. ſec. Ioh. cap. XXIIII. *In illo tempore erat homo ex Phariſæis*, uſque, *ſed habeat vitam æternam.* (5)

Die II. menſis ſupraſcripti, Nat. Sanctorum Petri & Marcellini [via Lavicana] ſec. Luc. cap. CCXLVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: cum audieritis prælia*, uſque, *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* (6)

Die VIIII. menſis ſupraſcripti, Nat. Sanctorum Primi & Feliciani [in baſilica S. Stephani] (7) ſec. Ioh. cap. CXXXIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: hoc eſt præceptum meum*, uſque, *in nomine meo det vobis.*

Die XII. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Baſilidis, ſec. [Ioh. cap. XXIIII.] *In illo tempore erat homo*, [uſque, *ſed habeat vitam æternam.*] (8)

Fer. IIII. (9) Hebd.

(1) Inſcribitur alias *in menſe quarto*, quod idem eſt. Vid. Diſquiſit. X. cap. 6. p. 981. ſeqq.

(2) Feriæ quintæ officium tam in noſtris, quam in *Fronton.* & *Thomaſ.* omittitur: quod etſi quoad antiphonas & collectas idem ſit cum illo Dominicæ Pentecoſtes, tamen in *Pamel.* æque ac *Marten.* & miſſali cum propria epiſtola & Evangelio notatur, ac cum ſtatione *ad Apoſtolos*, & ſeq. Fer. VI. *ad SS. Iohannem & Paulum.*

(3) Sic & *Fronton.* ac *Thomaſ.* ſed *Martenian. Pamel.* & Miſſale ponunt Evang. Luc. *Surgens Ieſus de ſynagoga introivit.*

(4) Hoc Evangelium pro Sabbato in *Spirenſi* aſſignatum *Rhenaugienſis* cum *Thomaſ.* diei dominico ſequenti aſſignat ſub titulo *Dominica vacat*, quales erant, quæ ſabbatum in XII. lect. inſequebantur, vid. Diſquiſit. X. cap. 6. pag. 985. ſeqq. hodieque in Miſſali Dominica I. poſt Pentecoſten idipſum hoc Evangelium legitur. Forte tamen duplex omnino fiebat officium in hoc ſabbato, ut in ſabbato poſt Paſcha annotavimus, in quo pariter *Spirenſis* duo officia aſſignat, vid. ſupra pag. 427. n. 6. Atque hinc etiam eſſe videtur, quod poſt hoc Sabbatum Dominica ſequente, ſeu in octava Pentecoſtes, in omnibus codicibus aſſignetur non ſolum Evangelium de NICODEMO ſeu baptiſmo, in Paſchate annotino dici ſolitum, ſed ipſa quoque illius officii annotini epiſtola ex Apocalypſi: *vidi oſtium apertum*; cætera vero ex feſto Pentecoſtes, uti ſupra in Grad. *Rhenaug.* pag. 389. inſcribitur: *octava Pentecoſtes canitur ſicut in die Pentecoſtes.* Vid. quæ diximus Diſquiſit. IX. cap. 1. pag. 866. ſeq.

(5) Ita etiam in *Pamel. Marteniano*, & *Vatic.* apud THOMASIUM notatur. Vid. ſupra pag. 389. n. 1.

(6) Habetur in *Marteniano*, *Thomaſ.* deeſt vero in *Pameliano*, licet eorum memoria contineatur in Canone Miſſæ. In Miſſali aliud habetur Evang.

(7) Deſideratur in mox indicatis, excepto *Fronton.* & *Thomaſ.*

(8) Feſtum hoc notatur etiam in *Fronton.* deeſt autem in *Marten.* & *Pamel.*

(9) Eſt hic in *Spirenſi* lacuna, quam unde ſuppleamus, non occurrit: nec enim in *Vatic.* THOMASII, quocum codex noſter in omnibus fere convenit, legitur Feriæ IV. poſt octav. Pentec. officium; quæ autem in *Pamel.* & *Marten.* aſſignantur, in omnibus ſequentibus feriis a noſtro diverſa ſunt. Niſi in codice notatum eſſet *Fer. IIII.* dicerem, in hac lacuna reponendum eſſe *Die XIV. menſ. ſupraſcripti. Nat. S. Feliculæ* cum ſuo Evangelio; quod feſtum in *Frontoniano* & *Thomaſ.* immediate poſt illud S. BASILIDIS ponitur. *Rhenaugienſis* habet quidem poſt *XII. menſis* officium feriæ IV. ſed idem eſt, quod hic in *Spirenſi* ponitur feria IIII. hebdomadæ II.

Hebd. II. poſt Pent. ſec. Luc. cap. CXLVI. *Erat homo quidam dives*, uſque, *neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent ei.*

Fer. IIII. (1) ſec. Luc. cap. XCIII. *In illo tempore accedentes diſcipuli ad Ieſum dixerunt illi*, uſque, *manducaverunt, & ſaturati ſunt.*

· Fer. VI. ſec. Luc. cap. CLXXXVI. *In illo tempore erant adpropinquantes ad Ieſum*, uſque, *ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.*

Die Sabb. ſec. Luc. cap. LXXXV. *In illo tempore venit ad Ieſum vir*, *cui nomen Iairus*, uſque, *ne alicui dicerent, quid factum erat.* (2)

Hebd. III. poſt Pent. ſec. Luc. cap. CLXXXI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis ſimilitudinem hanc: homo quidam fecit (cœnam) magnam*, uſque, *guſtabit cœnam meam.* (3)

Fer. IIII. ſec. Marc. cap. LXIIII. *In illo tempore acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes*, *deſertus eſt*, uſque, *quinque millia hominum.*

Fer. VI. ſec. Marc. cap. CLXXXI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: videte ne contemnatis*, uſque, *erunt ſoluta & in cœlo.*

Die Sabb. ſec. Marc. cap. XCIIII. *In illo tempore venit Ieſus cum diſcipulis ſuis in Capharnaum*, uſque, *non perdet mercedem ſuam.*

Hebd. IIII. poſt Pent. ſec. Luc. cap. CLXXXVI. *In illo tempore erant adpropinquantes ad Ieſum*, uſque, *ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.* (4)

Hebd. V. poſt Pent. ſec. Luc. cap. LV. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: eſtote miſericordes*, uſque, *ut educas feſtucam de oculo fratris tui.* (5)

Die XVIII. menſis ſupraſcripti, Nat. Sanctorum Marci & Marcelliani [via Ardeatina] ſec. Ioh. cap. CXXXIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: hoc eſt præceptum meum*, uſque, *in nomine meo det vobis.* (6)

Die XIX. menſis ſupraſcripti, Nat. SS. Protaſii & Gervaſii [ad S. Vitalem] ſec. Marc. cap. CXXXVII. *In illo tempore egrediente Ieſu de templo*, uſque, *in finem*, *ſalvus erit.* (7)

Die XXIII. menſis ſupraſcripti, Vigilia S. Iohannis Bapt. ſec. Luc. cap. I. *In illo tempore fuit in diebus Herodis regis ſacerdos quidam*, uſque, *parare Dno plebem perfectam.*

Die

(1) Harum trium feriarum officia *Rhenaug.* ponit poſt octavas Pentecoſtes ante hebdomadam II. Inde quæ hic in *Spirenſi* ab Hebd. II. incluſive uſque ad Hebd. VI. excluſive ſive Dominicalia ſive ferialia Evangelia ponuntur, in cit. *Rhenaugienſi* non habentur, exceptis ſolum tribus dictis feriis.

(2) In *Rhenaug.* recentiore manu in margine notatur hoc finale: *fides tua te ſalvam fecit.* Poſtea ſequitur *Die XVIII* ut infra.

(3) In Miſſali eſt Dominica II. poſt Pentecoſt. habeturque etiam in *Pamel.* & *Marten.* conveniuntque paſſim Evangelia cum *Pamel.* in Dominicis, non autem in feriis IV. & VI. quæ ibi ſemper Dominicis ſubiunguntur, hic vero ſubinde omittuntur, aut pauciores tantum ponuntur: ſicut etiam in *Vatic.* THOMASII nullæ adſignantur huius hebdomadis feriæ, ſed quæ hic in *Spir.* & *Rhenaug.* notantur, ibi ſequente hebdom. IV. habentur.

(4) In Miſſali *Rom.* eſt Dominica III. poſt Pentecoſt.

(5) Dominica hæc in Miſſali eſt I. poſt Pentecoſt. ſupra iam poſita: eodem ut hic modo notatur etiam in *Marten.* & *Pamel.*

(6) Sic etiam legitur in *Fronton.* & *Thomaſ.* ſed in *Marten*, aliud aſſignatur Evangelium, aliudque in Miſſali *Rom.*

(7) Similiter in cæteris, & *Pamel.* ſed in Miſſali diverſum ponitur Evangelium.

Digitized by Google

Die XXIIII. Nat. S. Iohannis Baptiſtæ, ſec. Luc. cap. III. *In illo tempore Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi*, uſque, *& fecit redemtionem plebis ſuæ.*

Die XXVI. menſis ſupraſcripti, Nat. SS. Iohannis & Pauli, ſec. Lucam cap. CXLIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis, adtendite a fermento Phariſæorum*, uſque, *coram Angelis Dei.* (1)

Hebd. VI. poſt Pent. ſec. Luc. cap. XXVIIII. *In illo tempore cum turbæ irruerent ad Ieſum, ut audirent verbum Dei*, uſque, *& relictis omnibus ſecuti ſunt eum.* (2)

[Die XXVIII. menſis ſupraſcripti, translatio corporis beati Leonis Pontificis, ſec. Matth. cap. CCLXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: homo quidam peregre proficiſcens*, uſque, *in gaudium Domini tui.* (3)]

Die XXVIII. menſis ſupraſcripti, vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, ſec. Ioh. cap. CCXXVI. *In illo tempore dixit Ieſus Simoni Petro*, uſque, *qua morte clarificaturus eſſet Deum.*

Die XXVIIII. menſis ſupraſcripti, Nat. Apoſtolorum Petri & Pauli, ſec. Matth. cap. CLXVI. *In illo tempore venit Ieſus in partes Cæſareæ Philippi*, uſque, *erit ſolutum & in cœlis.*

Die XXX. menſis ſupraſcripti, ad S. Paulum, ſec. Matth. cap. CXCV. *In illo tempore dixit Simon Petrus ad Ieſum, ecce nos reliquimus*, uſque, *vitam æternam poſſidebit.* (4)

Hebd. I. poſt natale Apoſtolorum, ſec. Matth. cap. XXXV. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: niſi abundaverit iuſtitia veſtra*, uſque, *donec reddas noviſſimum quadrantem.* (5)

Menſe Iulio.

Die II. Nat. SS. Proceſſi & Martiniani, ſec. Matth. cap. CCXLIII. *In illo tempore ſedente Ieſu ſupra montem*, uſque, *in finem, hic ſalvus erit.*

In Octavas Apoſtolorum, ſec. Matth. cap. CXLVIII. *In illo tempore iuſſit Ieſus diſcipulis ſuis aſcendere in naviculam*, uſque, *vere filius Dei es.*

Fer. IIII. ſec. Marc. cap. CVII. *In illo tempore cum egreſſus eſſet [Ieſus] in via*, uſque, *veni ſequere me.*

Fer. VI. ſec. Marc. cap. LXXVII. *In illo*

(1) Feſtum hoc deficit in *Marteniano*, in reliquis omnibus eodem modo notatur.

(2) In miſſali *Rom.* hæc eſt Domin. IV. poſt Pentecoſten. In *Rhenaugienſi* hic inſcribitur *Hebdomada II. poſt Pentecoſten*, adeoque unicam tantum Dominicam poſt octavam Pentecoſtes habet uſque ad feſtum Apoſtolorum; in quo plane convenit cum *Frontoniano*, ubi idipſum obſervatur. Cæteri omnes codices, *Vaticanus* THOMASII, *Marten.* & *Pamel.* cum noſtro *Spirenſi* conſtanter ſex poſt Pentecoſten Dominicas exhibent uſque ad feſtum Apoſtolorum; poſt quod illas de novo numerare incipiunt. Vid. Diſquiſit. X. cap. 5. p. 977. ſeq.

(3) Supra ex Sacrament. Gregor. notavimus officium S. LEONIS hac ipſa die pag. 143. qui videtur fuiſſe LEO II. hac die depoſitus, qua tamen etiam celebrabatur translatio S. LEONIS I. quæ inſcriptio cum hic in *Rhenaug.* notetur, dubium diſparet, de utro horum aſſignatum ſit hoc officium. Vid. BAILLET *Vies des Saints T. IV. XXVIII. Iunii.* Simili modo legitur etiam in *Frontoniano*, ut in *Rhenaug.*

(4) Sic & in cæteris, ſed in Miſſali *Rom.* aliud hodie Evangelium legitur.

(5) Eſt Domica V. poſt Pentec. in Miſſali, ubi decurtatum ponitur Evangelium, uti etiam in *Rhenaug.* manu recentiore notatur, uſque, *& tunc veniens offeres munus tuum.* quod & in *Vatic. Thomaſ.* habetur. In *Marten.* aliud Evang. aſſignatur.

Digitized by Google

illo tempore exierunt Phariſæi, & cœperunt conquirere, uſque, *dimiſit illum in domum ſuam.* (1)

Hebd. II. [poſt natale Apoſtolorum] Die Dom. ſec. Marc. cap. LXXVI. *In illo tempore cum multa turba eſſet*, uſque, *& dimiſit eos.* (2)

Die X. menſis ſupraſcripti, Nat. VII. Fratrum [via Appia & Salaria] ſec. Matth. cap. XXIIII. *In illo tempore videns Ieſus turbas aſcendit in montem*, uſque, *merces veſtra copioſa eſt in cœlo.* (3)

Item via Salaria prima Miſſa ad Sanctum (4) Aquilonem, ſecunda ad S. Alexandrum, ſec. Luc. capit. CXXXIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: nemo accendit lucernam*, uſque, *lucerna fulgoris illuminabit te.*

Item ad S. Felicitatem, ſec. Matth. cap. CXIX. [CXXX] *In illo tempore loquente Ieſu ad turbas*, uſque, *meus frater, ſoror & mater eſt.*

Die XX. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Cirici [Die XV. menſ. ſupr. Nat. S. Cyriaci] ſec. Luc. cap. XCVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: qui vult poſt me venire*, uſque, *donec videant regnum Dei.* (5)

Fer. VI. ſec. Luc. cap. XCVIIII. *In illo tempore deſcendens Ieſus de monte cum diſcipulis ſuis*, uſque, *& reddidit illum matri ſuæ.*

Die Sabb. ſec. Matth. cap. CXCIII. *In illo tempore accedens ad Ieſum quidam ait illi*, uſque, *& veni ſequere me.*

Hebd. III. die Dom. ſec. Matth. cap. LVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: attendite a falſis prophetis*, uſque, *intrabit in regnum cœlorum.* (6)

Die XXI. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Praxedis, ſec. Matth. cap. CXL. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cœlorum*, uſque, *nova & vetera.*

Die XXIII. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Apollinaris, ſec. Luc. cap. CCLXX. *In illo tempore facta eſt contentio inter diſcipulos*, uſque, *iudicantes duodecim tribus Iſrael.*

Fer. IIII. ſec. Luc. cap. LXXXIII. *In illo tempore cum egreſſus eſſet Ieſus de navi*

(1) Evangelia hæc ferialia ſeu quotidiana paſſim variant ab illis in *Marteniano* & *Pameliano* aſſignatis, ut tamen cum *Thomaſianis* ſemper conveniant.

(2) Eſt Dominica VI. in Miſſali, & *Pamel.*

(3) Sic notatur in *Thomaſ.* & *Marten.* Mox pergit *Rhenaug. prima miſſa ad Aquilonem* (quæ nempe præceſſit); *ſecunda ad S. Alexandrum &c.* Ut ſupra.

(4) In *Rhenaug. Fronton.* & *Thomaſ.* ſimpliciter legitur *ad Aquilonem:* quæ THOMASIO T. V. opp. p. 478. B. eſt prima huius die ſtatio, nempe in baſilica S. SILVESTRI ad PHILIPPUM & FELICEM S. FELICITATIS filios via Salaria ibidem ſepultos: ſecunda vero ad S. ALEXANDRUM aliosque eiusdem ſanctæ Matris Filios in altera baſilica; & demum tertia in ipſa S. FELICITATIS baſilica: cuius officium illud eſt, quod hodie in Miſſali & *Pamel.* notatur. In *Marteniano* prima tantum Statio, ſed in *Frontoniano* ac *Thomaſiano* omnes tres ad totidem horumce eccleſias aſſignantur. Vid. Analect. MABILLONII deſcriptio regionum urbis cæterum in *Pameliano* una S. FELICITAS cum ſua Miſſa notatur, nihilque ultra de Sanctorum feſtis in eo occurrit uſque ad VI. *Auguſti.*

(5) Haud dubie in *Spirenſi* legendum, ut in *Rhenaug. Die XV.* quo die etiam in *Frontoniano* notatur *Nat. S. Cyriaci*; ſimiliter in *Thomaſiano.* Cum vero apud eundem THOMASIUM in Evangeliario Vatic. ſec. XII. inſcribatur *In S. Quirici & Iulittæ*; & in Martyrologiis duobus Mſſ. apud HENSCENIUM T. II. *Martii Bolland. Idibus Iulii Cyriaci & Matris eius Iulittæ*, is ipſe CYRIACUS vel QUIRICUS eſt, cuius officium ex *Ambroſiano* ſupra in Sacramentario pag. 151. dedimus.

(6) Scil. Dominica III. poſt natale Apoſtolorum, prout apud THOMASIUM habetur; quæ in Miſſali eſt Domin. VII. poſt Pentecoſt.

Digitized by Google

navi ad terram, uſque, *prædicans, quanta illi feciſſet Ieſus.*

Fer. VI. ſec. Luc. cap. CXCVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: homo quidam erat dives,* uſque, *reſurrexerit, credent.* (1)

Die XXVIIII. menſis ſupraſcripti, Nat. SS. Felicis [Papæ] Simplicii, Fauſtini, & Beatricis [Via Portuenſe] ſec. Lucam cap. CLIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſint lumbi veſtri præcincti,* uſque, *filius hominis veniet.* (2)

[Die XXX. menſis ſupraſcripti, Nat. SS. Abdon & Sennes, ſec. Iohan. cap. CXXXIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: hoc eſt præceptum meum,* uſque, *quia oderunt me gratis.* (3)]

Hebd. IIII. poſt Nat. Apoſtolorum, ſec. Luc. cap. CXC. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: homo quidam erat dives, qui habebat villicum,* uſque, *recipiant vos in æterna tabernacula.* (4)

Fer. IIII. ſec. Matth. cap. CXLVII. *In illo tempore veſpere autem facto acceſſerunt ad Ieſum,* uſque, *fuit numerus quinque millia hominum.*

Hebd. V. Die Dom. ſec. Lucam cap. CCXXXVI. *In illo tempore cum adpropinquaret Ieſus Hieruſalem, videns civitatem flevit,* uſque, *& erat docens quotidie in templo.*

[Hebd. V. ſec. Luc. cap. CXXI. *In illo tempore quidam legisperitus ſurrexit, tentans Ieſum,* uſque, *vade, & tu fac ſimiliter.* (5)]

Menſe Auguſto.

Kal. Auguſti, ad Vincula, ſec. Matth. cap. CXLVIII. *In illo tempore iuſſit Ieſus diſcipulos ſuos aſcendere in naviculam,* uſque, *vere filius Dei es.* (6)

Die II. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Stephani Pontificis [via Latina] ſec. Lucam cap. CCXXVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc, [homo quidam nobilis]*, uſque, *omni habenti dabitur, & abundabit.*

Fer. IIII. ſec. Luc. cap. CXXVI. *In illo tempore erat Ieſus eiiciens dæmonium,* uſque, *imo beati, qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.*

Hebd. VI. ſec. Luc. cap. CCXIIII. *In illo tempore dixit Ieſus ad quosdam, qui in ſe confidebant tamquam iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam: duo homi-*

(1) Tam hic, quam in *Frontoniano* & *Vatic.* THOMASII feſtum S. IACOBI deſideratur, quod ſupra ex *San-Gallenſi* dedimus, pag. 152. & habetur etiam in vetuſtiſſimo *Marteniano.*

(2) Ita & in *Marten.* ac *Thomaſ.* cæterum uti ſupra in Graduali pag. 392. inſcriptio quidem huius feſti eſt de omnibus ibi aſſignatis, Miſſa autem de ſolo S. FELICE, ita & hic idem eſt obſervandum; quod ex Evangelio de Confeſſore, & lectione in *San-Blaſiano* ſec. XII. palam fit, ubi iſta aſſignatur; *plures facti ſunt ſacerdotes*, cum eodem Evangelio: unde etiam ſupra in ſacramentario pag. 154. particularis de ipſo Miſſa habetur.

(3) Habetur hoc feſtum in *Thomaſ.* & in veteri *Rom.* Calend. apud BUCHERIUM, & ſupra in Sacrament. pag. 155. nec tamen in *Frontoniano*, *Spirenſi*, aut *Marten.* notatur.

(4) Similiter in *Marten. Pamel.* ac *Thomaſ.* In Miſſali eſt Dominica VIII.

(5) Habes hic duo Evangelia Dominicæ IX. poſt Pentecoſt. quorum primum in *Marten. Pamel.* & Miſſali, alterum vero in noſtro *Rhenaugienſi* notatur; & in nonnullis codd. apud THOMASIUM, in quorum uno aſſignatur Fer. VI. præced.

(6) In miſſali hodie aliud legitur Evangelium, uti etiam in ſeq. feſto S. STEPHANI P. qui habetur etiam cum eodem hoc Evang. in *Marteniano* & *Thomaſiano.*

homines aſcendebant in templum, uſque, *qui ſe humiliat exaltabitur.* (1)

Die VI. menſis ſupraſcripti, Nat. SS. Sixti, Feliciſſimi & Agapiti, ſec. Matth. cap. LXXXVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ecce ego mitto vos,* uſque, *in finem hic ſalvus erit.* (2)

Die VIII. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Cyriaci, ſec. Matth. cap. XCII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: nihil eſt opertum, quod non reveletur*, uſque, *confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* (3)

Die VIIII. menſis ſupraſcripti, vigilia S. Laurentii, ſec. Matth. cap. CLXX. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Si quis vult poſt me venire*, uſque, *venientem in regno Dei* [*ſuo.*] (4)

Die X. menſis Aug. Nat. S. Laurentii, ad primam Miſſam ſec. Matth. c. XCVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: qui amat patrem aut matrem plusquam me*, uſque, *non perdet mercedem ſuam.*

Item ad aliam Miſſam [ad Miſſam publicam] ſec. Ioh. cap. CIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: niſi granum frumenti cadens in terram*, uſque, *Pater meus qui in cœlis eſt.* (5)

Die XI. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Tiburtii ſec. Ioh. cap. CXXXIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: hoc eſt præceptum meum*, uſque, *in nomine meo, det vobis.* (6)

Die ſupraſcripto Nat. S. Suſannæ, ſec. Matth. cap. CXL. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cœlorum theſauro*, uſque, *nova & vetera.* (7)

Die XII. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Eupli, ſec. Ioh. cap. CXLVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: amen amen dico vobis, quia plorabitis*, uſque, *in nomine meo det vobis.* (8)

Fer. IIII. ſec. Luc. cap. LXXIIII. *In illo tempore rogabat Ieſum quidam Phariſæus*, uſque, *quoniam dilexit multum.*

Die XIII. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Hippolyti, ſec. Luc. cap. CXLIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: attendite a fermento Phariſæorum*, uſque, *coram Angelis Dei.* (9)

Fer VI. ſec. Luc. cap. XXVI. *In illo tempore ſurgens Ieſus de ſynagoga introivit in domum Simonis Petri*, uſque, *quia*

(1) Habetur etiam in *Marten. Pamel.* ac *Thomaſ.* & in Miſſali Domin. X. poſt Pent. Eſt autem ultima poſt feſtum Apoſtolorum; poſt quod tam in *Marten.* quam *Fronton.* ſex Dominicæ notantur.

(2) Tam hic, quam in *Frontoniano* ac *Thomaſ.* omnes ſimul iunguntur, prout hodie in Miſſali: in *Pameliano* autem & *Marteniano* ſolus notatur S. XISTUS, veluti etiam ſupra in Sacramentario pag. 157 cum eodem tamen Evangelio.

(3) Similiter etiam in *Frontoniano*, & *Thomaſ.* nec non in Sacrament. p. 160. ſolus occurrit: ſed in Miſſali ponitur cum Sociis & diverſo etiam Evangelio.

(4) Ita pariter in omnibus, reliquis codicibus aſſignatur, excepto finali in Miſſali.

(5) Duplex hæc Miſſa notatur etiam in *Marteniano*, *Front.* & *Thomaſ.* & in lectionario ac Graduali cum hac inſcriptione *in mane prima*, & *in die ad Miſſam*; quæ ultima nunc ſola eſt, uti & in *Pamel.*

(6) Diſtinctas de hoc Sancto, & ſeq. Miſſas hic & alibi paſſim habes, quamvis nunc in Miſſali unica tantum de utroque habeatur.

(7) In *Rhenaug.* feſtum hoc recentiore nonnihil manu adſcriptum, ut & ſequens.

(8) Habetur etiam in *Frontoniano*, & *Vaticano* THOMASII. Vid. de S. EUPLO vel EUPLIO Diac. & Mart. BARONIUS in notis ad Martyrol. h. d.

(9) Idem notatur in *Fronton.* ſed in *Marten.* aliud Evangelium legitur.

Digitized by Google

quia & aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei.

Die XIIII. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Euſebii ſec. Matth cap. CCLXIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: vigilate, quia neſcitis*, uſque, *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* (1)

Die XV. menſis ſupraſcripti, ſolemnitas de Pauſatione (2) ſanctæ Mariæ, ſec. Luc. cap. CXXII. *In illo tempore intravit Ieſus in quoddam caſtellum*, uſque, *quæ non auferetur ab ea.*

[Item eiusdem Evangelii (al. *Evangelium*) in finem cap. CXXXI. *Factum eſt, cum hæc diceret, extollens mulier*, uſque, *& cuſtodiunt illud.* (3)]

Die XVIII. [menſis ſupraſcripti] Nat. S. Agapiti, ſec. Luc. cap. CLIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſint lumbi veſtri*, uſque, *filius hominis veniet.*

Hebd. I. poſt S. Laurentii, ſec. Marc. cap. LXXIIII. *In illo tempore exiens Ieſus de finibus Tyri venit per Sidonem*, uſque, *& ſurdos fecit audire, & mutos loqui.* (4)

Die XXII. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Timothei, ſec. Luc. cap. CLXXX. [CLXXXIII.] *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſi quis venit ad me*, uſque, *qui habet aures audiendi audiat.* (5)

Die XXV. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Geneſii, ſec. Marc. cap. CXXXVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: videte ne quis vos ſeducat*, uſque, *hic ſalvus erit.*

Fer. IIII. ſec. Luc. cap. CLXVIIII. *In illo tempore dum iret Ieſus per civitates & caſtella*, uſque, *& accumbent in regno Dei.*

Die XXVIII. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Hermes, ſec. Luc. cap. XLV. *In illo tempore deſcendens Ieſus de monte ſtetit in loco campeſtri*, uſque, *merces veſtra copioſa eſt in cœlis.*

Die XXVIIII. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Sabinæ, ſec. Matth. cap. CXL. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cœlorum theſauro*, uſque, *nova & vetera.*

Die XXX. menſis ſupraſcripti, Nat. SS. Felicis & Adaucti [& depoſitio Heliſæi Prophetæ] & decollatio S. Iohannis Baptiſtæ, ſec. Marcum, cap. LVIIII. *In illo tempore miſit Herodes, & tenuit Iohannem*, uſque, *& poſuerunt illud in monumento.* (6)

Hebd. II. poſt Nat. S. Laurentii, ſec. Luc. cap. CXX. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: beati oculi qui vident*

---

(1) Nihil habetur in noſtris codd. de vigilia Aſſumtionis, tum forte nondum inſtituta.

(2) Ita in utroque noſtro codice inſcribitur Aſſumtio B. M. De quo vid. Diſquiſit. IX. c. p. 906.

(3) Hæc in *Rhenaug.* paullo recentiore manu addita leguntur etiam apud THOMASIUM. Duplex pariter Miſſa notatur in Calend. FRONTONIS, unica vero in *Marteniano*, & noſtro *Spirenſi*.

(4) Eſt Dominica XI. poſt Pent. in Miſſali.

(5) Ubique fere ſolus notatur S. TIMOTHEUS in antiquioribus, ſed in recent. *San-Blaſ.* ſec. XII. cum Socio & Evang. *Deſcendens Ieſus.* Cæterum nulla hic & in *Fronton.* S. BARTHOLOMÆI mentio, cuius tamen feſtum habetur in *Marteniano.*

(6) Similis inſcriptio notatur etiam apud THOMAS. in *Vatican.* codd. & quidem ad eamdem diem 30. *Aug.* cum alias feſtum decollationis conſtanter die præced. aſſignetur: ad quod feſtum etiam ſolum ſpectat Evangelium hic præſcriptum; nihilque plane de cæteris Sanctis occurrit in noſtris codd.

dent quæ videtis, uſque, *vade & tu fac ſimiliter.* (1)

Fer. IIII. ſec. Matth. cap. CXVII. *In illo tempore abeuntes Phariſæi*, uſque, *in nomine eius gentes ſperabunt.*

Fer. VI. ſec. Luc. cap. CXLVIIII. *In illo tempore ait ad Ieſum quidam de turba*, uſque, *& Deus paſcit illos.*

Hebd. III. [poſt nat. S. Laurentii] ſecundum Luc. cap. CCI. *In illo tempore dum iret Ieſus in Hieruſalem*, uſque, *vade, quia fides tua te ſalvum fecit.*

Fer. IIII. ſec. Marc. cap. CXX. *In illo tempore introivit Ieſus Hieroſolymam*, uſque, *admirabantur ſuper doctrina.*

Menſe Septembrio.

Die VIII. Nativitas S. Mariæ, ſec. Luc. cap. III. *In illo tempore exurgens Maria*, uſque, *exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* (2)

Die ſupraſcripto, Nat. S. Adriani, ſec. Ioh. cap. CXXXII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ego ſum vitis vera*, uſque, *gaudium veſtrum impleatur.*

Die XI. menſis ſupraſcripti, Nat. SS. Proti & Hyacinthi, ſecundum Matth. c. LXXXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: cum perſequentur vos*, uſque, *coram Patre meo, qui eſt in cœlis.*

Hebd. IIII. ſec. Matth. cap. XLVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: nemo poteſt duobus dominis ſervire*, uſque, *& hæc omnia adiicientur vobis.* (3)

Fer. IIII. ſec. Matth. cap. XXXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis, audiſtis quia dictum eſt*, uſque, *& Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.*

Fer. VI. ſec. Luc. cap. CCXL. *In illo tempore docente Ieſu populum in templo*, uſque, *in qua poteſtate hæc facio.*

Die XIIII. menſis ſupraſcripti Nat. S. Cornelii Pontificis [SS. Cornelii & Cypriani] ſec. Luc. cap. CXL. *In illo tempore dicebat Ieſus turbis Phariſæorum & Principibus ſacerdotum: væ vobis, qui ædificatis*, uſque, *quærentes capere aliquid ex ore eius, ut accuſarent eum.* (4)

Die ſupraſcripto, Exaltatio S. Crucis, ſec. Ioh. cap. XXIIII. *In illo tempore erat homo ex Phariſæis Nicodemus*, uſque, *ſed habeat vitam æternam.*

Hebd. V. ſec. Luc. cap. LXVII. *In illo tempore ibat Ieſus in civitatem*, uſque, *quia Deus viſitavit plebem ſuam.* (5)

Die XV. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Nicomedis, ſec. Luc. cap. XCVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſi quis vult poſt me venire*, uſque, *donec videant regnum Dei.*

Die XVI. menſis ſupraſcripti, Nat. ſcarum Luciæ & Euphemiæ, ſec. Matth. cap. CXL. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cœlorum theſauro*, uſque, *nova & vetera.*

(Spir.

---

(1) Dominica hæc in Miſſali eſt XII. uti ſequens XIII. poſt Pentecoſten.

(2) Ita & in *Fronton.* ſed in Miſſali hodie legitur Genealogia Salvatoris ex Matth.

(3) Scil. poſt nat. S. LAURENTII. Eſt Dominica XIV. poſt Pentecoſt.

(4) Sic legitur & in cæteris, etiam *Marteniano*, clauſula tamen Evangelii variat. Celebratur hodie die 16. *Sept.* cum alio Evangelio.

(5) Quinta hæc eſt Dominica *poſt Natale S. Laurentii*, quot nempe in *Frontoniano*, ſeptem vero in *Marteniano* numerantur: in noſtro Miſſali eſt Domin. XV. poſt Pentecoſt.

Digitized by Google

(*Spir. ſol.*) Die XX. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Euſtathii ſec. Luc. cap. XLV. *In illo tempore deſcendens Ieſus de monte*, uſque, *merces veſtra copioſa eſt in cœlis.*

[Nat. S. Euſtochii ſec. Luc. cap. CLIIII. *Sint lumbi veſtri*, uſque, *filius hominis venit.* (1)

(*Spir. ſol.*) Die XXI. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Dignæ, ſec. Matth. c. CXL. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſimile eſt regnum cœlorum theſauro*, uſque, *nova & vetera.* (2)

Fer. IIII. ſec. Lucam cap. XXXVIII. *In illo tempore vidit Ieſus publicanum nomine Levi*, uſque, *peccatores in pœnitentiam.* (3)

Hebd. I. poſt [Nat.] S. Cypriani (4) ſec. Luc. cap. LXXVI. *In illo tempore cum intraret Ieſus in domum cuiusdam*, uſque, *& qui ſe humiliat, exaltabitur.*

Fer. IV. menſis ſeptimi ad S. Mariam [Maiorem] ſec. Marc. cap. XCI. *In illo tempore reſpondit* [*reſpondens*] *unus de turba dixit*, uſque, *hoc genus non eiicitur, niſi oratione & ieiunio.*

Fer. VI. ad Apoſtolos, ſec. Luc. cap. XXXVI. *In illo tempore ſedebat Ieſus docens, & erant Phariſæi ſedentes*, uſque, *vidimus mirabilia hodie.* (5)

Die Sabb. ad S. Petrum XII. lect. ſec. Luc. cap. CLXIIII. *In illo tempore erat Ieſus docens in ſynagogis Iudæorum*, uſque, *quæ glorioſe fiebant ab eo.*

Hebd. II. poſt Cypriani, ſec. Matth. cap. CCXXIII. *In illo tempore acceſſerunt ad Ieſum Sadducæi*, uſque, *audientes turbæ mirabantur in doctrina eius.* (6)

Fer. IIII. ſec. Marc. cap. CXXXI. *In illo tempore interrogavit Ieſum unus de Scribis, quod eſſet primum*, uſque, *non es longe a regno Dei*

Fer. VI. ſec. Matth. cap. CXXXVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cælorum homini* [*qui ſeminavit*] uſque, *triticum autem congregate in horreum meum.*

Die XXVII. menſis ſupraſcripti, Nat. SS. Coſmæ & Damiani, ſec. Ioh. cap. CXXXVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: hæc mando vobis* [*ut diligatis invicem*] uſque, *quia oderunt me gratis* (7)

Die

(1) Leg. EUSTACHII: ita & in *Rhenaug.* in quo recentiore paullo manu hæc appoſita. Utrumque tamen Evangelium aſſiguatur etiam apud THOMAS. & feſtum etiam in *Fronton.* habetur.

(2) Sic & apud THOMAS. ſed nil apud FRONTON, Notatur hæc S. Virgo in Martyrolog. *Rom.* ad diem ſeq. 22. *Sept.*

(3) Hoc idem Evangelium in *Pamel.* notatur pro vigilia S. MATTHÆI Apoſt. quæ ſicut & ipſum feſtum in noſtris & *Thomaſ.* deſideratur. Quod in antiquis *Gregorianis* ſacramentariis paſſim fit.

(4) Ita deinceps Dominicas poſt Pentecoſten numerant etiam THOMASIUS & FRONTO; in Calendario tamen *Marteniano* inſcribuntur *poſt S. Angeli.* Porro quæ hic prima poſt *S. Cypriani* notatur, in Miſſali eſt XVI. poſt quam hic ponitur ieiunium ſeptimi menſis, veluti hodieque illud feria IV. poſt Exaltationem S. Crucis, ſeu diem 14. *Sept.* qua hic aſſignatur S. CYPRIANI feſtum, incipit: at in Miſſali poſt Dominic. XVII. ponitur. Firmari hinc videtur coniectura, quam ſupra pag. 351. n. 1. ad Grad. *Rhenaug.* protulimus, officia IV. temporum in eo forte Dominicæ XVI. fuiſſe poſtpoſita.

(5) In Miſſali hodie notatur Evangelium de muliere peccatrice, quod & in *Marten.* ac *Pamel.* habetur.

(6) Dominica XVII. poſt Pentecoſt. in Miſſali tamen non integrum, ut hic, habetur Evangelium.

(7) Hodie aliud legitur Evangelium: in *Pamel.* & *Marten.* deeſt.

Digitized by Google

Die XXVIIII. [menſis ſupraſcripti] Dedicatio eccleſiæ S. Archangeli [Michaelis] ſec. Matth. cap. CLXXVIII. *In illo tempore acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum*, uſque, *quia Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.* (1)

Hebd. III. poſt S. Cypriani, ſec. Matth. cap. LXX. *In illo tempore aſcendens Ieſus in naviculam trans fretum*, uſque, *quia dedit poteſtatem talem hominibus.* (2)

Menſe Octobrio.

Die VII. Nat. S. Marci, ſec. Matth. cap. CCLXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: homo peregre*, uſque, *intra in gaudium Domini tui.* (3)

Die XIIII. [menſis ſupraſcripti] Nat. S. Calliſti [Pontificis] ſec. Matth. cap. CCLXIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: vigilate*, uſque, *conſtituet eum.*

Die XXV. [menſis ſupraſcripti] Nat. SS. Chryſanthi & Dariæ, ſec. Matth. cap. CCXLIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: videte ne quis vos ſeducat*, uſque, *in finem hic ſalvus erit.*

Menſe Novembrio.

Kal. Novemb. Nat. S. Cæſarii, ſec. Ioh. cap. CIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: amen dico vobis, niſi granum frumenti*, uſque, *honorificabit eum Pater meus, qui eſt in cœlis.* (4)

Die VIII. menſis ſupraſcripti, Nat. IIII. Coronatorum, ſec. Luc. cap. XLV. *In illo tempore deſcendens Ieſus de monte ſtetit in loco campeſtri*, uſque, *merces veſtra copioſa eſt in cœlis.*

Die VIIII. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Theodori, ſec. Luc. cap. CCLI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ponite in cordibus veſtris*, uſque, *in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.*

Hebd. IIII. poſt S. Cypriani, ſec. Matth. cap. CXXXI. *In illo tempore loquebatur Ieſus diſcipulis ſuis in parabolis dicens: ſimile factum eſt*, uſque, *pauci vero electi.* (5)

Hebd. V. [IIII.] poſt S. Cypriani, ſecund. Matth. cap. CLXXXVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem*, uſque, *dimiſeritis unusquisque fratri ſuo de cordibus veſtris.* (6)

Die XI. menſis ſupraſcripti, Nat. S. Mennæ [ſec. Luc. cap. XCVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſi quis vult poſt me*, uſque, *donec videant regnum Dei.*

Die

(1) Habetur etiam in *Marteniano*, in quo poſt hoc feſtum nullum uſque ad vigil. S. ANDREÆ amplius occurrit.

(2) Eſt Dominica XVIII. poſt Pentecoſt.

(3) Hodie in feſto S. MARCI Papæ legitur Evangelium *Vigilate*, diverſum quoque de S. CALLISTO, & CHRYSANTHO, quæ tria feſta ſola in hoc menſe notantur, nulla facta mentione S. LUCÆ Ev. vel SS. SIMONIS & IUDÆ, quod in noſtris codd. frequens, qui pauciſſima tantum Apoſtolorum feſta exhibent.

(4) Nihil prorſus hic ſive de vigilia, ſive de feſto omnium Sanctorum notatur, quod, ut diximus Diſquiſit. IX. c. 2. p. 909. ſeq. circa an. 835. celebrari cœpit. Unde coniicere eſt, noſtros codices vel illo tempore eſſe antiquiores, vel ex antiquioribus deſcriptos.

(5) Dominica hæc XIX. poſt Pentecoſt. omiſſa eſt in *Rhenaug.* ubi ſequens *hebd. V.* inſcribitur *hebd. IIII.* & ſic porro.

(6) Eſt hæc Dominica XXI. in Miſſali, cuius Dominica XX. ſive eius Evangelium: *Erat quidam regulus*, hic plane deeſt, habetur autem in *Pamel.* & *Marten.*

Digitized by Google

Die XII. menſis ſuprafcripti, Nat. S. Martini] ſec. Luc. cap. CLIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſint lumbi veſtri præcinſti*, uſque, *filius hominis veniet.* (1)

Fer. IIII. ſec. Luc. cap. CLXXXVI. *In illo tempore erant adpropinquantes ad Ieſum publicani*, uſque, *ſuper uno peccatore pœnitentiam agente.*

Hebd. VI. [V] poſt S. Cypriani, ſec. Matth. cap. CCXXIII. *In illo tempore abeuntes Phariſæi conſilium inierunt*, uſque, *& quæ ſunt Dei Deo.* (2)

Die XXII. menſis ſuprafcripti, Nat. S. Cæciliæ, ſec. Matth. c. [CCLXVIIII.] *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cœlorum decem virginibus*, uſque, *vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam.*

Die XXIII. menſis ſuprafcripti, Nat. S. Clementis, ſec. Matth. c. CCLXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: homo quidam peregre proficiſcens*, uſque, *intra in gaudium Domini tui.* (3)

Die ſuprafcripto [Nat.] S. Felicitatis, ſec. Matth. cap. CXXXI. *In illo tempore loquente Ieſu ad turbas*, uſque, *ipſe meus frater, ſoror & mater eſt.* (4)

Die XXIIII. menſis ſuprafcripti, Nat. S. Chryſogoni, ſec. Ioh. cap. CXXXVII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: hæc mando vobis, ut diligatis invicem*, uſque, *quia oderunt me gratis.* (5)

Hebd. VII. [VI] poſt S. Cypriani, ſec. Matth. cap. LXXIIII. *In illo tempore loquente Ieſu ad turbas, ecce princeps unus*, uſque, *& exiit fama hæc in univerſam terram.*

Fer. IIII. ſec. Luc. cap. XXXIII. *In illo tempore cum eſſet Ieſus in una civitatum*, uſque, *& curarentur ab infirmitatibus ſuis.*

Die XXVIIII. menſis ſuprafcripti, Nat. S. Saturnini, ſec. Marc. cap. CXXXVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: videte, ne quis vos ſeducat*, uſque, *in finem hic ſalvus erit.*

Die ſuprafcripto, Vigilia S. Andreæ, ſec. Ioh. cap. XVI. *In illo tempore ſtabat Iohannes*, uſque, *Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper filium hominis.*

Die XXX. menſis ſuprafcripti, Nat. S. Andreæ, ſec. Matth. cap. XX. *In illo tempore ambulans Ieſus iuxta mare*, uſque, *at illi relictis retibus & patre ſequuti ſunt eum.*

Hebd. VIII. [VII] poſt S. Cypriani, ſec. Ioh. cap. XLVIIII. *In illo tempore cum ſublevaſſet oculos Ieſus, & vidiſſet*, uſque,

(1) Quæ in *Spirenſi* deſunt, uncinis incluſa ex *Rhenaug.* ſupplemus; ita autem legendum eſſe, patet ex THOMASIO p. 505. ubi tamen melius habetur *die ſuprafcripto* (nempe XI.) *Nat. S. Martini*; revera enim S. MARTINI *Turonenſis* feſtum die XI. non autem XII. agitur.

(2) Eſt Dominica XXII. in Miſſali, ſicut ſequens hebd. VII. ibi notatur Dom. XXIII.

(3) Hodie legitur Evangel. *Vigilate.*

(4) Ita habetur iam ſupra X. *Iulii* p. 434.

(5) In Miſſali notatur Evangel. *nolite arbitrari.*

uſque, *hic eſt vere propheta, qui venturus eſt in mundum.* (1)

Fer. IIII. ſec. Matth. cap. LXVII. *In illo tempore cum veniſſet Ieſus in domum Simonis Petri*, uſque, *ſine mortuos ſepeliant mortuos ſuos.*

Fer. VI. ſec. Luc. cap. CXLVIIII. *In illo tempore dixit ad Ieſum quidam de turba: magiſter*, uſque, *& hæc omnia adiicientur vobis.*

Menſe Decembrio.

Die XIII. Nat. S. Luciæ, ſec. Matth. [cap.] CXL. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cœlorum theſauro*, uſque, *nova & vetera.* (2)

Fer. IIII. ſec. Marc. cap. LXXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: videte & cavete*, uſque, *& dimiſit illum in domum ſuam.* (3)

Hebd. IIII. ante Natale Domini, ſec. Matth. cap. CCVI. *In illo tempore cum adpropinquaret Ieſus Hieroſolymis*, uſque, *benedictus qui venit in nomine Domini.* (4)

Hebd. III. ante Natale Domini, ſecund. Luc. cap. CCLVII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: erunt ſigna in ſole & luna & ſtellis*, uſque, *verba autem mea non tranſient* [*tranſibunt.*]

Hebd. II. ante Natale Domini, ſecund. Matth. cap. CII. *In illo tempore cum audiſſet Iohannes in vinculis*, uſque, *qui præparavit viam tuam ante te.*

Hebd. I ante Natale Domini, ſec. Ioh. cap. VIIII. *In illo tempore miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis*, uſque, *ubi erat Iohannes baptizans.* (5)

Fer. IIII. ad S. Mariam, ſec. Luc. cap. III. *In illo tempore miſſus eſt Gabriel Angelus*, uſque, *fiat mihi ſecundum verbum tuum.* (6)

Fer. VI. ad Apoſtolos, ſec. Luc. cap. III.

(1) Hæc Dominica in *Marteniano* & *Pameliano* inſcribitur *Dominica V. ante Natale Domini*, cum eodem Evangelio, quod in Miſſali inter Dominicas poſt Pentecoſten & Epiphaniam non occurrit: neque etiam Dominicæ XXIV. officium in Miſſali hodie notatum in noſtris codicibus habetur. Cæterum inſtituto harum Dominicarum computo, in *Spirenſi* habemus Dominicas XXIII. in *Rhenaugienſi* vero & *Frontoniano* ſolum XX. Vid. Diſquiſit. X. cap. 5. pag. 978. In *Marteniano* ſunt Dominicæ XXV. & ſequitur ibi *Dominica V. ante Natale*, quæ hic in *Spirenſi* eſt *Dom. VIII. poſt S. Cypriani* ſeu XXIII. poſt Pentecoſten, deficiente tamen una Dominica poſt Pentecoſten.

(2) Feſtum deeſt in *Marteniano*, & *Pamel.* quia olim in Adventu æque ac Quadrageſima nulla Sanctorum feſta celebrabantur.

(3) Hoc modo etiam in *Thomaſ.* habetur; incertum tamen eſt, quorſum pertineat hoc officium, cum in præcedenti hebdomada iam notetur aliud pro feria IV. & in Adventu nec in noſtris, nec in *Marteniano* aliquod officium feriale notetur; quod tamen ſecus eſt in Pamelio. Forte Miſſæ ſequenti poſtponendum.

(4) Vid. quæ de his Dominicis Adventus diximus Diſquiſit. X. c. 2. p. 930. Cæterum hoc idem Evangelium hac Dominica aſſignatur etiam in *Pamel. Marten.* & *Thomaſ.* quamvis in Miſſali Domin. I. Adventus, cui noſtra reſpondet, notetur Evangel. Dom. ſeq. in noſtris poſitum; & ſic etiam de ſequentibus. Quoad officia ferialia Adventus ſolus Pamelius feriæ IV. & VI. officium exhibet.

(5) Sic notatur in cæteris, etiam *Pamel.* & *Marten.* quæ autem nunc eſt Dominica ultima Adventus, ſeu prima aut proxima ante Natale Domini, omittitur, quia proprio officio *vacat*, & ſolum Evangelium Sabbati præcedentis aſſignatum habet: quæ omnia cum recentioris ſint inſtituti, mirum non eſt, cur in antiquis his monumentis non occurrant.

(6) Hæ feriæ quatuor temporum menſis decimi eodem modo in cæteris quoque codicibus habentur; hodie tamen ante Dominicam ultimam Adventus notantur.

Digitized by Google

III. *In illo tempore exurgens Maria*, uſque, *& exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.*

Die Sabb. XII. lect. ad S. Petrum, ſec. Lucam cap. VI. *In illo tempore anno quinto decimo imperii Tiberii*, uſque, *& videbit omnis caro ſalutare Dei.*

Die XXIIII. menſis ſupraſcripti, vigilia Domini, ſec. Matth. cap. III. *In illo tempore cum eſſet deſponſata mater Ieſu*, uſque, *ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum.*

[Incipiunt Lectiones Evangelii pro diverſis cauſis. (1)]

Pro ubertate pluviæ, ſec. Lucam, cap. LXXXIII. *In illo tempore factum eſt in una dierum*, uſque, *quia & ventis imperat & mari, & obediunt ei.* (2)

Pro ſterilitate pluviæ, ſec. Matth. c. CLX. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: miſereor turbis*, uſque, *aſcendit in navicula, & diſcipuli cum eo.*

In commotione gentium, ſec. Lucam cap. CL. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: nolite ſolliciti eſſe, quid manducetis*, uſque, *omnia adiicientur vobis.* (3)

In die belli, ſec. Matth. cap. CCXLIII. *In illo tempore ſedente Ieſu ſuper montem Oliveti acceſſerunt ad eum diſcipuli*, uſque, *in finem hic ſalvus erit.* (Spir. ſolus.)

In Natali Papæ, (4) ſec. Lucam cap. CCLXX. *In illo tempore facta eſt contentio inter diſcipulos Ieſu*, uſque, *iudicantes XII. Tribus Iſrael.*

Item altera, ut ſupra, ſec. Luc. cap. CCXXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam*, uſque, *omni habenti dabitur & abundabit.*

Item ubi ſupra, ſec. Matth. c. CLXXI. *In illo tempore venit Ieſus in partes Cæſareæ*, uſque, *erit ſolutum & in cœlis.* (5)

Item ubi ſupra, ſec. Luc. c. CCXXV. *In illo tempore egreſſus Ieſus perambulabat*, uſque, *ſalvum facere quod perierat.* (Spir. ſol.)

In ordinatione Presbyterorum, ſecund. Matth. cap. CCLXIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: vigilate*, uſque, *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* (6)

In ordinatione Diaconorum, ſec. Ioh. cap. CIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: amen amen dico vobis, niſi granum frumenti*, uſque, *Pater meus, qui eſt in cœlis.*

Pro

(1) Titulus hic, qui in *Spirenſi* deeſt, in *Rhenaugienſi* paullo recentiore manu adpoſitus eſt, habeturque quoque apud THOMASIUM T. V. pag. 513. quocum etiam ſequentes lectiones conveniunt: quas omnes codex *Spirenſis* exhibet, pauciores vero *Rhenaug.* quod ſuo loco notabimus.

(2) Eamdem habet *Marten.* cum inſcriptione *pro ſerenitate vel pluvia poſtulanda.*

(3) In *Marteniano* hic aliud legitur Evangelium, illud nempe, quod mox *in die belli* in *Spir.* notatur.

(4) Vid. quæ de hac inſcriptione diximus ſupra in Lect. *Fuld.* p. 416. n. 2. Idem ſentiendum de ſequentibus titulis: *in ordinatione*, id eſt, eius anniverſario.

(5) Evangelium hoc iam tempore S. LEONIS Papæ in natali Papæ lectum fuiſſe, patet ex eius ſerm. 2. in anniverſario aſſumtionis ſuæ. Nec tamen in *Pamelliano*, aut *Marten.* hic Papæ natalis notatur.

(6) Apud THOMASIUM præter hanc alia adhuc Miſſa notatur.

Digitized by Google

Pro Ordinantibus, (1) ſec. Iohannem cap. LXXXVIII. *In illo tempore loquente Ieſu ad turbas*, uſque, *opera Abrahæ facite.*

In ordinatione Epiſcoporum, (2) ſec. Marc. cap. LII. *In illo tempore circuibat Ieſus in circuitu docens*, uſque, *multos ægrotos, & ſanabantur.*

Item unde ſupra, ſec. Lucam. capit. LXXXVI. *In illo tempore convocatis Ieſus XII. diſcipulis ſuis*, uſque, *evangelizantes & curantes ubique.*

Item ubi ſupra, ſec. Matthæum cap. LXXVI. *In illo tempore circuibat Ieſus civitates omnes*, uſque, *& curaret omnem languorem, & omnem infirmitatem.* (*Spir. ſol.*) (3)

In Dedicatione baſilicæ ſive oratorii, ſec. Luc. cap. LX. [*In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis*] *non eſt enim arbor bona, quæ facit fructus malos*, uſque, *fundata enim erat ſupra petram.*

Item altera, ſec. Luc. cap. CCXXV. *In illo tempore egreſſus Ieſus perambulabat Iericho*, uſque, *venit enim filius hominis quærere & ſalvum facere, quod perierat.* (*Spir. ſol.*) (4)

Pro velatione ancillarum Domini, ſec. Matth. cap. CCXXI. *In illo tempore loquebatur Ieſus cum diſcipulis ſuis*, uſque, *multi enim ſunt vocati, pauci vero electi.*

Ad velandam maritatam, ſec. Ioh. cap. XXVII. *In illo tempore reſpondens Iohannes* [*Ieſus*] *dixit, non poteſt homo*, uſque, *hoc ergo gaudium meum impletum eſt.* (5)

Item altera, ſec. Matthæum capitulo CLXXXVIIII. *In illo tempore venit Ieſus in fines Iudeæ*, uſque, *quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet.* (*Spir. ſol.*)

In Vigilia unius Apoſtoli, ſec. Ioh. cap. CXXXII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ego ſum vitis, vos palmites*, uſque, *gaudium veſtrum impleatur.* (6)

In Natale unius Apoſtoli, ſec. Ioh. cap. CXXXIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: hoc eſt præceptum meum*, uſque, *in nomine meo det vobis.*

Item altera, ſec. Ioh. c. CXXXVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: hæc mando vobis, ut diligatis*, uſque, *quia oderunt me gratis.*

In

(1) In *Thomaſ.* etiam legitur *pro ordinationibus*, vel *ordinandis.*

(2) *Rhenaug.* habet *Pro ordinantibus epiſcopis*: ſed melius legitur *pro ordinandis epiſcopis.* Cæterum hæ Miſſæ etiam in *Pamel.* & *Marten.* habentur.

(3) In *Pamel.* duo adhuc alia Evangelia in ordinatione Epiſcoporum notantur.

(4) Utraque hæc lectio etiam in *Marteniano* habetur: cæterum exinde in *Pameliano* nulla amplius ſequentium Miſſarum notatur, exceptis agendis mortuorum.

(5) Deeſt hæc in *Marteniano*, ubi tamen ſequens altera legitur. Poſt hanc Miſſam in *Rhenaug.* ſequitur agenda mortuorum, & quæ hic pro communi Sanctorum ex *Spirenſi* ſequuntur, in eo omnino deſunt.

(6) Hoc commune Sanctorum præter THOMASIUM exhibet etiam Calendarium *Martenianum*, ſed diverſo ordine, ſcil. *in natali omnium Apoſtolorum*, *in natali omnium SS. Martyrum*, *in natali Virginum*, *in natali Confeſſorum*, ubi ſingulis titulis plures Miſſas eaſdem fere cum *Spirenſi* ſubiicit, & quidem de Apoſtolis tres hic poſitas.

Digitized by Google

In Vigilia unius Sacerdotis (1) ſec. Matth. cap. CCLXIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: vigilate, quia neſcitis*, uſque, *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.*

In Natale unde ſupra, ſec. Matth. cap. CCLXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: homo quidam peregre proficiſcens*, uſque, *in gaudium Domini tui.*

Item altera, ſec. Luc. cap. CXXXIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: nemo accendit lucernam*, uſque, *lucerna fulgoris illuminabit te.*

In Vigilia unius Martyris, ſive Confeſſoris, ſec. Matth. cap. XCV. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: nolite arbitrari quia veni mittere pacem*, uſque, *non perdet mercedem ſuam.*

In Natale unde ſupra, ſec. Matthæum cap. XCII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: nihil opertum quod non revelabitur*, uſque, *coram Patre meo, qui eſt in cœlis.*

Item altera, ſec. Luc. cap. CLXXXII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſi quis venit ad me*, uſque, *qui habet aures audiendi audiat.* (2)

In Natale plurimorum Sanctorum, ſec. Luc. cap CLIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ſint lumbi veſtri præcincti*, uſque, *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum.* (3)

Item altera, ſec. Matth. cap. XXIIII. *In illo tempore videns Ieſus turbas aſcendit in montem*, uſque, *merces veſtra copioſa eſt in cœlis.*

In Natale plurimorum Martyrum ſec. Matth. cap. LXXXVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ecce ego mitto vos ſicut oves*, uſque, *in finem hic ſalvus erit.* (4)

Item altera, ſec. Luc. cap. CCXLVIIII. *In illo tempore acceſſerunt ad Ieſum Phariſæi tentantes*, uſque, *verbum iſtud, ſed quibus datum eſt.* (5)

Item altera ſec. Marc. cap. CXXXVII. *In illo tempore egrediente Ieſu de templo ait illi unus de diſcipulis ſuis*, uſque, *in finem hic ſalvus erit.*

Item altera, ſec. Luc. cap. CXLIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis, attendite a fermento Phariſæorum*, uſque, *confitebitur in illo coram angelis Dei.*

Item altera, ſec. Ioh. cap. CXLVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: amen amen dico vobis, quia plorabitis*, uſque,

---

(1) Eſt hoc commune Pontificum, quod in *Marten.* in natali Confeſſorum continetur.

(2) Tres præcedentes lectiones eodem ordine habentur in *Marteniano* in natali SS. Martyrum.

(3) Evangelium hoc l. c. ponitur in natali Confeſſorum.

(4) Has duas lectiones eodem modo exhibet *Marten,* ſed ſequens ibi aſſignatur in Natali Virginum, quorſum etiam ſpectat.

(5) *Thomaſ.* & *Marten.* hic inſerunt Evang. *cum audieritis prælia.*

uſque, *gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.*

Item altera, ſec. Matth. c. LXXXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: cum autem perſequentur vos in civitate iſta*, uſque, *coram Patre meo qui eſt in cœlis.*

In Natale Virginum, ſec. Matth. cap. CCXLVIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc, ſimile eſt regnum cœlorum decem virginibus*, uſque, *neſcitis diem neque horam.*

Item altera, ſec. Matth. cap. CXL. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc: ſimile eſt regnum cœlorum theſauro*, uſque, *nova & vetera.* (1)

In agenda mortuorum, ſec. Ioh. cap. XCIIII. *In illo tempore dixit Martha ad Ieſum: Dne ſi fuiſſes hic*, uſque, *qui in hunc mundum veniſti.*

Item alia ſec. Ioh. cap. XXXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis & turbis Iudæorum: ſicut enim Pater ſuſcitat mortuos*, uſque, *ſed tranſiit de morte ad vitam.*

Item alia, ſec. Ioh. cap. LVI. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis & turbis Iudæorum: omne quod dat mihi Pater*, uſque, *& reſuſcitabo ego eum [reſuſcitem illum] in noviſſimo die.*

Item alia, ſec. Ioh. cap. LVI. [LXV] *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis & turbis Iudæorum: ego ſum panis vivus*, uſque, *& ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die.* (2)

In adventu Iudicum, ſec. Lucam cap. CCXVIII. *In illo tempore interrogavit Ieſum quidam princeps dicens: magiſter bone quid faciens*, uſque, *in ſeculo venturo vitam æternam.*

Item altera, ſec. Luc. cap. CXLVIII. *In illo tempore ait ad Ieſum quidam de turba: magiſter dic fratri meo*, uſque, *& non eſt in Deo dives.*

In conventu Epiſcoporum, ſec. Ioh. cap. CLXXXVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis: ego ſum paſtor bonus*, uſque, *unum ovile & unus paſtor.*

Item altera, ſec. Luc. cap. CVII. *In illo tempore deſignavit Ieſus & alios ſeptuaginta duos*, uſque, *dignus eſt enim operarius mercedem ſuam.* (3)

Contra iudices male agentes, ſec. Luc. cap. CCXIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis parabolam hanc, quoniam oportet ſemper orare*, uſque, *cito faciet vindictam eorum.*

Contra Epiſcopos male agentes, ſec. Matth.

(1) Hic iterum pergit codex *Rhenaugienſis.*

(2) Quatuor hæ lectiones etiam aſſignantur in *Marteniano* & *Pameliano*: poſt quas explicit capitulare Evangeliorum Codicis *Rhenaugienſis.* *Spirenſis* ſequentia adhuc addit, quæ eodem ordine habentur etiam apud THOMASIUM, & quædam etiam in *Marteniano*, ſed ante Agenda mortuorum, id quod ultimo ibi loco ponitur.

(3) Evangelium hoc in conventu Epiſcoporum legi olim ſolitum fuiſſe, patet ex homil. 17. S. GREGORII in illud *ad epiſcopos*, vel ut alii codd. habent, *in conventu epiſcoporum* habita.

Digitized by Google

Matth. cap. LIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis : omnia , quæcumque vultis ut faciant* , uſque , *intrabit in regnum cælorum.*

Pro iter agentibus, vel quando ad regem & ad principem pergit, (1) ſec. Matth. cap. LXXXII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis : euntes autem prædicate dicentes* , uſque , *in die iudicii quam illi civitati.*

Item alia ſec. Luc. cap. CVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis : ite ecce ego mitto vos* , uſque , *in die illa remiſſius erit , quam illi civitati.*

Quando Miſſa votiva canitur, ſecund. Marc. cap. CXXXVI. *In illo tempore ſedens Ieſus contra gazophylacium,* uſque, *miſit totum victum ſuum.*

Item altera, ſec. Ioh. cap. CXXXIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis : ſi manſeritis in me* , uſque , *& gaudium veſtrum impleatur.* (2)

Pro infirmo , ſec. Luc. cap. LXV. *In illo tempore intravit Ieſus Capharnaum,* uſque, *invenerunt ſervum , qui languebat , ſanum.* (3)

Item unde ſupra, ſec. Matthæum cap. LXIIII. *Cum introiſſet Ieſus Capharnaum acceſſit ad eum* , uſque , *& ſanatus eſt puer in illa hora.*

Pro eleemoſynam facientibus, ſec. Luc. cap. CLXXX. *In illo tempore dicebat autem Ieſus & ei qui ſe invitaverat,* uſque, *beatus qui manducabit panem in regno Dei.*

Item altera, ſec. Matth. c. CCLXXIII. *In illo tempore cum venerit filius hominis*, uſque , *in vitam æternam.*

Pro tribulantibus (4) , ſec. Ioh. cap. CXLVIIII. *In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis : amen amen dico vobis, quia plorabitis* , uſque , *gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.*

Explicit Capitulare Evangeliorum.

(1) Eadem fere inſcriptio legitur in cod. *Vatic.* apud THOMASIUM.

(2) Hanc etiam habet *Marten.* in quo ſex adhuc aliæ *Miſſæ votivæ* notantur.

(3) Etiam hæc in *Marten.* cum tribus aliis lectionibus *pro infirmis* continetur.

(4) Id eſt *pro tribulatis.* Sequuntur poſtea in THOMASIO T. V. pag. 524. variæ adhuc Miſſæ pro diverſis , quas tamen codex *Spirenſis* , quem hic dedimus , non habet.

OBSER-

Digitized by Google

OBSERVATIONES PRÆVIÆ

IN SEQUENTIA DIVERSI GENERIS

KALENDARIA.

Poſt ea, quæ Diſquiſit. II. cap. II. n. 11. p. 135. & ſequentibus anticipavimus de origine uſuque liturgico Martyrologiorum, Dyptichorum, Kalendariorum ac Necrologiorum, cuiusmodi ex antiquis Mſſ. edimus, non eſt, cur lectorem multis hic moremur. Imprimis copioſe ibidem diſſeruimus de Martyrologio, ultra dimidium quidem manco, quod annexum vetuſtiſſimo omnium, quæ in *Alemannia* invenimus, *Rhenaugienſi* Sacramentario, hic edimus, ſuppletis lacunis ex *San-Gallenſi* ſec. X. circiter: ut nihilominus perinde ac antiquiſſimum hoc *Rhenaugienſe* complures dies vacuos numeret, præter vulgatorum fere Martyrologiorum morem, alterius etiam *Rhenovienſis*, quod cum aliis *Alemannicis*, in ſupplemento menſis *Iunii* T. VI. ediderunt *Bollandiſtæ*. Ut tamen Usuardus in præfatione ſui Martyrologii tradit, Beda *quam plures Kalendarum dies intactos reliquit*. Igitur, ubi nulli dies vacui occurrunt in editis Bedæ Martyrologiis, ea interpolata eſſe cenſendum eſt. Idem forte factum etiam in eo eſt, quod a Kalendis *Ianuarii* initium ſumant, quum Bollandus T. I. Act. *Ianuarii* p. 48. notaverit Mſc. codicem *Centulenſis* S. Veda-

sti

Digitized by Google

STI apud *Attrebates* monaſterii, qui orditur, ut noſter codex, a Vigilia Natalis Domini, ipſo Ven. BEDA atteſtante de more *Anglorum* incipiendi *annum ab octava Kalendarum Ianuariarum die, ubi nunc natale Domini celebramus*, ut in libro de temporum ratione c. 13. loquitur.

Dum hæc ſcribo, mittit ad me *Steph. Alex.* WURDTWEIN Officialis *Moguntinus* epiſtolam, in qua ex ſcriptoribus medii ævi probat, olim *Germaniam* annum a Nativitate Chriſti nempe a 25. *Dec.* auſpicatam fuiſſe; de *Anglis* etiam ſcriptoribus in eandem ſententiam profert GERVASII *Dorobernenſis* teſtimonium. Putat obſervantiam hanc perduraſſe uſque ad ſeculum XV. quo etiam ſummi Pontifices variarunt circa anni initium, id iam numerando a 25. *Decembris*, iam a 25. *Martii*, & ſubin a prima *Ianuarii*: qui dies in *Galliis* fixus eſt CAROLI IX. edicto anni 1564. & an. 1575. in *Belgio* iuſſu PHILIPPI II. *Hiſp.* Regis, quod exemplum pleræque *Germaniæ* ſecundæ eccleſiæ *Colonienſis*, *Trevirenſis*, *Leodienſis* ſecutæ ſunt, uti antea morem ab VIII. Kal. *Aprilis* ordiendi annum, qui in Kalendariis Annuntiatio dominica, conceptio & crucifixio Domini ſignatur, & poſt biduum Reſurrectio Domini; fuitque antiquus mos non *Gallorum* tantum a reſurrectione Domini ſeu Paſchate incipiendi annum, atque inter VIII. Kal. *Martii* & Nonas *Aprilis* initium primi menſis, prout cum Paſchate concurrebat, ſtatuendi, quod in martyrologio *Rhenaugienſi* ac alibi annotatur frequentius ſub nomine *incenſio prima* vel *ultima lunæ* ad determinandum nempe Paſcha poſt lunam XIV. Nuspiam

piam tamen hoc anni auſpicium monumenta liturgica habent, ſed feſta Natalitia Domini, quod fortaſſis etiam apud *Græcos* fuit factum, licet alias anni exordium cum *Hebræis* a menſe *Septembri* repeterent, natale autem Domini ſexta *Januarii* celebrarent.

Atque hinc veriſimile eſt uſum antiquum veniſſe, ut in Epiphania Domini quotannis Paſcha in Eccleſiis denunciaretur, ut præſcribitur in Conc. *Aurelianenſi* IV. an. 545. & *Antiſiodorenſi* an. 578. more *Ægypti*, quem Diſquiſ. IX. P. III. C. I. p. 845. indicavimus. Idem legitur in libello, ex quo in eccleſia *Aquileenſi* feſtivitates olim promulgabantur, quem ex Mſc. ſec. XIII. edidit *Frid.* ALTANUS ex Comitibus *Salvaroli Foroiulenſis de Calend.* p. 281. memoratque in adiecto itinere *Foroiulienſi* p. 372. ſingularem ritum, quo in eodem feſto Epiphaniæ Diaconus poſt cantatum ſingulari modulatione Evangelium mobilia feſta indicit. Proſtant eo in opere varia inedita Kalendaria, quæ omnia, uti etiam noſtra antiquiora *Alemannica*, a Kalendis *Ianuarii* exordiuntur, licet in fronte Sacramentariorum ſint poſita, quæ a Vigilia natalis Domini incipiunt annum eccleſiaſticum.

In celebri Sacramentario, quod in bibliotheca Cæſarea *Vindobonenſi*, cod. Theol. olim 360. nunc 149. habetur, quodque LAMBECIUS illud ipſum eſſe exiſtimavit, quod inter annum 772-797. ab ADRIANO P. ad CAROLUM M. miſſum fuerit (nimis præſidenter, nam ſcriptura ſeculi IX.

eſt,

Digitized by Google

eſt, eiusdem forte manus, qua *Petershuſanum* & *San-Blaſianum* Sacramentaria ſunt exarata) præmittitur Kalendarium, ex parte metrice iuxta Martyrologium Ven. BEDÆ compoſitum: ac ſimul inter alia quam plurima Imperatorum, Regum, Principum nomina, Abbatum item cœnobii *Augienſis*, atque Epiſcoporum *Conſtantienſium*, qui ex eo monaſterio aſſumti ſunt, emortuales dies, quandoque etiam ordinationes indicantur. Unde recte *Augienſe* Sacramentarium creditur, atque etiam quoddam inſtar veterum Dyptichorum: quæ neceſſe eſt diu in noſtra *Alemannia* obtinuiſſe, quum fere in Sacramentariis ſec. IX. vel X. deſit manu primæva exaratum *memento* ſeu memoria mortuorum, alia manu, ut p. 236. n. 2. obſervavimus, ſuppletum; eo quod nomina ex tabulis necrologicis legerentur, aut inſerta Kalendariis, quæ in Sacramentorum codicibus habebantur: ut ita, quod in Miſſa votiva pro vivis vel defunctis Diſquiſ. IV. P. I. p. 366. & ſupra p. 268. & 280. legitur, locum habeat in hæc verba: *Quorum animas ad memorandum conſcripſimus, vel nomina ante ſanctum altare tuum adſcripta eſſe videntur, ſive vivorum ſive defunctorum.* Morem defunctorum nomina in Kalendaria referendi diſcimus ex S. ANSELMI epiſt. 21. lib. I. *Vir*, inquit, *qui a nobis nuper moriens monachi ſumſit habitum, ſi etiam benedictionem aſſumſerit, mandate nobis nomen, & diem obitus eius, ut in noſtro Kalendario ſcribatur.* Huiusmodi varia proſtant Kalendaria, magnam partem nominibus benefactorum interſtincta, quæ ut potiſſimum monaſtica ſunt. Quoniam vero

Digitized by Google

in monaſteriis peculiaria fuerunt ad uſum Capituli, inde eſt, quod Kalendaria libris liturgicis inſerta paſſim etiam pura cernuntur.

Deſideratur omnino huiusmodi Kalendarium in antiquiori *San-Blaſiano* Sacramentario *Gregoriano*, ex authentico bibliothecæ cubiculi *Romæ* deſcripto eadem manu ſec. IX. qua *Petershuſanum*, & forte etiam *Solodorenſe*, ex quibus Kalendarium edimus; ſimulque Necrologium monaſticum ex Mſc. monaſterii *Murenſis* in *Helvetia*, in quo continetur Regula S. BENEDICTI monialibus accommodata. Fuit autem mos antiquus, ut ſimul poſt Primam in loco Capituli cum lectione ſacræ Regulæ ſuo ordine ex Necrologio nomina defunctorum per annum recitarentur. In noſtro autem hoc *Murenſi* necrologio præter Imperatorum ac Ducum *Bavariæ*, aliaque nomina, Epiſcopi *Ratisbonenſes*, & Abbatiſſæ monaſterii *Nidermunſter*, quod olim fuerat *Benedictinarum*, hodie Canoniſſarum: unde ad moniales *Murenſes*, quod etiamnum exiſtit monaſterium in *Hermetswill* ſeu *Hermetis villa* ad *Ruſam*, pervenit Necrologium hoc: eique nomina WERNERI de *Habsburg* Epiſcopi *Argentoratenſis*, eiusque ſororis ITÆ Comitiſſæ, præcipuorum fundatorum monaſterii *Murenſis* utriusque ſexus, ſunt inſerta.

In

Digitized by Google

In Dei nomine

Incipit Breviarium Apoſtolorum (1) ex nomine vel locis, ubi prædicaverunt, orti vel obiti ſunt.

Ex Mſc. Rhenaugienſi ſec. VIII.

Simon, qui interpretatur Obediens, Petrus Agnoſcens, filius Iohannis, frater Andreæ, dicitur ortus vico Bethſaida, provincia Galileæ, qui propter Simonem Magum, licet Dei occulto nutu, Romam pervenit: ibique prædicans evangelium, XX. & V. annorum eiusdem urbis tenuit pontificatum. Sexto autem & triceſimo anno poſt paſſionem Domini ſub Nerone ceſſare (Cæſare), ut voluit, cruce ſuſpenſus eſt: cuius natalitium III. Kal. Iulii celebratur.

Paulus, qui interpretatur Pius, ortus ex tribu Beniamin, Apoſtolus gentium. Hic ſecundo poſt aſcenſionem Domini anno baptizatus, & ſub Nerone Romæ eodem die, quo & Petrus, capite truncatus, ibique ſepultus eſt.

Andreas, qui interpretatur Virilis vel Decorus, frater Petri. Hic prædicavit per Scythiam & Achaiam, ibique in civitate Patras cruce ſuſpenſus occubuit, pridie Kal. Decembris.

Iacobus, qui interpretatur Supplicator (ed. Supplantator), filius Zebedæi, frater Iohannis. Hic Spaniæ & (ſ. per) occidentalia loca prædicator (*Autiſ.* prædicat), & ſub Herode gladio cæſus occubuit, ſepultusque eſt in Achaia Marmarica, VIII. Kal. Auguſti.

Iohannes, qui interpretatur Gratia Dei, Apoſtolus & Evangeliſta, filius Zebedæi, frater Iacobi, dilectus Domini, prædicator Aſiæ & in Epheſo. VI. Kal. Ian. Natl. eius. alii dormitionem (*ed.* eius) VIII. Kal. Iulii dicuntur (*ed.* dicunt), quando nativitas ſancti Iohannis Baptiſtæ celebratur.

Thomas, qui interpretatur Abyſſus, Didymus, hoc eſt, Chriſto ſimilis. Hic Parthis & Medis prædicatur (*Autiſ.* prædicat), & deſtinans (*Gellon.* prædicator & diſtans. *ſ. leg.* prædicator eſt deſtinatus ad) orientalem plagam, ibi (*ed.* ibique) Evangelium prædicavit. Lancea enim ibi transfixus occubuit in Calaminice in Indiæ civitate, ibi ſepultus eſt in honore XII. Kal. Ian.

Philippus, qui interpretatur os lampadas (*ed.* lampadis) a Bethſaida civitate ortus, unde & Petrus, Gallis prædicavit Chriſtum: deinde in Hierapoli Phrygiæ provinciæ crucifixus & lapidatus obiit, ibique cum filiabus ſuis quieſcit, cuius natalitia Kal. Maii celebratur.

Iacobus

(1) Exſtat hoc Breviarium ex Mſc. *Gellonenſi* apud DACHERIUM Tom. II. Spicileg. nov. edit. p. 25. & in vetuſtiſſimo Martyrologio *San-Germanenſi Autiſiod.* in T. III. Theſauri Anecdot. *Ed.* MARTENE p. 1549. quibuscum noſtrum hoc *Rhenaugienſe* contulimus. In cit. Spicileg. pag. 1. martyrologio *Hieronym.* præmittuntur etiam feſta Apoſtolorum, quæ cum hoc breviario fere concordant. Habetur porro etiam in *Fuldenſi* Codice incomparabili ſec. VI. ex quo lectionarium ſupra p. 409. edidimus, indiculus, QUIBUS LOCIS APOSTOLI IACEANT, *ſub quo titulo*, inquit SCHANNATUS in *Vindemiis litterariis* p. 218. *deſignantur urbes, in quibus non Apoſtolorum tantum, ſed & Evangeliſtarum, aliorumque Sanctorum corpora in veneratione tum temporis habebantur.* Quæ vero hic diverſitas inter *Fuldenſem* & *Rhenaugienſem* codices intercedit, aut quæ hiſtoriam ſpectant, hic liturgicis monumentis proferendis unice intenti haud diſcutimus. Ita autem *Fuldenſis:*

Quibus locis Apoſtoli iaceant.

Petrus & Paulus *Romæ.*

Iacobus frater Domini, Hieroſolymorum primus Epiſcopus. Hic dum Ieruſalem Chriſtum Dei Filium prædicaret, de templo a Iudæis præcipitatur, lapidibusque obprimitur, ibique iuxta templum humatur. Eius natalitium Kal. Maii (*Aut.* celebratur, &) ordinatio VI. Kal. Ian.

Bartholomæus Apoſtolus nomen ex ira (*ed.* ex Syra) lingua ſuſcepit, & interpretatur filius ſuſpendentis aquas, Liconiam pre (*ed.* Licaoniam prædicavit) ad ultimum in Albono (*ed.* Albano) maioris Armeniæ urbe vivens a barbaris decoriatur, atque per iuſſum regis Aſtyagis decollatur, ſicque terræ conditur VIIII. Kal. Sept.

Matthæus Apoſtolus & Evangeliſta, qui interpretatur Donatus, hic etiam e tribu ſua Levi ſumſit cognomen, ex publicano (*ed.* a) Chriſto electus, primum quod eſt in India (*ed.* primum quidem in Iudæa) evangelizavit, poſtmodum in Macedonia, & paſſus in Perſida, requieſcit in montibus Portorum, XI. Kal. Octobris.

Simon Zelotes, qui interpretatur Zelus. Hic primus dictus eſt Cananæus, zelo Dei fervens, par in cognomento Petri, & ſimilis in honore. Hic accepit Ægypti principatum, & poſt Iacobum Iuſtum cathedram dicitur tenuiſſe Hieroſolymorum, & poſt annos XX. (*Autiſ.* centum viginti) meruit ſub Adriano per crucem ſuſtinere martyrium paſſionis. Iacet in portico foro (*ed.* Portoforo): eius natalitium celebratur V. Kal. Nov.

Iudas, qui interpretatur Confeſſor, frater Iacobi, in Meſopotamia atque in interioribus Ponti prædicavit: ſepultus eſt in Nerito Armeniæ urbe, cuius feſtivitas celebratur V. Kal. Novemb.

Mathias de ſeptuaginta diſcipulis unus, & pro Iuda Scarioth duodecim (*ed.* duodecimus) inter Apoſtolos ſubrogatus (*ed. addunt* electus) forte, & ſolus ſine cognomento, cui datur Evangelii prædicatio in Iudæa (*ed.* VI. Kalendas Martii.)

MAR-

Ioannes Evangeliſta *Epheſo.*

Andreas *Patras.*

Philippus *in Aſia civitate Hierapoli.*

Mattheus *in Pontum.*

Iacobus *Hieroſolima.*

Bartholomeus *in Phrygia civitate Dolict.*

Thomas *in India civitate Iotbabit.*

Iacobus Alphei *in civitate Ioppe.*

Simon Zelotes *in Cappadocia civitate Ceſarea.*

Iudas Iacobi *in Provincia Phenice civitate Byrtio* (*ſic*, *pro* Beryto)

Marcus Evangeliſta *Alexandria.*

Lucas Evangeliſta *Antiochia.*

Timotheus *Epheſo.*

Philippus unus de ſeptem *Ceſarea Paleſtine.*

Stephanus Protho-Martyr *Hieroſolyma.*

Ioannes Baptiſta *in Samaria civitate Sebaſte.*

Caput Ioannis Baptiſtæ *in Provincia Phenice civitate Emeza.*

Barnabas & Silas *Cypro civitate Conſtantia.*

Digitized by Google

MARTYROLOGIUM
ex antiquiſſimo Codice *Rhenaugienſi*, ſuppletum ex *San-Gallenſi* ſec. X. circ.

Incipit Martyrologium (*de*) anni circulo. (1)

e.	VIII.	Kl.	Ian.	Nativitas D. N. I. Ch. Solſtitium apud Latinos.
F.	VII.	Kl.	Ian.	Natl. Stephani primi Mart.
G.	VI.	Kl.	Ian.	Ioh. Apoſtoli, & Iacobi Alfei frat. Domini.
h.	V.	Kl.	Ian.	In Bethleem Iuda infantium occiſorum no. (2)
i.	IIII.	Kl.	Ian.	
K.	III.	Kl.	Ian.	
L.	II.	Kl.	Ian.	Natl. Sci Silveſtri Epi. (3) Silveſtri P. P.

Ianuarius habet Dies XXXI. Luna XXX.

A.	Kl.	Ian.	Circumciſio D. N. I. Ch. ſecund. carnem. (4) Octava Dni & Circumciſio *Dni.*

b. IIII.

(1) Ita codex *Rhenaugienſis*, *San-Gallenſis* vero: *In nomine Domini incipit Martyrologium per circulum anni.* Licet utrumque primo intuitu Kalendarium potius videatur, quam Martyrologium, perinde ac editum a M. *Frid.* BECKIO *Auguſtæ Vind.* an. 1687. Iſthoc e Sanctis vero ARBOGASTO, FLORENTIO, AURELIA, OTILIA, ATTALA *Alſatico - Alemannicum*, & forte *Argentoratenſe*, eſſe comprobatur. Habet quidem eandem inſcriptionem, quam modo in *San-Gallenſi* notavimus, attamen numquam ut in noſtris nomina locorum, in quibus Sancti vixerunt, aut mortem pro Chriſto oppetierunt, adduntur. Neque in noſtris, quod Kalendarii proprium eſt, dies tantum notantur, quibus memoria Sanctorum celebratur, aut qui continentur in Sacramentario, ad cuius calcem adiectum eſt *Rhenaugienſe* Martyrologium: quale etiam mox ſe primis lineis prodit, dum *VI. Kal. Ian. Iohannis Apoſtoli, & Iacobi fratris Domini* meminit, cuius ordinatio ad hunc diem in Martyrologiis tantum notatur, feſtum vero ritu *Romano* numquam hoc die fuit celebratum, ut *Gallicano & Gothico* ritu. In Liturgia tamen Mozarabica, ut in *Ambroſiana*, idem poſt feſtum SS. Innocentum ponitur. In Cod. *San-Gallenſi* ſolius S. IOANNIS in feſto & eius octava fit mentio; pro more tamen Martyrologiorum nonnumquam ut dicimus locus vitæ vel obitus ſeu martyrii adnotatur. Cæterum in eo litteræ Dominicales hodierno more ſcribuntur, quod & nos obſervabimus, ubi *Rhenaugienſis* deficit, in quo pro veteri more litteræ iſtæ continuatæ ponuntur uſque ad litt. T. vel U.

(2) Quid hæc ſyllaba *no* ſibi velit, aliis divinandum relinquo: forte leg. *innocentum.*

(3) Rarius in hoc Martyrologio *Rhenaug.* præfatio ſeu apellatio *Sancti* aut *Sanctæ* occurrit: quod pro ſingulari antiquitatis ſigno iam *Io. Bapt.* SOLLERIUS in præfatione ad Martyrologium USUARDI p. 36. notavit. Idem in *San-Gallenſi* & infra in *Petershuſano* obſervare licet.

(4) Editum a BECKIO a die natalis Domini, a Kalendis vero *Ianuarii* more Martyrologiorum *San-Gallenſe* noſtrum incipit, ex quo *Rhenaugienſe* mancum ſupplemus, atque ad id lectiones variantes damus, minuſculis ad diſtinctionem litteris; ita quidem, ut ea, quæ recentiore manu in *San-Gallenſi* codice ſunt addita, characteribus *curſivis*, ut vocant typothetæ, exprimamus.

Digitized by Google

b.	IIII.	Non.	Ian.	Eſidori Epi & Martyris. (1) Octava S. Stephani *martyris.* Dies Ægypt.
c.	III.	Non.	Ian.	Scæ Genovevæ Virg. Octava S. Iohannis *Evangeliſtæ.*
d.	II.	Non.	Ian.	Natl. Simonis Prophetæ in Hieruſalem, qui accepit Ieſum. (2) Octava Innocentum.
e.		Non.	Ian.	Vigilia Theophaniæ. Epiphaniæ.
F.	VIII.	Id.	Ian.	Epiphania Dni nri Ieſu Chriſti. Epiphania Dni.
G.	VII.	Id.	Ian.	
h.	VI.	Id.	Ian.	Natl. Timothei Apoſtoli. (3)
i.	V.	Id.	Ian.	VII. horæ in die.
K.	IIII.	Id.	Ian.	*Pauli primi Eremitæ.*
L.	III.	Id.	Ian.	Eductio Dni de Ægypto, & Natl. S. Felicitatis. (4)
M.	II.	Id.	Ian.	
N.		Id.	Ian.	Dormitio Hilarii Epi Pict. & Remedii Conf. Octava Epiphaniæ, & eſt depoſitio Sci Hilarii Epi & Conf.
O.	XVIIII.	Kl.	Feb.	Felicis Presbyteri & Conf.
p.	XVIII.	Kl.	Feb.	Natl. S. Remedii. *Mauri Conf.*
q.	XVII.	Kl.	Feb.	Dormitio Furſei Abb. & Fulmani. Marcelli Papæ & Mart.
R.	XVI.	Kl.	Feb.	Depoſitio Antonii monachi. Sci Supici (Sulpitii). *Antonii Conf.*
S.	XV.	Kl.	Feb.	R. (Romæ) Cathedra S. Petri. Priſcæ Virg. Sol in Aquar.
T.	XIIII.	Kl.	Feb.	Pauli monachi.
U.	XIII.	Kl.	Feb.	Sebaſtiani Martyris. Fabiani & Sebaſtiani martyris.
A.	XII.	Kl.	Feb.	Scæ Agnæ Martyris in Roma. Agnæ Virg.
B.	XI.	Kl.	Feb.	Vincentii Diac. & Mart.
C.	X.	Kl.	Feb.	*Emerentianæ V.*
d.	VIIII.	Kl.	Feb.	VII. horæ in die. Babilli Epi, & trium parvolorum (5). Timothei Apli. e. VIII.

(1) Duo hac die in Martyrologio *Rom.* notantur ISIDORI epiſcopi: in Kalendariis tamen infra die 7. *Ian.* habetur; uti etiam in *Argentorat.* De octavis S. STEPHANI &c. vid. Diſquiſit. IX. c. 2. p. 889. Octavæ, quæ non habentur in Sacramentariis, leguntur in Martyrologiis; uti & in antiquiſſimo *Autiſſiodorenſi* ſupra cit. legitur *Octabas S. Thomæ Apli*, aliæque in aliis; quæ tamen in Sacramentariis nullum habent officium.

(2) In aliis Martyrologiis & Kalendariis idem propheta SIMEON ad ſequentem diem Nonarum ponitur, paſſim cum SIMEONE confeſſore, ſeu monacho, *Stylita* nimirum, confuſus. Cuiusmodi tres ad hunc diem a *Bolland.* notantur. Vid. *Leonis* ALLATII diatriba *de Simeonum ſcriptis.*

(3) Hic notatur in Martyrol. ad diem 24. *Ian.* paſſimque tam ipſe quam cæteri Apoſtolorum diſcipuli præcipui Apoſtolorum nomine, & ſubinde officio quoque eccleſiaſtico inſigniuntur.

(4) In Martyrol. *Rom.* habetur ad diem 7. *Ian.* *Relatio pueri Ieſu* de Ægypto: & S. FELICITATEM in unico USUARDI martyrologio interpolato apud SOLLERIUM ad hanc diem cum S. EUGENIO reperi.

(5) Notatur ad diem 24. *Ian.* in Martyrol. S. BABYLAS epiſcopus, paſſus cum tribus parvulis.

Digitized by Google

e.	VIII.	Kl.	Feb.	Converſio Pauli Apli in Damaſco.	**Converſio S. Pauli. Dies Ægypt.**
F.	VII.	Kl.	Feb.	*Polycarpi Epi.*	
G.	VI.	Kl.	Feb.	*Iohannis Chryſoſtomi.*	
h.	V.	Kl.	Feb.	Perpetuæ & Agnæ.	**Oct. S. Agnæ.**
i.	IIII.	Kl.	Feb.		
K.	III.	Kl.	Feb.	Beatæ Adelgundæ Virg.	
L.	II.	Kl.	Feb.		

Dies XXVIIII. Luna XXVIIII.

Februarius habet Dies XXVIII. & Lunam XXVIIII. In biſſextili anno dies XXVIIII. Lunam XXX.

M.		Kl.	Feb.	Natl. Scæ Brigitæ Virg. (1)	In Scotia Brigitæ Virg.
N.	IIII.	Non.	Feb.	Purificatio Scæ Mariæ Virg.	
O.	III.	Non.	Feb.	Sci Blaſii Epi.	
p.	II.	Non.	Feb.		
q.		Non.	Feb.	Paſſio S. Agathæ Virg. & Martyris in Silicia (Sicilia.) Paſſio S. Agathæ Virg.	
R.	VIII.	Id.	Feb.	Sci Vedaſti & Sci Amandi.	*Obitus W. de Wil Subdiac.* (2) Dies Ægypt.
S.	VII.	Id.	Feb.		
T.	VI.	Id.	Feb.	Dionyſiii & Sebaſtiani. VIIII. horæ in die, & ter inter initium XL. uſque II. Id. Mart. (3)	
U.	V.	Id.	Feb.		
A.	IIII.	Id.	Feb.	Translatio Scæ Gerdrudæ Virg. in Nivialcha. (4) Scholaſticæ V.	
B.	III.	Id.	Feb.		
C.	II.	Id.	Feb.	Obiit Wolfker, Deo cœlo.	d.

(1) De S. BRIGIDA, aliisque Inſularum *Britannicarum* Sanctis, qui primis hic ſtatim anni menſibus frequenter occurrunt, iam lectorem monuimus Diſquiſ. II. P. I. p. 137. Unde etiam S. FINTANUS oriundus, codicem hunc ad monaſterium *Rhenaugienſe* detuliſſe creditur haud abs re. Id inſuper ex eo fit veroſimilius, quod in pluribus conveniat ab initio cum illo *Anglicano*, ab *Edm.* MARTENE collect. ampliſſ. T. VI. p. 652. vulgato.

(2) Patet ex his, in utroque tam *Rhenaugienſi*, quam *San-Gallenſi* Martyrologio ſubinde etiam nomina defunctorum fuiſſe inſerta; ſed id recentius primum eſſe factum, ex characterum diverſitate apparet: quod & in editis paſſim cernitur.

(3) Legendum hic videtur: *& veris initium*, it. *initium Quadrageſimæ uſque II. Idus Martii.* prius notatur in *Petersbuſ. & Solod.* infra edendis ad diem præcedentem 7. *Febr.* ac in cæteris etiam editis. Alterum, ſeu initium Quadrageſimæ, in reliquis quidem notatum haud reperio, quum vero & initium & finis Quadrageſimæ i. e. primæ eiusdem Dominicæ, diebus hic aſſignatis conveniat, nempe 8. *Febr.* & 14. *Martii*, ac inſuper infra notetur initium & finis primi menſis, ac *primum & ultimum paſcha*, coniectura noſtra firmari poteſt. In Martyrol. *Anglic.* l. ſupra cit. ad hanc ipſam diem notatur: *ante iſtum locum non poteſt eſſe Quadrageſima.*

(4) In aliis legitur: *in Niviala*, id eſt, *Nivigella*; eſt enim hæc S. GERTRUDIS *Nivigellenſis.*

Digitized by Google

d.		Idus	Feb.	
e.	XVI.	Kl.	Mar.	Valentini presbyteri Mart.
F.	XV.	Kl.	Mar.	A Dno retrorſum diabolus receſſit. (1) Sol in Piſces.
G.	XIIII.	Kl.	Mar.	Scæ Iulianæ Virg. Iulianæ.
h.	XIII.	Kl.	Mar.	
i.	XII.	Kl.	Mar.	
k.	XI.	Kl.	Mar.	
L.	X.	Kl.	Mar.	
m.	VIIII.	Kl.	Mar.	
n.	VIII.	Kl.	Mar.	Cathedra Sci Petri in Antiochia. Antiochia Cathedra S. Petri.
o.	VII.	Kl.	Mar.	Vigilia Mathiæ Apoſtoli.
p.	VI.	Kl.	Mar.	Biſſextus. Nat. Sci Mathiæ Apoſtoli. Locus biſſexti.
q.	V.	Kl.	Mar.	Kyriani Sacerdotis & Mart. in Nivialcha. Veni Sce Spiritus.
R.	IIII.	Kl.	Mar.	Dies Ægypt.
S.	III.	Kl.	Mar.	
T.	II.	Kl.	Mar.	

Martius habet Dies XXXI. Luna XXX.
In iſto menſe erit celebratio ieiuniorum, IIII. & VI. Fer. Sabb. XII. Lect.

A.		Kl.	Mar.	Dies Ægyptius.
B.	VI.	Non.	Mar.	
C.	V.	Non.	Mar.	
d.	IIII.	Non.	Mar.	Dies Ægyptius.
e.	III.	Non.	Mar.	
F.	II.	Non.	Mar.	Fridolini Abb.
G.		Non.	Mar.	Perpetuæ & Felicitatis.
h.	VIII.	Id.	Mar.	Initium primi menſis uſque Non. Aprilis. (2)
i.	VII.	Id.	Mar.	Iuliani Mart. & XL. Militum. In Armenia minore XL. Militum.
K.	VI.	Id.	Mar.	XI. horæ in die. In Bobio Attalæ Conf.
L.	V.	Id.	Mar.	Baſſi Abbatis.
m.	IIII.	Id.	Mar.	Natl. Gregorii Papæ Romæ. Romæ S. Gregorii Papæ. (3)
n.	III.	Id.	Mar.	
o.	II.	Id.	Mar.	
p.		Id.	Mar.	
q.	XVII.	Kl.	Apl.	R.

(1) Referendum eſt ad primam Quadrageſimæ Dominicam, in qua iam ab antiquo Evangelium de tentato Domino legitur. Sic etiam habetur in cit. *Anglicano.*

(2) *Initium primi menſis* alibi paſſim, ut prævie obſervavimus, hic *prima incenſio lunæ paſchalis* notatur uſque ad Nonas *Aprilis*, quæ hic deſignatur *ultima incenſio Lunæ paſchalis.* Ab hinc currit primum paſcha, quod in Kal. *Petersbuſ.* notatur ad XI. Kal. *Apr.* & ultimum VII. Kal. *Maii.*

(3) Natalitia Papæ GREGORII iam in *Chloveshovienſis* in *Anglia* concilii an. 747. canone 17. celebrari præcipiuntur.

Digitized by Google

R.	XVI.	Kl.	Apl.	Patricii Epi, & Scæ Gerdrudæ Virg. Patricii Epi & C.
S.	XV.	Kl.	Apl.	Sol. in Arietem.
T.	XIIII.	Kl.	Apl.	
U.	XIII.	Kl.	Apl.	Ioſeph Sponſus Mariæ. (1)
A.	XII.	Kl.	Apl.	Æquinoctium ſecundum Græcos, & primi (2) dies ſcilicet Benedicti. Sci Benedicti Abbatis.
B.	XI.	Kl.	Apl.	Hic incipiunt Epactæ, & in die terminationis Paſce. (3)
C.	X.	Kl.	Apl.	Æquinoct. apud Gre. uſque ad VII. Kl. Mai.
d.	VIIII.	Kl.	Apl.	Ambroſii.
e.	VIII.	Kl.	Apl.	Dominus noſter crucifixus eſt, & XII. horæ in die. Æquinoctium apud Latinos. Adnuntiatio S. Mariæ.
F.	VII.	Kl.	Apl.	
G.	VI.	Kl.	Apl.	Reſurrectio Dni noſtri Ieſu Chriſti. Mariæ. (4) Reſurrectio Dni.
h.	V.	Kl.	Apl.	
i.	IIII.	Kl.	Apl.	Ordinatio Gregorii Romæ.
K.	III.	Kl.	Apl.	
L.	II.	Kl.	Apl.	

Aprilis habet Dies XXX. Luna XXVIIII.

m.		Kl.	Apl.	Mariæ & Ambroſii. initium ſecundi menſis.
n.	IIII.	Non.	Apl.	
O.	III.	Non.	Apl.	
p.	II.	Non.	Apl.	Ambroſii Epi & C.

q.

(1) Notatur hoc feſtum etiam ad diem præced. in *Richenovienſi* T. VI. ſuppl. *Iunii Bolland.* & in *Anglicano* ſupra cit. quæ facile prima & antiquiſſima hulus Feſti monumenta ſunt.

(2) Corrupta hic verba ſic ſnnt reſtituenda, ut in Kalendariis mox ſequentibus *Augienſi* & *Petershuſano* ad XV. Kal. *April.* leguntur: *primus dies ſeculi*, deinde *Benedicti.* Ven. BEDA de temporum ratione c. 4. diem iſtum notat his verbis: *quo ſane in loco primus ſeculi dies ſit, nonnulli quærentes XII. Kalendarum ſupra ſcriptarum die magis adnotatum putarunt, uno utique hoc æquinoctii argumento nitentes, quaſi rationi congruat, ut quia Deus æquis in principio partibus lucem tenebrasque diviſerit, ibi præcipue tunc caput mundi, ubi nunc æquinoctium, fieri credatur.*

(3) Et hæc confuſa ſunt. Verba illa *æquinoct. apud Gre.* ex die præced. repetita fuiſſe videntur. Saltem ſequentia: *uſque ad VII. Kl. Mai.* ad *Paſcha* ſunt referenda, cuius initium XI. Kl. *April.* & finis VII. Kl. *Maii.* notatur in aliis per *primum & ultimum paſcha.* Vid. Kal. ſeqq. Forte legendum: *& inde determinatio paſchæ uſque ad VII. Kl. Maii.*

(4) Legendum hic eſt *Adnuntiatio Mariæ*, prout etiam in Kalendario Sacramentarii *Solodorenſis* ſimul ponitur *Annuntiatio S. Mariæ & Reſurrectio Domini*, ſed VIII. Kal. *Apr.* quo die iuxta cætera, uti etiam hoc noſtrum martyrologium, *Dominus noſter crucifixus eſt.* Qua de re S. AUGUSTINUS L. IV. de Trinit. c. 5. *Sicut*, inquit, *a maioribus traditum ſuſcipiens eccleſiæ cuſtodit auctoritas, octavo Kalendas Aprilis conceptus traditur quo & paſſus. Natus autem octavo Kalendas Ianuarias.* Et BEDA de ratione temporum c. 45. *Quod octavo Kal. Aprilis crucifixus VI. Kal. earumdem die reſurrexerit, multorum latinorum Doctorum eccleſiaſticorum conſtat ſententia vulgatum.* Annuntiationis feſtum in *Oriente & Occidente*, excepta *Hiſpania*, VIII. Kal. Apr. conſtanter celebratum, ſed in *Occidente* poſt Paſcha translatum, quod his forte aut ſequenti prima *Aprilis* innuitur.

Digitized by Google

q.		Nonas	Apl.	Depoſitio Ambroſii Epi. (1)
R.	VIII.	Id.	Apl.	
S.	VII.	Id.	Apl.	
T.	VI.	Id.	Apl.	
U.	V.	Id.	Apl.	
A.	IIII.	Id.	Apl.	(2) Dies Ægyptius.
C.	III.	Id.	Apl.	
D.	II.	Id.	Apl.	
E.		Idus	Apl.	
F.	XVIII.	Kl.	Maii.	Romæ Tyburti, Valeriani & Maximi.
G.	XVII.	Kl.	Maii.	
A.	XVI.	Kl.	Maii.	
B.	XV.	Kl.	Maii.	Petri Diaconi. (3) Sol in Taurum.
C.	XIIII.	Kl.	Maii.	
D.	XIII.	Kl.	Maii.	
E.	XII.	Kl.	Maii.	Seneſii Martyris. (4) Dies Ægyptius.
F.	XI.	Kl.	Maii.	
G.	X.	Kl.	Maii.	
A.	VIIII.	Kl.	Maii.	Romæ Georgii M. & Adalberti Epi M. (5)
B.	VIII.	Kl.	Maii.	
C.	VII.	Kl.	Maii.	In Alexandria Marci Evang.
D.	VI.	Kl.	Maii.	
E.	V.	Kl.	Maii.	
F.	IIII.	Kl.	Maii.	Romæ Vitalis M. & Criſtofori.
G.	III.	Kl.	Maii.	
A.	II.	Kl.	Maii.	Vigilia Apoſtolorum Philippi & Iacobi.

Maius habet Dies XXXI. Lunam XXX.

B.		Kl.	Maii.	Nat. Philippi & Iacobi fratris Dni. Walpurgæ Virg. Sigiſmundi regis.
C.	VI.	Non.	Maii.	Athanaſii Epi & C. S. Wiboradæ m. (6)
D.	V.	Non.	Maii.	Inventio S. Crucis. Alexandri, Eventii, Theodoli.
E.	IIII.	Non.	Maii.	Dies Ægyptius.
F.	III.	Non.	Maii.	Aſcenſio Dni in cœlum. Dies Ægypt.
G.	II.	Non.	Maii.	Iohannis Apli ante portam latinam.
A.		Nonas	Maii.	
B.	VIII.	Id.	Maii.	Victoris Martyris.
C.	VII.	Id.	Maii.	*Octava Sca Wiborada V. & M.* Æſtatis initium ſecundum Græcos, habet dies XC.
D.	VI.	Id.	Maii.	Gordiani & Epimachi.
E.	V.	Id.	Maii.	

(1) Negligentia ſcriptoris feſtum hoc ex die præcedente, quo in cæteris notatur, ad hunc diem repoſuit, uti etiam alia alibi ita transpoſuiſſe videtur.

(2) Reſciſſa ex *Rhenaug.* pagina, ſequitur *San-Gallenſis*, in quo ea plerumque feſta notantur, quæ in aliis *Alemannicis*, ſacramentariis quoque, occurrunt.

(3) Habetur hic Martyr *Antiochenus* in Martyrol. d. 17. *April.*

(4) Vid. quæ de hoc S. Senesio ſupra in ſupplem. feſtiv. Grad. p. 404. n. 5. diximus. Infra in *Petersbuſ.* notatur ad diem 19. *April.*

(5) S. Adalbertus Ep. *Pragenſis* & M. paſſim in Sacramentariis etiam, uti ex noſtris domeſticis MSS. conſtat, cum S. Georgio iungitur.

(6) Feſtum hoc S. Wiboradæ ad S. *Gallum* recluſæ, peculiare eſt *San-Gallenſibus*, unde etiam infra eiusdem octava ponitur.

F.

Digitized by Google

F.	IIII.	Id.	Maii.	Nerei, Achillei & Pancratii.
G.	III.	Id.	Maii.	Gangolfi Mart. (1)
A.	II.	Id.	Maii.	
B.		Idus	Maii.	
C.	XVII.	Kl.	Iun.	
D.	XVI.	Kl.	Iun.	
E.	XV.	Kl.	Iun.	Sol in Geminos.
F.	XIIII.	Kl.	Iun.	Romæ Pudentianæ Virg.
G.	XIII.	Kl.	Iun.	
A.	XII.	Kl.	Iun.	
B.	XI.	Kl.	Iun.	
C.	X.	Kl.	Iun.	In Vienna Deſiderii Epi & Mart.
D.	VIIII.	Kl.	Iun.	
E.	VIII.	Kl.	Iun.	Urbani Papæ & Mart. Dies Ægypt.
F.	VII.	Kl.	Iun.	
G.	VI.	Kl.	Iun.	
K.	V.	Kl.	Iun.	Germani de Pariſis. Pariſius Germani Epi & Conf.
L.	IIII.	Kl.	Iun.	
m.	III.	Kl.	Iun.	Paſſio Thomæ Apoſtoli. (2)
n.	II.	Kl.	Iun.	Chryſogoni, (3) & Scæ Petronellæ. Petronellæ Virg.

Iunius habet Dies XXX. Luna XXVIIII.

In iſto menſe hebdomada ſecunda erit celebratio ieiuniorum IIII. & VI. feria. Sabb. XII. lectiones.

o.		Kal.	Iun.	Natl. Theclæ Virg. (4) Nicomedis Mart.
p.	IIII.	Non.	Iun.	Marcellini & Petri. Romæ Marcellini presbyteri, & Petri exorciſtæ. In Campania Eraſmi Epi & M.
q.	III.	Non.	Iun.	Martyrum CCCC.
R.	II.	Non.	Iun.	
S.		Nonas	Iun.	Apollonari Mart. (5) Bonifacii Archiepi & M. cum aliis XII.
T.	VIII.	Id.	Iun.	
U.	VII.	Id.	Iun.	
A.	VI.	Id.	Iun.	Natl. Sci Medardi Epi. Medardi Epi & Conf.
B.	V.	Id.	Iun.	In Scotia Columbæ Conf. Romæ Primi & Feliciani M.
C.	IIII.	Id.	Iun.	Dies Ægypt.
d.	III.	Id.	Iun.	Romæ Barnabæ Apli.
e.	II.	Id.	Iun.	Romæ Baſilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii. F.

(1) GANGULPHUS Martyr in aliis Martyrologiis & Kalendar. die XI. ſeu V. Id. *Maii* notatur.

(2) Nuſpiam feſtum hoc ad diem 30. *Maii* aſſignatum reperi, ſed vel ad d. 21. *Dec.* vel 6. *Oct.* apud *Græcos*; & in Martyrol. *Hieronymi* d. 9. *Febr.* notatur *Depoſitio Thomæ*.

(3) Obſervant *Bollandiani* T. VII. *Maii* p. 420. S. CHRYSOGONI memoriam unacum *Cantianis* Martyribus haberi die 31. *Maii* in quibusdam Martyrologiis HIERONYMI nomen præferentibus, uti in illo a DACHERIO T. II. Spicileg. nov. ed. vulgato p. 11.

(4) In cit. martyrol. DACHERII notatur hac die S. THECLA V. *Antiochiæ* cum ZOSIMO: quæ adeo ab altera die 23. *Sept.* coli ſolita diverſa eſt.

(5) Habetur hac die APOLLONIUS cum ſociis in Martyrol. nullibi tamen APOLLINARIS nomen invenio.

Digitized by Google

F.	Idus Iunii.	Bartholomei Apoſtoli. (1)
G.	XVIII. Kl. Iulii.	Sci Anniani Epi. (2)
h.	XVII. Kl. Iul.	Sci Viti Martyris. Viti, Modeſti & Creſcentiæ M.
i.	XVI. Kl. Iul.	Paſſio Cyriaci Mart. & CCCCI[illegible]I. Cyriaci & Iulittæ matris eius. (3) Dies Ægypt.
K.	XV. Kl. Iul.	Nicandri Mart. Sol. in Cancrum.
L.	XIIII. Kl. Iul.	Romæ Marci & Marcelliani M.
m.	XIII. Kl. Iul.	Gerbaſi & Protaſi in Mediolanenſi. Gervaſii & Protaſii M.
n.	XII. Kl. Iul.	Solſtitium ſecundum Ægyptios. Secundum Græcos hic dies decreſcere, nox creſcere incipit.
o.	XI. Kl. Iul.	Albani Mart.
p.	X. Kl. Iul.	Iacobi Alfei Apli. (4) *Paulini Epi.*
q.	VIIII. Kl. Iul.	Vigilia Sci Iohannis Baptiſtæ.
R.	VIII. Kl. Iul.	Ioannis Baptiſtæ Ieiunium, & receptio Iohannis Evangeliſtæ. (5) Nativitas Præcurſoris Domini. Et in Epheſo dormitio S. Iohannis Apoſtoli & Evang.
S.	VII. Kl. Iul.	
T.	VI. Kl. Iul.	Iohannis & Pauli. Romæ Iohannis & Pauli M.
A.	V. Kl. Iul.	
B.	IIII. Kl. Iul.	In Ieiunio Apoſtolorum. Romæ Leonis Papæ. Vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli.
C.	III. Kl. Iul.	Petri & Pauli, & aliorum DCCCLXXVII. Nat. Apoſtolorum Petri & Pauli, & aliorum DCCCCLXXVII. (6)
d.	II. Kl. Iul.	Feſtivitas ſci Pauli *Apoſtoli.*

Iulius

(1) Ita etiam in Martyrol. HYERONYMI ad diem 13. *Iun. In Perſida natalis S. Bartholomæi Apoſtoli.*

(2) Ibidem hac die notatur *In civitate Aurelianis translatio corporis S. Aniani Epiſcopi.*

(3) *Cyriacus*, *Cyrinus*, vel *Cyricus* idem eſt ac QUIRICUS in martyrol. *Rom.* hac die notatus. In cit. *Hieron.* legitur: *In antiochia Cyrici*, *Iulittæ matris eius*, *&* *cum eis quadringentorum Martyrum.* Die ſequenti, vero pariter, ut hic, NICANDRI Mart. nomen inter alios notatur.

(4) Sic & in ſæpe laudato *Hieron.* martyrol. hac die: *In Perſida Natalis S. Iacobi Alphæi Apoſtoli.* Quum vero ibidem die 1. *Maii* notetur IACOBUS ſimpliciter, nonnulli IACOBUM *Alphæi* a IACOBO *Iuſto* ſeu *Minore* diſtinguendum cenſuerunt: quos refutat BARONIUS in Annal. & NATAL. *Alex.* hiſt. eccleſ. T. III. c. 8. patetque ex noſtro *Rhenaug.* ubi ſupra ad VI. Kal. *Ian.* idem hic IACOBUS *Alphæi frater Domini* appellatur.

(5) Hæc vigiliæ per incuriam ſcriptoris hac die repoſita eſt, in qua ipſa Nativitas S. IOHANNIS *Bapt.* ponenda fuiſſet, quæ hic adeo penitus deſideratur. Receptio autem ſeu dormitio S. IOHANNIS *Evang.* ſupra p. 453. in breviario Apoſtolorum ad hanc diem aſſignatur. Inter acta Concilii *Epheſini* an. 431. T. III. Concil. Labb. p. 1021. exſtant duo ſermones, unus S. CYRILLI *Alexandrini*, alter THEODOTI *Ancyrani*, in die S. IOHANNIS *Evang.* dicti in iſto concilio: quod cum X. Kal. *Iul.* inceperit, facile inde eruitur, iam tunc feſtum hoc in *Iunio* ſeu VIII. Kal. *Iul.* celebratum fuiſſe.

(6) Diverſitatem in aſſignando horum Martyrum numero tollit Martyrol. *Hieron.* in quo ad hanc diem legitur: *Romæ natalis SS. Petri & Pauli Apoſtolorum, & aliorum nongentorum octoginta & ſeptem Martyrum.*

Digitized by Google

Iulius habet Dies XXXI. Luna XXX.

e.		Kl.	Iul.	Paſſio Simonis Cananæi & Thaddæi, (1) & Aaron. *Octava S. Iohannis.*
F.	VI.	Non.	Iul.	Dedicatio baſilicæ S. Otmari. (2)
G.	V.	Non.	Iul.	Translatio Thomæ Apli in Ediſa. (3) Conſtantii M.
h.	IIII.	Non.	Iul.	In Galliis ſci Martini Epi. Udalrici Epi & Conf.
i.	III.	Non.	Iul.	
K.	II.	Non.	Iul.	Octava Apoſtolorum.
L.		Nonas	Iulii.	Williboldi & Winnibaldi Conf. (4)
m.	VIII.	Id.	Iul.	Chiliani, Cholmani, Totmani M.
n.	VII.	Id.	Iul.	
o.	VI.	Id.	Iul.	Nat. VII. Fratrum filiorum S. Felicitatis.
p.	V.	Id.	Iul.	Benedicti Abbatis. Translatio S. Benedicti Abbatis.
q.	IIII.	Id.	Iul.	S. Margaretæ Virg. & M. *Ermachore & Fortunati M.* (5)
R.	III.	Id.	Iul.	Dies Ægypt.
F.	II.	Id.	Iul.	Dies caniculares.
G.		Idus	Iulii	*Diviſio Apoſtolorum.*
A.	XVII.	Kl.	Aug.	
B.	XVI.	Kl.	Aug.	Alexii *Conf.* Obitus Purchardi Abb. (6)
C.	XV.	Kl.	Aug.	Sol in Leonem.
D.	XIIII.	Kl.	Aug.	Chriſtinæ Virg. (7)
E.	XIII.	Kl.	Aug.	
F.	XII.	Kl.	Aug.	Praxedis Virg.
G.	XI.	Kl.	Aug.	Dies Ægypt.
A.	X.	Kl.	Aug.	Apollinari Epi & M.
B.	VIIII.	Kl.	Aug.	Vigilia S. Iacobi Apli.

C.

(1) In laudato Martyrol. aliiſque antiquiſſimis HIERONYMO adſcriptis hac ipſa die I. *Iul.* ita notatur hoc feſtum: *In Perſida paſſio SS. Apoſtolorum Simonis Cananæi, & Iudæ Zelotis.* Supra tamen in Apoſtolorum breviario p. 454. uterque V. Kal. *Nov.* ponitur, quo hodieque coluntur.

(2) Facile liquet, feſtum hoc, uti in ſequentibus plura alia, monaſterio S. GALLI fuiſſe particularia.

(3) Hæc S. THOMÆ translatio ex *Calamina* in *Edeſſam* notatur etiam in Martyrol. *Rom.* uti & die ſequente translatio S. MARTINI *Turonenſis.*

(4) WILLIBALDUS in *Rom.* Martyrol. ad hanc diem, *Wunibaldus* vero vel *Winibaldus* eius frater ad d. 18. *Dec.* in martyrol. *Alemannicis* ponitur.

(5) Feſtum hoc in Martyrol. *Rom.* notatur 20. *Iul.* in aliis autem etiam die 13. occurrit: nullibi tamen hac die 12. aſſignatum reperi, qua hic ut in cæteris habetur S. HERMAGORAS cum Socio.

(6) Duos BURCHARDOS monaſterii *San-Gallenſis* abbates exhibet eorum catalogus, primus an. 977. alter ſeu iunior an. 1022. fatis ceſſit. In aſſignando autem obitus die non conveniunt; ſenior iuxta MABILLONUM & *Ioach.* VADIANUM XVI. Kal. *Auguſti*, iuxta Ephemerides autem S. *Galli* die ſecunda ante Nonas *Iunii* obiit, ſecundus vero itidem XVI. Kalendas Auguſti, ab aliis vero V. Idus *Auguſti* mortuus eſſe refertur: ut adeo incertum ſit, cuiusnam obitus hic annotetur. Cum tamen BURCHARDUS II. in veteri codice *San-Gallenſi* vocetur *minor*, quæ nota hic deeſt, de primo BURCHARDO hæc intelligenda eſſe videntur, inter cuius & ſecundi tempora forte hoc ipſum Martyrologium ſcriptum fuerit.

(7) Hoc feſtum, quod alias conſtanter die 24. *Iul.* notatur, forte per incuriam, vel ob vigiliam S. IACOBI ad hanc diem fuit repoſitum.

Digitized by Google

C.	VIII.	Kl.	Aug.	Nat. S. Iacobi Apoſtoli fratris Iohannis, & Chriſtophori M.
D.	VII.	Kl.	Aug.	
E.	VI.	Kl.	Aug.	
F.	V.	Kl.	Aug.	Pantaleonis M.
G.	IIII.	Kl.	Aug.	Romæ Felicis, Simplicii, Fauſtini & Beatricis.
A.	III.	Kl.	Aug.	Romæ Abdon & Sennen.
B.	II.	Kl.	Aug.	Autiſiodoro Germani Epi & Conf.

Auguſtus habet Dies XXXI. Lunam XXVIIII.

C.		Kl.	Aug.	Statio ad S. Petrum ad Vincula. Eugenii, Floræ, & Lucillæ. (1) Septem Fratrum. Dies Ægypt.
D.	IIII.	Non.	Aug.	Romæ Stephani Papæ. VI. emboliſmus.
E.	III.	Non.	Aug.	Inventio Corporis S. Stephani Protomartyris.
F.	II.	Non.	Aug.	
G.		Nonas	Aug.	*Oſwaldi regis & mart.* (2)
A.	VIII.	Id.	Aug.	Romæ Sixti, Feliciſſimi & Agapiti, cum aliis quatuor diaconis. Autumni initium, habet dies XCV.
B.	VII.	Id.	Aug.	Afræ Mart. & Donati Epi.
C.	VI.	Id.	Aug.	Romæ Cyriaci & Secundi.
D.	V.	Id.	Aug.	Vigilia S. Laurentii.
E.	IIII.	Id.	Aug.	Romæ S. Laurentii.
F.	III.	Id.	Aug.	Tyburtii Mart.
G.	II.	Id.	Aug.	
A.		Idus	Aug.	Romæ Hippolyti M. & Concordiæ cum aliis X. & VIIII.
B.	XVIIII.	Kl.	Sept.	Romæ Euſebii presbyteri. Et vigilia Aſſumtionis S. Mariæ.
C.	XVIII.	Kl.	Sept.	Dormitio S. Mariæ.
D.	XVII.	Kl.	Sept.	
E.	XVI.	Kl.	Sept.	Octava S. Laurentii.
F.	XV.	Kl.	Sept.	Romæ Agapiti Mart. Sol in Virginem.
G.	XIIII.	Kl.	Sept.	In Bobio Bertolfi Abbatis. (3)
A.	XIII.	Kl.	Sept.	
B.	XII.	Kl.	Sept.	
C.	XI.	Kl.	Sept.	Timothei & Symphoriani *M. & Octava S. Mariæ.*
D.	X.	Kl.	Sept.	In Oſtia Archelai Diaconi, & M. Et Vigilia Bartholomæi Apoſtoli.
E.	VIIII.	Kl.	Sept.	In India Bartholomæi Apoſtoli.
F.	VIII.	Kl.	Sept.	
G.	VII.	Kl.	Sept.	Alexandri Mart.
A.	VI.	Kl.	Sept.	
B.	V.	Kl.	Sept.	Romæ Hermetis. Auguſtini Epi. Iuliani, & Pelagii M. (4)
C.	IIII.	Kl.	Sept.	Romæ Sabinæ M, & Decollatio S. Iohannis Baptiſtæ.

D.

(1) In Martyrol. *Rom.* hi tres SS. Martyres notantur ad diem 29. *Iulii.*

(2) Habetur etiam eadem die in Martyrol. *Anglicano.*

(3) Nec in *Rom.* nec in aliis martyrologiis occurrit BERTOLFUS ſeu BERTULPHUS Abbas Bobienſis; notatur tamen ad ipſum hunc diem ex tribus codd. Mſſ. a *Io. B.* SOLLERIO in notis ad Martyrologium USUARDI d. 19. *Aug.*

(4) S. PELAGIUS hinc inde in antiquis martyrologiis *Alemannicis* notatur, qui in *Francicis* rarius occurrit: unde quæ in actis eius leguntur, magis ad *Conſtantiam Alemanniæ*, quam *Normanniæ* urbem referenda ſunt: quod etiam ex WANDALBERTI Martyrologio palam fit, ubi ita canit:

Urbs Alemannorum recolit Conſtantia Sanctum
Hac quoque Pelagium fuſo pro ſanguine clarum.

In uno codice SOLLERII ad Martyrol. USUARDI omnino in provincia *Acarnaniæ* paſſus fuiſſe dicitur. Cæterum hic & menſibus ſeqq. paſſim ſancti *Conſtantienſi* noſtræ diœceſi proprii annotantur.

Digitized by Google

D.	III.	Kl.	Sept.	Romæ Felicis Epi (1) & Adaucti.
E.	II.	Kl.	Sept.	

September habet Dies XXX. Lunam XXX.

In iſto menſe erit celebratio ieiuniorum hebdomada tertia IIII. & VI. feria. Sabbato XII. Lect.

F.		Kl.	Sept.	Verenæ Virg. *Ægidii Conf.*
G.	IIII.	Non.	Sept.	*Antonini M.*
A.	III.	Non.	Sept.	Remacli Epi. Dies Ægypt.
B.	II.	Non.	Sept.	
C.		Nonas	Sept.	
D.	VIII.	Id.	Sept.	Nat. S. Magni Conf.
E.	VII.	Id.	Sept.	
F.	VI.	Id.	Sept.	Nativitas S. Mariæ. Adriani M.
G.	V.	Id.	Sept.	Romæ Gorgonii Mart.
A.	IIII.	Id.	Sept.	
B.	III.	Id.	Sept.	Proti & Hyacinthi. Felicis & Regulæ.
C.	II.	Id.	Sept.	
D.		Idus	Sept.	*Octava S. Magni Conf.*
E.	XVIII.	Kl.	Octobr.	Hieroſolymis Exaltatio S. Crucis. Romæ Cornelii Epi cum aliis XX. (2)
F.	XVII.	Kl.	Oct.	Romæ Nicomedis M.
G.	XVI.	Kl.	Oct.	Romæ Euphemiæ, Luciæ, & Geminiani M.
A.	XV.	Kl.	Oct.	Lamperti & Huperti M. (3) Sol in Libram.
B.	XIIII.	Kl.	Oct.	
C.	XIII.	Kl.	Oct.	
D.	XII.	Kl.	Oct.	Vigilia Matthæi Apoſtoli. Æquinoctium ſecundum Græcos.
E.	XI.	Kl.	Oct.	Nat. Matthæi Apoſtoli & Evang. Dies Ægypt.
F.	X.	Kl.	Oct.	Mauritii Sociorumque eius VI. DC. LXVI. (4) Hemmerammi Epi & M. (5)
G.	VIIII.	Kl.	Oct.	*Thecla Virg.*
A.	VIII.	Kl.	Oct.	
B.	VII.	Kl.	Oct.	
C.	VI.	Kl.	Oct.	
D.	V.	Kl.	Oct.	Coſmæ & Damiani, cum aliis tribus M.
E.	IIII.	Kl.	Oct.	
F.	III.	Kl.	Oct.	In monte Gargano Dedicatio baſilicæ S. Michaelis Archangeli.
G.	II.	Kl.	Oct.	Hieronymi Presbyteri.

October habet dies XXXI. Lunam XXVIIII.

A.		Kl.	Oct.	Remigii Epi & Conf.	B.

(1) FELIX hic ab aliis *presbyter* tantum, non *Epiſcopus* nominatur: forte tamen cum altero cognomine Epiſcopo fuit confuſus; de qua variorum Martyrum confuſione ſub *Felicis* nomine vid. *Io. B.* SOLLERIUS in obſervat. ad Martyrolog. USUARDI, ad d. 14. *Ianuarii* & 30. *Auguſti.*

(2) In cæteris Martyrologiis loco XX. habentur XXI. Cur vero hic S. CYPRIANUS conſtanter alias hac die notatus deſit, divinari non potuimus.

(3) S. HUBERTUS *Leodienſis* pariter Epiſcopus hic ſimul cum S. LAMBERTO ponitur, apud quem etiam ſepultus eſt. Vid. SOLLERIUS ad USUARDI Martyrol. die 30. *Maii*, 30. *Sept.* & 3. *Nov.*

(4) De diverſo horum Martyrum numero vid. cit. SOLLERIUS in notis ad hanc diem.

(5) Notatur S. EMMERAMUS in martyrol. *Rom.* RHABANI, USUARDI, & WANDALBERTI, ac paſſim in *Alemannicis.*

Digitized by Google

B.	VI.	Non.	Oct.	Nat. Leudegarii Epi M.
C.	V.	Non.	Oct.	
D.	IIII.	Non.	Oct.	Dies Ægyptius.
E.	III.	Non.	Oct.	*Conſtantis & Alexandri M.* (1)
F.	II.	Non.	Oct.	*Fidis V. & M.*
G.		Nonas	Oct.	Romæ Marci Epi, Sergii & Bachi *Mart.*
A.	VIII.	Id.	Oct.	
B.	VII.	Id.	Oct.	Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii Mart.
C.	VI.	Id.	Oct.	
D.	V.	Id.	Oct.	
E.	IIII.	Id.	Oct.	
F.	III.	Id.	Oct.	
G.	II.	Id.	Oct.	Romæ Calliſti Papæ *Mart.*
A.		Idus	Oct.	Vigilia S. Galli.
B.	XVII.	Kl.	Nov.	Depoſitio S. Galli *Conf.*
C.	XVI.	Kl.	Nov.	Dedicatio eccleſiæ ipſius.
D.	XV.	Kl.	Nov.	Lucæ Evangeliſtæ. Sol in Scorpionem.
E.	XIIII.	Kl.	Nov.	Ianuarii, Proculi *Mart.* (2)
F.	XIII.	Kl.	Nov.	
G.	XII.	Kl.	Nov.	*Undecim millium Virginum.*
A.	XI.	Kl.	Nov.	Dies Ægyptius.
B.	X.	Kl.	Nov.	Octava S. Galli *Conf.*
C.	VIIII.	Kl.	Nov.	
D.	VIII.	Kl.	Nov.	Criſpini & Criſpiniani *Mart.*
E.	VII.	Kl.	Nov.	
F.	VI.	Kl.	Nov.	Vigilia Apoſtolorum Simonis & Iudæ.
G.	V.	Kl.	Nov.	Nat. Simonis & Iudæ.
A.	IIII.	Kl.	Nov.	*Narciſſi Epi & Mart.*
B.	III.	Kl.	Nov.	
C.	II.	Kl.	Nov.	Quintini Mart. Et Vigilia omnium Sanctorum.

November habet dies XXX. Lunam XXX.

D.	Kalendas Nov.	Feſtum omnium Sanctorum. Cæſarii. & eſt Nat. Euſtachii cum uxore & duobus filiis. (3) E.

(1) Feſtum hoc nuſpiam alibi occurrit; forte *San-Gallenſibus* peculiare fuit, uti alia nonnulla huius menſis, quæ tamen in aliis Martyrologiis paſſim occurrunt, uti S. FIDIS vel FIDEI, & S. GALLI, quod hic cum vigilia & octava notatur, prout etiam ſupra in Sacramentario p. 186.

(2) In Martyrol. *Rom.* habentur die 19. *Sept.*

(3) De feſto omnium Sanctorum plura diximus Diſquiſit. IX. c. 2. p. 909. in Sacramentariis vero antiquis *San-Gall.* & *Rhenaugienſi* ſupra p. 190. relatis nihil de eo occurrit, quamvis ex *Gregorianis* ſec. IX. ibi notetur. In cæteris ſolus S. CÆSARIUS memoratur, & quidem ob Stationem ea die ad eius eccleſiam *Romæ* fieri ſolitam. Vid. THOMAS. T. V. opp. p. 502. A. S. EUSTACHIUS denique occurrit etiam hac ipſa die in Martyr. *Hieron.* ſed in *Rom.* aliisque ponitur die 20. *Sept.*

E.	IIII.	Non.	Nov.	
F.	III.	Non.	Nov.	Pirminii Epi.
G.	II.	Non.	Nov.	
A.		Nonas	Nov.	Dies Ægypt.
B.	VIIII.	Id.	Nov.	*Leonhardi Conf.*
C.	VII.	Id.	Nov.	*Willibrordi Epi.* Hyemis initium, habet dies XCIV.
D.	VI.	Id.	Nov.	Romæ quatuor Coronatorum.
E.	V.	Id.	Nov.	Romæ Theodori Mart.
F.	IIII.	Id.	Nov.	Vigilia S. Martini Epi.
G.	III.	Id.	Nov.	S. Martini Epi. *Mennæ Mart.*
A.	II.	Id.	Nov.	
B.		Idus	Nov.	Turonis Bričtii Epi.
C.	XVIII.	Kl.	Dec.	
D.	XVII.	Kl.	Dec.	Vigilia S. Otmari.
E.	XVI.	Kl.	Dec.	Nat. S. Otmari Abbatis.
F.	XV.	Kl.	Dec.	Aniani & Auguſtini Epiſcoporum (1) Sol in Sagittarium.
G.	XIIII.	Kl.	Dec.	Octava S. Martini.
A.	XIII.	Kl.	Dec.	
B.	XII.	Kl.	Dec.	
C.	XI.	Kl.	Dec.	
D.	X.	Kl.	Dec.	Romæ Cæciliæ Virg.
E.	VIIII.	Kl.	Dec.	Clementis Epi. & S. Felicitatis. S. Columbani Abbatis.
F.	VIII.	Kl.	Dec.	Chryſogoni Mart.
G.	VII.	Kl.	Dec.	*Catharinæ Virg.* Hic ſaltus ſecundum Græcos.
A.	VI.	Kl.	Dec.	*Cunradi Epi.* (2)
B.	V.	Kl.	Dec.	
C.	IIII.	Kl.	Dec.	Dies Ægyptius.
D.	III.	Kl.	Dec.	Saturnini Mart. & Siſinnii diaconi. Chryſanthi, Mauri & Dariæ. (3) Vigilia S. Andreæ.
E.	II.	Kl.	Dec.	Nat. S. Andreæ Apoſtoli.

(1) De S. ANIANO *Aurelianenſi* Epiſcopo nullum ſupereſt dubium, qui in omnibus Martyrologiis hac die notatur; ſed quis ſit AUGUSTINUS epiſcopus hic eidem coniunctus, nullibi deprehendere licuit.

(2) Habetur S. CONRADUS *Conſtantienſis* Epiſcopus in Martyrol. *Rom.* & aliis nonnullis, quæ vid. apud SOLLERIUM in notis ad h. d.

(3) In Martyrol. *Rom.* aſſignantur die 25. *Oct.* ſed in *Hieron.* aliisque in notis ad Mart. USUARDI h. d. citatis, uti hic adnotantur.

December habet dies XXXI. Lunam XXVIIII.

In iſto menſe erit celebratio ieiuniorum IIII. & VI. feria, proxima hebdomada ante Natale Domini.

F.		Kl.	Dec.	Eligii Epi. Dies Ægypt.
G.	IIII.	Non.	Dec.	
A.	III.	Non.	Dec.	Lucii Conf.
B.	II.	Non.	Dec.	S. Barbaræ Virg.
C.		Nonas	Dec.	
D.	VIII.	Id.	Dec.	Miræ Nicolai Epi & Conf. (1)
E.	VII.	Id.	Dec.	Octava S. Andreæ.
F.	VI.	Id.	Dec.	*Conceptio S. Mariæ.*
G.	V.	Id.	Dec.	
A.	IIII.	Id.	Dec.	
B.	III.	Id.	Dec.	Romæ Damaſi Epi & Conf.
C.	II.	Id.	Dec.	
D.		Idus	Dec.	Luciæ Virg. & Otiliæ Virg. (2)
E.	XVIIII.	Kl.	Ian.	
F.	XVIII.	Kl.	Ian.	Dies Ægypt.
G.	XVII.	Kl.	Ian.	
A.	XVI.	Kl.	Ian.	
B.	XV.	Kl.	Ian.	Sol in Capricornum.
C.	XIIII.	Kl.	Ian.	
D.	XIII.	Kl.	Ian.	Vigilia Thomæ Apoſtoli.
E.	XII.	Kl.	Ian.	In India Thomæ Apoſtoli. Solſtitium ſecundum Græcos.
F.	XI.	Kl.	Ian.	
G.	X.	Kl.	Ian.	
A.	VIIII.	Kl.	Ian.	Vigilia Nativitatis Domini.
B.	VIII.	Kl.	Ian.	Bethleem Nativitas Domini noſtri ſecundum carnem. Anaſtaſiæ V. (3)
C.	VII.	Kl.	Ian.	Nat. S. Stephani Protomartyris.
D.	VI.	Kl.	Ian.	Nat. S. Iohannis Evangeliſtæ.
E.	V.	Kl.	Ian.	Nat. S. Innocentum.
F.	IIII.	Kl.	Ian.	
G.	III.	Kl.	Ian.	
A.	II.	Kl.	Ian.	Silveſtri Papæ.

KALEN-

(1) Vid. de hoc & ſequentibus feſtis, quæ diximus Diſquiſit. IX. c. 2. pag. 913. ſeqq.

(2) S. OTTILIA hac die in Martyrol. *Rom.* & ADONIS, ac paſſim in *Alemannicis* notatur.

(3) Dubium eſt, utrum littera hæc initialis V. notet Viduam an Virginem, quo ultimo nomine ſubinde decoratur in martyrologiis & Kalendariis. Sed iam obſervavit BARONIUS in notis ad Martyrol. *Rom.* h. d. & SOLLERIUS in obſervat. ad USUARDUM, duas ANASTASIAS eſſe diſtinguendas, unam Viduam, Virginem alteram, quæ ſubinde invicem fuere a ſcriptoribus confuſæ.

Digitized by Google

KALENDARIUM ECCLESIASTICUM

Ex Codd. *Petershuſano* & *Solodorenſi* ſec. IX. annotatis iis, quæ in vetuſtiſſimo Kalendario *Bucheriano*, *Leonino*, *Gelaſiano*, & antiquo *Gregoriano* apud MURATORIUM congruunt.

Menſis Ianuarius habet dies XXXI. Lunam XXX.

1. *Circumciſio Domini noſtri IESU Chriſti.*

Octava Domini. totum officium. Dies Ægyptius. (1)

2. Octava S. Stephani. Depoſitio Macarii Conf.

3. *Genovefæ Virginis.* Octava S. Iohannis.

4. Octava Innocentium.

5. Vigilia Theophaniæ, & depoſitio Simeonis Iuſti.

6. *Epiphania Domini noſtri.* Theophania D. paſſio S. Iuliani & Baſiliſſæ cum Sociis eius. (2)

7. Luciani Presbyteri. S. Iſidori Ep. A.

8. Ruſtici Timothei.

9. In Africa Epicteti, (3) Iocundi, Quinti, Saturnini.

10. S. Pauli Eremitæ Conf. A.

11. *Eductio Chriſti de Ægypto.* Felicitatis, Quinti, Ianuarii. 12.

(1) Hac litterarum forma utimur ad ea exprimenda, quæ in Kalendario, quod Sacramentario *Solodorenſi* præfixum eſt, continentur: & quidem Kal. Ian. *Octava Domini totum officium*, novem nimirum, vel iuxta Regulam S. BENEDICTI, XII. lectionum, quod in ſequentibus paſſim per ſolam vocem *totum* exprimitur. Additur & deinceps non raro, ſicut iam ſupra in *San-Gallenſi* Martyrologio, ita & in Kalendario *Solodorenſi* ex uſu Kalendarii profani *dies Ægyptius*. De quibus in Cod. Cæſ. *Vindob.* Theol. carmen Kalendario adnexum legi, quo vana & ſuperſtitioſa dierum obſervatio declaratur, a SS. Patribus perinde damnata ac alia mathematicorum deliria, quæ ab *Aſſyriis Ægyptii* potiſſimum acceperunt: atque ab his aliæ gentes *atros candidosque* notarunt dies; nec apud Chriſtianos ſtatim omnes exploſa ſuperſtitione, *qui*, ut eos S. ZENO lib. I. Tract. 15. arguit, *dies obſervant*, *qui Ægyptiacos de candidis faciunt.* Unde etiam in Pœnitentiali veteri cavetur: *item non debere ſervari dies Ægyptiacos ad minuendum ſanguinem*, *vel aliquid faciendum.* Vid. *Du*-CANG. & *Frid.* ALTHANUS *de Calend.* c. 9. *de diebus Ægyptiacis.* Cæterum ſubinde hic per adpoſitam litteram A. citavimus Martyrologium ſeu Kalendarium *Argentoratenſe*, de quo ſupra pag. 455. cum omnia fere feſta contineat, ſec. IX. in *Alemannia* noſtra, *Alſatia* præcipue, celebrari ſolita, atque in pluribus cum *Solodorenſi* conveniunt. Omiſimus vero deinceps Kalendas, Nonas vel Idus, quas in præcedente Martyrologio ſemel notaſſe ſufficiat.

(2) Hac die notantur etiam in Martyrol. *Hieronymi*, quocum *Solodoranum* ſæpius convenit; ſed in *Romano* ad d. 9. *Ian.* Vel hinc vero palam eſt, Kalendarium *Solodorenſe*, licet præfixum Sacramentario, non eſſe purum Kalendarium eccleſiaſticum, quale hic diſtinguimus a martyrologio, ad dies feſtos per annum celebrandos compoſitum. Feſta autem hodieque, uſu antiquiſſimo, per integram Epiphaniæ octavam nulla celebrantur ſingulari privilegio, quo nec ipſum feſtum Natalis Dni gaudet: fuitque aliquando non ſolum in Oriente, ubi ad medium uſque ſeculum IV. eo die ipſa Chriſti nativitas fuit celebrata, ſed etiam in Occidente atque adeo *Romæ* feſtum Epiph. celebrius, ob cumulata myſteria, feſto nativitatis, ut palam ſit ex his antiqui ord. *Romani* verbis: *Nec hoc prætereundum*, *quod ſecunda nativitas Chriſti tot illuſtrata myſteriis*, *honoratior ſit*, *quam prima.* Quæ totidem verbis leguntur apud auctorem ſub ALCUINI nomine vulgatum *de divinis officiis*, ubi de baptiſmo hac die, ut in Paſchate & Pentecoſte adminiſtrari ſolito, tractat.

(3) In *Rom.* h. d. *Epicteti &c.*

12. Depoſitio Iohannis Papæ Conf.

13. *Octava Epiph. Hilarii Epi.* A. Depoſitio Hilarii Conf. & S. Agarici Epi. (1)

14. Nat. *S. Felicis Conf.* (2) Miſſa & Officium.

15. Depoſitio S. Remedii Conf. (3)

16. *Marcelli Papæ* & Mart. Solemnitas S. Petri apud Græcos, quando in carcere a vinculis abſolutus eſt. (4)

17. Depoſitio Antonii monachi. A.

18. *Priſcæ Virg.* (5) Miſſa & officium. *Sol in Aquarium.*

19. Mariæ & Marthæ. A. (6)

20. *Sebaſtiani & Fabiani Mart.* totum.

21. Nat. S. *Agnetis Virginis.* Mart. totum. A.

22. *Vincentii Mart.* Miſſa & officium. A.

23. *Emerentianæ Virginis.* SS. Emerentianæ Virg. & Macarii Mart. A.

24. S. Timothei Apoſtoli & Babilli Epi.

25. Converſio S. Pauli Apoſt. A. Miſſa. S. Proiecti Mart. Dies Ægyptius.

26. S. Polycarpi Epi & Mart.

27. S. Iohannis Chryſoſtomi. Oct. S. Fabiani & Sebaſtiani.

28. *Octava Agnetis.* (7)

29. Depoſitio Valerii Epi Treviris.

30. S. Adelgundæ Virg. & S. Flaviani Mart.

31. In Alexandria Tarſici, Zotici, Aminomis. (8)

Nox horas XVI. Dies VIII.

Menſis Februarius habet dies XXVIII. Lunam XXVIIII.

1. Depoſitio *Brigidæ Virg.* A. & S. Polycarpi presbyteri. (9)

2. *Suſceptio Domini in templo.* Purificatio S. Mariæ Virg. A. totum. & S. Aproniani.

3. *Nat. Blaſii Mart.* A. (10)

4. Dies Ægyptius.

5. *Nat. Agathæ Virg.* & Mart. totum, (11) & Dorotheæ.

6.

(1) Eſt hic AGRITIUS *Trevirenſis* Ep. hac die in Martyrol. deſcriptus.

(2) In *Gelaſ.* & *Greg.* Sæpius deinceps in *Solodorenſi* idipſum notatur, *Miſſa & officium*, prima autem vice proxima hac poſt oct. Epiph. die, per quam octavam ſingulis diebus Sancti occurrunt præter morem: unde etiam Martyrologium cenſeri poteſt *Solodorenſe* hoc Kalendarium, ſimulque directorium quoddam officii divini, quoad chorum & Miſſam, an nempe totum in vigiliis officium ſit celebrandum, quod S. BENEDICTUS in feſtivitatibus Sanctorum agendum præcipit *ſicut in Dominica* Reg. c. 14. An vero Miſſa cum officio de Sancto dicenda, vel an ſola Miſſa ſine officio i. e. ſola commemoratio in officio feriali cum Miſſa de feſto, prout hodieque *Ciſtercienſes* obſervant, vel denique officium ſeu commemoratio ſine Miſſa, hic ſit intelligendum? ex hoc ſaltem Kalendario incertum manet. Cæterum edidit etiam *Sebaſt.* DONATI in appendice *De' dittici degli antichi* Kalendarium antiquiſſimum *Lucenſe* eccleſiæ S. DONATI, in quo quotidie feſta novem vel trium lectionum deſignantur. Quod idem hodie apud nos præſtant voces *duplex* aut *ſimplex*, ad denotandam hanc diſtinctionem adhiberi ſolita.

(3) Notatur in nonnullis martyrol. hac die *depoſitio S. Remigii Ep. Remenſis.* qui ſæpius etiam REMEDIUS ſcribitur, prout & infra die I. *Octob.*

(4) Prius eſt in *Gelaſ.* & *Gregor.* poſterius, quod Latini ſub titulo *S. Petri ad vincula* I. die *Aug.* colunt, Græci in ſuis Menologiis die 16. *Ian.* aſſignant cum ſolemni officio.

(5) In ſolo. *Gregor.*

(6) Habentur in ſolo *Gelaſ.* die ſeq. cum S. SEBAST. & FAB. qui etiam in *Bucher.* & *Gregor.* notantur, ſicut S. AGNES, ſed VINCENTIUS in ſolo Greg.

(7) In *Gelaſ.* & *Greg.* vid. Diſq. IX. c. 2. p. 890.

(8) Sic & in *Hieronymiano*, in quo legitur *Ammonii*: in *Rom.* hac die *Tarſicii &c.*

(9) Notatur ſub nomine Epiſcopi hac die cum Sociis in *Hieron.* Vid. BARONIUS in notis ad Martyrol. *Rom.* I. *Febr.* Sequens feſtum in *Bucher.* deeſt.

(10) Feſti huius antiquitas ſupra eſt probata, cultus autem in Occidente firmatur ex monaſterio S. BLASIO dicato, inter XII. a S. BENEDICTO fundata.

(11) In *Gelaſ.* & *Greg.*

Digitized by Google

6.

7. *Veris initium habet dies XCI.*

8. Depoſitio Pauli Epi. (1)

9. Octava S. Mariæ.

10. S. Soteris Virg. A. Zotici, Herenei, (2) Hyacinthi, & Scholaſticæ.

11. S. Deſiderii Epi. (3)

12.

13.

14. *Romæ Valentini presbyteri.* A. Mart. Miſſa & officium. S. Vitalis & Felicolæ. Zenonis. (4)

15. *Fauſtini & Iovitæ. Sol in Piſces.*

16. S. Iulianæ Virg. A. (5)

17.

18. *Pimenii Mart.* (6)

19.

20. S. Eucharii Conf. (7)

21. S. Hilarii Papæ. (8)

22. *Cathedra S. Petri.* A. (9) & S. Theclæ Virg. Vernus oritur.

23. Hic muta concurrentes. (10)

24. *Matthiæ Apoſtoli* & inventio capitis S. Iohannis Baptiſtæ. A. *Biſſextus.*

25.

26. S. Fortunati. A. Dies Ægyptius.

27.

28.

Nox horas XIIII. dies X.

Menſis Martius habet dies XXXI. Lunam XXX.

1. A*lbini Conf.* Natal. S. Donati Mar. Albini. A. & Leonis Mar. Dies Ægypt.

2.

3.

4. S. Adriani Mart. cum ſociis ſuis. A.

5. Endecas VII. Emboliſmus.

6. *Fridolini Conf.* (11) Ogdoas III. Emboliſmus. S. Quiriaci presbyteri.

7. *Perpetuæ & Felicitatis.* A. (12) & dedicat. Baſil. S. Iohannis.

8. *Prima incenſio lunæ paſchalis.*

9. SS. Mart. XL. Militum. A. & S. Iuliani Mart.

10. In Attica milvus apparuit. (13)

11.

12. *Gregorii Papæ.*

13. S. Macedonii presbyteri, & Patriciæ uxoris eius, & filiæ Modeſtæ.

14. S. Leonis Papæ & Mart. (14)

15.

16. Paſſio S. Cyriaci Mart. A. & S. Eugeniæ Virg.

17.

---

(1) Scil. *Virdunenſis* in *Gallia.* Vid. BARON. ad h. d.

(2) l. *Irenæi.*

(3) *Lugdunenſis* & Mart.

(4) Sic & in *Gelaſ.* ſed in *Greg.* VALENT. ſolus.

(5) In ſolo *Gelaſ.*

(6) S. hunc Martyrem & presbyterum *Rom.* tantum apud SOLLERIUM in notis ad Martyrol. USUARDI hac die deprehendi.

(7) Eodem fere modo habetur in Argent. *Eucharii Epi.* Notatur hac die in *Rom.* S. EUCHERIUS Ep. *Aurelianenſis.*

(8) HILARUS Papa in pauciſſimis hac die occurrit, ſed d. 10. *Sept.* in plerisque notatur.

(9) In ſolo *Bucher.*

(10) In ſolo *Arg.* notatur hac die vigilia, quod etiam de S. MATTHÆO & ANDREA, non item de aliis Apoſtolis obſervatur.

(11) S. FRIDOLINI feſtum etiam ſupra in Supplem. *San-Gallenſi* cum officio ſeu Miſſa notatur pag. 403.

(12) In *Bucher.* & *Gelaſ.*

(13) Hæc rubro in *Solodorenſi* ſignata quid ſibi velint, aliis divinandum relinquimus; ſæpe enim inſolitum quoddam factum Kalendariis inſerebatur.

(14) Eſt hic error ſcriptoris, nullus enim LEO Papa martyris nomine decoratur, aut hac die annotatur; ſed in duobus ſolum codd. S. LEONIS papæ feſtum die præced. aſſignatum reperi apud SOLLERIUM l. c. In *Arg.* hodie ponitur *Innocentii papæ*, quem nullibi alias reperi.

Digitized by Google

17. Nat. S. Patricii Epi & Conf. (1)

18. *Dies primus ſeculi. Sol in Arietem.*

19.

20. S. Guntberti presbyteri. *Æquinoctium ſecundum Græcos.*

21. *Depoſitio S. Benedicti Abbatis.* A.

22. *Primum Paſcha, & ſedes Epactarum.*

23.

24. *Quota hic feria eſt, tot eodem anno ſunt concurrentiæ.*

Concurrentium locus.

25. *Crucifixio Chriſti. Paſſio Iacobi fratris Domini. Adnuntiatio S. Mariæ. Æquinoctium ſecundum Latinos.* Reſurrectio Dni. (2)

26. Depoſitio S. Leudegarii Epi & Conf. (3)

27. *Reſurrectio Domini.*

28.

29.

30. S. Victoris Mart.

31.

Nox horas XII. & dies ſimiliter.

Menſis Aprilis habet dies XXX. Lunam XXVIIII.

1. S. Quirini. Agapitis & Chioniæ Mart. (4)

2.

3. S. Theodoſiæ.

4. *Ambroſii Epi.* & Conf. A.

5. *Ultima incenſio lunæ paſchalis.* Infra numquam incenditur luna paſchalis.

6. S. Cœleſtini Papæ.

7.

8.

9. Nat. ſcarum ſeptem Virginum, quæ in unum meruerunt coronari. A.

10. Ezechiel prophetæ. Dies Ægypt.

11. Romæ S. Leonis Papæ & Conf.

12. S. Zenonis Mart.

13. In Chalcedonia S. Euphemiæ Virg. (5) A.

14. Scorum Mart. *Tiburtii, Valeriani & Maximi* (6) Miſſa & Officium. A.

15.

16.

17. *Sol in Taurum.*

18. S. Eleutherii cum matre ſua. *Huc-uſque XIIII. luna paſch.*

19. *Seneſii & Theoponti Mart.* (7)

20.

(1) In *Argent.* habetur hac die *Gertrudis V.* quæ etiam ſupra in Antiquiſſimo Martyrol. *Rhenaug.* occurrit.

(2) In eodem *Arg.* hac die notatur *Annuntiatio S. Mariæ Matris Dei, & crucifixio Dni Ieſu.* Quid vero cauſſæ ſit, cur in *Solodorenſi* Reſurrectio Domini hac ipſa die præter omnem aliorum morem notetur, nos latet. Annuntiatio in *Bucher.* deeſt.

(3) Mendum hic ſubeſſe ſuſpicamur, & legendum S. LUIDEGERI ſeu LUDGERI, Epiſcopi ſcilicet *Monaſterienſis,* cuius ſocius prædicationis S. WILLIBRORDUS pariter infra 7. *Nov.* in eodem *Solodorenſi* ponitur: in quo cum d. 2. *Oct.* S. LEODEGARIUS ſeu LEUDEGARIUS *Martyris* titulo decoretur, hic vero *Confeſſor* dicatur, procul dubio ab eo, qui hic notatur, diverſus eſt. Vid. SOLLERIUS ad h. d.

(4) S. QUIRINUS in Martyr. *Rom.* habetur 30. *Mart.* AGAPES vero & CHIONIA tertia *Aprilis*: & THEODOSIA die 2. eiusdem. In *Argent.* hodie notatur *Quintiniani & Anaſtaſii mart.*

(5) Agunt de ea hac die RHABANUS & NOTKERUS, *Gelaſ.* aliique; USUARDUS & Martyrol. *Rom.* die 16. *Sept.* qua etiam in noſtris Kalendariis iterum notatur: quo de vid. SOLLERIUS ad utramque hanc diem.

(6) Habentur in *Leon.* & *Gregor.* Cæterum hic iterum in *Solodorenſi* incipit notari Miſſa & officium de feſto, quod poſt d. 14. *Februarii* forte ob Quadrageſimam fuit omiſſum.

(7) De his iam diximus ſupra pag. 404. n. 5. & in noſtro *Itin. Alem.* ante tit. *Augia dives.* In Martyrol. *Rom.* & in tribus Codd. apud SOLLERIUM notantur d. 21. *Maii.*

Digitized by Google

20. *Dies Ægyptius.*

21.

22. S. Gagi Papæ. (1)

23. *Georgii Mart.* A. Miſſa & officium. Diluvium incipit.

24. Tres pueri liberati ſunt de camino ignis in Bab.

25. *Marci Evang. Letania maior.* A. *Ultimum Paſcha.*

26. Nat. S. Cleti Papæ & Mart. & Marcellini Papæ.

27.

28. *Vitalis Mart.* Miſſa & officium. Egreſſio Noe de Arca. (2)

29.

30. Nat. S. Sophiæ, & S. Quinti Epi. (3)

Nox horas X. dies XIIII.

Menſis Maius habet dies XXXI. Lunam XXX.

1. *Philippi & Iacobi Apoſtolorum*, totum: *Walburgæ Virginis*, A. & *S. Sigismundi regis.*

2. S. Anaſtaſii Epi. (4)

3. *Alexandri, Eventii & Theodoli. Et Inventio S. Crucis.* A. miſſa & officium. & S. Philippi Conf. Dies Ægypt.

4. S. Floriani Mart. A.

5. *Aſcenſio Domini* ad cœlos. A.

6. S. Johannis Apli ante portam Latinam. A.

7.

8. S. Victoris Mart.

9. S. Beati Conf. (5) *Initium æſtatis, habet dies XCI.*

10. *Gordiani & Epimachi*, miſſa & officium. A. (6)

11.

12. *Nerei, Achillei & Pancratii.* A. (7) Nat. S. Pancratii Mart. miſſa & officium, Nerei & Achillei.

13. *Gangloſi Mart.* (8) S. Servatii Epi. A. & Dedicatio Baſilicæ S. Mariæ. (9)

14. Pachumii. (10)

15. *Primum Pentecoſten.*

16. S. Terentii Epi & Conf. (11)

17.

18. *Sol in Geminos.*

19. *Pudentianæ Virg.* A.

20. Nat. S. Baſillæ Virg.

21. *Valentis Mart.* A. *cum tribus pueris.*

22. *Dedicatio Oratorii Sci Marci Ev.* S. Iuliæ Virg. & S. Fauſti Conf. (12)

23.

24. S. Rogatiani Mart. Æſtas oritur.

25. *Urbani Papæ* (13) & Mart. miſſa & officium. Dies Ægypt.

26.

---

(1) Leg. S. GAII vel CAII, qui cum S. SOTERE habetur hac die in Martyrol.

(2) In *Argent.* ſimul notatur *& Chriſtophori*, qui a ſolo BEDA & RHABANO hac die memoratur, ab illo, qui die 25. *Iulii* colitur, procul dubio diverſus.

(3) Sanctos hic aſſignatos fruſtra in aliis quæſivi.

(4) Sic etiam in *Argent.* legitur mendoſe loco ATHANASII.

(5) Legitur S. BEATUS in *Rom.* & USUARDI Martyrol. agitque de eo *Henr.* MURER in *Helvetia ſacra*; unde *Solodorenſi* cod. tum primum inſertus eſſe cenſetur, cum illuc fuit illatus.

(6) In ſolo *Gregor.*

(7) In ſolo Kal. *Gelaſ.* & in *Gregor.* tantum S. PANCRATIUS notatur.

(8) S. GANGULPHUS notatur in *Rom.* aliisque die 11. *Maii.*

(9) Nempe *ad Martyres*, vid. Diſquiſ. IX. c. 2. pag. 897. & ſupra p. 405. n. 5. legitur in ſolo Kal. *Gregor.*

(10) Leg. *Pachomii Abb.*

(11) Nuſpiam alias Sanctum hunc adnotatum reperi, niſi in unico codice a SOLLERIO ad h. d. citato, ubi legitur: *Metis civitate translatio corporis beatiſſimi viri Terentii Epiſcopi.*

(12) Hunc Confeſſorem fruſtra in aliis quæſivi.

(13) In ſolo *Gregor.*

26. S. Auguſtini Anglorum Epi, & Bedæ presbyteri. (1)

27.

28. Pariſios Nat. S. Germani Epi & Conf.

29. Treveris S. Maximini Epi.

30.

31. *Petronellæ Virg.* A. *Marcelli & Exuperantii.* (2)

Menſis Iunius habet dies XXX. Lunam XXXVIIII.

1. S. Priſci, & Dedicatio S. Nicomedis Mart. Miſſa & officium. (3)

2. *Marcellini & Petri exorciſtæ, & S. Heraſmi* Miſſa & officium. (4)

3.

4.

5. *Bonifacii Epi* & Mart. & Sociorum eius. (5)

6.

7.

8. S. *Medardi Epi.* A. & S. Naboris Mart.

9. *Primi & Feliciani.* A.

10. S. Getuli Mart. (6) Dies Ægypt.

11. Nat. S. Barnabæ diſcipuli Apoſtolorum. A.

12. *Baſilidis, Cyrini, Naboris & Nazarii* Miſſa & Offic. (7)

13.

14. S. Aniani Conf. & SS. Valerii, Rufini Mart. (8)

15. *Viti, Modeſti & Creſcentiæ.* (9)

16. *Aurei & Iuſtinæ.* Cyrici Mart. & Iulittæ matris eius. Arei & Iuſtinæ. (10)

17. S. Aviti presbyteri. *Sol in Cancrum.*

18. *Marci & Marcelliani.* Miſſa & officium. (11)

19. *Protaſii & Gervaſii* Mart. Miſſa & officium.

20. *Solſtitium.*

21. *Albani & Geneſii.* (12) Nat. S. Albani Mart. A.

22. S. Iacobi Alphei Apoſtoli, (13) & Paulini Epi.

23. Vigil. S. Iohannis Bapt. Miſſa & officium S. Ediltrudis reginæ. (14)

24. *Iohannis Baptiſtæ* totum Solſtitium.

25.

---

(1) Ita uterque etiam hac die in aliis nonnullis memoratur, quamquam S. BEDA ad diem ſequentem referatur.

(2) Sic in uno cod. apud. SOLLERIUM hac die *commemoratio SS. Marcelli & Exuperantii Martyrum, qui infra III. Kal. Ianuarii ponuntur;* qua etiam die in Martyrol. *Rom.* notantur.

(3) Nullibi alias S. PRISCUM hac die ſignatum reperi. Cæterum, quod hic & in *Argent.* legitur *Dedicatio S. Nicomedis*, ſupra in Sacram. p. 131. diſtinctius ex *San-Gallenſi* habetur: *Dedicatio Baſilicæ S. Nicomedis;* quæ hac ipſa die notatur in Martyrologiis BEDÆ, USUARDI & ADONIS. & Kal. *Gregor.* Vid. SOLLERIUS ad h. d.

(4) Duo priores habentur in *Gelaſ.* & *Gregor.*

(5) Vid. de hoc feſto Diſquiſit. IX. c. 2. p. 898. In *Argentorat.* habetur *Bonifacii & aliorum L.*

(6) Leg. ut in *Rom. Getulii Martyris*, qui etiam cum ſociis paſſim in aliis memoratur.

(7) In ſolo *Gelaſ.*

(8) S. ANIANI *Aurelian.* Epiſcopi translatio paſſim hac die notatur apud SOLLERIUM. Cæteri hic memorati occurrunt in Martyrol. *Rom.* & *Argent.*

(9) Solus VITUS in *Gelaſ.* notatur; in cæteris omnes deſunt.

(10) Vid. de his Diſquiſ. IX. c. 2. p. 898. In *Argent. Aurelii & Iuſtini Mart.* De cæteris vid. ſupra ad Martyrol. *Rhenaug.* pag. 462. n. 3.

(11) Habetur hoc & ſequens feſtum in Kal. *Gelaſ.* ac *Greg.*

(12) Supra ex Sacram. Greg. *San-Blaſiano* p. 138. dedimus de his Miſſam. Conf. pag. 407.

(13) Vid. ſupra ad *Rhenaug.* p. 462. n. 4. PAULINUS Ep. etiam in *Argent.* notatur.

(14) Deeſt vigilia cum feſto in Kal. *Bucheriano*, feſtum vero hoc ſine vigilia notatur in Kal. *Leon. Gelaſ.* & *Greg.*

Digitized by Google

25. S. Bodardi Conf. (1)

26. *Iohannis & Pauli.* Totum. (2)

27.

28. *Leonis Papæ.* (3) Vigilia Apoſtolorum. Miſſa & officium S. Leonis Papæ & Conf.

29. *Petri & Pauli Apoſtolorum.* Totum. A.

30. *Depoſitio Martialis Epi & Conf.* S. Pauli Apoſtoli, (4) & Martialis Epi.

Nox horas VI. dies XVIII.

Menſis Iulius habet dies XXXI. Lunam XXX.

1. O*ct. Iohannis Baptiſtæ.* S. Gagi Epi. oct. S. Iohannis Bapt. (5)

2. *Proceſſi & Martiniani* Miſſa & officium. (6)

3. *Oct. Iohannis & Pauli.* Translatio Thomæ Apoſtoli. (7)

4. Turonis translatio S. Martini Conf. & ordinatio epiſcopatus eius. (8)

5.

6. *Octava Apoſtolorum* (9) Miſſa & offic. & *S. Goaris Confeſſoris.*

7. S. Willibaldi Conf. Adventus SS. Baſilidis & Bodardi in Hornbach. (10)

8. *Chiliani & Sociorum eius.* S. Walafridi Conf.

9.

10. *VII. Fratrum Felicis & aliorum.* Miſſa & offic. (11)

11. *Benedicti Abbatis translatio. Placidi monachi, Sigiberti Conf.* (12) S. Benedicti Abbatis, & S. Eufemiæ Virg.

12.

13. Nat. S. Margaretæ Virg. (13) Dies Ægypt.

14. S. Caſſiani & Cyriaci Mart. (14) *Dies caniculares.*

15. *XII. Apoſtoli ad prædicandum miſſi. Reginſinda* (15), *Margareta Virg.* S. Cyriaci & matris eius.

16.

17. 18.

---

(1) S. BODARDUS notatur etiam in Letaniis Sacramentarii *Alemannici*, nunc Biblioth. Cæſ. *Vindob.* Theol. 685. ibidemque in orat. *Libera nos quæſumus &c.* poſt orationem Domin. in Miſſa. Eum inter Sanctos prætermiſſos recenſet SOLLERIUS ad h. d. vid. infra ad d. 7. *Iul.*

(2) Sic & in *Leon.* ac *Gelaſ.*

(3) S. LEO legitur in ſolo *Greg.* vigilia tamen in omnibus deeſt.

(4) Natale S. PAULI hac die in ſolo *Greg.* habetur.

(5) Habetur hac die in cod. *Greven.* apud SOLLERIUM, & in Hieronym. *S. Gaii Papæ*, & in Rom. *S. Galli* Epiſcopi *Arvernenſis:* uter horum hic intelligendus, dubitamus. De octava S. IOH. *Bapt.* vid. Diſquiſit. IX. c. 2. p. 901. in *Argent.* utrumque deeſt.

(6) Legitur in ſolo *Gregor.* In *Argent.* ſimul notatur *Monegundæ Virg.* quæ in Martyrol *Rom.* & USUARDI ſub nomine *religioſæ* memoratur. Vid. SOLLERIUS in obſervationibus ad h. d.

(7) Hæc octava peculiaris cuiusdam loci fuerit, unde & recentius adſcripta. S. THOMÆ Ap. translatio ſupra iam in *Rhenaug.* notatur.

(8) Ita & in *Rom.* ac USUARDO. In *Argent.* additur *dormitio S. Vodelrici Confeſſoris*, illius ſcilicet, qui paſſim UDALRICUS dicitur, *Auguſtanus* Epiſcopus.

(9) Hæc octava Apoſtolorum in ſolo *Gelaſ.* legitur.

(10) Similis translatio S. FABIANI Papæ ad *Hornbach* notatur infra die 20. *Nov.* ex quo ſolo, ſi cætera deeſſent, manifeſto liquet, codicem illum ex *Hornbacenſi* monaſterio *Solodorum* perveniſſe.

(11) Habetur hoc feſtum in *Bucher. Leon.* & *Gelaſ.*

(12) Agit de duobus his ſanctis *Henr.* MURER. in *Helvetia ſacra*, in qua regione floreruut, ſeu in *Rhætia*, ubi PLACIDUS monaſterium *Deſertinenſe*, vulgo *Diſentis*, fundavit, cuius SIGISBERTUS primus Abbas erat, circa an. 628. quorum feſtum a congregatione *Helveto-Benedictina* die 21. *Iulii* celebratur.

(13) Habetur hac ipſa die in obſervationibus SOLLERII, ubi tamen, ut & in Martyrol. *Rom.* notatur die 20. *Iulii.*

(14) Nullibi alias hos Martyres in Martyrologiis deprehendi.

(15) Apud SOLLERIUM ad hanc diem in uno Martyrol. notatur *Reginſwindis Virg. & Mart.* in altero *Reginſwindæ virginis.* De S. CYRIACO vel QUIRICO iam ſupra pag. 462. n. 3.

18. S. Arnulfi Conf. *Sol in Leonem.*

19. S. Arſenii. Ortus caniculæ.

20. S. Sabinæ Virg.

21. *Praxedis Virg.* Offic.

22.

23. *Apollinaris Mart.* Offic. ordinatio S. Perminii Epiſcopi. (1)

24. *Chriſtinæ Virg.* & S. Sigolenæ. (2)

25. *Iacobi Apoſtoli* fratris Iohannis, & S. *Chriſtophori* Mart.

26.

27. In Syria S. Simeonis monachi.

28. *Pantaleontis* (3) Mart. Nazarii & Celſi pueri.

29. *Felicis*, *Simplicii*, *Fauſtini*, *Beatricis* (4), Viatricis. Miſſa & offic. Saltus Lunæ.

30. *Abdon & Sennes.* Miſſa & offic. (5)

31.

Nox horas VIII. dies XVI.

Menſis Auguſtus habet dies XXXI.
Lunam XXVIIII.

1. Ad *S. Petrum ad Vincula.* (6) & SS. Macchabæorum.

2. *Stephani Epi* (7) Papæ & Mart. Miſſa & offic. *VI. emboliſmus.*

3. *Hieroſolyma inventio corporis S. Stephani primi Mart.*

4. S. Iuſtini Conf. (8)

5. S. Oſwaldi Regis & Mart. & S. Mimmi Epi. (9)

6. *Xiſti Epi. Feliciſſimi & Agapiti.* Miſſa & offic. (10)

7. *Afræ Mart.* S. Mart. Donati Epi. & Afræ Virg. (11) *Initium Autumni habet dies XCI.*

8. *Cyriaci Mart.* Miſſa & offic. (12)

9. Vigil. S. Laurentii Mart. Miſſa & offic. (13) SS. Secundiani & Felicitatis Mart.

10. *Laurentii Mart.* totum. (14)

11. *Tiburtii Mart.* Miſſa & offic. (15) *Suſannæ Virg.*

12. S. Eupli Diaconi.

13. *Hippolyti Mart. Wiceperti Confeſſ.* (16)

14. *Euſebii Conf.* (17)

15.

---

(1) De hac S. PIRMINII ordinatione, a quo ſcilicet, & ubi, aut quando ſit peracta, nihil habetur in WARMANNO vitæ ſcriptore. Vid. quæ diximus Diſquiſ. I. cap. II. p. 36. ſeqq. Vel inde etiam evincitur, *Solodorenſem* hunc codicem ad aliquod ex S. PIRMINII monaſteriis, *Hornbacenſe* ſcilicet, pertinuiſſe, quum omnia ad eum ſpectantia in eius Kalendario annotentur.

(2) Nuſpiam alibi SIGOLENAM notatam reperi.

(3) Hac die notatur etiam apud USUARDUM; in *Romano* vero die præcedente.

(4) Legitur in ſolo *Gelaſ.*

(5) Habetur in *Bucher.* & *Gelaſ.* deeſt in *Leon.*

(6) In ſolo *Gelaſ.*

(7) In omnibus tribus Kalend. notatur.

(8) Apud SOLLERIUM hac die ex pluribus codicibus occurrit memoria S. IUSTINI presbyteri & Martyris in perſecutione *Decii*; de quo tamen nihil in Martyrol. *Rom.*

(9) In eodem Martyrol. & alibi vocatur MEMMIUS epiſcopus *Catalaunenſis.*

(10) Notantur in omnibus antiquiſſimis Kalendariis.

(11) S. AFRA alias aſſignatur die 5. *Aug.* & ſubinde cum encomio *Virginis*, quo eam iam *Venantius* FORTUNATUS appellat. Vid. SOLLERIUS in obſervat: ad diem 5. & 7. *Auguſti.* S. DONATUS in ſolo *Gelaſ.* legitur.

(12) Notatur cum ſociis in *Bucher.* & ſolus in *Gregor.* in cæteris deeſt.

(13) Vigilia hæc in antiquis Kalendariis deeſt. SECUNDIANUS cum ſociis hodie in *Rom.* Martyrol. habetur, nihil tamen hic aut alibi de S. FELICITATE hac die occurrit.

(14) Notatur in omnibus antiquis.

(15) Habetur in *Gelaſ.* & *Greg.* ſed ſine SUSANNA.

(16) HIPPOLYTUS M. in omnibus antiquis legitur. WICPERTUS apud SOLLERIUM modo Abbas modo Epiſcopus ſcribitur.

(17) Hic in ſolo *Gregor.* occurrit.

Digitized by Google

15. *Aſſumtio S. Mariæ* totum. (1)

16. *Dedicatio eccleſiæ S. Mariæ.* S. Arnulphi Epi & Conf. & S. Euphemiæ Virg.

17. *Octava S. Laurentii* (2) Mart. offic. & S. Iuſtini Conf.

18. *Agapiti Mart.* Miſſa & offic. *Sol in Virginem.* (3)

19. S. Magni Mart. (4) & S. Andreæ Mart. cum Sociis ſuis.

20. In Alexandria S. Athanaſii Epi, & S. Liberti Conf.

21.

22. *Timothei & Symphoriani.* S. Timothei Mart. (5)

23. SS. Mart. Timothei & Apollinaris. Autumnus oritur.

24. *Bartholomæi Apoſtoli in India.*

25. S. Geneſii Mart.

26. S. Alexandri Mart. S. Abundi & Erenei. (6)

27. *Gebehardi Epi & Conf.* (7) S. Rufi Mart. (8)

28. *Hermetis* Mart. Miſſa & offic. (9) *Auguſtini & Pelagii* Mart.

29. *Decollatio Iohannis Baptiſtæ. Sabinæ Virg.* (10) & Adelphi Conf.

30. *Felicis & Adaucti.* (11) Miſſa & offic. Dies Ægypt.

31. Treveris S. Paulini Epi & Conf. *Nox horas X. dies XIIII.*

Menſis September habet dies XXX. Lunam XXX.

1. *Verenæ Virg.* S. Priſci Mart. & S. Verenæ Virg. A. (12)

2. *II. Emboliſmus.*

3. Dies Ægyptius.

4. Romæ S. Bonifacii Epi. (13)

5. S. Quintini Conf. (14)

6. *Magni Conf.*

7. Pariſios Clodowaldi Regis & Conf. (15) S. Madalbertæ Virg. (16)

8. *Nativitas S. Mariæ* (17). Totum, & S. *Adriani Mart.*

9. *Gorgonii Mart.* (18) offic.

10. Romæ depoſitio Hilarii Epi, (19) & DCCC. Mart.

11.

---

(1) Ita & in *Gelaſ.* ac *Gregor.*

(2) In ſolo *Gelaſ.* de S. IUSTINO nihil alibi legi.

(3) In *Gelaſ.* & *Gregor.*

(4) In ſolo *Gelaſ.*

(5) Prior in *Bucher.* & *Gregor.* notatur, in cæteris ambo deſunt.

(6) Leg. *Abundii & Irenæi Mart.*

(7) Eſt hic GEBHARDUS II. Epiſcopus *Conſtantienſis* an. 996. fatis functus fundator monaſterii *Petershuſani*, in cuius codice, ex quo hoc Kalendarium damus, duæ S. GEBHARDI chartæ monaſterium iſtud ſpectantes continentur.

(8) Notatur hic S. Martyr in ſolo *Gelaſ.*

(9) Legitur in *Bucher. Gelaſ.* & *Gregor.*

(10) In ſolo *Gelaſ.* notatur *Paſſio S. Ioannis Baptiſtæ*, & in ſolo *Gregor. S. Sabinæ*, quæ hic ut & a BEDA in martyrol. perperam *virgo* vocatur.

(11) Habentur in *Leon.* & *Greg.*

(12) Sancta hæc virgo tam in *Romano*, quam in aliis Martyrol. hac die notatur ad *Aquas duras*, *id eſt*, *Zurziacum*, ut ex antiquo codice exhibet SOLLERIUS ad hanc diem, & 12. ſeq. cuius amplum encomium ſcribit NOTKERUS in ſuo martyrologio. S. PRISCUS in ſolo *Gelaſ.* legitur.

(13) Apud SOLLERIUM ex uno codice notatur *S. Bonifacii epiſcopi, qui fanum Pantheon eccleſiam Chriſti fecit*; quod de BONIFACIO IV. intelligendum, qui in *Rom.* Martyrol. die 25. *Maii* memoratur.

(14) In *Argent.* vocatur *Epiſcopus*, & apud SOLLERIUM ad hanc diem in *Campania.*

(15) Dicitur alibi *presbyter*, qui quum Regis fuerit filius, eodem hic nomine inſignitus fuit, quod nullibi alias legi.

(16) Apud SOLLERIUM ad hanc diem vocatur etiam *Madelberta* ſeu *Magdalberta*, *filia S. Waldetrudis; quæ Leodii quieſcit.*

(17) In *Gelaſ.* & *Gregor.*

(18) In *Bucher.* & *Gelaſ.*

(19) Supra iam d. 21. *Febr.* habetur HILARIUS Papa, qui tamen hodie iterum ponitur, qua die etiam ab USUARDO notatur.

Digitized by Google

11. *Proti & Hyacinthi* (1) Miſſa & offic. Eunichi S. Eugeniæ, Felicis & *Regulæ.*

12. S. Theclæ Virg.

13.

14. *Cornelii & Cypriani.* (2) *Exaltatio S. Crucis.* (3)

15. *Nicomedis Mart.* (4) Miſſa & offic. S. Apri Conf.

16. *Luciæ*, *Euphemiæ*, *& Geminiani.* (5) S. Euphemiæ Mart. Miſſa & offic. & SS. Luciæ & Geminiani.

17. S. Lamberti Epi & Mart. A. *Sol in Libram.*

18.

19. S. Theodori Epi & Ianuarii. A.

20. Vig. S. Matthæi Apoſt. & Evang. offic. *Æquinoctium ſecundum Græcos.* A.

21. *Matthæi Apoſtoli & Evang.* offic. A.

22. *Mauritii & Sociorum eius.* A. *Heimramni.* (6)

23. S. Soſii Diaconi.

24. *Conceptio Iohannis Baptiſtæ.* (7) *Hic indictiones incipiunt, & finiuntur.*

25. S. Firmini Epi.

26. Romæ depoſitio Euſebii Epi, & Cypriani Epi, & Iuſtinæ. (8)

27. *Coſmæ & Damiani* Miſſa & officium. (9)

28. Vigil. S. Michaelis. Oct. S. Matthæi Apoſtoli.

29. *Feſtivitas S. Michaelis Archangeli.* Dedicatio baſilicæ S. Mich. Arch. (10) totum.

30. *Hieronymi presbyteri*, Urſi & Victor. cum Sociis Mart.

Nox horas XII. dies ſimiliter.

Menſis October habet dies XXXI. Lunam XXVIIII.

1. Remedii *Epi.* A. SS. Confeſſorum Remigii & Germani.

2. *Leodegarii Epi* & Mart. A.

3. Dies Ægyptius.

4. SS. Audacti & Marci.

5.

6. Octava S. Michaelis.

7. *Marci Conf.* (11) Epi. A. Miſſa & offic. SS. Mart. Sergii & Bacchi.

8.

9. *Dionyſii & Sociorum eius.* A. Ruſtici

---

(1) Occurrunt in *Bucher.* & *Greg.* cæterum in *Solodor.* legendum *eunuchi S. Eugeniæ.* Sequitur *Felicis*, qui procul dubio Sanctus ille Thebææ legionis miles fuerit, qui cum ſorore ſua *Regula* ſub *Maximiano* paſſus eſt, & hac die inter Sanctos noſtros diœceſanos colitur, atque etiam apud SOLLERIUM notatur.

(2) Notantur in *Bucher. Leon.* & cæteris.

(3) In *Gelaſ.* & *Gregor.*

(4) In *Gregor.* ſolo.

(5) S. EUPHEMIA habetur in *Leon.* & cum cæteris etiam in *Gregor.*

(6) Leg. *Emmerammi* Epiſcopi *Ratisbon.* & Martyris, qui hac die in *Rom.* & *Uſuardi* martyrologio aſſignatur.

(7) Sic & in *Argent.* & apud USUARDUM, ubi in obſervationibus SOLLERII plura ad hoc feſtum paſſim in antiquis martyrologiis notatum reperire eſt.

(8) EUSEBIUS etiam in *Bucher.* notatur. De epiſcopi titulo S. CYPRIANO perperam tributo vid. BARONIUS in notis ad h. d.

(9) In *Gelaſ.* & *Gregor.* Horum honori, ſicut & S. MICHAELIS ac S. HIERONYMI tria inter duodecim monaſteria dicavit S. BENEDICTUS ante an. 527. unde de horum feſtorum antiquitate conſtat.

(10) Sic & in *Gregor.* ſed in *Gelaſ.* voces *Dedicatio Baſilicæ* deſunt. In *Leon.* die ſeq. ponitur *Natale Baſilicæ Angeli in Salaria*, quod idem eſt ac *dedicatio*, quæ non ſpectat ad eccleſiam in monte *Gargano*, ſed ad aliam in eiusdem S. Angeli honorem diu ante *Romæ* ædificatam. MURATOR. *diſſert. de rebus liturg.*

(11) Notatur in *Bucher.* quod paullo poſt illius mortem ſcriptum putatur. In *Gelaſ.* ſolum habetur *SS. Marcelli & Apulei.*

Digitized by Google

ſtici & Eleutherii. *Gereonis Sociorumque illius.* (1)

10. S. Gereonis & Victoris cum aliis CCCXVII. Mart. A.

11.

12.

13.

14. *Calliſti Papæ* (2) Pontif. & Mart. Miſſa. *Fortunatæ & fratrum eius.* *Leoniani Conf.*

15. (3)

16. *Galli Conf.* A. Miſſa, & Luciani Mart.

17.

18. *Lucæ Evang.* & Conf. (4) *Sol in Scorpionem.*

19. *Ianuarii & Sociorum eius.* (5)

20.

21. Nat. ſcarum Virginum XI. mil. in Colonia civitate.

22. *Severi Mart.*

23. Depoſitio Severini Epi. A.

24. Nat. S. Columbani Conf. (6)

25. *Criſpini & Criſpiniani.* A. Chryſanthi & Dariæ.

26. S. Amandi Conf. Epi. (7)

27. *Mariniani & Sociorum eius.* Vigilia Apoſtolorum Simonis & Iudæ.

28. *Simonis & Iudæ.*

29.

30.

31. Nat. S. Quintini Mart.

Nox horas XIIII. dies X.

Menſis November habet dies XXX. Lunam XXX.

1. F*eſtivitas omnium Sanctorum.* A. *Cæſarii Mart.* (8) Miſſa & Offic.

2.

3. *Pirminii Epi.* A. Natale S. Perminii Confeſſoris. (9)

4.

5. S. Felicis presbyteri & Euſebii monachi. Reſtitutæ Virg. Dies Ægypt.

6. Willibrordi Epi & Conf. A. (10)

7.

---

(1) Hi ſpectant ad diem ſeq. quo in Martyrol. notantur, & in *Argent.* in quo die XI. ſeq. habetur *Recordatio fratrum*; unde alicuius monaſterii in diœceſi *Argentoratenſi* fuiſſe videtur, *forte Apri-monaſterii.*

(2) In *Bucher.* & *Gregor.*

(3) In *Argent.* notatur hac die *Aureliæ Virg.* quæ una ex ſociabus S. URSULÆ fuiſſe, & *Argentinæ* obiiſſe traditur: cuius feſt. in noſtris Mſſ. paſſim occurrit.

(4) Mendoſe; ſcribendum fuiſſe videtur *Miſſa & off.*

(5) Hac die in pluribus *Alemannicis* Kalend. occurrunt, in Martyrol. tamen die 19. *Sept.* notantur.

(6) Videtur eſſe monachus, qui in unico codice apud SOLLERIUM hac die legitur.

(7) S. AMANDUS epiſcopus *Traiect.* etiam ab ADONE & WANDALBERTO hac die, qua translatus eſt, ponitur, in aliis habetur 6. *Febr.*

(8) S. CÆSARIUS in ſolo *Gregor.* habetur; ſed Feſtum omnium SS. in omnibus quatuor Kal. deeſt.

(9) Feſtum hoc litteris maiuſculis exaratum & cum octava notatum indicat codicis locum, ubi ſcriptus fuit, alibi etiam in hoc Kalendario ad diem 6. *Iulii* & 20. huius menſis deſignatum, monaſterium nempe *Hornbacenſe* ſive *Gamundianum* prope *Bipontum*, in quo obiit ſepultusque eſt S. PIRMINIUS; everſo autem ab Acatholicis dicto monaſterio, eiusdem ſancti Corpus *Oenipontum* ad templum Patrum S. I. translatum fuit. Ex eo nos ſiniſtrum S. PIRMINII brachium ſingulari Auguſtæ MARIÆ THERESIÆ munificentia dono acceptum d. XVI. *Iunii* huius anni 1777. ſolemni pompa S. BLASII monaſterio intulimus: adhibitis in Miſſa ſolemni orationibus, quas pro feſto S. PIRMINII in Sacramentario *Solodor.* aſſignatas hic adponimus. *Oratio.* Protegat nos Domine beati PIRMINII Confeſſoris tui atque Pontificis veneranda ſolemnitas: ut cuius patrocinia ſine intermiſſione recolimus, perpetuam defenſionem ſentiamus. *Secreta.* Sacrandum tibi Domine munus offerimus, quo beati PIRMINII Confeſſoris tui ſolemnia recenſentes, purificationem quoque noſtris mentibus imploramus. *Ad Complendum.* Sumſimus Domine pignus redemtionis æternæ: ſit nobis, quæſumus, interveniente ſancto PIRMINIO Confeſſore tuo atque Pontifice vitæ præſentis auxilium pariter & futuræ.

(10) Notatur alias in Martyrol. die ſeq.

Digitized by Google

7. S. Rufi Epi & Conf. *Hyemis initium habet dies XCI.* *Tranſlatio Sanguinis Dni in Augiam.* (1)

8. *Quatuor Coronatorum.* (2) Miſſa & officium.

9. *Theodori Mart.* (3) Miſſa & officium.

10. Octava S. Perminii.

11. *Martini Epi. Mennæ Mart.* Miſſa.

12. S. Cuniberti Epi, & S. Caſtoris Conf. (4)

13. *Briccii Conf.* A. Epi, & S. Felicis Presbyteri.

14.

15.

16. *Othmari Conf.* A.

17. Theclæ Virg. (5) Auguſtini C. *Florini Conf.* (6)

Sol in Sagittarium.

18. Octava S. Martini Epi.

19. *Caſſiani.*

20. S. Maximi presbyteri. (7) Adventus S. Fabiani Papæ ad Hornbach.

21.

22. *Cæciliæ Virg.* Totum. (8)

23. *Clementis. Columbani & Felicitatis.* S. Clementis Papæ & Mart. Totum.

24. *Chryſogoni Mart.* Miſſa. (9)

25. *Hic ſaltus Lunæ.* Hyems oritur.

26.

27. S. Optati Epi. A.

28. Dies Ægypt.

29. *Saturnini Mart.* (10) Chryſanthi, Mauri, Darii, Vigilia S. Andreæ Apoſtoli.

30. *Andreæ Apoſtoli.* (11) Totum. S. Ambroſii Epi.

Nox horas XVI. dies VIII.

Menſis December habet dies XXXI. Lunam XXVIIII.

1. Nat. S. Candidæ.

2. *I. Emboliſmus.*

3.

---

(1) Extat apud MABILLON. Annal. T. III. pag. 699. anonymi *Augienſis* monachi *libellus de ſanguine Domini Augiæ aſſervato*, in quo deſcribitur tota hiſtoria huius tra[illegible]slationis, quæ ibi ad hanc ipſam diem 7. *Nov.* an. 925. facta dicitur, quod quædam HERMANNI *Contracti* exemplaria ad an. 922. factum eſſe notant. De quo MABILLON. l. c. lib. 42. n. 49. p. 371.

(2) Habentur in *Bucher. Leon.* cæterisque.

(3) In ſolo *Gregor.* uti & MARTINI ac MENNÆ.

(4) Notatur in uno cod. apud SOLLERIUM ad h. d. *apud Confluentiam tranſlatio S. Caſtoris presbyteri & Confeſſoris.* S. CUNIBERTUS Epiſcopus *Colonienſis* habetur hac die in Martyrol. *Rom.*

(5) Ita etiam in *Hieronymianis*, quoad utrumque hac die; videtur autem eſſe AUGUSTINUS vel AUGUSTIANUS epiſcopus *Capuanus.*

(6) Videtur hic eſſe ille ipſe, qui apud SOLLERIUM hac die ex unico cod. notatur: *In Curia Curienſi ſancti Florini confeſſoris.*

(7) Forte ille die præced. in Martyrol. *Rom.* poſitus. Cæterum rurſus hic ut ſupra 7. *Iul.* ipſiſſimum *Hornbacenſe* S. PIRMINII monaſterium primæva manu exprimitur.

(8) Hoc & ſequentia duo feſta deſunt in *Bucher.* ſed habentur in *Leon. Gelaſ.* & *Gregor.* & S. COLUMBANUS in *Argent.* Vid. Martyrol. 21. *Nov.*

(9) In *Leon.* & *Gregor.*

(10) Notatur in *Bucher.* & *Gregor.* ſolus, & cum ſociis in *Gelaſ.*

(11) In *Leon. Gelaſ.* & *Gregor.* S. AMBROSIUS *Mediol.* hac die etiam ponitur in Apographis *Hieronym.*

Digitized by Google

3. (1)
4. *IIII. Emboliſmus.*
5.
6. Nat. S. Nicolai Epi & Mart. A. (2)
7. Octava S. Andreæ Apoſtoli.
8.
9.
10.
11. S. Damaſi Papæ.
12. S. Eulaliæ Virg. Dies Ægypt.
13. *Luciæ Virg.* Miſſa & Officium. (3)
14.
15. Dies Ægyptius.
16.
17. Nat. S. Ignatii Mart. A. (4)
18. Sol in Capricornum.
19. *Solſtitium.*
20.
21. *Thomæ Apoſtoli.* (5)
22. S. Gregorii Mart. (6)
23. S. Eugeniæ Virg. (7)
24. Vigilia Natalis Dni.
25. *Nativitas Dni noſtri Ieſu Chriſti. Anaſtaſiæ Virg.* (8) Solſtitium.
26. *Paſſio S. Stephani.* (9)
27. *Nat. Iohannis Apoſtoli & Evang.*
28. *Nat. Innocentum.*
29.
30.
31. *Silveſtri Papæ.* Miſſa & officium. (10)

Nox horas XVIII. dies VI.

---

(1) In *Argent.* hac die habetur *Atalæ Virg.* quæ prima monaſterii S. STEPHANI in civitate *Argentina* abbatiſſa fuit, de qua plura MABILLON. Annal. T. I. In eodem Kalend. die ſeq. notatur *S. Barbara Virg.*

(2) Sic in codice, ſed pro *Mart.* lege *Confeſſ.*

(3) In ſolo *Gregor.* In *Argent.* notatur ſimul S. OTTILIA neptis S. ATTALÆ, de qua die 3. *Dec.* cuius memoria in his regionibus ſat celebris ſemper fuit.

(4) Eſt hic dies translationis eiusdem, natalis vero 1. *Febr.*

(5) In ſolo *Gelaſ.*

(6) In Martyrol. *Rom.* & USUARDI habetur die 24. *Dec.* hodie vero *Coloniam Agrip.* translatus dicitur.

(7) Hæc in Martyrol. *Rom.* die 25. ſeq. memoratur, ubi etiam in *Leon.* cum cæteris notatur.

(8) In ſolo *Leon.* de titulo *Virginis* vide ſupra p. 468.

(9) Deeſt in *Leon.* & cum ſequentibus etiam in *Bucher.*

(10) Habetur in *Bucher.* & *Gregor.* In *Leoniano* notatur die 30. *Sept.*

Digitized by Google

KALENDARIUM DYPTICHUM

Ex MS. *Augienſi* Biblioth. Cæſ. *Vindobon.* Sec. IX. (1)

Menſis Ianuarius habet dies XXXI. Lunam XXX.

Kal. Ian. *Prima dies Iani, qua circumciditur agnus.* (2)

IIII. Non.

III. Non. *Pariſius Genofevæ Virg. Waltheri Diac.*

II. Non.

Nonas. *Sigirich Presb. Condolt. Helinger Presb.*

VIII. Idus. *Octavas idus colitur Theophania Chriſti.*

VII. Id.

VI. Id. *Sindpert Harterat.*

V. Id. *Iſanbart presb.* *Vvolfdrigi Cant.* *David Kebebart.*

IIII. Id. *Deſerti quartas primus capit accola Paulum.* (3) *Anſger Humfrid.*

III. Id. *Lanpertus presb.*

II. Id. *Patarich Epiſc.* (4)

Id. Ian. Ord. Domn. Amalrici Epi. (5) *Herirat. Otpert. Teſſilo.*

XVIIII. Kal. Februarias. *In Campania Felicis Conſ.* *Cundolob.*

XVIIII. K. *Geilo.*

XVII. K. *Romæ Marcelli Papæ.*

XVI. K. *Sedecimas Antonius obtinet æque Kalendas.* *Sigibertus presb.*

XV. K. *Rom. Priſcæ Virg.* Sol in Aquarium. *Ruaſtein.* *Uvenilo.* *Scrutolf.* XIIII.

(1) Quod LAMBECIUS T. II. comment. Biblioth. Cæſ. *Vindob.* p. 320. promiſerat tantum, publici iuris ſe facturum antiquiſſimum hoc Kalendarium ſeu Dyptichum eccleſiaſticum, id præſtitit quidem *Sebaſt.* DONATI in appendice *de Dittici degli Antichi. Lucæ an.* 1753. ſed valde corruptum edidit: unde illud cum ipſo MS. diligentiſſime rurſus collatum & emendatum hic inter monumenta noſtra *Alemannica* denuo exhibemus. Quamquam vero GENTILOTUS in ſuo catalogo omnia fere eadem manu, & ante annum 936. ſcripta eſſe exiſtimet, nos tamen ſubinde diverſitatem tam in charactere quam atramento, atque adeo recentiorem manum deprehendimus: quod quidem charactere *curſivo minimo*, quæ autem in MS. rubro notata ſunt, charactere *antiquo*, cætera, quæ ſamdem primævam manum ſapiunt, *curſivo maiore* expreſſimus.

Quod nomina defunctorum hic conſignata ſpectat, noſtram ſubin mentem in ſubiectis notis aperuimus; de reliquis vero nil certi haberi poteſt, cum eadem plane nomina in libro *Societatum Augienſium* modo inter vivos, modo inter defunctos tam fratres, quam amicos & benefactores, aliorumque monaſteriorum confœderatos legantur.

(2) In hocce Kalendario, uti in Martyrologio WANDALBERTI præcipua feſta metrice, ſed ſatis ſubin corrupte, notata ſunt.

(3) Leg. PAULUS.

(4) In cit. libro ſociet. Aug. inter nomina amicorum viventium occurrit *Patarich epiſcopus*, absque ulteriore nota: & inter nomina vivorum fratrum *Inſulanenſium* ſive *Augienſium Batirichus epiſcopus.*

(5) Forte is eſt AMALRICUS Epiſcopus *Spirenſis*, de quo Trithemius in *Annal. Hirſaug.* ad an. 891. quo electus ex monacho *Weiſſenburgenſi*, mox anno 893. deceſſit. In necrolog. *San Gallenſi* notatur *Amalrib Epiſcopus vocatus.* Apud UGHELLUM legitur etiam AMALRICUS ſive ALMARICUS Epiſcopus *Comenſis* & Abbas *Bobienſis*, qui an. 874. obiit. & cum FOLCUUINI (de quo infra) ætate optime congruit.

Digitized by Google

XIIII. K. *Cundarth.*

XIII. K. *Tresdecimas Sebaſtianus tenuiſſe refertur,*

XII. K. *Biſſenas meritis mundo fulgentibus Agnes. Vvano presb.*

XI. K. *Vincentii Diac. Martyrio Ximis* (1) *& Anaſtaſius memoratur. Witrat.*

X. K. *Luitpert presb.*

VIIII. K.

VIII. K. *Converſio Pauli Apoſt. Holzman.*

VII. K. *Harman Noti. Wirich Richine Comm.* (2)

VI. K. *Adalbelmus Epiſc.* (3)

V. K. *Romæ Agnetis Virg. nat. Karolus Imp.* (4)

IIII. K.

III. K. *Wolfdrigi. Hugibold.*

II. K.

Nox horas XVI. Dies hor. VIII.

Menſis Februar. habet dies XXVIII. Lun. XXVIIII.

Kal. Febr. *Prima dies Febrii iamq. patitur Polycarpus.* (5) *Deothar. Kerolt.*

IIII. Nonas. Hyppapanti. *Et quarta nonas Chriſtus templo offerebatur.*

III. Non. *Notcrim. Odalrib com.* (6)

II. N. *Iſanbold.*

Nonas. *Nonarumque diem feſtum celebramus Agathæ.*

VIII. Id.

VII. Id. *Waldo Lantbold.* Ortus Veris habet dies XCI.

VI. Id. *Reginolt. Harterat.* Primum initium XLmæ.

V. Id. *Iohannes Epiſ.* (7)

IIII. Id.

III. Id. *Walthari Presb.*

II. Id.

Idus Febr. *Erlabaldus obiit.* (8)

XVI. Kal. Martias. *Cotpert. Ramfrid. atque Valentini ſedenis ſorte Kalendis.*

XV. K. *Ruadpert.* Sol in Piſces.

XIIII. K. *Ruadpold. Sic Iuliana & bis ſeptenas ornat bonore.*

XIII. K.

XII. K.

XI. K.

X. K. *Lantolt Righer.*

VIIII. K. *Petrus Abba.* (9) *Eto.*

VIII. K. *Apud Antiochiam Kathedra S. Petri Ap.*

VII. K. *Eribo.*

VI. K. Hac ſenas. *S. Mathiæ Apoſt. Hic biſſextus.*

V. K. *Woluarn Diac.*

IIII. K. *Irſine Domina.* (10) *Dancbrat.*

III.

---

(1) Legendum videtur *XImis*, i. e. undecimis, ſcil. Kalendis.

(2) De hac comitiſſa, ſive Comite nil reperire licuit.

(3) In lib. ſociet. Aug. recenſetur inter nomina amicorum viventium, eiusque mentio fit in viſionibus WETTINI. Vid. MABILLONII analect. p. 427.

(4) Scil. Magnus hac die an. 814. mortuus, qui in cit. libro inter benefactores legitur.

(5) Non memini, me martyrium S. POLYCARPI, quod alias 26. *Ian.* recolitur, hac die legiſſe.

(6) Notantur aliqui huius nominis Comites inter fundatores monaſterii *Augienſis*, ſine aliqua tamen familiæ nota.

(7) IOHANNES Epiſcopus *Conſtantienſis* & abbas *Augienſis* ac *San Gallenſis* obiit an. 781. legiturque hac ipſa die in Necrolog *Aug.* Analect. p. 427. & in libro ſociet. inter defunctos fratres.

(8) Hic abbas *Augienſis*, ſub quo ſcriptus fuit liber ſocietatum, iuxta annales *Weingartenſes* analect. p. 368. anno 847. obiit, poſtquam iam an. 839. abbatia ceſſerat.

(9) Septimus hic *Augiæ* abbas uſque ad an. 786. præfuit: hac vero die obitus eius in cit. necrol. conſignatur, & in libro ſociet. inter defunctos fratres recenſetur.

(10) Nuſpiam de ea aliquid reperi.

Digitized by Google

III. K. *Perehtram. Egino Epiſc. Veronenſis.* (1) *Pruninc. Ribmunt.*
II. K.
Nox horas XIIII. Dies horas X.

Menſis Martius habet dies XXX. (2) Lunam XXX.

Kal. Martias. T*homas Abbas.* (3)
VI. Non.
V. Non. *Wirih. Liutpold.*
IIII. N. *Hiltim.*
III. N. *Salomon.* VII. embol.
II. N. *Ribmunt.* III. embol.
Nonas. *Dancbarat. Eberhart.*
VIII. Id. *Draſaleib. Sindolt Ab.* (4) *Hiltibrant.* Prima incenſio lunæ paſchalis.
VII. Id. *Egilbold Presb.*
VI. Id. *Codeſcalh.*
V. Id.
IIII. Id. *Hinc Idus Martis quartus* (5) *Gregorius aurat.*
III. Id. *Reginbart.*
II. Id. *Leonis PP. & Conf.* (6) *Kiſalhart. Zachariæ PP. Gailo.*
Id Martias. *Wolfleoz Epiſc.* (7) *Crimolt. Kiſalhart.*
XVII. K. Aprilis. Folcuuinus Abb. (8)
XVI. K. *Haito Epiſ.* (9) *Waldher. Hiltila. Ruadſind.*
XV. K. *Crimolt Engilbold.* Prima dies ſeculi. Sol in Arietem. XIIII.

---

(1) Hunc in catalogo Epiſcoporum *Veronenſium* ſub nomine EGINI recenſent UGHELLUS T. V. *Ital.* S. & COINTIUS T. VII. annal. eccleſ. Franc. neuter tamen de eius in *Augiam* ſeceſſu quidquam habet: is vero ex HERMANNO eruitur, qui ad an. 799. hæc ſcribit: *Augiæ S. Petri baſilica ab Eginone Veronenſi epiſcopo conſtructa & dedicata eſt.* Obitum autem eius ad an. 802. his verbis notat: *Egino Veronenſis epiſcopus hac vita deceſſit, & Augiæ in baſilica cellæ ſuæ ſepultus eſt.* Eſt hæc cella inferior, ubi ſepulcrum eius cum epitaphio adhuc viſitur, quod nos cum eiusdem ſandaliorum ectypo in Itinerario noſtro exhibuimus.

(2) Leg. dies XXXI.

(3) Unicum reperio THOMAM Abbatem in libro ſociet. ex monaſterio *Keginbach* ſeu *Gengenbach*, quem tamen, uti & ALFRAMMUM, ADALHELMUM & LIGIDONEM ibi pariter notatos non exhibent *San-Marthani* in Gallia chriſtiana T. V.

(4) Legitur SINDOLTUS abbas in lib. Soc. inter fratres de *Uttinbura.*

(5) Leg. *quartas.*

(6) LEO Papa cur hac die ponatur, incertum, qui alias die 11. *Aprilis* occurrit. ZACHARIAS Papa in Martyrol. *Rom.* habetur die ſequente.

(7) Vocatur etiam WOLFGLEUS, WOLFEO vel WOLFER, epiſcopus *Conſtantienſis*, qui iuxta HERMANNUM an. 813. EGINONI ſucceſſit; cuius tamen obitum non memorat, qui ex *Gallia Chriſtiana* T. V. circa an. 831. contigit. cæterum ultimus hic ex Epiſcopis *Conſtantienſibus* in hoc dypticho occurrit, quod exinde ſub eius ſucceſſore SALOMONE I. ſcriptum fuiſſe coniicitur. Quæ epocha optime congruit cum WALTHERIO abbate, uti mox dicetur. In libro ſociet. inter nomina amicorum viventium habetur.

(8) Ex HERMANNO hic an. 849. WALAFRIDO in Augia ſucceſſit, & an. 858. defunctus ſucceſſorem habuit WALTHERIUM, qui an. 864. obiit. Sub hoc ultimo exaratum videtur hoc Kalendarium, partim quod hic WALTHERIUS abbas in eo non notetur, partim quod FOLCUUINI nomen rubro charactere ſit expreſſum, adeoque facile ultimus Abbas fuerit, ante ſcriptum hunc codicem defunctus. Dein in eo non reperitur S. MEGINRADUS vel MEINRADUS, qui tamen iuxta eumdem HERMANNUM ſub WALTHERIO an. 861. 12. *Kal. Febr. a latronibus peremtus, poſt mortem virtutibus claruit, Augiæ ſepultus*; & in libro ſociet. inter fratres viventes legitur, uti & *Folchaintum* adhuc *diaconus.*

(9) Fors per errorem bis ſcriptus HAITO, aliis HETTO vel HATTO aut AHITO, de quo HERMANNUS ad an. 806. *Waldoni abbas Haito epiſcopus Baſileæ ſucceſſit:* ex quo uti & ex WALAFRIDO adparet, eum prius fuiſſe Epiſcopum *Baſileenſem*, quam *Augiæ* abbas efficeretur. Vid. Gall. Chriſt. T. V. p. 983. COINTIUS tamen annal. eccleſ. T. VII. p. 77. cum primum an. 807. ex abbate *Augienſi* Epiſcopum *Baſileenſem* creatum, ſed ex Bruſchio tantum, probat. Utut ſit, an. 822. iuxta HERMANNUM, vel ſequente iuxta MABILL. (Annal. T. II. p. 485.) abdicatis honoribus in *Augia* ſub ERLFBALDO in abbatia ſucceſſore privatus vixit uſque ad an. 836. quo obiit, & in libro ſociet. inter fratres defunctos nominatur.

Digitized by Google

XIIII. K. *Wolfpreth.*
XIII. K. *Cuthbertus* (1) *denas tenuit ternaſque Kalendas. Tatto.*
XII. K. *Biſſenis ſanctus poſt quem ſequitur Benedictus.*
Eſt Æquinoctium. *Gerolf. presb.*
XI. K. Hic primum paſcha, & ſedes Epactarum.
X. K. *Amalrib laicus obiit.*
VIIII. K. Sedes concurrentium.
VIII K. *Octabis merito gaudet conceptio Chriſti.*
VII. K.
VI. K. *Hagaſtolt.* Reſurrectio Dni nri IESU Chriſti.
V. K.
IIII. K. *Helmirich. Waldo Abba.* (2)
III. K. *Werdo Abba* (3) *Iunto.*
II. K. *Winidberi.*
Nox horarum XII. Dies hor. XII.

Menſis Aprilis habet dies XXX. Lunam XXVIIII.

Kal. Aprilis. M *ano.*
IIII. Non. *Tuato*, *Cotpreb.*
III. N. *Heribraeb presb.*
II. N. *Righer. Ratgot.*
Nonas. *Drudmunt.* Ultima incenſio lunæ paſchalis.
VIII. Id. *Liuphart.*
VII. Id.
VI. Id. *Adam.*
V. Id. *Theothart.*
IIII. Id.
III. Id. *Romæ Leonis Papæ. Ato.*
II. Id. *Sigimar. Cundbart.*
Idus April. *Ruadmunt. Sigibertus.*
XVIII. Kl. Maias. *Dancholf. Romæ Natal. Tiburtii*, *Valeriani & Maximi. Reginker.*
XVII. K.
XVI. K.
XV. K. *Bernhart rex.* (4) *Tuto. Pernoltus Epiſ.* (5) Sol in Taurum.
XIIII. K. *Iring. Wigo presb. & mon.* Hucuſque XIIII. luna paſchalis.
XIII. K. *Iudit regina.* (6)
XII. K. XI.

(1) S. CUTHBERTUS Epiſcopus *Lindiſfarnenſis* hac die ponitur in Martyrologio *Romano.*

(2) WALDO abbas primum *San-Gallenſis* anno uno ex HERMANNO an. 782. vel an. 779. ex HEPIDANNO, deinde *Augienſis* an. 786. vel ſeq. per annos viginti uſque ad an. 806. præfuit, quo, *Waldone ad regendum S. Dionyſii cœnobium* Pariſios *transpoſito, Heyto abbas præfuit*, ut ſcribit HERMANNUS. Annus obitus incertus, dies vero in *Ioach.* VADIANI chronologia notatur 3. Kal. *April.* uti & in necrolog. *San-Gallenſi* apud ECCART. in necrologio autem *Dionyſiano* & *Germanenſi* 5. Kal. Vid. MABILL. annal. T. II. p. 409. Eum BRUSCHIUS & BUCELINUS Epiſcopum *Ticinenſem*, dein *Baſileenſem* faciunt: de quo altum tamen apud HERMANNUM & in noſtris necrologiis ſilentium. COINTIUS T. VI. p. 255. & 484. ac T. VII. p. 77. & ſeq. eum revera abbatem *San-Dionyſianum* fuiſſe probat, & an. 814. mortuum. In libro ſociet. inter defunctos fratres memoratur *Walto abbas.*

(3) WERDO abbas *San-Gallenſis*, WALDONIS ſub EGINONE epiſcopo ſucceſſor an. 781. Huic regiminis annos 35. tribuit WALAFRIDUS, & iuxta MABILLON. T. II. annal. p. 423. ac COINTIUM T. VII. p. 380. anno 816. obiit: quamquam eius obitum ad an. 813. reponat HEPIDANNUS, cui favere videtur HERMANNUS, qui GOZBERTUM eodem anno abbatem exhibet. Vid. de hoc pluribus COINTIUS T. VI. p. 254. ſeq. & annal. T. II. p. 260.

(4) Eſt is BERNARDUS Rex *Italiæ*, filius PIPINI regis filii CAROLI M. fratruelis LUDOVICI *Pii* Imp. anno 818. excæcatus, & mortuus hac die. COINTIUS T. VII. p. 485. In lib. ſociet. inter defunctos benefactores recenſetur.

(5) PERNOLTUS ſive BERNOLDUS Epiſcopus *Argentinenſis*, qui in cit. lib. ſociet. primo loco legitur inter nomina Canonicorum de civitate *Argentoratenſi*, iuxta COINTIUM an. 842. defunctus.

(6) In lib. ſociet. ita pariter inter amicos viventes notatur *Iudit regina*, ſecunda ſcilicet uxor LUDOVICI *Pii* Imp. GUELFONIS *Bavariæ* ducis filia, quam an. 819. duxerat, an. 843. defuncta.

Digitized by Google

XI. K. *Waccho. Hamadeo.*
X. K. *Kebeheri.*
VIIII. K.
VIII. Kl. *Waltheri.*
VII. K. *Matharat.* Ultimum Paſcha.
VI. K.
V. K.
IIII. K. *Romæ Vitalis. Kerbart. Nizo.*
III. K. *Madalgoz.*
II. K. *Zozan. Kerolf.*
Nox horarum X. Dies hor. XIIII.

Menſis Maius habet dies XXXI. Lunam XXVIII.

Kal. Maias. I*acobus ſervus Domini pius, atque Philippus mirifico Maias venerantur honore Kalendas. Luitheri.*
VI. Non. *Gamanolt.*
V. N. *Romæ natal. Scorum Eventii, Alexandri, Theodoli. Et inventio ſanctæ Crucis. Wolfman. Hacco. Adalung.*
IIII. N.
III. N. Aſcenſio Dni ad cœl. *Chunigund.*
II. N. *Ilo.*
Nonas. *Amalger.*
VIII. Id.
VII. Id. Ortus æſtatis, quæ habet dies XCI. *Regobertus.*
VI. Id. *Rom. Gordiani & Epimachi. Richini. Muntfrid.*
V. Id.
IIII. Id. *Rom. Nerei, Achillei. Bisbinis ſequitur Pancratius idibus inſons. Wilibold.*
III. Id. *Rodbertus Com.* (1)
II. Id. *Ricfrid. Zol. Chippo.*
Idus Maii. Primum Pentecoſte.

XVII. Kal. Iun. *Altini Presb. Emmot Presb. Otger.*
XVI. K.
XV. K. *Hartpreh.* Sol in Geminos.
XIIII. K. *Adalhart.*
XIII. K. *Wolfram. Einrich.*
XII. K.
XI. K.
X. K. *Uatili.*
VIIII. K.
VIII. K. *Ruadleib. Werin.*
VII. K.
VI. K. *Lanpertus.*
V. K.
IIII. K.
III. K.
II. K. *Hiltibraht Mogontienſis eccleſiæ Archiep. obiit.* (2)

Menſis Iunius habet dies XXX. Lunam XXVIIII.

Kal. Iun. N*icomedis Mart.*
IIII. Non. *Rom. Marcellini & Petri.*

III.

---

(1) Occurrunt aliqui cognomines in libro ſocietat. nil tamen de eorum familia.

(2) Ex HERMANNO an. 927. hanc cathedram adeptus eſt, cuius obitum non memorat, qui ex necrolog. *Fuldenſi* an. 937. ex *Gall. Chriſt.* vero & MABILLON. annal. T. II. p. 441. anno ſeq. 938. hac die 31. *Maii.* contigit. Cæterum omnium in hoc Dypticho occurrentium recentiſſimus eſt hic HILTIBERTUS ſive HILTIBRATH, & recentius, ut videtur, adpoſitus, prout etiam in lib. ſociet. in Catalogo *Fuldenſium* noviore nonnihil, antiqua tamen manu inſertus eſt *Hiltibertus Archiepiſcopus.*

Digitized by Google

III. Non. *Hatto Abba obiit.* (1) *Helmmini.*

II. Non. *Rammolf.*

Nonas. *Otger.*

VIII. Id. *Droant. Iſanbart.*

VII. Id. *Adalbold.*

VI. Id.

V. Id. *Rom. Primi & Feliciani. Ratpold presb.*

Huagi abba obiit. (2)

IIII. Id. *Gundalab Diaconus & monachus obiit.*

III. Id.

II. Id.

Idus Iun.

XVIII. Kal. Iul. *Ratbleibe.*

XVII. K. *In Sicilia Viti, Modeſti, & Creſcentiæ.*

XVI. K.

XV. K. *Wenilo.* Sol in Cancrum.

XIIII. K.

XIII. K. *Gervaſius denis patitur ternisque Kalendis.*

Protaſius ſimul in regnumque perenne vocati.

XII. K. *Hatto.* Solſtitium. *Troago.*

XI. K. Hludowicus Imp. Aug. (3)

X. K.

VIIII. K. *Hatto. Odalbart.*

VIII. K. *Eſtque Iohannes bis quadris Baptiſta colendus.*

VII. K. *Hemmo.*

VI. K. *Natalis pulchre ſerte plaudente corona,*

Martyrio & Paulus ſenis obat atque Iohannes.

V. K. *Hatto.*

IIII. K.

III. K. *Doctores Petrus & Paulus ternis ſociantur, Maxima quos palma darit ſivi lumina mundus.*

II. K. *Otman.*

Nox horarum VI. Dies hor. XVIII.

Menſis Iulius habet dies XXXI. Lunam XX. (4)

Kal. Iul. N*atal. Proceſſi & Martiniani. Heinrichus Rex.* (5) *Engilmunt.*

VI. Non.

V. N.

IIII. N. *Sidonius Epiſ.* (6)

III. N.

II. N.

Nonas. *Biricho Presb. obiit.*

VIII.

---

(1) In necrolog. *San-Gallenſi* apud ECCART die præcedente ponitur *obitus Hettonis Abbatis*, ut adeo HETTO ſive HATTO facile unus idemque fuerit. Num vero HATTO abbas *Faberienſis* an. 832. mortuus? vel HEYTO *Augienſis*, WALTHERII an. 864. ſucceſſor, an. 871. defunctus? certe hunc BUCELINUS HATTONEM II. nominat. Cæterum nec hic, nec ſequens in libro ſocietatum reperitur.

(2) Forte fuerit HUGO *Augienſis* an. 913. aut HUOGI abbas *Fuldenſis* circa an. 888. defunctus, alium enim reperire non licuit.

(3) Eſt hic LUDOVICUS *Pius* Imp. an. 840. 20. *Iunii* defunctus, qua etiam in necrol. *San-Gallenſi* conſignatur: in libro ſociet. inter amicos viventes legitur. Cæterum maioribus hic & rotundis litteris expreſſus eſt.

(4) Leg. XXX.

(5) Cuncta hæc ad diem ſequentem referenda, in qua SS. PROCESSUS & MARTINIANUS coluntur, ac etiam in necrol. *San-Gallenſi* ponitur *Heinrici beatæ memoriæ regis optimi.* Eſt hic HEINRICUS *Auceps* rex *Germaniæ* an. 936. die 5. *Iulii* defunctus. Ultimus vero in hoc *Augienſi* Dypticho eſt regum *Germaniæ*, ac unicus poſt LUDOVICUM *Pium* Imp. unde alia forte manu inſertus eſt.

(6) *Conſtantienſis*, & Abbas *Augienſis* an. 760. e vivis ſublatus: habetur etiam in libr. ſociet. inter defunctos fratres.

Digitized by Google

VIII. Id. *Altric. Pippinus Rex.* (1)
VII Id. *Anno. Wolfram.*
VI. Id. *Rom. natal. ſeptem fratrum Felicis, Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri, Silani, Ianuarii.*
V. Id.
IIII. Id. *Obiit Gerhart ſubd. & mon.*
III. Id.
II. Id.
Id. Iul. *Ruadpoto.* XII. apoſtoli diviſi ad prædicandum.
XVII. Kal. Aug.
XVI. K. *Reginbreth.*
XV. K. *Odalhart. Ruacheri.* Sol in Leonem.
XIIII. K. *Renatus.*
XIII. K. *Pertfridus. Harger. Drudheri. Ebarhart. Sahſo.*
XII. K. *Heribertus.*
XI. K. *Ribobolt.*
X. K. *Ravenna Apollinaris. Notus.*
VIIII. K. *Ribcholf. Adalpret. Puabo.*
VIII. K. *Iulius in quadris bis gaudet ferre Kalendis Iacobum fratremque Iohannis more colendum.*
Tuto. Tuci.
VII. K.
VI. K.
V. K. *Adalnot.*
IIII. K.
III. K. *Sanctificant Abdo & Sennes ternos venerandos. Adalmam.*
II. K. *Odalgis. Wiacho.* Nox horarum VIII. dies horarum XVI.

Menſis Auguſtus habet dies XXXI. Lunam XX. (2)

Kal. Aug. *Paſſio VII. fratrum Machabæorum, Wigirat, Erchanbreth Epiſ.* (3)
IIII. Non. *Rom. Stephani Epiſ.* VI. Embol. *Fridolt. Otwinus.*
III. N.
II. N.
Nonas.
VIII. Idus Aug. *Sixtum Octavis tenet idibus aptum.* Ortus Autumni, qui habet dies XCI.
VII. Id.
VI. Id. *Cyriaci. Imma Abbatiſſa.* (4)
V. Id. *Chunigund.*
IIII. Id. *Bisbinis victor ſuperat Laurentius hoſtes. Amalprat. Trunſin. Bertoldus. Cottini.*
III. Id. *Rom. Nat. ſancti Tiburtii. Samuel.*
II. Id. *Ribhart. Berhart. Ribram. Iſanhart.*
Idus Aug. *Rom. Hippolyti. Mart.*
XVIIII. Kal. Sept. *Rom. Euſebii presb.*
XVIII. K. *Sancta Dei genitrix ſenas ter conſtat adire angelicos vecta inter cæteros* (l. cœtus) *Virgo Kalendas. Ribpret. Woltfoltus.*
XVII. K.
XVI. K.

XV.

(1) *Italiæ*, CAROLI M. filius, hac die 8. *Iul.* an. 810. defunctus. COINTIUS T. VII. p. 143. legitur in lib. ſociet. inter defunctos benefactores.

(2) Leg. XXVIIII.

(3) In libr. ſociet. inter nomina *Fratrum de Friſgingung* primo loco ponitur *Erchanbertus Epiſcopus*, nempe *Friſingenſis*, qui anno adhuc 842. ſedit; a BUCELINO vocatur ERCTENBERTUS. Inter nomina vivorum fratrum *Inſulanenſium* alius legitur ERCHANBERTUS Epiſcopus, absque ulteriore nota.

(4) Leguntur variæ huius nominis moniales in libro ſocietatum: nulla tamen abbatiſſæ titulo inſignis.

Digitized by Google

XV. K. *Rom. Agapiti. Walahfrid abba.* (1) Sol in Virginem. Et commemoratio Abbatum noſtrorum.
XIIII. K. *Puabo.*
XIII. K.
XII. K.
XI. K. *Rom. Timothei. Wito.*
X. K. *Hartwin laicus obiit. Chinibreth. Wito cæcus.*
VIIII. K. *Barth. Fricho. Sieger.*
VIII. K. *Octonas ſanctus ſortitur Bartholomæus. Egino Epiſ.* (2) *Paldman.*
VII. K. *Theotingus.*
VI. K. *Atſuab.*
V. K. *Rom. Ermetis. Alibi Auguſtin. Epiſ. Lantrih.*
IIII. K. *Bisbinis paſſus colitur Baptiſta Iohannes. Wiſirih. Rinolf. Sinduni.*
III. K.
II. K. *Thegammarus. Witagavo.* Nox horarum X. dies hor. XIIII.

Menſis September habet dies XXX. Lun. XXX.

Kal. Sept. K *eroldus comes.* (3) *Simon.*
IIII. Non. II. embol. *Irſinh.*
III. N. *Wicbertus.*
II. N. *Theopreth.*
Nonas.
VIII. Id. *Perahtol.*
VII. Id. *Ato abba.* (4) *Antuuant.*
VI. Id. *Idus Septembris ſenas dedicabat honore, quis* (quibus) *meruit naſci felix iam Virgo Maria. Radriani.* (5)
V. Id. *Adalrih.*
IIII. Id. *Obiit Eberin diac. & mon.*
III. Id. *Rom. Proti & Racincti* (6) *Alibi Felicis & Regulæ.*
II. Id.
Idus Sept. *Ratoltus Epiſ.* (7)
XVIII. K. Octobr. *Octavas decimas Cornelius inde Kalendas conſecravit & Cyprianus ordine digno. Exaltatio S. Crucis.*
XVII. K.
XVI. K. *Euphemia hac ſex decimas tenet intemerata. Albarih.*
XV. K. *Danihel.* Sol in Libram.
XIIII. K.
XIII. K. *Hadabret.* Eſt æquinoctium.
XII. K. XI.

(1) WALAFRIDUS *Strabo* dictus, ſcriptis ſuis notiſſimus, abbas *Augienſis* obiit an. 849. hac die, qua etiam in necrol. *San-Gallenſi* occurrit. In lib. ſociet. inter fratres viventes maioribus, quam cæteri, litteris notatur *Walahfrid monachus:* & inter defunctos recentiore paullulum manu *Walacfred abbas.*

(2) *Conſtantienſis*, qui iuxta HERMANNUM an. 813. obiit: in libro ſocietat. occurrit inter *Canonicos de Conſtantia*, ubi recentiore manu adſcriptum *dec. Sept. obiit* 813.

(3) KEROLDUS ſive GEROLDUS frater germanus HILDEGARDIS reginæ CAROLI M. coniugis, ut ſcribit HERMANNUS, præfectus *Baioariæ*, ſignifer & conſiliarius CAROLI pius & religioſus, contra *Hunnos* pugnans occubuit an. 799. 1. *Sept. Augiæ*que, quam multis auxerat donis & prædiis, ſepultus eſt. MABILLON. T. II. annal. p. 260. & 341. Notatur etiam hac die in necrol. *San-Gallenſi*, & in libr. ſociet. inter benefactores; eiusque etiam mentio ſit in viſionibus WETINI.

(4) Diverſos reperio ATTONES in libro ſocietatum, ex diverſorum monaſteriorum catalogis, nullum tamen abbatem.

(5) Lege ADRIANI hac die in martyrol. notati.

(6) Leg. HYACINTHI.

(7) Haud dubie *Veronenſis* & monachus *Augienſis*, qui cellam a ſe dictam condidit, & hac die 13. *Sept.* an. 874. obiit. In libro ſociet. legitur inter amicos viventes. Quæ vero de uno, aut duobus eiusdem nominis Epiſcopis *Veronenſibus* inter ſe confuſis movent Eruditi, hic non moramur.

Digitized by Google

XI. K. *Undecimas capit & Matthaus Doctor amœnus. Nanzo.*
X. K. *Mauritius decimas tenet martyr cum millibus.*
VIIII. K. *Tuto.* Hic indictiones incipiunt, & hic finiuntur.
VIII. K. *Waſger.*
VII. K. *Cundachar.*
VI. K.
V. K. *Quintanas ſortitur Coſmas cum Damiano.*
IIII. K. *Cotmar. Mitbertus.*
III. K. *Michaelis ternas templi dedicatio ſacra. Othart.*
II. K. *At bonus pridias micat interpres Hieronymus. Reginolt. Lantfrid.*
Nox hor. XII. dies hor. XII.

Menſis October habet dies XXXI. Lun. XXVIIII.

Kal. Oct. S. *Remedii Epiſc. Wolferim. Ello. Rantwig.*
VI. Non.
V. N.
IIII. N.
III. N.
II. N.
Nonas. *Rom. Marci Epiſ. Iſanbertus.*
VIII. Id. *Otfrid. Ruadhelm Abb.* (1)
VII. Id. *Paſſio Dionyſii, Ruſtici & Eleutherii.*
VI. Id.
V. Id.
IIII. Id.
III. Id.
II. Id. *Rom. Calliſti Papæ.*
Idus Oct.
XVII. K. Nov. *Depoſitio S. Galli Conf. Erfram. Heimo. Ruadroh.*
XVI. K.
XV. K. *Doctor terquinis Lucas ſuccurre Kalendis.* Sol in Scorpionem.
XIIII. K.
XIII. K.
XII. K. *Nuno. Megibhilt.*
XI. K. *Reginberi.*
X. K.
VIIII. K. *Graloh. Ello.*
VIII. K. *Swidger. Luto.*
VII. K.
VI. K. *Wiching.*
V. K. *Simonis quinis & Iudas vota feramus Coldini.*
IIII. K.
III. K. *Harpreth.*
II. K. *Wallinc. Chadolt.*
Nox hor. XIIII. Dies hor. X.

Menſis November habet dies XXX. Lun. XXX.

Kal. Nov. Memoria omnium Sanctorum. *Romæ Cæſarii. Liutpret. Altman.*
IIII. N. V. Emboliſmus.
III. N. *Walaicho. S. Pirminii Epiſ.* (2)
II. N. *Wetti. Reginfrid.*
Nonas.
VIII. Id. *Paldmunt. Landpreth.*
VII. Id. *Embricho.* Ortus hyemis, quæ habet dies XCI.
VI. Id. *Romæ quatuor Coronatorum, Simproniani, Claudii, Nicoſtrati, Simplicii, Caſtorii. Thaſtbold.*

V.

(1) RUADHELM vel RUDHELMUS abbas *Augienſis* & ERLEBALDI proximus anteceſſor an. 842. obiit, & in libr. ſociet. inter fratres defunctos, quamvis alia manu, nominatur.

(2) Hic ceu primus monaſterii conditor & abbas primo loco inter fratres defunctos ponitur.

V. Id. *Hagano.*
IIII. Id. *Nidker. Ruadolf. Williſcalc.*
III. Id. *Cunctorum fulget Sanctorum laude decorus Martinus*, (1) *Turonis ſcandit ſuper idibus aſtra.*
II. Id. *Hemma.*
Id. Nov. *Matthæus. Commemoratio defunctorum noſtrorum.*
XVIII. Kal. Dec.
XVII. K. *Adal. Turpinus.*
XVI. K. *Reginbold.*
XV. K. *Quindecimas vitam finivit Teda* (2) *Kalendas.* Sol in Sagittarium.
XIIII. K. *Waldheri. Waldker Epiſ.* (3)
XIII. K.
XII. K.
XI. K.
X. K. *Cæcilia aſtra merito decimas cum laude migrabat.*
VIIII. K. *Clementis læti veneramur feſta novenis.*
VIII. K. *Octavis Chryſogonus ovat vitalibus armis. Ribhart.*
VII. K. Hic ſaltus Lunæ.
VI. K.
V. K. *Hartrib. Hiltimar. Witbold. Mano. Luitpoto.*
IIII. K. *Odalger. Drudmunt.*
III. K. *Romæ Saturnini.*
II. K. *Andreas pridias iuſte veneratur ab orbe. Dultinc. Hilterat. Cudachar.*

Menſis December habet dies XXXI. Lunam XXVIII.

Kal. Dec.
IIII. Non. A*ltrib. Perhtram. Iacob.* I. Embol.
III. N.
II. N. *Luitolt.* IIII. Embol.
Nonas. *Karolus. Waltheri.*
VIII. Idus.
VII. Id. *Framminus.*
VI. Id. *Bernwig. Teoto.*
V. Id. *Adam.*
IIII. Id. *Tatto.*
III. Id. *Coldini. Adalgot.*
II. Id. *Wituchin. Perigher, Sicger.*
Idus Dec. *In Sicilia Luciæ Virg. Sigiwirid.*
XVIIII. K. Ian.
XVIII. K. *Willehelm.*
XVII. K.
XVI. K. *Luitram.*
XV. K. *Altrich. Sigimar.* Sol in Capricornum.
XIIII. K. *Monahus Wito.* (4) Solſtitium.
XIII. K. *Tresdecimas adiit Iani Ignatius* (5) *æque Kalendas. Felici Trunfind.*
XII. K. *Bisſenis cœlum cepit conſcendere Thomas. Engilbreth. Hiltigart.* (6)
XI. K. *Regimbold. Albini.* X.

(1) Loco *Turonis* videtur legendum *ternis*, ut & metrum conſtet, & Kalendæ exprimantur.

(2) Leg. TECLA, quæ ſacra Virgo hac die notatur in aliquibus Martyrologiis.

(3) Inter nomina amicorum viventium occurrit *Waldker epiſcopus*, primæva manu inſertus: quis vero fuerit, non notatur.

(4) WITO legitur etiam inter defunctos fratres in libro ſociet. ſuſpicor eſſe WETINUM monachum viſionibus ſuis celebrem, hoc menſe defunctum an. 824. MABILLON. Annal. T. II. p. 492. & ſec. IV. Benedict. P. I. p. 263.

(5) Eius natalis in Martyrol. habetur 1. *Febr.* translatio vero 17. *Dec.* nullibi autem hac die notatum reperio.

(6) Forte HILDIGARDIS filia LUDOVICI *Pii* Imp. prima abbatiſſa *Turicenſis*, 10. Kal. *Ian.* an. 858. defuncta Conf. MABILLON. annal. T. III. ad an. 857. In libro ſociet. inter nomina *ſororum de Thurego* primo loco ponitur *Hiltigart abbatiſſa.*

X. K. *Heribreth.*

VIIII. K. *Keridolfus. Wolvini.*

VIII. K. *Octavis Dominus natus de Virgine caſta.* Nat. Chriſti ſecundum carnem. *Ratfrid. Erhart.*

VII K. *Martyrio Stephanus ſeptenis alma petivit. Hovaman.*

VI. K. *Angelico conectus* (1) *tutamine Virgo Iohannes. Troago. Ratfrid.*

V. K. *Martyrio tenera proſtrantur millia quinis. Egino.*

IIII. K. *Anawiduch.*

III. K.

II. K. *Silveſtri pridias celebramus ab orbe venerandum.*

Nox hor. XVIII. Dies hor. VI.

KALENDARIUM MONASTICO-NECROLOGICUM.

Ex MS. *Murenſi* Sec. circ. XI. (2)

Iani prima dies & ſeptima a fine timetur.
Ianuarius habet dies XXXI. Lun. XXX.

Kal. Ian. Circumciſio Domini. Baſilii Conf. (3) *Abbatiſſa Chunigundis.* (4) *Adalhart presbyter & monachus obiit.*

IIII. Non. Octava S. Stephani proto-martyris. *Merito diaconus.*

III. Non. Octava S. Iohannis apoſtoli. Genovefæ Virg. IIII. emboliſmus incipit. *Eribiman presbyter obiit.*

II. Non. In Africa Aquilini. Martiani. (5)

Nonas. Vigilia Epiphaniæ Domini. Simeonis monachi, qui in columna ſtetit.

VIII. Id. Epiphania Domini. S. Melani Epi. (6)

VII. Id. *Valentini Diaconi.* (7) *Berua monacha & converſa obiit.*

VI. Id. Herhardi Epi & Confeſſ. (8) Iuliani. *Ochwin comm. obiit.* (9)

V. Id. In Africa Epicteti.

IIII. Id. Natal. S. Pauli primi Eremitæ.

III. Id. Eductio Ieſu de Ægypto. & S. Salvi. (10)

II. Id. Sanctorum Quiriaci, Moſcenti, Saturi. (11)

Idus.

(1) Videtur legendum *vectus.*

(2) Kalendarium hoc necrologicum ad monaſterium inferius *Ratisbonenſe* pertinuiſſe, ſupra iam in obſervationibus præviis monuimus. Unde etiam plerique defuncti in eo nominati de illo monaſterio, eius confœderatis aut benefactoribus fuere ab anno 900. quo fundatum fuit, uſque ad ſec. XIII. prout in ſubiectis ſubin notis apparebit, & ex catalogis abbatiſſarum illius monaſterii apud HUNDIUM in *Metrop. Salisburg.* & BUCELINUM in *Germania ſacra.* Facile autem liquet, non omnia eadem manu eſſe ſcripta, ſed quædam etiam poſterius inſerta, quæ quidem charactere *curſivo minimo* indicavimus. Ipſum vero Kalendarium ut plurimum convenit cum Martyrologio *Hieronymiano* a MARTENIO T. III. Theſ. Anecdot. p. 1547. vulgato.

(3) S. BASILIUS Magnus hac die obiit.

(4) Incertum cuius monaſterii.

(5) Habentur hac die in Martyrol. *Rom.* uti & ſequentes per plures decurſum huius Kalendarii.

(6) MELANIUS notatur in cit. martyrol.

(7) Nullibi hunc invenio, licet apud SOLLERIUM in notis ad martyrol. USUARDI hac die ponatur: *Patavii beatiſſimi Valentini Epiſcopi Rhætiarum.*

(8) In honorem ſancti hujus Epiſcopi exſtructum eſt inferius monaſterium *Ratisbonenſe*, cuius corpus ibi requieſcit, unde etiam eius octava notatur. MABILLON. annal. T. III. pag. 629. De huius Sancti patria, ætate & Epiſcopatu ſpecialem diſſertationem edidit Cl. P. *Ioh. Bapt.* ENHUEBER *Ratisbonæ* an. 1770. S. IULIANUS in Martyrol. notatur die ſeq.

(9) Tam hunc, quam ſequentes Comites *Bavaros* quidem, ſed ignotæ familiæ eſſe cenſemus.

(10) *Relatio pueri Ieſu de Ægypto* in martyrol. habetur die 7. huius, & S. SALVIUS hac die.

(11) Habentur in martyrol. *Hieron.*

Digitized by Google

Idus. Octava Epiphaniæ. Hilarii. Remigii. (1)
XVIIII. K. Febr. Felicis Epi (2) & Mart. in Pincis. *Cumpirc monacha*, *Chunigunt com. obiit.*
XVIII. K. In Antiochia Liceri Diac. (3) *Octava S. Herhardi. Adala monacha obiit.*
XVII. K. Marcelli Papæ. Honorati Epi. *Hiltigart abbatiſſa Herrenſtein.* (4)
XVI. K. Sol in Aquarium. S. Antonii monachi.
XV. K. Natal. S. Priſcæ Virg.
XIIII. K. Sanctorum Mart. Marii & Marthæ.
XIII. K. Sanctorum Mart. Fabiani & Sebaſtiani.
XII. K. Natalis S. Agnetis Virg. *Wicburc Abbatiſſa obiit.*
XI. K. S. Vincentii Mart.
X. K. S. Emerentianæ V. Macarii Mart. *Otto Imperator* (5) *& Fridericus Comes.*
VIIII. K. Papilli Epi (6), & trium puerorum. *Timothei apoſtoli. Ita monacha. Friderun abbatiſſa obiit.* (7)
VIII. K. Converſio S. Pauli apoſtoli. Proiecti martyris *Beatrix obiit.*
VII K. S. Polycarpii Epi.
VI. K. Iohannis Chryſoſtomi.
V. K. Nativitas S. Agnetis V. *Gerbirc comitiſſa obiit.*
IIII. K. Treviris depoſitio S. Valerii Epi & Conf. *Dietſuint monacha obiit.*
III. K. *Serena Virg.* (8)
II. K. *Aldegunda V. Hemma obiit.*

In iſto menſe nox habet horas XVI. dies VIII.

Aſt Februi quarta eſt, præcedit tertia finem.
Kal. Febr. Brigidæ Virg. *Fridericus clericus obiit.* Finit IIII. emboliſmus.
IIII. N. Hypapanti Domini.
III. N. *Blaſii. Tuota obiit.* (9)
II. N. *Deſiderii. Liubila monacha obiit.*
Non. Paſſio S. Agathæ Virg.
VIII. Id. Vedaſti Epi. *Ita monacha obiit.*
VII. Id. Auguli Epi & M. Veris initium.
VI. Id. *Auguli. Wiſentina parva obiit.*
V. Id. *Altonis Conf.* (10)
IIII. Id. S. Scholaſticæ Virg. *Ribkart monacha obiit.*
III. Id. Deſiderii Epi.
II. Id. *Euppii.*
Idus. Paſſio S. Damiani. *Aribo Com. obiit.* (11)
XVI. K. Mart. S. Valentini Mart. *Sigifrit. Willa monachæ obierunt.*
XV. K. Sol in Piſces. Fauſtini & Iovitæ Mart.
XIIII. K. S. Iulianæ Virg. *Ordinatio Domnæ Eilicæ abbatiſſæ.* (12) *Purchart advocatus obiit.*
XIII. K. S. Polychronii Epi.
XII. K. *Macharii.*
XI. K. *Dedicatio baſilicæ S. Margaretæ.*
X. K. *Peregrini. Gebehart Ravennæ Epiſcopus obiit.* (13)
VIIII. K. S. Hilarii Papæ.

VII.

(1) REMIGIUS hodie notatur apud USUARDUM.

(2) Epiſcopi titulus ſubinde S. FELICI tribuitur, licet eam dignitatem ſibi oblatam numquam acceptarit.

(3) In *Hieron.* die præcedente ponitur.

(4) Monaſterium hoc videtur eſſe *Ereſtein* ſive *Hereſtenſe* in *Alſatia* an. 840. ab Irmingarda LOTHARII Imp. coniuge conditum: de quo Vid. *Gallia Chriſt.* T. V. p. 846. ubi tamen nullæ abbatiſſæ notantur.

(5) OTTO III. Imp. an. 1002. hac die, iuxta DITTMARUM die ſeq. & ex Necrol. *Fuld.* 14. huius obiit. De FRIDERICO comite nihil certi.

(6) Leg. BABYLÆ.

(7) FRIDERUN, FRIDUNA reperitur octava in catalogo abbatiſſarum inferioris monaſterii *Ratisbonenſis* apud BUCELINUM & HUNDIUM poſt an. 1120. apud quos, uti & in Necrol. *San-Emmer.* vocatur *Comitiſſa a Rittenburg.*

(8) Hanc nuſpiam reperio. S. ALDEGUNDIS in Martyrologiis die præced. notatur.

(9) Forte TUTA quinta abbatiſſa, comitiſſa de *Falckenſtein.*

(10) S. ALTO hic abbas fuit monaſterii in *Bavaria* a ſe conditi & denominati an. 755. De quo vid. RADERUS in *Bavaria ſancta.*

(11) Haud dubie ille, qui apud MABILLON. T. III. annal. p. 89. præſens fuit funeri S. WOLEGANGI, & an. 894. monaſterium *Seonenſe* in territorio *Salisburgenſi* fundavit.

(12) Duæ apud HUNDIUM & BUCELINUM memorantur huius nominis abbatiſſæ, quarum prima HEILKA ſive HEILICA *comitiſſa Palatina de Wittelſpach* ſexta ponitur; altera HELICKA vel HEILICA comitiſſa de *Kirchberg* decima numeratur, ſub qua forte Kalendarium hoc ſcriptum, cum eius ordinatio hic recenſeatur, quæ etiam in *San-Emmer.* legitur. Sub priore tranſlatum eſt corpus S. ERHARDI a LEONE IX. P.

(13) Iuxta UGHELLUM T. II. *Italiæ S.* GEBEHARDUS archiepiſcopus *Ravennæ* ab an. 1027. uſque ad an. 1044. quo XIV. Kal. *Mart.* obiit. In Necrolog. *San-Gallenſi* apud ECCART ad VII. Kal. *Martii* notatur obitus *Kebehardi Ravennatis Archiepiſcopi.*

VIII. K. Cathedra S. Petri A.
VII K. *Eucharii C.*
VI. K. Electio S. Mathiæ Apoſtoli. *Inventio capitis S. Iohannis Bapt.*
V. K. *Waltpurga V. Altaſint Comitiſſa. Bruno obiit.*
IIII. K. Felicis cum ſociis ſuis. *Hiltipurc monacha obiit.*
III. K. Leandri & Dionyſii.
II. K. Sanctorum Publii & Theophili.
In iſto menſe nox habet horas XIIII. dies X.

Martis prima necat, cuius ſic cuſpide quarta eſt.
Martius habet dies XXXI. L. XXX.

Kal. Martii. Leonis Papæ (1) & Mart. Albani Conf.
VI. N. S. Lucæ Epi. Primitivæ, Secundulæ.
V. N. *Florini. Chunigunt imperatrix obiit.* (2)
IIII. N. Lucii Papæ. Adriani Mart. *Ita monacha obiit.*
III. N. S. Phocæ Mart. *Papo comes.* VII. emboliſmus incipit. *Meginhart obiit.*
II. N. *Victoris.* III. emboliſmus incipit.
Non. Sanctarum Virg. Perpetuæ & Felicitatis. *Dicmar Comes & Converſus. Hadauic abbatiſſa* (3) *obiit.*
VIII. Id. Quintoli Epi. Prima incenſio lunæ paſchalis.
VII. Id. Sanctorum Felicis, Rogati.
VI. Id. Paſſio XL. Militum.
V. Id. Heraclii & Zoſimi. *Meginbilt obiit.*
IIII. Id. Depoſitio S. Gregorii Papæ.
III. Id. S. Macedoni presbyteri.
II. Id. Leonis Papæ. Felicis & Daviti. *Chunigunt monacha obiit.*
Idus. Sanctorum Longini & Lucii Mart. *Adala monacha Albun. obiit.*
XVII. K. Apr. S. Cyriaci Mart. *Heripertus Archiepiſcopus obiit.* (4)
XVI. K. Patricii M. (5) Gerdrudæ V. *Gebehardus Epiſcopus. Adalpertus Abbas.* (6)
XV. K. Sol in Arietem. Alexandri Epi.
XIIII. K. S. Theodori Epi. Apollonius. *Hartuincus comes obiit.*
XIII. K. Hucperti Epi. *Guntiperti Epi.* S. Hadalouch obiit. (7)
XII. K. Depoſitio S. Benedicti A. Æquinoctium. *Wentilpurc monacha obiit.*
XI. K. S. Pauli Confeſſ. Primum paſcha. Sedes Epactarum.
X. K. Fidelis & Theodori.
VIIII. K. Paſſio S. Quirini Mart. Concurrentium locus.
VIII. K. Adnuntiatio S. Mariæ V. *Willa monacha. Tiemo comes obiit.* (8)
VII. K. Caſtuli.
VI. K. Reſurrectio Domini. (*Ruotperti C.* (9) *Gebehardus epiſcopus obiit.* (10)
V. K. Sanctorum Rogati & Dorothei.
IIII. K. Gregorii Nazianzeni Epi.
III. K. Domnini. Paulini.
II. K. Felicis, Diodoli, Balbinæ V.
In iſto menſe nox habet horas XII. dies XII.

Aprilis decima & undena a fine minatur.
Aprilis habet dies XXX. Lunam XXVIIII. Kal.

---

(1) Per errorem LEONI Martyri vox *Papæ* addita: & loco ALBANI legendum ALBINI.

(2) Coniux ſcilicet S. HENRICI Imp. quæ an. 1038. hac die, iuxta HERMANNUM autem 17. Kal. Aug. defuncta eſt, nondum, cum Necrologium hoc ſcribebatur, in Sanctorum numerum relata, quod ab INNOCENTIO III. factum. Eius mentio fit in diplomate S. HEINRICI an. 1002. pro illo monaſterio dato, apud HUNDIUM.

(3) Hæc legitur etiam in Necrolog. *San-Emmer.*

(4) HERIBERTUS Archiepiſcopus *Colonienſis*, & monaſterii *Tuitienſis* fundator, iuxta MABILLON. T. IV. annal. p. 278. defunctus eſt an. 1021. hac die, qua etiam in *Fuldenſi* necrol. ad dictum annum notatur.

(5) Ex errore S. PATRITIUS Ep. hic Martyr vocatur.

(6) Uterque in Necrol. *San-Emmer.* occurrit, ubi GEBEHARDUS II. dicitur, Epiſcopus *Ratisbonenſis* qui an. 1036. obiit, & in necrol. *San-Gall.* die præc. notatur. ADALBERTUS abbas monaſterii *Emmeramenſis* an. 1177. defunctus. Putat quidem L. B. de ZURLAUBEN in notis ſuis MSS. ætatem codicis ſec. XI. repugnare, ne iſte Abbas hic ſit intelligendus: ſed ſuperius iam FRIDERUN abbatiſſa ex ſec. XII. ponitur; & alias nil obſtat, quo minus poſtea necrologio quædam inſerta fuerint, quin aliqua diverſitas notetur.

(7) De hac nihil reperi.

(8) In diplomatibus S. HENRICI Imp. de an. 1005. & 1009. legitur *Thiemo comes*, forte *Hallenſis*. Vid. BUATUS T. II. *Originum Boicæ domus*, ubi de THIEMONIBUS comitibus *Hallenſibus* agit.

(9) Eſt hic S. RUPERTUS epiſcopus *Salisburgenſis*, Apoſtolus *Bavariæ*.

(10) Quis inter quatuor cognomines epiſcopos *Ratisbonenſes* hic ſit accipiendus, incertum eſt; de GEBEHARDO II. ſupra diximus, Primus an. 1023. Tertius an. 1060. obiit.

Digitized by Google

Kal. Apr. S. Agapiti M. Walerici. *Hugo presbyter obiit.*

IIII. N. Nicetii Epi. Burgundofaræ V. *Hitta monacha obiit.*

III. N. Evagrii. Pancratii. VII. emboliſmus finit.

II. N. S. Ambroſii Epi & Confeſſ. III. emboliſmus finit. *Hitta monacha. Reginoldus epiſcopus.* (1) *Eberhardus comes obiit.* (2)

Non. *Evagrii.* Ultima incenſio lunæ paſchalis.

VIII. Id. S. Xyſti Papæ & Mart.

VII. Id. Cœleſtini Papæ & Mart. (3)

VI. Id. Macharii & Perpetui.

V. Id. Scarum VII. Virginum. *Purcbardus Abbas.* (4) *Adalheid monialis obiit.*

IIII. Id. *Ezechielis Prophetæ.* *Beatus Geroldus obiit.* (5)

III. Id. Siagrii. Leonis Papæ.

II. Id. Carpi, Iulii, Cypriani Epiſcoporum.

Idus. Natalis S. Euphemiæ Virg. *Liutolt monachus.*

XVIII. K. Maii. Sanctorum Tiburtii & Valeriani. *Ribfrit obiit.*

XVII. K. Dormitio S. Helenæ reginæ.

XVI. K. Sanctorum Caliſti & Eariſſi. (6)

XV. K. Sol in Taurum. Petri Diaconi.

XIIII. K. Eleutherii Epi. Apollonii Senatoris.

XIII. K. Rufi, Antonici. *Biligrim Archidiaconus obiit.*

XII. K. S. Victoris Epi. Seneſii Mart.

XI. K. Valeriani, Tiburtii, Maximi. (7)

X. K. Depoſitio S. Gagii Papæ. (8)

VIIII. K. Ananiæ, Azariæ, Miſaelis.

VIII. K. S. Georgii M. Adalperti Epi & Mart. (9)

VII. K. Letania maior. Marci Ev. ultimum Paſcha. *Willipirc. mon. obiit.*

VI. K. Sanctorum Cleti, Marcellini.

V. K. Anaſtaſii Papæ.

IIII. K. Vitalis Mart. Hermogenis *Megingoz epiſcopus obiit.* (10)

III. K. S. Germani presbyteri.

II. K. Dorothei, Viatoris, Terentii.

In iſto menſe nox habet horas X. dies XIIII.

Maio tertius eſt lupus, eſt & ſeptimus anguis.
Maius habet dies XXXI. Lunam XXX.

K. Maii. Apoſtolorum Philippi & Iacobi. Depoſitio S. Waltpurgæ V. *Diemot mon. obiit.*

VI. N. S. Athanaſii Epi.

V. N. Inventio S. Crucis. Sanctorum Alexandri, Eventii & Theodoli.

IIII. N. S. Floriani M. *Ata. Chunigunt comitiſſa & poſt mon. obiit.* (11)

III. N. Aſcenſio Domini. Hilarii. Nicetii. *Aiethalm obiit.*

II. N. Iohannis Apoſtoli ante portam latinam. *Goteſchalch epiſcopus obiit.* (12)

Non. S. Iuvenalis Mart.

VIII. Id. Victoris M. *Puobo mon. obiit.*

VII. Id. Quirilli. Macharii Abb. Æſtas oritur.

VI. Id. Sanctorum Gordiani & Epimachi.

V. Id. Antimi. Mamerti Epi.

IIII. Id. Nerei, Achillei & Pancratii M. *Otto. Chunradus. Riblint comit. obierunt.*

III. Id. Dedicatio eccleſiæ S. Mariæ ad Martyres. Gengolfi M. (13) *Geroldus abba.* (14)

II. Id. S. Pachomii monachi.

Idus Iſidori. Timothei M.

XVII. K. Iunii. Aquilini. Peregrini M.

XVI. K. S. Torpetis Mart.

---

(1) Epiſcopus *Eichſtetenſis* ab an. 965. uſque 989. quo hac die obiit. Vid. BRUSCHIUS T. I. de *Epiſcopis Germaniæ.*

(2) B. de ZURLAUBEN putat, ſiunc eſſe EBERHARDUM comitem *Ebersbergenſem* an. 949. mortuum; vel potius illum, cuius obitum ad an. 966. conſignat *Annaliſta Saxo.*

(3) Vox *Martyris* perperam adiecta.

(4) *San-Emmeramenſis* ex *Augia* aſſumtus, obiit circa an. 1036. & in necrologio *San-Emmer.* notatur die ſeq. In eodem etiam legitur ADALHEID, forte comitiſſa de *Hochenkoven*, quæ ab ipſa fundabrice IUDITHA in monaſterium aſſumta eſt.

(5) Hic multo recentius adſcriptus videtur eſſe monachus *Einſidlenſis* an. 978. defunctus, ubi feſtum eius die XIX. *Aprilis* celebratur.

(6) I. EVARISTI ſcil. Papæ.

(7) In Martyrol. *Rom.* habentur die 14. præc.

(8) Leg. CAII.

(9) Feſtum S. GEORGII hodieque in *Bavaria* celebratur 24. *Aprilis.*

(10) Apud BUCELINUM T. I. inter Epiſcopos *Eichſtetenſes* legitur MEGENGOSUS comes de *Lechsgmundt*, S. HENRICI Imp. cognatus, qui an. 1014. 22. *April.* obiit.

(11) Hæc etiam in necrol. *San-Emmer.* notatur.

(12) Apud HUNDIUM inter *Friſingenſes* Epiſcopos occurrit GOTTSCALCUS, qui 1005. obiit hac die.

(13) Leg. GANGOLFI.

(14) Hunc multo recentius adſcriptum abbatem nuſpiam reperio, nec inter *Ratisbonenſes*, nec inter *Murenſes.*

Digitized by Google

XV. K. Sol in Geminos. Dioſcori.
XIIII. K. Potentianæ Virg. & M. *Lantrat mon. Timo advocatus obiit.* (1)
XIII. K. S. Timothei Diac. *Piligrimus epiſcopus.* (2) *Aribo obiit.*
XII. K. Baſillæ Virg. & Mart.
XI. K. Fauſtini. S. Iuliæ.
X. K. Sanctorum Quinti, Lucii.
VIIII. K. Donatiani, Rogatiani. *Berſuint incluſa obiit.*
VIII. K. Natal. S. Urbani Papæ. *Landelob comes obiit.* (3)
VII. K. In Cantia Auguſtini Epi.
VI. K. Sanctorum Iulii, Efitii Mart.
V. K. Germani Epi. Iohannis Papæ.
IIII. K. Depoſitio S. Maximini Epi.
III. K. S. Felicis Epi.
II. K. Petronellæ Virg. *Ernuſt dux obiit.* (4)
In iſto menſe nox habet horas VIII. dies XVI.

Iunius in decimo quindeno a fine ſalutat.
Menſis Iunius habet dies XXX. L. XXVIIII.
Kal. Iunii. Nicomedis M.
IIII. N. Sanctorum Marcellini & Petri M.
III. N. Guduali Conf.
II. N. S. Quirini Epi. Picti. Daciani. *Nortpebt comes. Engilkart mon. obiit.*
Non. Natl. S. Bonifacii Epi & M.
VIII. Id. Saturnini Epi.
VII. Id. Luciani M. Macharii mon. *Columbi C. Ordinatio Ribbildæ abbatiſſæ.* (5) *Hemma mon. obiit.*
VI. Id. Medardi Epi. Sanctorum Naboris. Nazarii.
V. Id. Sanctorum Primi & Feliciani. Columbæ Abb.
IIII. Id. S. Barnabæ apoſtoli.
III. Id. Criſpini.
II. Id. Baſilidis, Cyrini, Naboris, Nazarii. *Heinricus ebreus obiit.*
Idus. Luciani. Fortunati.
XVIII. K. Iulii. Rufini. Valerii.
XVII. K. Sanctorum Viti, Modeſti.
XVI. K. Ferreoli presbyteri.
XV. K. Sol in Cancrum. Quiriaci. Aviti.
XIIII. K. Sanctorum Marci & Marcelliani. *Ramfoldus abbas obiit.* (6)
XIII. K. Sanctorum Gervaſii & Protaſii.
XII. K. Pauli, Cyriaci.
XI. K. Albini M. Euſebii.
X. K. S. Albani M. *Ratpoto comes obiit.* (7)
VIIII. K. Aviti Conf. Vigilia S. Iohannis Bapt. *Fritilo. Hadauert obiit.*
VIII. K. Nativitas S. Iohannis Baptiſtæ.
VII. K. Soſipatris diſcipuli S. Pauli apoſtoli.
VI. K. Sanctorum Iohannis & Pauli. *Ellis m. obiit.*
V. K. Criſpini & Criſpiniani.
IIII. K. Vigilia apoſtolorum Petri & Pauli.
III. K. Paſſio Eorumdem. *Domna Iudita obiit.* (8)
II. K. Celebr. S. Pauli apoſtoli. *Luitkart mon. obiit.*
In iſto menſe nox habet horas VI. dies XVIII.

Tredecimus Iuli decimo innuit ante Kalendas.

Iulius habet dies XXXI. Lunam XXX.
Kal. Iulii. Gagii Epi. Aaron ob. *Megingob comes obiit.*
VI. N. Sanctorum Proceſſi & Martiniani.
V. N. Cyrilli, Iuliani.
IIII. N. S. Vodalrici Epi. Translatio S. Martini. *Willipirc mon. obiit.*

III.

---

(1) Apud BUATUM de *origine Boicæ domus* T. II. extat charta an. 1028. pro Monaſterio S. EMMERAMI, Epiſcopo *Ratisponenſi* GEBEHARDO II. Abbate RIHCHOLFO, advocato eiusdem diœceſis TIMONE de *Formbach* data.

(2) Epiſcopus *Paſſavienſis*, qui an. 991. 2. Kal. *Iunii* deceſſit, ex HUNDIO.

(3) Incertum, an comes *Bavariæ* fuerit, vel qui in Act. *Murenſ. Kanzelinus* pater RADEBOTONIS fundatoris *Murenſis* monaſterii, alias etiam *Lancelinus* dicitur.

(4) Iuxta DITMARUM fuit Dux *Sueviæ*, LUITPOLDI *Auſtriæ* Marchionis filius, in venatione occiſus hac die an. 1015.

(5) Notatur etiam in necrol. *San-Emmer.* cætera de ea incerta ſunt, in nullo enim catalogo apud HUNDIUM occurrit.

(6) Videtur eſſe B. RAMUOLDUS abbas *San-Emmeramenſis*, qui an. 1001. 17. vel 18. *Iunii* deceſſit, de quo agunt *Bollandiani* ad die 17. *Iun.* In necrol. *San-Emmer.* die præced. notatur, qua obiit. HUNDIUS T. II. p. 251.

(7) Cenſetur eſſe RADEBOTO comes, qui unacum WERNHERO Epiſcopo *Argentinenſi* & ITA comitiſſa cœnobium *Murenſe* fundarunt: qui omnes poſterius huic necrologio inſerti ſunt, cum iam ad dictum monaſterium devenit.

(8) IUDITH ARNOLDI *Mali Baioariæ* ducis filia, HENRICO Duci OTTONIS M. Imp. fratri nupta, quam S. HENRICUS Imp. in diplomate an. 1002. *aviam* ſuam dicit, circa an. 960. Monaſterium inferius *Ratisbonæ* fundavit. Annum obitus eius non reperi. Vid. *Ratisbona monaſtica* T. I.

Digitized by Google

III. N. Maximi, Secundi.
II. N. Octava Apoſtolorum. Goaris Confeſſ.
Non. Natl. S. Wilibaldi Epi.
VIII. Id. Kiliani Sociorumque eius.
VII. Id. Florianæ, Fauſtinæ Virg.
VI. Id. Sanctorum VII. Fratrum filiorum Felicitatis. *Regindrut mon obiit.*
V. Id. Celebr. S. Benedicti Abbatis. *Regindrut obiit.*
IIII. Id. S. Margaretæ V. Primitivi.
III Id. *Serapionis. Heinricus Pius Imperator obiit.* (1)
II. Id. Iuſti. Amarii. *Fridericus diaconus obiit.*
Idus. Dedicatio S. Mariæ. *Diſperſio Apoſtolorum. Hauuart obiit.*
XVII K. Aug. *Hilarini. Alarunn. Chunigunt. monac. obiit.*
XVI. K. Sperati Epi & M.
XV. K. Sol in Leonem. *Emiliani. Chunihilt regina.* (2) *Meginhilt obiit.*
XIIII. K *Criſpinæ Virg.*
XIII. K. Luciani. Petri.
XII. K. S. Praxedis V. Victoris M.
XI. K. S. Mariæ Magdalenæ. Cyrilli.
X. K. Apollinaris Epi & M.
VIIII. K. *Vigilia S. Iacobi Apoſtoli. Mahtilt mon. obiit. Heripertus Epiſcopus obiit.* (3)
VIII. K. S. Iacobi Apoſtoli. Chriſtophori M.
VII. K. Hyacinthi, Ioviani.
VI. K. Simeonis M. Ætherii Epi & M.
V. K. Auguſtæ V. Pantaleonis M.
IIII. K. Sanctorum Felicis, Simplicii, Fauſtini & Beatricis.
III K. Sanctorum Abdon & Sennes. Hic ſaltus Lunæ.
II. K. *Tertullini M. Erminhilt mon. Hiltipurc comitiſſa obiit.* (4)
In iſto menſe nox habet horas VIII. dies XVI.

Auguſti nepa prima fugat de fine ſecundo.
Auguſtus habet dies XXXI. Lunam XXVIIII.

Kal. Aug. Ad vincula S. Petri Ap. SS. Macchabæorum. *Heriman dux obiit.* (5)
IIII. N. Natl. S. Stephani Epi & M. VI. Emboliſmus incipit.
III. N. Inventio Corporis S. Stephani protomartyris, & Gamalielis, Nicodemi & Abibæ.
II. N. Chiſentionis. Iuſti.
Non. S. Oſwaldi regis. *Arnolt obiit.*
VIII. Id. Sanctorum Sixti Epi, Feliciſſimi, Agapiti. *Riblint. Sigifrit obiit.*
VII. Id. Donati Epi. S. Afræ M. Autumnos oritur. *Ellis mon obiit.*
VI. Id S. Cyriaci M. Severi Conf. *Purchart, Berhtolt comites obierunt.*
V. Id. Romani militis. Vigilia S. Laurentii M. *Secundiani, Feriani M.*
IIII. Id. Natl S Laurentii M.
III. Id. Tiburtii M. Suſannæ V. *Radagunda V. Egina pia mon. obiit.* (6)
II. Id. S. Eupli diaconi & M. *Eppo epiſcopus.* (7) *Adalberd comitiſſa obiit.*
Id. Sanctorum Hyppoliti M. cum ſociis ſuis Wiciperti Conf.
XVIIII. K. Sept S. Euſebii Conf. Gregorii presbyteri. *Anno obiit.*
XVIII. K. Aſſumtio S Mariæ Virg. *Ellis obiit.*
XVII. K. S. Arnulfi Conf. Tyrſi ſociorumque eius.
XVI K. Octava S. Laurentii M. *Chunigunt. Mahtilt monachæ obierunt.*
XV. Sol in Virginem S. Agapiti M. *Ribkart obiit*
XIIII. K. Romæ S. Iulii M. Magni M.
XIII. K Philiberti Conf. Leontii. *Brigida abbatiſſa obiit.* (8)
XII. K. Theodoti Epi. Privati. *Uta mon. obiit.*
XI. K. Sanctorum Timothei & Symphoriani. *Gerhire obiit.*
X. K. Remis Cyriaci, Apollinaris. *Luitkart mon. obiit.*
VIIII. K. Titi diſcipuli Pauli Apoſtoli. *Werinheri interfectus cum multis.* (9) VIII.

(1) Scil. S. Henricus II. Imp. an. 1024 hac die defunctus, & an. 1146. ab Eugenio III. ſanctis adſcriptus, ante quem annum ſcriptus fuit hic Codex, cum in eo obitus tantum memoretur.

(2) Eſt hæc Chunehildis Canuti regis *Daniæ* filia, Henrico III. regi filio Conradi II. Imp. nupta, quæ an. 1038. hac die obiit teſte Wipone in vita Conradi, vel XVII Kl. *Aug* ex Hermanno.

(3) Ex Bucelino T. I. *Germ ſacr.* fuit Epiſcopus *Eichſtetenſis*, & an. 1042. hac die *Friſingæ* obiit.

(4) Hæc notatur etiam in necrol. *San-Emmer.*

(5) An Dux *Sueviæ*, qui an. 1038 peſte in *Italia* in exercitu Imperatoris extinctus eſt V. Kal *Aug.* qua die in necrologio *San-Gallenſi* apud Eccart ita legitur: *obitus Heremanni ducis Alamannorum.*

(6) Habetur etiam in necrol. *San-Emmer.*

(7) Forte *Auguſtanus*, alio nomine Eberhardus, qui iuxta Bucelinum an 1048. in vigil. Aſcenſ. obiit. Adalheid comitiſſa etiam in *San-Emmer.* necrolog. notatur.

(8) Hæc & ſeq in necrol. *San-Emmer.* quoque ponuntur.

(9) Iuxta Lambertum *Schafnaburg.* ad an. 1040. *Heinricus Rex in Bohemiam duxit exercitum, ibique Werinherus comes, & Reginhard ſignifer Fuldenſis cum aliis multis occiſi ſunt.* Vid. Hermannus in chron. ad an. cit. In necrologio *Fuldenſi* apud Leibnitium hæc leguntur: *MXL. Werinherus, Reginhardus comites occiſi ſunt XI. Kalendar. Sept.* (R i i)

 (R i i)

Digitized by Google

VIII. K. S. Bartholomæi Ap. Geneſii M.
VII. K. Sanctorum Habundi & Herenei. (1) *Berbtolt. Gebehart cum plurimis peremtis.* (2)
VI.K. Rufi M. Siagrii Confeſſ.
V. K. S. Hermetis M. Auguſtini Epi. *Heinricus dux obiit.* (3)
IIII. K. Paſſio S. Iohannis Bapt. Sabinæ V. *Adalgoh præpoſitus & mon. Waltpurc mon. obiit.*
III. K. Sanctorum Felicis & Adaucti.
II. K. Treviris depoſitio S. Paulini Epi. Finit VI. Emboliſmus.
In iſto menſe nox habet horas X. dies XIIII.

Tertia Septembris vulpis ferit a pede denam.
Menſis September habet dies XXX. L. XXX.
Kal. Sept. S. Priſci M. *Verena Virg.* (4) *Adalheid. Chunigunt, Wirdiga monacha obierunt.*
IIII. N. Mammæ M. & Iuſti. *Riblint mon. obiit.* II. Emboliſmus incipit.
III. N. Feliciani. *Adalbeit mon. obiit.*
II. N. Quintini Conf.
Nonas. Marcelli & Bonifacii Epiſcoporum.
VIII. Id. S. Eleutherii Epi.
VII. Id. Synoti M. Reginæ V. *Adala comitiſſa obiit.*
VI. Id. Nativitas S. Mariæ Virg. Adriani Mart. *Perenger comes obiit.*
V. Id. S. Gorgonii M.
IIII. Id. Sanctorum Ammonis, Victoris.
III. Id. Proti & Hyacinthi. *Felicis & Regulæ. Chuonradus comes & Meginhardus obierunt.*
II. Id. Sacerdotis Epi.
Idus. *Servacii.*
XVIII. K. Oct. Exaltatio S. Crucis. Sanctorum Epiſcoporum Cornelii & Cypriani. *Dietſuint mon. obiit.*
XVII. K. Nicomedis M. Apri Epi.
XVI. K. S, Euphemiæ, Luciæ & Geminiani.
XV. K. Sol in Libram. S. Lamperti Epi.
XIIII. K. *Donati. Sca Ribkart. Truſunt & Luitpurc mon. obierunt.*
XIII. K. S. Ianuarii. *Uota Imboſ. abbatiſſa*, (5) *Heinricus Oudalſcbach.*
XII. K. Fauſtæ V. Vigilia S. Matthæi Ap. Æquinoctium. *Chriſtianus Epiſcopus.* (6)
XI. K. Natalis eiusdem. *Engila monacha obiit.*
X. K. Emmerami Epi & M. (7) Sanctorum Mauritii, Exuperii, ſociorumque illorum. *Liouuibrana obiit.*
VIIII. K. Liberii Epi. S. Teclæ V. *Eilika Patavienſis abbatiſſa obiit.* (8)
VIII.K. Concept. S. Iohan. *Hemma abbatiſ. obiit.*(9)
VII. K. Scorum Sergii & Bacchi. *Iuſtina V.*
VI. K. Cypriani. Euſebii Epi. *Sigibart comes obiit.* (10)
V. K. Sanctorum Coſmæ & Damiani. *Hadaunih comitiſſa obiit.*
IIII. K. Iuſtini presbyteri. Liobæ V. *Chunigunt abbatiſſa, Wicburc abbatiſſa obierunt.* (11)

III.

(1) Leg. ABUNDII & IRENÆI.

(2) Ex eodem LAMBERTO, & DITMARO L. III. hi omnes ſub Ottone III. in bello contra Saracenos in *Calabria* peremti ſunt, cum aliis multis, de quibus etiam in necrol. apud LEIBNITIUM (T. III. ſcript. rer. Brunſv.) III. Kal. *Nov.*

(3) Scilicet *Bavariæ*,* filius HENRICI & IUDITÆ fundatricis inferioris monaſterii, qui an. 995. hac die ex DITMARO obiit.

(4) Hæc ſancta diœceſi *Conſtantienſi* propria poſterius fuit inſerta, uti & infra SS. FELIX & REGULA. Cæterum de monialibus aut Comitibus hic notatis omnia incerta ſunt.

(5) In BUCELINI *Germ.* ſacr. P. II. hæc leguntur: *Inzhofen* S. AUGUSTINI *Virginum Canoniſſarum cœnobium eſt, etiam hodie ab inſigni Dominarum religione & diſciplina* celebratum, in *Suevia.* Inde forte fuerit hæc VOTA vel UTA abbatiſſa.

(6) Apud HUNDIUM T. I. p. 202. eſt CHRISTANUS vel CHRISTIANUS Epiſcopus Paſſavienſis, an. 1012. hac ipſa die mortuus.

(7) Sanctus hic Epiſcopus regionarius nomen dedit celeberrimo Principali monaſterio in eiusdem honorem exſtructo *Ratisbonæ*, Martyrium ſubiit an. 652.

(8) Apud eundem HUNDIUM T. II. p. 405. in Catalogo Abbatiſſarum S. Crucis in *Nidernburg Paſſavii* occurrit HEILIKA eiusdem monaſterii abbatiſſa, S. HENRICI Imp. neptis vel amita, an. 1020. hac die defuncta.

(9) Habetur etiam in necrolog. *San-Emmeram.* ſed in catalogo Abbatiſſarum non reperio.

(10) In diplomate OTTONIS M. *Romæ* an. 959. mentio fit SIGHARDI comitis apud HUNDIUM T. II. p. 255. In BUATI *origg. dom. Boic.* T. I. de pluribus SIGEHARDIS comitibus *Saliſburgenſibus* agitur.

(11) Ambæ etiam in necrol. *San-Emmer.* habentur, nil tamen de iis certum. Inter priores duodecim moniales a IUDITHA fundatrice receptas memoratur WIBURC comitiſſa de *Waſſerburg*, quæ forte poſtea abbatiſſa fuit, licet in catalogo non occurrat. Niſi forte ſit WILPURGA ſuperioris monaſterii abbatiſſa, de qua in diplomate S. HENRICI Imp. an. 1010. MABILLON. annal. T. IV. p. 219. ubi fatetur, raram deinceps de utroque hoc monaſterio occurrere mentionem.

Digitized by Google

III. K. Memoria S. Michaelis Arch. Wenzezlai Mart. (1) *Irmingart abbatiſſa obiit.* (2)
II. K. Depoſitio S. Hieronymi presbyteri. *Eva mon.*
In iſto menſe nox habet horas XII. dies XII.

Tertius Octobris gladium decimo ordine nectit.
October habet dies XXXI. Lunam XXVIIII.
Kal. Oct. Remigii, Germani & Vedaſti. Finit II. embolisſmus. *Waltrat mon. obiit.*
VI. N. S. Leudegarii M. Nicecii Epi.
V. N. Sanctorum Sulpitii & Serviliani. *Engilfrit mon. Gerolt obierunt.*
IIII. N. Sanctorum Marci & Martiani.
III. N. Sanctorum Placidi, Eutichii. *Heinricus Imperator obiit.* (3)
II. Marcelli. *Albrat M. Hiltiſint. Liuba mon. ob.*
Non. Marci Epi. *Lini Papa.*
VIII. Id. *Reparata V. Tranſlat. S. Herbardi Epi.* (4)
VII. Id. *Dionyſii cum ſociis ſuis.*
VI. Id. Gereonis M. (5) *Purchardi Epi.* (6) *Imma mon. obiit.*
V. Id. Venantii, Martialis.
IIII. *Maximiliani* C. (7) *Domna Uota abbatiſſa Deo hominibusque digna migravit. Arnolt nepos eius obiit.* (8)
III. Id. Fauſti, Anaſtaſii.
II. Id. S. Calliſti Papæ. Lupi Epi.
Idus S. Fortunati Epi.
XVII. K. Nov. Depoſitio S. Galli Abbatis. Lulli Conf. *Ita comitiſſa,* (9) *Hadawib, Rielint obierunt.*
XVI. K. Victorini, Silvani.
XV. K. Sol in Scorpionem. S. Lucæ Evang. *Luitpurc mon. obiit.*
XIIII. K. Proculi & aliorum XLIIII.
XIII. K. S. Capraſii M.
XII. K. Iuſti. Hilarionis monachi.
XI. K. Severi, Philippi Epi.
X. K. Dorothei. Severini Conf. *Votker, Adala obierunt.*
VIIII. K. Flaviani, Vitalis. *Ita mon. obiit.*
VIII. K. Sanctorum Criſpini & Criſpiniani M.
VII. K. S. Luciani. Amandi Epi.
VI. K. Vigilia Apoſtolorum Simonis & Iudæ.
V. K. Nat. Eorum. S. Narciſſi Epi. *Ernuſt præpoſitus. Werinberi Ep.* (10) *Alta com. obierunt.*
IIII. K. Quinti. Terrentii Conf. *Mehtilt. com. obiit.*
III. K. Saturni M. Marcelli confe.
II. K. Quintini M. Vigilia omnium Sanctorum. *S. Wolfgangus Epiſcopus.*
In iſto menſe nox habet horas XIIII. dies X.

Quinta Novembris acus vix tertia manſit in urna.
November habet dies XXX. Lunam XXX.
Kal. Nov. Feſtivitas omnium Sanctorum. Cæſarii M. *Pirminii abbatis.* (11) *Adala mon.*
IIII. N. Poliani M. Georgii Ep. V. embolisſmus incipit.
III. N. Germani. Hucperti Epi.
II. N. S. Amati Epi. *Tuta Abbatiſſa* (12) *Eilika parva. Egilpertus Epus. Arnolt mon. obierunt.*
Non.

---

(1) S. WENCESLAUS dux *Bohemiæ.*

(2) Legitur item in necrol. *San-Emmer.* In catalogo abbatiſſ. huius monaſteri IRMGARDIS de *Leuen.*

(3) HENRICUS III. Imp. an. 1056. hac die 5. *Octob.* deceſſit, iuxta antiqua necrologia & ſcriptores coævos.

(4) Facta ſub HEILICA abbatiſſa a LEONE IX. P. an. 1052.

(5) S. hic Martyr *Colonienſis* paſſim in antiquis liturgiis *Alemannicis* notatur. In elegantiſſimo codice ſec. circ. X. monaſterii *Gengenbacenſis* legitur etiam in Canone Miſſæ his verbis: *Gereonis, nec non & omnium Sanctorum tuorum, quorum hodie per univerſum mundum in conſpectu gloriæ tuæ celebratur triumphus . . quorum meritis &c.*

(6) Videtur eſſe S. BURCHARDUS primus Epiſcopus *Herbipolenſis*, de quo in Martyrol. ad diem 14. *Oct.*

(7) Epiſcopus *Laureacenſis* & Mart. an. 284. vid. RADERI *Bavar. S.*

(8) Uterque in necrol. *San-Emmer.* habetur. UTA ſive ODA, ut in diplomate S. HENRICI Imp. an. 1002. nominatur, comitiſſa de *Moſpurg*, quarta recenſetur abbatiſſa inferioris monaſterii.

(9) Hæc videtur eſſe ITA comitiſſa de *Habsburg* cum WERNHERO epiſcopo *Argentinenſi*, de quo mox infra, cœnobii *Murenſis* fundatrix.

(10) De cæteris nil certi occurrit. WERINHERUS vero videtur eſſe epiſcopus *Argentoratenſis* Comes de *Habsburg*, al. WERNHERUS præcipuus monaſterii *Murenſis* inſtaurator; cuius obitum an. 1027. ad hanc ipſam diem 28. *Oct.* conſignat necrol. *Murenſe T. II. Geneal. diplom. Habsburg.* & *Fuldenſe* apud LEIBNITIUM.

(11) S. PIRMINIUS Epiſcopus & Abbas notatur in Martyrol. die 3. ſeq.

(12) Omnes hi in necrol. *San-Emmer.* etiam occurrunt. TUTA comitiſſa de FALCKENSTEIN quinta recenſetur abbatiſſa. Alii legunt IUTA vel GUTTA de *Tulneſing*, quam HUNDIUS etiam TUTAM nominat, quæ nona erat. De EILICA vid. ſupra ad XIIII. K. *Mart.* dubium vero, quænam ex his dicatur *parva.* EGILPERTUS denique ſive ENGELBERTUS Epiſcopus fuit *Paſſavienſis* ab an. 1045. uſque ad an. 1064. circ. apud HUNDIUM.

Digitized by Google

Non. Sanctorum Domnini & Quarti.
VIII. Id. *Florentii C. Truta monial. Vodalricus comes obierunt.* (1)
VII. Id. *Wilibrordi Epi. Ribkart monacha obiit.* Hiems oritur.
VI. Id. Natal. Sanctorum IIII. Coronatorum.
V. Id. S. Theodori M.
IIII. Id. Demetrii Epi.
III. Id. S. Martini Epi. Mennæ M.
II. Id. Sanctorum Mauruli, Arſacii C. *Imia mon. Willipirc obierunt.*
Idus S. Brictii Epi. *Lantrat mon. Reget obierunt.*
XVIII. *K.* Dec. Clementini. Theodotæ V.
XVII. K. Secundini, Fructuoſi.
XVI. K. S. Othmari Confeſſ. Eucharii Epi.
XV. K. Sol in Sagittarium. Aniani Epi. *Florini.*
XIIII. K. Platonis M. Romani. Iſicii.
XIII. K. Maximi. Simplicii Epi.
XII. K. Baſſi. Dionyſii
XI. K. Sci.
X. *K.* S. Cæciliæ V. Longini militis. *Hitta mon. obiit.*
VIIII. *K.* Sanctorum Clementis Epi. Columbani Abb.
VIII. *K.* Natl. S. Chryſogoni M. *Dictrat. mon. obiit.*
VII. *K.* S. Petri Epi.
VI. *K.* Nicandri. Caſſiani.
V. *K.* Optati Epi. Valeriani Conf.
IIII. *K.* Theodoli. Rufi M. *Tuta mon. obiit.*
III. *K.* Sanctorum Saturnini. Chryſanthi, Mauri, Dariæ V. Vigilia S. Andreæ Apoſtoli *Ego obiit.*
II. *K.* Paſſio S. Andreæ Apoſtoli. In iſto menſe nox habet horas XVI. dies VIII.

Dat duodena cohors ſeptem inde decemque Decembris.
December habet dies XXXI. Lunam. XXVIIII.
*K*al. Dec. Candidi. Eligii Epi. Finit V. emboliſmus. I. emboliſmus incipit.
IIII. N. Pontiani, Viviani. *Luitpirc mon. obiit.*
III. N. Agricolæ. Siſimi. *Lucii Conf.*
II. N. *Barbaræ V. Adalpurc mon. obiit.* IIII. emboliſmus incipit.
Non. S. Nicetii Epi & Conf.
VIII. Id. *Zoſimi. Nicolai Epi. Hartuuicus Eps.* (2)
VII. Id. Sabini. Eutationi Epi.
VI. Id. Sanctorum Euſebii, Iurani. *Zenonis Epi. Houzo obiit. Libia obiit.*
V. Id. Succeſſi. Geronti.
IIII. Id Melciadis Papæ. Eulaliæ V.
III. Id. S. Damaſi Papæ. Fuſciani.
II. Id. Victorici. Donati.
Idus S. Luciæ. Autperti Epi.
XVIIII. K. Ian. *Nicaſii.*
XVIII. K. Fauſti. Cæciliani.
XVII. K. Valentini. Concordii M.
XVI. K. Ignatii M. Victoris. *Heiliuuich. Amona. S. Adalbeid imperatrix obierunt.* (3)
XV. K. Sol in Capricornum. *Wunebaldi abbatis.* (4) *Chunigunt obiit.*
XIIII. K. Pauli Secundi.
XIII. K. Ammonis. Zenonis. Vigilia S. Thomæ Apoſtoli. *Ratila mon. obiit.*
XII. K. Natl. S Thomæ Ap. Solſtitium hyemale.
XI. K. Natl. Sanctorum XXX. Mart.
X. *K.* Iohannis. Felicis. Victoriæ V. *Sabina mon. obiit.*
VIIII. K. Vig. Nativitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti.
VIII. K. Nativitas Dni. S. Anaſtaſiæ.
VII. K. Paſſio S. Stephani Protomart.
VI. K. Aſſumtio S. Iohannis Evang.
V. K. Paſſio Sanctorum Innocentum.
IIII. K. S. Trophimi Epi. Obitus David regis. *Engilgart mon. obiit.*
III. K. Florentis. Perpetui Epi.
II. K. S. Silveſtri Papæ. Columbæ V.

---

(1) Forte hic eſt UDALRICUS comes de *Lenzburg.* de quo in actis *Murenſibus.*

(2) Duo apud HUNDIUM recenſentur huius nominis Epiſcopi *Ratisbonenſes*, quorum primus an. 1126. V. Non. *Mart.* alter an. 1164. XI. Kal. *Sept.* obiit, quibus diebus etiam in necrol. *San-Emmer.* notantur.

(3) Coniux OTTONIS S. Imp. quæ 16. *Dec.* an. 999. obiit.

(4) S. WUNIBALDUS abbas *Heidenheimenſis*, frater S. WILIBALDI epiſcopi *Eichſtetenſis.* Cæterum moniales per decurſum huius necrologii notatæ, aut *Ratisbonenſes* ſunt, aut *Hermetis-villanæ*, forte etiam nonnullæ *Berovienſes* noſtræ, cum iuxta Acta *Murenſia* circa an. 1082. GISELBERTUS *S. Blaſii* Abbas *Muros* miſerit *ſuos exteriores fratres cum ſororibus*, haud dubie ex monaſterio noſtro *Beraugenſi*, uti legitur in litteris fundationis monaſterii *Vahrenſis* an. 1130., quod fundatum eſt *pro religioſis feminis monaſticæ profeſſionis, ſecundum regulam ſcilicet & ordinem ſanctimonialium, in* Murenſi *vel* Peraugenſi (i. e. Berovienſi) *cœnobio Deo ſervientium.* Certe pleraque hæc nomina recentiore nonnihil manu addita ſunt, ſive demum factum id fuerit ante, quam codex iſte ad *Murenſes* pervenerit, ſive poſtea primum. Cum enim, ut ſupra vidimus, *Murenſes* fundatorum ſuorum nomina inſeruerint, non dubium, quin & illa ſororum, aliqua ſaltem, adpoſuerint.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

Digitized by Google

MONVMENTA
VETERIS
LITVRGIAE
ALEMANNICAE.

PARS ALTERA.

COMPLECTITVR EA,
QVAE AD CELEBRATIONEM SACRAMENTORVM,
OFFICIA QVAEQVE ECCLESIASTICA PERTINENT.

ACCEDIT

PARS III. RITVALIS,
PARS IV. HERMENEVTICA.

EX ANTIQVIS MANVSCRIPTIS CODICIBVS COLLEGIT
ET DIGESSIT

MARTINVS GERBERTVS
MONASTERII ET CONGREG. S. BLASII IN SILVA NIGRA ABBAS
S. Q. R. I. P.

PERMISSV SVPERIORVM.

TYPIS SAN-BLASIANIS MDCCLXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

ELENCHUS
MONUMENTORUM
IN SECUNDA HAC PARTE CONTENTORUM.

Ordo baptiſmi ex codice *Turicenſi* ſæc. IX. circ. pag. 1.
Ordo baptiſmi ex cod. bibl. Cæſ. *Vind.* ſæc. X. 5.
Ordo Confirmationis. 10.
Benedictiones ſuper confirmatos ex cod. *Vind.* ſæc. XII. vel XIII. 11.
Iudicium pœnitentis ex antiquiſſimo *Alemanniæ* ſacramentario an. M. circ. 12.
Excarpſus de aliis pluribus pœnitentiis & canonibus; de vitiis gulæ & ebrietate &c. 14.
De Canon. anchoritanis. De inceſtis. 17.
De furto & incendio, & ſepulcrorum violatoribus &c. 19.
De periurio & falſo teſtimonio. 20.
De Homicidio & ſanguinis effuſione ſine morte &c. 20.
De ira, triſtitia, odio, maledicto, detractione &c. 21.
De baptiſmo Reiterato. 22.
De miniſterio eccleſiæ, & reædificatione, de Miſſis, & diverſis negligentiis. 22.
De ſancto ſacrificio. 23.
De Reconciliatione & diverſis multis malis. 24.
Ordo ad dandam pœnitentiam ex cod. Mſc. bibl. Cæſ. *Vindob.* ſæc. X. 25.
Ordo ad reconciliandos pœnitentes ex codice Mſc. bibl. *Vindob.* ſæc. X. vel XI. 27.
Orationes ad viſitandum infirmum ex cod. Mſc. bibl. *Vind.* ſæc. X. 29.
Confeſſio peccatorum *Theotiſca.* 31.
Ordo ad viſitandum infirmum ex cod. *Rhenaug.* ſæc. XI. circ. 36.
Ordo quatuor temporum ex Mſc. *Turicenſi* ſæc. IX. circ. 38.
Sabbato Pentecoſtis in XII. lectionib. 39.
Ordo, qualiter in *Romana* eccleſia presbyteri diaconi & ſubdiaconi eligendi ſunt. 40.
Capitula S. Gregorii Papæ. *ib.*
Ordinatio Subdiaconi &c. *ib.*
Benedictio Epiſcoporum ex cod. *Vindob.* ſæc. IX. 42.
Ex Pontificali Mſc. Biblioth. *San-Blaſ.* ſæc. XIV. Ad faciendum Ordines ſacros &c. 44.
Ordo ad Sponſas benedicendas. Ex cod. bibl. Cæſ. ſæc. IX. 45.
Oratio ad viſitandum infirmum. Ex cod. *Vindob.* ſæc. IX. *ib.*
Ordo, quomodo eccleſia debeat dedicari ex cod. *Turicenſi* ſæc. IX. circ. 47.
Ordo, quomodo in *S. Romana* eccleſia reliquiæ conduntur. 49.

X 2 Be-

Digitized by Google

Benedictio ornamentorum pontificalium. Ex Mſc. *Rhenaug.* ſæc. XI. 52.
- - - - it. presbyteralium. *ib.*
Benedictio linteaminum & omnium vaſorum & inſtrumentorum in uſum eccleſiæ. 55.
Conſecratio Cymeterii ex cod. *Vind.* ſæc. XII. vel XIII. 58.
Ordo in dedicatione baptiſterii ex cod. *Vindob.* ſæc. X. vel XI. 59.
Ordo ad benedicendum eccleſiæ ſignum ex cod. 61.
Reconciliatio violatæ eccleſiæ ex codice *Vindob.* ſæc. XII. 63.
Benedictio eccleſiæ novæ. *ib.*
Benedictio maior aquæ & ſalis ex cod. *Vindob.* ſæc. X. vel XI. 64.
Benedictio ſalis & aquæ ex Mſc. *Vindob.* ſæc. XII. vel XIII. 66.
Exorciſmus ſalis & aquæ ſuper infirmos S. Gregorii Papæ ex cod. *Vind.* 68.
Benedictio cereorum IV. Non. *Febr.* ex cod. *Vind.* ſæc. X. 70.
Eadem ex cod. *Rhenaug.* ſæc. XI. circ. 71.
Benedictio ſuper Ramos palmarum ex ſacramentario *Rhenaug.* 73.
Eadem ex cod. *Vind.* ſæc. IX. *ib.*
- - - It. 74. It. ex cod. *Rhenaug.* 75.
In Cœna Domini ex cod. *Vindob.* ſæc. X. 76.
Feria VI. in Paraſceven. 80.
Sabbato ſancto. 81.
Verſus in Cœna Domini, in Paraſceve & Sabbato ſancto ex cod. *Vindob.* ſæc. X. 84.
Benedictio ignis novi ex eodem cod. 86.
Incipiunt Letaniæ ex eodem cod. *Vindob.* 87.
Benedictiones variarum rerum ex eodem codice *Vindob.* 92.
Ordo ad Clericum faciendum, it. Monachum &c. ex cod. *Rhenaugienſi* ſæc. XI. 93.
Conſecratio ſacræ Virginis, quæ in Epiphania vel in ſecunda feria Paſchæ, aut in natalitiis Apoſtolorum celebratur. Ex cod. *Vind.* ſæc. X. 95. & 101.
Conſecratio Viduæ &c. Ex cod. 98.
Ordinatio Abbatiſſæ canonicam profitentis regulam. 98.
- - - It. monaſticam, ex canone Theodori Archiepiſcopi *Anglor.* Ex cod. monaſt. *Murenſis* ſæc. circ. XI. 99.
Benedictio & oratio ad monachas faciendas. 102.
Profeſſio regularis. 103.
Ordinatio Abbatis ex canone Theodori. Ex cod. *Vind.* ſæc. X. 104.
Ordo ad Regem benedicendum ex cod. *Vind.* ſæc. XII. vel XIII. 105.
Benedictio Reginæ. 109.
Benedictio vexilli ex cod. *Vind.* mox cit. 110.
Benedictio ſuper capſellas & fuſtes ex eodem cod. 111.
Conceſſio ingenuitatis, quando quis procerum ſervum ſui iuris ire ad ſacros ordines permiſerit ex cod. Mſc. *San-Blaſ.* ſæc. IX. 112.
- - - it. ex cod. *Rhenaug.* ſæc. X. circ.
Charta commendatitia, ſeu literæ formatæ ex eod. cod. *Rhenaug.* 113.
Ordo excommunicationis, qualiter unusquisque incorrigibilis anathematizari debeat ex cod. *Vind.* ſæc. XII. vel XIII. 115.
Benedictio ferri iudicialis ex cod. *Vind.* olim *Augienſi* ſæc. IX. 117.

Be-

Digitized by Google

Benedictio ignis & ferri ſive aquæ ex cod. *Vindob.* ſæc. X. vel XI. 118.
Iudicium aquæ frigidæ ex cod. *Vindob.* ſæc. X. 119.
Ordo probandi per aquam, ignitos vomeres, panem & caſeum ex cod. *Rhenaug.* ſæc. XI. aut XII. 121.
Benedictio ferri iudicialis. 122.
- - - it. aquæ. 123.
Iudicium ad vomeres. 124.
Benedictiones variarum rerum. 125.
Adiuratio virorum. 126.
Impoſitio manuum energumeno Catech. ex cod. *Rhenaug.* antiquiſſimo. 127.
Orationes contra dæmoniacum ex cod. *Vind.* ſæc. X. 128. &c.
Impoſitio manuum ſuper energumenum Caticuminum. 134.
Unctio Olei ſuper dæmoniacum. *ib.*
Benedictio aquæ cum ligno S. Crucis, it.
Benedictio ſalis & aquæ contra phantaſiam ſatanæ. 135.
Oratio ſuper dæmoniacum ex cod. *Vind.* ſæc. XII. vel XIII. 136.
Incipit obſequium circa morientes ex cod. *Vindob.* ſæc. X. 137.
Charta confœderationis inter S. Hugonem Abbatem *Cluniacenſem* & monaſt. *S. Blaſii.* Ex Autographo manu S. Hugonis ſignato. 139.
Charta confœderationis a Congregatione *Fructuarienſi* cum *S. Blaſii* initæ. *ib.*
Confœderationis a fratribus *S. Blaſii* cum monaſt. *Hirſaugienſi* &c. initæ inſtrumentum. 140.

Monumentorum Vet. Liturg. *Alemann.* Pars. III.

Incipiunt Decretalia Innocentii Papæ. Ex Mſc. *San-Gall.* ſæc. IX. 142.
Ordo proceſſionis ad eccleſiam ſive ad Miſſam ex cod. *Turicenſi* ſæc. IX. circ. collato cum Mſc. *Einſidlenſi* ſæc. X. circ. 144.
De officio Miſſæ. 149.
Liber de officio Miſſæ, ſeu expoſitio ethica, atque theorica per interrogationem & reſponſionem a quodam edita. Ex Mſc. *San-Blaſ.* ſæc. IX. circ. 156.
Incipit ratio canonum pœnitentiæ presbyteris dandæ. 166.
Incipit capitulare eccleſiaſtici ordinis. Ex Mſc. *San-Blaſ.* ſæc. IX. circ. 168.
De curſu diurno vel nocturno, qualiter hor. canonic. nuntiantur. Ex cod. *San-Gall.* ſæc. IX. 174.
Incipit inſtructio eccleſiaſtici Ordinis ex cod. *San-Gallenſi* ſæc. IX. 175.
Breviarium eccleſiaſtici Ordinis ex Mſc. *San-Blaſii* ſæc. IX. 177.
De Auctoritate ſacræ Scripturæ, quæ legitur in eccleſia in circulo Anni ex Mſc. *San-Blaſ.* ſæc. VIII. 179.
Ex Mſc. *Turicenſi* ſæc. IX. circ. 180.
Ex Mſc. *San-Gallenſi* ſæc. IX. 181.
Ex Cod. *Rhenaug.* ſæc. XI. vel XII. *ib.*
Ex Rituali Mſc. ſæc. XIV. Ordinis *Melitenſis.* 182.
De convivio ſeu prandio atque cœnis monachorum &c. Ex Mſc. *San-Gall.* ſæc. IX. 183.
De totius anni officiis ac miniſteriis. Ex codice Bibliothecæ Cæſ. *Vindob.* ſæc. XII. 186.
In Vigil. Nativit. Domini leguntur lectiones tres de Hysaia Proph. &c. 186.
Ordo in vigilia natalis S. Stephani. *ib.*

In vigilia S. Ioannis Apoſt. In natale SS. Innocentum, in octavis Domini, in vigilia &c. Theophaniæ. 187.
Ordo alius in Theophania. 188.
- - - in octava eiusdem, in purificatione S. Mariæ, in cathedra S. Petri. *ib.*
In Annuntiatione S. Mariæ, in prima veſpera Septuag. de Sexageſ. de Quinquageſ. de Quadrag. in Capite Ieiunii. 189.
Confeſſio pœnitentis. 190.
Miſſa pro Confeſſione. 192.
Incipit ordo vel denuntiatio ſcrutinii ad electos, quod tertia hebdomada in Quadrageſ. ſecunda feria inchoatur. 195.
- - - ordo a dominica mediana uſque in octavis paſchæ; diei Sabbati ante palmas; in die Palmarum. *ib.*
Benedictio frondium olivæ & palmarum. 196.
Oratio in communem benedictionem omnium. 197.
Ordo de officiis divinis in Cœna Domini feria quinta. 199.
Exorciſmus olei pro infirmis; it. Oratio ad conſummandam Chriſmatis benedictionem. 201.
Sermo de Chriſmate. 202.
Ordo in Paraſceve. 203.
Ordo in nocte Sabbati ſancti. it. in die, qualiter catechizantur infantes. 205.
Benedictio cerei & ceræ. 206--7.
Expoſitio S. Anastasii *Alexandrini* Epiſcopi de fide Catholica. 211.
In monaſteriis quomodo fiat in Sabbato ſancto. 216.
Ordo in vigilia Paſchæ. *ib.*
Benedictio Agni in Paſcha & aliarum Carnium. 218.
Ordo eodem die ſancto ad veſperam & uſque ad octavas Paſchæ. 219.
Ordo in letania maiore. 220. de eadem. 221.
- - - in inventione S. Crucis, in vigilia Aſcenſionis Domini, in Sabbato ſancto Pentecoſtes. 222.
- - - in nocte Pentecoſtes, in octava Pentecoſten, de ieiunio quatuor temporum. 223.
De Adventu Domini ex ordine operis Dei *San-Blaſ.* Mſc. ſæc. XIV. 224.
De ieiunio decimi menſis, de vigilia Natalis Domini. 225.
De Natali Domini. 226.
A feſto S. Stephani uſque ad octavam SS. Innocentum. 228.
In Purificatione B. M. V. in Septuageſima. 230.
In feſto S. Patroni Blasii. *ib.*
De primis Veſperis in Septuageſima. 231.
In Annuntiatione B. M. V. *ib.*
In Feria IV. Cinerum. 231.
In Dominica Palmarum, in Feria IV. ante Cœnam Domini, in Cœna Domini, 232.
In Paraſceve. 234.
In Sabbatho ſancto. 235.
In die S. Reſurrectionis Domini. 236.
In feſto S. Marci. In feſto Inventionis S. Crucis; de feriis Rogationum. 238.
In feſto Pentecoſtes. 239.
De Miſſa pro Abbate & Congregatione *Blaſiana*; Miſſa pro Congregatione, Miſſa matutina de SS. Trinitate; de Natalitiis Sanctorum, qualiter in Dominicis &c. peragantur 240.
Quando ſequentiæ in Miſſa omittendæ. 241.
Ordo feſtorum & ſacrarum Veſtium in choro. *ib.* De Lectionibus & Reſp. *ib.*

De

De Proceſſionibus ad altaria in eorum dedicatione & feſtis Patronorum. 242.
De Proceſſionibus in privatis diebus. 243.
De Proceſſione de S. Cruce & ad Capellam B. M. V. 244.
De Miſſa & proceſſione in tribulatione; it. quando Campanæ pulſandæ. *ib.*
De Candelis, quas cuſtos ad eccleſiam miniſtrare debet. 245.
De morte & ſepultura Abbatis, it. eius, qui in infirmaria moritur. 246.
De ſepultura Converſi, qui in veteri monaſterio mortuus. 247.
Quomodo Anniverſaria & Vigiliæ mortuorum peragendæ. *ib.*
De trigentenis pro defunctis. 248.
De his, qui petunt conſortium confraternitatis noſtræ. *ib.*
Quando Conventus ſuper genua in choro procumbere ſoleat. 249.
De Mandato fratrum in Sabbato, it. de Mandato pauperum. *ib.*
Quando eundum ad laborem, & in æſtate cœnandum. 250.
De Pſalmis familiaribus & proſtratis. 251.
De fratribus in viam dirigendis & revertentibus, Benedictio lectoris, Hebdomadarii coquinæ, de Hebdomadario chori. 253.
De hoſpitibus ſuſcipiendis. 254.
Ritus varii. 255.
Lectiones ad menſam in dominicis & feſtis Domini. 256.
Sermones in menſe Auguſto. 259.
- - - in menſe Septembri. *ib.*
- - - in menſe Octobri, Novembri. In feſtis Sanctorum in menſe Novembri, Decembri, Ianuario, Februario. 260.
- - - in menſe Martio, Aprili, Maio, Iunio, Iulio, Auguſto. 261. Item in menſe Septembri, Octobri, Novembri. 262.
De mutationibus, quæ ſub IOANNE I. Abbate acceſſerunt. *ib.*
Eiusdem conſtitutio circa Scholares monaſtici habitus. 263.

Monumentorum Vet. Liturg. *Alemann.* Pars. IV.

AMALARIUS *Trevirenſis* Archiepiſc. ad CAROLUM M. de Cæremoniis baptiſmi ex cod. *San-Blaſ.* ſæc. IX. vel X. 264.
Incipit expoſitio Miſſæ ex cod. *Turicenſi* ſæc. IX. 269.
Expoſitio ſuper Miſſam ex cod. *Einſidlenſi* ſæc. X. circ. 276.
Alia ex eodem. 282.
De Veſtimentis ſacerdotalibus. 290.
De ſacramentis Eccleſiæ, de officio Miſſæ, de ordine Miſſæ. 291.
Excerpta quædam ex eruditorum virorum Voluminibus de catholica eccleſia, & eius miniſtris, &c. *ib.*
De gradibus eccleſiaſticis, de ceteris fidelibus, de Baptiſmo. 292.
De myſteriis ſacri Baptiſmatis. 293.
Incipit opuſculum de actione Miſſarum ex Mſc. *San-Blaſ.* ſæc. XIII. circ. *ib.*
Incipit expoſitio de actione Miſſar. ex eod. 299.
De corpore & ſanguine Domini. 324.
Item in urbe *Roma* coram GREGORIO VII. Papa. 326.

De

Digitized by Google

De eccleſiaſticis obſervationibus Opuſculum poſt Pamelii & Hittorpii editiones ad Mſc. *San-Blaſianum* ſæc. XIII. recognitum.

De Introitu Miſſæ. 327.
De *Gloria in excelſis*, & *Dominus vobiſcum.* 328.
De prima oratione in Miſſa. *ib.*
De numero orationum in Miſſa. *ib.*
De authenticis orationibus. *ib.*
De concluſione orationum. 329.
De epiſtola ad Miſſam legenda. *ib.*
De evangelio, in qua parte ſit legendum. *ib.*
De oblatione in altari componenda. 330.
Quid ſuper oblatione ſit dicendum. *ib.*
Quid auctum ſit in canone. 331.
Quid ſuperfluum ſit in canone. *ib.*
De ſignis, quæ ſuper oblatam fiunt. 332.
De acceptione oblationis in manus. *ib.*
De commemoratione dominicæ paſſionis. 333.
De commemoratione mortuorum, & reliquis obſervantiis uſque in finem canonis. *ib.*
De panis fractione & cōmunicatione. 334.
De vitanda intinctione. *ib.*
Repetitio a ſuperioribus Miſſæ. *ib.*
De benedictione poſt Miſſam. 335.
Quid ſacerdos agat poſt Miſſam. *ib.*
Brevis deſcriptio celebrandæ Miſſæ. 336.
De ieiunio vernali. 338.
De ieiunio æſtivali. 339.
De ieiunio autumnali. 340.
De ieiunio hyemali. 341.
De officiis eorundem ieiuniorum. *ib.*
De vacantibus Dominicis. 342.
De Adventu Domini. *ib.*
De evangelio, *Cum appropinquaret.* 343.
De hiſtoria, *Clama. ib.*
De ſeptem diebus ante natale Domini. *ib.*
In natali Domini. 344.
De ſecunda veſpera S. Stephani. *ib.*
De Innocentibus. *ib.*
De officio, dum medium ſilentium. 345.
De eodem officio in alia Dominica repetendo. *ib.*
De octava Domini. *ib.*
De Epiphania. 346.
De Dominicis poſt Epiphaniam. *ib.*
De duobus feſtis in unum diem concurrentibus. 347.
De Martyribus *Romanis* pontificibus. *ib.*
De octavis Sanctorum. *ib.*
De priori veſpera Dominicali. 348.
De Aqua aſperſionis, *Gloria in excelſis Deo*, *Ite Miſſa eſt*, & *Credo. ib.*
De Septuageſima. *ib.*
De feſtis infra Septuageſimam vel Quinquageſimam occurrentibus. *ib.*
De capite Ieiunii. 349.
De Quadrageſima. *ib.*
De oratione ſuper populum. 350.
De diebus Dominicæ paſſionis. *ib.*
De Sabbato ſancto. 351.
De Paſchali obſervatione. *ib.*
De feſtis infra Paſchale tempus. 352.
De Paſcha annotino. *ib.*
De Litaniis. *ib.*
De hebdomada Pentecoſtes. 353.
De octavis Pentecoſtes. *ib.*
De officio ſanctæ Trinitatis. *ib.*
De concordia & ordine officiorum. 354.
De Dominicali officio non facile prætermittendo. 354.

MO-

Digitized by Google

MONUMENTA
VETERIS LITURGIÆ ALEMANNICÆ.
PARS II.

Ex Codice Turicenſi ſæc. IX. circ.

Incipit Ordo vel Denuntiatio (1) ad Electos (2)

quod tertia Hebdomada in Quadrageſima ſecunda Feria initiatur.

Scrutinii diem, dilectiſſimi fratres, quo electi noſtri divinitus inſtruantur, imminere cognoſcite; ibidemque ſollicita devotione ſuccedente ſequente quarta feria circa horam tertiam convenire dignemini, ut cœleſte myſterium, quo diabolus cum ſua pompa deſtruitur, ianua regni cœleſtis aperitur, inculpabile Domino iuvante miniſterium peragere valeamus. *Ut autem ad eccleſiam venerint, ſicut diximus, quarta feria hora tertia, ſcribantur nomina infantum, vel eorum, qui eos ſuſcepturi ſunt, ab acolito, & vocantur ipſi infantes ab acolito in eccleſia per nomina vel ordine ſicut ſcripti ſunt, ita dicendo :* Ille puer, *& ſic per ſingulos eorum, ſtatuuntur maſculi ſeorſum ad dexteram partem;*

Illa

(1). Suppl. *Scrutinii*, ut paſſim in veteribus ordinibus ad faciendum ſcrutinium legimus: quo nomine omnia illa exercitia ſacra veniunt, quibus catechumeni certis quadrageſimæ feriis ad baptiſmum præparabantur; ſcilicet preces, exorciſmi, traditio & redditio ſymboli, ac dominicæ orationis. Quæ omnia eo fine antiquitus inſtituta ſunt, ut innoteſceret ſacrorum miniſtris, quibus conferendus, quibusve diutius differendus foret baptismus. Periculum profanationis S. baptismatis neglecto ſcrutinio prodit THEODULPHUS *Aurel.* cap. 8. de baptiſmo, ubi, *qui illius ſunt ætatis*, inquit, *ut rationem credulitatis ſuæ reddere poſſint, diligenti examine ſcrutandi ſunt, utrum veraciter credant, an alicuius falſitatis in eis macula celetur, ne dum aut timore aut favore terrenarum poteſtatum, aut adquiſitione quarumdam rerum ad baptiſmatis ſacramentum ignorantibus miniſtris Eccleſiæ perveniant, tradatur ſanctum canibus, & margaritæ mittantur ante porcos, & lupi ovina pelle veſtiantur.*

(2) Electorum tertia fuit catechumenorum claſſis, prima vero audientium, ſecunda competentium. Sed quandoque etiam promiſcue ſumebantur hæc nomina, nec ſcrupuloſe adeo una poſt alteram ſeſe mutuo inſequebantur hæ claſſes, ut invicem ſe excluderent. Certe dominica palmarum *Paſcha petitum*, ſeu competentium dicebatur; cum hic feria ſecunda poſt dominicam quartam denunciatio ſcrutinii ad electos fiat, celebrioris nimirum proxima feria quarta celebrandi, cui reſpondet miſſa *cum ſanctificatus fuero* perinde ac ſabbati inſequentis officium. Scrutinia autem omnino ſeptem erant; quorum duo prima fiebant feria IV. & ſabbato hebdomadæ tertiæ in quadrageſima, tertium feria IV. quartæ hebdomadæ, quartum & quintum diebus ab epiſcopo aut presbyteris quinta hebdomada aſſignatis, ſextum & ſeptimum ad eorundem arbitrium in ultima hebdomada, ut notat MARTENIUS ex antiquiſſimo codice cœnobii *Wertinenſis* diœceſis *Monaſterienſis*. Porro ritus, quem hic damus non ad uſque baptiſmum pertingit, concluditur quippe in codice *Turicenſi* miſſa feriæ IV. maioris hebdomadæ manca quidem, exciſo folio, ut tamen agnoſcatur officium ex ultimis verbis orationis poſtcommun. *Vitam nobis dediſſe perpetuam confidamus. Per eundem.* Super populum. *Reſpice Domine quæſumus ſuper hanc familiam tuam pro qua Dominus noſter IESUS Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum.*

Digitized by Google

Illa virgo, *& ſic per ſingulas, ſtatuuntur feminæ ſeorſum ad ſiniſtram partem; & imprimis faciat presbyter in ſingulorum frontibus crucem cum pollice ita dicendo*: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; *& imponit manum ſuper capita eorum dicit:* Omnipotens ſempiterne Deus, reſpicere digneris &c.

Item ſuper feminas facit ſimiliter. Et poſtea benedicit ſal hoc modo: Exorcizo te creatura ſalis &c. *Et mittit de ipſo ſale in ore infantum per ſingulos dicens*: Accipe il. tal. ſalem ſapientiæ propitiatus in vitam æternam. *Inde vero exeant foras eccleſiam & expectent horam, quando revocentur. Tunc primum incipiat clerus antiphonam ad introitum:* Dum ſanctificatus fuero; *qua finita dicit:* Oremus. Da, quæſumus, Dne, electis noſtris digne atque ſapienter ad confeſſionem tuæ laudis accedere, ut dignitati priſtinæ, quam originali transgreſſione perdiderant, per tuam gratiam reformentur. Per Dnm. *Et poſtea ſedet in ſella ſua, & dicit Diaconus:* Catecumeni procedant, *& vocantur infantes ab acolito per nomina vel per ordinem, ut ſcripti ſunt, & ſtatuuntur ut prius; & poſtmodum admonentur a diacono:* Orate electi; flectite genua: *Et poſtquam oraverint, dicit:* Levate, complete orationem veſtram in unum, & dicite: Amen. *Et reſpondent omnes:* Amen. *Item dicit diaconus:* . . . .

Adnuntiante propheta ſignati ſunt, ne forte ſine hac ordinis ratione vel cauſa ſtuporem vobis in mentibus relinquamus; & quia ad hoc veniſtis, ut aures vobis aperiantur, ne incipiat ſenſus veſter obtundi; evangelium dicitur proprie bona adnuntiatio, quæ utique adnuntiatio eſt Ieſu Chriſti Dni noſtri. Deſcendit autem evangelium ab eo, quod adnunciet & oſtendat, quod is, qui per prophetas ſuos loquebatur, venit in carnem; ſicut ſcriptum eſt: qui loquebar, ecce adſum. Explicantes autem breviter, quid ſit evangelium, vel qui ſint hi quatuor, qui per prophetas ante monſtrati ſunt. Nunc ſua quæque nomina ſingulis adſignemus indiciis; ait enim propheta Ezechiel: Et ſimilitudo vultus eorum, & facies hominis, & facies leonis a dextris illius, & facies vituli, & facies aquilæ a ſiniſtris illius. Hi quatuor has figuras habentes, evangeliſtas eſſe, non dubium eſt; ſed nomina eorum, qui evangelia ſcripſerunt, hæc ſunt: Mathæus, Marcus, Lucas, Iohannes.

Et adnuntiat diaconus dicens: State cum ſilentio, audite intente; *& dicit:* Dnus vobiscum; *& incipiens legit* initium evangelii ſecundum Mathæum: Chriſti autem generatio ſic erat; *uſque* ipſe autem ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. *Iterum adnuntiet diaconus ut ſupra,* ſtate cum ſilentio, *& poſt hæc tractet presbyter his verbis*: Filii chariſſimi! ne diutius ergo vos teneamus, exponimus vobis, quam figuram unusquisque in ſe contineat, & quare Mathæus figuram hominis habeat, qui initio ſuo nihil aliud agit, niſi nativitatem Salvatoris pleno ordine generationis enarrat, ſicut enim cœpit Liber generationis Ieſu Chriſti filii David filii Abraham. videtis, quia non immerito huic hominis adſignata perſona eſt, quando ab hominis nativitate initium comprehendit; nec immerito, ut diximus, huic myſterio adſignata eſt Mathæi perſona.

Iterum adnuntiat diaconus ut ſupra, ſtate cum ſilentio, audientes intente: *& legit* Initium ſancti evangelii ſecundum Marcum, *uſque* Ego baptizo vos aqua, ille vero baptizavit Spiritu ſancto. *Et proſequitur presbyter his verbis:* Marcus evangeliſta, leonis gerens figuram a ſolitudine incipit dicens: Vox clamantis in deſerto, parate viam Domini; ſive quia regnavit invictus. Huius leonis multifarie (1) invenimus exempla, ut ñ uagit (2) dictum illud: Iuda filius meus catulus leonis de germine mihi aſcendiſti. Recubans dormivit ut leo, & ſicut catulus leonis, quis excitavit eum?

Iterum adnuntiat diaconus ut ſupra: State cum ſilentio audientes intente; *& legit* initium ſancti evangelii ſecundum Lucam, *uſque* Parare Dno plebem perfectam. *Et ſequitur presbyter his verbis*: Lucas evangeliſta vituli ſpeciem geſtat, ad cuius inſtar Salvator noſter eſt immolatus. Hic Chriſti evangelio locutus ſic concepit de Zacharia & de Elyſabeth, de quibus Iohannes Baptiſta in ſumma natus eſt ſenectute; & ideo Lucas vitulo comparatur: quia duo cornua duo teſtamenta, & quatuor pedum ungulas quatuor evangelia, quaſi tenera firmitate naſcentia, in ſe pleniſſime continebat.

Iterum adnuntiat diaconus ut ſupra, ſtate cum ſilentio, audientes intente: *& legit* initium ſancti evangelii ſecundum Iohannem, *uſque* plenum gratia & veritate; *& proſequitur presbyter his verbis:* Iohannes habet ſimilitudinem aquilæ, eo

(1) MARTEN. L. I. cap. I. Art. XII. de antiq. Eccleſ. rit. n. XII. *multifaria.*

(2) MABILLON. in Sacram. *Gallic.* T. I. Muſ. *Ital.* P. II. p. 311. & MARTEN. l. c. *ut non vacet &c.* reliqua aliquantiſper variant.

Digitized by Google

eo quod nimis alta petierit; ait enim: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum. Et David de perſona Chriſti: Renovabitur ſicut aquilæ iuventus tua, id eſt Ieſu Chriſti Dni noſtri, qui reſurgens a mortuis aſcendit ad cœlos. Unde iam vobis conceptis prægnans gloriatur eccleſia, omni feſtivitate votorum ad nova tendere chriſtianæ legis exordia, ut ad venientem diem paſchæ lavacrum baptiſmatis renaſcentes ſicut Sancti omnes mereamini fidele munus infantiæ a Chriſto Dno noſtro percipere, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Incipit Præfatio Symboli ad Electos.

Antequam dicas Symbolum, his verbis proſequeris:

Dilectiſſimi nobis accepturi ſacramenta baptiſmatis, & in novam creaturam ſancti Spiritus procreandi, fidem qua credentes iuſtificandi eſtis, toto corde concipite, & animis bonam converſationem mutate ad Deum, qui mentium veſtrarum eſt illuminator. Accedite ſuſcipientes evangelici ſymbolum Sacramenti, a Deo inſpiratum, ab apoſtolis inſtitutum, cuius pauca quidem verba ſunt, ſed magna myſteria; ſanctus etenim Spiritus, qui magiſtris eccleſiæ iſta dictavit, tali eloquio talique brevitate ſalutiferam condidit fidem, ut, quid credendum nobis eſt, ſemperque profitendum, nec intelligentiam poſſit latere, nec memoria fatigari. Intentis itaque animis ſymbolum diſcite; & quod vobis, ſicut accepimus, tradimus, non alicui materiæ, quæ corrumpi poteſt, ſed paginis veſtri cordis adſcribitur. Confeſſio itaque fidei, quam ſuſcepiſtis, hoc inchoatur exordio. *Poſt hæc accipiens acolytus unum ex ipſis infantibus maſculum, tenens in ſiniſtro brachio, ponens manum ſuper caput eius, & interrogat presbyter*, qua lingua confitetur Dnm Ieſum? ℟ *acolytus*: latina; *& dicit presbyter:* Adnuntia fidem ipſorum qualiter credent; *& ille cantat ſymbolum:*

Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ; & in Ieſum Chriſtum Filium eius unicum Dnum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto; natus ex Maria Virgine; paſſus ſub Pontio Pilato; crucifixus, mortuus; & ſepultus; deſcendit ad inferna; tertia die reſurrexit a mortuis; aſcendit ad cœlos; ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus iudicare vivos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum; ſanctam eccleſiam catholicam; Sanctorum communionem; remiſſionem peccatorum; carnis reſurrectionem; vitam æternam amen.

Et dum hoc cantat, ſemper manum ſuper caput infantis tenet; hoc finito iterum accipiens alter acolitus ex ipſis infantibus feminam ſicut ſupra, & interrogat presbyter ſicut antea, & ipſe cantat ſymbolum ſicut ſupra ſcriptum eſt. Hoc expleto ſequitur presbyter his verbis:

Hæc ſumma fidei veſtræ, dilectiſſimi nobis! hæc verba ſunt ſymboli, non ſapientiæ humanæ ſermone ſunt facta, ſed vera divinitus ratione diſpoſita, quibus comprehendendis atque ſervandis, nemo non idoneus, nemo aptus; hic Dei Patris & Filii una æqualis pronuntiatur poteſtas; hic unigenitus Dei de Maria Virgine & Spiritu ſancto ſecundum carnem natus oſtenditur; hic eiusdem crucifixio & ſepultura, ac die tertia reſurrectio prædicatur; hic aſcenſio ipſius ſuper cœlos, & confeſſio in dextera paternæ maieſtatis agnoſcitur, venturus atque ad iudicandos vivos ac mortuos declaratur; hic Spiritus ſanctus in eadem qua Pater & Filius Deitate indiſcretus accipitur; hic poſtremo eccleſiæ vocatio, peccatorum remiſſio, & carnis reſurrectio prædicatur; quæ breviſſima plenitudo ita debet veſtris cordibus inhærere, ut omni tempore præſidio huius confeſſionis utamini; invicta eſt enim talium armatorum poteſtas, & contra omnes vobis inſidias diaboli, tamquam bonis Chriſti militibus, profutura. Diabolus, quia hominem tentare non deſiſtit, munitos nos hoc ſymbolum inveniat, ut devicto adverſario, cui renuntiaſtis, gratiam Dni incorruptam & immaculatam uſque in finem ipſum, quem confitemini, protegentem ſervetis. In quo peccatorum remiſſionem accipitis, in eo gloriam reſurrectionis habetis. Ergo dilectiſſimi, præfatum Symbolum catholice in præſenti cognoviſtis; nunc euntes edocimini nullo mutato ſermone; potens eſt enim Dei miſericordia, quæ & vos ad baptiſmi fidem currentes perducat, & nos, qui vobis myſteria tradimus, una vobiſcum ad regna cœleſtia faciat pervenire, per eundem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum &c.

Item Præfatio Orationis dominicæ.

Diaconus dicit: ſtate cum ſilentio, audientes intente; *& ſequitur Presbyter his verbis:* Dominus & Salvator noſter Ieſus Chriſtus inter cætera ſacra præcepta diſcipulis ſuis, petentibus quemadmodum orare deberent, non ſolum formam orationis conceſſit, verum etiam qua mente & purita-

Digitized by Google

te precarentur, oſtendit, ut in præſenti ſacra hæc lectio demonſtravit: Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum. Cubiculum, quod nominat, non occultam domum oſtendit, ſed cordis noſtri ſecretum; id eſt, ut malæ cogitationi pectus noſtrum myſtica fidei clave claudamus, ac labiis clauſis incorrupta mente Deo loquamur; Deus enim noſter fidei non vocis author eſt; ergo unde ſermo eſt, id eſt ſapientia Chriſtus Dns noſter hanc orationem nos docuit, ut ita oremus:

Pater noſter, qui es in cœlis!

Hæc libertatis vox eſt & plena fiducia. Ergo his nobis moribus eſt vivendum, ut & Filii Dei & fratres chariſſimi eſſe poſſimus; nam Patrem ſuum Deum qua temeritate dicere præſumit, qui ab eius voluntate degenerat? unde vos dilectiſſimi dignos exhibete adoptione divina, quoniam ſcriptum eſt: Quotquot autem crediderunt in eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.

Sanctificetur nomen tuum.

Id eſt, non quod Deus noſtris ſanctificetur orationibus, qui ſemper eſt Sanctus, ſed petimus, ut nomen eius ſanctificetur in nobis, ut qui in baptiſmate eius ſanctificamur, in id, quod eſſe cœpimus, perſeveremus.

Adveniat regnum tuum.

Deus namque noſter quando non regnat, maxime cuius regnum eſt immortale? Sed cum dicimus: adveniat regnum tuum, regnum petimus advenire a Deo nobis promiſſum, Chriſti ſanguine & paſſione quæſitum.

Fiat voluntas tua ſicut in cœlo, & in terra.

Id eſt, fiat voluntas tua, ut, quod tu vis in cœlo, hoc nos in terra irreprehenſibiliter faciamus.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Hic ſpiritalem cibum intelligere debemus; Chriſtus enim panis eſt noſter, qui dixit: Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi; quem quotidianum dicens ita nos ſemper immunes præcepit eſſe peccati, ut digni ſimus cœleſtibus alimentis. (1)

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Hoc pactum eſt ſignificans, non nos aliter peccatorum poſſe veniam promereri, niſi prius nos in nobis delinquentibus aliis veniam relaxemus; ſicut in evangelio Dns noſter dicit: Niſi dimiſeritis peccata hominibus, nec vobis Pater veſter dimittet peccata veſtra.

Et ne nos inducas in tentationem.

Id eſt, ne nos patiaris induci ab eo, qui tentat pravitatis auctor (2) eſt, nam dicit ſcriptura: Deus enim intentator eſt malorum: diabolus vero eſt tentator,

(1) Obſcurius hic quarta orationis dominicæ petitio de pane ἐπιουσίῳ ſuperſubſtantiali, id eſt euchariſtia explanatur, aliquando etiam exſplicari omiſſa, myſtica idcirco quoque oratio dicta: veluti S. CHRYSOSTOMO Hom. XIV. in epiſt. ad *Rom.* n. 3. T. IX. p. 578. *Quodnam illud?* in quo clamamus abba Pater! *Hoc autem quantum ſit ſciunt initiati, quod myſtica precatione hæc primo dicere iubeantur. Quid ergo, inquies, an non & illi Deum vocabant Patrem? Non audis Moyſen dicentem:* Deum, qui te genuit dereliquiſti? *Non audis Malachiam exprobrantem ac dicentem:* Deus unus creavit nos, & unus Pater eſt omnium noſtrum? *Verum licet hæc & multo plura dicta fuerint, nusquam invenimus eos hoc nomine Deum vocantes, neque ſic precantes. Nos autem omnes ſacerdotes & idiotæ & principes & ſubditi ſic precari iuſſi ſumus, & hanc primam emittimus vocem, poſt mirabiles illos natales, poſt novam & ſtupendam incunabulorum legem.* Propius vero ad rem omnem illam, quam hic præ oculis habemus idem *Hom.* XL. in epiſt. I. ad Cor. T. X. in illa verba: *Alioqui quid facient qui baptizantur pro mortuis?* ob catechumenos tacite omnia illa innuit fidelibus, quæ proxime ante immerſionem fiebant circa profeſſionem etiam fidei in utraque eccleſia orientali & occidentali frequentatam: *Vobis primum* (pergit CHRYSOSTOMUS pag. 379.) *qui myſteriis eſtis initiati, volo in memoriam revocare eam dictionem, quam in illa veſpera iubent vos dicere qui myſterio initiant: & tunc quid dicat Paulus explicabo. Sic enim hoc quoque vobis erit dilucidius. Nam poſt alia omnia hoc addimus, quod nunc dicit Paulus. Et volo quidem aperte hoc dicere, non audeo autem propter eos, qui non ſunt initiati: ii enim expoſitionem nobis faciunt difficiliorem, ut qui nos cogant vel non aperte dicere, aut eis arcana enunciare. Sed tamen dicam, quoad eius a me fieri poterit, tecte & adumbrate. Nam poſt myſticorum illorum & terribilium verborum enuntiationem, & horrendas regulas dogmatum, quæ a cœlo ſunt demiſſa, hoc quoque in fine addimus, quando ſumus baptizandi, iubentes dicere, Credo in reſurrectionem mortuorum: & in hac fide baptizamur. Poſtquam enim hoc confeſſi ſumus cum aliis, tunc demittimur in fontem ſacrorum illorum fluentorum.* Perinde hoc fit ritu latino, ſed catechumenis prius explicabatur tum ſymbolum cum oratio dominica, viciſſimque hi in gradu competentium conſtituti reddebant. Vid. Diſquiſ. V. in Vet. lit. *Alem.* cap. 1. T. II. p. 430. &c.

(2) MARTEN. l. c. n. XIV. *pravitatis auctore.*

Digitized by Google

tentator, ad quem vincendum Dns dicit: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

Sed libera nos a malo.

Hoc ideo ait: quia dixit Apoſtolis: Neſcitis, quid vobis oporteat orare. unde Deus omnipotens ita a nobis orandus eſt, ut quidquid humana fragilitas capere non prævalet, hoc ille propitius nobis conferre dignetur Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui vivit & regnat cum Deo Patre & Spiritu ſancto per omnia ſæcula ſæculorum. *Et dicit diaconus:* State cum ſilentio, audientes intente, *& proſequitur presbyter bis verbis:*

Audiſtis dilectiſſimi dominicæ orationis ſancta myſteria; nunc euntes ea veſtris cordibus innovate, ut ad exorandam & ad percipiendam Dei miſericordiam perfecti in Chriſto eſſe poſſitis. Potens eſt Dns Deus noſter, ut & vos, qui ad fidem curritis, ad lavacrum aquæ regenerationis perducat, & nos, qui vobis myſterium fidei catholicæ & una tradidimus, vobiſcum ad cœleſtia regna faciat cum Deo Patre pervenire in unitate Spiritus ſancti per &c. *Ipſa expleta adnuntiat Diaconus:* catecumeni recedant: ſi quis catecumenus eſt, recedat; omnes catecumeni exeant foras; *egreſſi vero parentes cum infantibus eorum foris, relinquunt ipſos infantes in cuſtodia.* (1)

Ex Cod. theol. 685. bibl. Caſ. Vind. ſæc. X. Incipit ecce ſacri rectus baptiſmatis ordo. (2)

Primum vero ante ianuas eccleſiæ presbyter incipiat ſacramentum baptiſmatis ita dicendo: Abrenuntias ſatane ℟. Abrenuntio. Et omnibus operibus

---

(1) Puto hic ſecretarium eccleſiæ indigitari. Cuſtodiæ nomen vero mutuatum exiſtimo ab actione pœnitentiæ publica uſitata tunc temporis, quo hic codex exaratus eſt circa ſæc. IX. dum nimirum tempore quadrageſimæ includebantur, uti legere eſt in antiquioribus ſacramentariis *& includis &c.* Olim autem ab ineunte eccleſia præparatio ad baptiſmum rationem quandam ſatis rigidæ pœnitentiæ per haud abſimiles ſtationes habebat, nempe *ipſis diebus* (ut cum S. AUGUSTINO loquar de fide & oper. c. 6.) *quibus catechizantur, exorcizantur, ſcrutantur, quanta vigilantia conveniant, quo ſtudio ferveant, qua cura pendeant &c.* S. CHRYSOSTOMUS hom. I. in Act. Apoſt. T. IX. p. 10. quæſtionem præoccupans cur ſuo tempore baptiſmus in Pentecoſte non daretur, *reſpondebimus*, inquit, *gratiam eandem tunc fuiſſe, quæ nunc eſt; ſed mentem ſublimiorem nunc eſſe, quod ieiunio præparetur. Pentecoſtes vero tempus babet aliquam rationem non ineptam. Quænam illa eſt? exiſtimaverunt patres noſtri baptiſma eſſe frenum idoneum malæ concupiſcentiæ, magnamque doctrinam continere, ut vel tempore deliciarum temperantes ſimus.* Palam hinc fit initiandos ſe etiam tempore paſchali ieiunio præparaſſe ad baptiſmum. In veteribus vero liturgiis id tempus ubique officio quadrageſimæ innectitur, tempusque communis ieiunii iam IUSTINUS M. in Apologia ad ANTON. deſignat: *Primum*, inquit, *docentur, ut ieiunantes petant remiſſionem precatorum a ſe commiſſorum nobis una orantibus & ieiunantibus.* Sane non tantum adulti, ſed nec ipſi infantes ſeculo demum VII. ab omni pœnitentia, ſaltem in *Hiſpania*, erant exemti, ut patet ex S. ILDEPHONSI *Tolet.* Adnot. de ord. baptiſ. cap. 21. ubi de catechumenis, *ſi maiores ætate ſunt*, inquit, *cum actione pænitentiæ veniunt. Si minores ſunt, in ſignum pænitentiæ per ſtramenta ciliciorum a miniſtris deducuntur ad Sacerdotem, ut qui per ſe non poſſunt agere pænitentiæ opus, in ſe babeant pænitentiæ ſignum, propter ætatis minimæ tempus, & boc teneatur in pænitendi effectu, quod notatur in pænitentiæ ſigno.* Vid. *Gabr.* ALBASPINÆUS obſerv. eccleſ. lib. II. obſer. 1. & 2.

(2) Nihil hic præmittitur de ſcrutiniis, aut ſtatis baptiſmi temporibus. Quin exordium ſtatim aliud indicat. Scriptus eſt equidem hic codex antequam ſtata baptiſmi ſolemnis tempora paulatim a medio circiter ſæc. XII. antiquarentur. Neque tamen hic ordo eiusmodi eſt, quales paſſim in antiquioribus, noſtris etiam ſuperiori volumine relatis ſacramentariis referuntur *ad ſuccurrendum*, urgente nimirum morbi mortisque articulo. *Fit boc*, ſunt S. AUGUSTINI verba in lib. de fide & oper. c. 6. *ubi quemquam forte dies urget extremus, ut ad verba pauciſſima, quibus tamen omnia continentur, credat, ſacramentumque percipiat, ut ſi ex bac vita migraverit, liberatus exeat a reatu præteritorum omnium peccatorum.* Et ante S. CYPRIANUS: *Audientibus etiam*, inquit, ep. 13. *ſi qui periculo præventi & in exitu conſtituti, vigilantia veſtra ne deſit.* Severus vero is cum aliis Patribus in *Novatianum* alioſque Clinicos fuerat, qui procraſtinabant baptiſmum & quandoque ad finem uſque vitæ differebant, in quos ſæpe SS. Patres invehuntur atque inter alios S. IO. CHRYSOSTOMUS in IOAN. c. c. T. VIII. opp. p. 104. & 147. multis vero in cap. I. act. Hom. I. T. IX. pag. 11. ſeqq. graviſſimum ob oculos ponit periculum, ſic concludens p. 13. *Quantum putatis me diſcruciari, cum audio quempiam non*

ribus eius ℟. Abrenuntio. Et omnibus pompis eius ℟. Abrenuntio. *Deinde catechuminum tribus vicibus in faciem exſuffla & dic:* Recede diabole ab hac imagine Dei increpatus ab eo, & da locum Spiritui ſancto. *Deinde crucem fac in fronte dicendo*: ſignum ſanctæ crucis Dni nri Ihu Xpi in frontem tuam pono. *Et in pectore ſimiliter crucem fac dicendo:* Signum Salvatoris Dni nri Ihu Xpi in pectus tuum pono. *Deinde pone manum ſuper caput infantis dicens hanc orationem.* Accipe ſignaculum crucis Chriſti tam in fronte quam in corde. Sume fidem cœleſtium præceptorum: talis eſto moribus ut templum Dei eſſe iam poſſis. Ingreſſusque eccleſiam Dei evaſiſſe te laqueos mortis lætus agnoſce: horreſce idola, reſpue ſimulacra, cole Deum Patrem omnipotentem & Ieſum Chriſtum Filium eius, qui cum Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia.

Te deprecor Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus ut huic famulo tuo, qui in ſæculi huius nocte vagat incertus & dubius viam veritatis & agnitionis tuæ iubeas demonſtrare, quatinus reſeratis oculis cordis ſui te unum Deum Patrem in Filio & Filium in Patre cum ſancto Spiritu recognoſcat, atque iſtius confeſſionis fructum hic in futuro ſæculo percipere mereatur. Per.

Alia.

Preces noſtras quæſumus Dne clementer exaudi & hunc electum tuum crucis dominicæ cuius impreſſione eum ſignamus virtute cuſtodi, ut magnitudinis tuæ rudimenta ſervans per cuſtodiam mandatorum tuorum ad regenerationis gloriam pervenire mereatur. Per.

Alia.

Accipe ſignaculum Dei Patris & Filii & Spiritus ſancti. *Mox autem ad eundem parvulum catechumenum id eſt doctum faciendum iſta ſequitur oratio.* Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, Pater Dni nri Ihu Xpi reſpicere dignare &c.

Oremus. Exorcizo te creatura ſalis in nomine Dei Patris omnipotentis &c. *Expleta autem iſta oratione interroget nomina ſingulorum & ponat de ipſo ſale in ore infantum ita dicendo:* Accipe ſalem ſapientiæ propitiatus in vitam æternam. pax tibi.

Benedictio poſt datum ſalis tam ſuper maſculos quam ſuper feminas.

Oremus. Deus patrum noſtrorum, Deus univerſæ conditor veritatis &c. *Hic iterum ſacerdos faciens crucem in fronte infantum has ſequentes ſtatim dicat orationes. Ecce iſtam orationem ſuper maſculum.* Oremus. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob Deus qui Moyſi famulo tuo &c. Ergo mal. &c.

Oratio ſuper feminas ſimili modo crucem faciens in frontibus earum.

Oremus. Deus cœli, Deus terræ, Deus angelorum, Deus archangelorum &c.

Repulſo diabolo de utriſque maſculis ſimiliter & feminis.

Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam, & da honorem Deo vivo, & vero: da honorem Ihu Xpo Filio eius & Spiritui ſancto, & recede ab hoc (hac) famulo (famula) Dei, quia iſtum (iſtam) ſibi Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus ad ſuam ſanctam gratiam & benedictionem, fontemque baptiſmatis dono vocare dignatus eſt per hoc ſignum ſanctæ crucis fronti eius quod nos damus, tu maledicte diabole nunquam audeas violare.

Item ſuper maſculos.

Oremus. Audi maledicte ſatanas adiuratus per nomen æterni Dei, & Salvatoris noſtri Filii eius cum tua victus invidia tremens gemensque diſcede. Nihil tibi ſit commune cum ſervo Dei iam cœleſtia cogitanti, renuntiaturo tibi a ſæculo tuo, & beatæ immortalitati victuro. Da igitur hono-

rem

---

initiatum obiiſſe; & cogito intolerabilia illa ſupplicia inevitabilemque cruciatum. Hæc *Conſtantinopoli* gravius ingerenda regni optimatibus ipſisque imperatoribus cenſebat S. Pater exemplis præteritis incitatus; etſi S. AMBROSIUS in oratione funebri de obitu VALENTINIANI Imp. mitius iudicet de hoc pio principe, qui a S. AMBROSIO baptizari deſideraverat, ſed antequam conſequeretur, fuit interfectus. Unde *Mediolanenſes* ſollicitos de eius ſalute, ſolatus, *Audivi*, inquit, *vos, dolere, quod non acceperit ſacramenta baptiſmatis. Dicite mihi, quid aliud in nobis eſt, niſi voluntas, niſi petitio? Atqui etiam dudum hoc votum habuit, ut antequam in Italiam veniſſet, initiaretur, & proxime baptizari a me velle ſignificavit &c.* Erant porro tunc canonibus præſcripta tempora extra quæ excepto neceſſitatis articulo non licebat baptizari; contra vero, immutata diſciplina, differri vetabatur baptiſmus ultra menſem in infantibus. Vid. LAUNOIUS de priſcis & ſolemnibus baptiſmi temporibus T. II. opp. P. II. p. 731.

Digitized by Google

rem advenienti Spiritui ſancto, qui ex ſumma cœli arce deſcendens perturbatis fraudibus tuis divino fonte purgatum pectus idem ſanctificatum Deo templum & habitum perficiat, & ab omnibus penitus noxiis præteritorum criminum liberatus ſervus Dei gratias perenni Deo referat ſemper & benedicat nomen eius ſanctum in ſæcula ſæculorum amen. Ergo maledicte &c.

Oratio ſuper feminas.

Oremus. Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob &c.

Item oratio ſuper maſculum.

Oremus. Exorcizo te immunde ſpiritus &c.

Hæc oratio ſuper feminas.

Oremus. Exorcizo te immunde ſpiritus per Pa†trem & Fi†lium & Spiritum † ſanctum &c.

Item oratio unde ſupra ſtatim dicenda.

Oremus. Æternam ac iuſtiſſimam pietatem tuam deprecor Domine &c.

Hic poſt iſta diaconus legat evangelium ſuper infantes: Dominus vobiſcum. Seq. ſancti evangelii ſecundum Matthæum. In illo tempore oblati ſunt Ieſu parvuli, ut manus eis imponeret & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos. Ieſus vero ait illis: Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire. Amen dico vobis, talium eſt regnum cœlorum. Et cum impoſuiſſet eis manus, abiit inde. *Poſt hæc autem ſacerdos tenens manum ſuper caput infantis ſilenter cantet ſymbolum, quod eſt* Credo in Deum, *& orationem dominicam, quæ eſt* Pater noſter. *His autem ita perlectis, hæc ſequens oratio publice dicatur ad catechizandos infantes:* Oremus. Nec te lateat ſatanas imminere tibi pœnas &c. *Hic remitte ſalivam de ore tuo in primos digitos duos, id eſt pollicem & indicem, & ſic apprehendens pinnulam dextræ auris dic.* Effeta quod eſt aperire. *Et poſtmodum capiens nares infantum dic.* In odorem ſuavitatis. *Deinde retinens pinnulam ſiniſtræ auris hæc dic.* Tu autem effugare diabole appropinquabit enim iudicium Dei. *Iſtis omnibus ita peractis ante eccleſiam iubeat presbyter parvulos fieri in eccleſiam.*

Benedictio fontis. (1)

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Chriſte audi nos.
Salvator mundi adiuva nos.
Sancta virgo virginum. Ora pro nobis.
Sancta Dei genitrix. Ora pro nobis.
Sca Maria. Ora pro nobis.
Sce Michahel. Ora pro nobis.
Sce Gabrihel. Ora pro nobis.
Sce Raphahel. Ora pro nobis.
Omnes ſancti Angeli & Archangeli. Orate pro.
Omnes ſancti Patriarchæ & Prophetæ. Orate.
Sce Iohannes Baptiſta. Ora pro nobis.
Sce Petre. Ora pro nobis.
Sce Paule. Ora pro nobis.
Sce Andrea. Ora pro nobis.
Sce Iacobe. Ora pro nobis.
Sce Iohannes. Ora pro nobis.
Omnes ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ. Orate.
Sce Stephane. Ora pro nobis.
Sce Line. Ora pro nobis.
Sce Clete. Ora pro nobis.
Sce Clemens. Ora pro nobis.
Sce Pancrati. Ora pro nobis.
Sce Ciriace. Ora pro nobis.
Sce Ferruci. Ora pro nobis.
Sce Albane. II. Ora pro nobis.
Omnes ſancti Martyres. Orate pro nobis.
Sce Silveſter. Ora pro nobis.
Sce Gregori. Ora pro nobis.
Sce Martine. Ora pro nobis.
Sce Remigi. Ora pro nobis.
Sce Benedicte. Ora pro nobis.
Omnes ſancti Confeſſores. Orate pro nobis.
Omnes ſancti Monachi & Eremitæ. Orate.
Sca Felicitas. Ora pro nobis.
Sca Perpetua. Ora pro nobis.
Sca Agatha. Ora pro nobis.
Sca Cæcilia. Ora pro nobis.
Sca Scholaſtica. Ora pro nobis.
Sca Margaretha. Ora pro nobis. Om-

(1) In diſquiſitionibus liturgicis T. I. p. 436. 439. oſtendimus aquam conſecratam a fidelibus domum aſportatam fuiſſe. Habes id in rubrica huius ordinis baptiſm. eiuscemodi: *Hic aqua benedicta aſpergatur ſuper circumſtantes, & quicunque velint, ſumant extra ad ſpargendum, quo velint. Poſt hæc accipe chriſma cum vaſculo & infunde illud in modum crucis ſuper ipſam aquam baptiſmatis invicem miſcens &c.* Nempe ut in diſquiſ. liturg. p. 436. ex de MOLEON *itinere liturgico* notavimus, aquam conſecratam a fidelibus hauſtam antequam S. oleum miſceretur, qui mos etiamnum in partibus noſtris viget. Neque vero olim ut poſtea ac etiam nunc aquam ſemper conſervatam per annum ad baptiſmum aliis quam ſtatis diebus conferendum, argumento eſt præſens hic ordo baptizandi extra ſtata tempora, ut tamen conſecratio aquæ baptiſmalis immediate præcedat.

Digitized by Google

Omnes ſanctæ Virgines. Orate pro nobis.
Omnes Sancti. Orate pro nobis. II.
Propitius eſto. Parce nobis Domine.
Propitius eſto. Libera nos Domine.
Ab omni malo. Libera nos Domine.
Ab ira tua. Libera nos Domine.
A morte perpetua. Libera nos Domine.
A clade & peſte. Libera nos Domine.
Per nativitatem tuam. Libera nos Domine.
Per crucem & paſſionem tuam. Libera.
Per reſurrectionem & aſcenſionem tuam. Libera.
Per adventum Spiritus ſancti paracliti. Libera.
In die iudicii. Libera nos Domine.
Peccatores. Te rogamus audi nos.
Ut pacem nobis dones. Te rogamus.
Ut ſanitatem nobis dones. Te rogamus.
Ut fructum terræ nobis dones. Te rog.
Ut aeris temperiem bonam nobis dones. Te.
Ut Eccleſiam tuam conſervare digneris Te.
Ut regem noſtrum cum plebe conſervare dig. Te.
Ut eis vitam & ſanitatem atque victoriam dones. Te.
Ut exercitui chriſtianorum ſalutem & ſanitatem atque victoriam dones. Te rogamus audi.
Ut fontem iſtum benedicere & conſecrare digneris. Te rogamus audi nos.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Parce nobis D.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Exaudi nos D.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Miſerere nob.
Chriſte audi nos. Kyrie eleiſon. Xpe el.

Mox ſacerdos dicens Dominus vobiscum, *quod prius nunquam dicere debet*, *hanc ſequentem orationem legat ſuper fontem.* Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus adeſto magnæ pietatis tuæ myſteriis &c. *Hanc deinceps benedictionem* ſacerdos canendo proferat iuxta canonicam auctoritatem. Dns vobiscum. Et cum Spiritu tuo. Surſum corda habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & iuſtum eſt. Vere dignum & iuſtum eſt æquum & ſalutare. Nos tibi ſemper & ubique gratias agere Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus. Qui inviſibili potentia ſacramentorum tuorum mirabiliter operaris effectum, & licet nos tantis myſteriis exſequendis ſimus indigni, tu tamen gratiæ tuæ dona non deſerens etiam ad noſtras preces aures tuæ pietatis inclines. Deus cuius Spiritus ſuper aquas inter ipſa mundi primordia ferebatur &c. *Hic aquam manu tangat in modum crucis.* Qui hanc aquam regenerandis &c. *Hic manu tangat ut ſupra.* Sit hæc ſancta & innocens creatura libera ab omni impugnatoris incurſu, & totius nequitiæ purgata diſceſſu. Sit fons vivus, aqua regenerans, unda purificans, ut omnes hoc lavacro ſalutifero diluendi, operante in eis Spiritu ſancto, perfectæ purgationis indulgentia conſequantur. Unde bene✝dico te creatura aquæ per Deum vivum, per Deum ſanctum, qui te in principio verbo ſeparavit ab arida: qui te de paradiſo manare, *Hic aquam in quatuor manu divide ita* ✚ & in quatuor fluminibus &c. *Hic muta cantici vocem*, *quaſi lectionem legas.* Hæc nobis præcepta &c. *Hic pone cereum ardentem in aquam*, *& inclinato ſuper fontem dic iſtum verbum*, deſcendat in hanc plenitudinem fontis virtus Spiritus ſancti. *Poſt hæc inſuffla ſuper fontem tribus vicibus in hunc modum* ♆ & totam huius aquæ ſubſtantiam regenerandi fecundent effectu. *Hic ſume cereum extra aquam, & iſta quæ ſecuntur*, *ſtatim ſubinſer.* Hic omnium peccatorum maculæ deleantur &c. *Hic aqua benedicta aſpergatur ſuper circumſtantes*, *& quicunque velint ſumant extra aſpergendum quo velint. Poſt hæc accipe chriſma cum vaſculo*, *& funde illud in modum crucis ſuper ipſam aquam baptiſmatis invicem miſcens ita dicendo:* Infuſio chriſmatis Dni nri Ihu Xpi Paracliti, in nomine ſanctæ Trinitatis. Amen. *Et alio modo*: In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti ſanctificetur & fecundetur fons iſte. Amen. *Hoc autem finito præſententur infantes ſecundum ordinem ante ſacerdotem*, *his namque in brachiis tenentibus*, *qui eos de baptiſmo ſuſcepturi ſunt. Et tunc demum ſacerdos ſingulos ſpecialiter* (1) *prænominans interroget*,

(1) Deſiderantur hic præmitti ſemper ſolitæ abrenunciationes ſatanæ, ipſaque profeſſio fidei, ut plerumque in huiusmodi ordinibus baptizandi antiquis lingua latina legitur. Abrenuntiatio hæc diaboli & fidei profeſſio ſæc. VIII. lingua Theotiſca adhibita primum a *Luca* HOLSTENIO ex cod. *Palatino* eſt in lucem protracta, extatque T. I. Conc. *German.* p. 51. in hæc verba: „Forſachiſtu Diobolæ? *& reſpons.* Ec forſacho Diobolæ. En allum Diobol gelde? *Reſp.* End ec forſacho allum Diobol galde. End allum Dioboles wercum? *Reſp.* End ec forſacho allum Dioboles wercum, und wordum thuna eren de woden ende Saxnote, ende albam them unholdum, the hira genotas ſint. Gelobiſtu in Got almehtigan Fadaer. *Reſp.* Ec gelobo in Got almahtigan Fadaer. Gelobiſtu in Chriſt Godes Suno? *Reſp.* Ec gelobo in Chriſt Gotes Suno. Gelobiſtu in halogan Gaſt? *Reſp.* Ec gelobo in halogon Gaſt.“ Plura ECCARDUS ſuppeditat in Catecheſi ſua Theotiſca §. 13. præfat.

Digitized by Google

terroget, ſic firmiter ſymbolum in Deum habeant his verbis de credulitate. Ita: Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ. *Et compater infra ſic reſpondet.* Credo. *Item ſacerdos.* Credis & in Ieſum Chriſtum Filium eius unicum Dominum noſtrum, natum & paſſum. ℞. Credo. *Sacerdos.* Credis & in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam ℞. Credo. *Poſt talem vero parvulorum reſponſionem presbyter faciens crucem cum exorcizato oleo in pectore, & inter ſcapulas infantum, eos nominando, ita dicat:* Et ego te linio oleo ſalutis in Xpo Ihu Dno nro in vitam æternam. Amen. *Eo autem ordine ſic peracto presbyter accipiens infantes a parentibus eorum ſicut iuſtum eſt, & ab eis rogatus ſub trina merſione primum maſculos & poſtmodum feminas nominando baptizet his verbis.* N. Vis baptizari. ℞. Volo. Baptizo te in nomine Patris. *Et intinquit ſemel.* Et Filii, *Et inferat ſecundo.* Et Spiritus ſancti. *Et mergat tertio. Sed & hoc in modum crucis facere memento. Primum vero in orientalem plagam ſer infantem pedibus extenſis in occidentalem plagam. Secundo in dexteram, quod eſt in auſtralem plagam. Tertio in ſiniſtram, hoc eſt in aquilonarem partem. Cum autem infantes elevati fuerint a fonte, compater ſingulorum accipiens eos habeat intra cubam, pedibus infantis adhuc in aqua conſiſtentibus donec presbyter chryſma requirens præferat, interim quoque iſta dicente:* Deus omnipotens Pater Dni nri Ihu Xpi, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu ſancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium peccatorum. *Hic presbyter faciens ſignum crucis cum chryſmate in vertice infantis, & eum nominans ita dicat,* ipſe te linit chriſmate ſalutis in Xpo Ihu Dno noſtro in vitam æternam. Amen. *Poſt hæc ponens cappam ſuper caput eius & eum nominans ſic dicat.* Accipe veſtem candidam ſanctam & immaculatam quam præferas ante tribunal Chriſti in nomine ſanctæ Trinitatis. Amen. *Tunc demum extrahatur infans foras cuballam & ſtatim in illa die uſque dum miſſa percelebratur quanti ſint in eccleſia maneant. Poſt miſſam autem antequam ſumant corpus & ſanguinem Domini hæ orationes dicantur ſuper infantes noviter chriſtianos.* Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, qui regeneraſti famulum tuum ex aqua & Spiritu ſancto, tribue ei continuam ſanitatem, ad agnoſcendam unitatis tuæ veritatem. Per.

Alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, maieſtatem tuam ſupplices deprecamur, ut hunc famulum tuum digneris ſerenis aſpectibus præſentare, & cui donaſti baptiſmi ſacramentum longævam tribuas ſanitatem. *Poſt has autem orationes detur eis eucbariſtia ita dicendo.* Corpus & ſanguis Dni nri Ihu Xpi cuſtodiat te in vitam æternam. Amen. *Hoc autem expleto revertantur in pace domum & cottidie ab eodem die donec expleantur ſeptem dies tempore etiam ſperatæ* (1) *miſſæ reviſent eccleſiam.*

Explicit ſacri ordo baptiſm.

Si autem infirmus infans venerit ad baptizandum, faciat ſuper ſcriptum ordinem & æternam ac

(1) Ita etiam habet apud MARTENIUM T. I. de rit. p. 203. ordo XIV. monaſterii *Gladbacenſis*; videtur tamen mendum irrepſiſſe ac legendum *tempore etiam veſpertinæ miſſæ.* Forte ſcribæ ſequioris ævi ita textum mutarunt ignari notionis miſſæ antiquioris pro ſynaxi, aut collecta, ut T. I. Diſquiſ. IV. c. 1. oſtendimus auctoritate inter alia Conc. *Agathenſis* an. 506. in quo can. 30. ita ſtatuitur: *in concluſione matutinarum vel veſpertinarum miſſarum poſt hymnos capitella de pſalmis dici, & plebem collecta oratione ad veſperam cum benedictione dimitti.* Integra hac hebdomada paſchali veſpertinam celebratam fuiſſe ſynaxin ex conc. *Matiſconenſi* an. 585. diſcimus, in quo can. 11. ſancitum eſt de hebdomada paſchali: *ut illis ſanctiſſimis ſex diebus nullus ſervile opus audeat facere, ſed omnes ſimul coadunati hymnis paſchalibus indulgentes, perſeverationis noſtræ præſertim quotidianis ſacrificiis oſtendamus, laudantes creatorem, & regeneratorem noſtrum veſpere, mane, & meridie.* Alias ſynaxes ſeu ſacrificia *veſpertina* ex eodem concilio notavit MABILLONIUS De lit. *Gall.* lib. I. c. 5. quæ can. 9. dicuntur *ordine quadrageſimali* celebrari, atque in conc. *Vaſenſi* an. 529. can. 3. quadrageſimales vocantur, quibus horam *nonam* vel *decimam* aſſignat conc. II. *Bracarenſe*, can. 9. In concilio *Aureliacenſi* III. c. 29. ſancitur: *ſacrificia vero matutina miſſarum, ſive veſpertina, ne quis cum armis pertinentibus ad bellorum uſum ſpectet.* Quæ qualiacunque ſint, ad priorem certe cenſum pertinet, quod in eodem conc. can. 14. ſtatuitur de miſſarum celebritate in præcipuis ſolemnitatibus, *ut hora tertia miſſarum celebratio inchoetur, quo facilius intra horas competentes poſſint ad veſpertina officia, id eſt in veſpertino tempore convenire.*

Digitized by Google

ac iuſtiſſimam *addit orationem.* Medelam tuam deprecor Domine ſancte Pater &c. *Dicit ſymbolum & orationem Dominicam & catebizat eum.* Nec te lateat ſatanas imminere tibi pœnas, imminere tibi gehennam, imminere tibi diem iudicii diem ſupplicii, diem qui venturus eſt velut clibanus ignis: in quo tibi atque univerſis angelis tuis veniet æternus interitus: quapropter diabole da honorem Deo vivo & vero & Ieſu Chriſto Filio eius qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos & ſæculum per ignem. In cuius nomine & virtute adiuro te, quicumque es inmundus ſpiritus in hoc iacentis corpore conſtitutus, ut exeas & recedas ab eo fiatque vas mundum ad advenientem iam nunc in ſe ſpiritum, ſitque etiam templum Dei vivi, quem Deus & Dominus noſter ad ſuam ſanctam gratiam vocare dignatus eſt Per. *Et reliqua faciat ſicut in iſto ſuperiore ordine inſertum eſt uſque ad benedictionem fontis, & non dicit illam benedictionem maiorem, ſed iſtam ad ſuccurrendum.* Exaudi nos omnipotens Deus & in huius aquæ ſubſtantiam tuam immiſce virtutem, ut abluendi per eam & ſanitatem ſimul & vitam mereantur æternam. Per.

Alia.

Exorzizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in charitate Ieſu Chriſti Filii eius & Spiritus ſancti. Exorzizo te omnis virtus adverſarii, omnis incurſio ſatanæ & omne fantaſma, eradicare & effugare ab hac creatura aquæ, ut fiat fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Et qui ex ea baptizatus fuerit, fiat templum Dei vivi, & Spiritus ſanctus habitet in eo in remiſſionem omnium peccatorum. Per.

Explicit liber bapt. (1)

In celebri ſacramentario Augienſis monaſterii, quod ſervatum in bibl. Caſ. Vindob. Lambecius recenſet, ſequentem in modum legitur oratio ad baptizandum infirmum. Medelam tuam deprecor Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui ſubvenis in periculis, qui temperas flagella, dum verberas; te ergo ſupplices deprecamur, ut hunc famulum tuum eruas ab hac valitudine, ut non prævaleat inimicus uſque ad animæ temptationem: ſicut in Iob terminum ei pone, ne inimicus de anima iſta ſine redemptione baptiſmatis incipiat triumphare. Differ Domine exitum mortis, & ſpatium vitæ extende, releva quem perducas ad gratiam baptiſmi tui. Per. *Oratio aquæ ad baptizandum infirmum. Poſtquam eum catechizaveris benedicis aquam his verbis.* Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dni nri Ihu Xpi Filii Dei & Spiritus ſancti, ſi qua fantaſma, ſi qua virtus inimici, ſi qua incurſio diaboli, eradicare & effugare ab hac creatura aquæ ut fiat fons ſaliens in vitam æternam. Et cum baptizatus fuerit hic famulus Domini, fiat templum Dei vivi in remiſſionem omnium peccatorum, in nomine Dni nri Ihu Xpi, qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos, & ſæculum per ignem. Amen. *Baptizas & linis eum in cerebro. Et dicis:* Ill. talis Baptizo te in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti. *Poſtea tangis eum de chriſmate in caput, & dicis orationem iſtam* Deus omnipotens &c. *Communicas & confirmas eum.*

Ordo confirmationis.

Cum autem infantes ſublevati fuerint a fonte ſint parati qui eos ſuſcepturi ſunt, cum linteis in manibus eorum & accipiunt ipſos a pontifice, & presbyteris vel diaconibus, qui eos baptizant. Pontifex vero regrediatur a fonte in ſacrarium, habens ibi compoſitam ſedem, vel in eccleſia ubi voluerit & ſedeat in ea, ut cum veſtiti fuerint infantes, confirmet eos. Induti vero ordinentur per ordinem ſicut ſcripti ſunt in circuitu. Infantes quidem in brachiis dextris teneantur, maiores vero pedem ponant ſuper pedem dextrum patrini ſui. Pontifex vero veniens ad infantes, (2) *tenente archidiacono chriſma involutis ſcapulis*

(1) Alicubi ſimpliciter baptiſterium ſeu ordo baptiſterii vocatur. CAROLUS M. in capitulis de diverſis rebus an. 789. c. 7. ſic ſtatuit: *ut audiant epiſcopi baptiſterium presbyterorum, ut ſecundum Romanum morem baptizarent.*

(2) In ordine ſacramenti confirmationis hic ut alibi promiſcue infantes nominantur, etſi paulo ante de maioribus quoque ſit ſermo. Quod etiam de renatis fonte baptiſmatis valet, ut ſint iuxta 1. Pet. II. *quaſi modo geniti infantes.* Veluti S. ZENO neophytos ſerm. I. compellat: *qui eratis ætate diverſi, diverſi natione ſubito germani fratres, ſubito unigeniti emerſiſtis infantes.* Et in invitatione III. ad fontes: ad locum D. PETRI alludit: *Eia quid ſtatis, fratres, veſtram quos fidem genitalis unda concepit, per ſacramenta iam parturit. Solemnis hymnus iam canitur, ecce mox infantium iam dulcis vagitus auditur, ecce parientis uno die ventre clariſſima turba procedit.* Quæ verba *Paul.* PACIAUDI affert de ſacris Chriſtianorum balneis cap. 12. ad vulgarem eximendum errorem de loco quodam S. ISIDORI *Hiſpal.* de capitilavio, ac ſi ſolis infantibus id officium fuiſſet im-

Digitized by Google

pulis & brachiis ex panno lineo elevata & compoſita manu ſuper capita omnium det orationem ſuper eos cum invocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti. Spiritus ſanctus ſuperveniat in vos & virtus altiſſimi ſine peccato cuſtodiat vos. Omnipotens ſempiterne Deus qui regenerare dignatus es hos famulos & famulas tuas ex aqua & Spiritu ſancto, quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum, emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum paraclytum de cœlis. Amen. Spiritum ſapientiæ & pietatis. Amen. Spiritum ſapientiæ & pietatis. Amen. Adimple eos Spiritu timoris tui, & conſigna eos ſigno crucis Chriſti in vitam propitiatus æternam. Amen. P. *Oratione expleta interrogantibus diaconibus nomine ſingulorum pontifex uncto pollice in chriſmate faciat crucem in ſingulorum frontibus ita dicendo*: Confirmo te & ſigno in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen. Pax tibi. Et cum Spiritu tuo. *Iterum confirmatis omnibus dicat hos verſus.* Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat vobis Dominus ex Sion, ut videatis bona Hieruſalem, omnibus diebus vitæ veſtræ. Cuſtodiat vos Dominus in timore ſuo ſanctiſſimo qui vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen. Pax vobiſcum. Et cum Spiritu tuo. *Oratio.* Deus qui apoſtolis tuis ſanctum dediſti Spiritum, & per eos eorumque ſucceſſores ceteris fidelibus tradendum eſſe voluiſti, reſpice propitius ad humilitatis noſtræ famulatum & præſta, ut eorum corda quorum frontes ſacro chriſmate delinivimus idem Spiritus ſanctus adveniens templum gloriæ tuæ dignanter inhabitando perficiat. Qui tecum. *Diaconus dicat.* Humiliate ad benedictionem. Deo gratias. Benedicat vos omnipotens Deus, qui cuncta ex nihilo creavit, & vobis in baptiſmate per Spiritum ſanctum remiſſionem omnium tribuit peccatorum. Quique eundem Spiritum ſanctum in igneis linguis dedit diſcipulis, ipſius illuſtratione corda veſtra perluſtret, atque in ſuum amorem iugiter accendat. Amen. Quatinus eius dono a cunctis vitiis emundati, ipſiusque opitulatione ab omnibus adverſitatibus defenſi, templum eius effici mereamur. Quod ipſe præſtare dignetur.

Ex Cod. San-Blaſ. ſæc. IX.

Ad confirmandum pueros; Epiſcopus dicat: Sit nomen Dni benedictum. *Aſſiſtentes:* Ex hoc nunc & uſque in ſæculum. *Epiſc.* Adiutorium noſtrum in nomine Dni. *Aſſiſtentes:* qui fecit cœlum & terram. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es, hunc famulum & famulam tuam ex aqua & Spiritu ſancto: Quique dediſti ei remiſſionem omnium peccatorum, immitte in eis ſeptiformem Spiritum tuum ſanctum Paraclitum de celis. amen. Spiritum ſapiencie & intellectus. amen. Spiritum conſilii & fortitudinis. amen. Spiritum ſciencie & pietatis. amen. Adimple eos Spiritu timoris tui. & conſigna ei ſigno crucis Chriſti in vitam propiciatus eternam. Per Chriſtum Dnm nrm. *Tunc inquiſito uniuscuiusque nomine, & intincto pollice in criſmate, faciat crucem in fronte cuiuslibet eorum dicens*: Conſigno te ſigno crucis, & confirmo te criſmate ſalutis. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti amen.

Omnibus itaque cum ſancto criſmate ſignatis dicat: Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. Benedicat vos Dominus ex Syon! & videatis bona in Ieruſalem, omnibus diebus vite veſtre. Gloria Patri &c. Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus, Deus, qui apoſtolis tuis ſanctum dediſti Spiritum, & per eos eorumque ſucceſſores ceteriſque fidelibus tradendum eſſe voluiſti: reſpice propicius ad humilitatis noſtre famulatum, & preſta, ut huius cor, cuius frontem ſacro criſmate delinivimus, & ſigno crucis deſignavimus. Idem Spiritus ſanctus adveniens templum glorie ſue dignanter inhabibitando perficiat. Per Dnum noſtrum. *Circa iſtud officium notandum eſt, quod ſi epiſcopus propter paſſim & ſucceſſive venientes, collectas predictas tociens non poſſit dicere, quociens contingit homines ſingulariter confirmacionem requirere, ſaltem in fine diei, id eſt poſt completorium eas dicere non obmittat.*

Ex Cod. Vind. Th. 277. ſæc. XII. vel XIII.

Benedictiones ſuper confirmatos. (1)

Spiritus ſanctus ſuperveniat in vos, & virtus Altiſſimi

penſum lib. I. de officiis, citaturque a *Rhabano* Mauro & Anonymo ſub nomine Alcuini vulgato. Eſt vero hic locus. *Vulgus autem hunc diem capitilavium vocat, quod in eo tunc eſt mos lavandi capita infantium qui ungendi ſunt, ne obſervatione quadraginta dierum ad unctionem accederent.* Recte autem obſervat, quodſi quadrageſimali obſervatione capita baptizandorum ſordida lavantur, multo magis in adultis, qui ad ieiunia pares erant, id evenire debuiſſe.

(1) Sic inſcribitur ordo confirmationis cum hodierno ritu fere conveniens, iis conformiter, quæ antiquiſſimus ex latinis Patribus Tertullianus in li-

Digitized by Google

Altiſſimi ſine peccato cuſtodiat vos. Amen. *Alia.* Omnipotens ſempiterne Deus, qui regnare &c. *Et dicit epiſcopus* Confirmo te in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen. Pax tecum & cum Spiritu tuo. Signum Xpi in vitam æternam. Amen. Pax tecum. Et cum Spiritu tuo. Deus qui apoſtolis tuis &c. *Tunc pronunciat diac.* Humiliate vos ad benedictionem. Deo gratias. *Et epiſcopus det benedictionem.* Omnipotens Deus, qui vos fecit aqua baptiſmatis renaſci, ipſe vos corroboret dono ſeptiformi Spiritus paraclyti: quia ſic benedicetur omnis homo, qui timet Dominum ut habeat regni cœleſtis introitum. Amen. *Alia.* Benedicat vobis ex Sion, ut videatis bona Ieruſalem omnibus diebus vitæ noſtræ, & in omnibus ſumatis ſcutum fidei, ut mereàmini in caſtris æterni regis aſſcribi. *Alia.* Cuſtodiatque vos timore ſanctiſſimo ſui, & tribuat vobis pacis unitatem, & contra omnes hoſtes victoriam triumphalem, ut ſignaculum fidei, quod tenetis, uſque in finem impollutum cuſtodiatis. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & gloriatur Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus ſancti deſcend. *Benedictio item ſuper confirmatos.* Benedicat vos &c. *ut ſupra. Alia.* Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus ſancti. Et pax Domini ſit ſemper vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Ite in pace. Deo gratias.

Ex antiquiſſimo Alemanniæ ſacramentario Rhenaug. ann. M. circ.

IUDICIUM POENITENTIS.

Diverſarum (1) culparum diverſitatem facit penitentiarum; nam & corporum medici diverſa medicamenta generibus componunt; aliter enim vulnera, aliter morbum, aliter tumores, aliter putredines (2) curant. Ita igitur & ſpirituales medici diverſis curationum generibus animarum vulnera, morbum, culpas, dolores, egritudines, infirmitates ſanare debent. (3) Sed quia hec paucorum ſunt, ad purum ſcilicet cuncta cognoſcere, & curare, atque ad (4) integrum ſalutis ſtatum debent revocare; ideoque vel pauca iuxta ſeniorum traditiones, (5) iuxta noſtram ex parte intelligentiam: ex parte namque prophetamus, & ex parte cognoſcimus; aliqua proponamus, quod ad remedium anime pertinet, & de remediis vulnerum ſecundum priorum Patrum diffinitiones dicturi; ſacri tibi eloquii, fideliſſime frater, antea medicamina conpendii ratione intimemus. (6)

Prima eſt itaque remiſſio, qua baptizamus (7), in aqua, ſecundum illut: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt videre regnum Dei.* (8)

Secunda, caritas (9) effectus, ut eſt illud: *Quoniam dilexit mundum.* (10)

Tertia, elimoſinarum fructus, ſecundum hoc: *Sicut aqua extinguit ignem, ita elimoſina extinguit peccatum.* (11)

Quarta

bro de baptiſ. c. 8. de hoc ſacramento luculenter explicat. Ed. MARTENIUS porro lib. I. de aut. eccl. rit. c. 2. art. 4. inter varios confirmationis ritus eum etiam qui hic habetur humiliandi ſe ad benedictionem affert ex ſacramtentario *Moyſacenſi* &c. In Pontificali *Romano* hodieque præſcribitur §. 9. *Nullus confirmatus diſcedat, niſi benedictione accepta, quam pontifex poſt omnium confirmationem dabit.* Quod paſſim negligitur.

(1) Præfatio hæc integra habetur in collectione antiqua canonum pœnit. (apud MARTENIUM Theſaur. nov. anecd. T. IV. col. 53.) cum inſcriptione: *Incipit de diverſis malis*: unde codicis noſtri errata corrigere licet. Ac quidem ſtatim initio legendum: *Diverſitas culparum.*

(2) l. c. additur: *aliter caligines, aliter confractiones, aliter combuſtiones.*

(3) In Lib. pœnit. ex ſcrin. Eccl. *Rom.* apud CANISIUM T. II. p. 129. ed. BASNAG. ita legimus: „Ita & ſpiritales medici, diverſis curationum generibus animarum vulnera curare debent. Sed quia hæc paucorum eſt ad purum cuncta cognoſcere, & curare, & mederi, atque ad integrum ſalutis ſtatum revocare; ideo ſolerter admonemus doctum quemque Sacerdotem Chriſti, ut non ex ſuo ſenſu, ſed ſecundum canonum ſtatuta, & traditiones Patrum univerſa diſponat, & contradictionem (f. conditionem) utriusque ſexus, ætatem, perſonas, paupertatem, cauſam, ſtatum cuiusque pœnitentiam agentis, ipſumque cor pœnitentis inſpiciat; & ſecundum hæc, ut ſibi viſum fuerit, ut ſapiens medicus ſingula quæque diiudicet.

(4) leg. *ad quæ integrum ſalutis ſtatum debeant revocare.* (5) Add. *Et* iuxta.

(6) Hinc emendari poſſunt, quæ obſcuriſſima ſunt apud MARTENIUM.

(7) l. *baptizamur.* (8) Ioh. III. 5.

(9) l. *Caritatis* (10) Luc. VII. 4.

(11) In vulgata Eccli III. 33. ita legimus: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis.*

Digitized by Google

Quarta, perfuſio lacrimarum, Domino dicente: *Quia flevit in conſpectu meo & ambulavit triſtis coram me, non ducam malum in diebus eius.* (1)

Quinta, criminum confeſſio, pſalmiſta teſtante: *Dixi confitebor adverſum me iniuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* (2)

Sexta, adflictio cordis & corporis, apoſtolo conſolante: *Dedi eiusmodi hominem in interitum carnis ſatane, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini noſtri Iheſu Chriſti.* (3)

Septima, emendatio morum, hoc eſt abrenunciatio vitiorum, Evangeliſta conteſtante: *Ecce iam ſanus es, noli ultra peccare, ne quid tibi deterius fiat.* (4)

Octava, interceſſio Sanctorum, uti illud: *Si quis infirmatur, inducat presbyteros eccleſiæ; & orent pro eo, & multum valet apud Deum deprecatio iuſti aſſidua.* (5)

Nona, miſericordia & fidei meritum, ut eſt hoc: *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.* (6)

Decima, converſio & ſalus alienorum, Iacobo adteſtante: *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ, ſalvet animam ſuam a morte, & operit multitudinem peccatorum;* (7) ſed melius eſt tibi (8) infirmus ſis & vitam ſolitariam ducere, quam perire cum plurimis. (9)

Undecima, indulgentia & remiſſio noſtra, veritate promittente & dicente: *Dimitte & dimittetur vobis.* (10)

Duodecima, paſſio martyrii ſpe unica ſalutis indulgente & latroni crucifixo Deo reſpondente: *Amen dico tibi, quia hodie mecum eris in paradiſo.* (11) His ergo de canonis auctoritate prolatis, patrum diffinitionis etiam ſtatuta Domini ore ſubrogatorum inveſtigare te convenit, ſecundum illud: *Interroga patrem tuum, & adnuntiabit tibi, presbyteros tuos & dicent tibi.* (12)

Item (13) cauſa deferatur ad eos. Statuunt ergo ut octo principalia vitia humane ſaluti contraria his octo contrariis remediis ſanantur. Qui enim inlicita licenter commiſit, a licitis licet (14) cohercere ſe debet. In alio loco: ſed hoc in omni penitentia ſolerter eſt inducendum; quantum quis tempore in delictis remaneat, qua eruditione imbutus, quali impugnatus (15) paſſione, quali exiſtat fortitudine, quali videtur affligi lacrimabilitate, quali conpulſus eſt gravatione peccare; omnipotens etenim Deus, qui cor omnium novit, diverſisque naturis (16) indidit, ne qua lentie penitudinis (17) peccaminum penſavit, ut illud propheticum: *Non enim ſeris* (18) *triturabitur gibt, neque rota plauſtri ſuper ciminum circumiit, ſed virga excutietur gibit & ciminum;* (19) in baculo autem panis comminuetur, ut eſt illud: *potentes potenter tormenta pacientur.* (20) Unde quidam ſapiens ait: *Cui plus committitur, plus ab eo exigitur.* (21) Diſcant igitur ſacerdotes Domini, qui heccleſiis præſunt, quia pars eis data eſt cum his, quorum delicta repropiciaverint. Quid eſt autem repropiciare delictum, niſi cum adſumſeris peccatorem, & monendo, ortando, docendo, adduxeris eum ad penitentiam, ab errore correxeris, a vitiis emendaveris, & ſi feceris eum ei talem converſum, propicius ſit Deus pro delicto repropiciaſſe diceris. (22) Cum ergo talis ſis ſacerdos, & talis ſit doctrina tua (23), pars tibi datur eorum, quos correxeris, ut illorum meritum tua ſit merces, & illorum ſalus tua gloria ſempiterna.

Incipit

---

(1) Reſpexiſſe videtur auctor anonymus ad IV. Reg. XXII. 19. 20. ubi ad IOSIAM Regem *Iuda* dicitur: „Perterritum eſt cor tuum, & humiliatus es coram Domino – & fleviſti coram me, & ego audivi, ait Dominus: Idcirco colligam te ad patres tuos – ut non videant oculi tui omnia mala, quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum.“ Certe alibi laudata verba non occurrunt in S. ſcriptura.

(2) Pſal. XXX. 5. (3) 1. *Cor.* V. 5.

(4) Ioh. V. 14. (5) Iac. V. 14.

(6) Matth. V. 7. (7) Iac. V. 20. (8) Add. *ut.*

(9) Hinc colligere pronum eſt, præſentem canonum pœnitentialium collectionem inſcriptam eſſe monacho.

(10) Luc. VI. 37. (11) Luc. XXIII. 43.

(12) Deut. XXXII. 7.

(13) Collect. antiq. cit. *iterum.*

(14) *licet* deleatur. (15) ib. *impugnatur.*

(16) ib. *diverſasque naturas.*

(17) ib. *non æqualentiæ pœnitudinis &c.* i. e. non æqualem pro omnibus peccatis pœnitentiam, ſed pro diverſis diverſam, pro maioribus maiorem, pro minoribus minorem, pro ſingulis congruam exigit, ut ex decurſu patet.

(18) Is. XXVIII. 27. (19) *Serris.* (20) Sap. VI. 7.

(21) S. BENED. Reg. cap. 2.

(22) In edit. *Et feceris eum, ut ei taliter converſo propitius ſit Deus?*

(23) In ed. additur: *Et ſermo tuus.*

Digitized by Google

Incipit excarpſus de aliis pluribus pœnitentiis & canonibus de vitiis gule & ebrietate vel vomitu. Et diſcretione ciborum mundis & inmundis inventis.

Si quis epiſcopus & alius ordinatus in conſuetudine vitium abuerit ebrietatis, aut deſinat, aut deponatur. Si monachus per ebrietatem vomitum facit, XXX. dies peniteat. Si presbyter aut diaconus XL. dies peniteat. Si vero pro infirmitate & quo (1) longo tempore ſe abſtinuerit, & in conſuetudine non erat ei multum bibere vel manducare, aut præ gaudio in Natale Domini, aut in Paſcha, aut pro alicuius Sanctorum commemoratione faciebat, (2) tunc plus non accepit, quam decretum eſt a ſenioribus, nihil nocet. Si epiſcopus iuſſerit, non nocet, niſi ille ſimiliter faciat. Si laicus fidelis per ebrietatem vomitum facit XII. dies pen. Sacerdos in ebriet. per ignorantiam VII. dies pen. Si per contemptum XL. dies peniteat. Diaconus & monachus IIII. ebdomades: ſubdiaconus acolitus III. clerici II. laici ebdomades (3) peniteant. Qui cogit hominem, ut inebrietur humanitatis iniuſtæ gratia, ut ebrioſus peniteat; ſi per odium, ut homicida iudicetur. (4) Qui pſallere non poteſt ſtupens in linguis (5) ſuperponat. (6) Qui anticipat orationem canonicam & ſuaviorem (7) cæteris ſumit gulæ tantum obtentu, a cœna careat, vel duos dies in pane & aqua. Qui ſuperflua ventris diſtentione doloremque ſaturitate ſentit I. diem: ſi autem ad vomitum ſine infirmitate VII. dies. Si ſacrificium evomerit XL. peniteat; ſi infirmitatis cauſa VII. dies. Si in ignem proiecit C. pſalmos cantet: ſi vero canis lambuerit talem vomitum, qui evomuit, centum dies peniteat. Qui furatur cibum XL. dies peniteat: ſi iterum III. XLmas: ſi tertio, annum peniteat: ſi vero IIIIto iugi exilio ſub alio abbate peniteat. Qui manducat carnem inmundam, aut morticinam, aut dilaceratam a beſtiis, XL. dies peniteat; ſi neceſſitas cogit, nihil eſt; & ſi pro neceſſitate manducat animal, qui inmundum videtur, vel avem vel beſtiam, non nocet; qui caſu quis inmunda manu cibum tangit, vel canis vel pilax, aut animal inmundum ſanguinem edit, non nocet. (8) Qui ſanguinem (9) vel quocunque inmundo polluetur, ſi neſcit, qui manducat, nihil eſt; ſi autem ſcit, peniteat iuxta modum pollutionis. Qui ſanguinem aut ſemen biberit, III. annos peniteat. Si aves ſtercorant in quacunque ligore, tollatur ab eo ſtercus, & ſanctificetur aqua, & mundus erit cibus. Si ceciderit ſorix in ligore, tollatur foras, & hoc potum aſſpergatur aqua ſanctificata, & ſumatur, ſi vivens ſit, ſi mortua inventa fuerit, proiiciatur foras & mundetur vas. Animalia, que a lupis ſeu canibus lacerantur, non ſunt comedenda, niſi forte ab hominibus adhuc viva occidantur prius, ſed porcis & canibus dentur; nec cervus nec capra ſi mortui fuerint; aves vero, & animalia cetera, ſi in retibus ſtrangulantur, non ſunt comedenda ab hominibus; nec ſi accipiter oppreſſerit, ſi mortui inveniuntur; Quia IIII. capitula actus apoſtolorum precipiunt abſtinere a fornicatione & ſanguine & ſuffocato & idulatria. Piſces licet comedere, quia alterius naturæ ſunt. Equum non prohibet, tamen conſuetudo non eſt. Leporem licet comedere. Apes ſi occident hominem, ipſa quoque occi. . . . . (10) feſtinanter, mel tamen manducetur. Si caſu porci vel gallinæ ſanguinem hominis comedunt. non habiciendos credimus, ſed manducantur; ſed quia cadavera mortuorum lacerantes manducaverint, carnem eorum man-

---

(1) In libello de remediis peccatorum apud MARTENIUM (Theſaur. nov. anec. T. IV. col. 21.) legitur: *vel quia.* (2) l. c. *Et tunc.*

(3) l. hebdomadem. Nam ſeptem dierum pœnitentia laico ob candem culpam iniungitur in collect. antiq. cit.

(4) In excerptis ex libro DAVIDIS inter canones *Hibernenſes* l. c. col. 10. „qui vero affectu odii ſeu luxuriæ, ut turpiter confundat, vel irrideat, ad ebrietatem alios cogit, ſi non ſatis pœnituerit, ſic pœniteat, ut homicida animarum.“ (5) *Elinguis.*

(6) i. e. *ieiunet.* Sic GILDA can. VI. de pœnit. (apud MART. l. c. col. 7.) „Si monachus exundante ventre evomuerit ſacrificium in die: cœnam ſuam non præſumat. Et ſi non infirmitatis cauſa, VII. ſuperpoſitionibus: ſi infirmitatis, & non voracitatis cauſa, IIII. ſuperpoſitionibus deleat culpam &c.“ Et mox can. VII. „Si quis autem ebrietatis cauſa pſallere non poteſt ſtupens elinguis: cœna privatur.“

(7) *Suaviora*, ut habet lib. cit de remed. peccat.

(8) Hic canon in libello de remed. peccat. ita refertur ex THEODORO *Cantuarienſi:* „Quodſi caſu quis immunda manu cibum tangit, vel canis, vel pilax, vel mus, vel immundum animal, quod ſanguinem biberit, non nocet.“ Sed etiam in hoc ipſo canone pro primo quartus caſus legendus eſt, *canem &c.* Eſt vero pilax MARTENIO cattus murilegus.

(9) l. Sanguine.

(10) THEOD. *Cant.* canon inter *Hibern.* „Feſtinanter occidendi ſunt.“

Digitized by Google

manducare non licet, uſque dum macerentur, & poſt anni circulum. Animalia coitu hominum polluta occidantur, carnesque canibus proiciantur, ſed quod genuerant, ſint in uſum, & coria adſument; (1) ubi autem eſt dubium, non occidantur. Infirmis licet omni hora cibum ſumere & potum, quando deſiderant vel poſſunt; ſi oportunum non poſſunt (2) qui ederit aliquos ligores, in quo fuerit multila (3) vel mortua invenitur, III. ſuperpoſiti, (4) peniteat. Si in farina aut in aliquo ſiccato cibo aut pultato coaculato vel lacte iſte inveniantur beſtiole, quod ſi circa corpora eorum foris proiciantur; (5) omne reliquum ſana ſumatur fide. Si ſanguinem ſine voluntate de dentibus biberit, id eſt cum ſaliva, non eſt peccatum. Si quis venationes aliquas quocunque exerceat, ſi clericus anno I. ſi diaconus II. ſi ſacerdos III. peniteat. Catecumeni manducare non debent cum baptizatis, neque gentiles. Uxor que ſanguinem viri proredium (6) guſtaverit, XL. peniteat. Sic & illa, que ſemen viri ſui in cibum miſcens, ut inde plus amatores accipiat, (7) III. annos peniteat. Qui contemto indicto ieiunio in Eccleſia, & contra decreta ſeniorum fecerit, ſine XL.ma XL. dies peniteat; ſi autem in XLma annum peniteat, ſi frequenter fecerit, & conſuetudinem habuerit, exterminabitur ab Eccleſia, Domino dicente: qui ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, & reliqua &c. ſi infra XLmam, annum peniteat. Qui de ſui comedens corporis cute, vel ſcabie ſive vermiculo, qui peducle (8) nuncupantur: ſuam nec non bibens urinam, ſtercorave comedens, cum impoſitione manuum Epiſcopi annum integrum cum pane & aqua peniteat.

De Fornicat. & reliq. ingenita luxoriandi vel inmundis puerilibus.

Epiſcopi, presbyteri, diaconi fornicationem facientes degradari debent, & penitere, iudicio epiſcopi tamen communicent. De ſodomitis, Epiſcupi XIII. annos peniteant, prbr. XII. diac. VIII. ſubdiac. III. Clerici VI. Laici V. annos peniteant. & nunquam cum alio dormiat. Frater cum fratre naturali fornicatione per commixtionem carnis XV. an. peniteat, ab omni carne ſe abſtineat, ſi ſemen in os miſerit, ſeptem an. penit. alii dicunt uſque ad finem vitæ. Viri inter femora fornicantes primo annum peniteat, ſi iterans vero inter crura fornicantes, ſi pueri ſint anni II. ſi viri anni III. ſi autem in conſuetudinem vertunt, & modus penitentie addatur iudicio ſacerdoti. (9) Vir ſemetipſum coinquinans, primo C. dies, & ſi iterans, annum; ſi cum gradu eſt, addatur penit. per XII. annorum XL. dies. Qui concupiſcit in te (10) fornicare ſed non potuit, annum peniteat, maxime in III. XLmis. Qui per turpiloquium, vel aſpectu coinquinatus eſt, tamen non voluit fornicari corporaliter XX. vel XL. dies peniteat. Si autem in cogitatione violenter (11) coinquinatus eſt, VII. dies peniteat. Qui diu inluditur a cogitatioue, tepidus ei repugnans III. vel II. vel plurimos dies; qui tantum exegerit, diuturnitas cogitationis peniteat. (12) Pueri qui fornicantur inter ſemetipſos, iudicavit (13) ut fabulenter (14); pueri ſoli ſermocinantes & transgredientes ſtatuta ſeniorum, inſuper poſt emendent oſculum ſimplicum facientes VI. ſuppoſ. Inlecebroſum oſculum ſine coinquinamentum VIII. cum quo inquinamento ſine amplexu X. pos. (15) Poſt annum XX. id eſt adulti item (16) committentes XL. dies ſeparati a menſa extorresque ab Eccleſia cum pane & aqua; minimi vero fornicatione imitentes ſe invicem, (17) ſed inquinati non ſunt propter ætatis maturitatem XX. dies. Si vero frequenter XL. dies. Pueri ante XX.

---

(1) Clarius in antiq. collect. can. pœnit. (apud MARTEN. l. c. col. 41. init.) *ſed coria adſumantur.*

(2) Supple: *manducare.* (3) *Muſtella.* (4) Superpoſitionibus. (5) In pœnit. *Rom.* HALITG. apud CANISIUM Lect. antiq. T. II. P. II. ed. BASNAG. p. 138. occurrit canon haud multum abſimilis, ubi melius; „Quod circa corpora earum eſt, proiiciatur."

(6) In collect. antiq. l. c. col. 52. *pro remedio.*

(7) l. c. *ut inde plus eius amorem accipiat.*

(8) *Pediculi.* (9) *Sacerdotis.* (10) Pro *in te* legitur in lib. de remed. peccat. melius *mente.*

(11) i. e. ex imaginatione vehementi. Hic canon in collect. antiq. his verbis refertur: „Qui impugnatione mentis violenter coinquinatus eſt, VII. dies pœniteat, vel quousque cogitatio vincitur."

(12) i. e. Qui tantum temporis in pœnitentia exegerit, quin tamen vicerit tentationem, tamdiu pœniteat, quamdiu turpi cogitatione impugnatur, ut habetur in can. mox laud. (13) Forte ſubint. *canon.* (14) *vapulent.*

(15) Locus integer in pœnitentiali *Romano* ab HALITGARIO Ep. *Cameracenſi* deſcripto Tit. IX. *de minutis cauſis*, ita habet: „Pueri ſoli ſermocinantes & transgredientes inſtituta ſeniorum, tribus ſuperpoſitionibus emendentur. Oſculum ſimpliciter facientes ſeptem ſuperpoſitiones (l. ſuperpoſitionibus). Inlecebroſum oſculum ſine inquinamento, VIII. ſuperpoſitiones: cum inquinamento autem ſive amplexu, XV. ſuperpoſitionibus corrigantur." Apud MORINUM de pœnit. p. 567. ed. *Venet.* 1702. (16) l. *idem.*

(17) l. fornicationem imitantes in ſe invicem.

Digitized by Google

XX. annos ſe invicem manibus coinquinantes, & confeſſi antequam communicent XX. dies; ſi iteraverint poſt penitentiam C. dies. Si vero frequentius, ſeparentur & annum peniteant. Puer oppreſſus a maiore infra X. annos, ebdomadem ieiunat. Qui conſentit, XL. dies. Molles unum annum peniteant. Qui in ſomnis voluntate pollutus eſt, ſurgat, canatque genufleċtendo VII. pſalm. in craſtino in pane & aqua, vel XXX. pſalmos fleċtendo in fine unumquemque canat gloria Patri: Volens quaſi in ſomno peccare, ſive pollutus eſt ſine voluntate, XII. pſalmos cantet, & ſuper uniuscuiusque pſalmi dicat ter Deus in adiutorium meum. Qui ſemen in eccleſia dormiens fuderit, III. dies ieiunet, peccans non pollutus XXIIII. pſalm. cantet. Epiſcopus faciens fornicationem, degradare debent, ſive ſeptem aut XII. annos penit. Presbyter, aut diaconus fornicationem naturalem faciens (1) prolato ante monachi votum (2) III. annos peniteat, veniam omni hora roget; ſuperpoſito (3) faciat in unaquaque hebdomada, exceptis quinquageſimis, poſt ſuperpoſitionem (4) panem ſine menſura utatur, & ferculo aliquatenus butero inpinquato, hoc eſt quadrante, & die dominica ſic vivat: ceteris vero diebus taxati panis menſura & miſſo parvo inpinguato horto oleris, (5) ovis paucis, formatico imina laċtis per flagilitatem corporalem tenuicula vel pabtuto laċtis ſeſtario pro ſitis gratia & aquatili potu, ſi operarius eſt, leċtumque non multo fœno habeat inſtrati per III. quadrageſimæ annos addat aliquid prout virtus eius admiſerit, ſemper ex intimo cordis deſſleat culpam ſuam, obedientie quæ omnibus libentiſſime excipiat poſt annum & dimidium euchariſtiam ſumat & ad pacem veniat; pſalmos cum fratribus canat, ne penitus anima tanto tempore cœleſtis medicina (6) ieiuna intereat; (7) ſi inferiore gradu prius quis monachus, III. quidem annos peniteat, ſed menſura non gravetur panis, ſi operarius eſt, ſextario de laċte romane & alio tenucla & aqua, quantum ſufficit pro ſitis ardore ſumat. Si vero ſine voto monachi presbyt. aut diac. ſi (8) peccaverit, ſicut monachus ſine gradu peniteat, & poſtea recipiat gradus ſuos, (9) ſi autem presbyter aut diaconus poſt tale peccatum

(1) Gilda addit in ſua præf. de pœnit. n. I. *ſive ſodomitam.* (2) l. *voto.* (3) l. Superpoſitionem.

(4) Apud Gildam l. c. *exceptis I. diebus poſt paſ.*

(5) Gilda l. c. *Et miſoclo parvum impingnato. Horti oleribus, ovis paucis, britannico formello utatur. Himina Romano laċtis pro fragilitate corporis iſtius ævi. Tenuclæ vero vel Baltbutæ laċtis ſextario Romano ſitis gratia & aquæ talimpulo, ſi operarius eſt. Leċtum non multo fæno inſtruċtum babeat. Par III. quadrageſimas ſuperaddat aliquid prout virtus admiſerit, ſemper ex intimo corde defleat culpam ſuam. Obedientiam pro omnibus libentiſſime excipiat. Poſt &c.* (6) *Medicinæ.*

(7) Apud Gildam l. c. n. II. „Si quis inferiore gradu poſitus monachus III. annis pœniteat: ſed menſura gravetur panis. Si operarius, ſextarium de laċte *Romanum*, & alium de tenucla, & aquam quantum ſufficiat pro ſitis ardore ſumat.“

(8) Si, redundat.

(9) Hæc verba, *& poſtea recipiat gradus ſuos,* apud Gildam non comparent. Palam hinc fit, circa ſæc. VIII. & IX. quo ſcriptus eſt hic codex, unde canones pœnitentiales excerpſimus, non defuiſſe, qui tenuerint, licere clericis in peccatum carnale prolapſis poſt peraċtam pœnitentiam ad ſuos redire gradus. Contrariam tunc univerſim diſciplinam obtinuiſſe probandum ſumpſit Eminent. Cardinalis De Aguirre prolixa diſſertatione in Concilium *Toletan.* X. nuper typis noſtris cum aliis illuſtriſſimorum Virorum eruditiſſimis lucubrationibus de adminiſtrando ſacramento pœnitentiæ recuſa. Fortene in *Anglia* aut *Hibernia*, quorum populi regnorum ſerius ad fidem converſi ſunt, alia obtinuit diſciplina, epiſcopis aliquid remittentibus de antiquo rigore? Canones pœnitentiales, quos hic edimus, maximam partem ex conciliis *Angliæ* & *Hiberniæ* eſſe depromtos, ex notis hinc inde a nobis adieċtis palam fit; codex vero, quo continentur, Abbatiæ *Rheinaugienſis*, eo forte delatus eſt a S. Findano, qui poſt initia ſæc. IX. ex *Hiberniæ* provincia *Langenienſi* profeċtus, poſtquam *Turonis* S. Martinum adiiſſet, ac *Franciam* & *Alemanniam* peragraſſet atque *Italiam*, ubi beatorum Apoſtolorum limina atque urbis loca ſacra luſtravit, redux tandem *Rhinaugiam* ſe recepit, ſerius quam putat Mabillonius. Annal. L. XXVI. T. II. p. 351. Sacramentarium tamen cui præmittitur hoc pœnitentiale ad uſum regni *Francici* comparatum eſt, una manu exaratum charaċteribus ad *Merovingicos* accedentibus. In *Germania* noſtra ſpem clericis lapſis ad priſtinum gradum redeundi fuiſſe conſervatam ſæc. VIII. dubitari poteſt; quum in Gregorii II. epiſtola canonica ad S. Bonifacium *Mogunt.* cap. III. legamus, presbyterum de crimine adcuſatum, ſed non conviċtum, manere in proprio gradu poſſe; atque in concilio quodam *Germaniæ* eiusdem S. Bonifacii auċtoritate an. 742. celebrato can. VI. clerici & monachi in crimen fornicationis prolapſi ad ſeveram quidem condemnantur pœnitentiam, quin tamen veſtigium adpareat reſtitutionis in priorem dignitatis gradum.

Digitized by Google

tum voluerit monachus ſieri in diſtricto propoſito ex illi I. annum & dimidio peniteat. habet tamen abbas huius rei modorandi facultatem, ſi obedientia eius placita ſit Deo & Abbati ſuo.

De Adulterio, & raptos & inceſtos, & uxores dimiſſas: inlicita tempora nubendi, vel cum pecoribus; & qui, poſtquam ſe Deo voverit, ad ſeculum rediit, vota ſtulta.

Si quis adulterium commiſerit id eſt, cum uxore aliena, aut ſponſam vel virginem corrumperit, aut ſanctemonialem aut Deo dicatam, Laici III. annos peniteant, unnm ex his in pane & aqua; ſi clericus V. II. in pane & aqua: Diaconus & Monachi VII. III. ex his in pane & aqua: Presbyter X. epiſcopus XII. V. ex iis in pane & aqua. Si clericus ſuperioris gradus, qui uxorem habuit, & poſt confeſſionem vel honorem clericatus iterum eam cognoverit, ſciat ſibi adulterium commiſiſſe, ſicut ſuperiore ſententia unusquisque iuxta ordine ſuo peniteat. Si quis concupiſcit mulierem alienam, & non potens peccare cum ea, aut non vult eum ſuſcipere mulier, ſi laicus XL. dies. ſi clericus aut monachus annum peniteat: medium in pane & aqua. ſi diaconus II. Presbyter III. Si quis clericus aut monachus, poſtquam ſe devoverit (1) ad ſæcularem habitum iterum reverſus fuerit, aut uxorem duxerit, X. annos peniteat; III. ex his in pane & aqua, nunquam poſtea in coniugium copuletur; quod ſi noluerit, ſancta ſinodus, vel ſedes apoſtolica ſeparabit eos a communione & convivio catholicorum; ſimiliter & mulier poſtquam ſe Deo voverit, ſi tales ſcelos admiſerit, pari ſententia ſubiacebit. Si presbyter vel diaconus uxorem extraneam duxerit, in conſcientia populi deponatur. Si quis adulterium perpetraverit cum illa, & in conſcientiam advenit populis, deponatur, proiiciatur extra eccleſiam, & peniteat inter laicos, quamdiu vixerit. Si quis cum matre fornicaverit, XII. annos peniteat: Et nunquam mutet, niſi in die dominico. Qui cum ſorore, hoc modo XII. annos ieiunet.

De Canonis Anchoritanis. (2) De inceſtis. (3)

Si quis more pecorum cum propinquo ſanguine inceſti commixti ſunt ante XX. etatis ſuæ annum, X. annis deinde peniteat; exacti oratione tantum incipiant communicare; poſt XX. vero annos communionem cum oblatione ſuſcipiantur; diſcutiatur autem & vita eorum, qui fuerit tempore penitentiæ, & ita hanc humanitatem conſequantnr: quodſi abuſi ſunt hoc crimine, prolixiore tempore XX. etate ut uxores habentes hoc crimen inciderint, XXV. an. peniteat, penitentia acta ad communionem orationum permittantur; Et ita poſt alium quinquennium ad plenam communionem cum oblatione ſuſcipiantur. Quodſi aliqui uxores habentes, & poſt etatis ſuæ annum in hoc prolapſi ſunt, ad exitum vitæ tantum communionem mereantur. Si quis nupſerit cum muliere ſua retro, XL. dies peniteat primo: aut ſi in terga nupſerit, ſic peniteat, quomodo de animal. (4) Si quis menſtruo tempore coierit cum muliere

(1) In antiq. collect. cit. *Deo voverit.*

(2) l. De canonibus Ancyranis.

(3) Plenior inſcriptio habetur in collect. antiq. can. pœnit. (T. I. Spicileg. LUC. D'ACHERII, p. 525. nov. ed. fol.) nempe: „De his qui fornicantur irrationabiliter, id eſt, qui miſcentur pecoribus, vel ſi qui cum propinquis iunguntur, aut cum maſculis polluuntur? In ipſo tamen canone l. c. ſubiecto neque de inceſtu, neque de ſodomia quidquam ſtatuitur. Ad levandam obſcuritatem, cui involutus eſt canon codicis noſtri atque, explendas lacunas, quas librarii oſcitantia aperuit, interpretationem ISIDORI MERCAT. hic adſcribere viſum eſt, qui canonem XV. qui ipſi XVI. eſt, concilii *Ancyrani* ita reddidit: “ Quotquot igitur ante vigeſimum annum tale crimen admiſerint, quindecim annis in pœnitentia peractis orationi tantum incipiant communicare, & quinquennium alterum in communione orationis ſolius perdurantes, poſt vigeſimum cum oblatione ad communionem ſuſcipiantur tunc demum. Diſcutiatur autem & vita eorum, qualis fuerit tempore pœnitentiæ: & iuxta hanc, humanitatem conſequantur. Quodſi quis perſeverantius abuſus fuerit hoc crimine, hic prolixius tempus, viginti annorum pœnitentiam, ſuſcipiat. Qui vero exacta viginti annorum ætate, & uxores habentes, in hoc crimen inciderunt, poſt viginti & quinque annos pœnitentia acta, ad communionem orationum admittantur. In qua communione orationum altero quinquennio perdurantes, ad plenam communionem cum oblatione ſuſcipiantur. Quodſi aliqui & uxores habentes, & excedentes quinquageſimum ætatis ſuæ annum in hoc prolapſi ſunt ſcelere, ad exitum tantum vitæ communionem mereantur.“

(4) Canon integer in antiq. collect. MARTEN. l. c. col. 52. is eſt: „Si vir cum muliere ſua retro nupſerit, pœniteat quomodo de animalibus, id eſt ſi conſuetudine erit, III. annos. Si vero in tergo nupſerit, & conſuetudo erit, VII. annos pœniteat.

muliere, XL. dies peniteat. Mulieres menſtruo tempore non intrent in eccleſiam, neque communicent, nec ſanctemoniales nec laicate, (1) ſi præſumant, III. ebdomades peniteant. Similiter penit. qui (2) in eccleſia ante mundum ſanguinis partum, id eſt, XL. dies. Qui nupſerit & his temporibus; XX. dies peniteat. (3) Qui nubet die Dom. III. dies penit. (4). Qui in matrimonio eſt, quadrageſimis anni & in ſabbatis & dominicis nocte diei & in diebus plurimis maxime III. dies peniteat, antequam communicent, & concepto ſemine uſque ad modum ſanguinem conſumendi, & menſtruum tempore continens fieri debet. (5) Bigamus peniteat I. annum. III. & VI. feria & in III. XLmis abſtineat ſe a carnibus, non dimittat tamen uxorem; Trigamus ut ſuperius, id eſt in quarto vel quinto (6) vel plus. VII. ann. peniteat in quarta & in VI. feria, & in XLmis abſtineat ſe a carnibus, non ſeparentur tamen, Baſilius hoc iudicavit, in canones autem IIII. ann. In quinta generatione coniunguntur, quarta ſi inventa fuerit, non ſeparentur. In tertia tamen propinquitate non licet uxorem accipere poſt obitum eius. (7) Equaliter vir coniungitur in matrimonio eis, qui ſibi conſanguinei ſunt, & uxoris ſuæ conſanguineis poſt mortem uxoris. Duo quoque fratres duas ſorores in coniugio poſſunt habere, & pater filiusque matrem & filiam. Si laicus fornicaverit cum vidua, II. an. penit. reddito tamen humiliationis pretio parentibus eius; ſi uxorem non habet, ſi voluntas parentibus eorum eſt, ipſa ſit uxor eius; ita annum V. peniteant ambo. Si quis laicus cum iumento fornicaverit, II. annos peniteat, ſi uxorem habet; ſi non habet, I. annum. †Si clericus II. diaconus III. presbiter V. duos ex his in pane & aqua; ſi clericus ſemel fornicans annum I. peniteat in pane & aqua; ſi genuerit filium VII. annos peniteat exul, ſic & virgo. Qui dimiſerit uxorem ſuam, aliter coniungens ſe, VII. an. peniteat cum tribulatione vel XII. levius. Si ab aliquo ſua diſceſſerit uxor, & iterum reverſa fuerit, ſuſcipiet eam & ipſe annum unum cum pane & aqua peniteat, vel ſi ipſe aliam duxerit. Si quis intrat ad ancillam ſuam, venundet eam, & annum I. peniteat. Si genuerit filium ex ea, libera eam (8) dimittet. Mulier adultera IIII. annos peniteat. Mulier vero (9) ſeipſa coitum habens III. annos peniteat. Mulieres qui fornicantur, & partus ſuos negant, ſed de his que agant ſecum ut uterus conceptos diſcutiant, X. annos peniteat. (10) Si mulier cum muliere (11) III. annos penit. Si quis maritus, vel

---

(1) Martenii codex habebat *Letatæ*, cuius loco legendum putavit vir doctus *velatæ*. Sed canon eſt 36. ex capitulis Theodori Cant. T. I. ſpicileg. ed. fol. p. 487. Unde ſic reſtituitur: „nec *laicæ*... Similiter pœniteant, quæ intrant Eccleſiam ante mundum ſanguinem poſt partum, id eſt, XL. diebus.“

(2) Suppl. ex Mart. l. c. col. 53. *intrat*.

(3) Canon mutilus ita reſtituendus: „Mulier abſtineat ſe a viro III. menſes, quando concepta eſt, antequam pariat, & poſt partum XL. dies. Qui autem nupſerit his diebus, XL. dies pœniteat, vel XXX. vel XX.“ v. Mart. l. c. col. 52.

(4) Theod. *Cant.* „Qui nubet Dominico, petat a Deo indulgentiam, & II. vel III. diebus pœniteat.“ *Nubere* hic non pro ceremoniis nuptialibus, ſed pro concubitu maritali accipiendum eſſe, contextus ſuadet.

(5) Oedipus ſit, qui ex canone hoc ſanum ſenſum eliciat. Videtur tamen idem eſſe, qui in collect. antiq. apud Mart. l. c. col. 52. ita legitur: „Qui in matrimonio ſunt, abſtineant ſe in III. quadrageſimis, & in Dominica nocte, & in ſabbato & fer. IV. & VI. quæ legitimæ ſunt, & III. noctes abſtineant ſe antequam communicent.“ Additur ib. „Qui in quadrageſima ante paſcha cognoſcit mulierem ſuam, annum unum pœniteat.“ Pars poſterior canonis noſtri de vitanda familiaritate mulieris menſtruatæ l. c. in lib. de remed. peccat. col. 24. his verbis exprimitur: „Qui menſtruo tempore coierit, XX. dies pœniteat.“

(6) l. *Sexto*.

(7) Undecunque adſcitus ſit hic canon, patet ſaltem, antiquiorem eſſe iis, quos laudavit Gratianus C. XXXV. Q. II. ubi can. 16. 17. 18. 19. 21. conſanguinitas in gradibus remotioribus impedimentum matrimonii dirimens ſtatuitur.

(8) l. liberam.

(9) In collect. antiq. additur *cum*.

(10) Integer canon *Ancyranus*, qui Isidoro eſt vigeſimus primus, ex eiusdem interpretatione ita habet: „De mulieribus quæ fornicantur, & partus ſuos necant; ſed & de his quæ agunt ſecum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio eſt, usque ad exitum vitæ eas ab Eccleſia removeri. Humanius autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus pœnitentiæ tribuatur.“

(11) In collect. antiq. „Si mulier cum muliere, annos III. id eſt, ſi mulier quæ ſe more fornicatoris ad alteram coniunxerit, III. annos ſicut fornicator pœniteat.

Digitized by Google

vel ſi quæ mulier votum habens virginitatis adiungitur uxori, (1) poſtea non dimittat uxorem, ſed peniteat tres (2) annos; vota ſtulta frangenda ſunt, & inportabilia. Mulieri non liceat votum vovere ſine licentia viri: ſed ſi voluerit (3) dimitti poteſt, & peniteat iudicio ſacerdotis. (4) Sacerdus, ſi oſculatus eſt per (5) fœminam per deſiderium, XX. dies peniteat; ſi per oſculum vel tangendo coinquinatus fuerit XL. dies peniteat. Si per cogitationem ſemen fuderit, VII. dies peniteat. Mulier ſi duobus fratribus nupſerit, abici eam debere uſque in diem mortis reconciliari oportet: ita tamen, ut ſi forte ſanitatem recuperaverit, matrimonio ſoluto ad penitentiam admittatur; Quodſi defuncta fuerit mulier huiusmodi conſortio conſtituta dificilis erit penitentia remanenti: quam ſententiam tam viri quam mulieres tenere debent. (6) Puellæ quæ non parentnm coactæ imperio, ſed ſpontaneo iudicio virginitatis propoſitum atque habitum ſuſceperunt, ſi poſtea nuptias diligunt, prævaricantur etiamſi conſecratio non acceſſit, cuius utique non fraudarentur munere, ſi in propoſito permanerent.

De furto & incendio, & ſepulcrorum violatores, qui patrem expul. & de preda in hoſte & captivitate & fortia, vel qui martirio diſpoliat.

Pecunia eccleſiaſtica furata ſive rapta reddatur quadruplum, popularia dupliciter. Si quis aliquid de miniſterio ſanctæ eccleſiæ furaverit, aut neglexerit VII. annos peniteat: III. ex his in pane & aqua, & reddat integrum quod abſtulit. Si quis furtum fecerit, ſi puer, XL. diebus, ut etas, & qualitas eruditionis: Laici annum I. Clericus II. ſubdiaconus III. diaconus IV. presbiter V. epiſcopus VI. annos peniteat. Si laicus ſemel furtum fecerit, reddat quod furavit, & in XLmis cum pane & aqua peniteat: ſi ſæpius fecerit, & non habet, unde reddat, annos II. in pane & aqua peniteat, & aliis quadrageſimis, & ſic poſtea in paſca reconcilietur. Qui ſepe furtum faciebat, VII. annos peniteat, vel ut ſacerdos iudicat, iuxta quod conponi poteſt, quibus nocuit: & ſemper debet reconciliare, quem offendebat, & reſtituere iuxta quod ei nocuit, & multum poſt iuvabit penitentia eius: ſi vero noluerit, aut non poteſt conſtitutam temporis per omnia, (7) puer annorum X. aliquid furti comedens (8) VII. dies peniteat. Qui furatur cybum XL. dies peniteat. ſi iterum III. quadrageſimas: ſi tertio, annum peniteat: ſi quarto, iugi exilio ſub alio abbate peniteat. Si laicus monachum furtum duxerit (9) aut intret in monaſterio Deo ſervire, vel humanum ſubeat ſervitium. Si quis ſervum aut quemcunque hominem quolibet inienio in captivitate duxerit, aut transmiſerit, III. annos in pane & aqua. Si quis patri vel matri expulſerit, impius vel ſacrilegus iudicandus eſt, & peniteat equali tempore, quamdiu (10) impietate exteteret. Qui præbent ducatum barbaris, ſi baſilicas incenderent, & ſi clericum ſive ſanctemonialem bonos occiderint & innocentes ab eccleſia traxerint, ductor XIIII. annos peniteat(11), pecuniaque in aliena

(1) l. c. col. 47. melius, *matrimonio, poſtea non dimittat illud.*

(2) l. c. *quatuor.* (3) l. c. *voverit.*

(4) Sequentia verba: „Vota ſtulta frangenda ſunt & importabilia - - - - Et pœniteat iudicio ſacerdotis" omnino deſunt apud MARTENIUM. (5) Omitt. *per.*

(6) Canon 2. Conc. *Neocæſareenſis* ex interpretatione ISIDORI eiusmodi eſt: „Mulier ſi duobus nupſerit fratribus, abiiciatur uſque ad diem mortis. Sed propter humanitatem in extremis ſuis ſacramentis reconciliari oporteat; ita tamen, ut ſi forte ſanitatem recuperaverit, matrimonio ſoluto, ad pœnitentiam admittatur. Quodſi defuncta fuerit mulier in huiusmodi conſortio conſtituta, difficilis erit pœnitentia remanenti. Qua ſententia tam viri quam mulieres teneri debebunt."

(7) Add. exequi, pœnitentiam ipſemet augeat. Sic in collect. antiq. cit. col. 42. „Qui furtum commiſerit, & non compoſuit illis quibus nocuit; . . . . debet illis aut propria reddere, vel componere. Si vero non habuerit ſubſtantiam unde componere poteſt, vel neſcierit, quibus nocuerit, plus augeat pœnitentiam." (8) l. committens.

(9) l. *furto abduxerit.* (10) l. *in impietate extiterit.*

(11) Hic canon in duo capitula diviſus apud LUC. D'ACHERY (Spicileg. T. I. in fol. inter Capit. ſelect. can. Hib. Lib. LVII. p. 506.) ita legitur: „Cap. II. De pœnitentia ducentium barbaros. Synodus Hibernenſis ait: Qui præbet ducatum barbaris, XIV. annis pœniteat. Barbarus, id eſt, alienus: quis eſt alienus, niſi qui more crudeli & immani cunctos proſternit. Cap. III. De iure quo iudicant ſenatores XIV. annos pœnitentiæ ductorum. Synodus Hibernenſis ait: XIV. annos hac de cauſa nancti ſunt (f. ſanxerunt) ſenatores, ſi baſilicas epiſcoporum incenderint, vel ſi hominem religioſum ſive ſanctimonialem occiderint, vel proſtraverint, ſive innocentes de eccleſia ſubtraxerint: ductor VII. annos ſui cauſa, VII. annos alios cauſa ductorum pœniteat."

Digitized by Google

na provincia ab hoſte rapta fuerit, id eſt rege alio ſuperato, tertia pars ad eccleſiam tribuatur vel pauperibus, quod iuſſio regis erat dies XL. peniteat. Si quis domum vel aream ſcuiuscumque igne concremaverit, III. annos penit. unum ex his in pane & aqua.

De periurio & falſo teſtimonio & mendacio.

Si quis periurium fecerit, laici III. annos, clerici V. ſubdiac. VI. diaconi VII. presbit. X. epiſcopi XII. (1) Qui periurium fecerit in eccleſia XI. annos peniteat. Si in manu epiſcopi aut presbiteri vel diaconi, ſeu in altari vel in crûce conſecrata (2) mentitus eſt III. annos peniteat. Si in cruce non conſecrata, unum annum peniteat. Si quis laicus per cupititate periurat, totas res ſuas vendat, & donet pauperibus, & converſus in muniſterio uſque ad mortem ſerviat Deo. Si autem non per cupiditatem mortis periculum incurrit, III. annos inermis exul in pane & aqua penit. & duos abſtineat ſe a vino & carnibus, & dimittat pro ſe ſervum aut ancillam ingenuam & per II. annos elemoſinam faciat, & poſt IIII. annos ad iudicium ſacerdotis communicet; qui vero neceſſitate coactus ſit, III. quadrageſimis. Qui ductus eſt in periurio ignorans, & poſtea recognoſcit, annum peniteat; qui vero ſuſpicatur, quod periurio ducitur, tamen iurat per conſenſum, II. annos peniteat. Pro falſo teſtimonio laici unum annum, clericus II. ſubdiaconus III. diaconus IIII. presbiter V. epiſcopus VI. annos penit. Falſum teſtimonium dicens placeat proximo ſuo (3) primo, quale fratri impoſuit, tali iudicio damnetur iudicio ſacerdotis. Mendax vero per ignorantiam & non nocuit, confiteatur ei, cui mentitus eſt, & ſacerdoti, hora tacendi damnetur, vel XII. pſalm. cantet Si vero de induſtria, III. dies tacendi vel XXX. ſi poteſt. (4) Mendax per cupiditatem, placeat largitate ei, cui frauſtravit.

De Homicidio & ſanguinis effuſione ſine morte, & qui parvulos oppreſſos hic qui ſine baptiſmo moriuntur, & abortus, & qui membra enj abſcindunt, & qui præbent ducatum Barbaris.

Canones Anchonitani. (5)

Qui voluntarie homicidium fecerint, ad penitentiam ſe iugiter ſubmittant, circa exitum autem vitæ communione digni habeantur. Qui non voluntate ſed caſu homicidium perpetratur, V. annos peniteat. (6) Mulieres qui fornicantur, & partus ſuos negant, & eas que agunt ut uteros conceptos excutiant, antiqui Patres inſtituerunt uſque ad exitum vitæ, nunc humanius adfinitum eſt, X. annos peniteant. (7) Si quis occiderit monachum vel clericum, arma relinquat & Deo ſerviat, vel VII. annos peniteat. Qui autem epiſcopum vel presbiterum occiderit, regis iudicium eſt de eo. Si laicus alium occiderit odii meditatione (8) ſi non vult arma relinquere, VII. annos peniteat ſine carne & vino. Qui hocciderit hominem XL. dies abſteneat ſe ab eccleſia, & poſtea ſuperſcriptam penitentiam agat. Qui iuſſione Domini ſui hominem hocciderit, XL. dies peniteat; & qui hocciderit hominem in publico bello, cum rege XL. dies penit. ſi per poculum vel per artem aliquam malam, VII. annos peniteat, aut plus. Si mater filium ſuum hocciderit, XII. (9) annos peniteat, & nunquam mutet, niſi die Dominico. Mulier pauperrima IIII. annos peniteat. (10) Mulier ſi occiderit filium ſuum in utero ante XL. dies, annum I. peniteat; ſi vero XL. dies a conceptione, ut homicida peniteat III. annos. Si quis clericus homicidium fecerit, X. annos penit. exul, III. ex his in pane & aqua. Si quis homicidium caſu fecerit non volens, V. annos penit. III. ex his in pane & aqua. Si ad homicidium conſenſerit, & factum fuerit, VII. annos peniteat. Si voluerit

---

(1) Ita etiam in pœnit. *Rom.* HALITG. *de Periurio*, verbis tantum transpoſitis.

(2) In collect. antiq. MART. l. c. col. 42. *& mentitus eſt.*

(3) l. *placet proximum ſuum.*

(4) In lib. de remed. peccat. MART. l. c. col. 25. fin. integre: *Si vero non per ignorantiam, duobus diebus taceat, vel triginta pſalmos, ſi præeſt, cantet, præſules enim tacere non poſſunt.*

(5) l. *Ancyrani.*

(6) In edit. ex interp. ISIDORI can. 22. conc. *Ancyr.* „Eos vere qui non voluntate, ſed caſu homicidium fecerint, prior quidem regula poſt ſeptem annorum pœnitentiam communioni ſociavit ſecundum gradus conſtitutos. Hæc vero humanior definitio quinquenni tempus tribuit.“

(7) Vid. ſup. p.

(8) Apud MART. collect. antiq. col. 41. additur: „vel poſſidendæ hæreditatis eius.“

(9) Apud MART. l. c. XV. *annos.*

(10) l. c. *Mulier paupercula ſi occiderit filium ſuum, VII. annos pœniteat.*

Digitized by Google

rit & non potuerit, III. annos penit. Si quis homocidium fecerit, laici III. Clericus V. Subdiaconus VI. Diaconus VII. Presbiterus X. Epiſcopus XII. annos peniteat. Si laicus proximum ſuum occiderit V. annos exul penit. Si quis alium percuſſerit & ſanguinem effuderit, X. dies in pane & aqua; ſi dicam ſeptem menſes, presbiter I. annnm peniteat. (1) Cuius parvulus in negligentia ſine baptiſmo mortuus fuerit, III. annos. I. ex his in pane & aqua. (2) Si laici infantes ſuum obpreſſerint, annum I. in pane & aqua penit. & II. a vino & carne, & abſtineat ſe ab uxore tempore penitentiæ. Si mulier abortum fecerit voluntarie III. annos in pane & aqua penit. Qui per rixam ictum (3) debilem vel deformem hominem fecerit, reddat inpenſis medicae (4) & egritudine reſtituat, & medio anno in pane & aqua peniteat: ſi non habuerit, unde reddat, unum annum peniteat. Si laicus per ſcandalum ſanguinem effuderit, reddat ill. tantum quantum nocuit, & ſi non habeat, unde reddat, ſolvet opera proximi ſui, quamdiu ille infirmus eſt: & peniteat XL dies in pane & aqua. Qui ictum proximo dederit & non nocuit, I. vel II. vel III. quadrageſim. in pane & aqua peniteat. Si clericus, annum vel dimidium ſi quis quodlibet menbrum voluntate truncaverit III. annos. I. ex his in pane & aqua. Parvoli invicem percutientes VII, dies. Si vero adoleſcentes XL. dies peniteant. Si per vindictam fratribus (5) hominem occiderit, III. annum penit. ſi cpont (6) propinquis dimidio ſpatium (7). Qui præbent ducatum barbaris, III. annos peniteat. qui hoſpites non recepit in domo ſua, ſicut Dominus prœcepit, & regna celorum promiſit, ubi dicit: venite benedicti & reliqua; quanto tempore hoſpites non recepit, & mandata evangelica non implevit, nec pedes lavavit, nec elemoſinam fecit, tanto tempore peniteat in pane & aqua, ſi non emendaverit. Qui permanet in avaritia, alienetur, theſaurizans ſuperflua in craſtinum tempus, per ignorantiam, tribuat illa pauperibus, ſi autem per contemptum arguentium, elemoſina & ieiunio, iudicio ſacerdotis. Permanens autem in avaritia alienetur (8). Qui repetit auferenti quæ ſua ſunt contra (9) interdictum, tribuat indigentibus, quæ repetivit. Clericus habens ſuperflua, donet ea pauperibus, ſin autem excommunicetur (10); ſi autem poſt penitentiæ tempus quo vivit in contradictionem in penitentiam remotus vivat. Si quis cupidus aut avarus, aut ſuperbus, aut ebrioſus, aut fratrem ſuum hodio habuit, vel alia his ſimilia quæ dinumerare longum eſt, III. annos peniteat, & iuxta vires ſuas elemoſinas faciat.

De ira, triſtitia, odio, maledicto, detractione, invidia, dilaturas (11), cogitationes, malas, hereſim.

Qui verba aceruiora in furore, non tamen iniurioſa protulerit, ſatisfaciens fratri ſuperponanatur. Si autem cum pallore & rubore vel tremore maledicens, cui maledixit placeat, & VII. dies peniteat, remotus cum pane & aqua. Qui odit fratrem ſuum quamdiu non repellit odium, cum pane & aqua ſit, & ei quem hoderit caritate non ficta conpelletur. (12) Qui cauſa invidiæ detrahit, vel libenter audit detrahentem, IIII. dies in pane & aqua ſeparetur: ſi vero de eo, qui præeſt, IIII. dies peniteat & ſerviat ei libenter reliquo. Detrahentes laici VI. diebus. Clerici hebdomad. II. Subdiaconus III. Diac. IIII. presbiteri V. epiſcopi VI. Si quis cum alio iram tenet in corde, homicida iudicetur: ſi non vult reconciliari fratri ſuo, quem hodio habet, tamdiu in pane & aqua peniteat, uſque dum reconcilietur ei: reticens peccatum fratri quod eſt ad mortem, arguet eum cum fiducia, & quanto tempore reticuit, tanto cum pane & aqua vivat. Si peccatum parvum reticuit, arguit quidem eum

(1) Collect. antiq. Mart. col. 41. „Si quis alium aliter percuſſerit, & ſanguinem effuderit, XL. dies pœniteat & vulnus reſtituat. Si diaconus VI. menſes, ſi presbyter unum annum pœniteat.“

(2) l. c. col. 42. *Si moritur infans ſine baptiſmo, III. annos habens; pater & mater III. annos pœniteat, I. ex his in pane & aqua.*

(3) l. *ictu.*

(4) l. *impenſas medicinæ.* In lib. de remed. pecc. Mart. l. c. col. 26. *Reddet impenſa in medicos, & maculæ pretium, & opus donec ſanetur reſtituat* (ſc. tantum, quantum ſuo labore adquirere potuiſſet) *& dimidio anni pœniteat.*

(5) l. *fratris.*

(6) l. *componit*, i. e. ſatisfacit.

(7) l. *Spatio.*

(8) i. e. excommunicetur.

(9) Suppl. *Domini* ex Theod. Cant.

(10) Pœna hæc nonnisi gravium ſcelerum reis unquam inflicta eſt. Igitur anonymus noſter innocentes haud exiſtimavit Clericos de bonis ſuperfluis tanquam ſuis ſtatuentes

(11) l. *delatione.*

(12) f. *copuletur.*

eum, ſed pſalmis ſive iudicio ſacerdotis peniteat. Qui peccatum putendum fratri imputat, priusquam ſeorſum arguat eum, ſatisfaciens ei III. dies in pane & aqua peniteat. Si quis monachus ſolus cum ſola fœmina locutus fuerit, vel ſub eodem tecto maneat, cena careat: ſi vero poſt interdictum XL. dies cum pane & aqua peniteat. Si quis Dilaturas fecerit, quod & ſtabile (1) eſt, annos III. peniteat in pane & aqua. Si quis laicus per ignorantiam cum hereticis communicaverit, ſtet inter Catecumenos, id eſt, ſeparatos ab eccleſia XL. diebus & aliis XL. in extremis peniteat, & ſic culpam ſuam diluat; ſi vero poſtquam ſacerdos predicavit, ut cum heretico non communicaret, & iterum fecerit, annum I. peniteat, & III. quadrageſimis, & III. annos abſtineat ſe a vino & a carnibus. Si quis ab heretico ordinatus fuerit, iterum debet ordinari; (2) ſi prehenſibilis fuerit, ſin minus, deponi oportet. Si quis a catholica eccleſia ad hereſim tranſierit, & poſtea reverſus non poteſt ordinari, niſi poſt longam abſtinentiam aut magna neceſſitate; hunc innocentius Papa nec poſt penitentiam clericum fieri canonum auctoritate adſerit permitti. Si quis a fide Dei diſceſſerit ſine ulla neceſſitate, & poſtea ex toto animo penitentiam accepit, III. annos extra eccleſiam id eſt, inter audientes iuxta Nicenum Concilium annos VII. in eccleſia inter penitentes, & annos II. adhuc extra Communionem.

De Baptiſmo Reiterato.

Qui bis baptizati ſunt ignorantes, (3) indigent pro eo penitentiam, niſi quod ſecundum canones non poſſint ordinari, niſi pro magna neceſſitate. Qui autem non ignari iterum baptizati ſunt, quaſi iterum Chriſtum crucifixerunt, annos VII. peniteant, IIII. & VI. feria, & in tres quadrageſimis (4) ſi pro vitio aliquo fuerit, (5) ſi autem pro munditia licitum putaverunt, annos III. peniteant.

De miniſterio eccleſiæ, & reædificatione vel Miſſas, & diverſas negligentias, de ſancto ſacrificio.

Eccleſiam licet ponere in alio loco, ſi neceſſe ſit, & non debet iterum ſanctificari, tantum presbiter aqua aſpergere debet, & in loco altaris crux debet componi. (6) ligna eccleſiæ non debent ad aliud opus iungi, niſi ad aliam eccleſiam, vel igne comburenda, vel ad profectum in monaſterio fratribus coquere cum eis panes licet, nam talia in laicata opera non debent procedere. Sacrificium non eſt accipiendum de manu ſacerdotis, qui orationes vel dilectiones (7) ſecundum ritum implere non poteſt pro bonis rebus (8) offerre debemus, pro malis nequaquam, presbit. vero pro ſuis, ſi epiſcopus non eſt, prohibentur offerre. (9) Qui communicaverit nec ignorans excommunicato ab eccleſia XL. dies peniteat. Ante conſumationem penitentiæ penitentes ſecundum canones non debent communicare, (10) nos autem pro miſericordia poſt annum aut VI. menſes licentiam damus. Qui multa mala fecerit, id eſt homicidium, adulterium vel cum quadrupedia fornicaverit, aut furta multa fecerit, eat in monaſterium & peniteat uſque ad mortem. Si quis presbiter penitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum, quia Dominus dicit: quacunque die converſus fuerit peccator, vita vivet & non morietur; vera enim converſio in ultimo tempore poteſt eſſe, quia Dominus non ſolum temporis, ſed cordis inſpector eſt, ſicut latro unius momenti meruit eſſe in paradiſo in unius momenti con-

---

(1) l. *deteſtabile.*

(2) Non unam quoad omnes hæreticos fuiſſe obſervatam diſciplinam ex hiſtoria eccleſiaſtica ſatis conſtat.

(3) Suppl. ex Theod. Cant. (apud Acher. ſpicil. T. I. fol. p. 486.) *non.*

(4) Suppl. *ieiunent.* ex can. *qui bis* 117. diſtinct. IV. de conſec.

(5) Suppl. ex eod. can. Grat. *ſimiliter.*

(6) Idem hic canon editus eſt inter capitula Theodori *Cant.* n. XV. exceptis poſterioribus verbis, quæ *& in loco altaris &c.* quæ ibidem deſunt. Cæterum notat D. De la Barre ad cit. can. (T. I. ſpicil. n. ed. p. 487.) in priori editione lectum: „Et tunc debet iterum ſacrificari, nec tantum aqua ſancta adſpergi.“ Quæ ſane lectio cum can. IX. & XXIV. Diſt. I. de Conſecr. ubi moto altari, inſtaurataque eccleſia, nova præcipitur conſecratio.

(7) l. *lectiones*, ut apud Theod. l. c. n. VII.

(8) l. *regibus.* Eſtque hic can. XVI. Gildæ (T. IV. Theſaur. nov. anecd.). Aliter ſane viſum Apoſtolo.

(9) Gildas can. XVII. „Presbyteri vero pro Epiſcopis non prohibentur offerre.“

(10) In cap. XXI. Theodori inſerta habentur ſequentia: „Theodorus dicit.“ Unde coniicimus, eſſe hunc canonem concilii cuiusdam Anglicani, cui interfuerit Theodorus.

Digitized by Google

confeſſor. (1) Pro defuncto monacho miſſas agantur die ſepulture eius, & tertia diæ & poſtea quantum voluerit Abbas. Pro laico bono tercio die vel ſeptimo poteſt ieiunium pro penitentia XXX. dies vel VII. & propinquis eius oportet ieiunare VIImo die (2) & oblationem offerre ad altare, ſicut in Iheſu filio ſirach legitur, & pro Saul filii Iſrael ieiunaverunt, poſtea quantum voluerit presbiter; Miſſa ſecularium mortuorum III. in anno, tercio die & nono die, & trigeſimo diæ, quia tertia diæ ſurrexit Dominus, & hora nona emiſit ſpiritum, & XXXmo diæ Moyſen planxerunt filii Iſrael: Mulieres poſſunt ſub nigro velamine accipere ſacrificium; ſanctus Baſilius hoc iudicavit.

De ſancto ſacrificio.

Qui non communicat, non accedat non ad pacem, neque ad hoſculum, & qui prius manducat, ad hoſculum non permittitur; qui acceperit ſacrificium poſt cybum VII. dies peniteat; ſi vero monachus neglexerit accipere ſacrificium, & non interrogat, nec aliquid cauſæ excuſabilis extiterit, ſuperponatur; & qui acceperit ſacrificium pollutus nocturno, ſimiliter peniteat; ſi ſacrificium terratenus negligendo cciderit, ſuperpoſitio ſit; qui ſacrificium aliquo perdit, relinquens illud feris devorandum, ſi excuſabiliter III. quadrageſimas, ſin vero annum I. Qui non bene cuſtodierit ſacrificium, & mus comedit illud, XL. dies peniteat. Qui autem perdiderit in eccleſia, aut pars ceciderit, & non inventa fuerit, XX. dies peniteat. Qui perdiderit ſuum Criſma, aut ſolum ſacrificium in regione qualibet, & non inveniatur, III. quadrag. vel annum I. peniteat. Perfundens aliquid de calice ſuper altare, quando aufert linteamen, VII. dies penit. aut ſi habundantius ſuperpoſitionibus VII. penit. ſi ſuper altare ſtillaverit calix, ſorbeat miniſter ſtillam & ternis diebus peniteat. Et ſi per lintea ad alia tranſierit VII. dies peniteat; ſi uſque tertio VIIII. dies, ſi uſque quarto XII. dies, & linteamina quæ tetigerit ſtilla III. perabluat feces calice ſubter poſito, & aqua ablutionis ſumatur; ſi vero per negligentiam de calice aliquid ſtillaverit in terra, lingua bibatur, tabula radatur, ſi non fuerit tabula, mittat, ut non conculcetur, igni ſumatur, (3) ut ſupra ſacerdos L. dies penit. ſi quando interluetur calix ſtillaverit; prima vice XII. pſalmos cantet. Qui in flumen mergit, ſacrificium continuo bibat aquam quæ in Criſma fuerit, ſacrificium ſumat & emendet per X. dies culpam ſolus. (4) Qui negligentiam erga ſacrificium fecerit, aut ſiccans, vermibusque conſumtum ad nihilum devenit III. Quadrag. cum pane & aqua penit. ſi integrum inventum fuerit, igne comburatur, & cinis ſub altare abſcondatur, & qui neglexerit XL. dies ſuam negligentiam ſalvat. Si cum amiſſione ſaporis decoloratur ſacrificium, XX. diebus expleatur ieiunium, conclutinatum vero VII. diebus; ſi ceciderit ſacrificium de manibus offerentis terratenus, & non inveniatur (5) omne quodcumque inventum fuerit.

(1) Hic canon *Si quis presbyter* ex ep. 2. COELESTINI I. ad Epiſcopos *Galliæ*, quantum ad ſenſum adtinet, deſumtus eſt.

(2) In capit. THEOD. n. XXXIV. „Pro laico bono, tertia die vel ſexta, poſt ieiunium; pro pœnitente trigeſima die vel ſeptima; & propinqui eius ieiunare debent quinque dies, & oblationem offerre &c."

(3) l. ut in decret. GRAT. Diſt. II. de Conſecr. can. 27. deſumto ex THEODORI Cant. pœnit. *Si non fuerit tabula, ut non conculcetur, locus corradetur, & igne conſumetur, & cinis intra altare recondetur, & ſacerdos XL. diebus pœniteat.* In primo pœnit. ex Scrinio *Rom.* Eccl. apud CANIS. T. II. P. II. ed. BASNAG. p. 126. Sic. legimus: *Si de calice aliquid ſtillaverit, per negligentiam, in terram, lingua lambetur: tabula radatur: igne comburatur: & L. dies pœniteat.* In altero ab HALITGARIO deſcripto ib. p. 138. tantum quadraginta dies pœnitentiæ aſſignantur, ut apud GRATIANUM. Verum verba illa maxime obſcura, *ſi non fuerit tabula mittat*, illuſtrantur luculentius ex can. XLVI. Lib. pœnit. editi a MABILLONIO T. I. Muſ. *Ital.* p. 394. ubi: *ſi fuerit tabula, radat. Si non fuerit, mittat tabulam, ut non conculcetur ſanguis Chriſti.*

(4) Extat apud MARTEN. de antiq. Eccl. rit. L. I. cap. 5. fragmentum libri pœnit. ex mſc. cod. Biblioth. *Colb.* quem ſua iam ætate MARTENIUS 800. annorum eſſe iudicavit, ubi hic canon ita refertur: " Qui mergit ſacrificium, continuo bibat aquam, quæ in chrismal fuerit, ſumat ſacrificium, & emendet per X. dies culpam ſolus." Chrismal ſeu chrismale hic loci intelligimus vaſculum, quo Euchariſtia aſſervata aut ad ægros deportata eſt, quo ſenſu in Lib. ſacram. S. GREGORII habetur *præfatio Chrismalis*, quæ in Ordine *Romano* eſt *præfatio vaſculi, in quo Euchariſtia reconditur.* v. DUCANGE. *Solus* vero, i. e. ſolitarius, & ab hominum conſuetudine abſtractus culpam emendare iubetur ſacerdos delinquens.

(5) In pœnit. *Rom.* HALITG. *& inveniatur aliquid &c.*

Digitized by Google

rit, in loco, in quo ceciderit, conburatur, & cinis ut ſupra abſcondatur: ſacerdos deinde medio anno damnetur. Si vero inventum fuerit ſacrificium de manibus offerentis, locus ſcopis mundetur eſt (1) ſtramine, vel, quid ibi inventum fuerit, ut ſupra ignitur, & ſacerdos XX. dies peniteat; ſi uſque altare lapſum fuerit, ſuperponatur. (2) Quicumque alicui capitale crimen admittenti per ignorantiam communicaverit, VII. dies peniteat. Qui evomit ſacrificium, & canis ſumit, annum I. penit. ſin autem, XL. dies, Si in die, quando communicaverit, ſacrificium evomuerit, ſi ante mediam noctem III. ſuperpoſitiones faciat; ſi poſt mediam noctem II. ſuperpoſitiones; ſi poſt matutinos, I. ſuperpoſitionem faciat; ſi infirmitatis cauſa ſacrificium evomuerit, VII. dies peniteat. Si in ignem ipſum proicit, C. pſalmos cantet. Si vero canes lambuerint talem vomitum C. dies, qui evomit, peniteat.

De Reconciliatione, & diverſis & multis malis.

Qui multa mala fecerit, id eſt homicidium, adulterium cum muliere & cum pecore, & furtum, eat in monaſterium, & peniteat uſque ad mortem.

Greci omni Dominica communicant, Clerici & laici: & qui in tribus Dominicis non communicaverint, excommunicantur, ſicut & Canones habent. Romani ſimiliter communicant, qui volunt, qui autem noluerint, non excommunicantur. Greci & Romani tribus diebus abſtinent. ſe a mulieribus, ſicut in lege ſcriptum eſt ante panis propoſitionem (3) ante conſumationem penitentiæ penitentes ſecundum Canones non debent communicare; Nos autem pro miſericordia poſt annum & VI. menſes licentiam damus; qui autem implere quod in penitentiale ſcriptum, bonum eſt; & qui non poteſt facere, conſilium damus; (4) pro I. die in pane & aqua, pſalmos L. flectendo genua, aut ſine flexu LXX. infra eccleſia, aut in loco uno per ordinem pſallat; & pro uno menſe, quod in pane & aqua debet penitere pſalmos mille CC. triginta, & poſtea omnibus, diebus reficiat ad ſextam, niſi quarta & ſexta feria ieiunet ad nonam. A carne & vino abſtineat, alium cibum, (5) poſtquam pſallit, (6) ſumat, & qui pſalmos non novit (7) pro unoquemque die denarium valente eroget in helemoſina, (8) pro uno autem anno in pane & aqua elemoſina ſolid. XXVI. in unaquaque hebdomate unum diem ieiunet ad nonam, & alio ad veſperum, & in III. quadrageſimis de quantum ſumat penſet & tribuat medietatem in elemoſina Secundo autem (9) remiſſior penitentia eſt de Natali Domini uſque Epiphaniam, & Paſca uſque

---

(1) l. & *Stramen*. MART. ex cit. cod. colb.

(2) i. e. ieiunio puniatur ſacerdos.

(3) l. *ante panes propoſitionis* ut apud MARTEN. T. IV theſ. col. 46.

(4) Integre ex pœnit. *Rom.* apud CANIS. T. II. P. II. p. 129. „Qui poteſt ieiunare, & implere, quod in pœnitentiali ſcriptum eſt, bonum eſt, & Deo gratias referat. Qui autem non poteſt, per miſericordiam Dei conſilium damus tale, ut nec ſibi, nec alicui neceſſe ſit vel perire, vel deſperare. Pro uno die, quem ieiunare debet in pane & aqua, 50. pſalmos cantet flexis genibus, ſi poteſt fieri, in Eccleſia, vel in alio convenienti, & unum pauperem paſcat. Vel ſi tamdiu flexis genibus ſtare non poteſt, 70. pſalmos erectus cantet, & pauperem paſcat. Vel centies genibus flexis veniam petat.“ Nulla deinceps inter *Romanum* & noſtrum pœnitentialem librum convenientia. In ſæpius iam laudata collectione antiq. can. pœnit. MARTEN. l. c. col. 55. ſub nomine THEODORI *Cantuatienſis* nimirum, plures occurrunt canones ad pœnitentiarum redemtionem ſpectantes, qui cum noſtris maximam partem conveniunt. Sic ib. poſt verba, *bonum eſt*, pergit THEOD. „*Et hic eſt* ordo idem pſalmodiæ pro pœnitentia, pro uno hoc ſunt, quando in pane & aqua debet pœnitere. Hoc ſunt pſalmi L. flectendo genua, aut ſine genua flectendo LXX infra Eccleſiam, aut in unum locum per ordinem pſallat. Pro hebdomada quando in pane & aqua debet pœnitere, CCC. pſalmos flectendo genua per ordinem pſallat infra Eccleſiam, aut in unum locum, aut ſine genua flectendo CCCCXX. Et pro uno menſe, quando in pane & aqua debet pœnitere, pſallat pſalmos M. CC. cum genua flectendo, aut ſine genua flectendo M. DC. LXXX. &c.“

(5) THEOD. l. c. addit: *quem ei dederit.*

(6) ib. *pſallat.*

(7) additur ib: *Et ita pœnitere debet, & ieiunare non poteſt,*

(8) THEOD. pari obſcuritate: *per unumquemque diem redemtio valenti denarium in pauperibus eroget.* i. e. pro redemtione promeritæ pœnitentiæ numum *valoris* unius denarii eroget. Plura ſequuntur apud THEOD. quæ hic aut deſunt, aut tranſpoſita.

(9) THEOD. *In ſecundo anno remiſſio pœnitentiæ eſt de Natali Domini &c.*

Digitized by Google

uſque in Pentecoſten; & qui ſic non poteſt (1) pro uno anno (2) elemoſinam donet ſolid. XXVI. pro duobus (3) XX. pro III. (4) XVIII. Potentes autem pro criminalibus culpis faciant, ut Zacheus dixit: Domine omnium bonorum meorum dimidium do pauperibus, & ſi aliquid iniuſtum abſtuli, in quadruplum reſtituam; & ſi hic non ſunt, cui abſtulit, aut non poſſunt, animus eius quantum ipſe penſat in argentum medietatem donet, & in Elemoſina. (5)

Ordo ad dandam pœnitentiam. (6)

Ex Cod. Mſc. Bibl. Caſ. Vindob. Theol. N. 685 Sæc. X.

Interrogat ſacerdos dicens: Credis in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. ℟. Credo. Credis quod iſtæ tres perſonæ quæ modo diximus, Pater Filius & Spiritus ſanctus tres perſonæ ſunt & unus Deus. ℟ Credo. Credis, quod in carne, in quo nunc es, in ipſa habes reſurgere in die iudicii, & recipere ſive bonum ſive malum quod geſſiſti. ℟. Credo. Vis dimittere illis peccata, quæcunque in te peccaverunt Domino dicente. SI NON REMISERITIS HOMINIBUS PECCATA EORUM, NEC PATER VESTER COELESTIS DIMITTET VOBIS PECCATA VESTRA. *Et require eum diligenter, ſi eſt inceſtuoſus, & ſi non vult ipſa inceſta dimittere, non potes ei dare pœnitentiam. Nam ſi vult ipſa inceſta dimittere, dic pſalmum* Dne ne in furore tuo. *Et dic orationem hanc.* (7) Cuius indulgentia cuncti indigent. Oremus. Memento famuli tui ill. & qui lubrica terreni corporis fragilitate nudatus eſt, quæſumus, ut des veniam confitenti. Parce ſupplici, ut qui noſtris meritis accuſamur, tua miſeratione ſalvemur. Per. *Deinde dicis pſalmum* Benedic anima mea Domino *uſque* renovabitur. *Et dic. orat. hanc.* Oremus. Deus ſub cuius oculis omne cor trepidat, omneſque conſcientiæ contremiſcunt, propitiare omnium gemitibus & cunctorum medere vulneribus, & ſicut nemo noſtrum eſt liber a culpa, ita nemo ſit alienus a venia. Per. *Et dicis pſalmum quinquageſimum* Miſerere mei Deus. *uſque* omnes iniquitates meas dele. *Et dicis hanc orat.* Oremus Precor Domine clementiæ & miſericordiæ tuæ maieſtatem, ut famulo tuo ill. peccata & facinora ſua confitenti, veniam relaxare digneris & præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti, qui publicani preces confeſſione placatus exaudiſti, tu etiam huic famulo tuo placare Domine; tu huius precibus benignus aſpira, ut in confeſſione placabilis permaneat fletus eius, & petitio perpetuam clementiam celeriter exoret, ſanctiſque altaribus & ſacrariis reſtitutus ſpei rurſus æternæ ac cœleſtis gloriæ mancipetur. Per. *Interroga eum ſi iam confeſſus fuiſſet, & propter hoc interroges ſi ipſe aliquid de malo ingenio habet aut de furtu, aut de aliqua cauſa iniuſtificata contra directum. Si confeſſus fuerit, quod habet, inſtrue illum quod non eſt licentia de aliis peccatis iudicium recipere, antequam ipſum malum reddiderit, aut eiecerit. Poſtea ſi fecerit, interroges eum, ſi iracundiam, contra qualemcunque hominem habeat. Si confeſſus eſt admone eum, quod ſcriptum eſt, quod non proficit abſtinentia eius. Et ſi talis eſt interroges eum, ſi fugitivus ſit, quia non licet pœnitentiam agere antequam ſe reconciliet. Tunc fac eum confiteri omnia peccata ſua ita dicendo* Feciſti omicidium aut caſu, aut nolens aut pro vindicta parentum, aut per iuſſionem domini tui, aut in publico bello, vel facere voluiſti & non potuiſti? quinque aut tres vel quadraginta dies. Similiter ſi ſervum occiderit duos annos. *M.* Feciſti periurium per cupiditatem ſæculi, aut coactus vel pro neceſſitate vel pro vita parentum aut neſciens

(1) Suppl. ex THEOD. *agere pœnitentiam.*

(2) THEOD. *in primo anno.*

(3) THEOD. *Et in ſecundo.*

(4) THEOD. *Et in tertio* XVIII. *hoc ſunt ſolidi* LXIV.

(5) Clariora non ſunt, quæ habet THEODORUS, etſi prolixiora; hic enim loci in codice noſtro integra reſciſſa eſt pagina.

(6) In antiquo ordine ſiculo, qui alias cum hoc noſtro plerumque convenit, præmittitur hæc, ut alibi paſſim, rubrica in append. MORINI de pœnit. „ More ſolito cum aliquis venerit ad ſacerdotem confiteri peccata ſua, mandet ei ſacerdos, ut exſpectet modicum donec intret in cubiculum ſuum adorare: ſi autem non habuerit cubiculum, prius in ſecreto cordis dicat hanc orationem: *Dne Deus omnipotens propitius &c.* " Quæ omnia, ut ipſe ordo, privatam pœnitentiam indicant, diverſam ab ea, quæ publice in capite ieiunii indicebatur, agebaturque.

(7) Apud MORINUM in cod. Siculo ſic legitur *Deus cuius indulgentia &c.*

Digitized by Google

ſciens; aut ſi alios in periurium induxiſti ſcienter. Septem annos vel tres & quadraginta dies. *M.* Feciſti furtum, id eſt, effracturam, quadrupedia vel fortiorem cauſam valentem. Solidos quadraginta vel centum. annos ſeptem vel quinque. *M.* Et de minoribus furtis annum unum vel tres quadrageſimas, ſeu & quadraginta dies. *M.* Feciſti adulterium cum uxore aliena aut cum ſponſata. Vel virginem corrupiſti, aut cum ſanctæ monialæ vel Deo dicata. quinque vel tres annos. *Int.* Nupſiſti cum uxore tua retro, vel cum ancilla. XL. dies. *Int.* Feciſti fornicationem ſicut ſodomitæ fecerunt, vel cum fratre aut cum matre, vel cum pecoribus vel ullo ingenio. quindecim, aut duodecim vel ſeptem annos, vel unum. *Int.* Dixiſti falſum teſtimonium per cupiditatem. ſciens aut neſciens. tres vel duos aut unum annum. *Int.* Percuſſiſti hominem, ut ſanguis exiret ab homine, vel oſſa fregiſti. annum unum vel quadraginta dies. *M.* Truncaſti ei ullum membrum propter iram. annos tres. *Int.* Odiſti fratrem tuum. quamdiu in ipſo odio fuiſti, tamdiu pœniteas in pane & aqua. *Int.* De miniſterio eccleſiæ abſtraxiſti aliquid. detraxiſti ullum hominem aut ſeniorem vel ad parentes propter invidiam. annum unum vel quadraginta dies. *Int.* Nubſiſti cum uxore tua aut cum alia fœmina quadraginta dies ante partum aut poſt partum, quadraginta dies pœniteas. *Int.* Nubſiſti die dominico unum diem vel tres. *Int.* Violaſti ſepulcra propter furtum, annos tres, aut duos. *Int.* Contigit tibi ulla negligentia de ſacrificio. Centum dies vel quadraginta. *M.* Feciſti uſuras. quinque annos vel tres. *M.* Tuliſti res alienas malo ordine per malum ingenium. tres annos. *M.* Feciſti ſacrilegium, id eſt quod aruſpices vocant, & auguros faciunt & ſortilogos, vel vota quæ ad arbores vel ad fontes ſeu & cancellos, aut per ullum ingenium voviſti, aut ſortitus fuiſti, aut avorſum feciſti. quinque annos vel quatuor. *M.* Feciſti raptum de virgine vel vidua. tres annos pœniteas. *M.* Tuliſti aliquid pecuniæ in eccleſia contra directum. tres annos, aut quadruplum reſtituas. *M.* Prodidiſti aliquam rem per iniuſtam dilaturam, tres annos pœniteas. *M.* Deduxiſti aut transmiſiſti per ullum ingenium ſervum tuum aut alium hominem in captivitate chriſtianum. quinque annos pœniteas aut tres. *M.* Cremaſti domum aut area. tres annos. *M.* Feciſti vomitum propter ebrietatem. quindecim dies ſi per contentionem quadraginta dies. Si neſciens ſeptem dies. *M.* Cogiſti ullum hominem bibere, ut inebriaretur, aut per odium hoc feciſti, centum dies. *M.* Bibiſti ſanguinem aut manducaſti de ullo pecude vel homine tres annos pœniteas. Aliorum theſaurum ſumpſi pro quo debitas orationes non implevi. *M.* Manducaſti morticina, aut dilacerata a beſtiis. quadraginta dies. *M.* Bibiſti de liquore in quo mus vel muſtela mortuæ inventæ fuerunt. *M.* Contempſiſti indictum, ieiunium in eccleſia, vel contra decreta ſeniorum. quadraginta dies. *M.* Et ſi quatuor tempora anni vel quadrageſima. annum unum. *M.* Oppreſſiſti infantem tuum vel alium ut moreretur. ſeptem annos, aut quinque vel tres. *Int.* Bibiſti ullum maleficium, id eſt erbas, vel alias cauſas, ut non potuiſſes infantes habere; aut alio donaſti, aut hominem per potionem occidere voluiſti, aut de ſanguine, vel de ſemine mariti tui, ut maiorem de te haberet amorem, aut guſtaſti, aut urinam bibiſti. ſeptem annos pœniteas vel quinque aut tres. Necaſti partus tuos. decem annos pœniteas. *M.* Et ſi filium vel filiam occidiſti. duodecim annos pœniteas. *M.* Et ſi in utero ante conceptum. annum unum. *M.* Si poſt conceptum annos tres. *M.* Si infans per negligentiam mortuus fuerit ſine baptiſmo. annum unum, & nunquam ſine aliqua pœnitentia. *M.* Feciſti aliud paganias, quæ in Kal. Ian. faciunt in cervulo aut in vagula. tres annos pœniteas. *Int.* Miſiſti filium tuum ſuper tectum aut in fornacem pro aliqua ſanitate, quinque annos pœniteas. *Et ad ultimum dicendum eſt pœnitenti;* Multa ſunt peccata mea in factis, in verbis, in cogitationibus. *M.* Habes fidem confeſſam Deo & ſacerdoti, ut remittantur tibi peccata tua. *M.* Credis hoc. ℟. Credo. *M.* Habes voluntatem, quod egiſti contra mandata Dei in hoc emendes. ℟. Sic habeo. *M.* Unde confeſſus fuiſti, vis iudicium recipere & illud bene cuſtodire, & omnibus adinventionibus diaboli renuntiare, & Trinitatem credere? ℟. Volo. *Dices ei:* Dominus ſit tibi adiutor & protector, & præſtet indulgentiam de peccatis præteritis, præſentibus, & futuris. *Tunc da illi pœnitentiam, & indica ſecundum modulum criminum eius. Data vero pœnitentia dic pſalmum* Deus in nomine tuo. *Et dices orationes has ſuper eum.* Collecta. Exaudi Domine preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per. *Alia.* Præſta Domine huic famulo tuo ill. dignum pœnitentiæ fructum, ut eccleſiæ tuæ ſanctæ a cuius integritate deviaverat peccando, admiſ-

Digitized by Google

admiſſorum veniam conſequendo reddatur innocuus. Per. *Alia.* Præveniat hunc famulum tuum N. ablutio criminum dare & veniam præſtare peccatoribus, qui dixiſti pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem. Concede ergo Domine hoc ut tibi pœnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus ſuis conferri ſibi ante ſempiterna gaudia gratuletur. Per. *Alia.* Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & me, qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi, ut quem non electione meriti, ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti operis huius miniſterum, da fiduciam tui muneris exequendi & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt, operare. Per.

Ordo ad reconciliandos pœnitentes. (1)
Ex Codice MS. biblioth. Cæſar. Vindob. ſæc. X. vel XI. Theol. N. 359.

Sedente pontifice pro foribus eccleſiæ pænitentibus in atrio eccleſiæ eminus cum archidiacono iuſſum illius præſtolantibus. Antequam eos offerat poſtulat archidiaconus his verbis: Adeſt venerabilis pontifex &c. (2) *Tunc dicit pontifex:* Venite. *Et diaconus ex parte pænitentium.* Flectamus genua. *Tunc omnes genua aſtantes flectunt pænitentes. Quo facto dicit diaconus ex parte pontificis.* Levate. *Similiter agatur ſecundo repetente epiſcopo:* Venite venite. *Subſequente diacono.* Flectamus genua. *ut antea. & ſic ad medium uſque atrii pavimentum ſolotenus veniant. Quando autem tertio domnus epiſcopus annuntiaverit antiphonam.* Venite venite venite. *proſequatur diaconus* flectamus genua. *Mox cum diacono pænitentes corruant ad pedes epiſcopi. ſique proſtrati maneant uſque domnus epiſcopus ſurgens innuat alteri diacono* levate *proſequente clero antiphonam:* venite filii audite me timorem Domini docebo vos. Benedicam Domino in omni. *Et ad finem uſque dicente. Quamdiu vero pſalmus canitur a clero cum antiphonis* venite filii. *ſemper mannatim pænitentes plebeſanis a archidiacono. & ab archidiacono redduntur Epiſcopo. Et ab epiſcopo reſtituuntur eccleſiæ gremio proſtrati omni tempore in terram. Deinde imponat epiſcopus antiphonam.* Cor mundum crea in me Deus ſpiritum rectum innova in viſceribus meis. *Pſalm.* Miſerere mei Deus. *Quo finito proſternat ſe Epiſcopus unacum pænitentibus in oratorio. Clero faciente letaniam. Qua expleta. poſtquam dicatur* Kyrie eleiſon. *Erectus a terra dicat.* Pater noſter. *Et preces:*

Salvos fac ſervos tuos Domine. Deus meus ſperantes in te.

Convertere Domino uſquequo. & deprecabilis eſto ſuper ſervos tuos.

Mitte eis Domine auxilium de ſancto. & de Sion tuere eos.

Illuſtra faciem tuam ſuper ſervos tuos. ſalvos fac eos Domine nec confundas.

Domine vide humilitatem meam & laborem meum. & dimitte univerſa delicta.

Exaudi me Domine quoniam benigna eſt miſericordia tua ſecundom multitudinem miſeric.

Ne memineris iniquitatum noſtrarum antiquarum. Cito anticipient nos.

Adiuva nos Deus ſalutaris noſter. & propter gloriam nominis tui Domine libera.

Domine exaudi orationem meam. & clamor meus.

Oratio. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris &c. (3)

Alia. Exaudi Domine preces noſtras &c. (4)

Alia. Præveniat hos famulos &c. (5)

Alia. Deus infinitæ miſericordiæ, veritatiſque immenſæ. propitiare iniquitatibus noſtris & omnibus animarum noſtrarum medere languoribus. ut miſerationum tuarum remiſſione percepta in tua ſemper benedictione lætemur. Per.

Alia.

(1) Idem ordo quem hic ex cod. *Vindob.* edimus ſeorſim, in alio, ex quo ordinem divini officii per annum P. III. edemus, habetur ſuo loco Fer. V. in Cœna Domini, qua eam fieri *Romanæ eccleſiæ conſuetudo demonſtrat* teſte INNOCENTIO I. in epiſt. ad DECENTIUM *Eugubinum.* Idque in Capitul. regum *Franc.* lib. VII. c. 73. notatur his verbis: „Omnes publice pœnitentes quinta Feria ante Paſcha, quæ eſt Cœna Domini, ad civitatem in cinere & cilicio in præſentiam epiſcopi proſtrato vultu conveniant, & ibi ab epiſcopo canonice & ordinabiliter, ſicut in ſacramentario, & *Romano* ordine continetur, reconcilientur atque dijudicentur.“ In eccleſia tamen *Mediolanenſi* facta Feria VI. ex epiſt. XX. S. AMBROSII ad MARCELLINAM ſororem n. 20. colligitur, itemque lib. V. Hexamer. ſerm. ultimo. Eundem ritum in *Hiſpania* obtinuiſſe ex Conc. *Tolet.* IV. Can. 6. perſpicuum eſt: atque etiam in *Gallia* alicubi ita uſuveniſſe MARTENIUS lib. I. de antiquis eccl. rit. c. 6. art. 5. n. 10. perhibet.

(2) Ut Tom. I. Monum. pag. 69.

(3) Tom. I. Mon. pag. 69.

(4) ib. pag. 71.

(5) ib.

Alia. Deus ſub cuius oculis omne cor trepidat omnes conſcientiæ paveſcunt. propitiare omnium gentibus. & cunctorum medere vulneribus. ut ſicut nemo noſtrum eſt liber a culpa. ita nemo ſit alienus a venia. Per.

Alia. Præſta quæſumus Domine his famulis tuis dignum pœnitentiæ fructum &c. (1)

Omnipotens ſempiterne Deus confitentibus tibi &c. (2)

Omnipotens & miſericors Deus qui peccatorum indulgentiam. (3)

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus. reſpice propitius &c. (4)

Deus miſericors Deus clemens qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles &c. (5)

Alia. Maieſtatem tuam quæſumus Dne &c. (6)

Alia. Famulos tuos quæſumus Domine ab ira tua &c. (7)

Alia. Deus qui confitentium tibi corda purificas. & accuſantes ſuas conſcientias ab omni vinculo iniquitatis abſolutis. Da indulgentiam reis. & medicinam tribue vulneratis. ut percepta remiſſione omnium peccatorum in ſacramentis tuis ſincera deinceps devotione permaneant. & nullum redemptionis æternæ ſuſtineant detrimentum. Per.

Alia. Deus humani generis benigniſſime conditor & miſericordiſſime reformator. qui in reconciliatione lapſorum etiam me qui miſericordia primus indigeo ſervire effectibus gratiæ tuæ per ſacerdotale miſterium voluiſti. ut ceſſante merito ſupplicis mirabilior fieret indulgentia remittentis. Deus qui iuſtitiæ legis miſericordiæ ſemper multiplicatione moderaris. dum delinquentibus pœnitentiam adhibes. dum etiam malis providentiæ tuæ dona non ſubtrahis. & vindictam moderando ſuſpendis. Deus qui hominem invidia diaboli ab æternitate deiectum unici filii tui ſanguine redemiſti. vivifica hos famulos tuos. quos tibi nullatenus mori deſideras. & quos non dereliquiſti devios. aſſume correctos. Moveat pietatem tuam fletus iſte merorum tuorum medere vulneribus. tu benignam iacentibus manum porrige. Ne eccleſia tua aliqua ſui corporis portione privata temeretur. Ne grex tuus detrimentum ſuſtineat. Ne de familiæ tuæ damno inimicus exultet. Ne renatas lacrymis ſalutaribus animas ſecunda mors poſſideat. Tibi ergo humiliamur omnes. Tibi Domine ſupplices fundimus preces. tibi fletum noſtri cordis offerimus. tu parce confitentibus. ut imminentes pœnas futurique iudicii ſententiam te miſerante non incidant. Neſciant quod terret in tenebris. Quod ſtridet in flammis. & ab errorum via ad iter iuſtitiæ iam reverſi nequaquam ultra novis vulneribus ſaucientur. Propitiare ergo Domine trementibus atque ſupplicibus ſub ſententiæ tuæ exſpectatione. ad humilitatem iacentium ſublevandam dexteram ſalutis extende. Nobis quoque ſervis tuis. quos apoſtolicæ clavis ſacerdotaliſque officii miniſtros. non electione meriti. ſed dono gratiæ tuæ conſtituiſti. da fiduciam tanti muneris exequendi. Et ipſe in noſtro miniſterio quod tuæ poteſtatis eſt operare. Agnoſce piiſſime paſtor oves tuæ redemtionis & conſtrictas vinculis peccatorum. eccleſiæ tuæ precibus exoratus abſolve. Redeant ad unitatem eccleſiæ tuæ. & poſt illam diram inopis exilii famem redeuntes veſte ſplendida ornatæ. gaudeant ſe paterno receptas eſſe convivio. nihil de honore adoptionis Nihil de hæreditatis ſorte perdant. ſed integrum ſit eis atque perpetuum. quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit. Per.

Abſolutio Presbyteri.

Dominus Ieſus Chriſtus qui dignatus eſt diſcipulis ſuis dicere: quæcunque ligaveritis ſuper terram. erunt ſoluta & in cœlo. de quorum numero quamvis indignum & peccatorum vinculis aſtrictum me eſſe ſua dignatione voluit. Ipſe vos largifluo pietatis ſuæ dono. ac meæ ſimul pravitatis miniſterio abſolvere dignetur ab omnibus fragilitatis veſtræ exceſſibus interius exteriusque humanitus contractis. Amen. Et ſicut peccata totius mundi ſua traditione atque immaculati ſanguinis effuſione dignatus eſt expurgare, ita quoque veſtrorum peccaminum maculas miſericorditer non dedignetur emundare. Eiusdem ſancti ſanguinis interventione. qui fuſus eſt in peccatorum remiſſionem. Amen. Adiuvante Dno nro Ieſu Ch. Devotionem quoque veſtram ita deinceps adiutorio gratiæ ſuæ non dedignetur corroborare. quatenus & in hoc ſæculo ſubrepentium laqueos delictorum valeatis evadere. & in futuro vitam æternam Chriſti ſanguine comparatam ſine fine poſſidere. Amen. Adiuvante Domino noſtro Ieſu Ch. qui fecit nos cum non eſſemus. & redemit cum perditi eſſemus. ad laudem & gloriam nominis ſui per omnia ſæcula ſæculorum Amen.

Abſo-

(1) Tom. I. Mon. pag. 69. & 70.
(2) ib. pag. 70.
(3) ib.
(4) ib.
(5) ib. pag. 71.
(6) ib.
(7) ib.

Digitized by Google

Abſolutio Sign.

Sicut principali ſententia conſtat QUIA IN MUNDO OFFENDIMUS OMNES. Unde ingemiſcimus. ita principali ſententia conſolamur: QUIA SI CONFITEAMUR PECCATA NOSTRA. FIDELIS ET IUSTUS EST IESUS CHRISTUS CONDITOR ET REDEMTOR AC SALVATOR NOSTER. QUEM HABEMUS ADVOTATUM IUSTUM APUD PATREM. ET EST PROPITIATIO PRO PECCATIS NOSTRIS. ET INTERPELLAT PRO NOBIS FIDELITER CONFITENTIBUS. ET DIMITTIT NOBIS PECCATA NOSTRA. ET MUNDAT NOS AB OMNI INIQUITATE. Quapropter frater noſter confitenti tibi peccata tua. per eccleſiaſticæ auctoritatis poteſtatem. quam Dominus noſter Ieſus Ch. tradidit diſcipulis & apoſtolis ſuis dicens. ACCIPITE SPIRITUM SANCTUM. QUORUM REMISERITIS PECCATA REMITTUNTUR EIS. & per eosdem apoſtolos ſuos ſucceſſoribus. quorum vices licet indigni tenemus. etſi non merito tamen nomine. atque officii ſuſceptione eamdem poteſtatem donavit. & in ſe credenti fideliter dixit: FIAT TIBI SECUNDUM FIDEM TUAM. gratia & potentia ſua virtute Spiritus ſancti qui eſt remiſſio peccatorum omnium dimittat tibi omnia peccata tua. & liberet te ab omni malo. conſervet in omni opere bono. & ducat te in vitam æternam. & ad Sanctorum conſortium ſupernorum civium amen.

Oratio. Præſta quæſumus Domine his famulis tuis ſecundum piiſſimam miſericordiam tuam. iuxta libitum eorum abſolutionis peccaminum ſuorum fructum. ut ſint tibi dignum habitationis tuæ templum. & mereantur deinceps cum iuſtis atque Sanctis in conſpectu tuo aſtantibus abſoluti manere ab omnium criminum labe. Per I. Ch.

Alia. Nos etiam ſecundum auctoritatem nobis indignis a Deo commiſſam abſolvimus vos vinculo delictorum veſtrorum. ut mereamini habere vitam æternam. Per eum qui vivit.

Alia abſol. ſign.

Frater N. Dominus I. Ch. qui diſcipulis ſuis dixit. QUÆCUNQUE LIGAVERITIS SUPER TERRAM ERUNT LIGATA ET IN COELO. ET QUÆCUNQUE SOLVERITIS ERUNT SOLUTA ET IN COELO. de quorum numero quamvis nos indignos eſſe voluit. Ipſe te abſolvat per miniſterium noſtrum ab omnibus peccatis tuis. quæcunque cogitatione luſione atque operatione negligenter egiſti. & a nexibus peccatorum abſolutum perducere dignetur ad regnum cœlorum amen.

Alia ſing.

Frater N. abſolutionem & remiſſionem peccatorum tuorum per invocationem nominis Dei. & per miniſterium noſtrum percipere merearis hic & in æternum amen. *Hic aſpergat eos aqua benedicta & poſtea dicat:* EXURGE QUI DORMIS. EXURGE A MORTUIS. ET ILLUMINABIT TE CHRISTUS. *Poſt hæc ſurgant pœnitentes. & moneantur ab epiſcopo ut quod pœnitendo diluerunt. iterando non revocent. Item ordo unde ſupra.*

Orationes ad viſitandum infirmum.

Cod. Th. V. 683. ſæc. X.

Deus qui famulo tuo Ezechiæ ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & famulum tuum a lecto ægritudinis tua potentias erigas ad ſalutem. Per.

Alia. Reſpice Dne famulum tuum infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove quam creaſti, ut caſtigationibus emendata continuo ſe ſentiat tua medicina eſſe ſalvatam. Per.

Alia. Omnipotens & miſericors Deus, qui immenſam pietatem tuam, ut ad introitum in tuo nomine humilitatis noſtræ hunc famulum tuum in habitaculo iacentem feſſum ſalutifere viſitare digneris, ſicut viſitaſti Dne Tobiam & Saram, ſocrum Petri, puerumque centurionis, ita & iſtum priſtina ſanitate viſitare digneris. Per.

Item aliæ orationes.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra & membra vegetentur, ſuper hunc famulum tuum propitiatus intende, ut omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur. Per.

Alia. Deus qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum N. ex adverſa valetudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo ac cœleſtis gratiæ præſta medicinam. Per.

Alia. Deus qui humano generi & ſalutis remedium & vitæ æternæ munera contuliſti, conſerva famulum tuum tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam non ſolum in corpore ſed etiam in anima ſentiat. *Item alia.* Virtutum cœleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate depellis, adeſto propitius huic famulo tuo N. ut fugatis infirmitatibus, & iuribus receptis nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat. Per.

Alia. Deus qui beatum Petrum apoſtolum tuum miſiſti ad Thabitam famulam tuam, ut eius precibus reſuſcitaretur ad vitam, exaudi nos pro famulo tuo N. quem in tuo nomine viſitat noſtra fra-

Digitized by Google

fragilitas ut exorata medicina tuæ medicinæ ei ſubveniat. Per.

Alia. Dne ſancte Pater omps æterne Deus, qui es via veritas & vita, exaudi & conſerva famulum tuum, quem precio magno redimendo vivificaſti ſacro ſanguine Filii tui dni nri Ihu Xpi. Qui. *Benedictio ſuper infirmum.*

Sanet te Deus Pater omps qui te creavit, nec erit tibi dolor in capite tuo nec in capillis tuis, nec oculis tuis, neque in pectoribus tuis, nec in mente tua, nec in auribus tuis, nec in omni corpore tuo. Surge, ſurge Domine, diabolum fugere facias, & proiice illum de capite, de capillis, de fronte, de oculis, de lingua, de ſub lingua, de ore, de gutture, de corde, de humeris, de ventre, de omnibus membris iſtius. Per. Benedictio Dei Patris.

Omnipotens æterne Deus, qui ægritudines animarum depellis & corporum auxilii tui ſuper infirmum hunc oſtende virtutem, ut omni ſanitate recepta gratiarum tibi in eccleſia tua referat actionem. Per.

Alia. Omps & miſericors Deus, qui ſubvenis in periculis laborantibus, & qui temperas flagella, te ſupplices exoramus, ut viſitatione tua ſancta eriges famulum tuum N. de hac ægrotatione, qua tenetur, & præſentes eum eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumem ad laudem & gloriam nominis tui. Per.

Benedictio ſuper unum hominem.

Benedicat te Deus cœli, adiuvet te Chriſtus Filius Dei corpus tuum in ſervitio tuo cuſtodire & conſervare dignetur. Per.

Alia. Mentem tuam illuminet & ſenſum tuum cuſtodiat, gratiam ſuam ad profectum animæ tuæ tibi porrigat, ab omni malo te liberet, dextera ſua te defendat, & qui ſanctos ſuos ſemper adiuvat, ipſe te adiuvet & ad cœleſtia regna perducat. Qui vivit & regnat Deus.

Alia. Dne Ds æterne qui utrumque ſexum de interitu perpetuæ mortis per Ieſum Chriſtum filium tuum de Maria virgine natum miſericorditer redemiſti, hunc famulum tuum devota mente tibi ſervientem omni benedictione ſpiritali benedicere digneris, ut inter gratiam fidem habeat, & in præceptis legis tuæ ſemper perſeveret, terrena & tranſitoria deſpiciat, æterna & inviſibilia intenta meditatione diligat, ut in numero Sanctorum tuorum permanens cœleſti ſponſo cum lampadibus bonorum fiducialiter occurrat. Amen.

Alia. Benedicat te Deus, qui in principio cuncta creavit. benedicat te Deus Filius, qui de ſupernis ſedibus pro nobis ſalvator deſcendit. benedicat te Spiritus ſanctus, qui in ſimilitudine columbæ in Iordane flumine requievit in Chriſto, ipſeque te in Trinitate ſanctificet, quem omnes gentes futurum exſpectant ad iudicium, qui cum Patre vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia. Benedicat te Deus Pater, cuſtodiat te Ieſus Chriſtus, illuminet te Spiritus ſanctus omnibus diebus vitæ ſuæ. Confirmet te virtus Chriſti. Indulgeat tibi Dns univerſa delicta tua, qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia. Ille Deus omnipotens benedicat te Pater de cœlis, qui per glorioſam nativitatem ſuam & admirabilem reſurrectionem, venerandamque crucem & ſacratiſſimam genitricem & precioſi ſanguinis effuſione nos venit redimere de terris. Amen.

Benedicat te Deus Pater, ſanet te Deus Filius, illuminet te Deus Spiritus ſanctus, corpus tuum ſalvet, animam tuam cuſtodiat, cor tuum irradiet, ſenſum tuum dirigat, & ad ſupernam vitam te perducat. Amen.

Alia. Dns Ihs Xps apud te ſit, ut te reficiat, circum te ſit, ut te ducat, ſuper omnia ſit, ut te benedicat, pro te ſit, ut pro te intercedat. Præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui eſt honor & gloria per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia. Ille te benedicat, protegat, atque defendat cunctis diebus vitæ tuæ, & perducat te ad regnum gloriæ ſuæ, quem omnes gentes exſpectant venturum iudicem. Amen.

Alia. Deus qui non vis mortem peccatoris, ſed ut convertatur & vivat; huic famulo tuo, ad te toto corde converſo peccata dimitte, & perennis gratiam vitæ concede. Per.

Hic detur ſecretior locus languidis confitendi.

Confiteor Domino & omnibus ſanctis eius & tibi ſacerdos Chriſti, quia peccavi nimis in vita mea in cogitatione, in locutione, in actu, in commeſſatione, in crapula, in ebrietate, in curis huius mundi, in concupiſcentia carnis, in avaritia, in luxuria, in immunditia, in pollucione, in ſuperbia, in vana gloria, in arrogantia, in iactantia, in velatione, in inobedientia, in contumacia, in duritia mentis, in contradictione, in murmuratione, in indignatione, in deſpectione, in detractione, in via, in odio, invidia, in maledictione, in pertinacia, in fornicatione, in ſuſurratione, in muſitatione, in periurio, in mendacio,

Digitized by Google

dacio, in furtu, in neglegentia, in triſtitia huius ſæculi, in lætitia vana, in loquendo, in reticendo, increpando immoderate, in remittendo incaute, in dilectione vana, in inclementia, in ſimulatione, in riſu, in ioco, in ſcurrilitate, in diſcordia ſeminando diſcordiam, in pace falſa, in ficta amicitia, in ignavia, in ſegnitia, in auditu, in guſtu, in tactu, in viſu, in odoratu, in dando, in accipiendo, in contentione, accipiendo uſuram.

Item Confeſſio peccatorum. (1)

Ih. gihun. gode. almahdigen. unde. allen. godes. engilon. unde. allen. godes. heilegon. unde. dir. godes. boden. allero. minero. ſundino. unde. uuili. dero. bigihdig. uuerdan. ſuo. ſochſegi. uremidi. ſo. uuaz. ſoih. unrehdes. giſahrode. unrehdes. gihanedi. unrehtero. uuordo. unrehtero. uuerco. unrehtero. gidanco. ubilero. luſto. ubiles. uuillen. fluochonnes. liogannes. biſprachidu. unrehtes. ſtadales. unrehdes. ſedales. In. uncidin. ſclaphun. uncidin. uuachun. In. uncidigimo. mazze. uncidigimo. dranche. Thaz. unmezzon. uehonti. Minero. ſpiungu. huores. Thiubu. manslahdu. meinero. eido. minero. faſtu. ferbrocheneru. mina chirichun. ſo. niſuohda. ſo. ih. ſolda. ſunnon. daga. unde. andere. heilega. daga. ſo. ne ereda. noh. ne. begienc. ſo. ih. ſolta. heilegan. uuizzuht. ſo. ne. gihielt. ſo ih. ſolta. minan. curſ. ne. iruulta. ſo ih. ſolda. ghorſam. ni. uuas. ſo ih ſolta. Thurphtigun. nint. phiec. ſo. ih. ſolta. alamuoſa. nigab. ſo ih. ſolta. Ana. urlaub. gab. unde. na. dazih. niſolta. Zuene. nibeſuonda. ſo ih ſolta. ſunda. ni uerliez. thien. ih. ſolta. mine. nahiſton. ſo. ni. minnota. ſo ih. ſolta. thes. alles. unde. anderes. manages. thes. ih. uuidar. got. ſculdic. ſi. thes. ih. in minero. criſtanheidi gehiezi. unde. ih. daz. beminen. menisgin. ferliezzi. unde. bemineru. chindesgi. geburidi. ſo. mir. iz. ſlafanti. geburiti. ſo uuachandi. ſo. ih. iz. ſelbo. gefremidi. oder. anderemo. gehancti. oder. anderen. geſpuoni. ſo. ih. es. gehuge. ſo. ni. gehuge. ſo ih. es. ge. dahti. oder. ge. ſahi. oder. ih. iz. ge. dadi. order. geſprachi. ſo uuirdon. ih. es. alles. bigihdig. gode. almahdigen. unde. allen. godes. heiligon. unde. thir. godesmanne.

Cum venerit aliquis ad ſacerdotem confiteri peccata ſua, ita imprimis interrogetur. Int. Credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. ℟. Credo. *Int.* Credis quod iſtæ tres perſonæ ſicut diximus Pater & Filius & Spiritus ſanctus tres ſunt perſonæ, & unus Deus. ℟. Credo. *Int.* Credis quod in ipſa carne in qua nunc eſt recipere debes ſive bonum, ſive malum, quod geſſiſti. ℟ Credo. *Int.* Vis dimittere his qui in te peccaverunt, ut Deus dimittat tibi peccata tua, dicente Domino in Evangelio: DIMITTITE ET DIMITTETUR VOBIS. SI AUTEM VOS NON DIMISERITIS HOMINIBUS PECCATA EORUM NEC PATER VESTER COELESTIS DIMITTET VOBIS PECCATA VESTRA.

Et ſacerdos benedicat, & oret, & dicat illi.

Omps Ds, qui dixit: QUI ME CONFESSUS FUERIT CORAM HOMINIBUS, CONFITEBOR ET EGO EUM CORAM PATRE MEO, ille te benedicat,& cuſtodiat,& det tibi remiſſionem omnium peccatorum, & ſcelerum tuorum. Amen. Miſereatur tui omnipotens Deus & dimittat tibi omnia peccata tua. Amen. Liberet te ab omni malo, & conſervet te in omni bono. Amen. donetque tibi veram humilitatem, & veram pœnitentiam, ſobrietatem, & tolerantiam, bonam perſeverantiam, & bonum finem, & perducat te in vitam æternam. Amen. Indulgeat tibi Dominus omnia peccata tua, præterita præſentia & Futura. Amen. Illuminet te Spiritus ſanctus a Patre & Filio procedens. Amen. Salvum te faciat Dns ſervum ſuum. Amen. Dominus cuſtodiat te ab omni malo. Amen. Benedicat te Dominus ex Sion. Amen. Mittat tibi Dominus auxilium de ſancto. Amen. Dominus conſervet te, & vivificet te Chriſtus Filius Dei ſalvator mundi. Amen. Propitius ſit tibi omnipotens Deus, hic & in perpetuum. Amen. *Inde poſt*

(1) Manu LAMBECII in bibl. Cæſarea hoc in codice ſcriptum eſt: *ſub Ottone primo videtur ſcriptus.* Idem ex celebri cod. *Augienſi* eiusdem biblioth. Cæſar. Theol. 149. edidit antiquiorem adhuc confeſſionem theotiſcam lib. II. bibl. Cæſ. c. 5. p. 318. Eam repetit *Diederícus* VON STADE in ſpecimine lect. antiq. *Francicarum* p. 20. ſeq. Similem edidit *Seb.* MÜNSTERUS in Coſmogr. ſermone vulgari etiamnum apud nos uſitato *altfränkiſch* dicto: multaque in ea notat dialecti *Anglo-Saxonicæ* GRUPENIUS in formulis veterum confeſſionum: ſequitur brevior illa, quam poſt *Achil.* GASSARUM GOLDASTUS T. II. Rer. *Alem.* pag. 145. ECCARDUS *Franc.* Orient. pag. 950. SCHILTERUS Theſ. T. I. p. 87. cum variis verſionibus ac lectionibus variantibus ex BROWERI Antiq. *Fuld.* lib. II. c. 14. ediderunt, ex codice *San-Gallenſi* deſcriptam, cui GRUPENIUS tertio loco *Lambecianam* codicis itidem *Alemannici Augienſis* ac demum *Anglo-Saxonicam* ex canonibus an. 967. ſub EDGARO R. addidit *Hannov.* an. 1767.

Digitized by Google

poſt acceptam pœnitentiam, & fidem explicitam, redeant viſitatores, & tunc incipiunt pſalmum cantare cum Ant. In virtute tua exaudi me Domine. *Pſ.* Domine exaudi orationem. *Sequitur oratio dominica cum capitulis bis.*

Salvum fac ſervum tuum. ℟. Deus meus ſperantem.

Mitte ei Dne auxilium de ſancto. ℟. Et de Sion tueatur.

Nihil proficiet inimicus in eo. ℟. Et filius iniquitatis.

Dominus conſervet eum & vivif. ℟. Et beatum faciet eum.

Dns opem ferat illi ſuper lectum. ℟. Univerſum ſtratum.

Exurge Dne Deus meus, & exalt. ℟. Ne oblíviſcaris pau.

Tibi Dne derelictus eſt pauper. ℟. Pupillo tu eris adiu.

Deſiderium pauperum exaud. ℟. Præparation.

Mirifica miſericordias tuas. ℟. Qui ſalvos fac.

Tu autem in ſancto habitas. ℟. Laus Iſrael.

In te ſperaverunt patres n. ℟. Speraverunt & l.

Ad te clamaverunt & ſalvi f. ℟. In te ſperaverunt & n.

Multæ tribulationes iuſtorum. ℟. Et de his omnibus.

Redimet Dns animas ſervorum ſuorum. ℟. Et non derel.

Ne tradas beſtiis animas confit. ℟. Animas paup.

Exurge Dne adiuva nos. ℟. Et libera nos propter.

Orationes.

Præſta quæſumus Dne huic famulo tuo dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ, a cuius integritate deviarat peccando, admiſſorum veniam conſequendo reddatur innoxius. Per. *Alia.* Præveniat hunc famulum tuum quæſumus Dne miſericordia tua & omnes iniquitates eius celeri indulgentia tua deleantur. Per. *Alia.* Exaudi Dne ſupplicum preces & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per.

Item alia.

Omnipotens ſempiterne Deus, confitenti huic famulo tuo pro tua pietate peccata dimitte, ut non plus ei noceat conſcientiæ reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis ad veniam. Per.

Poſtea unguatur ægrotus de oleo ſanctificato cruces faciendo in quinque corporis locis, & dicatur ad eum. N. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti accipe ſanitatem. Unguo frontem tuum de oleo ſancto in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti in remiſſionem omnium peccatorum, ut ſit tibi hæc unctio olei ſanctificationis ad purificationem mentis & corporis, & ut non lateat in te ſpiritus immundus, neque in membris, neque in medullis, nullaque membrorum compagine tuorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi, & Spiritus ſancti amen. *Sequitur antiph. cum pſalmis canendis.* Sana Dne infirmum iſtum cuius oſſa turbata ſunt, & cuius ſpiritus turbatus eſt Domine convertere, & ſana eum. *Pſ.* Dne ne in furore tuo. I. *Pſ.* Ad te Dne levavi. *Pſ.* Beati quorum. *Pſ.* Domine ne in furore tuo. II. *Pſ.* Beatus qui intelligit. *Pſ.* Miſerere mei Deus. I. *Pſ.* Miſerere mei Deus. III. *Pſ.* Deus miſereatur noſtri. *Pſ.* Deus in adiutorium meum intende. *Pſ.* Inclina Domine. *Pſ.* Domine exaudi. I. *Pſ.* De profundis. *Pſ.* Dne exaudi. II. *cum letania, donec unctio finiatur. Poſtea faciat crucem ad aures eius dicendo.* N. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti accipe ſanitatem. Unguo & has aures ſacrati olei liquore in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut quidquid peccati delectatione nocivi auditus admiſſum eſt, medicina ſpiritualis evacuet. Amen. *Deinde ſuper oculos faciens crucem dicat.* N. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti accipe ſanitatem. Unguo oculos tuos de oleo ſanctificato in nomine ſanctæ Trinitatis, ut quidquid illicito viſu deliquiſti, huius olei unctione expietur. *Deinde unguantur nares.* N. In nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti accipe ſanitatem. Unguo has nares de oleo ſancto in nomine ſanctæ Trinitatis, ut quidquid noxiæ ſuperfluo contractum eſt odore iſta emundet inunctio. *Tunc labia ungantur.* N In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti accipe ſanitatem. Unguo labia iſta conſecrati olei medicamento in nomine ſanctæ Trinitatis, ut quidquid savoſa vel etiam criminoſa locutione peccaſti divina clementia miſerante expurgetur hac unctione. *Poſtea pectus unguatur.* (1) N. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti

(1) Inungi hæc pars corporis deſiit, quam olim ſolam etiam unctam fuiſſe iam MABILLONIUS in præfatione ad ſæc. I. *Benedictinum* a Chriſto vero nato ſextum obſervavit ex vita S. AUGENDI, qui extremo decumbens morbo, *vocato uno ad ſe de fratribus, cui cum libertate peculiari olim etiam perungendi infirmos opus iniunxerat, ſecretiſſime quoque ſibi pectuſculum petiit, ut moris eſt, inungi.*

Digitized by Google

ſancti accipe ſanitatem. Unguo pectus tuum de oleo ſancto in nomine ſanctæ Trinitatis ut hoc unctionis proſpectu certare fortiter valeas adverſus aerias catervas. Præſtante Dno nro Ihu X. qui cum Patre. *Deinde fac crucem inter ſcapulas, & medium ſcapularum* N. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti accipe ſanitatem. Unguo ſcapulas has ſive medium ſcapularum de oleo ſacro, ut ex omni parte ſpirituali protectione munitus iacula diabolici impetus viriliter contempnere ac procul poſſis cum robore iuvaminis repellere In nomine Dni nri Ihu Xpi qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. *Poſtea fac crucem in palmis.* N. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti accipe ſanitatem. Unguo & has manus in nomine ſanctæ Trinitatis de oleo conſecrato, ut quidquid inlicito vel noxio opere peregerunt, per hanc unctionem evacuetur. *Deinde pedes unguantur dicendo.* N. In nomine Ihu Xpi Nazareni ſurge & ambula. Unguo hos pedes de oleo benedicto in nomine Dni nri Ihu Xpi, ut quidquid ſuperfluo vel nocivo inceſſu commiſerunt iſta aboleat perunctio, ut hac unctione corroboratus aerias valeas ſuperare catervas.

Sequitur Oratio.

Omnipotens Deus, qui per os beati Iacobi apoſtoli tui hoc miniſterium infirmis omnibus facere præcepiſti, conſerva famulo tuo N. tuarum dona virtutum, & concede, ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in mente percipiat. Per.

Alia. Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui es via & veritas & vita, exaudi & conſerva hunc famulum tuum, quem pretio magno redemendo vivificaſti ſacro ſanguine filii tui Domini nri Ihu Xpi qui tecum vivit & regnat. *Hic communicetur.* (1) Pax & communicatio corporis & ſanguinis Dni nri Ihu Xpi conſervet animam tuam in vitam æternam. Amen.

Aliæ Orationes.

Oremus fratres Dnm nrm pro fratre noſtro, quem dure ad præſens malum languoris affligit, ut eum Domini pietas cœleſtibus dignetur curare medicinis, ut qui dedit vitam det ſalutem. Per.

Domine Ieſu Chriſte, qui corripiendo parcis & parcendo remittis, qui flagellando corripis & miſerando convertis, argue famulum tuum N. in miſericordia tua, & non in furore, qui cum correctione tua corrigatur, indulgentia conſoletur, diſciplina erudiatur, medicina curetur, verbere caſtigetur, pietate ſanetur. Placeat ergo tibi Domine eum liberare, corripere, eripere & non diſperdere. Per.

Alia. Da nobis Dne ut ſicut publicani precibus & confeſſione placatus es, ita & huic famulo tuo placare, & precibus eius benignus aſpira, ut in confeſſione flebili permanens & petitione perpetua clementiam tuam celeriter exoret, ſanctisque altaribus & ſacramentis reſtitutus rurſus cœleſtis gloriæ mancipetur. Per.

Alia. Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice ſuper hunc famulum tuum, & remiſſionem ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi, renova in eo piiſſime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum eſt vel in unum membrum corporis Chriſti & in unitatem Eccleſiæ tuæ membrorum perfecta remiſſione reſtitue. Miſerere Dne gemituum, miſerere lacrimarum; & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia ad ſacramentum quæſumus reconciliationis admitte. Per.

Alia. Maieſtatem tuam Dne ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo longo ſqualore pœnitentiæ macerato miſerationis tuæ veniam largiri digneris, ut nuptiali veſte recepta ad regalem menſam unde eiectus fuerat mereatur introire. P.

Alia. Benedicat te Deus Pater, ſanet te Deus Filius, illuminet te Spiritus ſanctus. Corpus tuum cuſtodiat, animam tuam ſalvet, cor tuum irradiet, & ad ſuperna te perducat, perſeverare te Chriſtus in ſuo ſancto ſervitio faciat, & perducat te in vitam æternam. Partem merearis habere cum ſanctis & electis Dei. Indulgeat tibi Deus omnia peccata tua, miſereatur tibi Chriſtus filius Dei, ſemper te ſanum & incolomem & protectum ab omnibus inſidiis inimicorum omnium cuſtodiat Pater omnipotens qui te creavit per unicum filium ſuum Dnm nrm qui cum eodem Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia. Adeſto Dne ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo clementiæ benigna miſeratio,

(1) Vid. LAUNOII liber cui titulus: *Explicata vetus Eccleſiæ traditio de data infirmis poſt unctionem Eucharíſtia;* unde pauca de hoc ritu, qui ubique obtinuit, dicendum exiſtimavi P. II. Diſquiſ. V. c. 3. n. 3. p. 486.

Digitized by Google

tio, ſana vulnera, eiusque remitte peccata, ut nullis a te iniquitatibus ſuis ſeparatus tibi ſemper Dne adhærere valeat. Per.

Alia. Parce Domine parce famulo tuo quem redemiſti Chriſte ſanguine tuo, ne in æternum iraſcaris ei. *Hic decantentur pœnitentiales pſalmi VII. cum latania infra inſerta.*

Kyrie el. Xpe el. Xpe audi nos.
Salvator mundi adiuva nos.
Sancta Maria ora pro nobis.
Sancta Maria Dei genitrix ora pro famulo tuo.
Sancta & perpetua virgo ſuccurre in anguſtiis conſtituto.
Omnes ſancti Angeli orate pro hoc infirmo.
Omnes ſancti Archangeli orate p. h. inf.
Omnes ſancti Patriarchæ orate p. h. inf.
Omnes ſancti Prophetæ orate p. h. inf.
Sancte Iohannes Baptiſta ora p. h. inf.
S. Petre ora pro hoc infirmo.
S. Paule ora pro hoc infirmo.
S. Andrea ora pro hoc infirmo.
S. Iohannes & cæteri qui ſequuntur. orate p. h. inf.
Omnes ſancti Apoſtoli & Evangeliſtæ. orate pro hoc infirmo.
Omnes ſancti Martyres. orate p. h. inf.
Omnes ſancti Confeſſores. orate p. h. inf.
Omnes ſanctæ Virgines. orate p. h. inf.
Omnes ſancti ab inicio mundi uſque ad præſens, orate pro hoc infirmo.
Propitius eſto & libera eum Dne.
Propitius eſto & parce ei Dne.
Ab omni malo libera eum Dne.
Ab ira tua libera eum Dne.
Ab iniqua morte libera eum Dne.
Ab omni immunditia cordis & corporis lib. e. D.
A vinculis diaboli libera eum Dne.
Per crucem tuam libera eum Dne.
Per paſſionem tuam libera eum Dne.
Per adventum tuum libera eum Dne.
Peccatores. Te rogamus audi.
Ut pacem perpetuam ei dones. Te rog.
Ut fontem lacrymarum ei dones. Te rog.
Ut gratiam ſancti Spiritus cordi illius infundere digneris. Te rogamus.
Ut ſpacium pœnitentiæ, ſi fieri poteſt ei dones. Te rogamus.
Ut interceſſionem & ſolatium ſanctorum ei dones. Te rogamus
Ut in præſenti periculo ei ſuccurrere digneris. Te rogamus.
Ut repellas ab eo omnes principes tenebrarum. Te rogamus.
Ut ad gaudia æterna eum perducere digneris. Te rogamus.
Ut Eccleſiam tuam in eo exaltare digneris. Te r.
Ut nos exaudire digneris. Te rogamus.
Fili Dei. Te rogamus audi nos. III.
Agne Dei qui tollis peccata mundi. Parce iſti Dne.
Agne Dei qui tollis peccata mundi. Miſerere iſti D.
Xpe audi nos. III. Kyrie el.
Xpe eleiſon. Kyrie eleiſon.
Pater noſter. Et ne nos ind.
Salvum fac ſervum tuum.
Mitte ei Domine.
Exurge Domine.

Sequitur Oratio.

Omnipotens mitiſſime Deus reſpice propitius preces noſtras, & libera cor famuli tui de malarum temptatione cogitationum, ut ſancti Spiritus dignum fieri habitaculum inveniatur. Per.

Alia. Deus qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina quæſumus cor famuli tui gratiæ tuæ ſplendore, ut digna maieſtati tuæ cogitare, & diligere valeat. Per.

Alia. Dimitte Dne peccata noſtra & tribue nobis miſericordiam tuam qua oris noſtri alloquio deprecatus, famuli tui humilitatem & anguſtiam adtendas, vincula ſolvas, delicta deleas, tribulationem inſpicias, effectumque peticioni noſtræ largiens clementer exaudias. Per. *His ita explicitis roget ſacerdos confeſſor infirmi alios ſacerdotes, ut dicant ſuper eum orationes has, quæ ſunt de reconciliatione pœnitentis ad mortem.*

Oratio.

Deus miſericors, Deus clemens. *Alia.* Maieſtatem tuam. *Alia.* Maieſtatem tuam quæſumus Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus qui non mortem, ſed peccatorum vitam ſemper inquiris; reſpice flentem famulum tuum, adtende proſtratum, eiusque planctum in gaudium tua miſeratione converte. Scinde delictorum ſaccum, & indue eum lætitia ſalutari, ut poſt longam peregrinationis famem de ſanctis altaribus tuis ſatietur, ingreſſusque cubiculum regis, in ipſius aula benedicat nomen gloriæ tuæ ſemper. Per. *Deinde faciant aquam benedictam ſale aſperſam & aſpergant eam, cum antiph. & orationibus ſuper ipſum infirmum, & in domo, qua iacet. Poſt hæc a ſacerdote dicatur oratio.*

Domine Deus, qui per apoſtolum tuum locutus es, infirmatur quis in vobis inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo ſancto in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & ſi

Digitized by Google

ſi in peccatis ſit, dimittuntur ei. Cura quæſumus redemtor noſter gratia Spiritus ſancti languores iſtius infirmi, eiusque ſana vulnera, ac dimitte peccata, atque dolores cunctos cordis ac corporis ab eo expelle, & plenam ei interius exteriusque ſanitatem miſericorditer redde, ut ope miſericordiæ tuæ reſtitutus, & ſanatus ad priſtina pietatis tuæ reparetur officia. Qui cum Patre vivit & regnat Deus. *Et ſic flectat genua, qui eſt languidus ad dextram ſacerdotis ſic & decantetur Ant.* Sana Dne infirmum iſtum cuius oſſa conturbata ſunt, & cuius anima turbata eſt valde, ſed tu Domine convertere & ſana eum, & eripe animam eius a morte. *Pſ.* Domine ne in furore. *Cum* Gloria.

Oratio. Oremus Dnm nrm Ieſum Xpm, & cum omni ſupplicatione rogemus, ut hunc famulum ſuum per angelum ſuum ſanctum viſitare, & confortare dignetur. Qui vivit.

Sequitur Antiph. Dnus locutus eſt diſcipulis ſuis, in nomine meo dæmonia eiicientur, ſuper infirmos manus imponite, & bene habebunt. *Pſ.* Deus deorum. *Cum* Gloria. *Sequitur Orat.* Deus qui famulo tuo Ezechiæ. *Iterum Ant.* Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicias. *Pſal.* Miſerere mei Deus. *cum* Gloria. *Orat.* Reſpice Dne famulum tuum in infirm. *Ant.* Succurre Dne infirmo iſti in præſenti ægritudine & medicamine, ut in priſtina ſanitate a te reſtitutus gratiarum tibi in eccleſia tua ſanus referat actiones. *Pſ.* Ad Dnm. *cum* Gloria. *Orat* Adeſto Dne ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc. *Alia.* Dne Ihu Xpe, qui es ſalvatio & redemtio noſtra, & qui es vera ſalus & medicina, & a quo omnis ſanitas & medicamentum venit: qui apoſtoli tui voce nos inſtruis, ut languidos olei liquore tangentes tuæ poſtulemus miſericordiam pietatis; reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum ab illa mirabili ſumitate cœlorum, ut quem languor curvat ad exitum, & virium contractio iam pertrahit ad occaſum, medela tuæ gratiæ ſaluti reſtituat caſtigatum. Extingue in eodem libidinum & febrium actus, dolorum ſtimulos, ac vitiorum opprime cruciatus, ægritudinum, & cupiditatum tormenta diſſolve, ſuperbiæ inflationem, timoremque compeſce, ulcera & putredines vitiorum evacua, viſcerum interna, cordiumque ac medullarum & cogitationum ſana diſcrimina, conſcientiarum atque plagarum obducito cicatrices, phyſicis, typicisque adeſto periculis, veteres immenſaſque remove paſſiones, opera carnis ſanguinisque materiam compone, ac delictorum illi veniam propitiatus attribue, ſique illum iugiter cuſtodiat pietas tua, ut nec ad corruptionem aliquando ſanitas, nec ad perditionem te auxiliante nunc perducat infirmitas: fiatque illi hæc olei ſacra perunctio contra morbi præſentis expulſio, & peccatorum omnium optata remiſſio, te concedente, Salvator mundi, qui vivis & regnas.

Alia.

Propitietur Dnus cunctis iniquitatibus huius infirmi, & ſanet omnes languores illius, redimatque de interitu perpetuæ mortis vitam eius, & corroboret ac faciet in bonis omnibus deſiderium ipſius, qui ſolus in Trinitate unus Deus vivit & regnat per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen. *His ita peractis, ſeptem continuos dies* (1) *ſi neceſſitas contigerit, tam de communione, quam de alio officio faciant illi,* & ſuſcitabit eum Dominus ad ſalutem, & ſi in peccatis fuerit, dimittuntur ei, *ut apoſtolus dicit. Debent etiam ex miniſtris ſanctæ Eccleſiæ cum ſumma reverentia infirmis decantare per ſingulos dies veſpertinales & matutinales laudes cum antiph. & reſponſor. ſive lectionibus & orationibus ad hoc pertinentibus. Oratio.* Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſubvenis in periculis & in neceſſitate laborantibus maieſtatem tuam ſuppliciter exoramus, ut mittere digneris ſanctum angelum tuum, qui famulum tuum in anguſtiis & neceſſitatibus laborantem conſolationibus ſuis adtollat, quibus & de præſenti conſequatur auxilium & æterna remedia comprehendat. Per.

Miſſa quando anima in agone exitus laborat.

Ant. Circumdederunt me gemitus mortis. *Pſ.* Diligam te Dne. Omnipotens ſempiterne Deus, conſervator animarum, qui quos diligis corripis, & quos recipis pia emendatione coerces, te invocamus Dne, ut medelam tuam conferre digneris famulo tuo, qui in corpore patitur membrorum

rum

(1) Hunc ritum continuandi per ſeptem integros dies extremam unctionem ſequuntur plerique rituales ante & poſt annum Chriſti milleſimum ac etiam ſequens ſæculum XII. quo GAUFRIDUS *Vindocinenſis* lib. II. epiſt. 19. IVO *Carnotenſis* apud eundem epiſtola ſequenti, THEOBALDUS *Senonenſis S. Columbæ* abbas aliique infirmorum unctionem non ſolum in eadem ægritudine, ſed in diverſa etiam non magis iterandam cenſebant quam baptiſmum confirmationem, & ordines. Quorum ſententiam refutavit PETRUS *Cluniacenſis*, *Lombardus* & alii.

rum debilitatem, vim laboris, ſtimulos infirmitatum; da ei Domine gratiam tuam in hora exitus illius de corpore, ut abſque peccati macula tibi datori proprio per manus ſanctorum angelorum repræſentari mereatur eius anima. Per.

Alia.

Afflictionem famuli tui quæſumus Dne intende placatus, ut indulta venia peccatorum de tuis ſemper beneficiis glorietur. Per. *Alia.* Præſta Domine famulo tuo quæſumus conſolationis auxilium, & diuturnis calamitatibus laborantem propitius reſpirare concede. Per.

Lect. Hieremiæ Prophetæ.

In diebus illis dixit Hieremias. Domne, omnes, qui te derelinquunt confundentur. Recedentes a te in terra ſcribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum. Sana me Domine & ſanabor, ſalvum me fac & ſalvus ero, quoniam laus mea tu es. Ecce ipſi dicunt ad me, ubi eſt verbum Domini? veniat. Et ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens, & diem hominis non deſideravi. Tu ſcis quod egreſſum eſt de labiis meis, rectum in conſpectu tuo fuit. Non ſis mihi tu formidinis ſpes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me perſecuntur & non confundar ego; paveant illi, & non paveam ego. Induc ſuper eos diem afflictionis, & duplici contricione contere eos Domine Deus noſter.

Grad. Adiutor meus & liberator meus eſto, Domine, ne tardaveris. ℣. Confundantur & revereantur inimici mei, qui quærunt animam meam. *Secundum Iohannem.* In illo tempore Dixit Ihs diſcipulis ſuis. Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos. Mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini. Sed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Mulier cum parit triſtitiam habet, quia venit hora eius. Cum autem pepererit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem triſtitiam habetis. Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor veſtrum. Et gaudium veſtrum nemo tollet a vobis.

Offert. Benedictus es Domine doce me iuſtificationes tuas. Benedictus es Dne doce me iuſtificationes tuas, in labiis meis pronunciavi omnia iudicia oris tui.

Secreta. Adeſto Dne pro tua pietate ſupplicationibus noſtris, & ſuſcipe hoſtiam, quam tibi offerimus pro famulo tuo N. iacente in grabatto præſtans ſalutem non corporis, ſed animæ ſuæ petente prs omps Dns indulgentiam ei omnium iniquitatum ſuarum propter immenſam miſericordiam tuam, & per interceſſionem omnium Sanctorum tuorum, ut per hoc quod ſuſtinet flagellum, a ſanctis angelis tuis ſuſcepta eius anima pervenire mereatur ad tuæ gloriæ regnum. Per. *Infra act.* Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro famulo tuo N. quæſumus Dne ut placatus accipias, & des ei cœleſte deſiderium in exitu de corpore ſuo, & ſpiritum refrigerii. Per.

Com. Redime me Deus Iſrael. *Ad complendum.* Gratias agimus Dne multiplicibus largitatibus tuis, ex quibus animas in te ſperantium ſanare conſueviſti. Nam confiſi de tua pietate precamur, ut miſerere digneris famulo tuo, ne prævaleat adverſus eum adverſarius in hora mortis illius de corpore, ſed tranſitum mereatur ad vitam. Per.

Incipit Ordo ad viſitandum infirmum.
Ex Cod. Rhenaug. ſæc. XI. circ.

Cum ungendus eſt infirmus, tunc ſacerdos indutus alba & ſtola, præcedit cum oleo infirmorum, aqua benedicta, cruce, & duobus candelabris, & conventus ſequitur, pſalmo Miſerere *impoſito, dicendaque primo hac collecta a ſacerdote.* Omnipotens ſempiterne Deus, qui per beatum apoſtolum tuum dixiſti. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittuntur ei. Te ſuppliciter exoramus, ut hic famulus tuus per miniſterium noſtræ unctionis, & donum tuæ ſanctæ pietatis, peccatorum ſuorum veniam conſequi, & ad vitam æternam pervenire mereatur. Per.

Imponuntur VII. pſalmi cum antiphonis iſtis:

Ant. Sana me Domine, quoniam conturbata ſunt oſſa mea, & anima mea turbata eſt valde: ſed tu Domine convertere, & eripe animam meam. *Pſal.* Domine ne in furore.

Ant. Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum: hic cum audiſſet, quia Ieſus veniret in Galileam, rogabat eum, ut ſanaret filium eius. *Pſ.* Beati, quorum.

Ant. Domine puer meus iacet paraliticus in domo, & male torquetur. Amen dico tibi, ego veniam, & curabo eum. *Pſ.* Dne ne in furore.

Ant. Cor contritum, & humiliatum Deus ne deſpi-

Digitized by Google

deſpicias; ſed propter magnam miſericordiam tuam miſerere mei Deus. *Pſ.* Miſerere.

Ant. Domine deſcende, ut ſanes filium meum, priusquam moriatur: Dicit ei Ieſus: vade filius tuus vivit. *Pſ.* Domine exaudi.

Ant. Domine non ſum dignus, ut intres ſub tectum meum, ſed tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. *Pſ.* De profundis.

Ant. Cum ſol autem occidiſſet, omnes qui habebant infirmos variis languoribus ducebant illos ad Ieſum & curabantur. *Pſ.* Domine exaudi.

Interim ſacerdos hoc modo facit unctionem: Pollici oleum illinit, & cum pollice ſignum imprimit ſuper utrumque oculum ita dicendo, ſingulis autem vicibus repetendo: Per iſtam unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus (Ieſ. Chriſt.) quidquid peccaſti (deliquiſti) per viſum, per auditum, per guſtum, per odoratum, per tactum, per inceſſum (pedum), per ardorem libidinis.

Poſtea preces iſta cum ſeq. collectis dicuntur:

Salvum (ſalvam) fac ſervum (ancillam) tuum. (tuam)

Mitte ei Domine auxilium de ſancto.

Nihil proficiat inimicus in eo (ea).

Eſto ei Domine turris fortitudinis.

Dominus vobiſcum. *Oremus.*

Deus, qui famulo tuo ter quinos annos ad vitam donaſti, ita & famulum tuum a lecto egritudinis tua potentia erigat ad ſalutem. Per.

Reſpice Domine famulum tuum infirmitate ſui corporis laborantem, & animam refove, quam creaſti; ut caſtigationibus emendatus continuo ſe ſentiat tua medicina ſalvatum. Per Chriſtum Dom. noſtrum.

Deus qui facturæ tuæ pio ſemper dominaris affectu, inclina aurem tuam ſupplicationibus noſtris, & famulum tuum ex adverſa valetudine corporis laborantem placatus reſpice, & viſita in ſalutari tuo, ac cœleſtis gratiæ præſta medicinam Per Chriſtum.

Deus qui humano generi, & ſalutis remedium, & vitæ æternæ munera contuliſti; conſerva in famulo tuo tuarum dona virtutum: & concede, ut medelam tuam non ſolum in corpore, ſed etiam in anima ſentiat. Per.

Virtutum cœleſtium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui poteſtate repellis, adeſto propitius huic famulo tuo; ut fugatis infirmitatibus, & viribus receptis nomen ſanctum tuum inſtaurata protinus ſanitate benedicat. Per X.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui fragilitatem conditionis noſtræ infuſa virtutis tuæ dignatione confirmas, ut ſalutaribus remediis pietatis tuæ corpora noſtra, & membra vegetentur ſuper hunc famulum tuum, propitiatus intende: ut omni neceſſitate corporeæ infirmitatis excluſa gratia in eo priſtinæ ſanitatis perfecta reparetur. Per Dominum.

Exaudi Domine preces noſtras, & tibi confitentis parce peccatis; ut quem conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. Per.

Præveniat hunc (hanc) famulum (famulam) tuum (tuam) quæſumus Domine miſericordia tua: ut iniquitates eius celeri indulgentia deleantur. Per.

Domine Deus noſter, qui offenſione noſtra non vinceris, ſed ſatisfactione placaris, reſpice quæſumus ad hunc famulum tuum, qui ſe tibi peccaſſe graviter confitetur, tuum eſſe ablutionem dare criminum, & veniam præſtare peccantium, qui dixiſti: pœnitentiam te malle peccatorum, quam mortem; concede ergo Domine hoc; ut tibi pœnitentiæ excubias celebret, & correctis actibus ſuis conferri ſibi a te ſempiterna gaudia gratuletur. Per.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, nec ſit ab hoc famulo tuo N. clementiæ tuæ longinqua miſeratio: ſana vulnera, eiusque remitte peccata, ut nullis iniquitatibus a te ſeparatus tibi Domino ſemper valeat adhærere. Per.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris; & me qui etiam miſericordia tua primus indigeo, clementer exaudi: ut quem non electione meriti ſed dono tuæ gratiæ conſtituiſti operis huius miniſtrum; da fiduciam tui muneris exequendi, & ipſe in noſtro miniſterio, quod tuæ pietatis eſt, operare. Per.

Præſta quæſumus Domine huic famulo tuo N. dignum pœnitentiæ fructum, ut eccleſiæ tuæ ſanctæ, a cuius integritate deviarat peccando, admiſſorum reddatur innoxius veniam conſequendo. Per.

Deus humani generis benigniſſime conditor & miſericordiſſime reformator, qui hominem invidia diaboli ab æternitate deiectum unici filii tui ſanguine redemiſti; vivifica hunc famulum tuum, quem tibi nullatenus mori deſideras; & qui non dereliquiſti devium, aſſume correctum. Moveant pietatem tuam quæſumus Domine, huius famuli tui lacrymoſa ſuſpiria. Tu eius medere vulneribus; tu iacenti manum porrige ſalutarem, nec eccleſia tua aliqua ſui corporis portione vaſtetur; ne grex tuus detrimentum ſuſtineat, ne de fami-

Digitized by Google

liæ tuæ damno inimicus exultet, nec renatum lavacro ſalutari mors ſecunda poſſideat. Tibi ergo Domine, ſupplices preces, tibi fletum cordis effundimus; tu parce confitenti, ut ſic in hac mortalitate peccata ſua te adiuvante defleat, qualiter in tremendi iudicii die ſententiam æternæ damnationis evadat, & neſciat, quod terret in tenebris, quod ſtridet in flammis; atque ab erroris via ad iter reverſis iuſtitiæ nequaquam ultra vulneribus ſaucietur, ſed integrum ſit ei, atque perpetuum, & quod gratia tua contulit, & quod miſericordia reformavit. Per eundem.

Deus infirmitatis humanæ ſingularis præſidium, auxilii tui ſuper infirmum noſtrum oſtende virtutem, ut ope miſericordiæ tuæ adiutus eccleſiæ tuæ ſanctæ repreſentari mereatur. Per.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus facturam tuam multiplici pietate cuſtodis, ad invocationem nominis tui benignus aſſiſte, & hunc famulum tuum liberatum ab ægritudine & ſanitati donatum dextera tua erigas, virtute confirmes, poteſtate tuearis, & eccleſiæ tuæ, ſanctisque altaribus tuis cum omni deſiderata proſperitate reſtituas. Per.

Deus miſericors, Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſſionis evacuas, reſpice ſuper hunc famulum tuum. & remiſſionem ſibi omnium peccatorum ſuorum tota cordis confeſſione poſcentem deprecatus exaudi.

Renova in eo piiſſime Pater, qnidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum eſt; & in unitate corporis eccleſiæ tuæ membrorum perfectam remiſſionem reſtitue. Miſerere Domine gemituum, miſerere lacrimarum, & non habentem fiduciam niſi in tua miſericordia ad ſacramentum reconciliationis admitte. Per.

Maieſtatem tuam Domine ſupplices deprecamur, ut huic famulo tuo ſqualore pœnitentiæ macerato miſerationis tuæ veniam largiri digneris: ut nuptiali veſte recepta ad regalem menſam, unde eiectus fuerat, mereatur introire. Per.

Abſolve Domine animam famuli (æ) tui (æ) per interceſſionem beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ, & beati Petri, & omnium Sanctorum ab omni vinculo delictorum, antequam ſeparetur a membrorum compagine terrenorum, & præſta: ut cum cœperit a corpore ſeparari; mereatur a beatiſſimis & benigniſſimis angelis ſuſcipi, atque tuis piiſſimis conſpectibus præſentari, & in ſinum beatæ requiei te donante deduci. Per.

Si exitus eius tardior fuerit agenda eſt ipſo Domno Abbate vel Priore pronuntiante Letania hoc modo:

Ordo Quatuor Temporum.

Ex Mſc. Turicenſi ſæc. IX. circ.

Ieiunii primi, quarti, ſeptimi, & decimi menſis, id eſt in primo menſe a quarta & ſexta feria vel ſabbato in prima ebdomada de menſe primo, primum ieiunium celebretur. Secundum temporis ieiunium celebretur in quarto menſe, quod facit ipſe menſis IIII.ta & VI.ta feria vel ſabbato conſumatur. Tertium temporis ieiunium (1) *evenit ſeptimi menſis, id eſt September, tertia ebdomada ipſius menſis quarta & ſexta feria vel ſabbato conſumatur. Quartum temporis ieiunium* (2) *evenit decimi menſis id eſt December, IIII.ta & VI.ta feria vel ſabbato proximo ante natale Dni; & ſi vigilia natalis Dni in ſabbato venit, in antecedente ebdomada ſupra ſcriptum ieiunium die ſabbati celebretur.* (3)

Hora

(1) In Cod. *Einſidl.* ſæc. X. circ. leg. venit ſeptimi menſis tempore.

(2) *Ibid.* venit decimi menſis tempore.

(3) Ita hæc quatuor temporum ieiunia in Concilio *Moguntino* an. 813. can. 34. ordinata leguntur; ut ieiunium primum in prima hebdomada menſis *Martii* ageretur, non attento tempore quadrageſimæ, prout deinceps hebdomadæ primæ, ad hodiernum uſque diem affixum eſt, unacum ipſa ſacrorum ordinum collatione: quæ *benedictiones* tempore S. Leonis M. *in die reſurrectionis dominicæ, cui a veſpera ſabbati initium conſtat adſcribi*, tantum tribuebantur. Ut ad Dioscorum *Alexandrinum* ep. 80. vel 81. ſcribit, memoratque alia huiusmodi ſtata ieiunia, quibus ſimiliter *ſacerdotalis vel levitica ordinatio celebretur . . poſt diem ſabbati eius noctis, quæ in prima ſabbati eluceſcit.* Gelasius in epiſt. ad *Lucaniæ & Brutiorum* epiſc. tria tantum ea determinat tempora, quorum in eius ſacramentario apud nos Tom. I. Monument. ſolemnis præſcribitur denunciatio, additis præterea ordinationum ſtatis temporibus, quæ hodieque ſunt in uſu: *id eſt quarti menſis ieiunio, ſeptimi & decimi, ſed etiam quadrageſimalis initii, & medianæ hebdomadæ & ſabbati ieiunio circa veſperam &c.* Vid. Muratorii diſſert. *de IV. temporum ieiuniis.*

Digitized by Google

Hora tertia vel quali voluerit, ingrediuntur pontifex vel levita in ſacrarium, & induunt ſe veſtimentis religioſis, cum quibus debent celebrare miſſarum ſollempnia, canentibus interim clericis antiph. ad ipſum diem pertinentem ad introitum; ipſa finita dicunt Kyrie eleiſon; *dein pontifex dicit:* Oremus; *diaconus:* Flectamus genua; *& ut ſurrexit* (1) *dicit* Levate; *proſequitur ſacerdos orationem primam ſicut in Sacramentorum continet. Sequitur lectio; & tunc pronuntiat lector:* Lectio libri; *& legitur in ſenſu lectionis ſicut epiſtola Pauli diebus dominicorum; deinde reſponſorium; inde dicit ſacerdos:* Oremus. *Diaconus ut ſupra, & dicit orationem poſt primam lectionem, & ſuper unamquamque lectionem ſicut ſuperius; expleta autem lectione, quæ eſt Danihelis prophetæ, canit benedictionem, & dum benedictio canitur, qui ordinandi ſunt, ſtent in pogo* (2) *ſub gradibus; & tunc deſcendit ad eos archidiaconus, & reveſtit eos; ſi enim diaconi ordinandi ſunt, orarios & dalmaticas; ſi vero presbyteri, orarios & planetas. Porro orarii, qui dandi ſunt primum, per totam noctem ſuper altare ſint repoſiti, & de altari ab archidiacono tollunter, & ipſe ſuper eorum colla ponat.* (3) *Benedictione completa incipit clerus letaniam, & dum ipſa canitur, qui ordinandi ſunt, ante altare ſemper proſtrati iaceant, adſtante ſuper eos pontifice inclinato capite ad altare; letania vero finita ſurgit pontifex, aſcendit ad ſedem, ſtans verſus ad orientem, conſecrans illos.*

SABBATO PENTECOSTEN.
In XII. lectionibus Statio ad ſanctum Petrum.

Si autem ipſa ebdomada in menſe quarto evenerit ieiunium, faciant quarta & VI. feria & in Sabbato uſque ad horam nonam; & eæ lectiones legantur, quæ in menſe quarto ſcripta ſunt, cum reſponſoriis quatuor & benedictione, ſin autem in antea tempore ſuo rogatur (4), *cum autem leguntur, non pronuntiat lector lectio libri, ſed incboat plane; ſi vero tempore ſuo agitur, tunc pronuntiant* (5). *& in ſenſu lectionis ſicut epiſtolæ Pauli legantur. Similiter & in reliquis tribus temporibus.*

Ordo (6) ſacris Ordinibus.

Pſalmiſta, id eſt cantor, poſteaquam ab archidiacono inſtructus fuerit, poteſt abſque ſcientia Epi, ſola iuſſione presbiteri officium ſuſcipere. Vide, ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credis, operibus probes.

Oſtiarius cum ordinatur, poſtquam ab archidiacono inſtructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat converſari, ad ſuggeſtionem archidiaconi tradet ei Epiſcopus claves eccleſiæ de altare dicens: Sic age quaſi redditurus ſis Deo rationem pro his rebus quæque (7) iſtis clavibus recluduntur *Et tradet ei diaconus oſtium eccleſiæ.*

Præfatio Oſtiarii.

Deum Patrem omnipotentem ſuppliciter deprecamur, ut hunc famulum tuum nomine ill. benedicere dignetur, quem in officium Oſtiarii eligere dignatus es, ut ſit ei fideliſſima cura in diebus ac noctibus ad diſtinctionem horarum certarum ad invocandum nomen Dni, per.

Benedictio eiusdem.

Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum ill. oſtiarium, ut inter ianitores eccleſiæ paret obſequia, & electos tuos partem tuam mereantur habere mercedis, per.

Ordinatio Lectoris.

Lector cum ordinatur, facit de illo verbum Epiſcopus ad plebem, iudicans eius fidem ac vitam, atque ingenium. Poſt hac expectante plebe (8) *tradet ei codicem, de quo lecturus eſt* (9), *dicens ad eum:* Accipe & eſto verbi Dei relator, habiturus, ſi fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum his, qui verbum Dei miniſtraverint; eligunt te fratres tui, ut ſis lector in domo Dei tui, & agnoſcas officium tuum, ut impleas illud; potens eſt enim Deus tuus, ut augeat tibi gratiam, quod ipſe præſtare dignetur, qui regnat cum Patre in unitate Spiritus ſancti, per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

Quæ hic loci in codice Turicenſi ob folium exciſum deſiderantur, integra damus ex Einſidlenſi. Sæc. X. circ.

Ordinatio Exorciſtæ.

Domine ſancte Pater . . *Exorciſta cum ordinatur, accipiet de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt exorciſmi dicente ſibi epiſcopo.* Accipe & commenda memoriæ. & habeto poteſtatem inponendi manum ſuper energuminum ſive baptizatum ſive caticuminum.

Præfat.

(1) *Ib.* ſurrexerunt. (2) *Ib.* in poio. (3) *Ib.* Et a Pontifice ſuper eorum colla ponantur. (4) *Ib.* cogatur. (5) *Ib.* pronuntiat. (6) *Ib.* de ſacris &c. (7) Ib. *quæ iſtis clavibus conduntur.* Reliqua deſunt. (8) *Ib.* expectat plebem. (9) *Ib.* tradet ei codicem dicens &c.

Digitized by Google

Præfat. Exorc.

Deum Patrem omnipotentem. *Bened. Exorciſ.* Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus.

Ordinatio Acoliti.

Acolitus cum ordinatur primum ab epiſcopo doceatur qualiter in officium eius agere debeat. ſed ab archidiacono accipiat cereoferarium cum cereo, ut ſciat ſe accendenda eccleſiæ luminaria mancipare. accipiat & orciolum vacuum ad ſuggerendum vinum in choriſtia corporis. Domine ſancte Pater.

Item ordo qualiter in Romana ſedis apoſtolicæ presbiteri diaconi & ſubdiaconi eligendi ſunt.

Menſis primi quarti ſeptimi & decimi ſabbatorum die in XII. lect. ad ſanctum Petrum ubi miſſa celebratur. poſtquam autem ad introitum dixerint data oratione adnuntiat Pontifex in populo dicens. Auxiliante Domino Deo & Salvatore noſtro leſu Chriſto. *Iterum dicit* auxiliante Dno & Salvatore noſtro leſu Chriſto. Elegimus in ordine diaconi ſive presbyteri. ill. ſubdiaconum de titulo illo. ſi quis autem habet aliquid contra hos viros pro Domino & propter Dominum cum fiducia exeat, dicat. Verumtamen memor ſit communioni ſuæ, *& poſt modicum intervallum mox incipiunt omnes* Kirie eleiſon *cum letania. Hac expleta aſcendunt ipſi electi ad ſedem pontificis. & benedicit eos a quo vocati ſunt & deſcendunt ſtant in ordine ſuo benedic. pcepta.*

Capitula ſancti Gregorii Papæ.

Sicut qui invitatus renuit queſitus refugit ſacris eſt altaribus removendus; ſic qui ultro ambit vel inportunus ſe ingerit, eſt procul dubio repellendus; nam qui nititur ad altiora conſcendere, quid agit, niſi ut creſcendo decreſcat, cur non perpenditur (1) quia benedictio illi in maledictum convertitur, quia ad hoc, ut fiat hæreticus. promovetur. Paulus apoſtolus præcepit Timotheo, Manus cito nemini inpoſueris, neque communicaveris peccatis alienis; quid eſt, cito nemini manum inpoſueris, niſi ante ætatem maturitatis? ante tempus examinis? ante meritum laboris? ante experientiam diſciplinæ? ſicut boni operis confortat (2) fructus, qui rectum ſcrutatur in eligendo ſacerdote iudicium, ita gravi ſemetipſum efficit damnum, qui in ſuæ dignitatis collegium ſublimat indignum.

Ordinatio Subdiaconi. (3)

Subdiaconus cum ordinatur, quia manus inpoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam & calicem vacuum; de manu vero Archidiaconi accipiat orciolum cum aquamanile ac manutergio.

Præfatio Subdiaconi.

Oremus Deum ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtuum, ut ſervum ſuum ill. quem ad ſuum diaconatus officium evocare dignatus eſt, infundat benedictionem & gratiam ſuam, ut in conſpectu ſuo fideliter ſerviens, prædeſtinata ſanctis prœmia conſequantur, per.

Benedictio Subdiaconi.

Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris hunc famulum tuum ill. quem ad ſubdiaconatus officium ellegere dignatus es, uti eum ſacrario tuo ſancto ſtrenuum ſollicitumque cœleſti militiæ inſtituas, & ſanctis altaribus fideliter ſubminiſtrent, & requieſcant ſuper eum ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis; reple eum ſpiritu timoris tui, ut eum miniſterio divine confirmes, ut obediens facto, atque dicto parens, tuam gratiam conſequatur, per.

Ordinatio Diaconi.

Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat; quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.

Benedictio Eiusdem.

Oremus dilectiſſimi Deum patrem omnipotentem ſuper hunc famulum tuum ill. quem in ſacro ordine dignatus es aſſumere, benedictionis ſuæ gratiam clementer effundat, eique donum conſecrationis indulgeat, per quod eum ad prœmia æterna perducat.

Alia.

Exaudi Dne preces noſtras, & ſuper hunc famulum tuum ill. ſpiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœleſti munere ditatus & tuæ gratiæ poſſit maieſtatem adquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere.

Conſecratio.

Adeſto quæſumus omnipotens Deus, honorum datur, ordinumque diſtributor, & officiorum diſpoſitor, qui in te manens innovas omnia, & cuncta diſponis; per verbum & virtutem ſapientiamque

tiamque

(1) C. E. *perpendit.* (2) C. E. *comportat.* (3) In C. E. deeſt titulus.

Digitized by Google

tiamque tuam Ieſum Chriſtum filium tuum Dnm noſtrum ſempiterna providentia præparas, & ſingulis quibusque temporibus aptanda diſpenſas; cuius corpus eccleſiam tuam cœleſtium gratiarum varietate diſtinctam, ſuorumque connexam diſtinctione membrorum, per legem mirabilem totius conpaginis unitam, in augmentum templi tui creſcere, dilatarique largiris ſacri muneris virtutem, trinis gradibus miniſtrorum nomini tuo militare conſtituens, electis ab initio Levi filiis, qui myſticis operationibus domus tuæ fidelibus excubis permanentes hæreditatem benedictionis æternæ ſorte perpetua poſſiderent; ſuper hunc quoque famulum tuum ill. quæſumus Dne placatus intende, quem tuis ſacris ſerviturum in officium Diaconatus ſuppliciter dedicamus, & nos quidem tamquam homines divini ſenſus & ſummæ rationis ignari huius vitam, quantum poſſumus, æſtimamus. Te autem Dne ea, quæ nobis ſunt ignota, non tranſeunt, te occulta non fallunt; Tu cognitor es ſecretorum, tu ſcrutator es cordium, tu eorum, eius, vitam cœleſti poteris examinare iudicio, quo ſemper prævales & admiſſa purgare, & ea quæ ſunt agendi concedere.

Emitte in eum Dne quæſumus Spiritum ſanctum, quod in opus miniſterii fideliter exequendi ſeptiformis gratiæ munere roborentur, habundet in eum totius forma virtutis, auctoritas, modeſtia, pudor conſtans, innocentiæ puritas, & ſpiritalis obſervatio diſciplinæ, in moribus eorum, eius, præcepta tua fulgeant, ut ſuæ caſtitatis exemplo inmitationem ſanctæ plebis adquirant, & bonum conſcientiæ teſtimonium proferentes, firmus & ſtabilis perſeveret, dignisque ſucceſſibus de inferiori gradu per gratiam tuam capere potiora mereatur, per.

Ordinatio Presbiteri.

Presbiter cum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius tenente, etiam omnes presbiteri, qui præſentes (1) manus ſuas iuxta manus Epiſcopi ſuper caput illius teneant.

Benedictio Presbiterorum.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum ill. quem ad presbiterii munus elegit, cœleſtia dona multiplicet, & qui eius dignationem ſuſcipiunt, & eius exequantur auxilio, per.

Sequitur Oratio.

Exaudi nos Dne Deus noſter, & ſuper hunc famulum tuum benedictionem ſancti Spiritus, & gratiæ ſacerdotalis effunde virtutem, ut quem tuæ pietatis aſpectibus offerimus conſecrandum, perpetuam muneris largitatem conſequaris, per.

Conſecratio.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, honorum auctor & diſtributor omnium dignitatum, per quem proficiunt univerſa; per quem cuncta firmantur, amplificatis ſemper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congrua ratione diſpoſitum; unde & ſacerdotales gradus, atque officia levitarum Sacramentis myſticis inſtituta creverunt; ut cum Pontifices ſummos regendis populis præfeciſſe ad eorum ſocietatis & operis adiumentum ſequentis ordinis viros & ſecundæ dignitatis elegeris; ſic in heremo per ſeptuaginta virorum prudentium mentem Moyſi ſpiritum propagaſti, quibus ille adiutoribus uſus in populo innumeras multitudines facile gubernavit. Sic in Eleazaro & in Ithamaro paternæ beatitudinis habundantiam transfudiſti, ut ad hoſtias ſalutares & frequentiores officiis Sacramenta miniſterium ſufficeret Sacerdotum; hæc providentia Dne Apoſtolis filii tui doctores fidei presbiterii comites addidiſti, quibus illi orbem totum ſecundis prædicatoribus inpleverunt; quapropter infirmitati quoque noſtræ Dne quæſumus hæc adiumenta largire, qui quanto magis fragiliores ſumus, tanto his pluribus indigemus. Da quæſumus omnipotens Pater in hunc famulum tuum presbiterii dignitatem, innova in viſceribus eius Spiritum ſanctitatis, acceptum a te Deus ſecundum meriti munus obtineant, cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuent, ſint probi cooperatores ordinis noſtri, eluceat in eum totius forma iuſtitiæ, ut bonam rationem diſpenſationis ſibi credituri æterna beatitudinis præmia conſequatur, per.

Presbiterorum Conſecratio Manuum. (2)

Conſecrare & ſanctificare digneris Dne manus iſtas per iſtam hunctionem & noſtram benedictionem, ut quæcunque conſecraverint conſecrentur. *Cætera deſunt, quæ, uti in cod. Einſidl. habentur, hic addimus.*

Ordinatio Epiſcopi.

Epiſcopus cum ordinatur, duo epiſcopi teneant & ponant evangeliorum librum ſuper cervicem eius, & unus fundat benedictionem. Reliqui omnes

(1) C. E. *ſunt.*

(2) In C. E. deſideratur.

Digitized by Google

omnes Epiſcopi qui adſunt manibus ſuis caput eius tangant.

Benedictio Epiſcoporum.

Adeſto Domine. *Sequitur.* Propitiare Domine. *Conſecratio.* Deus bonorem omnium. *Oratio ad miſſam.* Deus bonorem omnium. *Super oblata.* Hæc hoſtia. *Infra accione.* Hanc igitur oblationem. *Ad Communionem.* Hæc nos communio. *finit.*

Ex Cod. Vind. Th. 149. *ſæc. IX. olim Augienſis monaſt.* (1)

Benedictio Epiſcoporum.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus, & quod humilitatis noſtræ gerendum eſt miniſterio tuæ virtutis impleatur effectu. Per Dom.

Alia. Propitiare Dne ſupplicationibus noſtris. & inclinato ſuper hunc famulum tuum cornu gratiæ ſacerdotalis benedictionis tuæ in eo effunde virtutem. Per Dom.

Conſecratio.

Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacratis famulantur ordinibus. Deus qui Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris afflatu inter cetera cæleſtis documenta culturæ de habitu quoque indumenti ſacerdotalis inſtituens electum Aaron myſtico amictu veſtiri inter ſacra iuſſiſti, ut intelligentiæ ſenſum de exemplis piorum caperet ſecutura poſteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deeſſet ætati. Cum & apud veteres reverentiam ipſa ſignificationum ſpecies optineret & apud nos certiora eſſent experimenta rerum quam enigmata figurarum. Illius namque ſacerdotii anterioris habitus noſtræ mentis ornatus eſt. Et pontificalem gloriam non iam nobis honor commendat veſtium, ſed ſplendor animarum. Quia & illa, quæ tunc carnalibus blandiebantur optutibus. ea potius quæ in ipſis erant intelligenda poſcebant. Et idcirco huic famulo tuo, quem ad ſummi ſacerdotii miniſterium elegiſti, hanc quæſumus Domine gratiam largiaris, ut quicquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, in multis modis operis varietate ſignabant, hoc in eius moribus actibusque clareſcat. Comple in ſacerdote tuo myſterii tui ſummam & ornamentis totius glorificationis inſtructum cæleſtis unguenti flore ſanctifica. Hoc Domine copioſe in eius caput influat, hoc in oris ſubiecta decurrat, hoc in totius corporis extrema diſcendat. Ut tui Spiritus virtus & interiora eius repleat & exteriora circumtegat. Abundet in eo conſtantia fidei, puritas dilectionis, ſinceritas pacis. Tribuas ei cathedram epiſcopalem ad regendam eccleſiam tuam & plebem univerſam. Sis ei auctoritas, ſis ei firmitas, ſis poteſtas, multiplices ſuper eum benedictionem & gratiam tuam, ut ad exorandam miſericordiam tuam tuo munere ſemper idoneus tua gratia poſſit eſſe devotus. Per Dom.

Super Oblata.

Hæc hoſtia Domine quæſumus emundet noſtra delicta, & ſacrificium celebrandum ſubditorum tibi corpora menteſque ſanctificet. Per D.

Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ quam tibi offerimus etiam pro famulo tuo ill. quem ad epiſcopatus ordinem promovere dignatus es, quæſumus Dne, ut placatus accipias, & propitius in eo tua dona cuſtodias, ut quod divino munere conſecutus eſt. Divinis effectibus exſequatur, dieſqᵫ &c.

Ad C.

Hæc nos Communio Domine purget a crimine, & cæleſtibus remediis faciat eſſe conſortes. Per Dnum. (1)

Ad ordinandum Presbyterum.

Oratio. Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum, quem ad presbyterii munus elegit, cæleſtia dona multiplicet. Per Dom.

Alia. Exaudi nos quæſumus Domine Deus noſter, &. &c. Con-

(1) In mſc. bibl. Cæſ. Theol. 277. habetur peculiaris *ordo qualiter epiſcopus in Romana eccleſia ordinatur*, ibique poſt Introitum, *Gloria in excelſis* & orationem proceſſionemque iam conſecrandi. Incipit examinatio in ordinatione Epiſcopi ſecundum *Gallos*, eadem quæ in pontificali *Romano* habetur; *Antiqua ſanctiorum Patrum inſtitutio docet &c.*

(2) In eodem codice immediate ante Miſſas votivas, quarum prima eſt die dominica de Sca Trinitate, additur de ordinatione Epiſcopi: *Ad Pontificem ordinandum quæ addi debeant in conſecratione, cuius initium eſt*: Deus honorum omnium *ad locum* & idcirco huic famulo tuo quem apoſtolicæ Sedis præſulem & primatum omnium qui in orbe terrarum ſunt ſacerdotum ac univerſalis eccleſiæ tuæ doctorem dediſti & ad ſummi ſacerdotii miniſterium elegiſti, hanc quæſumus Domine gratiam largiaris. Tribuas ei cathedram pontificalem ad regendam eccleſiam tuam & plebem univerſam.

Digitized by Google

Conſecratio.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, bonorum auctor &c.

Sequitur Ordinatio Diaconi.

Ad ordinandum Diaconum.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem &c.

Alia. Exaudi Domine preces noſtras, & ſuper hunc famulum tuum &c.

Conſecratio.

Adeſto quæſumus omnipotens Deus honorum dator Ordinum.

Orationes iſta dicenda ſunt a Domno Papa ſuper Archiepiſcopum ante pallium. Ex Mſc. Vindob. Theol. 277. ſæc. XII. vel XIII.

Domine Deus omnipotens Pater, qui non propriis ſuffragantibus meritis, ſed ſola ineffabili gratiæ tuæ largitate iſtum famulum tuum N. populo tuo præeſſe iuſſiſti; tribue ei per gratiam Spiritus ſancti tui digne tibi perſolvere miniſterium ſacerdotalis officii, & eccleſiaſticis convenienter ſervire miniſteriis, plebemque commiſſam ad gloriam tui nominis te in omnibus protegente gubernare concede. Per. eiusdem.

Alia. Deus innocentiæ reſtitutor & amator, dirige hunc famulum tuum N. Spiritus tui fervore, ut in fide inveniatur ſtabilis, & in operibus tuis efficax, illumina eum lumine ſapientiæ, munda eum & ſanctifica, da ei conſilium rectum, doctrinam ſanctam, ut qui eum inter ſummos ſacerdotes voluiſti numerare, concede, ut, quod humano ore eum voluiſti vocari, hoc in conſpectu tuo per gratiam tuæ pietatis poſſit fieri, ut cum electis tuis æternæ vitæ beatitudinem percipere mereatur. Per.

Dato pallio dicitur Oratio.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus regum & Dominus dominantium, clementiam tuam humiliter exoramus, nec non & unigeniti Filii tui Dni nri Ihu Xpi, qui omnes æterno pontificatu ſupereminens, ſolus ſine macula ſacerdotale miniſterium implevit, ſimulque ſancti Spiritus, cuius ſeptiformis gratia cœleſti virtute cuncta ſanctificat, ut hunc famulum tuum N. divinæ providentiæ gratia largiente a minoribus uſque ad maiora per gradus aſcendentem ſupernæ pietatis tuo gremio gratanter ſuſcipias, & quia nobis indignis, quos Sedis apoſtolicæ ſummæque miniſtros ſervitutis, non exigentibus meritis, ſed dono clementiæ tuæ conſtituiſti, ſalutaribus indumentis ad ſacri altaris officium foras veſtitus in præſenti apparet, ab omnibus criminum contagiis caſtigatus, perpetuo Spiritus tui ſanctificatione intus impleri mereatur, vivisque fontis fluentis irrigatum virtutum fructibus creſcere, & coram omnibus clareſcere concedas, ut eius vita aliis poſſit exempla præbere. Sit ei honor pallii ornamentum animæ, & unde advenit faſtigium viſibile, inde floreſcat amor inviſibilis, tua divina potentia eum corroboret, tui Filii virtus viſcera eius fœcundet, tui Spiritus gratia interiora eius impleat: per te firmitatem fidei catholicæ non ſolum ſibimet ſervandi, ſed etiam alios docendi cauſa conſervet: per te cathedræ epiſcopalis eccleſiæ ſcutum non ſolum a ſpiritualibus, ſed etiam a corporalibus huius ſæculi adverſitatibus habere mereatur: per te apoſtolicæ dignitatis in cœlis & in terris, ſolvendi, & ligandi non ſolum corpora, ſed & animas divina Deitatis gratia dominicum ſuſcipiat, ut ita dignis ſucceſſibus devote degens ad deſtinata Sanctis præmia perveniens, æternam accipiat beatitudinem. Per. (1)

Gregorius Victori Epiſcopo. Ex Mſc. Vindob. Theol. 277. ſæc. XII. vel XIII.

Quisquis metropolitanorum, quod minime credimus, ſine pallio aliquem ordinare præſumſerit, & ordinatur, & qui ordinatur, & cooperatores irrecuperabiliter ab omni ordine deponantur.

(1) Nuper BENEDICTUS XIV. qui de Synodis lib. II. c. 6. oſtendit Pontificem R. etiam epiſcopis poteſtatem dediſſe λόγιον, πολυςαύριον, ſeu Φαινέλιον, ut Græcis pallium dicitur, geſtandi, benedictionem etiam ſolemnem pallii ordinavit. Licet enim, ut ſingulari bulla eam in rem edita loquitur, non dubitaverit, quin pallii traditioni ſeu transmiſſioni ſolemnis ſemper præmiſſa fuerit benedictio, *quia tamen huiusmodi benedictionis ritus nonnullas mutationes in evolutione temporum ſubiiſſe dignoſcitur, officii noſtri*, pergit, *eſſe indicavimus illius formam perpetuis futuris temporibus obſervandam conſtituere, ac præſentium literarum auctoritate firmare.* Conſtitutionem hanc dedit integram *Ioſ.* CATALANUS T. I. Cæremonialis S. R. E. p. 341. legi etiam merentur, quæ item in Cæremoniali epiſc. T. I. c. 16. §. commentatur de forma pallii decurtari cœpta SIXTI IV. ætate. Vid. idem ad Pontificale R. lib. I. tit. 14. DUCANGIUS de inferioris ævi numiſmatibus §. 6. 7. 9. *Io.* MARAGONIUS in proleg. ad chronologiam R. P. baſilicæ *Oſtienſis* c. 10. BARTHELIUS de Pallio.

tur. Oremus dilectiſſimi fratres, ut Deus & Dns nr Ihs Xps nos & electum noſtrum gratia Spiritus ſancti illuſtrare dignetur. Per. in unitate eiusdem. *Deinde dicatur iſte verſiculus.* Et exaltent eum in eccleſia plebis. Et in cathedra Seniorum laudent eum. *Poſt mittatur in cathedram, & dicatur hæc oratio.* Omnipotens Pater ſancte Deus æterne, tu hominem dignatus es in cœleſtibus ſedibus ordinare, ut ait pſalmiſta. Domine in æternum permanet verbum tuum in cœlo, angelos & archangelos ſuo tibi ordine mancipari voluiſti, in veteris teſtamenti privilegio Moyſen & Aaron & Samuelem inter eos in ſacerdotibus ſuis, qui invocant nomen eius prædeſtinati, patriarchas & prophetas perungi ordinaſti, in novo per Filium tuum Ieſum Chriſtum apoſtolos ſanctos nobis omnibus tuis ſervis ad ſolatium elegiſti, primum Petrum apoſtolum in cathedram honoris enumeraſti, & in numerum ſanctorum omnium apoſtolorum evocaſti, ut Spiritus ſanctus ait per prophetam: In cathedra ſeniorum laudet eum. In illis temporibus divino nutu de aliis ſimilibus his ſimilia contigerunt. Et tu Domine pro tua immenſa miſericordia in noſtris temporibus da ſimilem gratiam fratri noſtro N. adinſtar ſanctorum apoſtolorum tuorum ſedentium in cathedra honoris & dignitatis, ut in conſpectu maieſtatis tuæ dignus honore appareat, & in ipſo honore omnibus ſibi ſubiectis, omnigenarum exempla virtutum dictis & factis omni humilitate præbendo mereatur, ut poſt hanc vitam inter angelicos choros æternarum ſedium ſolio ſublimetur. Per eundem.

Pontificale Mſc. Biblioth. San-Blaſ. ſæc. XIV.

Ad faciendum Ordines ſacros ſtatutis temporibus *Ritum ſimiliter a pſalmiſta orditur ſecus ac pontificale Romanum a quo etiam paſſim differt, ita vero incipit:*

Ad celebrandum ſacros ordines Epiſcopus indutus plenis pontificalibus ut ſupra notatum eſt, cum debito ordine miniſtrorum miſſam dicturus ad Altare procedat & dicta prima collecta, vocentur ordinandi, & ſedens ſuper ſedem ſuam legat vel per alium legi faciat prohibicionem iſtam.

Auctoritate Dni nri Ieſu Chriſti & Eccleſie omnibus vobis ſub excomunicacionis pena firmiter precipimus & mandamus, ut nulli ſervi dominorum niſi manumiſſi ſint, nulli clerici alterius dyoceſis abſque licencia ſeu litteris dimiſſiorialibus ſui Epiſcopi, nulli excommunicati, nulli illegitime nati, niſi cum eis ſufficienter fuerit diſpenſatum, nulli furtive aut in membris ſuis enormiter viciati, niſi ex certa ſciencia examinatorum probati ſint, & admiſſi, nulli ordines minores cum aliquo ordine ſacro, aut etiam ſacrum cum ſacro ſimul recipiendo, nulli etatem ſufficientem non habentes, nulli per ſaltum & nulli, qui prophanaverunt contra mandata apoſtolica, niſi cum eis ſufficienter fuerit diſpenſatum. Aut quibus alias canonicum obſtat impedimentum, hic expreſſum vel non expreſſum, preſumant accedere, nec ad hos ſacros ordines accedant. Si ſecus attemptatum fuerit a quoquam irritum cernimus & inane, & penam ſupradictam excommunicacionis ſe noverit incurriſſe.

Lecta prohibicione iſta, archidiaconus vel alter, cui Epiſcopus iniunxerit ad faciendum, per modum lectionis dicat. Poſtulat ſancta Mater Eccleſia reverende pater hos viros ordinibus aptos a veſtra paternitate conſecrari. *Epiſcopus dicat:* Vide, ut natura, ſciencia & moribus tales per te introducantur, immo per nos tales in domo Dni ordinentur perſone per quas dyabolus procul pellatur, & clerus Deo multiplicetur. *Item clericus* Quantum ad humanum ſpectat examen, natura ſciencia & moribus digni habentur, & probi cooperatores in his Deo volente effici poſſunt. *Epiſc.* Auxiliante Dno Deo & ſalvatore noſtro Ieſu Chriſto eligimus hos viros conſecrandos: ſiquis autem habet aliquid contra illos, pro Deo & propter Deum cum fiducia exeat & dicat. Verumtamen memor ſit condicionis ſue. *Poſt hec Epiſcopus procumbat ſuper ſedem ſuam flexis genibus, & cantetur a duobus clericis letania prout ſupra notatum eſt, in qua loco ſuo ſurgat, & converſus ad ordinandos dicat.* Ut iſtos ordinandos bene†dicere ſancti†ficare & conſe†crare digneris. Te rogamus audi nos. *Ter Epiſc. iſtud repetat. Et poſtea ab illis clericis compleatur letania.* Ut Pontificem nrm in ſancta religione conſervare digneris. Te rogamus audi nos.

Item Epiſc. reponat ſe ſuper ſedem ſuam uſque ad finem letanie. Qua finita ſedeat ſuper ſedem ſuam, & ordinandis tradat antiphonarium dicens: Videte, ut quod ore cantatis, corde credatis, & quod corde creditis, operibus comprobetis. *Quo dicto, ſurgat & dicat ſuper eos orationem. Stando ſine mitra.*

Dnus vobiſcum.

Oremus dilectiſſimi fratres Dnm nrm Ieſum Chriſtum pro his famulis ſuis, qui ad deponendas

Digitized by Google

das comas capitum ſuorum pro eius amore feſtinant, ut donet eis Spiritum ſanctum, qui habitum religionis in eis perpetuum conſervet, & a mundi impedimento atque a ſeculari deſiderio corda eorum defendat, ut ſicut immutantur vultibus, ita manus dextera Dei eis virtutum tribuat incrementa, & ab omni cecitate ſpiritali vel humana oculos eorum aperiat, & lumen eis eterne gracie concedat. Qui vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. *Clerus* Amen *Epiſc.* Oremus. *Dyaconus.* Flectamus genua. Levate. *Epiſcopus orationem dicat:* Tradat ſuperpelicium: Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hos famulos tuos bene✝dicere dignare, quibus in tuo nomine habitum religionis imponimus, ut te auxiliante devoti in eccleſia tua perſiſtere & vitam percipere mereantur eternam. p. Dnm. *Epiſc. ſedeat & dicat:* Tu es Dne, qui reſtitues hereditatem meam mihi &c.

Oratio ad Sponſas benedicendas.
Ex Cod. Bibl. Cæſ. Th. 149. *ſæc. IX. olim Augienſis monaſterii.*

Exaudi nos omnipotens & miſericors Deus, ut quod noſtro miniſtratur officio, tua benedictione potius impleatur. Per.

Secreta. Suſcipe quæſumus Domine pro ſacra connubii lege munus oblatum, & cuius largitor es operis, eſto diſpoſitor. Per.

Præfatio. VD. & iuſtum eſt æquum & ſalutare. Qui fœdera nuptiarum blando concordiæ iugo & inſolubili pacis vinculo nexuiſti, ut adoptionem filiorum ſanctorum connubiorum fecunditas pudica ſervaretur. Tua enim Domine providentia tua gratia utrumque diſpenſat, ut quod generatio mundi edidit ad ornatum, regeneratio ad eccleſiæ perducat augmentum. Et ideo cum angelis & archangelis. Hanc igitur oblationem famulorum tuorum quam tibi offerunt pro famula tua ill. quam perducere dignatus es ad ſtatum menſuræ & ad diem nuptiarum pro qua maieſtati tuæ ſupplices fundimus preces, ut eam propitius cum viro ſuo copulare digneris. Quæſumus Domine ut placatus accipias. *Antequam dicatur* Pax Domini, *dicit orationem.*

Propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inſtitutis tuis quibus propagationem humani generis ordinaſti, benignus adſiſte, ut quod te auctore iungitur, te auxiliante ſervetur. Per D.

Benedictio. Deus qui poteſtate virtutis tuæ de nihilo cuncta feciſti: qui diſpoſitis univerſitatis exordiis hominem ad imaginem Dei facto ideo inſeparabile mulieris adiutorium condidiſti, ut femineo corpori de virili dares carne principium, docens quod ex uno placuiſſet inſtitui, nunquam liceret disiungi. Deus qui tam excellenti myſterio coniugalem copulam conſecraſti, ut Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum præſignares in fœdere nuptiarum. Deus per quem mulier iungitur viro & ſocietas principaliter ordinata ea benedictione donatur, quæ ſola nec per originalis peccati pœnam, nec per diluvii eſt ablata ſententiam. Reſpice propitius ſuper hanc famulam tuam, quæ, maritali iungenda conſortio, tua expetit protectione muniri. Sit in ea iugum dilectionis & pacis. Fidelis & caſta nubat in Chriſto, imitatusque Sanctorum permaneat feminarum. Sit amabilis ut Rachel viro, ſapiens ut Rebecca, longæva & fidelis ut Sara. Nihil in ea ex actibus ſuis ille auctor prævaricationis uſurpet. Nexa fidei mandati permaneat uni toro iuncta, contactus inlicitos fugiat; muniat infirmitatem ſuam robore diſciplinæ. Sit verecunda, gravis, pudore venerabilis, doctrinis cœleſtibus erudita. Sit fecunda in ſobole, ſit probata & innocens, & ad beatorum requiem, & ad cœleſti regna perveniant, & videant filios filiorum ſuorum uſque in tertiam & quartam progeniem, & ad optatam perveniant ſenectutem. Per. Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. *Ad Com.* Quæſumus omnipotens Deus, inſtituta providentiæ tuæ pio amore comitare, ut quos legitima ſocietate connectis, longæva pace cuſtodias. Per. (1)

Oratio ad viſitandum infirmum.
Ex Cod. Vindob. Theol. 149. *ſæc. IX. Sacramentar. Augienſi.*

Deus qui famulo tuo Ezechiæ &c. *Alia.* Reſpice Dne famulum tuum &c.

Oratio

(1) Quæ hodieque in rituali *Romano* legitur rubrica in ritu celebrandi matrimonii Sacramentum, reſpicit uſum antiquiſſimum, quo veluti benedictonis nuptialis vice erat miſſa, quam Vol. I. p. 258. adduximus eandem fere, quæ in *Leonino*, *Gelaſiano*, *Gregorianis* ſacramentariis antiquis, & recentioribus ſeu hodiernis miſſalibus legitur, tantum quod in noſtro ſacramentario ea deſideretur, rubrica, quæ locum & modum benedictionis proprie ſpectat: *Et dicis orationem dominicam, & ſic eam* (ſponſam) *benedicis bis verbis:* Deus qui mundi creſcentis exordium &c. Sic autem habet rubrica ritualis *Romani* poſt benedictionem annuli: *His expletis, ſi benedicendæ ſint nuptiæ, parochus Miſſam pro ſponſo & ſponſa, ut in miſſali Romano celebret, ſervatis omnibus, quæ præſcribuntur.*

Digitized by Google

Oratio ſuper pœnitentem.

Da nobis Domine, ut ſicut publicani precibus & confeſſione placatus es, ita & huic famulo tuo ill. placare, & precibus eius benignus aſpira, ut in confeſſione flebili permanens, & petitione perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, ſanctisque altaribus & Sacramentis reſtitutus, rurſus cœleſti gloriæ mancipetur. Per.

Oratio ad agape pauperum.

Da Domine famulo tuo ill. ſperata ſuffragia obtinere, ut qui tuos pauperes vel tuas eccleſias memoratur, Sanctorum omnium ſimul, & beati martyris tui Laurentii mereatur conſortia, cuius nunc eſt exempla ſecutus. Per dnm.

Oratio ad Capillaturam.

Omnipotens ſempiterne Deus reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum ill. quem ad novam tondendi gratiam vocare dignatus es, tribuens ei remiſſionem omnium peccatorum, atque cœleſtium donorum conſortium eſſe percepturum. Per.

Oratio ad Clericum faciendum.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, & huic famulo tuo ill. qui ad deponendam comam capitis ſui propter amorem Chriſti filii tui feſtinat, da Spiritum ſanctum, qui habitum religionis in eo perpetuo cuſtodiat, & a mundi impedimentis vel ſæculari deſiderio cor eius defendat, ut ſicut immutatur in vultu, ita manus dexteræ tuæ in eum virtutis perfectionem tribuat, ut ab omni cæcitate humana oculos eius aperiat, & lumen æternitatis gratiæ concedat. Per.

Oratio ad barbas tondendas. (1)

Deus cuius ſpiritu creatura omnis incrementi adulta congaudet, exaudi preces noſtras ſuper hunc famulum tuum ill. iuvenilis ætatis decore lætantem, & primis auſpiciis ad tondendum; exaudi Domine, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio cœleſtem benedictionem accipiat, & præſentis vitæ præſidiis gaudeat & æternæ. Per.

Oratio ad Diaconam faciendam.

Exaudi Domine preces noſtras & ſuper hanc famulam tuam ill. ſpiritum tuæ benedictionis emitte, munere ditata, & tuæ gratiam poſſit maieſtatis adquirere, & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per dnm.

Oratio ad ancillas Dei velandas.

Famulas tuas Domine tuæ cuſtodia muniat pietatis, ut virginitatis ſanctæ propoſitum, quod te inſpirante ſuſceperunt te protegente in læſum cuſtodiant. Per.

Oratio ad Abbatem faciendum vel Abbatiſſam.

Concede quæſumus omnipotens Deus & famulum tuum ill. vel illam, quem ad regimen animarum elegimus gratiæ tuæ dono proſequere, ut te largiente cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per.

Oratio tempore Belli.

Omnipotens & miſericors Deus, a bellorum nos quæſumus turbine fac quietos: quia bona nobis cuncta præſtabis, ſi pacem dederis & mentis & corporis. Per Dnm.

Alia. Omnipotens Deus Romani nominis inimicos virtute quæſumus tuæ comprime maieſtatis, ut populus tuus, & fidei integritate lætetur, & temporum tranquillitate ſemper exultet. Per.

Oratio pro his qui iter agunt.

Exaudi nos Domine & iter famuli tui ill. inter vitæ huius pericula tuo ſemper protegatur auxilio Per.

Oratio pro pluvia poſtulanda.

Terram tuam Dne quam videmus noſtris iniquitatibus tabeſcentem cœleſtibus aquis infunde, atque irriga beneficiis gratiæ ſempiternæ. Per.

Alia. Da nobis Domine, quæſumus pluviam ſalutarem, & aridam terræ faciem fluentibus cœleſtibus dignanter infunde. Per Dnm nrm.

Alia. Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſalvas omnes & neminem vis perire aperi fontem benignitatis tuæ, & terram aridam aquis fluentibus cœleſtibus dignanter infunde. Per Dnm.

Oratio quando multum pluit.

Domine Deus, qui in myſterio aquarum ſalutis tuæ nobis Sacramenta ſanxiſti, exaudi orationem populi tui, & iube terrores inundantium ceſſare pluviarum, flagellumque huius elementi ad effectum tui converte myſterii, ut qui ſe regenerantibus aquis gaudent renatos, gaudeant his caſtigantibus eſſe correctos. Per. *Alia.* Quæſumus omnipotens Deus clementiam tuam, ut inundantiam cohærceas imbrium, & hilaritatem tui vultus nobis impertiri digneris. Per.

Oratio in Area.

Multiplica Domine hanc aream frumenti tui dona repleta (ſic) & ſicut fidelibus tuis triceſimum atque ſexageſimum vel centeſimum fructum donare

(1) In pontificali *Rom.* variat. leguntur in eo etiam tres ſequentes orationes.

Digitized by Google

donare conſueviſti, ita & famulo tuo ill. præſentis temporis uberius tua dona concede. Per Dom.

Oratio pro peſte animalium.

Deus qui laboribus hominum etiam deminutis animalibus ſolatia ſubrogaſti, ſupplices te rogamus, ut ſine quibus non habetur (1) humana conditio, noſtris facias uſibus non perire. Per.

Oratio de mortalitate

Deus qui non mortem ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, populum tuum quæſumus ad te converte (2) propitius, ut dum tibi devotus extiterit, iracundiæ tuæ ab eo flagella amoveas. Per. *Alia.* Populum tuum quæſumus omnipotens Deus ab ira tua ad te confugientem paterna recipe pietate, ut qui tuæ maieſtatis flagella formidant, de tua mereantur venia lætari. Per Dnm.

Oratio quando levantur reliquiæ.
Ex eodem Codice.

Aufer a nobis quæſumus Domine iniquitates noſtras, ut ad Sancta ſanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Dom.

Oratio in Dedicatione eccleſiæ. (3)

Domum tuam quæſumus Domine clementer ingredere, & in tuorum tibi corde fidelium perpetuam conſtitue manſionem, ut cuius ædificatione ſubſiſtit, huius fiat habitatione præclara. Per.

Oratio poſt velatum Altare.

Deſcendat quæſumus Domine Deus noſter Spiritus ſanctus tuus ſuper hoc altare, qui & populi tui dona ſanctificet, & ſumentium corda dignanter emundet. Per.

Ad Miſſas.

Deus qui inviſibiliter omnia contines &c. *ut in miſſali Rom.*

Alia. Deus qui ſacrandorum tibi auctor es munerum. *Alia.* Deus qui ex omni coaptatione.

Secreta. Omnipotens ſempiterne Deus, altare nomini tuo dicatum &c.

Præfatio. VD. & iuſtum eſt æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Dne ſce Pater omnipotens æterne Deus per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem te ſupplices deprecamur, ut altare hoc ſanctis uſibus præparatum cœleſti dedicatione ſanctifices, ut ſicut Melchiſedech ſacerdotis præcipui oblationem dignatione mirabili ſuſcepiſti, ita inpoſita novo huic altari munera ſemper accepta ferre digneris; ut populus, qui in hanc eccleſiæ domum ſanctam convenit, per hæc libamina cœleſti ſanctificatione ſalvatus, animarum quoque ſuarum ſalutem perpetuam conſequantur. *Ad Com.* Quæſumus Domine; ut hoc in loco, quem nomini tuo &c.

ORDO
Quomodo Eccleſia debeat dedicari.
Ex Cod. Turicenſi ſæc. IX. circ.

Primitus enim, antequam Pontifex introeat in eccleſiam, inluminantur XII. candelæ per circuitum eccleſiæ, & induunt ſe veſtimentis ſacris, & cum venerint ad hoſtium eccleſiæ percutient terram ſuper liminare de cambuta ſua dicit antiphonam: Tollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales. *Pſ.* Dni eſt terra. *Canunt ipſum pſalmum totum ante hoſtium, & aperto hoſtio intrantes dicunt:* Pax huic domui. *Deinde incipit clerus Letaniam, & cum venerint Sacerdotes vel Levitæ ante altare, proſternunt ſe ſuper ſtramenta uſque dicunt* Agnus Dei qui tollis peccata. *ut autem ſurrexerint ab oratione, non dicit Pontifex* Dominus vobiſcum, *ſed tantum* Oremus *& Diaconus* Flectamus genua, *& poſtquam oraverint dicit:* Leaate, *& ſequitur* oratio: Magnificare Dne Deus noſter in ſanctis tuis, & hoc in templo ædificationis appare, ut qui omnia in filiis adoptionis operaris, ipſe ſemper in tua hæreditate lauderis, per. *Deinde incipit pontifex de ſiniſtro angulo ab oriente ſcribens per pavimentum cum cambita ſua: a. b. c. durium* (4) *uſque in dextro angulo orientalis; incipiens iterum ſimiliter de dextro orientalis a. b. c. durium ſcribens uſque in ſiniſtro angulo baſilicæ occidentalis. Deinde veniens ante altare dicit:* Deus in adiutorium meum intende, *cum* Gloria *abſque* alleluia. *Inde benedicit ſalem & aquam cum cinere mixto, & dicit hanc orationem:* Deus, qui ad ſalutem humani generis, maximaque ſacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti

(1) *Pontificale Rom.* alitur.

(2) *Idem:* Ad te revertentem propitius reſpice.

(3) Quæ ſequunrur partim in pontificali, partim in miſſali *Rom.* leguntur.

(4) Id eſt Alphabetum, ut apud MART. (T. II. de antiq. Eccleſ. tit. L. II. c. XIII. p. m. 726.) ubi integrum exhibetur, antiquis litteris græcis exaratum, quarum quælibet in vertice gerit adſcriptam quantitatem numericam I. II. III. & ſic deinceps. Conf. Pontif. R. de Dedicat. Eccl. ubi in formam crucis græcum ſimul ac latinum alphabetum ſcribi præcipitur.

Digitized by Google

didiſti &c. *Ipſa expleta incipit antiph.* Introibo ad altare Dei; ad Deum qui lætificat iuventutem meam. *Pſ.* Iudica me Deus. *Ipſa canendo cum ipſo pſalmo vadit ante altare, & fundit, quod remanſit de ipſa aqua ad baſem altaris, & extergitur altare de linteo; poſtea incenſum offert, & mittit oleum ſuper altare in medio crucem faciens, & ſuper quatuor angulos altaris cum antiphona canendo:* Erexit Iacob lapidem in titulum, fundens oleum deſuper. *Pſ.* Quam dilecta. *totum; & unguet eum manu ſua lapide ipſo, ſemper incenſum in circuitu ipſius altaris alius ſacerdos faciendum. Poſt expleto pſalmo mittit iterum oleum ſimiliter ſicut prius canendo antiph.* Sanctificavit Dnus tabernaculum ſuum & firmavit eam ſuper firmam petram. *Pſ.* Deus noſter. *Ipſo pſalmo expleto mittit chryſma ſimiliter canendo ant.* Ecce odor filii mei ſicut odor agri pleni, quem benedixit Dnus Deus. *Pſ.* Fundamenta eius. *Deinde in circuitu eccleſiæ per parietes de dextro in ſiniſtro faciens crucem cum pollice de chryſma ipſa; inde faciens crucem incenſi ſuper altare; inde dicit:* Oremus; *& diaconus ut ſupra dicit hanc orationem ſuper altare:* Dei Patris omnipotentis miſericordiam, dilectiſſimi fratres, deprecemur, ut hoc altare ſacrificiis ſpiritalis conſecrandum vocis noſtræ exorandus officio præſenti benedictione ſanctificet, ut in eo ſemper oblationes famulorum ſuorum ſtudio ſuæ devotionis inpoſitas benedicere & ſanctificare dignetur, & ſpiritale placatus incenſum (1) familiæ promptus exauditor exiſtat, per. *Iterum dicit* Oremus: *Diaconus ut ſupra.*

Sequitur Benedictio. (2)

Deus omnipotens, in cuius honorem altare ſub invocatione (3) tui conſecramus, clemens & propitius preces noſtræ humilitatis exaudi, & præſta, ut in hanc menſam ſint tibi libamina accepta, ſint grata, ſint pinguia, ut Spiritus ſancti tui ſemper rore perfuſa; ut omni tempore in hoc loco ſupplicantis tibi familiæ tuæ anxietates releves, ægritudines cures, preces exaudias, vota ſuſcipias, deſideria confirmes, poſtulata concedas, per Dnm. *Deinde dicit antiphonam:* Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis a templo ſancto tuo, quod eſt in Hieruſalem. *cum* gloria. *Deinde tenentes Subdiac. vel Accoliti linteamina, vel omnia ornamenta eccleſia, ſeu vaſe ſacra quæcunque ad cultum Dei ad eccleſiam pertinere debetur, benedicit Pontifex bis verbis:*

Præfatio (4) Linteaminum.

Dne Deus omnipotens, ſicut ab initio hominibus utilia & neceſſaria creaſti, & quæ ad modum (5) veſtimenta pontificialia ſacerdotibus & levitis ornamentaque & linteamina fieri famulo tuo Moyſi per quadraginta dies docuiſti, ſive etiam ea, quæ Maria texit & fecit in uſum miniſterii tabernaculi fœderis, (6) ſanctificare conſecrareque digneris hæc linteamina in uſum altaris tui, ad tegendum involuendumque corpus & ſanguinem filii tui Dni noſtri Ieſu Chriſti, qui vivit & regnat Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Item Benedictiones ad omnia in uſum Baſilicæ.

Dignare Deus omnipotens, Rex regum & Dominus dominantium, Sacerdos omnium, Pontifex univerſorum, per quem unacum Patre ſanctoque Spiritu facta ſunt univerſa, Chriſte Ieſu benedicere, conſecrare & ſanctificare digneris vaſa hæc cum hoc altare, linteaminibus, cæterisque vaſis; & quemadmodum ſanctificaſti officia tabernaculi teſtimonii olim cum archa oracula Cherubin aloſis (alatis) velis, columnas, candelabra, altare argenteis baſibus, tabulis deauratis, holocauſtis, hoſtiis, æreo altare cum æneis vaſis, tentoriis, funibus, oleum unctionis, & cæteris aliis in figuram noſtri, per manus ſanctorum ſanctificaſti Sacerdotum; ita nunc manens in æternum ſumme Sacerdos ſacerdotum ſecundum ordinem Melchiſedech, ut diximus, patenam hanc, & calicem hunc, & omnia inſtrumenta altaris huius Eccleſiæ ſeu baſilicæ, quæ inter noſtras palmas habentur, corde precamur, ut benedicas, purifices, conſecres, & conſummes, quibus inter nos & æternam unitatem in ſupremo meatu ſine fine conſtare credimus, per.

Deinde vadunt ad locum, in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt, & elevantes

eas

---

(1) In Ord. IX. apud MARTEN. l. c. p. 751. leg. *Et ſpirituali placatus incenſo precanti familiæ ſuæ promtus exauditor adſiſtat.*

(2) In pontificali *Romano* initium variat: etiam ſequens *Præfatio lintean.*

(3) MARTEN. l. c. ſub invocatione tui nominis indigni conſecramus.

(4) MART. l. c. Benedictio.

(5) *Ibid.* Quemadmodum veſtimenta pontificalia, ſacerdotalia, & levitica, ornamentaque &c.

(6) *Ib.* Ita ſanctiſficare, benedicere &c.

Digitized by Google

eat cum feretro cum honore & laudes decantando, cum crucibus & turibulis & luminibus multis, venientes ante altare extenſo velo inter eos & populum; recondit ipſe pontifex manu ſua ipſas reliquias in locum altaris, canentes: Exultabunt Sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis. *cum pſalmo:* Cantate Dno, laus. *Inde vero revertitur pontifex in ſacrario cum ordinibus ſacris, & induunt ſe veſtimentis aliis ſolempnibus, & interim veſtiuntur altare vel eccleſia, & accenduntur luminaria. Poſt hac omnia tunc incipiunt antiph. ad Introitum, ant.* Terribilis eſt locus iſte; hic domus Dei eſt & porta cœli, & vocabitur aula Dei. *cum* pſalmo *&* Gloria. *Interea procedit pontifex de ſacrario cum ordinibus ſuis ſicut conſuetudo eſt.*

Oratio ad Miſſam.

Deus qui ſacrandorum tibi auctor es munerum, effunde ſuper hanc orationis domum benedictionem tuam, ut ab omnibus invocantibus nomen tuum defenſionis auxilium ſentiatur, per Dnm. *Sequitur lectio. Grad.* Locus iſte a Deo factus eſt. ℣. All Adorabo ad templum ſanctum tuum. *Sequitur Evang. ſe. nudum. Offert.* Dne Deus in ſimplicitate. ℣. Super oblatam.

Omnipotens ſempiterne Deus, effunde ſuper hunc locum gratiam tuam, & ab omnibus te invocantibus auxilii tui munus oſtende, ut horum Sacramentorum virtus omnium fidelium corda confirmet.

Præfatio. VD. Per Chriſtum Dnm noſtrum, per quem te ſupplices deprecamur, ut altare hoc ſanctis uſibus præparatum cœleſti dedicatione ſanctifices, & ſicut Melchiſedech ſacerdotis præcipue oblationem dignatione mirabili ſuſcepiſti, ita impoſita nova huic altari munera ſuper accepta ferre digneris; ut populus tuus in hac eccleſiæ tuæ domo ſancta convertens per hæc pura libamina cœleſti ſanctificatione ſalvatus, animarum quoque ſuarum ſalutem perpetuam gratiam conſequantur. Per quem.

Infra Actionem.

Hanc igitur oblationem famuli vel famulæ tuæ ill. vel illius, quam tibi in huius templi ſanctificatione offerunt immolandam, quæſumus Dne, dignanter intende, ut aulam, quam beati martyris tui illius meritis æquiparare non potuit, tuæ charitatis vultus inluſtret, fiatque tua propitiatione tuis ſacris ſanctisque digna myſteriis; ſit æternæ lucis habitaculum temporale, nihil hic mundanæ ſordes obſcuritatesque poſſideant, ut veniens hic populus tuus ſuæ conſequatur orationis effectum, dignumque locum hunc tua ſentiat maieſtati, dum ante poſtulata fuerit conſecutus, ſitque ædificantibus imperatio delictorum, dum a te non pro ſui operis quantitate, ſed pro offerentum fuerit devotione ſuſcepta. Diesque noſtros.

Ad Complendum.

Copioſa beneficia, quæſumus Dne, chriſtianus populus adſequatur, ut qui in honore ſanctorum ſacrandis tibi liminibus devotus occurrit, & vitæ ſubſidia præſentis accipiat, & gratiam ſempiternæ redemptionis inveniat, per.

DENUNTIATIO
Cum Reliquiæ ſanctorum Martyrum ponendæ ſunt.

Dilectiſſimi fratres! Inter cætera virtutum ſollempnia, quæ ad gloriam pertinent Chriſti Dni noſtri, hoc quoque ſuis præſtitit Martyribus, qui pro nominis eius confeſſione morte ſuſcepta cœleſtia præmia meruerunt, ut fidelium votis eorum præclaris reliquiis conlocatis integritas ſancti corporis eſſe credatur; & ideo monemus dilectionem veſtram, quoniam illa feria, illo loco reliquiæ ſancti illius Martyris conlocandæ ſunt, quæſumus, ut veſtram præſentiam nobis monentibus non negetis.

INCIPIT ORDO
Quomodo in ſancta Romana Eccleſia Reliquiæ conduntur.

Primum vadit Epiſcopus in eccleſiam, ubi reliquiæ ſunt poſitæ, & facit letaniam, & dat orationem hanc:

Aufer a nobis Dne iniquitates noſtras, ut ad Sancta ſanctorum puris mereamur mentibus introire. Per. *Poſtea ponit reliquias in patena, & porrigit eas presbytero in ulnas ſuas ſuper ſindonem, quam habet in collo ligatam, & cooperit ipſas, & exeunt pſallendo antiph:* Cum iocunditate exibitis. *Et pergit Epiſcopus in eccleſia nova ubi recludi debent reliquiæ, & intrant in eccleſiam cum eo miniſtri duo vel tres, & claudet hoſtium eccleſiæ, & facit aquam exorcizatam, & dicit orationem hanc:*

Oremus.

Deus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti &c. *Et mittit in ea chriſma, & condit ex ipſa aqua calce, & facit maldam, unde recludere debet ipſas reliquias; & baptizat ipſum altare*

altare de ipſa aqua cum ſpongia una vice ; deinde dicit ſcola letaniam ; ipſa completa egreditur Epiſcopus , & dat orationem ante hoſtium.

Deus qui in omni loco tuæ dominationis dedicator adſiſtis ; exaudi nos quæſumus , ut inviolabilis huius permaneat conſecratio , ut beneficia tui muneris univerſitas , quæ ſubplicat , mereatur ; per. (1)

Ipſa finita ſuſcipit ipſas reliquias a presbytero, & portat eas cum letania ad altare intus in eccleſia , & ponit ſuper altare novo ; & antequam recludantur , ponit chryſma intus in confeſſione per angulos quatuor in cruce intra dicendo : In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde ponit tres portiones corporis Dni intus in confeſſione, & tres de incenſo , & recluduntur reliquia intus in confeſſione , & dum recluduntur , canunt antiph :* Sub altare Domini ſedes accepiſtis ; intercedite pro nobis , per quem meruiſtis. *Et ponit tabulam , & dat orationem hanc :*

Oremus. Deus qui ex omni coaptatione Sanctorum æternum tibi condis habitaculum , da ædificationis tuæ incrementa cœleſtia , ut quorum hic reliquias pio amore complectimur, eorum ſemper meritis adiuvemur , per.

Deinde linit eam calce , quæ antea fuerat præparata ; & poſtquam fuerit linita , facit deſuper cum chryſma dicendo ut ſupra , & facit crucem ſimiliter cum chryſma , & per quatuor angulos altaris deſuper dicendo ut ſupra ; & tunc velat altare , & dat orationem hanc :

Oremus.

Deſcendat , quæſumus Dne Deus noſter, Spiritus ſanctus tuus ſuper hoc altare , qui & populi tui dona ſanctificet , & ſumentium corda emundet. Per. *Et tunc conſpargit aquam cum hyſopo per totam eccleſiam ; ipſam namque tabulam , quam ſuper reliquias ponit , debet antea confirmare cum chryſma faciens , crucem dicendo ut ſupra. Hoc peracto canit ſcola antiph. ad Introitum, & poſt* Kyrie eleiſ. *dicitur* Gloria in excelſis Deo, *& completur Miſſa ordine ſuo, & poſtea ebdomada Miſſa publica in ipſa eccleſia celebretur uſquedum octo dies completi ſunt.*

Ad Patenam conſecrandam.

Conſecramus & ſanctificamus hanc patenam ad conficiendum in ea Corpus Dni nri Ieſu Chriſti, facientes crucem pro ſalute noſtrorum omnium, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus; per cuncta ſæcula ſæculorum , amen. *Deinde facis ſignum crucis de oleo ſuper ipſam patenam :*

Conſecrare & ſanctificare digneris Dne patenam per iſtam unctionem , & noſtram benedictionem in Chriſto Ieſu Dno nro , qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum , amen.

Ad Calicem benedicendum.

Oremus dilectiſſimi fratres , ut Dnus Deus noſter calicem ſuum in miniſterio conſecrandum cœleſtis gratiæ inſpiratione ſanctificet , ut ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet , per,

Alia. Dignare Dne calicem iſtum in uſum myſterii (2) tui , pia famuli tui devotione formatum, ea ſanctificatione perfundere , qua Melchiſedech famuli tui ſacramentum (3) calicem perfudiſti ; & quod arte vel metallo officii (effici) non poteſt, altaribus tuis dignum fiat tua benedictione pretioſum, (4)

Præfatio Chryſmalis. (5)

Oremus dilectiſſimi fratres ! ut Deus omnipotens hoc miniſterium Corporis Filii tui Dni nri Ieſu Chriſti gerulum , benedictionis , ſanctificationis tutamine , defenſionis donationis implere dignetur orantibus nobis , per.

Alia. Omnipotens ſempiterne Deus , Trinitas inſeparabilis , manibus noſtris opem tuæ benedictionis infunde , ut per noſtram benedictionem hoc vaſculum ſanctificetur,& corporis Chriſti novum ſepulchrum Spiritus ſancti gratia perficiatur , per.

Ad Tabulas benedicendum.

Singulare illud repropitiatorium, quod ſe in altare crucis nobis redimendis obtulit immolandum ;

---

(1) Sequentes orationes etiam in Pontificali *Rom.* leguntur.

(2) MART. l. c. miniſterii.

(3) Ib. Sacratum cal.

(4) P. R. ſanctificatum. Cæterum calices etiam vitreos uſitatos fuiſſe oſtendunt ARINGHUS & BOSIUS *Roma* ſubterr. lib. IV. c. 28. BONAROTIUS in obſervationibus ad vaſa vitrea p. 57. Anonymus de vetuſtate & forma monogrammatis SS. Nominis IESU *Romæ* 1747. Præfat. p. 12.

(5) In Ord. III. apud MART. l. c. p. 703. Benedictio Euchariſtialis vaſculi. Oremus dilectiſſimi & fratres cariſſimi , ut Deus omnipotens hoc myſteriale corporis filii ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti gerulum benedictione ſanctificationis , tutamine defenſionis , & dominatione (l. *donatione*) ſalutis implere dignetur orantibus nobis. Per.

Digitized by Google

dum; cuius præfiguratio (1) patriarcha Iacob lapidem erexit in titulum, quo fieret ſacrificium, & portæ cœli deſuper aperiretur oraculum; ſupplicitur tibi Dne preces fundimus, ut metallis huius expoliata materia ſupernis ſacrificiis imbuenda, ipſe ſuæ dotare ſanctificationis ubertate præcipiat, qui quondam lapideas legem ſcripſit in tabulas (2) per Dnm.

Alia. Deus omnipotens, univerſarum rerum rationabilis artifex, creaturas formam lapideæ metalli ad obſequium tui ſacrificii condidiſti, ut legis libaturi tuo pareretur altari (3), annue dignanter huius inſtitutor myſterii, ut quotquot (4) hic oblatum ſacrum (5) fuerit, nomini tuo adſurgat, religione proficiat, ſpei initur fidei ſit honore (6), per.

Item alia.

Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, clemens & propitius preces noſtræ humilitatis exaudi, & reſpice ad hoc altaris tui holocauſtum, quod (7) tam igne probatur, ſed infuſam ſancti Spiritus tui gratiam in honorem tuæ ſuavitatis accendat (8), ut accipientibus ac ſumentibus nobis legitimum permaneat, euchariſtiaque erigat (9) in viſceribus nris, & vitam concedat æternam.

Præfatio.

VD. Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui poſt offendiculam lapſus primi hominis inſtituiſti tibi propitiatorii deliniamenta libaminis, ut culpa, quæ præceſſerat, futuris temporibus expiaretur pro munere, quibus ornarentur altaria, honorificatur & templum, quod tibi primus Noe præparavit officio, rurſus inſtruxit Habraam immolaturus filium; dehinc electus Iacob erexit & unxit in titulo; adſit redemptoris mundi pietas & expiata (10) ut lapides ſanctificandi myſterium, qui penetrabilis (11) & lapis angularis eſt, conſecrare digneris benedictionis inlapſum (12) & hic in aereas placitus maieſtas æternales obtuto (13), & quicquid ſacrum ritu ſuper hoc immolatur ſicut Melchiſedech oblatum placeat tibi hoc holocauſtum, & reportet per hoc præmium quicquid intulerit votum, ſacrificare, benedicere, conſecrareque digneris, tu & pro manibus noſtris (14) opem tuæ benedictionis infunde, qui te angularem lapidem & ſaxum ſine manibus exciſum nominare ipſe voluiſti; tu lapides iſtos divinis cultibus apparatos benedic atque ſanctifica, & ſacri huius myſterii ſicut inſtitutor, ita etiam ſanctificator appare, per Dnm.

Benedictio Crucis.

Sanctifica Dne ſignaculum paſſionis tuæ iſtud, ut ſit inimicis tuis obſtaculum, & credentibus in te efficiatur vexillum, per.

Rogamus te Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, ut digneris benedicere hoc lignum crucis tuæ, ut ſit remedium ſalutare generi humano, ſit ſoliditas fidei, profectuum (profectus P. R.) bonorum operum, redemptio animarum, protectio ac tutela contra ſæva iacula inimicorum, per.

Omnipotens ſempiterne Deus, cuius ſanctum & terribile nomen inter cæteras viſibiles creaturas ligna quoque fructifera laudare ac benedicere non ceſſant, qui in figuram unigeniti ſapientiæ tuæ ligno vitæ a principio paradiſum voluptatis ornaſti, ut eiusdem fructu ſacroſancto myſterio protoplauſto parentis noſtri generis mortem cavere, & vitam ammoneris cuſtodire perpetuam; qui nos vetitæ arboris adtactu vitæ mortem aditus, eiusdem coæternæ tibi ſapientiæ tuæ Dei & Dni nri Ieſu Chriſti innoxia mortem ad vitam miſeri-

---

(1) In Ord. IX. Mart. l. c. p. 754. *Quod præfigurante.* Sed melius in Ord. II. p. 694. *Cuius præfiguratione .... & portæ cœli deſuper aperiretur oraculum &c.*

(2) Ord. ut metalli huius expolitam materiam ſupernis ſacrificiis imbuendam ipſe ſuæ ſanctificationis ubertate percipiat, qui quondam lapideis legem ſcripſit in tabulis. Per. At in Ord. 11. *ut* metalli huius expoſita materies ſupernis ſacrificiis imbuendo, ipſe tuæ dotari ſanctificationis ubertate præcipias, qui quondam lapideis legem ſcripſiſti in tabulis.

(3) Ib. Artifex, qui inter creaturas formam lapidis & metalli ad obſequium tui ſacrificii condidiſti, ut legislatori tuum pararetur altare ... conf. P. R. ubi clarius.

(4) Ib. quod hic oblatum fuerit.

(5) l. *ſacratumve fuerit*, ut habetur in pluribus ordinibus apud Mart.

(6) P. R. Spei innitatur, fidei ſit honori.

(7) Ord. I. Mart. Quod non tam igne probatur.

(8) l. ſed infuſâ &c. .. gratia &c.

(9) l. c. hæreat.

(10) In Ord. I. Pietas exorata, ut lapidis &c.

(11) l. Qui penetralis ... es.

(12) l. Illapſu.

(13) l. c. Et inhæreas placitus maieſtas æternalis obtutu. *fort. legendum:* ... placito maieſtatis æternalis obtutu.

(14) l. per manus noſtras.

ſericorditer revocare dignatus es,te ſupplices deprecamur, ut hoc ſingulare ſignum, quod ad exemplum primi illius ſacratiſſimi vexilli pretioſo Filii tui ſanguine triumphalis famulus tuus ill. devotus erexit, cœleſte hic tua benedictione ſanctificare digneris; ut omnibus hic genuflectentibus, ac tuæ ſupplicantibus Maieſtati, largior & cordis compunctio, & indulgentia concedatur admiſſorum; atque intercedente ipſa victoriosiſſima Filii tui paſſione & tibi placita poſtulare, & citius valeant poſtulata percipere. Da quæſumus clementiſſime Pater, in quo vivimus, movemur & ſumus, ut quotiens triumphum divinæ humilitatis, quæ ſuperbiam hoſtis noſtri deiecit, oculis intuemur, quotiens mente recolimus, & contra hoſtem ipſum fiduciam fortitudinis, & maiorem tibi devotæ humilitatis gratiam conſequamur, quatenus in illo tremendæ tuæ Maieſtatis examine cum paventibus elementis, cœlorumque commotis virtutibus, ſignum illud glorificum redemptionis noſtræ paruerit in cœlo, ipſi de morte ad vitam tranſire, ac perpetua beatæ reſurrectionis gaudia videre mereamur, per.

AD BENEDICENDUM ORNAMENTA PONTIFICALIA.

Ex Mſc. Rhenaug. ſæc. XI.

Ad Cambagos.

Totius honeſtatis auctor omnipotens Deus! ad reprimendas antiqui hoſtis inſidias per noſtre humilitatis myſterium iube ſanctificari caligas iſtas, ut & in ingreſſu earum reſplendeat evangelii veritas, & in mente fidei exerceatur integritas. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Ad Pedules bened.

Benedic Dne Ieſu Chriſte hec calciamenta iuſtitie. que Iohanes vidit veſtitus podere. ut quicunque ex hiis veſtitus fuerit, valeat aliis prebere bonum exemplum, & tibi omni tempore cum timore ſervire. Qui vivis.

Ad Cyrothecas.

Immenſam clemenciam tuam omnipotens & piiſſime Deus humiliter rogamus: ut manus famulorum tuorum, ſicut exterius obducuntur manicis iſtis! ſic interius aſpergantur rore tue Benedictionis, ut quecunque per eas ſint benedicenda vel conſecranda, per te bene†dicantur, & conſe†crentur. Per eundem Dnm nrm Ieſum Chriſtum filium tuum &c.

Ad Annulum benedictio . .

Deus totius creature principium & finis in quo clauſa ſunt omnia hunc Annulum benedicere † & ſanctifi†care dignere, ut qui per eum famulo tuo honoris inſignia concedis, virtutem & premia largiaris! quibus & diſcretionis habitum ſemper retineat, & vere fidei fulgore prefulgeat, ſancte Trinitatis quoque armatus munimine miles, in expugnabilem aciem dyaboli conſtanter evincat. Per Chriſtum Dnm nrm.

Ad Baculum . . . . . .

Omnipotens & miſericors Dominus! qui in effabili bonitate votis ſupplicancium aſſiſtis? quique ex tue pietatis habundancia affectum petendi tribuis? huic baculo, quem ad paſtoralis officii ſignum in tuo nomine dedicamus, tue benedictionis vim copioſe infunde, ut eo paſtor inſignitus ſic ſollicite cuſtodiat, quatenus ab unitate eccleſie nullatenus deviare permittat, ſed confractum redintegret, quaſſatum conſolidet, ſeque una cum grege ſuo integrum tibi atque immaculatum conſervet, ut a te nunquam ſeparetur indignus. Per Chriſtum Dnm nrm.

Ad Mitram benedictio ...

Omnipotens ſempiterne Deus, qui veterum figurarum veritas es & finis, benedic hoc typicum priſcorum prm inſigne. per cornua moyſes famuli tui utrumque teſtamentum figurative declarans. Per Chriſtum Dnm nrm.

AD BENEDICENDUM ORNAMENTA PRESPITERALIA.

Caſulam, Dalmaticam & Subtile... (1)

Omnipotens ſempiterne Deus, qui per Moyſen famulum tuum pontificalia &c.

Ad Mappas benedictio...

Dne Deus omnipotens, qui ab inicio &c.

Ad Albas, Stolas, Manipulos, Cingulos & Amictus.

Deus invicte virtutis auctor & omnium rerum creator &c.

Item alibi ad id.

Dne Deus Pater omnipotens Rex & magnificus triumphator, qui per ſanctos patres noſtros, qui tibi in ſacerdotali ordine placuerunt, diverſi generis ornamenta & veſtimenta ſacerdotalia fieri, & in his ſacerdotes tibi ſervientes ornare iuſſiſti, exaudi

(1) Sequentes benedict. etiam in P. R. leguntur.

Digitized by Google

exaudi propicius orationem noſtram, ut hanc albam, hanc caſulam, ſtolam, planetam ſeu poderem, ac cingulum, orariosque dextra tua ſancta bene†dicere, conſe†crare ſancti†ficare & puri†ficare digneris, quatenus hoc veſtimentum miniſtris tuis levitis atque ſacerdotibus ad divinum cultum ornandum explendumque proficiant, ſanctisque altaribus tuis munde & ornate in hac ſacra veſte miniſtraturi irreprehenſibile in actu & vita interius exteriusque appareant, tibique ſoli Deo puro corde & mundo corpore placere, omnibus diebus vite ſue irreprehenſibiliter ſanctorum patrum exempla ſequentes ſervire valeant, hisque ſacris miniſteriis ſecundum tuam voluntatem, qn tibi placuerit, expletis cœleſtis regni gloriam cum omnibus ſibi commiſſis percipere merecantur. Per Dnm nrm Ieſum Chriſtum &c.

Ad Caſulam.

Deus fons pietatis & iuſticie, qui tui operis miniſtros ad extremum veſtimento caſule, cuius munimine omnia tegerentur veſtiri ſanxiſti; concede peticionibus noſtris, ut omnes hac planeta induti, enumeratis intus omnium virtutum ornamentis vinculum pacifice caritatis ſuper omnia habeant, quo perficere, que deſiderant, te preſtante valeant. Per Chriſtum Dnm.

Ad Corporalia.

Clementiſſime Dne, cuius inenarrabilis virtus, cuius miſteria archanis mirabilibus celebrantur; tribue queſumus, ut lintheamina tue propiciacionis benedictione ſancti†ficentur ad conſecrandum ſuper illa Corpus Dni Ieſu Chriſti, qui tecum vivit & regnat &c.

Item alia benedictio ad idem.

Omnipotens ſempiterne Deus, benedic lintheamina iſta ad tegendum involvendumque corpus & ſanguinem Dni nri Ieſu Chriſti, qui tecum &c.

Benedictio Patene, Calicis & aliorum vaſorum eccleſiæ . . . (1)

Conſecra†mus Dne & ſancti†ficamus hanc patenam ad confrigendum in ea corpus Dni noſtri Ieſu Chriſti pacientis crucem pro ſalute omnium nrm, qui cum Patre & Spiritu ſancto &c.

Item alia ad idem . . .

Omnipotens ſempiterne Deus, qui legalium inſtitutor es hoſtiarum, quique inter eas conſperſam ſimilaginem deferri in patenis aureis & argenteis ad altare tuum iuſſiſti, bene†dicere & ſancti†ficare digneris hanc patenam in amminiſtracionem evkariſtie Ieſu Chriſti filii tui Dni nri, qui pro noſtra omniumque ſalute tibi Deo patri in patibulo crucis elegit immolari, qui tecum vivit & regnat &c. *Hic faciat crucem cum criſmate ſuper patenam trahens pollicem ex adverſo in longum & in latum & dicat:* Conſecra†re, & ſancti†ficare digneris Dne patenam hanc per iſtam unctionem & per nram benedictionem in Chriſto Ieſu Dno noſtro, qui tecum.

Ad Calicem . .

Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. Oremus dilectiſſimi fratres? ut Deus & Dnus noſter Ieſus Chriſtus calicem hunc in uſum ſui miniſterii conſecrandum celeſtis gratie inſpiracione ſancti†ficet (2) ut humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accomodet, qui vivit.

Item alia benedictio.

Dignare Domine Calicem iſtum benedi†cere in uſum miniſterii tui & pia famulatus devocione formatum ea ſanctifi†cacione perfunde (3) qua melchiſedech famuli tui ſacratum calicem perfudiſti? & quod arte vel metalli officio eſt compoſitum (4) altaribus tuis dignum fiat tua benedictione ſanctificatum per Chriſtum Dnm noſtrum. *Hic faciat crucem cum criſmate infra concavum trahens pollicem ex adverſo in longum & latum & dicat:* Conſe†crare & ſancti†ficare digneris Dne calicem hunc per iſtam unctionem & noſtram benedictionem in Chriſto Ieſu Dno noſtro, qui tecum.

Benedictio ſuper Calicem iam conſecratum.

Omnipotens ſempiterne Deus, manibus noſtris quæſumus opem tue benedictionis infunde; ut per noſtram benedictionem hoc vaſculum ſanctificetur, & corporis & ſanguinis Dni nri Ieſu Chriſti novum ſepulchrum Spiritus ſancti gratia perficiatur. Per Chriſtum Dnm. *Et tunc aſpergat patenam & calicem cum aqua benedicta, & dicat:* In nomine Pa†tris, & Fi†lii, & Spiritus † ſancti benedictus ſit.

Ad

(1) Quæ ſequuntur in P. R. variant,

(2) In Ord. VIII. Mart. p. 745. Et ut in humanam &c.

(3) l. perfundere.

(4) In Ord. IV. p. 715. Et quod arte vel metallo effici non poteſt altaribus tuis dignum, fiat tua benedictione dignum, atque ſanctificatum. Per.

Digitized by Google

Ad vaſculum Eukariſtie.

Oremus kariſſimi fratres, ut Deus omnipotens hoc vaſculum corporis Filii ſui Dni noſtri Ieſu Chriſti gerulum ſue benedictionis tutamine Filiique ſui Dni noſtri munere ac Spiritus ſancti virtute implere dignetur per Chriſtum Dnm noſtrum. *Hac oratione dicta aſpergatur vaſculum aqua benedicta, & dicatur:* In nomine Patris & Fil. *ut ſupra.*

Benedictio Vexillorum & Ymaginum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, & tryumphancium fortitudo, reſpice propicius ad preces humilitatis noſtre, & hoc vexillum, quod bellico uſui præparatum eſt, celeſti benedictione ſancti†fica, ut contra adverſarias & rebelles naciones ſit validum, tuoque munimine circumſeptum. Sitque inimicis chriſtiani populi terribile, atque in te confitentibus ſolidamentum, & victorie certa fiducia. Tu es enim Deus, qui conteris bella, & celeſte preſidium in te ſperantibus ſemper addis ſecurum & optatum. Per Dnm nrm.

Ad Ymagines benedictio.

Queſumus omnipotens Deus indefectivam clemenciam tuam, ut hoc inſtrumentum Sanctorum tuorum honorificum dextra Maieſtatis tue dignanter extenſa, miſericors & placidus bene†dicas, ut quicunque illorum patrocinia, vel quo minus expectentes, vel eminus recolentes, pietati tue fideli devocione de quacunque neceſſitate ſupplicaverint, optata conſolacione ac iuvamine pociantur, per Dnm nrm.

Benedictio Linteaminum, Veſtium & vaſorum ſacrorum.

Ex Cod. Vindob. Theol. 359.

Deinde tenent Subdiaconi vel Acoliti linteamina (1) *vel omnia ornamenta eccleſia ſeu vaſa ſacra, quacunque ad cultum Dei & eccleſia pertinere videntur, & benedicat ea pontifex iuxta hunc morem.*

Benedictio Corporalis.

Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, benedic linteamen iſtud ad tegendum & involvendum corpus & ſanguinem Filii tui Dni nri Ihu Xpi. Qui tecum. (2)

Benedictio Lintaminum.

Domine Deus omnipotens, qui ab initio hominibus utilia & neceſſaria creaſti veſtimenta quoque pontificalia ſacerdotibus & levitis tuis & ornamenta & lintamina facere famulum tuum Moyſen per quadraginta dies docuiſti, ſive etiam ea quæ Maria texuit, & fecit in uſum altaris tui ad tegendum involvendumque corpus & ſanguinem Filii tui Dni nri Ihu Xpi. Qui tecum vivit. & regnat.

Item benedictio ad Linteamen. (1)

Exaudi Domine preces noſtras, & hoc linteamen ſacri miniſterii uſui præparatum benedicere & ſanctificare digneris. Per.

Item

(1) Poſt ritum dedicationis & altarium, ſequitur immediate in cod. *Vindob.* Theol. 359. uti alias etiam benedictio linteaminum veſtium ac vaſorum ſacrorum. Teſtatur SOZOMENUS lib. II. Hiſt. eccl. 25. in dedicatione templi *Hieroſolymitani* a CONSTANTINO M. exſtructi, benedicta fuiſſe ab epiſcopis varia munera, a fidelibus oblata. Idque poſtea ſolemne fuiſſe, ut in ipſa ſtatim eccleſiarum dedicatione a miniſtris offerrentur ornamenta, vaſa & linteamina ſacra ex REMIGII *Altiſiodorenſis* Tract. de dedic. eccl. c. 7. conſtat.

(2) *Ex Mſc. Theol. n.* 277. *ſolo.*

Alia. Domine Deus, qui iam ſanctificare dignatus es hoc genus ſpecierum, quando eo dignatus es involvi corpus dni nri Ihu Xpi unigeniti tui in beata paſſione concede quæſumus per eundem Dominum nobis quamquam indignis famulis tuis, ut præſens linteum cœleſti benedictione ſanctum & aptum fiat dominico ſepulchro, altari videlicet tuo, ut placabiliter poſſit in eo imponi corpus & ſanguis eiusdem dni nri Ihu Xpi, qui eſt vita omnium fideliter ſumentium, vivit & regnat per omnia ſæc. ſæc. Amen. *Alia.* Clementiſſime Domine, cuius inenarrabilis virtus, cuius myſteria archanis mirabilibus celebrantur, tribue quæſumus, ut hoc linteamen tuæ propitiationis benedictione ſanctificetur ad conſecrandum ſuper illud corpus & ſanguinem Dei & dni nri Ihu Xpi. Qui tecum.

(1) *Ex Cod. Theol.* 27. *Alia oratio.*

Deus qui digne tibi ſervientium deſideras famulatum, reſpice propitius ad humilitatis noſtræ ſervitutem, & hæc linteamina tuæ ſervitutis uſibus præparata, cœleſtis virtutis benedictione ſanctifica, & conſecra, quatenus ſuper ea Spiritus ſanctus tuus deſcendat, qui & populi tui oblationem benedicat, & corda ſive corpora ſumentium benignus reficiat. Per.

Digitized by Google

Item benedict. ad Linteamina & ad omnia vaſa & inſtrumenta in uſum eccleſiæ.

Omnipotens ſempiterne Deus Rex regum & Dominus dominantium, ſacerdos omnium pontifex univerſorum, per quem unacum Patre ſanctoque Spiritu facta ſunt univerſa, Chriſte Ieſu benedicere, conſecrare, & ſanctificare digneris vaſa hæc cum his altaris linteaminibus cæteriſque cunctis. Et quemadmodum officia tabernaculi teſtimonii olim cum arca oraculi, ſcilicet Cherubin clauſa velis, columnas, candelabra, altare aureum, argenteas baſes, tabulas deauratas, holocauſta, hoſtias, æneum altare cum baſibus æneis, tentoria, funes, oleum unctionis, & cætera in figuram noſtri tempotis per manus ſanctorum ſanctificaſti Sacerdotum; ita nunc manens in æternum ſume ſacerdos Sacerdotum ſecundum ordinem Melchiſedech, vaſa hæc & omnia inſtrumenta altaris huius eccleſiæ, quæ inter noſtras palmas habentur, benedicas, purifices, conſecres, & conſummes, quibus inter nos, & æternam unitatem in ſupremo meatu ſine fine conſtare credimus. Per te Ieſu Chriſte qui Patre in unitate eiusdem Spiritus ſancti Deus. (1)

Item benedictio veſtimentorum Sacerdotalium, ſive Leviticorum, atque ſequentis ordinis miniſtrantium.

Omnipotens Deus, qui per Moyſen famulum tuum pontificalia atque levitica veſtimenta ad explendum in conſpectu tuo miniſterium eorum, & ad decorem ſeu laudem nominis tui fieri decreviſti; adeſto propitius invocationibus noſtris, & hæc indumenta ſacerdotalia famuli & ſacerdotis tui deſuper gratia tua irrigante, tua ingenti benedictione per noſtræ humilitatis ſervitutem purificare benedicere & conſecrare digneris, ut divinis cultibus & ſacris miniſteriis apta & benedicta exiſtant. His quoque ſacris veſtibus ſacerdotali vel levitæ tui induti, defenſi ab omnibus inpulſionibus ſeu temptationibus malignorum ſpirituum eſſe mereantur, tuiſque eos miniſteriis apte & condigne ſervire & inhærere, in hiſque placide & devote tribue perſeverare. Per.

Bened. Ad Albas, Planetas, Stolas, & Cingulos benedicendos.

Domine Deus Pater omnipotens rex & magnificus triumphator, qui per ſanctos patres noſtros, qui tibi in ſacerdotali ordine placuerunt, diverſi generis ornamenta & veſtimenta ſacerdotalia fieri, & his ornari Sacerdotes tibi ſervientes iuſſiſti exaudi propitius orationem noſtram & hanc planetam famuli tui N. ſeu poderem ac cingulum, orariumque dextera tua ſancta benedicere, ſanctificareque, & purificare digneris, quatenus hæc veſtimenta miniſtris tuis levitis ac ſacerdotibus ad divinum cultum ornandum explendumque proficiant, ſanctiſque altaribus tuis munde & ornate in his ſacris veſtibus miniſtraturi, inreprehenſibilis in actu & victu interius, exteriusque appareant, tibique ſoli Deo puro corde & mundo corpore omnibus diebus vitæ ſuæ inreprehenſibiliter ſanctorum patrum exempla ſequentes ſervire valeant, hiſque ſactis miniſteriis ſecundum tuam voluntatem, quando tibi placuerit, expletis, cæleſtis regni gloriam cum omnibus ſibi commiſſis percipere mereantur. Per.

Benedictio Stolarum.

Domine Deus omnipotens, qui ab initio hominibus utilia & neceſſaria creaſti, & veſtimenta pontificalia aliaque ornamenta & linteamina ſacerdotibus ac levitis in uſum tabernaculi fœderis fieri Moyſi famulo tuo iuſſiſti, eumque Spiritu ſapientiæ ad id peragendum repleſti, hoc ornamentum in uſum miniſterii tui ſanctificare, benedicere, & conſecrare, atque miniſtros altaris tui qui illud portaverint ſeptiformis Spiritu ſancto dignanter replere digneris, atque caſtitatis ſtola & indumento lætitiæ ſempiternæ & beata facias, cum bonorum operum fructu miniſteriis congruenti, immortalitate veſtiri. Per.

Præ-

(1) *Benedictio ad omnia ornamenta in uſum eccleſiæ vel altaris. Ex Mſc. Tb. 277. ſolo.*

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ab initio utilia & neceſſaria hominibus creaſti, templaque manu hominum facta nomini tuo ſancto dicari, tuæque habitationis loca vocari voluiſti, qui per Moyſen famulum tuum veſtimenta pontificalia & ſacerdotalia, ſeu levitica, & alia quæque diverſi generis ornamenta ad cultum & decorem tabernaculi & altaris tui fieri decreviſti; exaudi propitius preces noſtras, & omnia hæc diverſarum ſpecierum ornamenta in uſum huius baſilicæ vel altaris ad honorem & gloriam tuam præparata purificare & ſanctificare, benedicere & conſecrare per noſtræ humilitatis ſervitutem digneris, ut divinis cultibus, ſacriſque miniſteriis apta exiſtant, hiſque in confectione corporis & ſanguinis Ihu Xpi Filii tui Dni nri dignis tibi pareat famulatibus. Qui tecum vivit.

Digitized by Google

Præfatio Euchariſtialis, id eſt vaſculi, in quo Euchariſtia reconditur.

Oremus dilectiſſimi fratres, ut Deus omnipotens hoc vaſculum corporis Filii ſui Dni nri Ihu Xpi gerulum ſuæ benedictionis tutamine ſuique Filii Domini noſtri munere, ac ſancti Spiritus virtute implere dignetur.

Sequitur benedictio.

Oremus. Omnipotens Deus Trinitas inſeparabilis, manibus noſtris opem tuæ benedictionis infunde, ut per noſtram benedictionem hoc vaſculum ſanctificetur, & corporis Chriſti novum ſepulchrum ſancti Spiritus gratia perficiat. Per.

Præfatio ad Patenam conſecrandam.

Oremus fratres kmi ut divinæ gratiæ benedictio conſecret & ſanctificet hanc patenam ad conficiendum in ea corpus Dni nri Ihu Xpi patientis crucem pro ſalute omnium noſtrum. Qui cum Patre.

Alia. Conſecramus & ſanctificamus hanc patenam ad conficiendum in ea corpus Dni nri Ihu Xpi patientis crucem pro ſalute omnium noſtrum. Qui cum Patr. *Inde faciat ſignum crucis de chriſmate ſancto ſuper patenam & dicat.* Conſecrare & ſanctificare digneris Domine patenam hanc per iſtam ſanctam benedictionem in Xpo Ihu Dno nro, Qui vivit & regnat.

Præfatio Calicis.

Oremus dilectiſſimi fratres, ut Deus & Dominus noſter hunc calicem in uſum miniſterii ſui conſecrandum cœleſti gratiæ inſpiratione ſanctificet & ei ad humanam benedictionem plenitudinem divini favoris accommodet.

Sequitur benedictio.

Dignare Domine calicem iſtum in uſum miniſterii tui pia famuli tui devotiotione formatum ea ſanctificatione perfundere, qua Melchiſedech famuli tui ſacratum calicem perfudiſti, & quod arte vel metalli officio non poteſt altaribus tuis eſſe dignum tua fiat benedictioue pretioſum, atque ſanctificatum Per. *Et faciat crucem de chriſmate, ſuper ipſum calicem.* Omnipotens &c. (1)

Benedictio Crucis. *Ex utroque.*

Primitus fiat benedictio ſalis & aquæ. Deinde ſequatur benedictio crucis. Benedic Dne &c. *Alia.* Rogamus &c. Per omnia ſæcula ſæculorum. Dnus vobiscum. Et cum ſpiritu tuo. VD. æterne Deus. Cuius ſanctum &c.

Alia. Ex Mſc. Th. 277.

Rogamus te Domine ſuppliciter invocantes ut ſignum iſtud ſanctæ Crucis ſit ſalus credentibus in te per paſſionem crucis tuæ, & per ſignum ſanctitatis tuæ, ſignum ſit Dei vivi, ſignum ſalutis ſignum beatæ Trinitatis, ſignum cœleſtis gloriæ, ſignum Salvatoris Ieſu Chriſti Dni noſtri. Hæc eſt crux Salvatoris Chriſti, crux patriarcharum, crux prophetarum, crux apoſtolorum ſanctorum, crux martyrum Chriſti, crux Eccleſiæ Dei, crux omnium credentium in ſanctam & perfectam Trinitatem. Per.

Alia. Te Domine quæſumus, qui das animabus ſalutem per ſignum crucis tuæ, ut in locis ac domibus, ubi crux iſta fixa (2) maneat fugentur dæmones, & immundi ſpiritus, ac peſtifer pellatur inimicus, morbisque careant, & immunditiis, ac omnes adverſæ poteſtates, cognitione tua, ſint procul depulſæ, & virtute tuæ benedictionis ſit benedicta hæc crux & ſanctificata, & mundata dignanter, ut in quocunque loco maneat, in tuo nomine omnes terrores meridiani & nocturni, & omnes terrores livoresque ſerpentis excludantur, abſcedantque inſidiæ latentis inimici, & fantaſmata pereant. Per. *Alia.* Deus qui beatæ crucis &c.

Alia. Sanctifica Dne &c. *Hic aſpergat eam aqua ſancta, addens odorem incenſi dicens* Sanctificetur &c *Benedictio crucis metallizatæ.* Deus gloriæ excelſæ ſabaoth &c. (3)

Bene-

(1) Ab antiquiſſimo orientalis & occidentalis Eccleſiæ uſu figendi crucem in locis ſacris ſeu eccleſiis nomen *tituli* eſt, indeque ipſæ eccleſiæ *tituli* ſunt dicti.

(2) *Alia.* Deus qui Moyſi famulo tuo in Oreb monte ſervanda populo tuo præcepta diſponens, templum ſanctum tuum, qualiter ædificet, inſtituſti, ſacra quoque vaſa, quæ inferri altari tuo deberent inſtar vaſorum cœleſtium fieri docuiſti, præcamur, ut hunc calicem, in quo celebraturi ſumus ſacroſancta myſteria emiſſione ſancti Spiritus tui cœleſti benedictione ſanctifices, gratumque & acceptabilem habeas, atque benedicas, ut digne vaſculis tuis ſocietas, & acceptabilem tibi deferat famulatum, & digne tuis myſteriis conſecretur. Per Dom. n. in un. eiusdem.

(3) Eadem oratio & in veteri ordine *Romano*, & in novo Pontificali *Romano* legitur. Vid. poſt MARTENIUM P. *Ioſ.* CATALANUS comment. in Pontif. *Rom.* T. II, p. 274. ſeq. Et quæ idem in Rit. R. T. II. diſſerit contra eos, qui cruces & alias imagines ſacras non præmiſſa benedictione in altaribus collocant, non ſine eccleſiaſticæ diſciplinæ detrimento, cui reſtaurandæ multum allaboravit S. CAROLUS *Borrom.* ut oſtendit.

Digitized by Google

Benedictio Thuribuli.

Domine Deus, qui dum filios Iſrael ob rebellem ſui contumaciam durum vaſtaret incendium Aaron ſacerdotem tuum inter vivos ac mortuos orando ſtantem tibique incenſum offerentem exaudire dignatus es, populumque de incendio liberare, benedic hoc quæſumus thuribulum, & præſta, ut quotiens tibi in eo offerimus incenſum, nos ipſos Chriſto tuo efficias boni odoris acceptabile templum. Qui cum Deo.

Alia ex Cod. Vind. Th. 277. ſæc. XII. vel XIII.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui in deſerto profanæ multitudinis murmurationem, flamma multante, cum Aaron ſacerdos tuus repleto de altaris igne thuribulo tuæ maieſtati pro illius liberatione humiliter ſupplicaret incenſo placatus, precibusque eius clementer annuiſti, benedic hoc quæſumus thuribulum tua maieſtate, & præſta, ut quod in eo tibi offertur incenſum, ſit fuga dæmonum, repulſio fantaſmatum, inmundarum abſceſſio cogitationum, ſitque in illius odore noſtra tibi oratio ſemper accepta. Per.

Benedictio Incenſi vel Thimiamatis.

Ex Cod. Biblioth. Cæſar. Theol. 359.

Deus omnipotens Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, immitte in hanc creaturam incenſi, vel thimiamatis, vim odoris tui, atque virtutem, ut ſit ſervis vel ancillis tuis munimentum, tutelaque defenſionis, ne intret hoſtis in viſcera eorum, nec habitum ibi vel ſedem poſſit habere. Per. (1)

Alia Oratio. Deus qui Moyſi famulo tuo per Spiritum ſanctum revelare dignatus es, quæ ad cultum ſanctuarii neceſſaria decreviſti, ex quibus thimiama boni odoris ad opus Eccleſiæ tuæ ob cauſam religionis iugiter permanere iuſſiſti, ut myſtice nobis ſignificationem ſpiritualium virtutum fragrans oſtenderet odorem ſuavitatis, tua quæſumus omnipotens Deus inmenſæ maieſtatis dextera hanc creaturam benedicere ex diverſarum rerum commixtione confectam dignare, ut virtute ſancti nominis tui omnesque inmundorum ſpirituum fantaſmaticos incurſus effugare, omnesque morbos reddita ſanitate expellere, ubicumque fumus aromatum eius afflaverit, mirabiliter poſſit, atque in odorem fragrantiſſimum tibi Domino perpetua redoleat ſuavitate. Per Dnm . . . in unitate eiusdem.

Præfatio in conſecratione Ca[illegible]ſarum (pro reliquiis.)

Oremus dilectiſſimi &c. *Conſecratio in modum Præfationis.* Deus inæſtimabilis &c. *Alia.* Dne. Deus omnipotens qui mur. &c. *Alia oratio* Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qu per unigenitum Filium tuum beatum Paulum apoſtolum vas electionis appellari voluiſti, & ipſo evangelizante ac dicente fidelibus vos eſtis templum Dei vivi, & Spiritus Dei habitat in vobis, omnibus Dni nri Ihu Xpi membris eandem ſpem conceſſiſti, te humiliter imploramus, ut hanc capſam capiendis ſanctorum tuorum membris vel exuvils vel pignoribus artificioſe compactam & ornatam, rorem divinæ ſanctificationis infundas, & non ſolum ad illorum præſentiam venientes & ibidem ſuppliciter exorantes exaudias, ſed & quippiam de memoriis eorum pro benedictione reportantes, aut fideliter accipientes immenſæ pietatis tuæ gratia conſolari, refovere, tutari ac remunerare digneris. Per.

Item unde ſupra in tranſcurſu.

Quæſumus omnipotens Deus indefectivam clementiam tuam, ut hoc inſtrumentum ſanctorum tuorum reliquiis honorificum, dextera maieſtatis tuæ dignanter extenſa miſericors & placidus benedicas; ut quicunque illorum patrocinia vel comminus exſpectantes, vel eminus recolentes pietati tuæ fideli devotione de quacunque neceſſitate ſupplicaverint, optata citius conſolatione ac iuvamine potiantur. Per.

Præfatio Ciborii id eſt Umbraculi altaris.

Oremus fratres dilectiſſimi Deum rectorem, ac gubernatorem omnium ſæculorum, ut in memor omnium delictorum & facinorum iuventutis & ignorantiæ, ſive prævaricationis meæ iſtud inſtrumentum ad honorificentiam nominis tui compactum placidus ac miſericors illuſtratione vultus ſui benedicere & ſanctificare dignetur.

Conſecratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui Moyſi famulo

(1) *Alia ex Cod. Theol. 277.* Domine Deus omnipotens, cui aſtat exercitus angelorum; dignare reſpicere, & benedicere hanc creaturam incenſi, ut omnis languor dæmonumque inſidiæ odorem ipſius ſentientes fugiant, & ſeparentur a plaſmate tuo, quod tibi Filii tui pretioſo ſanguine redemiſti, ut nunquam lædantur a morſu ſerpentis antiqui. Per eund.

mulo tuo præcepiſti, ut duos Cherubim ſuper arcam teſtamenti collocaret, quam extenſis ad alterutrum alis protegerent, verſis vultibus in propitiatorium, quæſumus ineffabilem clementiam tuam, ut hoc tegimen venerandi altaris tui in quo ipſa unigenitus Filius tuus Dns nr Ihs Xps, qui eſt propitiatio pro peccatis noſtris fidelium manibus immolatur, & ſub quo Sanctorum tuorum corpora quæ veraciter fuerunt archa teſtamenti tui receptacula videlicet Spiritus ſancti per eundem conſubſtantialem tibi Filium, qui factus eſt nobis a te ſanctificatio & redemptio in virtute eiusdem Spiritus veritatis univerſa antiqui hoſtis falſitate cum ſatellitibus ſuis depulſa, cum omnibus ornamentis ad ipſum umbraculum pertinentibus, vel ab illo dependentibus aut eidem ſuppoſitis, tua ſancta benedictione perfundere & conſecrare, atque ad tuitionem pignorum ſanctorum, ac roboranda ſive multiplicanda vota fidelium tuorum diutino tempore conſervare digneris, annuente eodem Dno nro Ihu Xpo Filio eius. Qui tecum vivit & regnat Deus in unitate eiusdem Spiritus ſancti per infinita ſæcula ſæculorum.

Item conſecratio minoris itinerarii Ciborii. (1) *Ex Cod. Th.* 277.

Oremus dilectiſſimi indulgentiam omnipotentis Dei, ut poſtpoſitis humanæ fragilitatis admiſſis, conſuetæ miſericordiæ tuæ munere hoc repoſitorium ſacris uſibus præparatum per unigenitum Verbum, virtutem ſcilicet & ſapientiam ſuam in Spiritu ſanctificationis conſecrare dignetur. Per eundem. in unit. eius.

Conſecratto Cymiterii. *Ex Cod. Vind. Th. 277. ſæc. XII. vel XIII.*

Canantur VII. pſalmi, & illuminentur IIII. candelæ. (2)

Deus qui es totius orbis conditor &c. *Alia.* Omnipotens ſempiterne Deus trina maieſtas, & una Deitas, Pater & Filius, nec non Spiritus ſanctus, iuſtitiæ auctor, veniæ largitor, bonorum dator, ſanctitatis origo, cariſmatum diſtributor, omniumque venientium pius receptor, præſta propitius, ut hoc cymiterium in honore nominis tui

(1) Vocatur hic ciborium, quod mox in oratione repoſitorium appellatur: voce parum differente, &, ut exiſtimo, notione eadem, qua in antiquo ordine *Romano* apud MABILLONIUM conditorium vocatur, locus ſeu vaſculum, in quo Euchariſtia recondi ſolebat, ut MABILLONIUS adnotavit. Unde recte a ciborio, id eſt umbraculo altaris diſtinguitur, cuius hic conſecratio præmittitur, quod nempe pompæ & ornatus cauſa ſuper altare expandi ſolebat, ut P. I. Diſquiſ. III. c. 1. n. 9. oſtendimus. Ex his maioribus ciboriis pendebant, quæ hodierno uſu ciboria vocantur, in quibus Euchariſtia ipſa, vel eius vaſculum ſeu pixis aſſervatur, quæ olim periſteria dicebantur, ut l. c. meminimus ex teſtamento etiam PERPETUI epiſcopi *Turonenſis*, qui inter alia legavit *Amalario presbytero capſulam unam communem de ſerico, item periſterium, & columbam argenteam ad repoſitorium.* Euchariſtiæ ſc. vel etiam reliquiarum, ut l. c. oſtendimus, eſtque generalis enunciatio in oratione conſecratoria minoris itinerarii ciborii, dum vocatur *hoc repoſitorium ſacris uſibus præparatum.*

(2) Nihil hic de præmittenda aqua benedicta quam pontificale EGBERTI *Eboracenſis*, ut alia pleraque omnia præſcribit: *Primitus cum aqua benedicta epiſcopus cum Clericis ſuis circumdare debeat omne cœmiterium cum pſalmo* Miſerere mei Deus, *& antiphona* Aſperges me &c. Sic CALLISTUS II. P. M. ad *Matiſconenſem* & *Cabillonenſem* epiſcopos de conſecratione altarium & cœmeterii *Trenortienſis* monaſterii ſcribit: *Altaria conſecravimus, cimiterium benediximus, ibique aquam benedictam fundentes, terminos circumquaque poni præcepimus.* In pontificali CHRISTIANI archiepiſcopi *Moguntini* ſæc. XIII. præſcribitur benedictio *ſalis & aquæ, cineris & vini ſicut in conſecratione eccleſiæ.* Breviſſima eſt apud *Ioſ.* CATALANUM in Pont. *Rom.* T. II. p. 222. ex Mſc. pontificali eccleſiæ *Barenſis*, quod aſſervatur *Romæ* in bibliotheca angelica Ord. FF. Eremitarum, *benedictio poliandri, ſeu cimiterii*, ut etiam mox inſcribitur apud eundem ibidem Ordo II. ex mſc. pontificali *Guilielmi* DURANDI, qui in Vaticana bibl. extat n. 4744. ac ſic incipit: *Quamquam plerique aſſerant, cimiterii benedictionem neceſſariam non eſſe, dicentes ad hoc ſufficere circuitus extra eccleſiam, & cimiterii aſperſiones, quæ fiunt quando eccleſia dedicatur.* Quæ quidem aſſertio veteribus monumentis liturgicis adverſatur uſuique recentiori, & antiquo: quem legimus iam ſæculo VI. ita inveteratum religioſeque obſervatum, ut abbatiſſam monaſterii anxiam reddiderit ac perplexam cum de corpore B. RADEGUNDIS *Francorum* reginæ ageretur: *Quid faciemus* (alloquitur S. GREGORIUM *Turon.* ipſo teſte in libro de Gloria Confeſſ. c. 106.) *ſi epiſcopus urbis non advenerit? quia locus ille, in quo ſepeliri debet, non eſt ſacerdotali benedictione ſacratus.*

Digitized by Google

tui compoſitum benedicere & ſanctificare concedas, qui Habrahæ beato patriarchæ famulo tuo terram a filiis Ebron comparatam cauſa ſepulturæ benedixiſti, & qui populo Iſrahelitico promiſſionis tellurem in ævo durantem conceſſiſti, famulorum famularumque tuarum corporibus in hoc cymiterium intrantibus quietis ſedem ab omni incurſione malorum ſpirituum tutelam benignus largitor tribuas, ut poſt animarum corporumque reſurrectionem coadunatam te donante atque concedente beatitudinem ſempiternam percipere mereantur. *Alia.* Domine Deus paſtor æterne &c.

Benedictio Sepulchri & Loculi.

Rogamus te Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, ut digneris benedicere & ſanctificare hoc ſepulchrum & loculum in eo collocatum, ut ſit remedium ſalutare in eo quieſcenti, & redemtio animæ eius, atque tutela & munimen contra ſæva iacula inimici. Per.

Alia. Sanctificetur iſtud habitaculum Domine Deus per noſtram ſupplicationem, & fugetur ab eo inmundus ſpiritus per virtutem Dni nri Ihu Xpi, placidaque ſit requies corporum in eo poſtmodum quieſcentium, te protegente, ac conſervante maieſtate tua Ihu Xpe. Qui cum.

Alia. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & nihil de noſtra conſcientia præſumentibus ineffabili miſeratione tua nobis ſucurre, ut quod non habet noſtrorum fiducia meritorum, tuorum conferat largitas invicta donorum. Per.

Benedictio Tabulæ itinerariæ. (1)

Ex utroque Theol. 359. *&* 277.

Quæſumus omnipotens Deus indefectivam clementiam &c. (2)

Alia. Deum omnipotentem, fratres dilectiſſimi, votis exultantibus deprecemur, ut qui per omnem mundum fidem ſpargit, & eccleſiam congregavit, qui es lapis exciſus de monte ſine manibus angularem compagem ſolidavit, hanc petram ſerenus illuſtret, eamque æterno lumine irrigatam ita multiplicibus ac diverſis cariſmatibus locupletet, ut ſuper illam adminiſtrandam corporis ſui hoſtiam benedicat, & ſuſcipiat conſecratam. Qui cum.

Conſecratio.

Exaudi nos Deus noſter, & precum noſtrarum libenter accipe vota, & hoc altare ad celebranda divina myſteria præparatum odore unguenti cœleſtis aſperge, & aromata illi divinæ ſanctificationis infunde, & ſicut lapidem Iacob patriarchæ erectum unguenti perfuſione dedicaſti, & angelicis viſionibus per ſcalam gradus eccleſiæ figuraſti, ſic ſuper hunc quoque lapidem altari coaptandum cœleſtis gratiam benedictionis inmitte, ut dum tibi ſuper eum ſacri corporis, & ſanguinis Unigeniti tui myſteria conſecrantur, petentibus peccata deleantur, merentibus influat gratia ſempiterna. Per. *Et accipiens tabulam aſpergat eam aqua benedicta, addens odorem incenſi, & confirmet eam cum chriſmate ita dic.* In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo.

Ordo in dedicat. Baptiſterii. (3)

Ex Cod. Vind. Th. 277.

Omnipotens ſempiterne Deus fons &c.

Conſecratio Fontis.

Omnipotens ſempiterne Deus, hoc baptiſterium cœleſti viſitatione dedicatum Spiritus ſancti illuſtratione ſanctifica, ut quoscunque fons iſte loturus eſt trina ablutione purgati indulgentiam omnium delictorum tuo munere conſequantur. P.

Alia. Multiplica Domine benedictionem tuam, & Spiritus tui munere fidem noſtram corrobora, ut qui in hæc fluenta deſcenderunt, in libro vitæ aſcribi mereantur in regno tibi Deo Patri in reſurrectione tradendos. Per.

Ordo in Dedicatione Baptiſterii.

Ex Cod. Mſc. Bibl. Cæſar. Vindob. ſæc. X. vel XI. N. 359. *olim* 351.

Primitus fiat aqua benedicta cum latania deinde dicatur oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus fons omnium virtutum & plenitudo gratiarum dignare hoc faſculum ſacro baptiſmati præparatum Maieſtatis tuæ præſentia conſecrare; ut qui ubique totus es, etiam hic adeſſe te noſtris precibus ſentiamus. Per. *Alia.* Propitiare Domine familiæ tuæ. & benignus humilitatis noſtræ vota ſanctifica, & omnes in hoc fonte regenerandos. univerſali adoptione cuſtodi. Per. *Tunc*

---

(1) Ven. BEDA vocat *tabulam altaris vice dedicatam* in Hiſt. *Angl.* lib. V. c. 11. de duobus EWALDIS loquens, qui in itinere conſtituti ſacrificium Deo victimæ Salvatoris offerebant quotidie.

(2) Oratio hæc in eodem cod. poſt alia poſita inſcribitur *præfatio tabulæ itinerariæ* cætera reſpondent.

(3) *Primitus fiat aqua benedicta cum letania.* Deinde dicatur oratio O. ſ. D. fons &c. Sequitur alia quæ cum proxima poſtea inſcribitur *Conſecratio fontis* O. ſ. D. hoc bapt. &c. *alia* Multiplica &c. *alia* Propitiare &c.

Digitized by Google

Tunc aſpergat ipſum Baptiſterium aqua benedicta, addens odorem incenſi. Deinde redeat Pontifex ad oſtium Eccleſiæ. ubi latania vel laudes circa feretrum celebrantur, & dicat præ foribus hanc orationem ſignificans oſtium & Eccleſiam.

Deus qui ſacrandorum tibi auctor es munerum, effunde ſuper hanc orationis domum benedictionem tuam, ut ab omnibus hic invocantibus nomen tuum, defenſionis tuæ auxilium ſentiat. Per.

Et tunc portantes feretrum magno bonore cum reliquiis ſimul & crucibus & luminaribus circumeant Eccleſiam ſequente clero has antibponas vel reſponſoria pſallendo, & populo cum mulieribus & parvulis Kirieeleiſon decant.

A. Surgite ſancti de manſionibus veſtris loca ſanctificate plebem benedicite & nos homines peccatores in pace cuſtodite. a e v i a.

A. Ambulate ſancti Dei ad locum deſtinatum qui vobis præparatus eſt ab origine mundi.

A. Plateæ Hieruſalem gaudebunt & omnes vici eius canticum lætitiæ dicunt.

℟. Sancti tui Domine mirabile conſecuti ſunt iter ſervientes præceptis tuis ut invenirentur inleſi in aquis validis terra apparuit arida & in mari rubro viam ſine impedimento.

℣. Quoniam percuſſit petram & fluxerunt aquæ & torrentes inundaverunt.

℟. Tradiderunt corpora ſua propter Deum ad ſupplicia & meruerunt habere coronas perpetuas.

℣. Iſti ſunt qui venerunt ex magna tribulatione & laverunt ſtolas ſuas in ſanguine agni. Et meruerunt.

℟. Sancti mei qui in iſto ſæculo certamen habuiſtis mercedem laborum ego reddam vobis.

℣. Venite benedicti Patris mei percipite regnum. Mercedem.

℟. Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis.

℣. Iuſti epulentur & exultent in conſpectu Dei & delectentur in lætitia.

℟. Fulgebunt iuſti ſicut lilium & ſicut roſæ in Hiericho florebunt ante Dominum.

℣. Iuſti autem in perpetuo vivent, & apud Dominum eſt merces eorum. Et ſicut.

His ita per ordinem geſtis, cum redierit iterum ad oſtium Eccleſiæ facto ſilentio habeat pontifex verbum ad plebem de bonore Eccleſiaſtico, & de decimis, vel oblationibus Eccleſiarum, ac de anniverſaria ipſius Eccleſiæ dedicatione. Ipſe autem Dominus & conſtructor ipſius Eccleſiæ admoneatur de dote illius, & qualem bonorem vel curam Eccleſiæ & presbytero exbibere debeat. Illo autem profitente in omnibus ita ſe agere velle Pontifex bæc confirmari a Dno poſtulans, antequam intret Eccleſiam dicat banc orationem. (1)

Domum tuam quæſumus Domine clementer ingredere, & in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi conſtrue manſionem, & præſta ut domus hæc quæ tua ſubſiſtit dedicatione ſolemnis, tua fiat habitatione ſublimis. Per.

Tunc accipiat Pontifex feretrum cum presbyteris & ingrediendo ſcola antiph. cant.

Ingredimini benedicti Dei parata eſt vobis a Domino habitatio ſedis veſtræ ſed & populus fidelis cum gaudio inſequitur iter noſtrum ut oretis pro nobis Maieſtatem Domini. *Cum Reſponſ.* Sancti Dei dedit vobis.

A. Benedicta gloria Domini de loco ſuo aevia. *cum verſ.* Cantate Domino canticum novum, laus eius in Eccleſia ſanctorum. *Et cum intraverint extenſo velo inter populum & altare. Pontifex recondat reliquias in altari & presbyteri qui cum eo ſunt cantent antiph.*

A. Exultabunt ſancti in gloria lætabuntur in cubilibus ſuis. *Cum pſalmo.* Cantate Domino canticum novum, laus eius in Eccleſia ſanctorum.

Et antequam recludantur reliquiæ dicat banc orationem.

Deus qui omni loco Dominationis tuæ clemens ac benignus dedicator aſſiſtis. Exaudi nos quæſumus & concede ut inviolabilis huius loci permaneat conſecratio, & beneficia tui muneris univerſitas ſanctæ Eccleſiæ quæ ſupplicat mereatur. Per.

Hac

(1) De antiquiſſimo uſu conſecrandi baptiſteria *Sidonii* APOLLINARIS habetur teſtimonium lib. IV. ep. 15. ad ELAPHIUM: *Nam*, ſcribit, *baptiſterium, quod olim fabricabamini, ſcribitis iam poſſe conſecrari.* Altaria vero olim, quando recens baptizati ſtatim etiam communionem corporis & ſanguinis Domini ſumebant iuncta fuiſſe ex S. PAULINI carmine in Nat. X. ubi baptiſterium deſcribit, diſcimus: Dum gemina antiſtes gerit illic munera Chriſti. In geminos aditum venerabile conſecrat uſus. Caſtifico ſocians pia ſacramenta lavacro. Eiusmodi eſt baptiſterium *Piſanum*, quod MABILLONIUS deſcribit in itinere *Ital.* Eodemque pertinent oratoria, quæ ANASTASIUS biblioth. a nonnullis pontificibus in baptiſteriis feciſſe narrat.

Digitized by Google

Hac expleta ponat chriſma in confeſſionem per angulos quatuor in crucem dicendo. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo.

Deinde ponat tres portiones (1) *corporis Dni in confeſſionem, & tres de incenſo, & tunc recludantur reliquiæ in confeſſione & dum recludantur canunt antiph.* Sub altare Domini ſedes accepiſtis intercedite pro nobis ad Dominum qui vos elegit. *Cum pſalmo.* Exultabunt ſancti in gloria lætabuntur in cubilibus ſuis.

Oratio ad dedicandum Altare poſt impoſitas reliquias.

Deus qui Altaria nomini tuo dicanda ſanctificas, præſta quæſumus ut quod noſtra fragilitas non meretur interceſſione beati N. huc Spiritus tui plenitudo deſcendat, qui & munera noſtra ſanctificet, & indulgentiam nobis tuæ pietatis obtineat. Per.

Et accipiens tabulam de ſubtus confirmet eam cum chriſmate in crucem ita dicens. In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Pax tecum. Et cum ſpiritu tuo. *Tunc imponat tabulam ſuper reliquias & det orationem hanc.* Deus qui ex omni coaptatione ſanctorum æternum Maieſtati tuæ condis habitaculum, da ædificationi tuæ incrementa cæleſtia & præſta, ut quorum hic reliquias pio amore complectimur eorum ſemper meritis adiuvemur. Per.

Tunc lineat eam cum calce qua ante fuerat præparata, & poſtquam linita fuerit faciat crucem deſuper cum chriſmate dicendo. In nomine. *Et mittat chriſma per quatuor cornua altaris ipſa ſupraſcripta ubi dicendo & crucem faciendo cant. A.* Corpora ſanctorum in pace ſepulta ſunt & vivent nomina eorum in æternum. *Adiung.* Gloria Patri. *Tunc diaconi veſtiant altare & ſcola dic. antiph.* Circumdate Syon levitæ altare Domini veſtite veſtimentis albis eſtote & vos canentes ymnum novum dicentes benedictus Deus. ℣. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Et gloria Patri. *Alia A.* In Velamento clamabunt ſancti tui Domine ævia ævia ævia. *Poſteaque offerat incenſum, verſusque dicatur.* Omnis terra adoret te Deus & pſallat. *Preces.*

Fundata eſt domus Domini ſuper verticem montium. Bene fundata eſt ſuper omnes colles.
Dominus in templo ſancto ſuo. Dominus in cælo ſedes eius.
Domus mea dicit Dominus. Domus orationis vocabitur.
Exultabunt Sancti in gloria. Lætabuntur in cubilibus ſuis.
Exultent Iuſti in conſpectu Dei. Et delectentur in lætitia.
Pretioſa eſt in conſpectu Domini. Mors Sanctorum eius.
Exurge Domine adiuva nos. Et libera nos propter nomen tuum.
Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus. Dns vobiscum. Et cum Sp. t.

Et dicat pontifex orationem hanc.

Deſcendat quæſumus Domine Deus noſter Spiritus tuus ſanctus ſuper hoc altare, qui & populi tui dona ſanctificet, & ſummentium corda purificet. Per.

Alia. Omnipotens ſempiterne Deus altare hoc nomini tuo dicatum, cæleſtis virtutis benedictione ſanctifica, & omnibus in te ſperantibus auxilii tui munus oſtende, ut hic ſacramentorum virtus & votorum obtineatur effectus. Per.

Deinde revertatur pontifex in ſacrarium donec ornetur eccleſia, & accendantur luminaria, & incipiat cantor antiphonam ad Introitum. Terribilis eſt locus iſte. *Et procedat pontifex cum ordinibus ſuis ſicut conſuetudo eſt in feſtivitatibus, & celebretur ſolemniter miſſa ſicut ſacramentorum libro continetur cum* Gloria in excelſis Deo. *& poſtea per totam ebdomadam fiant miſſæ publicæ* (2) *in ipſa eccleſia uſque ad dies octo completos.*

Ordo ad benedicendum Eccleſiæ ſignum.
Ex Cod. Mſc. Bibl. Cæſar. Vindob. ſæc. X. vel XI. N. 359. olim 351.

Imprimis dicitur letania poſtea VI. pſalmi veniales, Miſerere mei Deus ſecundum. Deus in nomine tuo. Miſerere mei Deus miſerere mei. Deus miſereatur noſtri. Deus in adiutorium meum intende. Inclina Domine aurem tuam. Se-

(1) Paſſim hoc in libris ritualibus legere eſt de tribus portionibus corporis Chriſti ponendis in altari dedicando. Quod quidem DURANDUS in Ration. div. offic. c. 7. n. 23. faciendum vult cum corpore Domini, quando reliquiæ nullæ ſunt præſto, uti etiam habet Pontificale DURANDI: *Deficientibus reliquiis ponat corpus Chriſti.*

(2) Hæc rubrica in ſacramentario *Gregoriano* paſſimque in ordin. dedicationis eccl. legitur ritu antiquiſſimo, quem in dedicatione baſilicæ *Hieroſolymitanæ* ſervatum, EUSEB. lib. IV. de vita CONSTANTINI teſtatur, commemoratque SIDONIUS APOLLINARIS *feſta hebdomalia* in dedicatione *Lugdunenſis* eccleſiæ lib. IX. epiſt. 3. ad FAUSTUM epiſc.

Digitized by Google

Sequitur exorciſmus Salis.

Exorcizo te creatura ſalis per Deum vivum, per Deum ſanctum, per Dominum totius creaturæ, qui divina voce oris ſui locutus eſt, ad diſcipulos ſuos dicens, Vos eſtis ſal terræ. & qui per apoſtolum ſuum Paulum dignatus eſt dicere, ſit ſermo veſter ſapientiæ ſale conditus, ut efficiaris ſal exorcizatum, ad evacuandum & expellendum ab hoc eccleſiæ ſigno inimicum, omnemque virtutem putredinis eius & omnes qui ex te ſumpſerint, ſint ſanctificati animis, atque corporibus & ubicunque fueris aſperſum, præſtes omnibus remiſſionem peccatorum, ſanitatem mentis, protectionem ſalutis. In nomine Domini noſtri Ihu Xpi qui venturus eſt.

Benedictio Salis.

Virtutis tuæ fortitudinem deprecantes, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui inter omnia neceſſaria quæ per Ihm Xpm Dominum noſtrum procreari iuſſiſti. Non minimam gratiam conferre dignatus es ſali, ut ex illo poſſint univerſa condiri, quæ hominibus ad eſcam per eumdem Filium tuum Dominum noſtrum procreaſti. Te ſupplices exoramus, ut hoc ſal digneris aſpicere, quatenus ex Maieſtatis tuæ virtute contra omnes ſpiritus immundos vigorem poſſit accipere. Expellat ab hoc Eccleſiæ ſigno, & ab omni loco ubi fuerit tua invocatione aſperſum, quidquid poteſt eſſe peſtiferum, & exhibeat plenum ſalutis effectum, deterreat omnia præſtigia vel portenta inimici & omnium monſtrorum genera, longius faciat effugari. Gravedines omnes, phantaſiaſque compeſcat, & per ſignum crucis Filii tui Domini noſtri Ihu Xpi tutelam fideliſſimam deſiderantibus præſtet. Per eumdem.

Exorciſmus Aquæ.

Diſcede immunde ſpiritus ab omnibus, quibus fides noſtræ uſura eſt religionis officii ſacramentis. Nec prætendas culpam criminis, qui agnoſcis potentiam ſalvatoris. Non eſt meriti confidentia ſed præcepti, licet ipſa poteſtas myſterii... Te igitur per communem Dominum aquæ creatura convenio, ut conſervare motum ſenſibilitatis intelligens, ſubiici ſervicio quo placare Deum nitimur non recuſes, omnem a te dæmonum communionem, omne collegium iniquitatis expurges, totam phantaſmatis labem, capax dominicæ protectionis extermines, ut gratia ſanctificationis adepta, tuo noſtroque pariter creatori deſerviens, omnem ſpirituum pravorum nequitiam ab hoc Eccleſiæ deiicias, & in quocunque loco fueris aſperſa, ſanctæ copiam benedictionis inducas. Præſtante ipſo Domino redemptore noſtro Ihu Xpo, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum amen.

Benedictio Aquæ.

Benedic Domine hanc aquam benedictione cœleſti, & aſſiſtat ſuper eam &c. *ut in pontificali de benedictione campanæ.*

Hic mittatur ſal in aquam.

Fiat hæc commixtio & conſecratio ſalis & aquæ in nomine Patris & Filii & Spiritus S.

Oratio poſt commixtionem.

Omnipotens æterne Deus, qui nobis a te conditam creaturam aquæ vividæ diſtinxiſti, ut liquorem ſimplicem ad lavacrum, ſalſam ſoliditatem præberes ad condimentum, quatenus & ſordida poſſent ablui, & fatua imbui, quo & noxia tollerentur & originalis corrigeretur error ad viam ſalutis. Te officii noſtri functionem immeriti deprecemur, ut hæc ſalis & aquæ in tuo nomine facta permixtio, clementiæ tuæ dono ſanctificetur, ad purificandum hoc eccleſiæ ſignum, quodque miniſterialiter baptiſmo commodum, culpæ inimicum ſapientiæ aptum, errori præſtas adverſum, ſancti Spiritus tui ſanctificatione reddas ſanctificatum, nec ullo contagio reddatur inmundum, quod tua fieri credimus maieſtate beatum, ſed ita per te plenum præbeat ſanctificationis effectum, ut ubicunque invocato tuo nomine manu fuerit emiſſum, vel modo quolibet aſſumtum expulſis & exploſis omnibus inſidiis contrariæ poteſtatis non ſolum diabolica machinamenta ex eodem loco fugata deficiant, ſed etiam ſanctorum angelorum cuſtodia ſemper inibi manſura conſiſtat, te præſtante omnipotente Deo, qui cum Filio tuo & Spiritu ſancto regnas in ſæcula ſæculorum, amen.

Poſt hæc cantantur pſalmi iſti: Lauda anima mea Dominum. Laudate Dominum quoniam bonus. Lauda Hieruſalem Dominum. Laudate Dominum de cœlis. Cantate Domino canticum. Laudate Dominum in ſanctis eius. *Qui dum cantantur lavet pontifex ſignum de aqua benedicta & ſale benedicto cum oleo ſancto cruces in eo faciendo & dicat hanc orationem:* Deus qui per beatum Moyſen legiferum tubas argenteas fieri præcepiſti &c. *ut in pontificali uſque ad illa verba:* Ante ſanctæ crucis in eo depictum vexillum. *ubi hæc oratio finitur, omiſſis illis, quæ in pontificali adduntur.* cui flectitur omne genu &c.

Tunc extergat illud cum linteo mundo & cantatur antiphona: Vox Domini ſuper aquas Deus Maieſtatis intonuit. Dominus ſuper aquas multas.

Pſal.

Digitized by Google

Pſal. Vox Domini in virtute. *uſque ad finem pſalmi cum* Gloria.

Poſt hæc tangat illud cum chryſmate a foris ſepties, intus quater & dicat hanc orationem: Omnipotens ſempiterne Deus, qui ante arcam fœderis &c. *ut in pontificali.*

Tunc ponatur in incenſorio ignis & thimiama tus & mirra, & erigatur ſignum ſuper incenſorium, ut totum illum fumum colligat & dicatur antiphona: Deus in ſancto via tua, quis Deus magnus ſicut Deus noſter. Viderunt te aquæ Deus. *uſque ad finem pſalmi cum* Gloria.

Omnipotens Dominator Xpe, quo ſecundum aſſumtionem carnis dormiente in navi, dum oborta tempeſtas maria conturbaſſet. Te protinus excitato & imperante diſſiluit. Tu neceſſitatibus populi tui, benignus ſuccurre, tu hoc tintinnabulum ſancti Spiritus rore perfunde, ut ante ſonitum illius ſemper fugiat inimicus, invitetur ad fidem populus Xnus, hoſtilis terreatur exercitus, confortetur in Domino per eum populus evocatus, atque ſicut per Davidicam cytharam delectatus deſuper deſcendat Spiritus ſanctus, atque ut Samuele crinigero agnum mactante in holocauſto ſuo rex æterni imperii fragore aurarum turbam repulit adverſantem, ita dum huius vaſculi ſonitus tranſit per nubila eccleſiæ tuæ conventus conſoletur, manu ferventur angelica fruges, credentium mentes & corpora ſalvet protectio ſempiterna. Per te Salvator mundi.

Reconciliatio violatæ Eccleſiæ.

Ex Cod. Vindob. Theol. 277. ſæc. XII. vel XIII.

Primitus veniat epiſcopus ante ipſam eccleſiam cum clero & populo dicatque hanc orationem.

Omnipotens & miſericors Deus, qui ſacerdotibus &c. *Alia.* Aufer a nobis &c. *Tunc intret pontifex in eccleſiam cum clero & letaniis. His peractis dicit* Oremus. *Et diaconus:* Flectamus genua. *Poſt paululum* Levate. *Oratio:* Deus qui peccati veteris &c. *Et benedicat aquam & ſalem cum vino & cinere mixtam, & circumeat tribus vicibus intrinſecus eccleſiam ſpargendo & cantando antiph.* Aſperges me Domine. *Pſ.* Miſerere mei Deus. *lavando ac purificando loca contaminata & dicat hanc Præfationem.* Deum indultorem criminum &c. *Conſecratio:* Deus cuius bonitas &c. *Sequitur antiph.* Confirma hoc Deus. *Pſ.* Exurgat Deus & diſſip. *Et antequam recludantur reliquiæ dicit pontifex:* Oremus. *Et diaconus:* Flectamus genua. Levate. *Sequitur oratio:* Deus qui omni loco &c. *Tunc reliquiæ reponantur. Require cætera in dedicat eccleſiæ. Et cantent. Ant.* Confirma hoc Deus. *cum verſu* Narrabo nomen. *Et* Gloria Patri. *Sequitur* Deus qui eccleſiam tuam &c.

Benedictio Eccleſiæ novæ.

Ex Codice Vindobon. Theol. 277.

Deus qui ſuper myſticam petram apoſtolicæ dignitatis ædificatæ principaliter eccleſiæ tuæ portas inferni numquam prævalituras eſſe promiſiſti, cunctos ab eadem remove placatus errores, ut quod adverſus eam præſumtio falſitatis extollit, Spiritus veritatis evincat. Dirige quæſumus eam diſpenſatione cœleſti, ut quæ ante mundi principium in tua ſemper eſt præſentia præparata, usque ad plenitudinem gloriamque promiſſam te moderante permaneat, & in tuorum cordibus fidelium perpetuam tibi conſtrue manſionem, ut plebs hæc, quæ deiecto in terram vultu benedictionis tuæ poſtulat domum æternum a te percipiat præmium. Præſta quæſumus Domine, ut hæc baſilica, cuius hodie nunciamus incenia, quæ tua dedicatione ſubſiſtit ſolemnis, tua ſemper fiat habitatione præclara. Per.

Benedictio ſuper munus, quod quis Eccleſiæ offert honori. (1) *Ex eodem.*

Deus cuius verbo & potentia facta ſunt omnia, cuius dono percepimus, quæ ad vitæ remedium poſſidemus, te ſupplices obnixis precibus exoramus, ut de ſede maieſtatis tuæ huic oblationi fidelium ſanctificator accedas, ſuſcipe de manu famulorum tuorum munus oblatum, quod a tua clementia benedictum in uſum huius ſanctuarii maneat conſecratum. Sint hæc in conſpectu tuo libenter accepta, ſicut quondam Abel alumni tui, vel Melchiſedech munera tibi placuerunt oblata, & quia ad honorem tui amoris eccleſiam tuam ſummis nituntur decorare obſequiis, tu eis Domine magna pro parvis recompenſa, ut devotionem eorum accipiens, fide eos repleas, indulgentia foveas, miſericordia protegas, adverſa deſtruas, proſpera concedas, habeant in hoc ſæculo bonæ actionis documentum, caritatis ſtudium, ſancti amoris effectum, & in futuro cum ſanctis angelis adipiſcantur perpetuum regnum. Amen.

Maior

(1) Mendoſe hic titulus in ſacramentario *Gallicano* quod MABILLONIUS edidit T. I. *Muſ. Ital.* P. II. p. 389. ex Cod. monaſt. *Bobienſis*, ſic legitur: *Benedictio omni, quod in eccleſia offertur.*

Digitized by Google

Maior (1) benedictio Aquæ & Salis.
Ex Codice mſc. Theol. Bibl. Caſ. Vindob. ſac. X. vel XI. N. 359. *olim* 351.

Deus in adiutorium meum intende, *cum* Gloria. *A.* Hæc eſt generatio. *Pſ.* Domini eſt terra. Afferte Domino. Ipſum. *A.* Secundum magnam miſericordiam. *Pſ.* Miſerere mei Deus ſecundum. *Deinde letaniam.* Kyrieeleiſon. Xpeeleiſon. Xpe audi nos. Sca Maria ora pro nobis. *Deinde* Dominus vobiscum. & cum ſpiritu tuo.

Or. Deus cuius antiqua miracula etiam in omni ſæculo coruſcare ſentimus, dum quod uni populo perſecutione Ægypti ad liberandum dexteræ tuæ potentia contuliſti. Id in ſalutem gentium per aquæ regenerationem operaris, præſta ut in Habrahæ filios & in Hiſraheliticam dignitatem totius mundi tranſeat plenitudo. Per Dnm.

Lectio Epiſtola beati Pauli Apoſt. ad Corinthios.

Fratres nolumus autem vos ignorare, quoniam patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt, in nube, & in mari, & omnes eamdem eſcam ſpiritalem manducaverunt, & omnes eumdem potum ſpiritalem biberunt. Bibebant autem de ſpiritali, conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. *Or.* Adiutor in oportun. ℣. quoniam non in finem.

Secundum Mattheum.

In illo tempore dixit Ieſus diſcipulis ſuis. Vos eſtis ſal terræ: Quod ſi ſal evanuerit, ad nihilum valet ultra, niſi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus. Vos eſtis lux huius mundi. Non poteſt civitas abſcondi ſuper montem poſita. Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio ſed ſupra candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra bona coram hominibus, ut videant bona veſtra opera, & glorificent Patrem veſtrum, qui eſt in cœlis.

Benedictio Aquæ.

Dominus vobiſcum. Oremus.

Exorcizo te creatura aquæ per Deum vivum, per Deum ſanctum, per Deum totius creaturæ, ut te mundam exhibeas contra omnem morbum, atque inſidias inimici, ut ubicunque aſperſa fueris, ſit propitio Deo domus ipſa defenſa, ſicut defenſæ fuerunt domus Hebræorum per ſignum ſanguinis agni. Sic defendantur Domine domus famulorum famularumque tuarum per aſperſionem huius aquæ. In ipſius nomine te exorcizo aqua, qui verbo ſuo fontes emanare præcepit. In ipſius nomine te exorcizo, qui filios Iſrael per medium mare eduxit. In ipſius nomine te exorcizo, qui ſuper te ſuis pedibus ambulavit. In ipſius nomine te exorcizo, quem Ioannes in te baptizavit, ut omnis ſpiritus erroris, & omnes fantaſiæ dæmonum tua aſperſione effugentur, & ſeparentur. Per virtutem Domini noſtri Ieſu Xpi qui venturus eſt iudicare.

Alia. Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Domini noſtri

(1) *Græcis* μέγας ἁγιασμὸς dicitur benedictio aquæ baptiſmalis olim in pervigilio, nunc in ipſo die Epiphaniæ Domini celebratur. Vid T. II. diſquiſ. V. c. 1. n. 18. ubi de veteri uſu ſolemnis baptiſmi apud nos etiam in feſto Epiphaniæ Domini ac benedictione aquæ hodierna, cum qua hoc in nonnullis convenit. Locum ibi p. 439. S. CHRYSOSTOMI attulimus de mirifica huius aquæ infidelium domibus ſervatæ virtute. Idem T. VIII. opp. p. 433. moris communis meminit, manus ante ingreſſum eccleſiæ lavandi, ad quem in uſum fontes (eodem cum aliis teſte T. III. p. 289.) ad eccleſiarum atria erant (talem etiamnum videre eſt in vicina nobis eccleſia primaria *Friburgenſi*) uti nunc ad aſperſionem ſaltem vaſa aqua benedicta repleta. Perſeverat vero mos lavandi manus in ipſa ſynaxi ab eccleſiæ incunabulis uſitatus in utraque eccleſia, ut de presbyteris *Græcis*, *Maronitis*, *Armenis*, cæteriſque orientalibus apud RENODOTIUM videre eſt; de fidelibus autem ſacram communionem accedentibus S. CHRYSOST. in hom. *de ira & ſimultate*, *Non audes*, inquit, *illotis manibus ſacram hoſtiam attrectare*, *etiamſi mille neceſſitatibus premaris*, *ne igitur illota accedas anima.* Et S. CÆSAR. *Arelat.* ſerm. 229. *Omnes viri*, inquit, *quando communicare deſiderant lavant manus ſuas.* Quia nimirum viri nuda manu accipiebant S. Hoſtiam, mulieres autem linteis ſeu mappis, ut ex vita S. WIBORADÆ notavit MABILLONIUS ſæc. V. *Bened.* p. 51. luculentum vero huius diſcriminis apud S. CYRILLUM *Hieroſ.* extat teſtimonium Catech. Myſtag. III. initio autem Catech. V. de communi fidelium uſu lavandi ante orationem manus. De quo *Cæterum*, ait TERTULLIANUS c. 11. de Oratione, *quæ ratio eſt*, *manibus ablutis*, *ſpiritu vero ſordente orationem obire.* Morem illum communem fuiſſe diſcimus ex hom. XLIII. S. CHRYSOST. in ep. I. ad *Corinth.* T. X. p. 405. Idem in IOANN. T. VIII. pag. 313. & 433. ante lectionem etiam ſacram manus lotas teſtatur.

Digitized by Google

ſtri Ieſu Xpi, ut omnis inmundus ſpiritus & incurſio ſatanæ ſeparetur ab hac creatura aquæ. Proinde ergo efficere aqua exorcizata ad effugandum omne fantaſma inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare. In nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Domini noſtri Ieſu Xpi, qui venturus.

Alia. Te autem creatura aquæ adiuro per Deum vivum, per Deum ſanctum, per eum te adiuro, qui te in principio ſeparavit ab arida. Adiuro te per Deum vivum, qui fontes paradyſi emanare præcepit, & in quatuor fluminibus exire iuſſit, & totam terram rigare præcepit. Adiuro te per eum, qui in te Neaman Syrum a ſua lepra mundavit, & per manus Heliſæi prophetæ inmiſſione dulcoravit. Efficere ergo aqua ſancta, aqua benedicta, aqua lavans ſordes, & mundans peccata. Adiuro te per Deum vivum, ut te mundam exhibeas, nec in te aliquam fantaſiam retineas; ſed efficiaris fons exorcizatus, ut ubicunque aſperſus fueris, ſive in domo, ſive in angulis cubiculorum, ſive in agro, ſive ſuper homines, ſive ſuper pecora, vel iumenta, vel ſi quis ex te guſtaverit, fias ei defenſaculum vitæ, remedium ſanitatis. Ipſe quoque diabolus elongetur & effugetur, tamquam elongatum eſt cœlum a terra, lux a tenebris, iuſtum ab iniuſto, dulce ab amaro, ſic ſeparetur ille ſpiritus inmundus ab omni habitatione famulorum famularumque Dei, vel ab his locis, ubi hæc unda reſperſa fuerit, per verbum & virtutem Domini noſtri Ieſu Xpi. Qui venturus eſt.

Benedictio Aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Domini noſtri Ieſu Xpi Filii eius, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem poteſtatem inimici. Et ipſum inimicum eradicare & explantare valeas cum angelis ſuis apoſtaticis. Per virtutem Domini noſtri Ieſu Xpi. Qui venturus eſt.

Alia. Deus qui ad ſalutem humani generis maxima quæque ſacramenta &c.

Benedictio Salis.

Exorcizo te creatura ſalis per Deum vivum, per Deum verum &c.

Benedictio Salis.

Exorcizo te creatura ſalis per Deum vivum, per Deum ſanctum, per Deum totius creaturæ, qui te per Heliſæum prophetam in aquam mitti iuſſit ut ſanaretur ſterilitas aquæ, qui divina voce oris ſui locutus eſt ad diſcipulos ſuos dicens, Vos eſtis ſal terræ: qui per apoſtolum ſuum Paulum dicere dignatus eſt, ſit ſermo veſter ſapientiæ ſale conditus, ideoque efficere ſal exorcizatus, ad evacuandum & expellendum inimicum, & omnem virtutem putredinis eius. In nomine Domini noſtri Ihu Xpi. Qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos.

Alia. Benedic omnipotens Deus hanc creaturam ſalis tua benedictione cœleſti in nomine Domini noſtri Ihu Xpi, & in virtute ſancti Spiritus tui, ad effugandum inimicum, quam tu Domine ſanctificando ſanctifices, & benedicendo benedicas, fiatque omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in viſceribus ſummentium. In nomine Dni nri Ihu Xpi. Qui venturus eſt.

Alia. Deus inviſibilis, Deus inæſtimabilis, qui per cuncta diffuſus es, pietatem tuam & miſericordiam per ſanctum & tremendum filii tui nomen ſupplices deprecamur, ut ſuper hanc creaturam ſalis benedictionem tuam per potentiam inviſibilis operationis infundas, ut iumenta, quæ neceſſitatibus humanis tribuere dignatus es, cum ex eadem acceperint, vel guſtaverint, hæc benedictio & ſanctificatio tua inlæſa reddat, & ab omni temptatoris incurſu te protegente cuſtodiat. P.

Alia.

Immenſam clementiam tuam omnipotens æterne Deus humiliter imploramus, ut hanc creaturam ſalis, quam in uſum generis humani tribuiſti benedicere & ſanctificare tua pietate digneris, ut ſit omnibus ſumentibus ſanitas animæ & corporis; ut quidquid eo tactum vel reſperſum fuerit, careat omni immunditia, omnique impugnatione ſpiritalis nequitiæ. Per.

Benedictio amborum pariter.

Hic ſufflat ter & miſcet.

Deus cui ſuper Cherubim & Seraphim ſublimi throno ſedenti omnis profunditas abyſſi, omnis latitudo perſpicua eſt. Deus cuius æternis legibus omnis natura concluditur. Deus cuius voluntati quidquid reſiſtit infirmum eſt, quidquid ſævit inimicus & inmundus ſpiritus tuis ſermonibus ſanctis evictum eſt. Deus qui malignorum deſtruis vires, & adverſantia per famulos tuos temptamenta inimici extinguis. Te Domine ſupplices exoramus, ut ad defenſionem noſtram placatus aſpicias, & ſalis & aquæ huius creaturam gratiæ tuæ benedictione ſanctifices, & neceſſariis purificationibus facias efficaces, ut quidquid fuerit liquore eius aſperſum, ab omni immunditia ſpirituum immundorum vacuum fiat & liberum.

Digitized by Google

Nihil ibi peſtilentia morbidum nihil ullius terroris ſit inquietum, omne illic dæmonium, omnem adverſariam poteſtatem per huius creaturæ tuæ ſalis & aquæ aſperſionem deprecatio tuæ invocationis expellat. Nec ullas ibi diaboli miniſtrorumque eius inſidias nocere aut lædere permittas, ubi de tuo auxilio præſumitur & virtus tui nominis invocatur. Per.

Alia. Præſta quæſumus Domine tuum ſalubre remedium ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ, ut ubicunque interceſſerit, ad animæ & corporis proficiat ſanitatem. Per.

Alia. Æterne Domine Deus omnipotens officii noſtri functione immeriti deprecamur, ut hæc ſalis & aquæ permixtio, in nomine clementiæ tuæ ſanctificata, cum per noſtras fuerit manus emiſſa, vel quolibet modo aſſumta, expulſis cunctis machinamentis dæmonum ex eodem loco fugata deficiant, & ſanctorum angelorum cuſtodia ſemper inibi manſura conſiſtat. Per Dnm.

Dominus vobiscum. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & iuſtum eſt.

Præfatio.

Domine Deus cœli & terræ, cuius virtuti ſubiecta ſunt univerſa, cuius verbo procurata ſunt omnia, ſubmitte Spiritum tuum ſanctum ſuper hanc creaturam aquæ, ut fiat aqua ſanctificata in nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ipſa te cognovit altiſſima ſalus & reſpector tuus aqua. Ergo humiles exoramus, ut exaudias & miſerearis precibus noſtris, ut ubicunque aſperſionis & purificationis te iubente aſperſa fuerit hæc aqua, habeat ibi domus gaudium, ſpem, honorem perpetuum, ut omnis malivoli invidia expellatur & ſeparetur, per virtutem Domini noſtri Ieſu Chriſti quem laudant angeli, & non ceſſant clamare dicentes. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus ſabaoth.

Oremus.

Præceptis ſalutaribus moniti & divina inſtitutione formati audemus dicere. Pater noſter. Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris, & cuſtodi nos in omni opere bono, per liberatorem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat. Credo in Deum.

Benedictio amborum pariter.

Deus invictæ virtutis auctor, & inſuperalis imperii Rex &c.

Benedictio minor Salis & Aquæ.

Exorcizo te creatura ſalis per Deum vivum, per Deum verum, per Deum ſanctum, per Dominum qui te per Heliſæum &c.

Benedictio Salis & Aquæ.
Ex Mſc. Vind. Th. 277. ſæc. XII. vel XIII.

Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuvandum me feſtina. *cum* Gloria Patri. Kyrie eleiſon. Xpe el. Kyrie el. Pater noſter. Credo in Deum. *Et letania ſequitur ſi vis.* Bendictio Salis. Exorcizo te creatura ſalis in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate Dni nri Ihu Xpi, & in virtute Spiritus ſancti. Exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit. Proinde rogamus te Dne Deus noſter, ut hæc creatura ſalis in nomine Trinitatis efficiatur ſalutare ſacramentum ad effugandum inimicum: quod tu Domine ſanctificando ſanctifices, & benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in viſceribus eorum in nomine Dni nri Ihu Xpi. Qui venturus.

Lectio libri Regum. In diebus illis. Dixerunt viri civitatis ad Helyſeum. Ecce habitatio civitatis huius optima eſt, ſicut tu ipſe perſpicis, ſed aquæ amariſſimæ ſunt, & terra ſterilis. At ille ait, afferte mihi vas novum, & mittite in illud ſal. Quod cum attuliſſent, egreſſus ad fontem aquarum miſit in eum ſal, & ait: hæc dicit Dominus. Sanavi aquas has, & non erit in eis ultra mors, neque ſterilitas. Sanatæ ſunt ergo aquæ uſque ad diem hanc iuxta verbum Helyſei, quod locutus eſt. *Secundum Iohan.* (1). In illo tempore. Vidit Iohannes Ieſum venientem ad ſe & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt enim, de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat, & ego neſciebam eum. Sed ut manifeſtaretur in Iſrael, propterea veni in aqua baptizans. Et teſtimonium perhibuit Iohannes dicens: Quia vidi

(1) Hodierna benedictio aquæ in Epiphania evangelium habet quidem de baptiſmo IOANNIS, ſed ſecundum LUCAM; concordant vero tres ſequentes orationes cum hodierno ritu, ex quibus colligitur benedictionis deſtinatio in domibus fidelium.

Digitized by Google

vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum. Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.

Benedictio Aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ per Deum vivum, per Deum ſanctum, per Deum totius ſæculi creatorem, ut mundam te exhibeas contra omnem morbum atque inſidias inimici, ut ubicumque aſperſa fueris, ſit propitio Deo defenſa domus ipſa, ſicut defenſæ fuerunt domus Hebræorum per ſignum ſanguinis Chriſti, ſic defendatur Domine domus famulorum famularumque tuarum. In ipſius nomine te exorcizo, qui filios Iſrael per medium mare eduxit. In ipſius nomine te exorcizo, qui ſuper te pedibus ſuis ambulavit. In ipſius nomine te exorcizo, quem Iohannes in te baptizavit, ut omnis ſpiritus erroris, & omnes fantaſiæ dæmonum per hanc aquam aſperſionis effugentur & ſeparentur per Xpm Dominum nrm, qui venturus eſt iudicare.

Alia. Præſta Domine tuum ſalutare remedium ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ, ut ubicunque interceſſerit, ad animæ & corporis proficiat ſanitatem. Per Dnm nrm. *Hic juſſa ter in modum crucis, & miſces ſalem & aquam & dices his verbis.*

Exorcizo te creatura ſalis per Deum vivum, qui te per Heliſæum prophetam in aquam mitti iuſſit, qui divina voce ore ſuo locutus eſt ad diſcipulos ſuos, dicens: vos eſtis ſal terræ. Qui per apoſtolum Paulum dixit cor veſtrum ſale conditum ſit; ideoque efficere ſal exorcizatum ad expugnandum inimicum & omnem incurſum dæmonis per virtutem & nomen Dni nri Ihu Xpi. Qui venturus eſt iudicare ſæculum, & te inimice per ignem. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & iuſtum eſt.

Præfatio.

VD. & iuſtum eſt æquum & ſalutare nos tibi ſemper & ubique gratias agere Dne Deus cœli & terræ, cuius virtuti ſubdita ſunt univerſa, cuius verbo procreata ſunt omnia; ſupermittendo ſupermitte Spiritum ſanctum ſuper hanc creaturam aquæ, ut fiat aqua ſanctificata in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ipſa te cognoſcat altiſſima ſalus & reſpector perpetuus. Ad quem humiles oramus & petimus, ut exaudias & miſerearis precibus noſtris, ut ubicunque aſperſionis & purgationis, te iubente, aſperſa fuerit hæc aqua, habeat domus illa gaudium, ſpem, honoremque perpetuum, ut omnes malivoli, & invidi expellantur & ſeparentur. Iterato te alloquar aqua, qui lucis ſimilitudinem habes. Tu ſub cœlo, tu ſuper cœlum, tu ſub terra, tu ſuper terram. Super te invoco nomen ſanctum, atque mirabile Dei, qui te ſua potentia ſuſpendit ſuper cœlos, congregavit in terra, miſcuit in mari: qui te archanis, & limpidis atque velocibus ventis pluere præcepit, & ad uſus hominum carnis lavacrum dedit, & ſitientibus potum ſubminiſtravit, ſuper quam etiam Spiritus Domini ferebatur ſed etiamnum fertur. Adiuro te per vocem tonitrui corruſcantis, & per virtutem tremendi cœleſtis regis, adiuro te per lignum myſterii, de quo aqua percuſſa ſtatim dulcis facta eſt. Adiuro te per eum, qui omnia creavit, ne contempnas vocem humilitatis meæ, ſed expellas omnem umbram, omnem ſatanam, & omnes machinationes diabolicas ſpirituum immundorum ſive biothanatum, (1) ſive errantium, ſive ex invocatione magicæ artis, ſive præcantatorum argumenta, ſive draconum, ſive volucrum & viperarum, quia imperat tibi Dns Ihs Xps Filius Dei vivi, ut mox cum aſperſa fueris in nomine Dei omnipotentis ſabaoth ſive in domo ſive in vineis, ſive in pecoribus, ſive in ſeminatis campis, ſive in qualicunque creatura, ſive in potu data fueris homini valetudine detento, & a maligni infeſtatione percuſſo, mox expellas, & excludas omnem malignum, ut poſſit homo velocius ſalvus fieri per virtutem & nomen Dni nri Ihu Xpi, qui neque dici, neque ſcribi, neque computari poteſt, cui nomen eſt Deus. Qui per angelum tuum Domine fontem Agar oſtendiſti, & ex eo Iſmahel ſitientem potaſti: qui pueri Abrahæ in Meſopotania preces audiſti, & omnia deſideria cordis eius impleſti: qui famulum tuum Moyſen in deſerto petram percutere, & ex ea aquam producere, & populum rigare iuſſiſti: qui aquam amaram immiſſo ligno dulcoraſti, ita benedicere digneris hanc aquam in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut ubicunque aſperſa fuerit in tuo nomine omnes iactationes ſævas inimici expellas. Illud etiam rogamus, ut ſicut ad domum Raguel angelum Raphael mittere dignatus es, & Aſmodeum dæmonium colli-

(1) In editis damnatorum.

Digitized by Google

colligavit, ſimili beneficio domui huic præſtes, ut mox, cum aſperſa fuerit nunquam illic vel in anima vel in eadem domo conſiſtentibus habeat aliquam poteſtatem, ſed confuſus & diſtrictus abſcedat. Per Xpm Dnm nrm, per quem maieſtatem tuam.

Benedictio Salis.

Sancte Dne creator omnium creaturarum, & totius naturæ artifex, & unus magiſter gignentium, origo nationum, utilitasque virtutum, cuius providentia in hac quoque creatura liquentes aquas cœleſti igne ſolidaſti, uti hæc cætera humanis uſibus admixta condiret, & in longiorem uſum incorrupta ſervaret; da ei Dne exorantibus nobis eam ex tua benedictione ſubſtantiam, ut cuiuscumque viſcera penetraverit, effuget ex his atque depellat, quidquid erroris, confuſionis, malignitatis fraudes diabolicæ temptationis infuderint,omni hoſtis nri infeſtatione depulſa, id in homine tantum quod a te factum eſt relinquatur.

Alia. Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, te ſuppliciter deprecamur, ut benedicere digneris hanc creaturam ſalis, quam in uſum humani generis tribuiſti, ut qui ex ea guſtaverint, non moriantur in æternum, ſed te ſapiant, in te roborentur, atque ad æterna dona per tuam gratiam venire mereantur in nomine Dni nri Ihu Xpi, qui venturus eſt.

Benedictio Salis ad pecora.

Deus inviſibilis & inæſtimabilis, qui per cuncta diffuſus es, pietatem tuam & miſericordiam per ſanctum & tremendum Filii tui nomen ſupplices deprecamur, ut in hanc creaturam ſalis benedictionem & potentiam inviſibilis operationis infundas, ut iumenta, quæ neceſſitatibus humanis dignatus es tribuere cum ex eadem acceperint, vel guſtaverint, hæc benedictio & ſanctificatio tua illæſa reddat, & ab omni temptatoris incurſu te protegente cuſtodiat. Per.

Alia. Defende Domine pecora per hanc creaturam ſalis a lupis rapacibus, a latronibus, a morbo, a mortibus, a laqueis diaboli, ab omni infirmitate, a temptatione, a malitia, ab odio, ab invidia, a malo homine, a malis eloquiis (*i. e.* incantationibus, execrationibus) a malis oculis, a veneficiis, ab omni temptatione ſacrare & ſalvare digneris Domine pecora noſtra, & omnia quadrupedia, quæ morbo & infirmitate vexantur per hanc creaturam ſalis in nomine tuo Pater, Filiique tui Ihu Xpi & Spiritus ſancti. Qui in Trinitate perfecta.

Benedictio Salis & Aquæ ad ſpargendum in domo.

Domine ſancte Pater omnipotens inſtaurator & conditor omnium elementorum, qui per Xpm Dnm Filium tuum hanc creaturam ſalis inter cætera eſſe iuſſiſti, te deprecamur Domine, ut hanc creaturam ſalis & aquæ benedicere digneris, ut ubicunque aſperſa fuerit, omnis ſpiritus immundus effugiat, ne ulterius in eo loco habeat poteſtatem commorandi. Per.

Alia Oratio. Præſta Domine per hanc creaturam aſperſionis (*vel* huius creaturæ aſperſionem) ſanitatem mentis, integritatem corporis, tutelam ſalutis, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei, hic & in æterna ſæcula.

Benedictio Aquæ ad ſpargendum.

Deus qui ad ſalutem humani generis &c.

Item alia. Exorcizo te creatura ſalis & aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Ihu Xpi Filii eius, & Spiritus ſancti, omnis virtus adverſarii, omnis incurſio diaboli, omnisque inimici poteſtas eradicare & effugare ab hac creatura aquæ per Deum verum, per Deum vivum, per Deum ſanctum, & Dnum nrm Ihm Xpm, ut efficiaris aqua ſancta, aqua benedicta, ut ubicunque effuſa fuerit, vel aſperſa ſive in domo, ſive in agro, effuges omnem fantaſiam, omnem poteſtatem inimici: Spiritus ſanctus habitet in domo hac. Per Dnm nrm. Qui venturus.

Item exorciſmus Salis & Aquæ ſuper infirmos Sci Gregorii Papæ.
Ex Cod. Vindob. Theol. 685.

Deus in adiutorium meum intende. *Tribus vicibus cum* Gloria. Kyrie el. Pater noſtor. Credo in Deum. *Lectio libri Regum.* In diebus illis dixerunt viri civitatis ad Heliſeum. Ecce habitatio civitatis huius optima eſt, ſicut tu ipſe proſpicis,ſed aquæ amariſſimæ ſunt & terra ſterilis: At ille ait: Afferte mihi vas novum, & mittite in illud ſal. Qui cum attuliſſent, egreſſus ad fontes aquarum, miſit in eum ſal & ait: Hæc dicit Dominus: Salvavi aquas has, & non erit ultra in eis mors, neque ſterilitas. Sanatæ ſunt ergo aquæ uſque ad diem hanc, iuxta verbum Heliſei, quod locutus eſt in Dom. *Secundum Iohan.* In illo tempore vidit Iohannes Ieſum venientem ad ſe & ait: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Hic eſt de quo dixi: Poſt me venit vir, qui ante me factus eſt, quia prior me erat, & ego neſciebam eum. Sed ut manifeſtaretur in Iſrahel,

Digitized by Google

hel, propterea ego veni in aqua baptizans. Et teſtimonium perhibuit Iohannes dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eam, & ego neſciebam eum. Sed qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.

Benedictio Salis.

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Dei Pat†tris omni†potentis, & in caritate Dni nri Ihu Xpi, & in virtute Spiritus ſancti: Bene†dico te per Deum vi†vum per Deum ve†rum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit. Proinde rogamus te Domine Deus noſter, ut hæc creatura ſalis, in nomine ſanctæ Trinitatis efficiatur ſalutare ſacramentum ad effugandum inimicum: quam tu Domine ſanctificando ſanctifices, & benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanens in viſceribus eorum in nomine Dni nri Ihu Xpi qui ventur.

Benedictio Aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ per Deum vi†vum per Deum ſan†ctum per Deum totius mundi creatorem, ut mundum te exhibeas contra omnem morbum, atque inſidias inimici, ut ubicunque aſperſa fuerit ſit propitio Deo defenſa domus. Sicut defenſæ fuerunt domus Hebræorum per ſignum ſanguinis Chriſti, ſic defendatur Domine domus famulorum famularumque tuarum. In ipſius nomine te exorcizo, qui verbo ſuo fontes emanare præcepit. In ipſius nomine te exorcizo, qui filios Iſrael per medium mare eduxit. In ipſius nomine te exorcizo, qui ſuper te ſuis pedibus ambulavit. In ipſius nomine te exorcizo quem Iohannes in te baptizavit, ut omnis ſpiritus erroris & omnes fantaſiæ dæmonum per hanc aquam aſperſionis effugentur & ſeparentur per Xpm Dnm nrm qui ventur.

Alia. Præſtes Dne tuum ſalutare remedium ſuper hanc creaturam ſa†lis & a†quæ, ut ubicunque interceſſerint ad animæ & corporis proficiant ſanitatem. Per Xpm. *Hic ſufflat ter in modum crucis, & miſcens ſalem, & dic.* Exorcizo te creatura ſalis per Deum vi†vum, per Deum ve†rum per Deum ſan†ctum, per Deum, qui te per Heliſeum prophetam in aquam mitti iuſſit: qui divina voce, ore ſuo, locutus eſt ad diſcipulos ſuos dicens, Vos eſtis ſal terræ; qui per apoſtolum Paulum, Cor veſtrum ſit ſale conditum. Ideoque efficere ſal exorcizatum ad expugnandum inimicum & omnem incurſum dæmonis per virtutem & nomen Dni nri Ihu Xpi qui venturus eſt. Dominus vobiscum. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & iuſtum eſt. VD. & iuſtum eſt æquum & ſalutare Domine Deus cœli & terræ cuius virtuti ſubdita ſunt univerſa, cuius verbo procreata ſunt omnia, ſupermittendo ſupermitte Spiritum tuum ſanctum ſuper hanc creaturam aquæ, ut fiat aqua ſanctificata. In nomine Pa†tris & Filii & Spiritus † ſancti. Ipſum te cognoſcimus altiſſima ſalus & reſpector perpetuus, ad quem humiles oramus & petimus, ut exaudias & miſerearis precibus noſtris, ut ubicunque aſperſionis & purgationis, te iubente, aſperſa fuerit hæc aqua, habeat ſibi domus gaudium, ſpem, honorem perpetuum, ut omnes malivoli, invidi expellantur, & ſeparentur. Iterato te alloquor aqua, quæ lucis ſimilitudinem habes: tu ſub cœlo, tu ſuper cœlum: tu ſub terra, tu ſuper terram. Super te invoco nomen ſanctum atque mirabile Dei, qui te ſua potentia ſuſpendit ſuper cœlos, congregavit in terra, miſcuit in mari: qui te archanis & limpidis, velocibus ventis pluere præcepit, & te ad uſus hominis lavacrum carnis dedit, ſitientibus potum per te ſubminiſtravit, ſuper quem etiam Spiritus Domini non ſolum ferebatur, ſed etiam fertur. Adiuro te per Spiritum Dei vivi. Adiuro te per vocem tonitrui coruſcationis tremendæ cœleſtis regis. Adiuro te per lignum myſterii de quo aqua percuſſa ſtatim dulcis facta eſt. Adiuro te per eum, qui omnia creavit, non contempnas vocem humilitatis meæ, ſed expellas omnem umbram, omnem ſatanam, & omnes machinationes diabolicas ſpirituum immundorum, ſive errantium: ſive ex invocatione magicæ artis, ſive præcantorum argumenta, ſive draconum & omnium volucrum & viperarum. Imperet tibi Dominus noſter Ieſus Chriſtus Filius Dei vivi, ut mox cum aſperſa fueris in nomine Dei omnipotentis ſabaoth ſive in domo, ſive in vineis, ſive in pecoribus, ſive in ſeminatis campis, ſive in qualicunque creatura, ſive in potu data fueris homini invalitudinem detinenti, a maligni infeſtatione percuſſo, mox expellas, & excludas omnem malignum, ut poſſit homo velocius ſalvus fieri per virtutem & nomen Dni nri Ihu Xpi, qui neque dici, neque ſcribi, neque computari poteſt: cui nomen Deus, qui per ange-

lum tuum Domine fontem Agar oſtendiſti, & ex eo Iſmaelem ſitientem potaſti. Qui pueri tui Abrahæ in Meſopotamia preces exaudiſti, & omnia deſideria cordis eius impleſti: qui famulum tuum Moyſen in deſerto petram percutere, & populum potare iuſſiſti: qui aquam amaram immiſſo ligno dulcoraſti; ita benedicere digneris hanc aquam in nomine Pa†tris & Filii & Spiritus †ſancti, ut ubicunque aſperſa fuerit iu tuo nomine omnes iactationes ſævas inimici expellas. Illud etiam rogamus te Domine, ut ſicut domum Raguel angelum Raphahel mittere dignatus es, & Aſmodeum dæmonem colligavit, ſimile Domine beneficium domui huic præſtes, ut mox cum aſperſa fuerit, numquam illic vel in anima, vel in eadem domo conſiſtentibus habeat aliquam poteſtatem, ſed confuſus & diſtrictus abſcedat. Per

Exorciſmus Aquæ.

Exorcizo te creatura aquæ. *Ut ſupra.*

Alia. Deus qui ad ſalutem humani gen. *Ut ſup.* Deus invictæ &c. *Ant.* Aſperges me. *Pſal.* Miſerere.

Oratio poſt aſperſionem Aquæ.

Præſtes (Prs) Domine per hanc creaturam aſperſionis ſanitatem mentis, & corporis integritatem, tutelam ſalutis, ſecuritatem ſpei, corroborationem fidei, hic & in æterna ſæcula ſæculorum. Amen.

BENEDICTIO CEREORUM.

IIII. Non. Febr. Ypapanti. (1) Ad ſanctam Mariam. *Ex Cod. Vind. Theol. N. 685. ſæc. X.*

Domine Deus omnipotens creator cœli & terræ rex regum Dominus dominantium, exaudi nos famulos tuos clamantes & orantes ad te. Precamur te Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui omnia ex nihilo creaſti, & iuſſu tuo per opera apum hunc liquorem ad perfectionem ceræ evenire feciſti, & qui hodierna die petitionem iuſti Simeonis impleſti, te humiliter deprecamur, ut has can†delas ad uſus hominum, & ſanitatem corporum & animarum ſive in terra ſive in aquis per invocationem ſancti tui nominis, & per interceſſionem ſanctæ Mariæ genitricis tuæ, cuius hodie feſta devote percolimus, & per preces omnium Sanctorum tuorum bene†dicere & ſancti†ficare digneris, ut hæc plebs tua illas in manibus honorifice portans, te cantando, teque laudando tu exaudies voces illius, de cœlo ſancto tuo, & de ſede maieſtatis tuæ Propitius ſis omnibus clamantibus ad te, quos redemiſti precioſo ſanguine tuo, qui vivis & regnas per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Dominus vobiscum. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & iuſtum eſt. Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare. Quia per sereniſſimam ac placidiſſimam ſtellam genitricem tuam, cuius ſacratiſſimum nomen per ineffabile & inenarrabile meritum ſtella maris interpretatur, humanum genus illuminare dignatus es. Pro hoc maxime gaudio hodierna die ovantes, & has candelas in manibus noſtris venerabiliter ferentes, & inceſſabili voce clamantes, ut pro dulciſſimo amore, & clementiſſima interceſſione tuæ dignæ genitricis ſemperque Virginis nos indignos, ſed tamen pretioſo ſanguine tuo redemptos te æterno ac vero lumine facias clementer perfrui. Per.

Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum ulnis ſancti Symeonis in templo tuo ſancto ſuſcipiendum præſentaſti, tuam ſupplices deprecamur clementiam, ut hos cereos, quos nos tui famuli in tui nominis magnificentia ſuſcipientes geſtare cupimus bene†dicere & ſancti†ficare atque lumine ſupernæ benedictionis accendere digneris: quatinus eos tibi Dno Deo noſtro offerendo, digni, & ſancto igne tuæ dulciſſimæ caritatis ſuccenſi in templo ſancto gloriæ tuæ repræſentari mereamur. Per.

Tunc dividantur candelæ per ſingulos, & accendantur, ſtantibusque omnibus in eodem loco cantatur hæc antiphona.

Ant. Ave gratia plena Dei genitrix virgo, ex te enim ortus eſt Sol iuſticiæ illuminans, quæ in tenebris ſunt. Lætare & tu ſenior iuſte ſuſcipiens in ulnas liberatorem animarum noſtrarum, donantem nobis reſurrectionem.

Oratio. Exaudi quæſumus Dne plebem tuam, & quæ extrinſecus annua tribuis devotione venerari, interius aſſequi gratiæ tuæ luce concede. Per.

Tunc primum exeuntes inde procedant uſque ad crucem cantando Ant. Reſponſum accepit Symeon a Spiritu ſancto. Non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Dominum. Et cum inducerent puerum in templum, accepit eum in ulnas ſuas & benedixit Deum, & dixit. Nunc dimittis Domine ſervum tuum in pace. Verſiculi.

Qui

(1) *Io.* Beletho, qui vixit ſæc. XII. in explicatione divinorum offic. hæc celebritas etiam *Candelaria* dicta memoratur ab antiquiſſima *Romanorum* conſuetudine in principio *Februarii* urbem luſtrandi, cum circumeundo ſeu ambiendo cum candelis ardentibus in manibus, unde etiam *Amburbale* vocatum feſtum.

Digitized by Google

Qui ſine peccato templi eſt oblatus ad aram.
A nobis clemens crimina quæque demat.
Quod chorus vatum venerandus olim Spiritu ſancto cecinit repletus, in Dei factum genitrice conſtat eſſe Maria. Qui ſine peccato.

Hæc Deum cœli Dominumque terræ virgo concepit, peperitque virgo. atque poſt partum meruit manere inviolata. Qui ſine.

Quem ſenex iuſtus Symeon in ulnis in domo ſumpſit Domini gaviſus. Ob quod optatum proprio videret lumine Chriſtum. Qui.

Tu libens votis, petimus precantis, regis. æterni genitrix, faveto, clara quæ celſi retinens olimpi regna petiſti. Qui.

Sit Deo noſtro decus & poteſtas. Sit ſalus perpes, ſit honor perennis. Qui poli ſumma reſidet in arce trinus & unus. Qui.

Oratio. Illumina Domine quæſumus populum tuum, & ſplendore gloriæ tuæ cor eius ſemper accende, ut Salvatorem ſuum, & inceſſanter agnoſcat, & veraciter apprehendat. Per eundem.

Tunc procedentes inde veniant ad altare ſanctæ Mariæ canendo. Ant. Adorna thalamum tuum Sion, & ſuſcipe regem Chriſtum. Amplectere Mariam, quæ eſt cœleſtis porta. Ipſa enim portat regem gloriæ. Novi luminis ſubſiſtit virgo, adducens manibus filium ante luciferum. Quem accipiens Symeon in ulnas ſuas prædicavit populis Dominum eum eſſe vitæ & mortis, & Salvatorem mundi. *Oratio.* Oremus. Da quæſumus populo tuo Domine inviolabiliter fidei firmitatem ut qui unigenitum tuum in tua tecum gloria ſempiternum in veritate noſtri corporis natum de matre virgine confitentur, & præſentibus liberentur adverſis, & manſuris gaudiis inſerantur. Per. *Indeque incipiente cantore Ant.* Cum inducerent puerum. *Pſ.* Benedictus. Oremus. Perfice in nobis quæſumus Domine gratiam tuam, qui iuſti Symeonis exſpectationem impleſti, ut ſicut ille mortem non vidit priusquam Chriſtum Dominum videre mereretur, ita & nos vitam obtineamus æternam. Per eundem. (1)

Ex Codice Rhenaug. ſæc. XI. circ.

Ave gratia. ℣. Suſcepimus &c. Dns vobiscum. Oremus:

Erudi (2) quæſumus Domine plebem tuam; & quæ extrinſecus annua tribuis devotione venerari, intrinſecus aſſequi gratiæ tuæ lucem concede. Per Dnm noſtrum.

Domine Deus creator cœli & terræ, rex regum & Dominus dominantium, exaudi indignos famulus tuos, clamantes & orantes ad te: precamur &c.

Deus Pater omnipotens, lumen indeficiens, conditor omnium luminum! exaudi nos, & bene✝dic hoc lumen, quod a te ſanctificari atque benedici rogantes offerimus, ut accendamur & illuminemur igne claritatis tuæ; & ſicut igne illuminaſti Moyſen, ita quæſumus ut illumines corda, & ſenſus noſtros, & mittere digneris ſanctum angelum tuum Raphahelem: ut qui evulſit & repulit a Sara & Tobia dæmonem mortiferum infeſtantem, conterat illum, & diſperdat de cunctis habitationibus colentium Dominum; de baſilicis, de domibus, de angulis, de lectulis, de refectoriis, de univerſis locis in quibuscunque famulantes Domino habitant, & requieſcunt, dormiunt, vigilant, ambulant, conſiſtunt; nec amplius valeat inquietare, vel pavores inmittere ſuper illos, quos ſancti criſmatis tui unctio fecit eſſe munitos.

Bene✝dico te cera in nomine ſanctæ Trinitatis: ut ſis exterminatio diaboli, & omnium contubernalium eius. Per eum, qui vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus! & has candelas tua bene✝dictione perfunde; quatenus fidelis populus eas in manibus portans non ſolum exteriori lumine gaudeat, ſed cecitate cordis repulſa, ſic lumen, quod in tenebris lucet, apprehendat: ut nequaquam a via veritatis aberret. p. D. n. I. Ch. F. t. q. tec. v. & r. in u. Sp. S. D. per om. ſc. Amen.

Dominus vobiscum &c. Surſum corda &c.
Gratias agamus Dno &c.
Vere dignum &c. æterne Deus.

Fons, & origo totius lucis, qui mundum illuminaſti lumine tuæ claritatis, mittendo nobis unigenitum tuum per uterum intemeratæ virginis; & quem longe ante promiſiſti Prophetarum oraculis, temporibus noviſſimis ipſum miſiſti lucem, populis ſedentibus in tenebris, in regione umbræ mortis in ipſo claritas exorta eſt eis: Tu quoque benedictione tua digneris bene✝dicere has candelas

(1) Pleraque huius ritus feſtivi orationes, & antiphonæ cum uſu hodierno *Romano* conveniunt, de cuius antiquitate diximus P. III. Diſquiſ. IX. c. 2. n. 12. Nuſpiam vero quidpiam in noſtris Monumentis liturgicis occurrit de benedictione novi ignis e ſilice excuſſi, unde cerei accenderentur. Cuius meminit S. Bernardus initio ſermonis I. de Purif. variique libri rituales apud Martenium.

(2) Miſſ. R. Exaudi &c.

Digitized by Google

las Nomini tuo præparatas; qui nos transtuliſti a poteſtate tenebrarum in lucem, & regnum dilecti filii tui, per quem exortum eſt in tenebris lumen rectis corde, & gaudium ſalutis æternæ. Et qui iuſtum Simeonem fideli repleſti exſpectatione, ut non prius videret mortem, antequam Chriſtum Domini videret indutum carne: totius mundi lumen & ſalutare; ipſe nos lumine tuæ claritatis ſic repleas, ut omnes infidelitatis tenebras a nobis repellas; & ſicut hodie ſervum tuum dimiſiſti in pace, ita nos in pace tuæ ſanctæ Eccleſiæ digneris gubernare: ut portum quietis æternæ valeamus intrare, quatenus radiis ut (1) lucis perfuſi ibi in die iuſti Examinis læti cum ymnidicis Angelorum choris valeamus videre faciem indefeſſi ſolis. Per eundem D. n. I. Ch. F. t. q. t. v. & reg. in unit. Sp. S. D. per o. ſecla ſeclum. Amen.

Deinde aſpergantur, thurificentur, diſtribuantur.

Ant. Lumen ad Revelation. &c. ℣. Accipiens Simeon puerum in manibus: gratias agens benedicit Dominum.

Omnipotens ſempiterne Deus! qui unigenitum tuum ante tempora de te genitum, ſed temporaliter de Maria virgine incarnatum, lumen verum, & indeficiens ad depellendas humani generis tenebras, & ad incendendum lumen fidei & veritatis in mundum miſiſti; concede propitius: ut ſicut exterius corporali, ita etiam interius luce ſpirituali mereamur irradiari. Per eund. Chriſt.

Benedictio Cinerum.

Dnus vobiſcum. Oremus.

Deus, qui humilitate flecteris, & ſatisfactione placaris; aurem tuæ pietatis inclina precibus noſtris, & capitibus ſervorum tuorum horum cinerum aſperſione ac tactis (2) effunde propitius gratiam tuæ bene†dictionis: ut eos & ſpiritu compunctionis repleas; & quæ iuſte poſtulaverint, efficaciter tribuas, & conceſſa perpetua ſtabilitate manere intacta decernas. Per. (3)

† Bene-

(1) leg. tuæ. (2) leg. attactis.

(3) Unam hanc, quæ etiam in miſſali *Romano* habetur in mſc. *Rhenaug.* 600. circ. annorum reperi orationem pro benedictione cinerum, quam primum monachi ex diſciplina pœnitentiæ hac die cum impoſitione cinerum æmulati videntur. Invat hic ex ordine operis Dei mſc. ſæc. XIV. qui uſque ad ſæc. XVI. in uſu fuit in monaſterio *S. Blaſii* ritum ſingularem deſcribere: „ Feria IV. in capite ieiunii legatur expoſitio de evangelio *cum ieiunatis*, non tamen a diacono pronuntietur. Ad omnes horas dicantur capitula de ieiunio, & collecta pro peccatis. Ordo autem proceſſionis ipſo die ita agatur. Conſuetudinali hora generali facta oratione canatur ant. *Exurge Domine* cum ℣. *Deus auribus*, ipſo tamen die ſine *Gloria*, duobus interim reſonantibus ſignis Poſt quem cap. *Domine non ſecundum. Kyrie eleiſon*, *Pater noſter.* Pſal. *Deus miſereatur.* Cap. *Ne reminiſcaris*, *Dominus vobiscum*, oratio *Exaudi.* Tunc ſacerdos indutus ſtola ſuper albam ſurgens veniat ante altare cum converſis, qui crucem cineresque teneant, & ſtet ipſe medius, ita ut converſum, qui tenet crucem, habeat a ſiniſtris, illum vero, qui cineres tenet, a dextris. Aquam benedictam nullus tam ibi debet tenere in manibus. Tunc ſacerdos ſtans nudis pedibus dicat cap. *Adiuva nos Deus ſalutaris*, quo dicto ſubiungat & hanc orationem, *Deus qui iuſte iraſceris.* deinde benedictio ſuper cineres incumbentibus orationi ceteris ſuper formas. Nec dicatur iſta oratio ſolemniter, ſed plane, ſicut & anteriores, *Omnipotens ſempiterne Deus.* Exin ſurgentibus ſimul omnibus imponatur a cantore ant. *Immutemur.* cum ℣. *Deus miſereatur.* Tunc quoque ſine *Gloria* fiat repetitio antiphonæ, & cum timore & reverentia eant diſcalceati, cunctis interim cineres ſuper capita ſua tollentibus flectendo genua, priusquam eos ſibi unusquisque ſuſcipiat. Iſtos cineres debet ſecretarius mane ante tertiam exuſtos habere de olivis, quos ſeniores præterito anno in die Palmarum ad manus ſacerdotis offerebant. Debet etiam eos bene purgatos habere per vas tale, per quod farina purgatur. Tunc demum exeuntibus qui ſancta ferunt, de eccleſia, inprimis ſc. aqua benedicta, deinde cum cruce, poſtea ſacerdos canat antiph. *Propitius.* ℣. *Adiuva nos Deus.* item *iuxta veſtibulum*, ſicque cum prædicta antiphona ingrediantur capellam B. M. V. poſt autem dicit ſacerdos cap. *Exaudi nos.* ſubiungat & hanc orationem *Dominus vobiſcum* ſolemniter, oremus: *Concede nobis Domine præſidia militiæ chriſtianæ*, deinde orationem de B. M. Virgine, qua finita proſternant ſe, & orent cum ſilentio: inde facto ſigno ſurgentes ſignent ſe, faciantque ante & retro, & incipiant letanias, cum quibus revertentes ad matrem eccleſiam pergant, ut moris eſt, per ambitum. In capite quoque ieiunii cantor pronuntiabit ad capitulum mandatum quotidianum in charta, quod fieri debet pauperibus, & ea die incipiatur ſecundum quod ordinatum (intimatum) eſt, & ordinarius docet. Eadem die fiat proceſſio, & hoc idem obſervetur omni feria 4ta & 6ta uſque ad Paſcha.

Digitized by Google

† Benedictio ſuper Ramos Palmarum.
Ex antiquiſſimo ſacramentario Rhenaug.

Bone Redemptor noſter Domine, qui ad paſſionem redemptionis noſtræ ſpontaneus adpropinquas, cum Tibi ramis arboreis certatim ſternitur via, & triumphatricibus palmis cum voce laudis occurritur, quæſumus Maieſtatem tuam divinam, ut oris noſtri confeſſionem atque corporis in ieiunii humiliatione libens ſuſcipias, & fructum noſtræ viriditatis habere concedas, ut ſicut illi intui fuerunt obviam cum arboreis virgis egreſſi, ita nos te redeunte in ſecundo adventu cum palmis victorie mereamur occurrere læti. Per Dnum.

Benedictio dp. Palmæ & Olivæ.

Omnipotens & miſericors Deus, prætende nobis miſericordiam tuam, ut quod ſperantes ad te petimus, te donante conſequi mereamur. Per.

Alia. Petimus te ſancte Pater omnipotens æterne Deus, ut reſpicere digneris ſuper hanc creaturam olivæ &c.

Alia. Omnipotens ſempiterne Deus, qui diſperſa congregas &c.

Alia. Deus, qui Filium tuum Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum pro ſalute noſtra &c.

(✠)ie inter cætera mirabilium tuorum præcepta laudare † & benedicere, qui Lamech ſemen iuſtum dediſti Noe; cui revelaſti per Spiritum aquas diluvii, futura cognoſcens; cuius arcam ad noſtram ſalvationem teſtaretur mater eccleſia; de qua emiſſa columba volans ſpiritualis (ſpecialis) olivæ fructuoſum ſurculum retulit, quam ad ſe revertentem Noe gaudens ſuſcepit; quam ad ſe revertentem cum ſpiritali (ſpeciali) fructu libenter ſuſcepit, de cuius rami unctione Iacob electi titulum erexit Domino, votum vovit & oleum deſuper fudit. Hæc eſt indictio rami illius manantis de cœlis gratiæ ſeu & populi vaſa replentis. Hæc eſt gratia, quæ & viduam benedixit in oleo; hæc eſt indictio rami illius plantati ſecus decurſus aquarum, cuius folium non defluit, per quod quotidie per lavacrum baptiſmatis eccleſia procreatur, & noſtra deleantur peccata. Hæc eſt tua Domine plantatio bona valde, & tu es vita & reſurrectio mortuorum; qui quadriduanum Lazarum reſuſcitaſti a mortuis; propterea & turba cum ramis palmarum obvians tibi clamabat: Oſanna benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſrael; quapropter quæſumus Domine clementiam tuam, ut nos famulos tuos, qui huius rei gratiam & fidem veritatis percepimus, eruas de ore inferni, & adiutorio gratiæ tuæ nobis tribuere digneris, ut iuſte & pie ſancteque viventes, cum Electis & Sanctis tuis facias habere conſortium. Per Chr.

Benedictio. Palmarum.
Ex Cod. Vindob. Th. 149. olim Augienſi ſæc. IX.

Deus omnipotens qui pro ſalute generis humani de cœlo deſcendiſti ad terras, & appropinquante hora paſſionis tuæ Hieroſolymam in aſino veniſti, & a turbis rex nominari, ab eis laudari voluiſti, bene†dicere dignare hos palmarum cæterarumque frondium ramos, ut omnes qui eos accipiunt ita benedictionis tuæ dono repleantur, quatinus & in hoc ſæculo hoſtis antiqui temptamenta ſuperare, & in futuro cum palma victoriæ, & fructu bonorum operum tibi valeant apparere. Per Dnm nrm.

Alia Benedictio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui in diluvio Noae famulo tuo oſtendiſti effuſione per ora columbæ geſtantis ramos olivæ pacem terræ redditam nunciaſti; te ſupplices deprecamur ut hanc creaturam quam ante conſpectum gloriæ tuæ offerimus veritas tua ſancti†ficet ut eam devotus populus ſuſcipiens, benedictionis tuæ gratiam conſequi mereatur. Per.

Alia. Omnipotens æterne Deus mundi creator & redemtor qui noſtræ liberationis & ſalvationis gratia ex ſumma cœlis arce deſcendere, carnem ſumere ac paſſionem ſubire dignatus es quique ſponte propria loco eiuſdem appropinquans paſſionis a turbis cum ramis palmarum obviantibus benedici, laudari, & rex benedictus in nomine Domini veniens, elevata voce appellari voluiſti, tu nunc noſtræ laudationis confeſſionem acceptare & hos palmarum ac florum ramos bene†dicere & ſancti†ficare digneris, ut quicunque in tuæ ſervitutis obſequio exinde aliquid tulerit cœleſti bene†dictione ſancti†ficetur, remiſſionem peccatorum & vitæ æternæ præmia percipere mereatur, per te Salvator mundi qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum. Amen.

Aliæ orationes in die Palmarum ad flores benedicendos vel Palmas.

Deus qui Filium tuum Ieſum Xpm Dnm nrm pro ſalute noſtra in hunc mundum miſiſti &c.

Alia oratio.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui de cœlis ad terram deſcendere dignatus es, & ad paſſionem volun-

voluntatis tuæ venire voluiſti, ut humanum genus per tuum ſanguinem pretioſum liberares, qui in monte oliveti miſiſti diſcipulos tuos, & præcepiſti aſinam & pullum ſubiugalem cum eis adducere, quia tu Deus dignatus es ſuper eam aſcendere, & pueri Hebræorum cum ramis palmarum in occurſum tibi venerint, te laudantes & dicentes Oſanna filio David benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſrahel Oſanna in excelſis. Qui Noe in archa ſuper undas diluvii gubernaſti, & ipſe ex ea columbam dimiſit, ut perſpiceret mundum, & reverſa ipſa ad eum ore ſuo ramum olivæ proferebat, & ex ea naſcitur unctio. Unde Iacob erigens lapidem in titulum, & ex ramis olivarum oleum benedictionis in cacumen tituli infundit, unde unxit reges & prophetas tuos oleo. Proinde te rogamus omnipotens Deus ut benedicas hos ramos olivarum, quos tui famuli in ſuis manibus ſunt ſuſcepturi, & venientes in occurſum tuum te benedicentes & dicentes, benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſrahel Salvator mundi qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum.

Alia. Deus qui diſperſa congregas & congregata reſtauras, qui populis tuis &c.

Alia. Adhuc petimus Domine ſancte Pater, ut reſpicere digneris ſuper hanc creaturam olivæ vel arborum quam ex ligni materie producere iuſſiſti, qua columba rediens ad archam proprio detulit ore, benedicere & ſanctificare digneris, ut quicunque ex ea acceperint accipiant ſibi ad defenſionem animæ & corporis: fiat Domine nobis ad ſalutis remedium tuæ gratiæ ſacramenta. Per Dnm.

Dominica in Palmis ad ſanctum Iohannem in Lateranis.

Ex Cod. Vind. Th. 685. ſæc. X.

Imprimis legitur evangelium ſecundum Matthaum. In illo tempore cum adpropinquaſſent Iheroſolym. *Deinde ſequitur benedictio palmarum vel aliorum frondium.* Deus cuius Filius pro ſalute generis humani de cœlis deſcendit ad terras, & appropinquante hora paſſionis ſuæ Hieroſolymam in aſino venire & a turbis rex appellari ac laudari voluit bene✝dicere dignare hos ramos palmarum cæterarumque frondium, ut omnes qui eos laturi ſunt, hic & in futuro cum palma victoriæ & fructu bonorum operum valeant apparere. Per eundem.

Alia. Deus qui per olivæ ramum pacem terræ nuntiare iuſſiſti, præſta quæſumus &c.

Alia. Omnipotens ſempiterne Deus, qui Dnm nrm Ihm Xpm hodierna die ſuper pullum aſinæ &c.

Exorciſmus frondium.

Exorcizo te omnis creatura foliorum (*ſ.* florum) vel frondium in nomine Patris omni✝potentis, & in nomine Ieſu Chri✝ſti Filii eius, omnis virtus adverſarii omniſve exercitus diaboli & omnis ſpiritus inimici, omniſque incurſio dæmonum eradicare & explantare ab hac creatura, ut hanc gerentes, & ad Dei gratiam feſtinantes non inquietare, non illudere præſumas, interdico tibi per Dnum nrm Ihm Xpm qui vent.

Oremus. Deus qui Filium tuum unigenitum pro redemtione noſtra dignatus es dirigere, ut populum tuum ab initio in peccati profundo dimerſum a morte revocares ad vitam, & chirographo letali deleto ſanguine Filii tui gentibus innovares regnum. Deus qui diſperſa congregas & congregata conſervas, qui populis obviam Chriſto ramos portantibus benedixiſti, bene✝dic etiam hos ramos palmæ & arborum, quos tui famuli ad nominis tui benedictionem fideliter ſuſcipiunt, ut in quocunque loco introducti fuerint, benedictionem tuam conſequantur, ut omni adverſa valetudine effugata, dextera tua protegat, quos redemit. Per eundem.

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo noſtro. Dignum & iuſtum eſt. *Præfatio.* Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus. Mundi conditor omniumque creaturarum mirabilis diſpoſitor &c. *Dividentibus miniſtris ramos per populum clerus decantet. Ant.* Turba multa. *cum pſalmo* Cantate Domino. primo. *&* Gloria Patri.

Oratio in Choro poſt acceptos ramos.

Adiuva Domine fragilitatem plebis tuæ, ut ad votivum magnæ feſtivitatis effectum intercedente beato Albano martyre tuo (1), & corporaliter guber-

(1) Ad latus in codice hic legitur *beata Dei genitrice Maria* cui beatiſſimæ virgini dicatum fuit monaſterium *S. Margarethæ* ord. *S. Ben.* in *Waldkyrch* ad quod ex monaſterio *S. Albani* extra muros *Moguntiæ* putamus perveniſſe hunc codicem Theol. 685. bibl. Cæſar. ex quo multa deſcripta referimus. In eo miſſa S. MARGARETHÆ eadem quidem manu habetur extra ordinem poſita, SS. SCHOLASTICÆ & MARGARETHÆ nomina in canone poſt conſecrationem addita ANASTASIÆ, EUPHEMIÆ. Ante conſecrationem poſt verba COSMÆ & DAMIANI add. *Albani*, *Sergii*, *&* *Bachi*, *Dionyſii & Bonifacii*,

Digitized by Google

gubernata recurrat, & ad perpetuam vitam te miſerante perveniat. Per.

Ad Proceſſionem.

Ant. Occurrunt turbæ. *Alia Ant.* Ante quinque dies ſolemnis Paſchæ. *Alia.* Cum audiſſet populus. *Alia.* Collegerunt pontifices. Unus autem ex ipſis. *Alia.* Cum appropinquaſſet. *Verſiculi.* Gloria laus. (ut fere in miſſali *Romano.*) *Sequitur ſalutatio puerorum ad crucem. Ant.* Pueri Hebræorum. ℟. Ingrediente Domino. ℣. Cum audiſſent. (1)

Benedictio in palmis.

Ex Cod. Rhenaug. ſæc. XI. circ.

Ant. Sitientes. ℣. Attendite. Gloria. Dominus vobiſcum. Omnipotens ſempiterne Deus qui Dnm nrm Ihm Xpm hodierna die ſuper pullum &c.

Lectio

Martini, Benedicti; nec non & illorum ſanctorum, quorum ſolempnitas hodie in conſpectu maieſtatis tuæ celebratur Domine Deus noſter in toto orbe terrarum, & omnium ſanctorum &c. Poſt orationem dominicam in oratione *libera nos &c.* poſt S. ANDREAM additur; „*Sed & ſanctis martyribus tuis Albano & Sergio, Cyriaco, Pancratio, Vincentio; nec non & ſanctis Confeſſoribus tuis Martino, Bothardo, Benedicto cum omnibus Sanctis, da propitius pacem &c.* Sic in litaniis poſtremis Rogationum: *O Bodarte confeſſor, Martineque pariter nos cum confeſſoribus adiuvate precibus.* Et paulo ante *Martyr Chriſte Theodole, patroneque Albane &c.* Eodem ordine in primis litaniis ſeparatim ponuntur SS. THEODOLUS, & ALBANUS; hic vero omnium frequentiſſime in omnibus litaniis alicubi etiam nomine ALBANI litteris uncialibus diſtincto cum cifra ad repetendum. Bis etiam S. MARGARETHA ultimo inter virgines occurrit loco. Notanda porro verba: *Ut Ottonem regem & eius exercitum Dominus conſervet.* Et: *Ut rex noſter Otto eius & exercitus hinc & inde ſervetur Oramus Chriſte audi nos. Ut ſæviens gladius, & paganus populus depellatur a nobis &c.* Quod ad *Hungaros* ſæc. X. *Alemanniam* cum aliis regionibus continuo incurſantes ac monaſteria paſſim depopulantes pertinet.

(1) Magna imprimis celebritate hæc peracta leguntur a S. UDALRICO *Auguſtæ Vindelicorum* in noſtra *Alemannia.* Dominica Ramorum ibat is ſummo mane ad eccleſiam *S. Afræ*, ubi canebat miſſam de Trinitate, & faciebat ramorum benedictionem, quos, comitantibus clericis, & populo, deferebat cum evangelio, cruce, vexillis, & imagine Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ſuper aſinam repræſentante, uſque ad certum locum, quo illi occurrebat canonicorum chorus, & magnus populi cœtus, qui ramos, aut veſtimenta proſternebant in via. Diviſæ ac mutuo ſibi occurrentis proceſſionis monachorum modum ita explicat ordo operis Dei Mſc. ſæc. XIV. qui ſæc. XVI. adhuc obtinuit in monaſterio *S. Blaſii*: „Poſt matutinam miſſam faciant aquam benedictam, deinde fiat proceſſio per clauſtrum. Interim canunt Tertiam, & ſint omnes reveſtiti albis, ſine aliis ſacris veſtibus. Poſt tertiam legat Diaconus Evangelium, *Cum appropinquaſſet.* deinde ſacerdos incipiat benedictionem ſuper palmas; hac expleta aſpergat palmas aqua benedicta, dein oblato incenſo ſuper altare & poſtea ſuper palmis incipiat cantor Ant. *Pueri Hebræorum*, tunc ſecretarius det ſingulis palmas, & cum omnes habuerint receptas palmas, proceſſionem faciant in hunc modum: Primo aqua benedicta, deinde thuribulum & 2. candelabra, poſtea Crux, deinde textus Evangelii, atque totus chorus; & eant per ambitum ad valvas monaſterii, & ibi faciant ſtationem.

Item poſt exitum ſeniorum de choro remaneant ibi aliqui de ſchola, qui habeant etiam ordinatam proceſſionem, ut ſupra ſcriptum eſt, qui etiam exeant de choro, & faciant ſtationem retro imaginem Chriſti, & finitis a ſenioribus proceſſionalibus antiphonis incipiant pueri, *gloria laus*, & cantent totum verſum, deinde ſeniores repetant *gloria laus;* deinde pueri, *Iſrael es tu Rex*, item ſeniores, *cui puerile;* & ſic faciant uſque in finem hymni *gloria laus*, & poſtea redeat minor proceſſio in maiorem proceſſionem, ſinguli in ordinem & in locum ſuum.

Tunc cantor incipiat *occurrerunt turbæ.* poſtea Domnus Abbas offerat palmam Redemtori flexis genibus cantando ant. *Fulgentibus*, it. *cæperunt omnes.* Ad introitum *ingrediente*, poſtea *Collegerunt.* Interim duo bene vociferati ad gradus cantent ℣. *Unus autem* ℟. Chorus, *ne forte veniant.* Ad Miſſam *Domine ne longe*, duo fratres cantent graduale, tres primum verſum Tractus antę gradus, dexter chorus ſecundum, ſiniſter chorus tertium, ſupradicti tres quartum, & ita totus tractus alternetur, ultimus autem verſus ab omnibus dicatur, dextro vero canente ſuum verſum ſedeat ſiniſter chorus: ſiniſtro choro cantante ſedeat dexter chorus; cantantibus illis ad gradus poteſt uterque chorus ſedere.

Et nota, in hac die facto prandio eant fratres in dormitorium, & pauſent. Et cum tempus fuerit, excitentur fratres cum parva ſcylla, & poſtea pulſetur ad nonam.

Hæc conſuetudo reincipienda eſt in die S. Paſchæ, & ſervatur per totam æſtatem. K 2

Digitized by Google

Lectio libri Exodi. c. 15. v. 22.

In diebus illis Egreſſi ſunt filii Iſrael in deſertum Sur: ambulaveruntque tribus diebus &c. *uſque ad* ℣. 2. *ſeq. Capitis.* ℟. Collegerunt Pontifices & Phariſæi &c.

Init. Evang. ſecundum Marcum:

Cum appropinquaret Ieſus Ieroſolymæ, & veniſſet Bethaniæ ad montem olivarum; tunc miſit duos ex diſcipulis ſuis, & dixit illis: ite in Caſtellum &c. *c.* 11. *uſque ad v.* 11.

Dns vobiſcum. *in directum.*

Deus, cuius filius pro ſalute generis humani de cælo deſcendit ad terras; & appropinquante hora paſſionis ſuæ Hieroſolymam in aſino venire, & a turbis rex appellari voluit; bene†dicere dignare hos palmarum, ſeu ceterarum frondium ramos: ut omnes, qui eos laturi ſunt, ita benedictionis tuæ dono repleantur, quatenus & in hoc ſeculo hoſtis antiqui temptamenta ſuperare, & in futuro cum palma victoriæ, & fructu bonorum operum tibi valeant apparere. Per eund &c.

Deus, qui Filium tuum unigenitum pro redemtione noſtra dignatus es ad nos dirigere, ut populum tuum in peccati profundo ab initio demerſum a morte ad vitam revocares, & chyrographo lætali deleto ſanguine Filii tui gentibus innovares regnum. Deus, qui deſperſa congregas, & congregata conſervas; qui populis obviam Chriſto ramos portantibus benedixiſti; bene†dic etiam hos palmarum & ceterarum frondium ramos, quos tui ſupplices ad nominis tui gloriam fideliter ſuſcipiunt; ut in quocunque loco allati fuerint, inibi manentes tuam benedictionem conſequantur: & omni adverſa valitudine fugata dextera tua protegat quos redemit. Per eundem &c.

Deus qui per olivæ ramum pacem terræ nuntiari iuſſiſti, præſta quæſumus: ut hos palmarum, ceterarumque frondium ramos ita tua cœleſti benedictione ſanctifices; ut omnibus locis, ad quæ portati fuerint, contra antiqui hoſtis inſidias pacem & benedictionem valeant ſine fine conferre. Per &c.

Bene†dic Domine quæſumus hos palmarum, ſeu olivarum ramos; etiam Domine deprecamur: ut prædicta arborum germina ita ſancti†ficare digneris, ut loca, ad quæ portata fuerint, ſanctificata efficiantur: quo omnis iniquitas ſeu illuſio dæmonum abſcedat, & tua nos ſemper dextera protegere dignetur. Per D. n. I. Ch. F. t. qui t. v. & r. &c. per omnia ſæcula ſæculorum. Am.

Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.
Surſum corda. Habemus &c.
Gratias agamus &c. Dignum &c.

Vere dignum & iuſtum eſt &c. æterne Deus. Conditor mundi, omniumque creaturarum mirabilis diſpoſitor, qui inter ipſa mundi primordia, cum ex nihilo cuncta conderes; ligna quoque fructifera, & diverſo uſui congrua terram producere iuſſiſti; ac poſt maledictum interdictæ arboris univerſa nobis per obedientiam unigeniti tui in benedictionem convertiſti: bene†dic etiam hos multigenarum arborum ramos, inter quas præcipue arbor olivæ pinguedine cuncta præcellit; per quam etiam cum crimina mundi diluvio quondam expiarentur diffuſo, columba ramum eiusdem deferens pacem terris redditam nuntiavit: nec non & innocens turba Spiritu ſancto afflata, unigenito tuo Domino noſtro Ieſu Chriſto pro totius mundi ſalute paſſuro obviam currens, palmarum, & huius arboris ramos abſcidens, ac veſtigiis eius ſubſternens iam quaſi triumphatorem de mortis principe oſtendebat.

Te Domine ſuppliciter deprecamur: ut qui annua devotione eiusdem Redemptoris noſtri ſacratiſſimam paſſionem prævenire nitimur; ipſo adiuvante palmam victoriæ tenentes, atque oleo miſericordiæ intrinſecus refulgentes, in eius ſancta reſurrectione præmium vitæ & immortalitatis coronam percipere mereamur. Per eund. Dom.

IN COENA DOMINI.

Ex Cod. bibl. Cæſ. Vind. ſæc. X. vel XI. Theol. num. 359.

Ipſo die ſonentur campanæ ad Miſſam, & ad cæteras horas, ſicut mos eſt diebus ſollemnibus, ut omnes veniant ad Eccleſiam, in qua Chriſma mos eſt conſecrari, & ſic ſileant uſque in ſabbatum ſanctum. Presbiteri vero & cæteri clerici, hora tertia induant ſe veſtimentis ſollemnibus, & diaconi dalmaticis, atque ſubdiaconi albis ſericis induantur, & ſtent in ordine ſuo, ſinguli in Eccleſia exſpectantes, uſque dum veniat Domnus pontifex cum proceſſione plenaria ad Miſſam, ſicut diebus ſollemnibus ſolet, cum VII. diaconibus & totidem ſubdiaconibus & ceroferariis, & VII. cereoſtatis & duobus turribulis cum incenſa. Cantor autem & ſcola ſtatim ut iuſſum fuerit imponat introitum ad Miſſam: Nos autem gloriari. *cum pſalmo &* Gloria. *& verſu &* Kyrieleiſon.

Tunc dicat pontifex: Gloria in excelſis Deo. *quo finito dicat orationem pleniter. ſicut aliis diebus*, Pax vobis. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Orat.*

Deus

Deus a quo & Iudas proditor. *Tunc legatur epiſtola Pauli ad Corinthios:* Fratres convenientibus vobis in unum. *uſque*, ut non cum hoc mundo damnemur. *Gr.* Chriſtus factus eſt. ℣. Propter quod Deus. *Ante Evangelium portentur candela & incenſum ſicut mos eſt, legitur Evangelium ſecundum Ioannem:* In illo tempore. Ante diem feſtum Paſcæ ſciens Ieſus quia venit hora eius. *uſque*, quemadmodum ego feci, vobis ita & vos faciatis. *Perlecto Evangelio facto ad populum ſermone dicat pontifex:* Dominus vobiſcum. Et cum Sp. t. & Oremus. *deinde canitur offertorium* Dextera Domini. *Offerentibus presbiteris & cæteris qui voluerint, tunc dicatur ſecreta.* Ipſe Tibi Domine &c. (*ut Tom. I. Mon. pag.* 72.)

Sequitur Præfatio, & *dicat pontifex* Te igitur *ordine ſuo ubi uſque dicitur* Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus pro nobis eſt traditus. ſed & memoriam venerantes. *Sequitur* Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ & cunctæ familiæ tuæ quam tibi offerimus ob diem in qua Dominus noſter Ieſus Chriſtus tradidit diſcipulis ſuis corporis & ſanguinis ſui myſteria celebranda quæſumus Domine ut placatus accipias & reliq. *uſque* Qui pridie quam pateretur pro noſtra omnium ſalute hoc eſt hodie accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas.

Tunc offeratur pontifici oleum de ampullis quas offerunt populi ad unguendos tam infirmos quam energumenos, & in ultimo antequam dicatur, Per quem hæc Domine ſemper bona creas. *exorcizet & benedicat illud tam ipſe quam omnes presbyteri qui aſſunt, ut tantum poſſit a circumſtantibus audiri.*

Exorciſmus Olei.

Exorcizo te inmundiſſime ſpiritus omniſque incurſio ſatanæ & omne fantaſma, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ut recedas ab hoc oleo, ut poſſit effici unctio ſpiritalis ad corroborandum templum Dei vivi, ut in eo poſſit Spiritus ſanctus habitare, per nomen Dei Patris omnipotentis, & per nomen dilectiſſimi Filii eius Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Et non peragatur concluſio.*

Alia. Emitte Domine Spiritum tuum paraclitum de cœlis in hanc pinguedinem olivæ, quam de viridi ligno producere dignatus es ad refectionem corporis, ut tua ſancta benedictione ſit omni tangenti unguentum ſalubre medicina cœleſtis, tutamen mentis & corporis, ad evacuandos omnes dolores, omneſque infirmitates, omnemque ægritudinem mentis & corporis, unde unxiſti ſacerdotes, reges, & prophetas, & martyres. Chriſma tuum perfectum Domine nobis a te benedictum permanens in viſceribus noſtris. In nomine Domini noſtri I. Ch. (1)

Tunc dicatur: Per quem hæc omnia &c. Præceptis ſalutaribus moniti & divina inſtitutione formati audemus dicere. Pater noſter. *Et oleum reportetur & in loco ſuo conſervetur. Miſſa vero in ordine ſuo agatur, uſque dum benedictiones epiſcopales ſolvantur.*

Tunc communicet ſolus pontifex ante altare, & diaconus ei offerat calicem & non frangat oblatas niſi eam ſolam unde ille communicat illo tantum in die. Poſtquam communicaverit, ponat diaconus calicem ſuper altare. Deinde acceptam a ſubdiacono patenam ponat iuxta calicem de altare ſiniſtro, & ſtatim a duobus diaconibus utrumque cooperiatur de ſindone munda, quam prius præparaverant in ora altaris e regione poſt corporalem expanſam. Tunc Domnus epiſcopus vadat ad ſedem ſuam cum diaconibus & exſpectet.

De Conſecratione principalis Chriſmatis.

Exſpectante vero in ſede ſua pontifice veniant ad ſacrarium XII. presbyteri & cæteri clerici quantum opus ſit ad deferendum cum omni decore oleum chryſmale, & oleum catecuminorum & neophytorum uſque in eccleſiam ante epiſcopum. Sint enim idem parati presbiteri & cum eis cæteri clerici caſulis & ſollemnibus veſtimentis. Tunc

(1) In cod. *Vind.* Th. 277. ſæc. XII. vel XIII. alio ſequentia adduntur.

Et non peragatur concluſio; Item Benedictio eiuſdem olei. „Domine qui ſtudio ſalutis humanæ creaturis tuis vim benedictionis indidiſti, ut animarum noſtrarum ſanctificationis utilitas creaturarum etiam corporalium miniſterio noſtris ſalus temporibus tribueretur; infunde ſanctificationem tuam huic oleo, ut quæ unxerit membra fugatis inſidiis adverſariæ poteſtatis ſuſceptione præſentis olei Spiritus ſancti gratia ſalutaris debilitatem expellat, & plenam conferat ſoſpitatem in nomine dni nri Ihu Xpi.“ *Et non peragatur concluſio.* Item benedictio eiuſdem olei ad omnem languorem quocunque tempore, *& nulla in huius olei benedictione concluſio dicatur antequam ſub inferatur.* „Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas. In tuo nomine Deus Pater omnipotens, & Ihu Xpi filii tui dni nri ſigno & in virtute Spiritus ſancti hanc creaturam olei exorcizamus.“ *Hic dicatur.* „Per quem &c.

Digitized by Google

Tunc duo accoliti accipientes duas ampullas, quæ ad chryſma & ad oleum catecuminorum conſecrari debent, & procedant, & ordinent ſe illi presbyteri, & prædicti clerici rite & ordinabiliter ita ut primum ambulent duo acoliti cum candelabris & ardentibus cereis. Deinde portentur duæ cruces & inter illas medium chriſmale oleum. Poſt eas portetur evangelium, ut impleatur omne bonum. Poſtea ſequantur bini & bini illi XII. presbyteri teſtes & cooperatores eiusdem ſacroſancti chriſmalis myſterii. Tunc vero ſubſequantur pueri in laudem eiusdem myſterii concinentes hos verſus.

Verſus.

Audi iudex mortuorum una ſpes mortalium.
Audi voces proferentum donum pacis previum.
℣. O Redemptor ſume carmen temet concinentium.
℣. Arbor fœta alma luæ hoc ſacrandum protulit.
Fert hoc prona prenſens turba ſalvatori ſæculi.
O Redemptor.
℣. Stans ad aram immo ſupplex infulatus pontifex.
Debitum perſolvit omne conſecrato chriſmate.
O Redemptor.
℣. Conſecrare tu dignare Rex perennis gloriæ.
Hoc olivum ſignum vivum iura contra dæmonum.
O Redemptor.
℣. Ut novetur ſexus omnis unctione chryſmatis.
Et medetur ſauciata dignitatis gloria.
O Redemptor.
℣. Lota mente ſacro fonte auſugantur crimina.
Uncta fonte ſacroſancta influant cariſmata.
O Redemptor.
Corde natus ex parentis alvum implens Virginis.
Præſta lucem claude mortem chryſmatis conſortibus. O Redemptor.
Sit dies hæc feſta nobis ſæculorum ſæculis.
Sit ſacrata digna laude nec ſeneſcat tempore.
O Redemptor.

Venientibus autem eodem ordine in chorum & ſtantibus ad orientem verſis verſibusque finitis interdum ordinent ſe lectores, hoſtiarii, accoliti & ſubdiaconi, & ſtent in ordine ſuo ſecundum eorum gradum, ubi aſcenditur ad altare tanti, ut ſubdiaconus ſit ſextus in eminentiori loco, & iuxta eum archidiaconus qui legebat, & ita involutam ampullam ſuſcipientes per ordinem ut aſcendat. Et ut pervenerit ad archidiaconum, ille perferat eam ita involutam ante pontificem. Interim autem unus ſubdiaconus deferens vaſculum cum balſamo alii diacono & ille pontifici.

Tunc ordinentur circa epiſcopum hinc atque hinc eadem candelabra & cruces & thuribula atque evangelium. Necnon & prædicti presbyteri XII. teſtes & adiutores eiusdem myſterii, ita ut diaconi ſtent poſt dorſum epiſcopi, presbyteri vero a dextris & a ſiniſtris. Cruces vero & cætera utrinque inter illos media. His ita conſtitutis convertat ſe epiſcopus aut cui ille præceperit tam ad clerum quam ad populum, & faciat ſermonem de confectione chryſmatis congruentem. Deinde convertat ſe ad Orientem, & intret in conſecrationem principalis chryſmatis. Et primo miſceat balſamum cum oleo, deinde halat ter ſuper illam ampullam, & dicat lenta voce

Exorcizo te creatura olei per Deum Patrem omnipotentem &c. (*ut Tom. I. Mon. p.* 74.) Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Dominus vobiſc. Et cum Spiritu tuo. Surſum corda. Habemus ad Dnum. Gratias agamus Dno Deo noſtro. Dignum & iuſtum eſt &c. Æquum & ſalutare. Nos tibi ſemper & ubique gratias agere &c. (*Ib. p.* 76.)

Finita benedictione Domnus Epiſcopus ſalutet Chriſma nudum & miniſtri qui iuxta eum ſunt, & ita iterum per ordinem deſcendat, ſicut aſcendit. Et tenente ampullam acolito deferatur omnibus cooperta ad ſalutandum per ordinem, ut a nemine nuda videatur. Hoc autem facto ſummo honore procuretur, uſque dum altera ampulla aſcendat & iterum deſcendat, ut ambæ honorifice ad locum ſuum redeant.

Exorciſmus Olei.

Deſcendente autem ampulla cum Chriſmate ſtatim alia cum oleo catecuminorum cooperta aſcendat ſicut prior uſque ante Epiſcopum. Et halat in ipſam ter ſicut in priorem, ſed tacite ordine quo ſupra delatam, & imprimis faciat ei exorciſmum, & benedicat eam quaſi legens lectionem.

Exorcizo te creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis &c. (*Tom. I. Mon. pag.* 74. *col.* 1.)

Tunc dicat Dominus vobiſcum. Deus incrementorum &c. (*ib. pag.* 75.)

Tunc domnus Epiſcopus & qui iuxta eum ſunt ſalutent eam & deſcendat per ordinem ſicut altera, & deferatur omnibus ad ſalutandum, his ita peractis eodem ordine & decore quo aſcenderant in eccleſiam redeant ambæ ad ſacrarium, tunc lavet pontifex manus & diaconi vadunt ad altare, & diſcooperiant ſancta. Et pontifex veniens ad altare dividat oblatas ad frangendas, & communicet omnis populus ordine ſuo & ſummat de ipſis oblatas integras ad ſervandum uſque mane diei paraſceve, de quibus communicent abſque ſanguine Domini, ſanguis vero

Digitized by Google

vero eadem die penitus conſumatur. Et ſcola dicente Agnus Dei abſque oſculo & communione. Dominus Ieſus. cum pſalmo & gloria. *Fractis autem oblatis communicent presbyteri primo poſtea diaconi, & cæteri omnes. Et ita perficiatur Miſſa ordine ſuo. Ad Compl.* Refecti vitalibus alimentis. *Super populum.* Concede quæſumus Domine, ut perceptum novis.

Et pontifex deſcendat in ſacrarium mandans presbiteris quod voluerit, tunc Chriſma novum miſceatur cum veteri, ſi quid reſiduum ſit, ſimiliter & oleum, & ita dividatur per presbiteros, & finita ſunt iſta.

Ad veſperum in cœna Domini. Non dicatur Deus in adiutorium. *Sed antiph.* Calicem ſalutaris. *Pſ.* Credidi propter. *Ant.* Cum his qui oderunt. *Pſ.* Ad Dominum. *A.* Ab hominibus iniquis. *Pſ.* Eripe me. *A.* Cuſtodi me a laqueo. *Pſ.* Domine clamavi. *A.* Conſiderabam ad dexteram. *Pſ.* Voce mea. *Lectio non dicatur nec verſus. Sed antiph.* Conantibus autem. *Pſ.* Magnificat. *Oratio ad Veſperum.* Deus cuius cœnam ſacratiſſimam veneramur ut ea digni inveniamur, munda nos quæſumus a ſordibus peccatorum, qui ad inſinuandum nobis humilitatis exemplum pedes tuorum dignatus es lavare diſcipulorum, qui cum Deo Patre. *Cum autem ſcola primum antiph. dicit.* Calicem ſalutaris. *Statim duo acoliti parati cum nigris caſulis incipiant exſpoliare altaria, uſque dum finitur veſpera poſtea tolluntur. A veſpera autem huius diei nuda ſunt altaria uſque in mane ſabbati: Expletis omnibus procedit Domnus Epiſcopus cum omni alacritate cum presbiteris & clero ſi vult ante vel poſt cibum ad locum ubi mandatum vult perficere. Unus ex ſubdiaconis cum Evangelio & pueri cum cruce & duobus cereis ardentibus & incenſo, parati procedunt cum Archidiacono in locum ubi fratres ad mandatum conveniunt. Et primo omnium legitur Evangelium ſecundum Ioannem.* Ante diem feſtum paſcæ. *Deinde fratribus mutuo ſeſe lavantibus cantantur antiph. de cœna Dni.* Cœna facta dicit Ieſus. *Pſ.* Miſereri mei. *A.* Poſtquam ſurrexit. *Pſ.* Deus miſereatur noſtri. *A.* Si ego Dominus & Magiſter. *Pſ.* Quam dilecta. *A.* In hoc cognoſcent. *Pſ.* Domine exaudi. *A.* Dominus poſtquam. *Pſ.* Beati immaculati. *A.* Diligamus nos. *Pſ.* Ecce quam bonum. *A.* Mandatum novum. *A.* In diebus illis. *A.* Ante diem feſtum. *A.* Vos vocatis me. *A.* Domine tu mihi lavas. *Oratio poſt mandatum. Poſt lavacrum pedum, & poſt fractionem panis Domnus Epiſcopus vel presbyter pronunciat hos verſus:* Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi. Tu mandaſti mandata tua, cuſtodiri nimis. Tu lavaſti pedes diſcipulorum tuorum. Opera manuum tuarum Dne non deſpicias in eternum.

Adeſto Domine officiis noſtræ ſervitutis, quia tu pedes lavare dignatus es tuis diſcipulis. Ne deſpicias opera manuum tuarum, quæ nobis retinenda mandaſti, ut ſicut hic exteriora abluuntur inquinamenta ſic a te omnium noſtrum interiora laventur peccata, quod ipſe præſtare digneris qui vivis &c. *Alia.* Deus qui diſcipulorum tuorum pedes abluens pio affectu eis exemplum præbuiſti, mandatumque dediſti. Concede propitius ut per obſequium mandatorum tuorum eorum obtentu de tuo lætemur aſpectu, quod ipſe præſtare. *Alia.* Annue miſericors Deus, ut qui divina præcepta violando a paradiſi felicitate decidimus, ad æternæ beatitudinis redeamus acceſſum per tuorum cuſtodiam mandatorum. Quod ipſe præſtare.

Feria V. Cœna Domini.

Media nocte ſurgendum eſt, & tangitur ſignum, & poſt hac non tangitur niſi in nocte ſanctum (ſancta) Paſcha ad matutinum; at vero eccleſia omni lumine decoretur, & more ſolito Deus in adiutorium meum *non dicant, nec* Gloria. *nec Invitatorium; ſed cantor incipit in pſalmis (mo) antiphonam, ſicut in antiphonarium (rio) continetur; nec presbyter complet in fine orationem, ſed tacite ſurgendum eſt, & lector benedictionem petat: & quando finit, non dicat* Tu autem, *ſed ex verbis lectionum iubetur facere finem. Lectiones vero legantur tres de lamentatione Hieremiæ prophetæ, ubi dicit:* Quomodo ſedet ſola civitas, *uſque* Cogitavit Dnus diſſipare murum filiæ Sion; *tres de tractatu ſancti Auguſtini in pſalmo (mum)* Exaudi Deus orationem meam primo (mum). *Tres de apoſtolo ubi ait* 1. *ad Corinthios cap. XI.* Ego accepi a Dno, quod & tradidi vobis. *VIIII. pſalmos. VIIII. lectiones. VIIII. reſponſoria, cum antiphonas (is) omnia complenda ſunt. Sequitur matutinum: matutino completo non dicatur* Kyrie eleyſon, *nec* Et ne nos inducas in temptationem. *Hora autem tertia ingreſſi ſacrarium induuntur dalmaticis tam pontifex, quam omnes diaconi, vel omni ornamento, ſedente pontifice in ſella ſua, & præparantur ampullæ duæ cum oleo, quarum melior defertur pontifici, ut accepto balſamo & commiſcitato cum oleo manu ſua impleat eam, illam vero aliam miniſtri teneant plenam; & pontifex lotis manibus procedit cum ſeptem cereoſtata (is)*

ad

Digitized by Google

ad Miſſas (1), *dicta antiphona ad Introitum:* Nobis autem glori (ari) oportet. *Sequitur* Gloria in excelſis Deo.

Dicit orationem:

Deus a quo & Iudas reatus ſui pœnam & confeſſionis &c. *Legitur apoſtoli lectio:* Fratres! convenientibus vobis in unum, *uſque* ut non cum hoc mundo dampnemur. *Sequitur Grad* Chrꝰ factus eſt pro nobis obediens uſque ad mortem. *Legitur evangelium ſecundum Iohannem caput XIII.* In illo tempore ſciens Dnus quia venit hora eius: *uſque* quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. *Canitur offertorium:* Dextera Dni. *Sequitur ſuper oblata:* Ipſe tibi quæſumus Dne. *Et dicit pontifex ordine ſuo uſque ubi dicit:* Communicantes & diem ſacratiſſimum celebrantes, quo Dnus noſter Ieſus Chriſtus pro nobis eſt traditus; ſed & memoriam. *Sequitur:* Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quam tibi offerimus ob diem, in qua Dnus noſter Ieſus Chriſtus tradidit diſcipulis ſuis corporis & ſanguinis ſui myſteria celebranda, quæſumus Dne ut placatus accipias. Qui pridie, quam pro noſtra omnium ſalute pateretur, hoc eſt hodie, accepit panem in ſanctas ac venerabiles. *Item in ultimo antequam dicatur* Per quem hæc omnia Dne ſemper bona creas. *levantur de ampullis quas offerunt populi; & benedicit tam domnus papa, quam omnes presbyteri.*

Benedictio Olei pro Infirmis.

Emitte Dne Spiritum ſanctum tuum quæſumus &c. *Sequitur* Per quem hæc omnia. *qua expleta communicat epiſcopus ſolus ante altare, & diaconus confirmat eum cum calice, illa tantummodo die, poſtquam communicaverit, ponit calicem ſuper altare. Deinde acceptam a ſubdiacono patenam ponit iuxta calicem de latere ſiniſtro, & ſtatim cooperitur a duobus diaconibus utrumque de ſindone munda, quam prius præparaverant in ore altaris e regione pontificis poſt corporalem expanſum; & continuo duo acolyti involutas ampullas cum ſindone alba ſerica, ita ut videri poſſint, a medio tenent in brachio ſiniſtro proiectis ſindonibus ſuper ſcapulam ſiniſtram, ita ut pertingat ſcapulam dextram, quatenus poſſint dependentia retinere; a quibus ſub humero ſtantibus venit ſubdiaconus, & accipit ampullam commixtam una cum ſindone, & dat eam archidiacono, & ille defert pontifici ante altare; tunc pontifex reſpiciens ad orientem, & diaconus tenens ante ipſum ampullam in ſiniſtro brachio revolutam in ſindone, ut ſupra diximus, & dicit pontifex:* Surſum corda. ℟. Habemus ad Dnm. Gratias agamus Dno Deo noſtro. ℟. Dignum & iuſtum eſt. *Et intrat in conſecrationem chriſmatis excelſa voce, ſed antequam benedicatur, balat ter in ampullam.*

VD. æquuum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus; qui in principio & inter cætera &c.

Exorciſmus Olei.

Deus incrementorum & profectuum ſpiritalium &c. *Qua expleta benedicit ampullam olei ordine quo ſupra delatam, & ſimiliter balat in ipſa ſed tacite, ampullam autem, qua cum chriſmate eſt, ſtatim ut benedicta fuerit, cooperitur, ut anima nuda videatur, ſed tenente eam accolito, omnes eam per ordinem ſalutent, quam Epiſcopus & diaconi prius nudam ſalutant. Hoc expleto, ablotis manibus Pontifex venit ante altare, & communicat omnis populus ordine ſuo, & ſervant de ſancta uſque in craſtinum.*

Ad Complendum.

Refecti vitalibus alimentis, quæſumus Domine Deus noſter, ut quod tempore mortalitatis exequimur, inmortalitatis tuæ munere conſequamur. Per. *Ea vero die hora nona faciunt excuti ignem de lapide in loco foris baſilica, ſi ibi oratorium habuerit, in porta ibi excutiunt; ſin vero, in loco in quo conſideraverit Prior ita ut ex eo poſſit candela accendi; quæ candela in arundine debet poni, & a manſionario Eccleſiæ vel loco ubi accenditur lampas; una ſervetur uſque in Sabbatum ſanctum ad inluminandum cereum, qui eodem die benedicendus eſt ordine, quo in ſacramentorum continetur. Ipſa vero die omnes diurnale officium inſimul canunt. A veſpere autem huius diei nuda ſint altaria uſque in mane Sabbato.*

Feria VI. In Paraſceven.

Media nocte ſurgendum eſt, dicuntur VIIII. pſalmi cum reſponſoriis; tres lectiones de lamentatione Hieremiæ prophetæ ab eo loco, ubi ait: Cogitavit Dnus diſſipare, *uſque* miſericordiæ Dni multæ. *Tres de tractatu S. Auguſtini de pſalmo LXIII. Tres de Apoſtolo ubi ait ad Hebræos cap. V.* Feſtinemus ergo egredi. *Deinde ſequitur*

Matu-

(1) Tota Miſſa in M. R. orationes autem ſequentes pleræque eædem in pontificali R. leguntur.

Digitized by Google

Matutinum ; lucernæ extinguuntur ; lumen autem eccleſiæ (hd) *ab initio cantus nocturni inchoatur extingui hoc tamen ordine, ut ab introitu ipſius eccleſiæ incipiat paulatim tutari, ut verbi gratia, peracto primo nocturno videatur eorum pars tertia eſſe extincta : medio nocturno iterum tertia ; tertio vero expleto, exceptis ſeptem lampadibus, nihil luminis relinquatur ; quæ in matutino hoc ordine extinguantur : in initio pſalmi primi ſit cuſtor ſemper paratus in loco dextræ partis eccleſiæ prope lampadibus ; at ubi audierit antiphonam tenens cannam in manu ſua tutat lampadem unam ; in fine pſalmi ipſius aliam ſiniſtræ partis, ſic una ex parte una, alia ex alia tutantur uſque ad evangelium, in evangelio vero tutatur in eccleſia lampas.*

Hora tertia procedit Pontifex, vel qui vicem illius tenuerit in eccleſia ſtatuta infra urbem, non tamen in maiore eccleſia ; qui dum veniens de ſacrario proceſſerit ante altare ad orandum ſuper oratorium, ſicut mos eſt, ſtatim ut ſurrexerit, cum ſilentio aſcendit ad ſedem, quo ſedente ſtatim ſubdiaconus aſcendit ad legendum, & poſt lectionem cantatur canticum : Dne audivi *cum verſibus ſuis, & dicit Pontifex :* Oremus : *& Diaconus :* Flectamus genua ; *& orat diutiſſime, & dicit* Levate, *& dicit* (forſan orationes) *quas ut finierit, omnes tacite exeunt foras ; Preſbiteri vero eccleſiarum ſive de urbe, ſeu de ſuburbanis, vadunt per eccleſias ſuas, ut hoc ordine cuncta ad veſperum faciant, hoc tantum mutantes, ut ubi Pontifex meminit apoſtolicum, ipſi nominent epiſcopum ſuum. Poſt orationes præparatur crux ante altare, interpoſito ſpatio inter ipſam & altare, ſuſtentata hinc inde a duobus accolitis ; poſito ante eam oratorio, venit Pontifex, & adoratam deoſculatur crucem ; deinde Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & cæteri per ordinem, deinde populus ; Pontifex vero ſedet in ſede uſquedum omnes ſalutent. Presbyteri vero duo priores, mox ut ſalutaverint, intrant in ſacrarium, vel ubi poſitum fuerit corpus Dni, quod pridie remanſit, ponentes eum in patenam, & ſubdiaconus teneat ante ipſos calicem cum vino non conſecrato, & alter ſubdiaconus patenam cum corpore Dni ; quibus tenentibus accipit unus presbyter patenam, & alter calicem, & defert ſuper altare nudatum ; Pontifex vero ſedet, dum perſalutat populus crucem, nam ſalutante Pontifice vel populo crucem, canitur ſemper antiphona* Ecce lignum crucis, in quo ſalus mundi pependit, venite adoremus. *Dicatur pſalmus CXVIII. qua ſalutata & repoſita in loco ſuo deſcendit Pontifex ante altare, & dicit :* Oremus : præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere : Pater noſter qui es in cœlis. *Sequitur :* Libera nos quæſumus Dne ab omnibus malis. *Cum dixerint* Amen, *Sumit de ſancta, & ponit in calicem nihil dicens, & communicant omnes cum ſilentio, & expleta ſunt univerſa, & dicit Pontifex :* In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, pax tibi. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Et poſt paululum veſpera dicit unusquisque privatim, & ſic vadunt ad menſam.*

Sabbato Sancto.

Media nocte ſurgendum eſt ; dicuntur novem pſalmi cum reſponſoriis, tres lectiones leguntur de lamentatione Hieremiæ ab eo loco ubi dicit : Miſericordiæ Dni multæ, *uſque in finem. Deinde leguntur homiliæ ſanctorum Patrum, ad ipſum diem pertinentes, & in candelis accendendis vel extinguendis, ſicut ſuperius habetur. Poſt horam tertiam ſabbato procedunt, qui baptizandi ſunt, ad eccleſiam, & ordinantur per ordinem ſicut ſcripti ſunt, maſculi in dextram, feminæ in ſiniſtram, faciens crucem ſacerdos in frontibus ſingulorum. Poſtea impoſita manu ſuper capita ſingulorum dicit :*

Ipſa expleta tangit ſingulis nares & aures de ſputo, & dicit : Epheta, quod eſt adaperire in odorem ſuavitatis. Tu autem effugare diabole, adpropinquabit enim iudicium Dei *Poſtea tangit de oleo ſancto ſcapulas & pectus, & dicit :* Abrenuntias ſatanæ ? ℟. Abrenuntio : & omnibus pompis eius : ℟. & omnibus operibus eius ? ℟. Et ego te linio oleo ſalutis in Chriſto Ieſu noſtro propitiatus in vitam æternam, pax tibi. *Hac expleta, ambulet in circuitum impoſita manu ſuper capita eorum decantando excelſa voce :* Credo in Deum, *vertit ſe ad feminas, & facit ſimiliter. Poſtea dicitur eis ab archidiacono :* Orate electi, flectite genua, *& poſt paululum dicit :* Levate, complete orationem veſtram in unum, & dicite amen ; *& reſpondent omnes* amen. *Iterum admonentur ab archidiacono his verbis :* Caticumini recedant ; ſi quis caticuminus eſt, recedat ; omnes caticumini exeant foras. *Iterum dicit diaconus :* Filii kariſſimi revertimini in locis veſtris expectantes horam, qua poſſit circa vos Dei gratia baptiſmi operari. *Hora nona ingrediuntur in ſacrarium ſacerdotes & levitæ, & induunt ſe veſtimentis, cum quibus vigilias celebrare debent, & accenſo cereo procedunt omnes*

Digitized by Google

ſimul de ſacrario cum ipſo cereo in eccleſiam cum ſilentio, nihil canentes, & ponitur in candelabro ante altare, & unus diaconus rogat unum de ſacerdotibus vel levitis, qui ibidem reveſtiti adſtant, pro ſe orare; & ut ſurrexit, dicit ipſe diaconus: Dominus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo. *Et dicit orationem iſtam:*

Benedictio Cerei.

Expletis lectionibus ſtatim veniens unus miniſter, tenens ampullas in manibus ſuis, ſtans in dextro cornu altaris; & tunc aſcendit ipſe præcedens pontificem ad fontes; tunc deinde ſcola deſcendit ad fontes ad letaniam faciendam, expectantes parati pontificem; ſecundus vero ſcolæ tenet vas aureum in manu ſua ſiniſtra ſuper planetam, unde pontifex mittere debet chryſma in fontem, & iuſſi faciunt letaniam trinam. Deinde pontifex procedit cum omni decore ſuſtentatus a duobus diaconibus, & illa duo cereoſtata, quæ ante fuerant inluminata, ſemper ante ipſum procedunt uſquedum omnia finierint; letania finita, facto ſilentio dicit pontifex: Dnus vobiscum ℞. Et cum ſpiritu tuo. *Dicit*: Oremus; *& dat orationem.*

Benedictio Fontis.

Omnipotens ſempiterne Deus, adeſto &c.

Conſecratio Fontis.

Dnus vobiſcum. ℞. Et cum ſpiritu tuo. Surſum corda. ℞. Habemus ad Dnm. Gratias agamus Dno Deo noſtro. ℞. Dignum & iuſtum eſt.

VD. & iuſtum eſt, æquum & ſalutare; Deus qui inviſibili potentia &c.

Unde bene†dico te creatura aquæ per Deum vivum, per Deum verum &c.

Signate illos; accedite ad benedictonem. *Signent ipſos infantes in frontibus eorum patrini vel patrinæ de pollicibus ſuis dicentes*: In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. *Tunc venit accolitus iterum faciens crucem in frontibus ſingulorum dicendo*: In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, *& inponit manum ſuper eos, dans orationem excelſa voce his verbis*:

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob &c.

Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam &c.

Et adnuntiat diaconus dicens: Orate electi, flectite genua, *& reliqua prius; & ſignant patrini vel matrinæ ut prius, & ſequitur alius accolitus, ſuper maſculos facit crucem ſicut prius fecit; & inponens manum ſuam ſuper eos dicit*:

Audi maledicte ſatanas adiuratur per nomen æterni Dei & ſalvatoris noſtri filii Dei cum tua victus invidia tremens gemensque diſcede; nihil tibi ſit commune cum ſervis Dei iam cœleſtia cogitantibus renuntiatoribus tibi a ſæculo, & beatæ inmortalitatis victuris. Da igitur honorem advenienti Spiritui ſancto, qui ex ſumma cœli arce deſcendens pro turbatis fraudibus tuis divino fonte purgata pectora, idem ſanctificando templum & habitum perficiat, & ab omnibus penitus noxis præteritorum criminum liberati ſervi Dei gratias perenni Deo referant ſemper, & benedicant nomen eius ſanctum in ſæcula ſæculorum. Per.

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob &c.

Ergo maledicte diabole. *ut ſupra. Item dicit diaconus*: Orate electi, *& reliqua ut ſupra; & ſignant patrini vel matrinæ ut prius. Deinde tertius accolitus facit crucem in frontibus puerorum ſicut anterior fecit, & inponit manum ſuper capita eorum dicendo*:

Exorcizo te inmunde ſpiritus &c.

Item ſuper feminas faciens crucem ut ſuperius, & inponit manum ſuper capita earum dicendo:

Exorcizo te inmunde ſpiritus per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, ut exeas & recedas ab his famulabus Dei; Ipſe enim tibi imperat maledicte dampnate, qui cæco nato oculos aperuit, & quatriduanum Lazarum de monumento ſuſcitavit. Ergo maledicte. *Ut ſupra.*

Æternam ac iuſtiſſimam pietatem tuam &c.

Sequitur Exorciſmus.

Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Ieſu Chriſti Filii eius, & Spiritus ſancti. Omnis virtus adverſarii, & omnis incurſio diaboli, omne phantaſma, omnis inimici poteſtas eradicare & effugare ab hac creatura aquæ. Unde exorcizo te creatura aquæ per Deum verum, per Deum vivum, per Deum ſanctum, per Dnm nrm Ieſum Chriſtum, ut efficiaris aqua ſancta, aqua benedicta, ut ubicumque effuſa fueris, vel aſperſa, ſive in domo, ſive in agro, effugias omnem phantaſiam, omnem inimici poteſtatem; Spiritus ſanctus habitet in domo hac, per. *Et miſcetur ſal & cinis faciens ter inde crucem ſuper ipſa aqua. Deis deponis vinum mixtum cum ipſa aqua benedicta, & dicis hanc orationem*: Creator & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritalis, largitor æternæ ſalutis; tu Dne mitte Spiritum tuum ſanctum ſuper vinum cum aqua mixtum, ut armata virtute cœleſtis defenſionis ad conſecrationem huius eccleſiæ vel altaris proficiant. Per Dnm.

Deinde

Digitized by Google

Deinde faciens crucem cum digito ſuo de ipſa aqua in dextra parte per quatuor cornua altaris, inde latera cum hyſopo adſpergiſ ſeptem vices canendo antiphonam: Adſperges me Dne hyſopo & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. *Pſ.* Miſerere mei Deus ſecundum: *vadens in circuitu altaris, ſpargendo deinde in dextra parietes eccleſiæ uſquedum veniens ante altare ſpargens iterum deſuper in circuitu altaris vel eccleſiæ canendo ant.* Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius. *Pſ. ipſum, uſquedum veniens iterum ante altare ſpargens deſuper & in circuitu eccleſiæ canendo ant.* Qui habitat in adiutorio altiſſimi, in protectione Dei cœli commorabitur. *Pſ. ipſum, & mittit ex miniſtris aut clericis duos vel tres, qui extrinſecus eccleſiæ pariter una vice pſallentes ſpargant.*

Iterum ipſe pontifex vadit de ipſo altare ſpargendum per medium eccleſiæ in longum & in lato ſimiliter crucem faciendo, ſive per omne pavimentum ſpargendo, cum antiph. Domus mea domus orationis vocabitur. ℣. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio eccleſiæ laudabo te. & Gloria. *Et veniens in medio eccleſiæ dicit:* Oremus, *& diaconus*, flectamus genua. Levate, *& dicit orationem iſtam:*

Deus, qui loca nomini tuo dicata ſanctificas, effunde ſuper hanc orationis domum gratiam tuam, ut omnibus hic invocantibus te auxilium tuæ miſericordiæ ſentiatur, per. *Iterum dicit:* Oremus: *& diaconus dicit:* flectamus genua. Levate *Sequitur oratio:*

Deus ſanctificationum omnipotens dominator, cuius pietas ſine fine ſentitur. Deus qui cœleſtia ſimul & terrena complecteris, ſervans miſericordiam tuam populo tuo ambulanti ante conſpectum gloriæ tuæ; exaudi preces ſervorum tuorum, ut ſint oculi tui aperti ſuper domum iſtam die ac nocte; hancque baſilicam in honore Sancti ill. ſacris myſteriis inſtitutam clementiſſimus dedicat miſeratus inluſtra, proprio ſplendore clarifica, omnemque hominem venientem adorare in hoc loco placatus admitte; propitius dignare reſpicere, & propter nomen tuum magnum, & manu forti & brachio extenſo, in hoc habitaculo ſupplicantes libens prorege, dignanter exaudi, ac æterna defenſione conſerva, ut ſemper felices ſemper tua religione lætantes conſtanter in ſanctæ Trinitatis fide catholica perſeverent; per Dnm.

Regenerationis ingreſſus in veræ innocentiæ nova infantia renaſcatur. Per. *Hac omni expleta fundit chryſma de vaſculo in fontem ſuper iſſam aquam in modum crucis, & cum manu ſua miſcitat ipſum chryſma cum aqua, & ſpargit ſuper omnem fontem, vel ſuper omnem populum Hoc facto omnis populus, qui voluerit, accipit benedictionem in vaſis ſuis de ipſa aqua, antequam ibi baptizentur parvuli, ad ſpargendum in domibus eorum, & vineis, & campis, & fructibus eorum. Deinde presbyter, aut diaconus etiam ſi neceſſe fuerit, & accoliti diſcalceati induentes ſe aliis veſtibus mundis vel candidis ingrediuntur in fontes intro aquam, & baptizantur primo maſculi, deinde feminæ ſub hac interrogatione:* Sanctificetur & fœcundetur fons iſte in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Credis in Deum Patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ? ℟. Credo. Credis & in Ieſum Chriſtum Filium eius unicum, Dnm noſtrum natum & paſſum? ℟. Credo. Credis & in Spiritum ſanctum; ſanctam Eccleſiam catholicam; remiſſionem peccatorum; carnis reſurrectionem, & vitam æternam, amen. ℟. Credo, *Et acceptis infantibus de parentibus baptizant eos ſub trina merſione, tantum ſanctam Trinitatem ſemel invocantes ita dicendo:* Baptizo te in nomine Patris, *& mergit ſemel:* & Filii, *& mergit iterum:* & Spiritus ſancti, *& mergit tertio. Levatis autem ipſis infantes in manibus ſuis offerunt eos uni presbytero; ipſe vero presbyter faciens de chryſma crucem cum pollice in vertice eorum cum invocatione ſanctæ Trinitatis dicit:* Deus omnipotens &c.

Et ſunt parati, qui eos ſuſcepturi ſunt, cum linteis in manibus eorum, & accipiunt ipſos a presbyteris vel diaconibus, qui eos baptizarunt. Pontifex vero egredietur a fonte, habens compoſitam ſedem in ipſa eccleſia ubi voluerit, ſedens in ea. Et deportantur ipſi infantes ante eum, & dat ſingulis ſtolam, caſulam & chryſmale, & decem ſiliquas, & veſtiuntur; induti vero ordinantur per ordinem ſicut ſcripti ſunt in circuitu, & dat orationem Pontifex ſuper eos cum chryſma faciens crucem in frontibus eorum cum invocatione ſanctæ Trinitatis, & tradit eis ſeptiformes gratias Spiritus ſancti.

Oratio ad Confirmandum.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare. Accipe ſignum crucis Chriſti in vitam propitiatus æternam. *Dicit:* Pax tecum ℟. Et cum ſpiritu tuo. Ecce ſic benedicetur omnis homo qui timet Dnm. Benedicat vos Dominus ex Syon, ut videatis bona, quæ ſunt in Hieruſalem, omnibus diebus vitæ veſtræ.

Inde dicit:

Confirmat vos Pater & Filius & Spiritus ſanctus,

Digitized by Google

ctus, ut habeatis vitam æternam, & vivatis in ſæcula ſæculorum. Amen.

Hoc autem per omnia præcaventes, ut hæc non negligantur, quia tunc omnes baptiſmo legitimo Chriſtianitatis nomine confirmantur. Interim vero ſcola iuſſa facit letaniam ante altare, prima ſeptenas, & ſpatio facto faciunt alter quinas, iterum ſpatio facto faciunt trinas, & dum dicit Agnus Dei, *Magiſter ſcolæ dicit* accendite; *& tunc inluminatur eccleſia; & procedit Pontifex de ſacrario, cum duo cereoſtata (unde ſuperius diximus) ſtant ſicut antea a dextris & a ſiniſtris altaris. Letania expleta dicit Pontifex* Gloria in excelſ. D. *& orationem; deinde legitur Apoſtolus: ſequitur* All. Confitemini Dno. *Sequitur tractus* Laudate Dnm omnes gentes: *Sequitur Evangelium. De veſpere Sabbati ante Evangelium non portant lumen in ipſa nocte, ſed tantum incenſum. Non cantent* Offertorium, *nec* Agnus Dei, *nec* Communionem, *ſed miſſam per ordinem. Illud autem de parvulis providendum eſt, ut poſtquam baptizati fuerint, nullum cibum accipiant, nec ablactentur antequam communicent Sacramenta corporis Chriſti; & omnibus diebus ſeptimanæ paſchæ ad miſſas procedant, & offerant pro ipſis, & communicent omnes; hic autem ſupra ſcriptus ordine baptiſmi, ſicut in hoc Sabbato paſchæ, ſic & in Sabbato pentecoſten omnimodis celebretur. Item in ipſa die diurnalem curſum ſeparatim canunt. In ipſa nocte poſt gallorum cantum matutino rumpente luce tenebras ſurgentes in eccleſiam veniunt, & mutua charitate ſe invicem obſculantes, & dicant:* Deus in adiutorium meum. *Sequitur* Invitatorium *cum* All. *Sequuntur tres pſalmi cum antiphonis:* Beatus vir. Quare fremuerunt. Dne quid multiplicati ſunt. *Sequuntur vero tres lectiones cum reſponſoriis. Prima lectio* de actibus Apoſtolorum. *Sequitur ſecunda & tertia* de homiliis ſancti Auguſtini. *Sequitur Matutinum cum* All.

Infra Albas Paſchæ ſuper Venite: Surrexit Dominus vere all. *& tres pſalmi per nocturnum inponuntur per ſingulas noctes uſque in octavas paſchæ, id eſt*

Feria II. Cum invocarem. Verba mea. Dne ne in ira tua.

Feria III. Dne Deus meus in te ſperavi. Dne Dnus noſter. In Dno confido.

Feria IIII. Salvum me fac Dne. Uſquequo Dne. Dixit inſipiens.

Feria V. Dne quis habitabit. Conſerva me Dne. Exaudi Dne iuſtitiam meam.

Feria ſexta. Cœli enarrant. Exaudiat te Dnus. Dne in virtute.

Sabbato. Dni eſt terra. Ad te Dne levavi. Iudica me Dne quoniam ego in innocentia mea.

Item a Paſcha uſque in octavas ad omnes curſus non cantatur reſponſorium, nec lectio recitatur, ſed pro verſu & reſponſorio cantatur ℟. Hæc dies quam fecit Dn9, *tantum prima &c.*

Verſus in Cœna Domini, & Paraſceve, & Sabbato ſancto. (1)

Ex Cod. Bibl. Vindob. Tb. 685. ſæc. X.

Qui prophetice promiſiſti ero mors tua o mors. Kyrie eleiſon. Domine miſerere. Chriſtus Dns factus eſt obediens uſque ad mortem. Vita in ligno moritur, infernum ac mortem ſpoliavit. Kyrie eleiſon. Qui expanſis in cruce manibus traxiſti omnia ade (ad te) ſæcula. Kyrie eleiſon. III. Domine.

Verſus Flavii ad Mandatum. (2)

Victori mortis inclita pangamus laude gloriam.
Cum Patre & ſancto Spiritu, qui nos redemit obitu. Victori.

(1) Verſus ſequentes itemque Flavii ad mandatum & proximi in Paraſceve habentur cum notis muſicis.

(2) Mandatum dicitur lotio pedum ex principio verborum Chriſti *Mandatum novum do vobis* quæ etiamnum canuntur in lotione pedum, quæ ſola nunc ſupereſt ad exemplum Chriſti in cœna; olim autem frequens fuit in cœtibus monaſticis ac quidem iuxta regulam *S. Benedicti* ſupervenientibus hoſpitibus, tum etiam fratribus inter ſe mutuo, quod ad ſæculum uſque decimum ſextum uſitatum in monaſterio *S. Blaſii* fuit ſingulis ſabbatis per annum; pauperibus autem quotidie lavabantur pedes iuxta laudatum ord. operis Dei cum apparatu ſacro cantu & precibus, a capite ieiunii uſque ad feſtum SS. Simonis & Iudæ in cœna vero Domini ritu ſequenti mane poſt Tertiam & poſt prandium.

Dicta Tertia eant ad Capitulum.

Cum Domno Abbati placuerit, faciat ſignum Cantori, ut exiens videat, ſi pauperes ad mandatum ſint ordinati. Si ſunt ordinati debito more, mox renuntiet Domno Abbati, qui innuat Priori, ut percutiat tabulam in Capitulo, qua percuſſa dictoque *benedicite* incipiat Domnus Abbas Pſ. *Miſerere mei Deus &c.*

Tellus ac æthra iubilent in magni cœna principis.
Qui protoplaſti pectora vitae purgavit ferculo. Victori.
Hac nocte factor omnium potenti ſat myſterio.
Carnem ſuam cum ſanguine in eſcam transfert animæ. Victori.
A celſis ſurgens dapibus prebet formam mortalibus.
Humilitatis gratia Petri petens veſtigia. Victori.
Pallet ſervus obſequio cum angelorum Dominum
Ferendo lympham linteam cernit caeno procumbere. Victori.
Permitte Simon ablui, acta figurant myſtica.
Dum ſummus ima baiulo quid cinit ſervet cineri. Victori.
Lavator thoris accubat, verbique favos ageiat
Quos inter hoſtem denotat necis qui dolos ruminat. Victori.
Tu ex lupe Iuda peſſime fers agno miſi baſia.
Dans membra loris regia, quæ ſorde tergunt ſæcula. Victori.
Nexi ſolvuntur hodie carnis, cordiſque carcere
Unguens ſacratur criſmatis ſpes inde creſcit miſeris. Victori.

Verſus in Paraſceve.

Popule meus quid feci tibi? Aut in quo contriſtavi te? Reſponde mihi? Quia eduxi te de terra Ægypti paraſti crucem Salvatori tuo. Agios o Theos. Agios Iſchyros. Agios athanatos eleyſon ymas. Sanctus Deus. Sanctus fortis. Sanctus immortalis miſerere nobis. Qui eduxi te per deſertum quadraginta annis, & manna cibavi te, & introduxi in terram ſatis optimam paraſti crucem Salvatori tuo. Agios. Quid ultra debui facere tibi & non feci? Ego quidem plantavi te vineam meam ſpecioſiſſimam, & tu facta es mihi nimis amara. Aceto namque ſitim meam potaſti, & lancea perforaſti latus Salvatori tuo. Agios. *Ant.* Ecce lignum crucis in quo ſalus mundi pependit, venite adoremus. *Ant.* Dum Salvator mundi mortis ſupplicium pateretur in cruce, clamans voce magna tradidit ſpiritum. Et ecce velum templi diviſum eſt, monumenta aperta ſunt. Terræ motus enim factus eſt magnus, quia mortem Filii Dei clamabat mundus ſe ſuſtinere non poſſe. Aperto ergo lancea militis latere crucifixi Domini, exivit ſanguis & aqua in redemtionem ſalutis noſtræ. O admirabile pretium cuius pondere

---

euntibusque iu clauſtrum ad viſitandum pauperes Domnus Abbas præcedat cum capellano ſuo portante ſibi librum, deinde conventus, & primo ſeniores, poſtea pueri cum magiſtro. Finito Pſ. incipiat Cantor Ant. *Dominus Ieſus &c.* flectantque omnes genua, & unicuique fratrum collocetur unus pauper; & ſiquis fratrum hoc anno obierit, eidem unus pauper ponatur: Duodecim vero pauperes Domno Abbati aſſignentur, & tredecim Domno Regenberchto dotatori. Poſt ablutionem pedum & manuum percutiat Prior tabulam annuente Abbate, qua percuſſa detur eleemoſyna pauperibus. Completo mandato incipiat Domnus Abbas ſeptem Pſalmos pœnitentiales, eantque in Chorum, ſicut exierunt de capitulo, legentes ipſos pſalmos proſtrati in terram; Domnus autem Abbas ante altare ſuper ſedem ſibi poſitam. Finitis pſalmis dicat Domnus Abbas confeſſionem cum orationibus ad hoc pertinentibus. Deinde veniant in clauſtrum ad colloquendum.

In cœna Domini poſt ſextam Prior, Cellerarius, cantor ſeu camerarius ordinent XXIV. pauperes, qui ſedeant in ambitu immediate poſt prandium. Poſt prandium veniat Domnus Abbas ad ambitum penes ianuam clauſtralem, & Prior cum quibusdam fratribus, & ibi Cantor procuret, quod ibidem in ambitu ſint, & ſedeant ſolum illi 24. pauperes, & non plures. Servus autem domus lavatorii præparatam habeat aquam calidam, & lintea, & paropſides pro lotione & terſione pedum ſeu manuum. Camerarius procuret, ut ibidem ſint duo picarii cum vino, & poſt hinc cantor incipiat ant. *Dominus Ieſus poſtquam cœnavit &c.* & ſtatim fiat genuflexio ab omnibus, & medio tempore laventur pedes pauperum. Poſt dictam ant. & ℣. *Deus miſereatur*, Prior percutiat tabulam, & dicat, *benedicite*, & reſpondeant *Amen.* Tunc domnus Abbas dicat ℣. *potum ſervorum ſuorum dignetur Dominus benedicere.* & ſtatim incipiat Cantor reſponſorium, *Acceſſit ad pedes Ieſu*, & tunc potus detur pauperibus. Poſt ℟. cantor incipiat ℣. *dimiſſa ſunt ei.* Et Cellerarius pauperibus det pecuniam, cuilibet XV. denarios uſuales; erunt XXX. ſolidi.

Poſtquam verſus finietur, repetitio ℟. repetatur, & iterum potio adminiſtretur pauperibus. His peractis dicat cantor, *ſuſcepimus Deus miſericordiam tuam*, Kyrie eleiſon, Pater noſter. ℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam* ℣. *tu mandaſti*, Dominus vobiſcum, *oremus*, *Adeſto Domine officio noſtræ ſervitutis, quæ ipſe præſtare digneris.* Et immediate fiat genuflexio ab omnibus, & incipiat Domnus Abbas Pſ. *Miſerere mei*, & eant in chorum, & faciant, ut præſcriptum eſt.

Digitized by Google

dere captivitas redemta eſt mundi, tartarea confracta ſunt clauſtra inferni, aperta eſt nobis ianua regni. ℣. Crux fidelis inter omnes arbor una nobilis. Nulla ſilva talem profert, fronde flore germinans. Dulce lignum, dulci clavo, dulce pondus ſuſtinet. Crux f. Pange lingua glorioſi prælium certaminis. Et ſuper crucis trophæum dic triumphum nobilem. Qualiter redemtor orbis immolatus vicerit. Crux. De parentis protoplaſti &c. *Hymnus.* Vexilla. *Ant.* Crucem tuam. *Ant.* Tuam crucem.

Orationes in Paraſceve ad ſalutandam Crucem. (1)

Domine Ieſu Chriſte Deus verus de Deo vero, qui pro redemtione generis humani ſerpentina ſuaſione decepti, mundum erroribus implicatum illuminare & crucis patibulum ſubire voluiſti, ut lignum ligno vinceres, & peccati hæreditariam mortem morte potentiſſima ſuperares. Exaudi me miſerum & indignum proſtratum ante oculos tuæ benigniſſimæ Maieſtatis adorantem te, & benedicentem nomen tuum ſanctum atque terribile, & concede mihi te puro corde ſapere, te laudare, te prædicare, & per vexillum iſtud ſanctæ crucis, quam hodie in tuo nomine adoraturus adveni, mentem meam corpusque ſanctifica, ſcuto fidei tuæ me circumtege, galeam ſalutis mihi impone, gladio ſpiritali me accinge, ut contra hoſtem nequiſſimum bellaturus & tuo muniar miſerationis auxilio, & ſalutiferæ crucis vexillo: cunctique tuo ſancto nomine inſigniti ab hoſtis perfidi ſint incurſione ſecuri per te Ieſu Chriſte.

Alia. Deus qui Moyſi famulo tuo in via ſqualentis heremi ſerpentem æneum in media populi multitudine ad liberandas letali viro infeſtas animas exaltare iuſſiſti; ut ſi quis mortifero vulnere inflictus ad eum reſpiceret, & venenum exiciale evaderet, & optatæ ſalutis vitam adipiſceret. Significans teipſum futura poſt curricula pro tui ſalute plaſmatis, crucis extollendum patibolo, ut quos diabolus armis invidiæ captivaverat, tua deſiderabilis paſſio ad patriam revocaret. Concede tam mihi miſero & peccatori, quam omnibus tuo cruore mercatis, qui hodie ſanctam paſſionem tuam ſupplices venerantur, lignumque vitæ adorant, ut diabolicas inſidias, te adiuvante vincamus & æternæ vitæ participes eſſe mereamur. Qui cum Patre vivis.

Alia. Domine Ieſu Chriſte, qui nos per crucis paſſionem hodierna die a diabolica ſervitute liberaſti, ut quo die hominem condideras, eodem & reformares! Exaudi me miſerum & peccatorem coram hoc ſignaculo crucis facinora confitentem, & deprecantem, ut huius venerabilis & vitalis ſigni tuitione munitus & hoſtis nequiſſimi ignita tela repellere, & ab inflictis evacuari vulneribus & ad vitam æternam valeam pervenire. Qui cum Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas Deus per.

Benedictio Ignis novi.

Ex Cod. Th. Bibl. Vind. n. 685. ſæc. X.

Domine Deus noſter Pater omnipotens exaudi nos lumen indeficiens, tu es Domine conditor omnium luminum bene✝dic quæſo hoc lumen quod per te ſancti✝ficatur atque bene✝dicitur. Tu illuminaſti Domine omnem mundum. Præſta quæſumus, ut igne claritatis tuæ accendamur, & illuminemur: & ſicut illuminaſti ignem Moyſi, ita illuminare dignare corda & ſenſus noſtros, ut ad vitam æternam pervenire mereamur. Per.

Benedicat vos trina maieſtas Domine. (2) Benedicat Spiritus ſanctus, qui in ſpecie columbæ in Iordane fluvio ſuper Chriſtum requievit. Ille vos benedicat, qui de cœlo dignatus eſt deſcendere in terram, & de ſuo ſanguine vos redemit. Benedicat Dominus ſacerdotium veſtrum, & introitum

(1) Creditur hæc ſalutiferæ crucis adoratio in eccleſiam per orbem propagata ab *Hieroſolymitana* in monte *Golgotha* eccleſia, in qua a CONSTANTINO M. vera, in qua Chriſtus pependit, crux expoſita cultui ac adorata iam a ſuppari S. CYRILLO *Hierſol.* commemoratur Catech. IV. *Quam*, ut ſcribit S. PAULINUS Nol. epiſt. 31. ad SEVERUM, *epiſcopus urbis eis quotannis, cum paſcha Domini agitur, adorandam populo princeps ipſe venerantum promit.* Neque præter hanc diem, qua crucis ipſius myſterium celebratur, ipſa, quæ ſacramentorum cauſa eſt, quaſi quoddam ſolemnitatis inſigne profertur. IONAS *Aurelianenſis* ut Vol. I. horum monumentorum *lit. Al.* p. 382. n. 3. indicamus *ob recordationem ſalutiferæ dominicæ paſſionis annuatim in ſanctiſſimo die paraſceves ſecundum traditionem eccleſiaſticam crucem Chriſti adorari* teſtatur in libro de cultu imaginum adverſus CLAUDIUM *Taurinenſem* perinde ac conc. *Pariſ.* in eadem cauſa ſæc. IX. habitum his verbis: *die ſancto, quo paſſio Domini in univerſo mundo ſpecialiter celebratur cum omni devotione univerſum ordinem ſacerdotalem ſeu cunctum populum chriſtianum adorare.*

(2) Cum notis muſicis.

Digitized by Google

troitum veſtrum. Alleluia. *Ant.* Vidi aquam egredientem de templo de latere dextro alleluia. Et omnes ad quos pervenit aqua iſta ſalvi facti ſunt & dicent Alleluia alleluia. *Ant.* In die reſurrectionis meæ dicit Dominus alleluia congregabo gentes & colligam regna & effundam ſuper vos aquam mundam. Alleluia. *Ant.* Maria & Martha cum veniſſent ad monumentum Angeli ſplendentes apparuerunt dicentes, quem quæritis viventem cum mortuis, non eſt hic venite & videte locum ubi iacuit. Cito euntes dicite diſcipulis eius, & Petro: Surrexit Chriſtus, qui creavit omnia, & miſertus eſt humano generi. Allel.

In die Reſurrectionis Dni.

Ant. Cum rex gloriæ Chriſtus infernum debellaturus intraret, & chorus angelicus ante faciem eius portas principum tolli præciperet ſanctorum populus, qui tenebatur in morte captivus, voce lacrimabili clamaverat: adveniſti deſiderabilis, quem exſpectabamus in tenebris, ut educeres hac nocte vinculatos de clauſtris. Te noſtra vocabant ſuſpiria, te larga requirebant lamenta cum factus es ſpes deſperatis magna conſolatio in tormentis. Alleluia. *Ant.* Sedet Angelus ad ſepulcrum Domini ſtola claritatis coopertus. Videntes eum mulieres nimio terrore perterritæ aſtiterunt a longe. Tunc locutus eſt angelus & dixit eis. ℣. Crucifixum in carne laudate, & ſepultum propter nos glorificate, reſurgentemque a morte adorate. Nolite metuere, dico vobis quia ille quem quæritis mortuum iam vivit & vita hominum cum eo ſurrexit. Alleluia. *Ant.* Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur: quod enim vivit, vivit Deo. Alleluia Alleluia.

Lætania metrica. (1)

Ardua ſpes mundi ſolidator & incliti cœli
Chriſte exaudi nos propitius famulos. Ardua ſpes mundi.
Virgo Dei genitrix rutilans in honore perennis
Ora pro famulis ſancta Maria tuis. Ardua ſpes mundi.
Angele ſumme Dei Michahel miſereſcito noſtri
Adiuvet & Gabrihel atque pius Raphahel. Ardua.
Aſpice nos omnes clemens baptiſta Iohannes.
Petreque cum Paulo nos rege doctiloquo. Ardua.
Cœtus apoſtolicus ſit nobis fautor & omnis
Ac patriarcharum propheticusque corus. Ardua.
Poſcere nunc Stephanum ſtudeamus carmine ſummum
Ut cum martyribus nos iuvet ipſe pius. Ardua.
Inclyte Laurenti qui flammas exuperaſti
Victor ab etherio nos miſerere choro. Ardua.
Care Deo martyr patriæ decus huius herile.
Sancte Albane tuis eſto favens meritis. Ardua.
Victor, Alexander meritis utrique beati
Nobis orate de Domino veniam. Ardua.
Splendide Silveſter Gregorie ſancte magiſter.
Nos quoque cum ſociis ferte iuvando polis. Ard.
O Martine Dei confeſſor ſumme ſacerdos
Gemma ſacerdotum auxilium fer ymon. Ardua.
O Benedicte Pater monachorum Galleque frater
Cum reliquis Sanctis nos refovete polis. Ardua.
Maxime de Francis ſuperis coniuncte catervis
Sancte Othmare tuum lætifica populum. Ard.
Inclite Magne tuam clemens nunc inſpice plebem
Pontifices fidos ac reliquos famulos. Ardua.
Virgineos flores Agnes Agatheſque ferentes
Auxilio veſtris addite nos ſociis. Ardua.
His Waldburga comes noſtras pia ſuſcipe voces
Nos & cum Dno protege ſancta polo. Ardua.
Innocuos pueros reſonemus laude peractos
Qui modo nos pueros dant reſonare melos. Ard.
Omnes o ſancti noſtræ ſuccurrite vitæ
Perque crucem ſanctam ſalva nos Xpe redemtor. Omnes.
Ira deque tua clemens nos eripe Chriſte. Omnes.
Nos peccatores audi te Chriſte rogamus. Omnes.
Ut pacem nobis dones te Chriſte rogamus. Omnes.
Crimen ut omne tuis ſolvas te Xpe ragamus. Oms.
Auræ ut temperiem dones te Xpe rogamus. Oms.
Ut fruges terræ dones te Xpe rogamus. Omnes.
Ut populum cunctum ſalves te Xpe rogamus. Oms.
Eccleſiamque tuam firmes te Xpe rogamus. Oms.
Fili celſithroni nos audi Chriſte rogamus. Omnes.
Agne Dei Patris nobis miſerere puſillis. Omnes.
Chriſte exaudi nos o Kyrie ymon eleyſon. Omnes.

Incipiunt Letaniæ. (2)
Ex Cod. 685. ſub Ottone.

Humili prece & ſincera devotione
Ad te clamantes ſemper exaudi nos. Humili.
Summus & omnipotens genitor, qui cuncta creaſti
Æternus Xps filius atque Deus.
Necnon ſanctificans dominator Spiritus almus
Unica Maieſtas trinaque ſola Dei. Ad te clam.
Ipſa Dei genitrix reparatrix inclita mundi

Quæ

(1) Litaniæ hæ in ordine officii divini per annum, quem parte tertia edemus, aſſignantur Fer. II. Rogat. Habentur hic cum notis muſicis.

(2) Litaniæ hæ in ordine officii divini per annum aſſignantur Fer. II. Rogationum. Ubique notæ muſicæ ſunt ſuperſcriptæ in noſtro codice.

Digitized by Google

Quæ Dnm caſto corpore concipiens
Perpetua ſemper radians cum virginitate
Indignos famulos Virgo Maria tuos. Humili.
Angelici proceres cœlorum exercitus omnis
Æterno ſemper lumine conſpicuus
Agmine ter trino Supero per ſidera regno
Laudibus æternum concelebrant Dominum. Ad te.
Petrus cum Paulo, Thomas cum Bartholomæo
Et Iacobi ſancti nos relevent precibus,
Andreas, Matthæus, Barnabas atque Ioannes,
Mathias, Lucas, Marcus & altiſonus. Humili.
Cœtus apoſtolicus duodeno ſidere comptus.
Propitius cunctos protege nos famulos
Et quos multiplices lacerant per crimina peſtes
Peccata abſolvens fac bona cuncta ſequi. Ad te.
Nunc Stephanus, Linus, Clemens, Anacletus & almus
Xiſtus, Alexander, Corneliusque, Pius,
Ypolitus, Vitus, Laurentius atque Modeſtus
Gregoriusque pius nos miſerando iuvent. Humili.
Theodole ſummi miles fortiſſime Chriſti
Nobis nunc famulis auxiliare tuis.
Nil ſic perſpicuum poterit vox clara referre.
Ut decet in tali nunc Patris obſequio. Ad te.
Hic tibi perpetuis reſonant concentibus ædes
Oſſibus & ſacris ſemper habetur honos
Cum læti famuli celebrent hic feſta benigne
Laudibus inſtantes nocte dieque tuis. Humili.
Dirige corda pius & tempora dirige noſtra
Atque dies lætos ducere da famulos
Ut ſemper valeant tibimet cantare quieti
Te quoque cœleſti cernere luce poli. Ad te.
O dilecte Deo radians virtute coruſca
Sancte Albane pater iuge preces pariter
Intercede pius veniam poſcendo miſellis
Aureque iam blanda carmina percipiens Humili.
O vos myſterio decorati in nomine Chriſti
Conſpicui teſtes purpurei proceres
Ex bello invicti ſuperaſtis dæmonis iras
Conſpirata manus vincere morte minas. Ad te.
Silveſter, Damaſus, Gregorius, Ambroſiusque
Hilarius, Zeno, Maximus atque Leo
Martinus, Proculus, Cæſarius Euſebiusque
Orent pro noſtris criminibus variis. Humili.
Ordo ſacratus Confeſſorum præcipuorum
Auxilio tutos undique redde tuos
Atque tua nosmet prece dimittendo reatum
Nos fragiles multum cladibus omnigenis. Ad te.
Paulus & Antonius, Macharius Arſeniusque
Bahomius, Beda, Atala, Paſnutius
Bertoltus, Libertinus, Baſilius atque
Ieronimus doctor nos miſerere precor. Humili.
Summe Dei cultor monachorum rector & abba
O Benedicte ſacer atque benigne pater
Iſtud cœnobium cœtumque tibi famulantium
Noſtraque ſanctificans cuncta tuere ſimul. Ad te.
Felicitas, Felix, Eulalia digna, Verena
Petronellaque cum perpete Perpetua.
Agnes atque Agathes, Criſtina, Euprepia, Thecla
Euſemia, Regula, Eugenia atque bona. Humili.
Virginitate chorus reſplendens Candidularum
Turba puellarum integritate manens
Quæ geminis gaudens pulcrum decorata coronis
Laude pudicitiæ myſteriique ſimul. Ad te.
Omnes nunc Sancti noſtris ſuccurrite lapſis
Et veniam cunctis ferte iuvando polis
Iam veſtris precibus petitis quæcunque rogantes
Annuit ipſe pius nilque negat Dominus. Humili.
Pacem perpetuam rogitamus proſpice Chriſte
Ut ſanæ vitæ gaudia longa diu
Temperiem cœli tribuens, ut copia frugum
Omnibus exundet ubere læticiæ. Ad te.
Agne Dei Patris, qui mundi crimina tollis
Optatæ pacis munera dona tuis
Kyrie pantocrator yſon ſo diſſe te pantos
Sub baſileos ymon Xpe cleyſon ymos.

Item metrica Letania.

Salve veſta dies toto venerabilis ævo
Qua Deus infernum vicit & aſtra tenet
Ecce renaſcentis teſtatur gratia mundi
Omilium (Homilium) Domino dona rediſſe ſuo
Namque triumphanti poſt triſtia tartara Chriſto
Undique fronde nemus gramine flore favent
Legibus inferni oppreſſis ſuper aſtra meantem
Laudant rite Deum lux polus arva fretum
Qui crucifixus erat Deus ecce per omnia regnat
Dantque creatori cuncta creata precem
Nobilitas anni menſum decus, arma dierum
Horarum ſplendor ſcrupula puncta fovens
Chriſte ſalus rerum bone conditor atque redemtor
Unica progenies ex Deitate Patris.
Funeris exequias pateris vitæ auctor & orbis
Intrans mortis iter dando ſalutis opem
Pollicitam ſed redde fidem precor alma poteſtas
Tertia lux rediit ſurge ſepulte meus.
Solve catenatas inferni carceris umbras
Et revoca ſurſum quidquid ad ima ruit.
Redde tuam faciem videant in ſæcula lumen
Redde diem qui non te moriente fuit
Eripis in numerum populum de carcere mortis
Et ſequitur liber quo ſuus auctor adit.
Hinc tumulum repetens poſt tartara, carne reſumta
Belliger ad cœlos ampla trophæa refers.

Læta-

Digitized by Google

Lætania.

Rex Salvator alme ſuſcipe noſtrarum munuſcula pr.
Indulgere nobis aſſis tuis ſervis ſcelere gravatis
O ſancta Maria mater atque virgo Poſtula pro nobis
Archangele ſumme Michahel virtus Dei Poſtula pro nobis
Condigne Gabrihel fortitudo Dei Poſtula pro nobis
O conſors Raphahel medicina Dei Poſtula p. nobis
O almitas ſancta patriarcharum Poſtula pro nobis
O ſors impleta Deo virtutis propheticæ Poſtula p. n.
O principalitas apoſtolorum Poſtula pro nobis
O martyres ſancti veniam precamini pro peccatis noſtris
Confeſſores ſancti precibus aſſiduis poſcite pro nobis
O ſanctarum chori virginum coruſci poſcite pro nobis
Faventes ſanctarum viduarum preces nobismet nunc proſint
Inſontes pueroli martyrum floretum poſcite pro nobis
O ſancti omnes virtutes innumeræ poſcite pro nobis
Maligno ab hoſte ut Deus defendat nos hic & in ævum
A gente pagana ut Deus defendat nos hic & in ævum
Ab omni periculo ut Deus defendat nos hic & in ævum
Ab omni terrore ut Deus defendat nos hic & in ævum
Ab omni periculo ut Deus defendat nos hic & in ævum
Ut auræ temperiem bonam ac frugiferam det nobis Salvator
Ut commoditatem aeris, roris det nobis Salvator
Ut imbrem fetoſum, bona germinantem det nobis Salvator
Ut tranquillam vitam pacem & perennem det nobis Salvator
Ut indulgentiam criminum noſtrorum det nobis Salvator
Ut ſummum paſtorem apoſtolicum Dominus conſervet
Ut dignum pontificem N. dominum Dominus conſervet
Ut Ottonem regem & eius exercitum Dominus conſervet
Ut per totum orbem Eccleſiam ſanctam Dominus conſervet.

Preces ante altare. Prima die.

Clamemus omnes una voce Domine miſerere.
Deipara nobis eſt vita noſtra Domine miſerere.
Precamur excelſe fidem largire Domine miſerere.
Curvamur peccatis opprimimur malis Domine miſerere.
Delicta dele pacem concede Domine miſerere.
Excelſus reſpice pius indulge Domine miſerere.
Flagella remove veniam tribue Dne miſerere.
Exaudi nos Pater pie Domine miſerere.
Nunc & in ævum ſalva mundum Dne miſerere.
Hymnum dicamus tibi Xpe Dne miſerere.
Gloria tibi æterno Patri Dne miſerere. Clamemus.

In die ſecunda.

Tibi laus tibi gloria tibi gratiarum actio in ſæcula ſempiterna. O beata Trinitas.
Te invocamus, te adoramus, te laudamus. O beata Trinitas.
Exaudi Exaudi Exaudi O beata Trinitas.
Libera nos, ſalva nos, iuſtifica nos. O beata Trinitas.
Auge in nobis fidem, auge ſpem, auge charitatem. O beata Trinitas.

In die tertia.

Aufer a nobis iniquitates noſtras, ut mereamur puris mentibus introire ad ſancta ſanctorum
Exaudi exaudi exaudi preces noſtras, ſancta Maria ora pro nobis.
Miſerere, miſerere, miſerere populo tuo quem redemiſti
Chriſte ſanguine tuo, ne in æternum iraſcaris nobis.

Letania.

Dicamus omnes Domine miſerere.
Ex toto corde & ex tota mente oramus te Dne.
Pro ſancta Eccleſia catholica quæ eſt in toto orbe diffuſa ſupplicamus tibi Dne.
Pro paſtore noſtro N. & omni clero eius imploramus te Dne.
Pro abbate noſtro N. & grege ſibi commiſſo obſecramus te. Dne.
Pro aeris temperie & fœcunditate terræ precamur Dne
Pro his qui infirmantur & diverſis languoribus detinentur exoramus te D.
Pro remiſſione peccatorum vel emendatione morum rogamus te. Dne.
Exaudi nos Deus in omni oratione noſtra quia pius es. Dne.

Digitized by Google

Letania Gallica.

Pater de cœlis Deus miſerere nobis.
Filius redemtor Deus miſerere nobis.
Spiritus ſanctus Deus miſerere nobis.
Sancta Trinitas miſerere nobis.
Qui es trinus & unus Deus miſerere nobis.
Sancta Virgo virginum ora pro nobis.
S. Michahel ora pro nobis.
S. Gabrihel Ora.
S. Raphahel. Ora.
S. Ioannes. Ora.
S. Petre. Ora.
S. Paule. Ora.
S. Andrea. Ora.
S. Iohannes. Ora.
S. Iacobe. Ora.
Omnes ſancti Apoſtoli. Orate.
Omnes ſancti Evangeliſtæ. Orate.
Omnes ſancti diſcipuli. Orate.
S. Stephane. Ora pro nobis.
S. Laurenti. Ora.
S. Vincenti. Ora.
S. Georgi. Ora.
S. Vite. Ora.
S. Pancrati. Ora.
S. Albane. Ora.
Omnes ſancti Martyres. Orate.
S. Silveſter. Ora pro nobis.
S. Martine. Ora.
S. Gregori. Ora.
S. Benedicte. Ora.
Omnes ſancti Confeſſores. Orate.
Omnes ſancti monachi. Orate.
S. Felicitas. Ora.
S. Perpetua. Ora.
S. Agatha. Ora.
S. Margaretha. Ora.
Omnes ſanctæ Virgines. Orate.
Omnes Sancti. Orate.
Gratiam tuam concede nobis Dne Deus.
Salutem & ſanitatem dona nobis.
Aeris temperiem bonam concede nobis.
Ab inimicis nris tuere nos Dne.
Gaudium & pacem dona nobis Dne.
Filius Dei miſerere nobis.
Nunc & in perpetuum miſerere nobis.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miſerere nobis. ℟. Agnus.
Suſcipe deprecationem noſtram, qui ſedes ad dexteram Patris. ℟. Agnus.
Gloria uſque ſæculorum amen. ℟. Agnus.

Sancte Sanctorum Deus miſerere nobis.
Sancta Dei genitrix intercede pro nobis.
S. Michahel intercede pro nobis.
S. Gabrihel intercede pro nobis.
S. Raphahel intercede pro nobis.
S. Petre intercede pro nobis.
S. Paule intercede pro nobis.
S. Andrea intercede pro nobis.
S. Stephane intercede pro nobis.
S. Vite intercede pro nobis.
S. Albane intercede pro nobis.
S. Martine intercede pro nobis.
S. Maximine intercede pro nobis.
S. Benedicte intercede pro nobis.
S. Felicitas intercede pro nobis.
S. Perpetua intercede pro nobis.
S. Agatha intercede pro nobis.
S. Brigida intercede pro nobis.
S. Criſtina intercede pro nobis.
S. Margaretha intercede pro nobis.
Omnes Sancti intercedite pro nobis.

In die ad Miſſam.

Ant. Exaudivit &c. Præſta q. o. D. ut qui in afflictione &c. *Alia.* Deus qui beatum Marcum &c. *Lectio epiſtola Beati Iacobi Apoſtoli.* Kmi Confitemini alterutrum &c. Alleluia. Confitemini Dno &c. Alleluia. Iam non eſtis. *Secundum Lucam.* In illo tempore. Dixit Ihs diſcipulis ſuis. Quis veſtrum &c. *Off.* Confitebor &c. Alleluia. *Secreta.* Hæc munera &c. *Alia Secreta.* Hanc Dne qs oblationem pro commemoratione beati Marci &c. *Com.* Petite & accipietis. Alleluia. *Ad complendum* Vota noſtra &c. *Al. ad compl.* Paſti cibo ſpiritalis alimoniæ qs Dne Ds nr, ut quod myſterio frequentamus, intercedente beato Marco evangeliſta & pontifice plena veritate conſequamur. Per.

Aliæ Orationes.

Mentem familiæ tuæ qs Dne intercedente beato N. martyre tuo & munere compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. *Alia.* Deus qui culpas delinquentium diſtricte feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recuſes, ut qui pondus tuæ animadverſionis cognovimus, etiam pietatis gratiam ſentiamus. Per. *Alia.* Parce Dne parce populo tuo, ut nullis iam patiaris adverſitatibus fatigari, quos pretioſo Filii tui ſanguine redemiſti, qui tecum.

Ad Crucem.

Deus qui culpas noſtras piis verberibus percutis, ut nos a noſtris iniquitatibus emundes, da nobis

Digitized by Google

nobis & de verbere tuo proficere, & de tua citius conſolatione gaudere. Per.

In Atrio.

Adeſto Dne ſupplicationibus noſtris, & ſperantes in tua miſericordia intercedente beato Petro apoſtolo tuo, cœleſti protege benignus auxilio. Per.

In Atrio.

Præſta qs omnipotens Deus, ut ad te toto corde clamantes, intercedente beato N. martyre tuo tuæ pietatis indulgentiam conſequamur. Per.

Alia Concede nos famulos tuos quæſumus Domine Deus perpetua mentis & corporis ſanitate gaudere, & glorioſa beatæ Mariæ Virginis interceſſione a præſenti liberari triſtitia, & futura perfrui lætitia. Per.

Alia. Concede miſericors Deus fragilitati noſtræ præſidium, ut qui ſancta Dei genitricis gloriam celebramus, interceſſionis eius auxilio a noſtris iniquitatibus reſurgamus. Per.

Alia. Da nobis quæſumus Domine de tribulatione lætitiam, ut qui diu pro peccatis noſtris affligimur, intercedente beato illo martyre tuo in tua miſericordia reſpiremus. Per.

Alia. Deus qui iuſte iraſceris, & clementer ignoſcis afflicti populi lacrimas reſpice, & iram tuæ indignationis, quam iuſte meremur propitiatus averte. Per.

Alia. Afflictionem familiæ tuæ quæſumus Dne intende placitus, ut indulta venia peccatorum de tuis ſemper beneficiis gloriemur. Per.

Alia. Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut qui iram tuæ indignationis agnovimus, miſericordiæ tuæ indulgentiam conſequamur. Per.

Alia. Miſericordiam tuam Domine nobis quæſumus interveniente beato confeſſore tuo ill. clementer impende, & nobis peccatoribus ipſius propitiare ſuffragiis. Per.

Alia. Ne deſpicias omnipotens Deus populum tuum in afflictione clamentem, ſed propter gloriam nominis tui tribulantibus ſuccurre placatus. Per.

Lætania.

Votis ſupplicibus voces ſuper aſtra feramus
Trinus ut & ſimplex nos regat omnipotens.
Sancta mundi Domina ſtella maris Maria tu pro nobis Filium ora Chriſtum Dominum.
Summe ſedis miniſter quis ut Deus Michahel cum ſupernis civibus nos iuvato precibus.
Preco Chriſti Iohannes Agni Dei oſtenſor redemtoris baptiſta nos Deo concilia.
Sancte Petre cum Paulo cunctisque apoſtolis implorate pro nobis maieſtatis Dominum.
Martyr Chriſte Theodole patroneque Albane ſimul iunctis meritis nos ſolvite criminibus.
Protomartyr Stephane omnes atque martyres vos orate pro cunctis plebibus catholicis.
O Bodarde confeſſor Martineque pariter nos cum confeſſoribus adiuvate precibus.
O ſa martyr Felicitas cohors atque virginum precibus continuis poſtulate pro nobis.
Omnes ſancti Domini Angeli & homines commendate populos Domino Catholicos.
Ut nobis remiſſio peccatorum donetur, aeris temperies, terræquæ fertilitas.
Ut pacis tranquillitas, corporumque ſanitas a Chriſto detur nobis obtinete meritis.
Ut N. præſulem, eius clerum, & omnem plebem conſervare digneris oramus Chriſte audi nos.
Ut rex noſter Otto eius & exercitus hinc & inde ſervetur oramus Chriſte audi nos.
Ut ſæviens gladius & paganus populus depellatur a nobis oramus Chriſte audi nos.
Xpe Xpe audi nos Kyrie eleiſon canimus, Xpe eleiſon pſallimus Xpe pie audi nos.

Homo quidam erat dives valde in deliciis, purpura & byſſo induebatur, epulans ſplendide, caducam vitam diligendo amiſit perpetuam. Lazarus quidam mendicus circumdatus ulcere ad ianuam divitis cum dolore nimio cupiebat ſaturari de micis menſæ divitis. *Homo.* Poſtulabat nemo dabat nemo miſeretur. Tantum canes veniebant, conſolantes pauperem Ulcera eius lingebant, curabantur vulnera. *Homo* Mortuus eſt autem dives in infernum ducitur. Miſericordiam non fecit, eam non conſequitur. Pro micis panis quas negavit, in infernum ducitur *Homo.* Patrem vocat Abraham, ut admittat Lazarum, digiti extremi ſui guttam aquæ petit, ut refrigeretur lingua eius, in flammis ardentibus. *Homo.* Fili mi recordare quod de puero recepiſti in vita tua valde bona plurima. Lazarus hic contra mala, modo conſolabitur. *Homo quidam.*

In Lætania maiore. Antequam crux elevetur.

Ant. Exaudi nos Domine, quoniam benigna eſt miſericordia tua ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice nos Domine. *Pſ.* Salvum me fac Deus.

In die ſecunda.

Ant. Exurge Domine adiuva nos, & libera nos propter nomen tuum. *Pſ.* Deus auribus noſtris.

Digitized by Google

In die tertia.

Ant. Propitius eſto Domine peccatis noſtris propter nomen tuum, ne quando dicant gentes, ubi eſt Deus eorum. *Pſ.* Deus venerunt gentes in hæredit.

In die quarta.

Ant. Clementiſſime exaudi Domine populum tuum. Alleluia. *Pſ.* Deus miſereatur noſtri.

Ant. Cum eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph antequam convenirent inventa eſt in utero habens, quod enim in ea natum eſt de Spiritu ſancto eſt. Alleluia.

BENEDICTIONES VARIARUM RERUM.

Benedictio pomorum.

Ex Codice Vindob. Theol. 685. ſæc. X.

Te deprecamur omnipotens Deus, ut benedicas hunc fructum novum pomorum &c.

Benedictio panis.

Benedic Domine creaturam iſtam panis, ſicut benedixiſti quinque panes in deſerto, ut ſit Dns eundem habundans in annum alimentum, guſtantesque ex eo accipiant tam corporis quam animæ ſanitatem.

Benedictio uvæ ſive fabæ.

Benedic Domine hos fructus novos uvæ ſive fabæ &c.

Benedicto nucis.

Benedic Dne pomum & nuces, nucleosque & omnes fructos terræ tam arborum quam herbarum, qui tuo iuſſu oriuntur. Per.

Benedictio ſuper agnum in Paſcha. (1)

Deus creator univerſæ carni &c.

Incipit benedictio Domus.

Ex Cod. Vind. Theol. 685. ſæc. X.

Oremus pro hac domo, & dominis huius tabernaculi, ut eos Dominus in bonis lætificet; dignetur Dominus tribuere aurora deſurſum cœli, & a fertilitate deorſum terræ habundantem ſubſtantiam vitæ, & deſideriis eorum affectum ſuæ miſerationis inmiſceat, & introitum noſtrum benedicere dignetur, ut his parietibus angelus benedictionis inhabitet. Per.

Oratio ſuper Domum novum.

Sanctificetur iſta domus, & fugatur ab ea inmundus ſpiritus per virtutem Dni nri Ihu Xpi, ut detur ibi omnibus commanentibus ſanitas, claritas, hilaritas protegente ac ſervante maieſtate tua Domine. Per.

Benedictio aquæ ſuper ſegetes.

Benedic Domine hanc creaturam aquæ, ut fugiant vermes, & volucres a noſtris ſegetibus per nomen Dni nri Ihu Xpi quod invocatum eſt in ipſa creatura meſſis, ut ſana ſit omnibus, qui utuntur ex ea.

Oratio ſuper ſegetes.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, permitte Spiritum ſanctum tuum cum Panchielo (2) Archangelo, ut defendat ſegetes noſtras a vermibus, a volucribus, a dæmonibus malis, ut magnificetur nomen tuum Deus in omni loco. Per.

Bene-

---

(1) Verba *Per quem hæc omnia* hic & paulo ante ad benedictionem uvæ ſive fabæ addita demonſtrant benedictiones has ad illa Canonis verba fuiſſe factas, ut iam in diſquiſitionibus noſtris T. I. p. 371. de aliarum etiam rerum benedictione oſtendimus, pomorum ex. g. quorum hic benedictionem attulimus eandem, quæ in ſacramentario *Gelaſiano* habetur, uti etiam uvæ ſeu fabæ, fructuum novorum, quorum benedictionem in ſolemni miſſa Aſcenſionis Domini factam fuiſſe Card. BONA lib. II. rer. liturg. c. 14. notavit, ex antiquiſſimo ſacramentario. Extatque apud *Ed* MARTENIUM de ant. eccl. diſc. in div. off. celebr. c. 28. Et poſtea cap. 33. ad diem VIII. Kal. *Auguſti* ex pervetuſto rituali ad uſum diœceſ. *Remenſ.* habetur benedictio pomorum in die feſto beatorum IACOBI & CHRISTOPHORI, ſed poſt *miſſam dicti dici.* In Conſtitut. Apoſt. lib. VIII. c. 46. legitur formula benedictionis primitiarum ſeu fructuum novorum. Extat etiam in euchologio oratio in uvæ delibatione ad diem ſextum *Auguſti*, quo ipſo die in recentioribus etiam miſſalibus uvæ benedictio eadem, cuius ex *Gelaſiano* vulgato noſtris Monumentis modo meminimus, ponitur, ut ſilentio prætercam, ritum, diei illius merito antiquatum vinum novum ex uva recenti expreſſum liquandi in calice, de quo DURANDUS lib. VII. Ration. div. Off. c. 22.

(2) Peregrinum angeli nomen, cuiusmodi ab ADELBERTO hæretico conficta in Concilio *Romano* an. 745. damnantur, & apud BURCHARDUM lib. III. cap. 198. ex canone Conc. *Aurel.* tertio. Nihilominus quædam leguntur in litania *Carolina* apud MABILL. Analect. p. 170.

Digitized by Google

Benedictio ſalis ad oculos hominum.

Sana Domine oculos hominis iſtius, cum benedicimus hanc creaturam ſalis, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ſicut aperuiſti duorum cæcorum clamantium tibi in evangelio ac dicentium miſerere noſtri fili David, & manifeſtus fuiſti illis, & aperti ſunt oculi eorum, & ſicut is, qui ſputo ſanatus & lavatus in natatorio Siloe lumen redditus, ſic aperiantur oculi iſtius hominis per te Ihu Xpe qui cum Patre viv.

Benedictio oculorum.

Sana Domine oculos hominis iſtius, ſicut ſanaſti oculos Tobiæ, & duorum cæcorum, quos in evangelio commemorat, purga oculos, expelle feſtucam, & aream, & omne quod nocet oculis, & appareat gloria tua in omni loco. Per.

Oratio pro dolore partus.

Deus qui ab inicio feciſti hominem & dediſti ei adiutorem ſimilem ſibi, ut creſcerent, & multiplicarentur ſuper terram, da miſericordiam tuam huic famulæ tuæ ill. ut proſpere & ſine dolore parturiet. Per.

Oratio ſuper fontem ubi aliqua neglegentia contigit.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per inviſibilitatis tuæ potentiam has aquas ex nichilo conditas in huius maria formam viſibile præbuiſti, atque ex abditis inveſtigabilibus concava per abyſſi magnitudinem largitatis tuæ gratiam humanis uſibus fluenta fontibus influxiſti te ſupplices exoramus, ut has aquas, quas neglegentia polluit, ſancti Spiritus tui gratia ad mundiciam revocet atque purificet & ſpiritus callidi hoſtis abſcedat, ac deinceps ſanctificatam, familiæ tuæ potabilem tribuas, utque potantium corpora mundet, cordaque ſanctificet. Per.

Benedictio putei novi.

Oremus. Benedic quæſumus omnipotens Deus, hanc ciſternam aquæ in qua exitu terræ interiora per ſpiracula profluentem laticem inundare iuſſiſti, ut fugata ab ea cuncta diabolica machinatione quisquis ex ea guſtaverit, tibi immenſas referat gratiarum actiones. Per.

Oratio ſuper vaſa reperta in locis antiquis.

Omnipotens æterne Deus inſere te officiis noſtris, & hæc vaſcula arte fabricata gentilium ſublimitatis tuæ potentia ita emundare digneris, ut omni immunditia depulſa, ſint tuis fidelibus tempore pacis, atque tranquillitatis utenda. Per.

Benedictio ad omnia qúæ volueris.

Benedic Domine creaturam iſtam ill. &c.

Benedictio ſuper Veſtem novam.

Signaculum Dei ſuper hanc veſtem novam, qua induantur homines, ut Spiritus ſanctus regnat in homine, qui circum ſe induerit in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti maneat ſecum in ſæcula ſæculorum.

Benedictio Viduæ, quæ fuerit caſtitatem profeſſa.

Conſolare Domine hanc famulam tuam viduitatis laboribus conſtrictam, ſicut conſolari dignatus es Sareptam viduam per Heliſea prophetam; concede ei pudicitiæ fructum, ut antiquarum non meminerit voluptatum. Neſciat enim incentiva deſideria, ut ſoli tibi ſubdat propria colla, quo poſſit pro laboribus tantis ſexageſimo gradu percipere munus delectabile ſanctitatis. Per.

Benedictio Veſtimentorum virginum vel viduarum.

Deus æternorum bonorum fideliſſime promiſſor; hæc indumenta humilitatem cordis & contemptum mundi ſignificantia, quæ familiæ tuæ ſancto viſibiliter ſunt informanda propoſito, propitius benedicas & beatæ caſtitatis habitum, quem te aſpirante ſuſceperit, te protegente cuſtodiat, & quam veſtibus venerandæ promiſſionis induis temporaliter, beata facias immortalitate veſtiri. P.

Oratio ad Abbatem faciendum, vel Abbatiſſam.

Concede quæſumus omnipotens Deus & famulum tuum, vel famulam tuam, quem ad regimen animarum elegimus gratiæ tuæ dono proſequere, ut te largiente cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per.

Ordo ad Clericum faciendum.

Ex Mſc. Rhenaug. ſæc. XI. circ.

Præſta quæſumus omnipotens Deus huic famulo tuo &c.

Item ad Clericum vel Monachum faciendum.

Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & hunc famulum tuum benedicere dignare, cui in tuo ſancto nomine habitum ſacræ religionis imponimus, ut te largiente, & devote in eccleſia perſiſtere, & vitam percipere mereatur æternam. Per D.

Inter tondendum dicantur hæ antiphonæ. Tu es Domine &c. *Et dicit orationem.* Præſta quæſumus omnipotens Deus huic famulo tuo &c.

Oratio ad Capillaturam.

Omnipotens ſempiterne Deus, reſpice ſuper hunc (hos) famulum (os) tuum (os), quem (os) ad novam tondendi gratiam vocare dignatus es, tribuens ei (eis) remiſſionem omnium peccatorum, atque ad cœleſtium donorum pervenire conſortium. Per.

Ad Barbam.

Deus, cuius Spiritu creatura omnis incrementis adulta congaudet, exaudi preces noſtras ſuper hunc famulum tuum N. iuvenilis ætatis decore lætantem, & florem primis auſpiciis adtondentem: exaudi Domine, ut in omnibus protectionis tuæ munitus auxilio, cœleſtem benedictionem accipiat, & præſentis vitæ præſidiis gaudeat, & æternæ. Per.

Poſt Evang. maioris Miſſæ Ordinatio monachorum eſt agenda hoc modo: Ego frater N. promitto ſtabilitatem & converſionem morum meorum & obedientiam ſecundum Regulam ſancti Benedicti coram Deo, & Sanctis eius in hoc monaſterio Renaugenſi, quod eſt conſtructum in honore S. Mariæ genitricis Dei; in præſentia Domini &c. Abbatis.

Hoc poſtquam ſinguli legunt, ter veniam ſuper manus & genua petentes hunc ℣. dicunt:

℣. Suſcipe me Domine ſecundum &c.

Quibus conventu reſpondente adiungendo Gloria &c. *ipſi novitii gyrum facientes flexis poplitibus, poſtea proſternunt ſe ad orat. Et Domnus Abbas ſtans imponit:* Kyrie &c. Chriſte &c. Kyrie &c. Pater noſter &c. Miſerere mei Deus &c.

Salvum (os) fac ſervum (os) tuum (os).
Mitte ei (eis) Domine auxilium de ſancto.
Nihil proficiat inimicus in eo (eis).
Eſto ei (eis) Domine turris fortitudinis.
Dominus vobiſcum.

Oremus: Deus indulgentiæ Pater, qui ſeveritatem tuæ diſtrictionis temperans indulſiſti, ne filius portaret iniquitatem patris; & qui mira diſpenſatione etiam malis bene utens tuæ dignationis gratiam per eos frequenter operaris; quæſumus clementiam tuam, ut huic famulo tuo non obſiſtat, quod habitum religionis per nos tanta ac tali re indignos accipit, ſed miniſterium, quod exterius per nos exhibetur, tu interius per dona S. Spiritus exequaris. Per.

Deus, qui per coæternum Filium tuum cuncta creaſti, quique mundum peccatis inveteratum per myſterium incarnationis eius renovare dignatus es; te ſuppliciter exoramus: ut eiusdem Domini noſtri gratia ſuper hunc famulum tuum abrenuntiationem ſeculi profitentem, clementer reſpicere dignetur; per quam in ſpiritu ſuæ mentis renovatus veterem hominem cum ſuis actibus exuat, & novum, qui ſecundum Deum eſt, induere mereatur. Per.

Domine Ieſu Chriſte, qui es via, ſine qua nemo venit ad Patrem; quæſumus benigniſſimam clementiam tuam: ut hunc famulum tuum a carnalibus deſideriis abſtractum, per iter diſciplinæ regularis deducas; & qui peccatores vocare dignatus es dicens: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos reficiam; præſta: ut hæc vox invitationis tuæ ita in eo convaleſcat, quatenus peccatorum onera deponens, & quam dulcis es, guſtans, tua refectione ſuſtentari mereatur; ut ſicut atteſtari de tuis ovibus dignatus es; agnoſce eum inter oves tuas; & ipſe te agnoſcat, ut alienum non ſequatur, ſed te: neque audiat vocem alienorum, ſed tuam, qua dicis: qui mihi miniſtrat, me ſequatur. Qui vivis &c.

Sancte Spiritus, qui te Deum, ac Dominum revelare mortalibus dignatus es, immenſam tuæ pietatis gratiam poſtulamus: ut ſicut ubi vis ſpiras, ſic & huic famulo tuo affectum devotionis indulgeas; & quoniam tua ſapientia eſt conditus, tua quoque providentia gubernetur; quem iuxta conſuetam tibi gratiam unctio tua de omnibus doceat; & per interceſſionem beatiſſimi Benedicti quem præcipuum huius ſanctæ inſtitutionis legislatorem dediſti; nec non & aliorum Sanctorum, ad quorum nomina petionem facit, eum a vanitate ſeculi veraciter converte; & ſicut es omnium peccatorum remiſſio, deprimentis impietatis obligationes in eo diſſolve, & ad obſervantiam huius ſancti propoſiti fac eum certatim fervere in tribulationibus & anguſtiis; ut tua indeficienti conſolatione valeat reſpirare, & iuſte & pie per veram humilitatem atque obedientiam in fraterna caritate fundatus, quod te donante promittit, felici perſeverantia compleat. Quod ipſe præſtare digneris, qui cum Deo Patre, ſanctoque unigenito Filio eius Domino noſtro Ieſu Chriſto vivis & & gloriaris Deus per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Hic ſurgunt Novitii ad orat. ut Domnus Abbas eos conſpergat aqua benedicta.

Cucullæ ita benedicuntur:

Domine Ieſu Chriſte, qui tegimen noſtræ mortalitatis

Digitized by Google

talitatis induere dignatus es; obſecramus immenſam tuæ largitatis abundantiam: ut hoc genus veſtimenti, quod ſancti Patres ad innocentiæ, & humilitatis indicium abrenuntiantibus ſeculum ferre ſanxere, ita benedicere digneris, ut hic famulus tuus, qui hoc uſus fuerit, te induere mereatur. Qui cum Patre.

Item exuendo froccum dicitur ad ſingulos:

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis.

Inter induendum cucullam dicitur ad unumquemque:

Induat te Dominus novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſticia & ſanctitate veritatis.

Tunc oſculato Abbate vadunt in chorum, & omnem Conventum oſculantur.

Conſecratio ſacræ Virginis quæ in Epiphania vel in ſecunda feria Paſchæ, aut in natalitiis Apoſtolorum celebratur.

Ex Cod. Vind. Theol. 359. ſæc. X.

Omnes qui ad ſacros ordines debent promoveri, ante pronuntiationem Evangelii ab epiſcopo debent conſecrari, quia ab eis prædicatio ſancti evangelii debet per totum mundum diffundi. Virgines autem & viduæ poſt perlectum evangelium debent velari, quia decet eas & evangelium prædicari. Virginem epiſcopo parentes cum oblatione offerunt, & ille involutam manum eius in palla altaris recipiat dicendo cum adſtantibus antiph. Ipſi ſum deſponſata cui Angeli ſerviunt, cuius pulchritudinem ſol & luna mirantur. *Sanctimonialis cum ad conſecrationem ſui epiſcopi offertur in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper uſura eſt & profeſſioni & ſanctimoniæ aptis. Imprimis autem offerantur illa veſtimenta ante altare epiſcopo ad benedicendum.*

Benedictio veſtimentorum Virginum.

Deus æternorum bonorum fideliſſime promiſſor, certiſſime perſolutor &c.

Alia. Domine Deus bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, te ſubnixis precibus deprecamur, ut has veſtes, quas famula tua N. pro indicio cognoſcendæ religionis induere vult, benedicere & ſanctificare digneris, ut inter reliquas feminas cognoſcatur dedicata. P.

Alia. Exaudi Domine preces noſtras & hanc veſtem quam famula tua N. ſigno ſe adoperandum expoſcit, uberrimæ benedictionis imbre perfunde, ſicut perfudiſti oram veſtimentorum Aaron, benedictione unguenti profluente a capite in barbam. Et ſicut benedixiſti veſtes omnium religioſorum tibi per omnia placentium, ita etiam hanc benedicere dignare, ac præſta clementiſſime Pater, ut ſupradictæ famulæ tuæ N. hæc ſit veſtis ſalubris protectio hæc cognitio religionis, hæc initium ſanctitatis hæc contra omnia tela inimici robuſta defenſio, ut ſi continens eſt ſexageſimi fructus donum accipiat, ut ſi virgo centeſimi muneris opulentia in utraque parte perſeverante continentia ditetur. Per.

Item benedictio ſacri velaminis.

Caput omnium fidelium Deus, & totius corporis Salvator, hoc operimentum velaminis, quod famula tua propter tuum tuæque genitricis beatiſſimæ ſcilicet ſemper virginis Mariæ amorem ſuo capiti eſt impoſitura, tua dextera ſanctifica, & hos quod per illud myſtice datur intellegi, tua ſemper cuſtodia corpore pariter & animo incontaminato cuſtodiat; ut quando ad perpetuam ſanctorum remunerationem venerit, cum prudentibus & ipſa virginibus præparata, te perducente, ad perpetuæ felicitatis nuptias intrare mereatur. P.

Hic ſuppliciter proſternat ſe ante altare illa quæ conſecranda eſt, & dicat hunc verſum tribus vicibus. Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum & vivam, & non confundas me ab exſpectatione mea. *Poſt hæc epiſcopus dicat.* Soror. Accipe hanc veſtem in nomine Domini. *Et illa reſpondeat.* Suſcipio in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. *Tunc epiſcopus det ei ipſa virginitatis veſtimenta, & tantum velamen apud ſe faciat retineri. Ipſa autem virgo vadat in ſacrarium & induat ſe ipſis veſtimentis benedictis, accipienſque duos cereos ardentes in manus ſuas veniat ante altare & imponat clerus introitum ad miſſam. Poſt evangelium autem & dicta, ea proſtrata, latania, inclinato capite ante altare benedicat eam epiſcopus dicens hanc orationem.* Reſpice Domine propitius ſuper hanc famulam tuam N. ut virginitatis ſanctæ propoſitum, quod te inſpirante ſuſcepit, te gubernante cuſtodiat. P.

Conſecratio in modum Præfationis.

Deus caſtorum corporum benignus habitator & incorruptarum amator animarum. Deus qui humanam ſubſtantiam in primis hominibus diabolica fraude vitiatam, ita in verbo tuo per quod omnia facta ſunt, reparas, ut eam non ſolum ad

primæ

Digitized by Google

primæ originis innocentiam revoces, ſed etiam ad experientiam quorundam bonorum quæ in novo ſæculo ſunt habenda perducas, & obſtrictos adhuc conditione mortalium iam ad ſimilitudinem promoveas Angelorum; reſpice ſuper hanc famulam tuam, quæ manu tua continentiæ ſuæ propoſitum collocans tibi devotionem ſuam offert, a quo & ipſa idem votum aſſumpſit. Quando enim animus mortali carne circumdatus legem naturæ, libertatem licentiæ, vim conſuetudinis, & ſtimulos ætatis evinceret, niſi tu per liberum arbitrium hunc amorem virginitatis clementer accenderes; tu hanc cupiditatem in eius corde benignus aleres, tu fortitudinem miniſtrares. Effuſa namque in omnes gentes gratia tua ex omni natione quæ ſub cœlo eſt in ſtellarum innumerabilem numerum novi teſtamenti hæredibus adoptatis inter cæteras virtutes, quas filiis tuis non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed de tuo Spiritu genitis indidiſti, & iam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit; ut quamvis honorem nuptiarum nulla interdicta minuiſſent, ac ſuper ſanctum coniugium initialis benedictio permaneret; exiſterent tamen ſublimiores animæ, quæ in viri ac mulieris copula faſtidirent connubium, concupiſcerent ſacramentum, nec imitarentur quod nuptiis agitur, ſed diligerent, quod nuptiis prænotatur. Agnovit auctorem ſuum beata virginitas, & æmula integritatis angelicæ illius thalamo, illius cubiculo ſe devovit, qui ſic perpetuæ virginitatis eſt ſponſus, quemadmodum perpetuæ virginitatis eſt filius. Imploranti ergo auxilium tuum & confirmari ſe benedictionis tuæ conſecratione cupienti, da protectionis tuæ munimen, & regimen, ne hoſtis antiquus, qui excellentiora ſtudia ſubtilioribus infeſtat inſidiis ad obſcurandam perfectæ continentiæ palmam per aliquam mentis ſerpat incuriam, & rapiat de propoſito virginum, quod etiam moribus decet ineſſe nuptiarum. Sit in ea Domine per donum Spiritus ſancti prudens modeſtia, ſapiens benignitas, gravis lenitas, caſta libertas. In caritate ferveat, & nihil extra te diligat, laudabiliter vivat, laudarique non appetat. Te in ſanctitate corporis, te in animæ ſuæ puritate glorificet, amore te timeat amore tibi ſerviat. Tu ei ſis honor, tu gaudium, tu voluntas, tu in mœrore ſolatium, tu in ambiquitate conſilium, tu in iniuria defenſio, in tribulatione pacientia, in paupertate habundantia, in ieiunio cibus, in infirmitate medicina. In te habeat omnia, quem diligere appetit ſuper omnia, & quod eſt profeſſa cuſtodiat, ſcrutatori pectorum non corpore placitura ſed mente, transfeat in numerum ſapientum puellarum, ut cœleſtem ſponſum averſis lampadibus cum oleo præparationis exſpectet nec turbata improviſi regis adventu, ſed ſecura cum lumine, & præcedentium virginum choro iuncta occurrat, & non excludatur cum ſtultis, regalem ianuam cum ſapientibus virginibus licenter introeat, & in agni tui comitatu perpetuo probabilis manſura caſtitate permaneat. Per eundem. *Benedictione expleta epiſcopus mittat velamen ſuper caput ipſius virginis.* Accipe velamen ſacrum puella, quod præferas ſine macula ante tribunal Dni nri Ihu Xpi cui flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorum in ſæcula ſæculorum. Amen. *Tunc cantatur a circumſtantibus ad ſingulas antiphona.* Induit me Dominus ciclade auro texta & immenſis monilibus ornavit me.

Oratio poſt aſſumtum velamen.

Famulam tuam Domine tuæ cuſtodia muniat pietatis, ut continentiæ ſanctæ propoſitum quod te inſpirante ſuſcepit, te protegente illæſum cuſtodiat. *Sequitur antiphona.* Ipſi ſum deſponſata cui &c. Da quæſumus omnipotens Deus, ut hæc famula tua, quæ pro ſpe retributionis æternæ tibi Domino deſiderat conſecrari, plena fide animoque in ſancto propoſito permaneat. Tu eam omnipotens Pater ſanctificare & benedicere & in perpetuum conſervare digneris. Tribue ei humilitatem, caſtitatem, obedientiam, caritatem, & omnium bonorum operum quantitatem. Da ei Domine pro operibus gloriam pro pudore reverentiam, pro pudicitia ſanctitatem ut ad meritum poſſit gloriæ pervenire. Per. *Tunc cantetur a circumſtantibus antiphona.* Poſuit ſignum in faciem meam, ut nullum præter eum amatorem admittam. *Et dicat epiſcopus benedictionem Matthæi apoſtoli ſuper eam.* *Or.* Deus plaſmator corporum afflator animarum, qui nullam ſpernis ætatem, non ſexum reprobas, nullam conditionem gratia tua ducis indignam; ſed omnium æqualis creator es & redemtor; tu hanc famulam tuam, quem ex omni numero gregis paſtor bonus eligere ad conſervandam coronam perpetuæ virginitatis & caſtimoniam animæ dignatus es; tuæ protectionis ſcuto circumtege, & ad omne opus virtutis & gloriæ, magiſtrante ſapientia præpara, ut innocens carnis illecebras, & licita connubio, recuſans inſolubilem Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti copulam mereatur. Hinc petimus Domine,

arma

Digitized by Google

arma ſuggeras non carnalia, ſed ſpiritus virtute potentia, ut te muniente eius ſenſus & membra in eius corpore & animo non poſſit dominari peccatum, atque ſub tua gratia vivere cupienti nihil ſibi defenſor malorum & inimicus bonorum, de hoc vaſe iam nomini tuo ſacrato prævaleat vendicare. Omnem etiam genuinum calorem imber gratiæ tuæ cœleſtis extinguat; lumen vero perpetuæ caſtitatis accendat: facies ſcandalis pudica non pateat, nec incaute occaſionem tribuat neglegentia delinquendi. Sitque in ea caſta virginitas, & ornata pariter, & armata, fide integra, ſpe certa, caritate ſincera, ut præparato animo, ad continentiam virtus tanta præſtetur, quæ ſuperet diaboli univerſa figmenta, atque contemnendo præſentia futura ſectetur. Ieiunia epulis carnalibus præferat, & lectiones ſacras & orationes conviviis & potationibus anteponat, ut orationibus paſta & eruditionibus expleta, illuminata vigiliis opus gratiæ virginalis exerceat. His virtutum armis hanc tuam famulam interius exteriusque communiens, præſta inoffenſum curſum virginitatis implere. Per.

Ad annulum dandum.

Accipe annulum fidei, ſignaculum Spiritus ſancti, ut ſponſa Dei voceris ſi ei fideliter ſervieris.

Accipe ſignum Chriſti in capite, ut uxor eius efficiaris, & ſi in eo permanſeris, in perpetuum coroneris.

Interim dicatur antiphona: Annulo ſuo ſubarravit me Dominus meus Ieſus Chriſtus & tanquam ſponſam decoravit me corona. *Sequitur benedictio.* Benedicat te conditor cœli & terræ Deus Pater omnipotens, qui te eligere dignatur ad ſanctæ Mariæ matris Dni nri Ihu Xpri conſortium, ut integram & immaculatam virginitatem, quam profeſſa es coram Domino & angelis eius conſerves, propoſitum teneas, caſtitatem diligas, patientiam ſerves, & coronam virginitatis accipere merearis. Per.

Poſt hac relinquens cereos puella offerat oblationem. Iterum accipiens cereos, ſtat inclinata, uſquedum communicet, & miſſa finiatur ordine ſuo. Poſtquam communicet, reſervet de ipſa communione uſque in diem octavum, ut inde communicet. (1) *Et ſi eſt, qui ei teſtimonium perbibeat, mittat eam epiſcopus in manus ſuas dicens*: Videte quomodo iſtam Deo ſacratam repræſentes immaculatam ante tribunal Dni nri Ihu Xpi.

Item Miſſa Virginum.

Tibi dixit cor meum. *Pſ.* Dominus illuminatio. Da quæſumus Domine ancillæ tuæ quam virginit. *Gr.* Miſerere mei Deus. ℣. Miſit de cœlo. Alleluia. Lauda anima mea Dominum. *Off.* Sperent in te. *Sac.* Oblatis hoſtiis Domine. *Infra can.* Hanc igitur oblationem. *Benedict.* Domine Deus æterne, qui utrumque ſexum de interitu perpetuæ mortis per Ieſum Chriſtum Filium tuum de Maria Virgine natum miſericorditer redemiſti, hanc famulam tuam devota mente tibi ſervientem omni benedictione ſpiritali benedicere dignare. Amen. Ut integram fidem habeat, & in præceptis legis tuæ ſemper perſeveret, terrena & tranſitoria deſpiciat, æterna & inviſibilia in tanta meditatione diligat. Amen. Ut in numero ſanctarum virginum permanens cœleſti ſponſo cum lampadibus bonorum operum fiducialiter occurrere, ipſi tibi præſtanti mereatur. Amen. Quod ipſe præſtare dign. *Comm.* Notas mihi feciſti. Reſpice Domine famulæ tuæ. *Sermo in nat. virginum.*

Ad ancillas Dei virgines velandas, quibus converſis veſtimenta mutantur.

Ancilla Dei virgo, cum ad conſecrationem ſui epiſcopi offertur, in talibus veſtibus applicetur, qualibus ſemper uſura, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis. Tunc dicat hanc præfationem. Oremus fratres kmi miſericordiam Domini, ut illud donum tribuat huic puellæ, quæ Deo votum vovit, veſtem candidam perferre cum integritate coronæ, in reſurrectione vitæ æternæ, quæ futura eſt nobis. Per. *Alia.* Familiam tuam Domine tuæ cuſtodia muniat pietatis, ut virginitatis ſanctæ propoſitum, quod te inſpirante ſuſcepit, te protegente illæſum cuſtodiat. Per.

Alia. Te invocamus Domine Pater omnipotens æterne Deus ſuper hanc famulam tuam quæ tibi vovit ſervire pura mente, mundoque corde, ut eam ſociare digneris inter illa centum quadraginta quatuor millia infantum qui virgines permanſerunt, & cum mulieribus non coinquinaverunt, in quorum ore dolus inventus non eſt. Et ita hanc famulam

(1) Ritus hic dandi ſacram hoſtiam, unde per octiduum communicet virgo, ut olim in ordinatione ſacerdotali uſuveniebat, præſcribitur in antiquo ordine R. variiſque libris pontificalibus apud MARTENIUM lib. II. de antiq. eccl. rit. c. 6. n. 15. Ritus hic in triduanam communionem eſt commutatus, ut præſcriptum tradit *Ioſ.* CATALANUS ex mſc. *Vaticano* circ. 400. ann. T. I. comment. in Pontif. R. p. 362.

Digitized by Google

famulam tuam facias permanere immaculatam uſque in finem, per immaculatum Ihm Xpm Dnm nrm, cum quo vivis & regnas Deus in unitate Spiritus ſancti. Per. *Benedictione expleta mittat epiſcopus velamen ſuper caput ipſius virginis dicens.* Accipe velum ſacrum puella, quod præferas ſine macula ante tribunal Dni nri Ihu Xpi, cui flectitur omne genu cœleſtium, terreſtrium & infernorum in ſæcula ſæculorum amen. *Benedictio.* Benedicat te Deus Pater & Filius & Spiritus ſanctus in omni benedictione ſpiritali, ut maneas ſine macula ſub veſtimento ſanctæ Mariæ matris Dni nri Ihu Xpi. Qui viv. & reg.

Conſecratio Viduæ quæ fuerit caſtitatem profeſſa.

Viduæ poſt perlectum evangelium debent velari, quia decet eas per evangelium prædicari. Vidua autem quia ſoluta eſt a lege viri, ſeipſam ſimiliter dare Deo debet & a presbytero velari, vel etiam conſecratum ab epiſcopo velamen ipſa ſibi, nec epiſcopus debet imponere. Presbyteris vero licet viduas velare, ſolis epiſcopis virgines.

Benedictio veſtimentorum Viduæ.

Viſibilium & inviſibilium creator Deus adeſto propitius, ut hæc indumenta ſanctitatis effigiem oſtendentia deſuper gratia tua irrigante benedicere & ſanctificare digneris. Per. *Alia.* Aperi quæſumus Domine oculos maieſtatis tuæ ad benedicendam hanc viduitatis veſtem, ut quæ in ornatis veſtibus viri ſui uſibus placuit, in ſacris indumenta benedictionis tuæ ſervare mereatur. Per. *Tunc agatur letania. Poſt letaniam ſequitur hæc præfatio.* Incorruptum æternitatis Deum & inviolabilis naturæ Dominum fratres kmi ſuppliciter deprecemur poſcentes pro Sorore noſtra N. quæ corpore ac mente perfectæ continentiæ & pudicitiæ ſe ſervituram Domino devovit, ut petenti famulæ ipſe qui eſt iudex viduarum perfectam tribuat continentiam.

Benedictio propria Viduæ.

Conſolare Domine hanc famulam tuam viduitatis laboribus conſtrictam; ſicut conſolari dignatus es Sareptanam viduam per Heliam prophetam. Concede ei pudicitiæ fructum ut antiquarum non meminerit voluptatum. Neſciat etiam &c.

Alia. Da quæſumus omnipotens Deus, ut hæc famula tua, quæ pro ſpe retributionis æternæ ſe tibi Domine deſiderat conſecrari &c. *Velamen capiti ſuo imponat.*

Oratio poſt aſſumtum indumentum & velamen.

Famulam tuam Domine tuæ cuſtodia muniat &c. *Alia.* Domine Ieſu Chriſte omnium Deus, qui inter cætera virtutum documenta ad ſalutem noſtram vigorem caſtitatis & pudicitiæ reparaſti, te ſupplices exoramus, ut hanc Sororem noſtram viduam ad gratiam pietatis tuæ ex corde converſam ab omnibus temptationibus inimicorum tutam, defenſamque cuſtodias, & hæc capitis velamina ad interioris hominis tutamen perſeverare facias. Per. *Alia.* Domine Deus virtutum cœleſtium æterne dominator tibi ſupplices effundimus preces, ut hanc famulam tuam N. conſecrare digneris, quam de priſtina converſatione ad novitatem vitæ exſpolians veterem hominem, & induens novum, converti feciſti, ut ſicut Anna propheteſſa multis temporibus viduitatis veſte induta in templo gloriæ tuæ ieiuniis & orationibus fideliter deſervivit, ſic & hæc famula tua tibi ſoli Deo in Eccleſia tua devota mente deſerviat. Per. Deus caſtitatis amator. *Et reliqua.*

Ordinatio (1) Abbatiſſæ canonicam profitentis regulam.

In ordinatione abbatiſſæ epiſcopus debet miſſam cantare & eam benedicat hoc modo. Poſt antiphonam ad introitum & datam orationem & reliquum officium miſſæ uſque ad evangelium proſternat ſe electa ante altare cum duabus vel tribus de ſororibus ſuis fiantque ibi letaniæ. Quibus finitis benedicat eam epiſcopus inclinato capite dicens. Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. *Sequitur orat.* Oremus. Exaudi Domine preces noſtras & ſuper hanc famulam tuam Spiritum tuæ benedictionis emitte, ut cœleſti munere dicata & tuæ gratiam maieſtatis poſſit acquirere & bene vivendi aliis exemplum præbere. Per Dnm nrm Ihm Xpm qui tecum vivit & regnat Deus in unitate eiuſdem Spiritus ſancti.

Alia. Omnipotentiam tuam humiliter imploramus Domine ut ſuper hanc famulam tuam, quam ad ſacrum ordinem aſſumere dignatus es, benedictionis tuæ donum dignanter infundas, eique gratiam ſanctificationis tribuas, ut quod te donante percipit, te protegente illæſum cuſtodiat. Per. *Et proſequatur iſtam orationem in modum*

(1) Hac voce iam ad rem uſus eſt S. Gregorius M. lib. VI. Reg. ep. 22. ad Reſpectam abbatiſſam *Maſſilienſem* ſcribens in hæc verba: „ Non extranea, „ ſed quam congregatio ſibi de ſuis elegerit, ordinetur, quam tamen ſi digna hoc monaſterio iudicata „ fuerit, eiuſdem loci epiſcopus ordinet."

modum præfationis. Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus adeſto precibus noſtris, adeſto votis, adeſto famulatibus, adeſto conſecrationibus, qui omnia per verbum virtutis tuæ mirabiliter diſpenſas, & diſpenſanda miniſtras. Qui diverſis floribus tuam ſemper exornas Eccleſiam, dum eam & virorum exemplis, & illuſtrium feminarum irradias inſtitutis. Qui etiam de infirmiori ſexu hanc famulam tuam ſervitutis tuæ applicare dignatus es famulatui. Effunde quæſumus Domine ſuper hanc famulam tuam, quam in officium divinum fideliter dedicamus, gratiam ſancti Spiritus, ut tibi omni tempore eius ſervitiis dignanter compleat, eamque dextera potentiæ tuæ benedicere & ſanctificare ſive conſecrare digneris in opus miniſterii tui condignum, quatenus actum miniſtrationis ſibi creditæ fideli - - exequatur, & eiusdem ſancti Spiritus ſeptiformis gratiæ virtute corroboretur. Requieſcat ergo ſuper eam Domine Spiritus ſapientiæ, & pietatis ac repleas eam Spiritu timoris tui. Concede quoque ei gravitatem actuum, cenſuramque vivendi, ut in lege tua die ac nocte meditetur. Mandata tua cuſtodiat, dictis tuis obediat, ſacris lectionibus inſiſtat, terrena & tranſitoria deſpiciat, atque omni tempore bonis operibus inſerviat. Omnem libidinem pravæ voluptatis ſuperet, amorem honeſtæ caſtitatis teneat, ut tibi ſponſo venienti cum lampadibus ſuis inextinguibilibus poſſit occurrere, & præcedentium virginum choro iungi, & ne cum ſtultis excludatur regalem ianuam cum ſapientibus licenter introeat. Abundet in ea totius forma virtutis, auctoritas modeſta, pudor conſtans, innocentiæ puritas, & ſpiritalis obſervantia diſciplinæ in moribus eius præcepta tua fulgeant, ut tuæ caſtitatis exemplo cunctis ſibi ſubditis imitationem præbeat puram, & bonum conſcientiæ teſtimonium oſtendens in Chriſto Ieſu firma & ſtabilis perſeveret atque ita perceptum miniſterium te auxiliante peragat, qualiter ad æternam remunerationem, te donante, pervenire mereatur. Per eundem Dnm nrm. *Tunc det ei regulam dicens:* Accipe regulam ſanctæ converſationis ſimulque gratiam divinæ benedictionis, & cum per hanc cum grege tibi credito in diſtricti iudicii die Domino incontaminata repræſentari valeas, ipſe te adiuvare dignetur, qui cum Deo Patre vivit.

Sequitur oratio.

Domine Deus omnipotens, qui ſororem Moyſi Mariam præcinente cum cæteris mulieribus inter equoreas undas cum tympanis & choris lætam ad litus maris venire feciſti, te ſupplices deprecamur pro fideli famula tua, quæ hodie materna, in cathedra ſuper univerſas ſubditas ſibi abbatiſſa conſtituitur, ut ita canonica norma tueatur cunctas famulas tuas, quatenus ad æternam gloriam te auxiliante cum omnibus illis introeat læta, ibique exultans cum angelis canens cantica nova, ſequatur agnum quocunque ierit Xpm Dnm nrm. Famulam tuam quæſumus Domine tua ſemper gratia benedicat, & inculpabilem ad vitam perducat æternam. Per. *Quodſi ordinatio in domo ſua facta fuerit imponatur* Te Deum laudamus. *Populo acclamente* Kyrie eleiſon. *Poſtea dicatur hæc oratio pro adepta dignitate* Omnium Domine fons bonorum, iuſtorumque profectuum munerator, tribue quæſumus famulæ tuæ adeptam bene gerere dignitatem & a te ſibi præſtitam bonis operibus comprobare. Per. *Item ſi alibi conſecrata fuerit, regreſſa ad monaſterium omnis chorus virginum honorifice procedat ei obviam cum crucibus, aqua benedicta, incenſo & evangelio, & in ipſo eodem introitu imponant* Te Deum laudamus *turba acclamante* Kyrie eleiſon, *& presbytero proſequente orationem ut ſupra.* Omnium Domine fons bonorum.

Ordinatio Abbatiſſæ monaſticam regulam profitentis, Capitulum ex Canone Theodori Archiepiſcopi Anglorum.

Ex Cod. monaſt. Murenſis olim monaſterii in Nidermunſter Ratisb. ſæc. XI. circ.

In ordinatione Abbatiſſa epiſcopus debet miſſam celebrare, & eam benedicere hoc modo.

Poſt antiphoniam ad introitum, & datam orationem, & reliquum officium miſſæ uſque ad evangelium, proſternat ſe electa ante altare retro epiſcopum, fiantque ibi lataniæ, ſequitur Pater noſter *cum precibus iſtis:* Salvam fac ancillam tuam Domine. Deus meus.

Dominus conſervet eam, & vivificet eam.
℟. Et beatam faciat eam in terra.
Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum. ℟. Ex hoc nunc.
Dominus cuſtodiat te ab omni malo.
℟. Cuſtodiat animam tuam Dominus.
Mittat tibi auxilium de ſancto. ℟. Et de Syon.
Eſto illi turris fortitudinis. ℟. A facie.
Exurge Domine adiuva nos. ℟. Et libera nos.
Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor.

Precibus iſtis finitis benedicat eam epiſcopus inclinato capite ita dicens:

Dominus vobiscum. ℟. Et cum ſpirtiu.

Sequitur iſta Oratio.

Concede quæſumus omnipotens Deus affectui noſtro miſerationis effectum, & famulam tuam, quam ad regimen animarum elegimus, gratiæ tuæ dono proſequere, ut te largiente cum ipſa tibi noſtra devotione placeamus. Per Dnm nrm Ieſum Chrm.

Alia. Cunctorum bonorum inſtitutor Deus, qui per Moyſen famulum tuum ad gubernandas eccleſias præpoſitos inſtituiſti, tibi ſupplices fundimus preces, te devotis mentibus exoramus, ut hanc famulam tuam N. quam cohibentia & electio famularum tuarum abbatiſſam hodie famularum tuarum inſtituit, protectionis tuæ gratia munire digneris, ſicque regere ſubditas, commendatasque oves concedas, ut cum illis omnibus regna cœlorum adepta, & Domino opitulante apoſtolicis iugiter fulta doctrinis cum fructu centeſimo læta introeat portas paradyſi, atque te conlaudante Domine audire mereatur: Euge ancilla bona, & fidelis, quia in pauco fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Quod ipſe præſta.

Tunc imponit ei manum ſuper caput (1) *dicens orationem hanc in modum præfationis.*

Omnipotens ſempiterne Deus benedictionis tuæ Spiritum N. orantibus nobis propitiatus infunde, ut quæ per manus hodie impoſitionem abbatiſſa conſtituitur, ſanctificatione tua digne a te electa permaneat, ut nunquam poſtmodum de tua gratia ſeparetur indigna. Suſcipiat te Domine largiente hodie in bono opere perſeverantiam, in adverſis conſtantiam, in tribulatione tolerantiam, in ieiuniis deſiderium, in impietatibus miſericordiam, in humilitate principatum, in ſuperbia odium, in fide dilectionem, in doctrina vigilantiam, in caſtitate continentiam, in luxuria abſtinentiam, in varietatibus moderantiam, in moribus doctrinam. Te munerante Domine talis in hoc miniſterio, qualis levita electus ab apoſtolis ſanctus Stephanus meruit perſeverare. Totam ab hodie diabolicam converſationem deſpiciat, tua Domine benedictione largiente contempnat preſentia, diligat cœleſtia, præmia deſideret ſempiterna. Sit exemplum, & forma iuſtitiæ ad gubernandam, regendamque eccleſiam fideliter, ut ſpeculatrix idonea inter ſuas collegas ſemper efficiatur, ſit magni conſilii, induſtriæ, cenſuræ, efficatiæ, diſciplinæ. Ita te Domine tribuente in omnibus mandatis tuis ſine reprehenſione tibi mundo corde deſerviat, ut ad bravium ſupernæ vocationis multiplicato fœnore cum centeſimo fructu, coronaque iuſtitiæ ad cœleſtium theſaurorum dona tua perveniat. Per.

Tunc det ei regulam dicens:

Accipe regulam a ſanctis Patribus nobis traditam, ad regendum, cuſtodiendumque gregem tibi a Domino creditum, quantum Deus ipſe te confortaverit, ac fragilitas humana permiſerit.

Domine Deus omnipotens, qui ſororem Moyſi Mariam præeuntem cum cæteris mulieribus inter æquoreas undas cum tympanis & choris lætam ad litus maris venire feciſti, te ſupplices deprecamur pro fideli famula N. quæ hodie materna in cathedra ſuper univerſas ſubditas ſibi abbatiſſa conſtituitur, ita canonica norma tueatur cunctas famulas tuas, quatenus ad æternam gloriam te auxiliante cum illis omnibus introeat læta, ibique exultans cum angelis canens cantica nova ſequatur agnum, quocunque ierit. Per.

Concede quæſumus omnipotens Deus famulæ tuæ abbatiſſæ, ut oſtendendo & exercendo, quæ recta ſunt, exemplo bonorum operum animas ſuarum inſtruat ſubditarum, & æternæ remunerationis mercedem a te piiſſimo percipiat. Per.

Omnium Domine fons bonorum, iuſtorumque provectuum remunerator, tribue famulæ tuæ adeptam bene gerere dignitatem, & a te ſibi præſtitam bonis operibus comprobare. Per Dnm nrm.

Quodſi ordinatio abbatiſſæ infra monaſterium facta fuerit, imponatur: Te Deum laudamus: *populo acclamante* Kyrie eleyſon. *poſtea dicatur hæc oratio poſt adeptam dignitatem.*

Deus, cui omnis poteſtas & dignitas famulatur, da famulæ tuæ N. proſperum ſuæ dignitatis effectum, in qua te ſemper timeat, tibique iugiter placere contendat. Per.

Si alibi conſecrata fuerit abbatiſſa, regreſſa ad monaſterium omnis chorus monacharum honorifice præcedat cum crucibus, aqua benedicta, incenſo, & evangelio, & in ipſo eccleſia introitu impo-

(1) Notavimus in Diſquiſit. V. P. II. c. 4. n. 11. locum ex pontificali CHRISTIANI archiep. *Moguntini*, ubi poſtquam *in conſecratione abbatis* memorata hac manus impoſitione additur: *ſed in eius benedictione hoc non fit*; unde facile inducti fuimus, ut crederemus, eum diſtinxiſſe hic conſecrationem ordinis epiſcopalis, quæ alicubi abbatibus fuit impenſa, a ſimplici benedictione abbatum & abbatiſſarum, de qua hic ac poſtea etiam res agitur, ubi idem ritus præſcribitur in conſecratione, *quando abbas vel abbatiſſa ordinantur in monaſterio.*

Digitized by Google

imponatur : Te Deum laudamus. *turba clamante* Kyrie eleyſon , *& presbytero proſequente orationes ut ſupra :* Deus , cui omnis poteſtas &c.

Conſecratio ſacræ Virginis,
quæ in Epiphania , vel in ſecunda feria Paſchæ, & in nataliciis Apoſtolorum celebratur.

Omnes , qui ad ſacros ordines debent promoveri , ante pronuntiationem evangelii debent conſecrari. Virgines poſt lectum evangelium debent velari , poſt evangelium , & dictam ea proſtrata lætaniam inclinato capite ante altare benedicat eam epiſcopus dicens :

Reſpice Domine ſuper hanc famulam tuam N. ut virginitatis propoſitum , quod te inſpirante ſuſcepit , te gubernante cuſtodiat. Per.

Conſecratio in modum Præfationis.

Deus caſtorum corporum benignus habitator & incorruptorum amator cordium. Deus qui humanam ſubſtantiam in primis hominibus diabolica fraude viciatam ita in verbo tuo , per quod omnia facta ſunt , reparas , ut eam non ſolum ad primæ originis innocentiam revoces , ſed etiam ad experientiam quorumdam bonorum, quæ in novo ſeculo ſunt habenda perducas , & obſtrictos conditione mortalium ad ſimilitudinem provehis angelorum , reſpice ſuper hanc famulam tuam, quæ in manu tua propoſitum continentiæ ſuæ collocans votum , tibi devotionem ſuam offert , a quo etiam idem votum aſſumpſit , quando animus mortali carne circumdatus legem naturæ , libertatem licentiæ, vim conſuetudinis, & ſtimulos ætatis vinceret , niſi tu per liberum arbitrium hunc amorem clementer accenderes , tu hanc cupiditatem in eius corde clementer aleres, tu fortitudinem miniſtrares , effuſa in omnes gentes gratia tua , ex omni natione , quæ eſt ſub cœlo , in ſtellarum innumerabilem numerum novi teſtamenti heredibus adoptatis , inter cæteras virtutes, quas filiis tuis non ex ſanguinibus , neque ex voluntate carnis, ſed de tuo Spiritu genitis indidiſti. Etiam hoc donum in quasdam mentes de largitatis tuæ fonte defluxit , ut cum nuptiarum honorem nulla interdicta minuiſſent , ac ſuper ſanctum coniugium initialis benedictio permaneret, exiſterent tamen ſublimiores animæ , quæ viri ac mulieris copulæ faſtidirent connubium , concupiſcerent ſacramentum , nec imitarentur , quod nuptiis agitur , ſed diligerent , quod nuptiis prænotatur. Agnovit auctorem ſuum beata virginitas, æmula integritatis angelicæ , illius thalamo, illius cubiculo ſe devovit , qui ſic perpetuæ virginitatis eſt ſponſus, quemadmodum perpetuæ virginitatis eſt filius. Imploranti auxilium tuum Domine, & confirmari ſe benedictionis tuæ conſecratione cupienti , da protectionis tuæ munimen & regimen, ne hoſtis antiquus , qui excellentiora ſtudia ſubtilioribus infeſtat inſidiis ad execandam perfectæ continentiæ palmam per aliquam mentis ſerpat incuriam , & rapiat de propoſito virginum, quod moribus decet ineſſe nuptarum. Sit in ea Dne per donum Spiritus tui prudens modeſtia, ſapiens benignitas , gravis lenitas , caſta libertas, in caritate ferveat , & nihil extra te diligat, laudabiliter vivat , laudarique non appetat. Te in ſanctitate corporis , te in animæ ſuæ glorificet ſtudiis, amore te timeat , amore te diligat , amore tibi ſerviat.

Tu ei ſis honor , tu gaudium, tu voluptas, tu in mœrore ſolatium , tu in ambiguitate conſilium, tu in iniuria defenſio , in tribulatione patientia, in paupertate habundantia , in ieiunio cibus , in infirmitate medicina. In te habeat omnia, quem diligere appetit ſuper omnia, & quod eſt profeſſa cuſtodiat , ſcrutatori pectorum non corpore placitura , ſed mente. Tranſeat in numerum ſapientium puellarum , ut cœleſtem ſponſum accenſis lampadibus cum oleo præparationis exſpectet, ne turbata improviſi regis adventu , ſed ſecura cum lumine , & præcedentium virginum choro iocanter occurrat , & ne excludatur cum ſtultis, regalem ianuam cum ſapientibus virginibus licenter introeat , & agni tui perpetuo comitatu probabilis manſura caſtitate permaneat.

Benedictione expleta epiſcopus mittat velamen ſuper caput ipſius virginis dicens :

Accipe velum ſacrum puellæ , quod perferas ſine macula ante tribunal Chriſti , cui flectitur omne genu cœleſtium , terreſtrium , & infernorum in ſecula ſeculorum.

Tunc cantetur a circumſtantibus ad ſingulas antiphona.

Induit te Dominus cyclade auro texta , & immenſis monilibus ornavit te.

Oratio poſt aſſumptum velamen.

Famulam tuam Domine cuſtodia muniat pietatis , ut continentiæ ſanctæ propoſitum , quod te inſpirante ſuſcepit , te protegente illeſum cuſtodiat. Per.

Sequitur Antiphona.

Ipſi ſis deſponſata , cui an. &c.

Da quæſumus omnipotens Deus , ut hæc famula tua N. quæ pro ſpe retributionis æternæ tibi Domino deſiderat conſecrari , plena fide , animoque in ſancto propoſito permaneat. Tu omnipotens

Digitized by Google

tens Pater ſanctificare, & benedicere, in perpetuum conſervare digneris, tribue ei humilitatem, caſtitatem, obedientiam, caritatem, & omnium bonorum operum quantitatem. Da ei Domine pro operibus gloriam, pro pudore ſanctitatem, ut ad meritum gloriæ poſſit pervenire. Per.

Tunc cantetur a circumſtantibus.

Poſuit ſignum in faciem tuam, ut nullum præ &c.

Deus plaſmator corporum, afflator animarum, qui nullam ſpernis ætatem, non ſexum reprobas, nullam conditionem gratia tua ducis indignam, ſed creator equalis es & redemptor, tu hanc famulam tuam, quam ex omni numero gregis bonus paſtor elegere ad conſervandam coronam perpetuæ virginitatis & caſtitatis animæ dignatus es, tuæ protectionis ſcuto, & ad omne opus virtutis, & gloriæ magiſtrante ſapientia præpara, ut vincens carnis illecebras, & licita connubia recuſans, inſolubilem tui Filii Domini noſtri Ieſu Chriſti copulam mereatur. Huic petimus Domine arma ſuggeras non carnalia, ſed ſpiritus virtute potentia ut te muniente ei ſenſus & membra ab omnibus conſerventur peccatis, & ſub tua gratia vivere cupienti nihil ſibi inimicus bonorum de hoc vaſe nomini tuo conſecrato prævaleat vendicare. Omnem genuinum calorem ymber cœleſtis gratiæ extinguat, lumen perpetuæ caſtitatis accendat, facies ſcandalis pudica non pateat, ne incaute occaſionem tribuat negligentia delinquendi. Sit in ea caſta virginitas, ornata fide integra, ſpe certa, caritate ſincera, ut præparato animo ad continentiam virtus tanta præſtetur, quæ ſuperet univerſa figmenta diaboli. Contempnendo præſentia ſectetur futura, carnalibus epulis ieiunia præferat, ſacras lectiones & orationes conviviis & potationibus anteponat, ut orationibus paſta, illuminata vigiliis virginalis gratiæ opus exerceat. His virtutum armis hanc tuam famulam interius exteriusque communiens præſta inoffenſum curſum virginitatis implere. Per Dnm.

Ad annulum dandum.

Accipe annulum fidei, ſignaculum Spiritus ſancti, ut ſponſa Dei voceris, ſi ei fideliter ſervieris. Per.

Ad Torquem.

Accipe ſignum Chriſti in capite, ut uxor eius efficiaris, & ſi in eo permanſeris, perpetuo coroneris. Per Dnm.

Interim dicatur antiphona: Annulo ſuo ſubarravit.

Sequitur Benedictio.

Benedicat te conditor cœli & terræ Deus Pater omnipotens, qui te eligere dignatur ad ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Ieſu Chriſti conſortium, ut integram & inmaculatam virginitatem, quam profeſſa es, coram Domino & angelis eius conſerves, propoſitum teneas, caſtitatem diligas, patientiam ſerves, coronam virginitatis accipere merearis. Per.

Poſt hæc relinquit puella cereos, offerat oblat. iterum accipiens cereos ſtet dum communio & Miſſa finiatur. Uſque in octavam diem communicet. Si eſt, qui ei teſtimonium perbibuerit, mittat eam Epiſcopus in manus ſuas dicens:

Vide quomodo iſtam Deo ſacratam repreſentes immaculatam ante tribunal Domini noſtri.

Benedictio & oratio ad monachas faciendas.

Dignare Domine queſumus famulabus tuis (famulæ tuæ) renuntiantibus ſecularibus pompis gratiæ tuæ ianuas aperire, quæ deſpecto diabolo confugiunt ſub titulo Chriſti, & venientes ad te ſereno vultu ſuſcipe, ne de eis valeat inimicus triumphare, tribue eis infatigabile brachium auxilii tui, mentem earum fidei lorica circumda, ut felici muro vallatæ mundum ſe gaudeant evaſiſſe. Per.

Alia. Clementiſſime Deus tuam invocamus pietatem, ut has famulas tuas, quas a ſeculo converſas in numero Sanctorum tuorum accerſere dignatus es, queſumus, ut converſionis ſuæ fidem digne cuſtodiant, & quidquid pro ſalute animarum ſuarum deprecatæ fuerint, obtineant. Sint vitæ probabiles, ſint ſapientes & humiles. Scientia veræ, obedientia claræ, convenientes in doctrina, in increpationibus inmobiles, in gravitate decoræ, in paſſione piiſſimæ, in operatione cautæ, in diſpenſatione ſollicitæ, in temptatione fortes, in iniuriis patientes, in pace fixæ, in elemoſinis promptæ, in orationibus frequentes, in miſericordia efficaces, nec ſint immemores, quod tuo iudicio iudicandæ ſint. Harum deprecamur Domine ut munera placatus ſuſcipias, & quicquid a te petierint, clementer impertias. Per.

Omnipotens & miſericors Deus totius ſanctæ religionis origo, omni profitenti tibi vitæ ſalvatio, ſuſcipe profeſſionem famularum tuarum, quæ de huius ſeculi vanitate ad te confugiunt, ſint queſumus te adiuvante ab omni negotiorum ſecularium ſtrepitu exutæ, ab antiqui hoſtis inſidiis ereptæ, mortuæ huic mundo, remotæ ab omnibus pravorum retinaculis. Doce eas Domine omnia huius vitæ proſpera contempnere, non timere adverſa, non inferre iniurias, ſed æquanimiter tolerare, inimicos diligere, pro perſequentibus,

tibus, & calumniantibus ſuppliciter deprecari, nil concupiſcere carnaliter, non eas ſuperbia inflet, non ardor avaritiæ ſuccendat, non incentiva luxuriæ inflamment, non vana gloria turpiter iactet, non gula aut ebrietas eas præpediat, non ambitio ventoſa præcipitet, non ardor animoſæ contentionis exagitet, non deſiderium humanæ opinionis elevet, non diabolus auctor perditionis ledat, aut perdat, ſed tuæ pietatis dextera clementiſſime Deus a cunctis eruat malis, & in futuro ſeculo protegat, regat, ac gubernet. Te timeant, imitentur, diligant. Aperi eis ſenſum, ut divinarum ſtudiis litterarum te legant corde, ore, opere meditentur, intelligant, die noctuque tibi deſerviant, cœleſtia & æterna ſapiant, terrena & caduca reſpuant, obedientes ſint & inſtructæ, amicos & inimicos pro tui nominis amore ament & diligant, humilitatem & utilitatem teneant, exerceant. Caſtitatem & pudicitiam corde, ac corpore teneant. Patientiam & longanimitatem arripiant, & cuſtodiant. Ieiunio, & abſtinentiæ ſtudeant, & ament, gemitum & orationem deſiderent, ac invigilent. Peccata ſua inceſſanter cum lacrimis & ſuſpiriis accuſent, & diluant. Te Deum omnipotentem corde, ore, opere circumferant.

Suſcipe queſumus ſancte Pater omnipotens has famulas tuas, quas de huius ſeculi naufragiis & periculis eruiſti, ad monaſticam vocare dignatus es gratiam. Concede propitius, ut arctam & anguſtam, quam profeſſæ ſunt, viam iugiter diligant, ſectentur, quatenus ad æternam, quam in te perſeverantibus promittere dignatus es, gloriam pervenire mereantur. Per Dnm.

Profeſſio regularis.

Ego ſoror N. ab hodierna die & deinceps monacha promitto ſtabilitatem huius vitæ, & converſionem morum meorum, & obedientiam ſecundum regulam ſancti Benedicti abbatis, quantum me humana fragilitas permittit, coram Deo & Sanctis eius, & preſente abbate. EIBIKA.

Tunc proſternantur ante altare, & dicant hunc verſum:

Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum & vivam, & non confundas me ab expectatione mea. *Et tertio repetatur ab omnibus, ſubiungentes* Gloria Patri, *& illis iacentibus ſequatur letania, & preces:*

Salvas fac ancillas tuas Domine Deus meus.
Dominus cuſtodiat eas ab omni malo.
Mitte eis Domine auxilium de ſancto.
Nihil in eis proficiat inimicus. Et filius.
Eſto eis Domine turris fortitudinis. A facie.
Exurge Domine adiu.

Tunc aſpergantur aqua benedicta veſtimenta, & ſequatur iſta oratio:

Exaudi queſumus omnipotens Deus preces noſtras, & has veſtes, quas famulæ tuæ ad operiendum expoſcunt, uberrimæ benedictionis ymbre perfunde, ſicut perfudiſti ora veſtimentorum Aaron benedictione perfluenti a capite in barbam ungenti, & ſicut benedixiſti veſtes omnium religioſorum tibi per omnia placentium, ita eas benedicere dignare, ac præſta queſumus Domine, ut ſupradictis famulabus tuis hæc ſint veſtimenta ſalubris protectio, hæc cognitio religionis, hæc inicium ſanctitatis, hæc contra omnia tela inimici robuſta defenſio. Per.

Deus qui veſtimentum ſalutare, & indumentum æternæ iocunditatis tuis fidelibus promiſiſti, te ſuppliciter exoramus, ut hæc indumenta mortificationis humilitatem cordis, & contemptum mundi ſignificantia, quibus famulæ tuæ ſancto inviſibiliter ſunt informandæ propoſito, propitius benedicas, & monaſticæ religionis habitum, quem te inſpirante ſuſceperint, te protegente cuſtodiant. Per.

Alia. Deus bonarum virtutum dator, & omnium benedictionum largus infuſor, exaudi preces noſtras, & hæc veſtimenta, quæ famulæ tuæ pro ſigno conſervandæ regulæ ſe ad induendum expoſcunt, benedicere & ſanctificare digneris. P.

Alia. Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris & has famulas tuas benedicere digneris, quibus in tuo ſancto nomine habitum ſanctæ religionis imponimus, ut te largiente devote in monaſterio perſiſtere, & vitam percipere mereantur. Per.

Da quæſumus Domine famulabus tuis indulgentiam delictorum ſuorum, quatenus de omnibus, quæ carnali delectatione, vel animi cogitatione, aut vana huius ſeculi ambitione contra tuorum rectitudinem mandatorum perfecerunt, in preſenti vita perſeverantes in regulari actione, veniam æternam percipere mereantur. Per.

Tunc exuantur veſtimentis ſuis, & induantur rebus monaſterii, & dicatur:

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus ſuis, & induat te novum hominem, qui ſecundum Deum eſt creatus in iuſtitia, & ſanctitate veritatis.

Tunc reſpondeant omnes: Amen, *& ipſe oblat. offerant.*

Miſſa

Digitized by Google

Miſſa eodem die pro ipſis.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui arctam & anguſtam viam iuſſiſti arripere, famulas tuas de huius ſeculi periculis ad te confugientes propicius ſuſcipe, & delictorum pœnam, qua ſe diſtrictas ſentiunt eſſe pie diſrumpe, perſeverantiam boni operis & præmia perpetua largire. Per.

Præfatio.

VD. *uſque* æterne Deus tuam deprecamur clementiam, ut famulas tuas, quas hodierna die a mundiali contagione abſtrahere & ad monaſticæ religionis profeſſionem vocare dignatus es, protegas, quibus donaſti bonæ voluntatis exordium, tribuas rectæ operationis perſeverantiam, & ſempiternæ beatitudinis præmium. Per.

Ad Commun.

Hæc nos quæſumus Domine divini ſacramenti perceptio a noſtris emundet offenſis, & famulas tuas a mundanis pravitatibus, & omnium tumultuum carnalium delectationibus clementer eruat. P.

Alia. Famulas tuas Domine quæſumus cuſtodia tuæ pietatis mundet & muniat, ut virginitatis ſanctæ propoſitum, quod mente ſuſceperunt, te protegente illæſum cuſtodiant in æternum. Per.

Alia. Famulas tuas quæſumus Domine tua dextera benedicat, & inculpabiles ad vitam æternam perducat. Per.

Ordinatio Abbatis ex Canone Theodori. *Ex Cod. Vind. Th. 359. ſæc. X. vel XI.*

In ordinatione abbatis debet epiſcopus miſſam celebrare, & eum benedicere inclinato capite cum duobus vel tribus de fratribus ſuis, & dat ei baculum, & pedules. Poſt antiphonam ad Introitum, & datam orat. annuntiat epiſcopus in populum, dicens allocutionem.

Eccleſiæ noſtræ fratres kmi, pater electus ſuum adeſt ordinem ad ſuſcipiendum. Unde apoſtolica prius eum cenſemus auctoritate examinandum, ſuum propoſitum, & ſancti Benedicti regulam ſi velit ipſe obſervare, ſibique ſubiectos, ut idipſum faciant, diligenter inſtruere, res quoque eccleſiæ ubique locorum hactenus diſperſas iniuſte, quantum prævalet congregare, eaſque in uſus eccleſiæ & fratrum pauperum etiam, & peregrinorum obſervare, ſicque dignum eſſe, ad ordinem accedere. *Eo autem profitente pro viribus hæc adimplere, proſternat ſe epiſcopus ante altare, & abbas ſacris veſtibus indutus. Fiant ibi letania. Sequitur.* Pater noſter. *Preces.*

Salvum fac ſervum tuum Domine. Deus meus ſperantem in te.

Dominus conſervet eum & vivificet eum. Et beatum faciat.

Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum. Ex hoc nunc.

Dominus cuſtodiat te ab omni malo. Cuſtodiat animam.

Mittat tibi auxilium de ſancto. Et de Sion tueatur.

Nihil proficiat inimicus in eo. Et filius iniquitatis.

Eſto illi Domine turris fortitudinis. A facie inimici.

Exurge Domine adiuva eum. Et redime eum.

Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus.

Sequitur oratio.

Concede quæſumus omnipotens Deus affectui noſtro tuæ miſerationis effectum, & famulum tuum N. quem ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono proſequere, ut te largiente cum ipſa tibi noſtra electione placeamus. Per.

Tunc det ei regulam dicens.

Accipe regulam a ſanctis Patribus nobis traditam, ad regendum, cuſtodiendumque gregem tibi a Deo creditum, quantum Deus ipſe te confortaverit, ac fragilitas humana permiſerit. Per.

Tunc det ei baculum dicens.

Accipe baculum paſtoralem, quem præferas catervæ tibi commiſſæ ad exemplum iuſtæ ſeveritatis & correptionis.

Conſecratio, quando Abbas vel Abbatiſſa ordinantur in monaſterio.

Cunctorum bonorum operum inſtitutor &c.

Tunc imponat ei manum ſuper caput dicens hanc orationem in modum Præfationis. (1) Omnipotens ſempiterne Deus affluentem ſpiritum &c. Deus omnium fidelium paſtor & rector, famulum tuum, quem eccleſiæ tuæ præeſſe voluiſti propitius reſpice; da ei quæſumus, verbo & exemplo, quibus præeſt, proficere, ut ad vitam unacum grege ſibi commiſſo perveniat ſempiternam. Per.

Oratio.

(1) Vid. quæ paulo ante de hac manus impoſitione, ac voce ordinationis de benedictione abbatiſſæ notavimus, quæ vox ex uſu regulæ S. BENEDICTI adhibetur, quando de benedictione abbatiſſæ vel abbatis agitur. De ea ab epiſcopis impenſa abbatibus ſæc. XI. meminit S. ANSELMUS lib. II. ep. 42. p. 358. epiſt. 52. p. 261.

Digitized by Google

Oratio adepta dignitate.

Omnium fons Domine bonorum &c. Deus cui omnis poteſtas &c. *Sequitur* Te Deum laudamus *populo acclamante* Kyrie eleiſon. *Poſtea dicit orationem.* Deus æterne lucis inventor, omnipotentiam tuam ſupplici prece depoſcimus, ut famulum tuum N. quem ad regimen animarum eligimus, gratiæ tuæ dono proſequaris, ut te largiente cum ipſa tibi noſtra electiore placeamus. Per unigenitum tuum Dnm nrm Ihm Xpm, cum quo & Spiritu ſancto unus & verus es Deus, qui vivis & regnas per omnia ſæcula.

Miſſa pro Abbate.

Protector noſter aſpice Deus. *Pſ.* Quam dilecta tabernacula. *Miſſa.* (1) Concede quæſumus Domine famulo abbati, ut prædicando & exercendo, quæ recta ſunt exemplo bonorum operum animos ſuorum inſtruat ſubditorum, æternæ remunerationis mercedem a te piiſſimo paſtore percipiat. Per. *Secreta.* Munera quæſumus noſtra Domine ſuſcipe placatus, & famulum tuum N. ſemper ubique miſericorditer protege. Per.

Benedictiones. Benedicat te Deus cœli, adiuvet te Chriſtus Filius Dei, corpus tuum in ſervitio ſuo cuſtodire & conſervare dignetur. Amen. Mentem tuam illuminet, ſenſum tuum cuſtodiat, gratiam ſuam ad profectum animæ tuæ tibi porrigat. Amen. Ab omni malo te liberet, dextera ſua defendat, & qui Sanctos ſuos ſemper adiuvat, ipſe te adiuvet, & ad cœleſtia regna perducat. Amen.

Ad Complendum.

Hæc nos Domine communio purget a crimine, & famulum tuum benigna pietate conſervet. Per.

Incipit ordo ad regem benedicendum, quando novus a clero & populo ſublimatur in regnum.

Ex Cod. Vindobon. Theol. 277. ſæc. XII. vel XIII.

Primo exeunte illo de thalamo unus epiſcoporum imponat orationem. Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum regni faſtigio dignatus es ſublimare; tribue quæſumus ei, ut in huius ſæculi curſu cunctorum in commune ſalutem diſponat, quatenus a tuæ veritatis tramite non recedat. Per.

Poſtea ſuſcipiant illum duo epiſcopi dextra levaque eius honorifice parati habentes Sanctorum reliquias collo pendentes, cæteri autem phaphones (2) *ſint caſulis adornati præcedente ſancto evangelio, & duabus crucibus cum incenſo boni odoris ducant illum ad eccleſiam canentes antiphonam iſtam altis clamoribus* Ecce mitto Angelum. *Cum verſu*, Iſrael ſi me audieris. *Ad oſtium eccleſiæ clerus ſubſiſtat, & archiepiſcopus imponat orationem ſubſequentem.* Deus qui ſcis genus humanum nulla virtute poſſe ſubſiſtere, concede propitius, ut famulus tuus, quem populo tuo voluiſti preferri, ita tuo fulciatur adiutorio quatenus quibus potuit præeſſe, valeat prodeſſe. *Introeuntes autem præcedentes clerici, decantent antiphonam* Domine ſalvum fac regem. *Uſque in introitum chori. Tunc epiſcopus metropolitanus dicat orationem.* Omnipotens ſempiterne Deus cœleſtium terreſtriumque moderator, qui famulum tuum ad regni faſtigium dignatus es provehere, concede quæſumus, ut cunctis adverſitatibus liberatus, & eccleſiaſticæ pacis dono muniatur, & ad æternæ pacis gaudia, te donante, pervenire mereatur. Per.

Ibi autem ante chorum deſignatus princeps pallium & arma deponat, atque inter manus epiſcoporum perductus in chorum uſque ad altaris gradus incedat; cunctoque pavimento tapetibus & palliolis contecto, ibi humiliter totus in cruce proſtratus iaceat una cum epiſcopis & presbyteris hinc inde proſtratis, cæteris in choro letaniam breviter pſallentibus, id eſt duodecim apoſtolos, ac totidem martyres, confeſſores, & virgines. Et inter cætera inferenda ſunt iſta, quæ ſecuntur. Ut iſtum famulum tuum N. in regem eligere digneris. *Te rogamus audi nos.* Ut eum benedicere & ſublimare digneris. *Te rog.* Ut eum ad imperii faſtigium perducere digneris. *Te rogamus.*

Sublatus

(1) Singulare eſt hic Miſſæ nomen pro collecta ſeu oratione.

(2) Sic theotiſce olim dicebantur *Phaphen.* In charta e. c. vernacula fundationis monaſterii *Weingartenſis* anni 1090. „Welf Gotes gnaden Herzoge von „Nornegouve entbietet allen furſten, grauen unde „friegen phaphen“ Videtur derivanda hæc vox „noſtra *Pfaff* ex græco vocabulo papa duriore *Germanorum* pronuntiatione ac contractione quadam veluti *Kyrch* dicimus ex Græco κυριακὸν, *Prieſter* πρεσβύτερος, veluti ſunt alia vocabula eccleſiaſtica græcæ originis, quæ argumento ſunt a *Græcis* primam apud nos fidei ſementem factam, ut T. I. diſquiſ. I. oſtendimus. Phaphones autem honoratiores fuiſſe ex Clero hic locus manifeſtat, cum iam nomen *pfaff* probro accipi ſoleat.

Digitized by Google

Sublatus autem princeps ab epiſcopo metropolitano hoc modo interrogetur. (1) Vis fidem ſanctam a catholicis viris tibi traditam tenere, & operibus iuſtis obſervare. ℟. Volo. Vis ſanctis eccleſiis, eccleſiarumque miniſtris tutor & defenſor eſſe. ℟. Volo. Vis regnum tibi a Deo conceſſum ſecundum iuſtitiam patrum tuorum regere & defendere. ℟. Volo. Volo, & in quantum divino fultus adiutorio ac ſolatio omnium ſuorum valuero, ita me per omnia fideliter acturum eſſe promitto. *Deinde ipſe domnus metropolitanus affatur populum his verbis.* Vis tali principi ac rectori te ſubiicere, ipſiusque regnum firmare, firma fide ſtabilire, atque iuſſionibus illius obtemperare iuxta apoſtolum: omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit regi quaſi præcellenti. ℟. Volo. *Tunc ergo a circumſtante clero & a populo unanimiter dicatur* Fiat. Fiat. Amen.

Poſtea vero, eo devote inclinato capite dicatur ab uno epiſcopo. Benedic Domine hunc regem noſtrum, qui regna omnia moderaris a ſæculo, & tali eum benedictione glorifica, ut Davidicæ teneat ſublimitatis ſceptrum, & glorificatus in eius protinus recipiatur merito. Da ei Domine tuo ſpiramine cum manſuetudine ita regere populum ſicut Salomonem regnum obtinere pacificum. Tibi ſemper cum timore ſit ſubditus, tibique militet cum quiete. Sit tuo clypeo protectus cum proceribus, & ubique tua gratia victor exiſtat. Honorifica eum præ cunctis regibus gentium. Felix populis dominetur, & feliciter eum nationes adornent. Vivat inter gentium catervas magnanimus, ſit in iudiciis æquitatis ſingularis, locupletet eum prædives dextera, frugiferam obtineat patriam, & eius liberis tribuas profutura. Præſta ei prolixitatem vitæ per tempora, & in diebus eius oriatur iuſtitia, ac robuſtum teneat regiminis ſolium, & cum iocunditate & lætitia æterno glorietur in regno. Per.

Oratio. (2)

Omnipotens ſempiterne Deus creator omnium, imperator angelorum, rex regnantium, Dominusque dominantium, qui Abraham fidelem famulum tuum de hoſtibus triumphare feciſti, Moyſi & Ioſuæ populo prælatis multiplicem victoriam tribuiſti, humilemque David puerum tuum regni faſtigio ſublimaſti, & Salomonem ſapientiæ pacisque ineffabili munere ditaſti; reſpice quæſumus ad preces humilitatis noſtræ, & ſuper hunc famulum tuum N. quem ſupplici devotione in regem elegimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eumque dextera tuæ potentiæ ſemper & ubique circumda, quatinus prædicti Abrahæ fidelitate firmatus, Moyſi manſuetudine fretus, Ioſue fortitudine munitus, David humilitate exaltatus, Salomonis ſapientia decoratus tibi in omnibus placeat, & per tramitem iuſtitiæ inoffenſo greſſu ſemper incedat, eccleſiamque tuam deinceps cum plebibus ſibi annexis ita enutriat, ac doceat muniat ac inſtruat, contraque omnes viſibiles & inviſibiles hoſtes eidem potenter, regaliterque tuæ virtutis regimen adminiſtret, & ad veræ fidei pacisque concordiam eorum animos te opitulante reformet, ut horum populorum debita ſubiectione fultus condigno amore glorificatus ad paternum decenter ſolium tua miſeratione conſcendere mereatur. Tuæ ergo protectionis galea munitus, & ſcuto inſuperabili iugiter protectus, armisque cœleſtibus circumdatus optabilis victoriæ triumphum feliciter capiat, terroremque ſuæ potentiæ infidelibus inferat & pacem tibi militantibus lætanter reportet per Dnm nrm qui virtute ſanctæ crucis tartara deſtruxit, regnoque diaboli ſuperato ad cœlos victor aſcendit, in quo omnis poteſtas, regum conſiſtit victoria, qui eſt gloria humilium & vita, ſalusque populorum. Qui tecum.

Deinde ab altero epiſcopo hæc dicatur oratio. Deus inenarrabilis auctor mundi, conditor generis humani, gubernator imperii, confirmator regni, qui ex utero fidelis amici tui patriarchæ noſtri Abrahæ præelegiſti reges ſæculis profuturos tum præſentem regem hunc cum exercitu ſuo per interceſſionem omnium ſanctorum uberi benedictione locupletata, & in ſolium regni firma ſtabilitate connecte. Viſita eum ſicut viſitaſti Moyſen in rubro, Ieſu Nave in prœlio, Gedeon in agro, Samuelem in templo, & illa eum benedictione ſiderea, ac rore ſapientiæ tuæ perfunde, quam David in pſalterio, Salomon filius eius, te remunerante percepit e cœlo. Sis ei acies contra inimicos, lorica in adverſis, galea in proſperis, patientia in protectione clypeus eius ſempiternus, & præſta, ut gentes illi (illius) teneant fidem, proceres ſui habeant pacem, diligant caritatem, abſtineant ſe a cupiditate, loquantur iuſtitiam, cuſtodiant veri-

(1) Eædem interrogationes in antiquo ordine *Rom.* habentur.

(2) In Pontificali *Rom.* hæc oratio contractior eſt quam hic, in antiquo ordine *Romano* Cod. RATOLDI &c. apud *Hug.* MENARDUM inſcripta *Conſecratio Regis* quod ad eam ungeretur rex. Plura in eandem orationem notat laudatus MENARDUS p. 401. &c.

veritatem. Et ita populus iſte ſub eius imperio pullulet coaluus (*an* coalitus?) benedictione æternitatis, ut ſemper maneant tripudiantes in pace victores. Quod ipſe præſtare dignetur, qui tecum vivit.

Tunc ab epiſcopo metropolitano unguantur manus de oleo ſanctificato. Unguantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, unde fuerunt uncti reges & prophetæ, & ſicut unxit Samuel David in regem, ut ſis benedictus, & conſtitutus rex in regno iſto ſuper populum iſtum, quem Dominus Deus tuus dedit tibi ad regendum ac gubernandum. Quod ipſe præſtare. Proſpice omnipotens Deus hunc glorioſum regem ill. ſerenis obtutibus, & ſicut benedixiſti Abraham, Iſaac, & Iacob ſicut illum largis benedictionibus ſpiritualis gratiæ cum omni plenitudine tuæ potentiæ irrigare, atque profundere dignare. Tribue ei Domine de rore cœli, & de pinguedine terræ habundantiam frumenti, vini & olei, & omnium frugum per tempora, ut illo regnante ſit ſanitas corporum in pata (patria) pax inviolata ſit in regno, & dignitas glorioſa regalis palatii maximo ſplendore regiæ poteſtatis oculis omnium fulgeat, luce clariſſima clareſcat, atque ſplendore quaſi ſplendidiſſima fulgore maximo perfuſa lumine videatur. Tribue ei omnipotens Deus, ut ſit fortiſſimus protector patriæ, & conſolator eccleſiarum, atque cœnobiorum ſanctorum maxima cum pietate regalis munificentiæ: atque ut ſit fortiſſimus regum, triumphator hoſtium ad opprimendas rebelles & paganas nationes. Sitque ſuis inimicis ſatis terribilis permaxima fortitudine regalis. Optimatibus quoque ac præcelſis, proceribusque ac fidelibus ſui regni ſit magnificus & amabilis & pius, ut ab omnibus timeatur atque diligatur. Reges quoque de lumbis eius per ſucceſſiones temporum futurorum egrediantur, regnum hoc totum regere, & poſt glorioſa atque felicia huius vitæ præſentis gaudia ſempiterna in perpetua beatitudine habere mereatur. Quod ipſe.

Poſtea vero a pontifice metropolitano unguantur de oleo ſanctificato caput, pectus, & ſcapulæ amba compages. Unguo te in regem de oleo ſanctificato in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. (1) Spiritus ſancti gratia humilitatis noſtræ officio in te deſcendat copioſa, ut ſicut manibus noſtris indignis oleo materiali pingueſcis exterius oblitus, ita eius inviſibili unguine delibutus impinguari merearis interius, eiusque ſpiritali unctione perfectiſſime ſemper imbutus, & illicita declinare tota mente, & ſpernere diſcas ſeu valeas, & utilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare, atque operari queas, auxiliante Dno nro Ihu Xpo, qui cum Patre. *Deinde dicatur oratio.* Deus qui es iuſtorum gloria, & miſericordia peccatorum, qui miſiſti Filium tuum precioſiſſimo ſanguine ſuo genus humanum redimere: qui conteris bella, & propugnator es omnium in te ſperantium, & ſub cuius arbitrio omnium regnorum continetur poteſtas, te humiliter deprecamur, ut præſentem famulum tuum N. in tua miſericordia confitentem in præſenti ſede regali benedicas, eique propitius adeſſe digneris, ut qui tua expetit protectione defendi, omnibus ſit hoſtibus fortior. Fac eum Domine beatum eſſe & victorem de inimicis ſuis. Corona eum corona iuſtitiæ & pietatis, ut ex tota mente in te credens, tibi deſerviat, ſanctam tuam Eccleſiam defendat, & ſublimet, populumque a te ſibi commiſſum iuſte regat. Nullus inſidiantibus malis in iniuſtitiam vertat. Accende Domine cor eius ad amorem gratiæ tuæ per hoc unctionis oleum, unde unxiſti reges & prophetas: quatinus iuſtitiam diligens per tramitem familiariter iuſtitiæ, populum ducens, poſt peracta a te diſpoſita in regali excellentia annorum curricula pervenire ad æterna gaudia mereatur. Per.

Alia. Deus Dei Filius Ieſus Chriſtus Dnus nr qui a Patre oleo exultationis unctus eſt præ participibus ſuis, ipſe per præſentem ſacræ unctionis infuſionem Spiritus ſancti Paraclyti ſuper caput tuum infundat benedictionem, eandemque uſque ad interiora cordis tui penetrare faciat: quatinus hoc viſibili & tractabili dono inviſibilia percipere, & temporali regno iuſtis moderaminibus exſecutio (*ſ.* exſecuto, exſecutus), æternaliter cum eo regnare merearis, qui ſolus ſine peccato rex regum vivit & glorificatur cum Deo Patre in unitate Spiritus per omnia.

Poſtea ab epiſcopis enſem accipiat, & cum enſe totum ſibi regnum fideliter ad regendum ſecundum ſupradicta verba ſciat eſſe demandatum dicente metropolitano pontifice. Accipe gladium per manus epiſcoporum licet indignas, vice tamen & auctoritate ſanctorum apoſtolorum conſecratas tibi regaliter impoſitum, noſtræque benedictionis officio in defenſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ divinitus ordinatum: & eſto memor, de quo pſalmiſta pro-

(1) Convenit hic ungendi ritus cum antiquo ordine *Romano*, a quo differt Pontificale *Rom.* in quo unctio tantum brachii dexteri inter iuncturas manus & iuncturam cubiti, atque inter ſcapulas præſcribitur.

prophetavit dicens: Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime, ut in hoc per eundem vim æquitatis exerceas, & molem iniquitatis potenter deſtruas, & ſanctam Dei Eccleſiam eiusque fideles propugnes, atque protegas, nec minus ſub fide falſos quam chriſtiani nominis hoſtes (1) execres ac deſtruas, viduas ac pupillos clementer adiuves ac defendas, deſolata reſtaures, reſtaurata conſerves, ulciſcaris iniuſta, confirmes bene diſpoſita: quatinus hæc in agendo virtutum triumpho glorioſus, iuſtitiæque cultor egregius, cum mundi Salvatore, cuius typum geris in nomine, ſine fine merearis regnare. Qui cum Deo.

Accinctus autem enſe ſimiliter ab illis armillas & pallium & annulum accipiat illis dicentibus. Accipe dignitatis annulum & per hunc in te catholicæ fidei cognoſce ſignaculum, quia ut hodie ordinaris caput & princeps regni ac populi, ita perſeverabilis auctor, ac ſtabilitor chriſtianitatis & chriſtianæ fidei, ut felix in opere, locuples in fide, cum rege regum glorieris, per eum cui eſt honor, gloria in ſæcula.

Poſtea vero ſceptrum & baculum accipiat dicente ſibi metropolitano: Accipe virgam virtutis atque æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos, errantibus viam pandere, lapſis manum porrigere, diſperdasque ſuperbos, & releves humiles, & aperiatur tibi oſtium Ihs Xps Dns nr, qui de ſemetipſo ait: Ego ſum oſtium per me ſi quis introierit, ſalvabitur, & ipſe, qui eſt clavis David & ſceptrum domus Iſrael; qui aperit & nemo claudit, qui claudit & nemo aperit. Sitque auctor, qui educit vinctum de domo carceris, ſedentemque in tenebris & umbra mortis, & in omnibus ſequi merearis eum, de quo propheta David cecinit, Sedes tua Deus in ſæculum ſæculi, virga æquitatis, virga regni tui. Et imitando ipſum diligas iuſtitiam, & odio habeas iniquitatem, qui propterea unxit te Deus, Deus tuus ad exemplum illius, quem ante ſæcula unxerat oleo exultationis præ participibus ſuis Ieſum Chriſtum.

Poſtea metropolitanus verenter coronam imponat capiti regis dicendo. Accipe coronam regni, quæ licet ab indignis, epiſcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur, quamque ſanctitatis gloriam, & honorem, & opus fortitudinis expreſſe, ſignate intelligas, & per hanc participem miniſterii noſtri non ignores; ita, ut ſicut nos in interioribus paſtores rectoresque animarum intelligimus, tu quoque in exterioribus verus Dei cultor, ſtrenuusque contra omnes adverſitates Eccleſiæ Chriſti defenſor, regnique tibi a Deo dati, & per officium noſtræ benedictionis in vice apoſtolorum omniumque ſanctorum tuo regimini commiſſo utilis executor, regnatorque proficuus ſemper appareas: ut inter glorioſos athletas virtutum gemmis ornatus & præmio ſempiternæ felicitatis coronatus cum redemtore ac Salvatore Ieſu Chriſto cuius nomen vicemque geſtare crederis, ſine fine glorieris, qui vivit & imperat Deus cum Deo Patre in ſæcula ſæculorum. ℟. Amen. (2)

Et ab eo ſtatim dicatur oratio vel benedictio ſuper eum, quæ & tempore ſynodi dicenda eſt. Benedicat tibi Dominus, cuſtodiatque te, & ſicut te voluit ſuper populum ſuum eſſe regem, ita in præſenti ſæculo felicem æternæ felicitatis tribuat eſſe conſortem. ℟. Amen. Clerum ac populum, qua ſua voluit opitulatione, in tua ſanctione congregari, ſua diſpenſatione, & tua adminiſtratione per diuturna tempora faciat feliciter gubernari. ℟. Amen. Quatinus divinis monitis parentes adverſitatibus carentes, bonis omnibus exuberantes, tuo imperio fideli amore obſequentes, & in præſenti ſæculo tranquillitate fruantur, & tecum æternorum civium conſortio potiri mereatur. Amen. Quod ipſe præſtare.

Deinde coronatus honorifice per chorum ducatur de altari ab epiſcopis uſque ad ſolium, canente clero Reſponſorium Deſiderium animæ. *Deinde dicat ſibi metropolitanus.* Sta & retine locum ammodo, quem hucusque paterna ſucceſſione tenuiſti hæreditario iure (3) delegatum per auctoritatem Dei omnipotentis, & præſentem traditionem noſtram omnium ſcilicet apoſtolorum, cæterorumque Dei ſervorum, & quantum clerum ſacris

(1) Vocem hanc ex Pontificali *Rom.* ſupplevimus, in quo eadem accingendi regem formula adhuc expreſſius deſcribitur.

(2) Hucusque congruit Pontif. *Rom.* in quo deeſt benedictio ſequens, ex tribus conſtans orationibus, ut antiquæ benedictiones epiſcopales in Miſſa fieri ſolitæ diverſæ pro diverſitate dierum ac feſtorum, ut Vol. I. Monum. p. 331. videre eſt, ac mox hic alia ſequitur ſuo loco in celebratione Miſſæ poſita ante *Pax Domini &c.*

(3) Verba quæ pertinent ad paternam ſucceſſionem iusque hæreditarium deſiderantur in Pontif. *Rom.* habentur vero in Mſc. cod. Bibl. regis *Gall.* cum iis, quæ ſequuntur de rege in ſedem conſtituto ceu ſolium regni.

Digitized by Google

ſacris altaribus propinquiorem proſpicis tanto ei potiorem in locis congruis honorem impendere memineris: quatinus mediator Dei & hominum te mediatorem cleri, & plebis (*in hoc loco faciat eum ſedere domnus metropolitanus dicens*) in hoc regni ſolio confirmet, & in regno æterno ſecum regnare faciat Ihs Xps Dns nr rex regum & Dominus dominantium. Qui cum Deo Patre.

Tunc det illis oſculum pacis. Cunctis autem clericorum cœtus illo rectore gaudens ſonantibus hymnis alta voce concinat hunc hymnum Te Deum laudamus. *Tunc epiſcopus metropolitanus miſſam celebret plena proceſſione.* Deus qui miro ordine univerſa diſponis, & ineffabiliter gubernas, præſta quæſumus, ut famulus tuus N. hæc in huius ſæculi curſu implenda decernat, unde tibi in perpetuum placere prævaleat. Per.

Secretum.

Concede quæſumus omnipotens Deus his ſalutaribus ſacrificiis placatus, ut famulus tuus N. ad peragendum regalis dignitatis officium inveniatur ſemper idoneus, & cœleſti patriæ reddatur acceptus. Per.

Benedictio epiſcopalis.

Omnipotens Deus, qui te populi ſui voluit eſſe rectorem ipſe te cœleſti benedictione ſanctificans æterni regni faciat eſſe conſortem.

Oratio. Concedatque tibi contra omnes fidei chriſtianæ hoſtes viſibiles & inviſibiles victoriam triumphalem, & pacis atque quietis eccleſiaſticæ feliciſſimum te ſibi longe lateque fundatorem. Amen. Quatinus te gubernacula regni tenente populus ſibi ſubiectus chriſtianæ religionis iura cuſtodiens undique tutus pace tranquilla perfruatur, & te in concilio beatorum collocato æterna felicitate ibidem tecum pariter gaudere mereatur. Quod ipſe præſtare.

Ad Complendum. Hæc Domine ſalutaris ſacrificii perceptio famuli tui N. peccatorum maculas diluat, ut ad regendum ſecundum tuam voluntatem populum idoneum illum reddat; ut hoc ſalutari myſterio contra viſibiles & inviſibiles hoſtes reddatur invictus per quod mundus divina diſpoſitione redemtus. Per.

Benedictio Reginæ.

In ingreſſu eccleſiæ dicat epiſcopus orationem. Omnipotens ſempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui feminei ſexus fragilitatem nequaquam reprobando averſaris, ſed dignanter comprobando potius eligis, & qui infirma mundi eligendo fortia quæque confundere docuiſti, qui etiam gloriæ virtutisque tuæ triumphum in manu Iudith feminæ olim Iudaicæ plebi de hoſte ſæviſſimo reſignare voluiſti; reſpice quæſumus preces humilitatis noſtræ, & ſuper hanc famulam tuam N. quam ſupplici devotione in reginam eligimus, benedictionum tuarum dona multiplica, eamque dextera potentiæ tuæ ſemper & ubique circumda, ut ambone muniminis tui undique ſecus firmiter protecta viſibilis ſeu inviſibilis hoſtis nequicias triumphaliter expugnare valeat, & una cum Sara atque Rebecca, Lia, & Rachel beatis reverendisque feminis fructu uteri ſui fœcundari, ſeu gratulari mereatur ad decorem totius regni, ſtatumque ſanctæ Dei Eccleſiæ regendum, nec non protegendum. Per Xpm Dnm nrm, qui ex intemerato beatæ Mariæ virginali alvo naſci, viſitare ac renovare hunc dignatus eſt mundum, qui tecum vivit. (1)

Deus qui ſolus habes immortalitatem, lucemque inhabitas inacceſſibilem, cuius providentia in ſui diſpoſitione non fallitur, qui feciſti quæ futura (facta) ſunt, & vocas ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, qui ſuperbos æquo moderamine principatu deiicis, atque humiles dignatus in ſublime provehis; ineffabilem miſericordiam tuam ſupplices exoramus, ut ſicut Heſter regina Iſrahelis cauſa ſalutis de captivitatis ſuæ compede ſolutam ad regis Aſſueri thalamum regnique ſui conſortium tranſire feciſti, ita hanc famulam tuam humilitatis noſtræ benedictione chriſtianæ plebi gratia ſalutis ad dignam ſublimemque regis noſtri copulam regnique ſui participium miſericorditer tranſire concedas, & ut in regalis federe coniugii ſemper manens pudicam proximam virginitati palmam continere queat, tibique Deo vivo & vero in omnibus & ſuper omnia iugiter placere deſideret, & te inſpirante, quæ tibi placita ſunt toto corde perficiat. Per.

Sancti Spiritus gratia humilitatis noſtræ officio in te copioſa deſcendat, ut ſicut in manibus noſtris indignis oleo materiali oblita pingueſcis exterius, ita eius inviſibili unguine delibuta impinquari merearis interius, eiusque ſpiritali unctione perfectiſſime ſemper imbuta, & illicita declinare tota mente & ſpernere diſcas ſeu valeas, & utilia animæ tuæ iugiter cogitare, optare, atque operari queas, auxiliante Dno nro Ihu Xpo, qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto vivis & regnas

Deus

(1) Spatium pro rubrica vacuum eſt hic & ante ſequentem orationem.

Digitized by Google

Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. (1)
Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Exaudi Xpe.
Silveſtro ſummo pontifici, & univerſali papæ vita & victoria.
Salvator mundi. Tu illum adiuva.
Sancte Petre. Tu illum adiuva.
Sce Paule. Tu illum adiuva.
Sce Andrea. Tu illum adiuva.
Sce Clemens. Tu illum adiuva.
Sce Sixte. Tu illum adiuva.
Sce Cyriace. Tu illum adiuva.
Exaudi Xpe. Henrico (2) a Deo coronato magno & pacifico regis vita & victoria.
Redemtor mundi. Tu illum adiuva.
Sca Maria. Tu illum adiuva.
Sce Michahel. Tu illum adiuva.
Sce Gabriel. Tu illum adiuva.
Sce Raphael. Tu illum adiuva.
Sce Iohannes. Tu illum adiuva.
Sce Stephane. Tu illum adiuva.
Sce Line. Tu illum adiuva. Exaudi Xpe.
Antiſtiti a Deo electo vita & victoria.
Sca Felicitas. Tu illum adiuva.
Sca Perpetua. Tu illum adiuva.
Sca Agatha. Tu illum adiuva.
Sca Lucia. Tu illum adiuva.
Sca Cæcilia. Tu illum adiuva.
Sca Petronella. Tu illum adiuva. Exaudi Xpe.
Omni clero Pataviensis eccleſiæ vita & victoria.
Sce Apollinaris. Tu illum adiuva.
Sce Laurenti Tu illum adiuva.
Sce Nazari. Tu illum adiuva.
Sce Silveſter. Tu illum adiuva.
Sce Leo. Tu illum adiuva.
Sce Anaſtaſi. Tu illum adiuva. Exaudi Xpe.
Omnibus iudicibus fidelibus & cuncto exercitui Chriſtianorum vita & victoria.
Sce Maurici. Tu illos adiuva.
Sce Dyoniſi. Tu illos adiuva.
Sce Willibalde. Tu illos adiuva.
Sce Gregori. Tu illos adiuva.
Sce Albane. Tu illos adiuva.
Sce Martine. Tu illos adiuva.
Sce Ambroſi. Tu illos adiuva.

Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Spes noſtra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Gloria noſtra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Fortitudo noſtra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Miſericordia noſtra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Auxilium noſtrum. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Liberatio & redemtio noſtra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Victoria noſtra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Arma noſtra invictiſſima. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Murus noſter inexpugnabilis. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Defenſio & exaltatio noſtra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Lux noſtra & vita noſtra. Xps vincit. Xps regnat. Xps imperat. Ipſi ſoli gloria & poteſtas per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen Ipſi ſoli honor laus & iubilatio per infinita ſæcula ſæculorum. Amen. Ipſi ſoli virtus, fortitudo & victoria per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Xpe audi nos. Ter. Kyrie eleiſon. Ter. Xpe eleiſon. Ter. Kyrie eleiſon.

Benedictio Vexilli. (3)

Ex Cod. Vindob. Theol. 277. ſæc. XII. vel XIII. ut in Pontificali Rom.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, & triumphantium fortitudo, reſpice propitius ad preces humilitatis noſtræ, & hoc vexillum, quod bellico uſui præparatum eſt cœleſti benedictione ſanctifica, ut contra adverſarias & rebelles nationes ſit validum, tuoque munime cir-

(1) Quæ ſequuntur litaniæ ad eandem celebritatem regiæ inaugurationis ſunt referendæ. Cuiusmodi cum GOLDASTUS T. II. Antiquit. *Aleman.* p. 147. iam ediderit, alias hic, quæ quidem ad vicinam *Alemanniæ Bavariam* pertinent, ponere ſatius, quam iam vulgatos recudere, duxi ex mſc. *Vindob.* Apud GOLDAST. NICOLAO P. fit apprecatio. Habenturque in eum finem apud *Auguſtinum* PATRICIUM in Cærem. *Rom.* ſeorſim pro imperatore, quæ hic coniunctim leguntur cum laudibus pontifici concini ſolitis.

(2) Apud GOLD. HLUDOVICO. Eademque formula adhibita legitur in coronatione CAROLI M. *Romæ* an. DCCC. in die natalis Domini in imperatorem inaugurato, uti apud EGINARDUM, & ADEMARUM in vita CAROLI M. legere eſt. P. HARZHEIM in *Cat. hiſt. crit.* codd. mſſ. eccleſiæ metrop. *Colonienſis* litaniam ea occaſione cantatam notat cum rubrica: *Expleta oratione a pontifice, antequam lector aſcendat ambonem.*

(3) De benedictione armorum, enſis, & traditione vexilli bellici formulæ habentur P. II. Pont. *Rom.* tit. 22. 23. 24. Mitti aliquando pontifici ſolent a ſtrenuis belliducibus ac principibus enſis, pileus, roſa. Qua de re extat exegeſis Card POLI apud *Ioſ.* CATALANUM Comment. in Pont. *Rom.* T. II. pag. 388. ubi inter alia etiam breve CLEMENTIS XI. principi EUGENIO a *Sabaudia*, eius rei gratia miſſum aliaque exempla leguntur.

Digitized by Google

circumſeptum; ſitque inimicis chriſtiani populi terribile, atque in te confidentibus ſolidamentum & victoriæ certa ſitutia. Tu es enim Deus, qui conteris bella, & cœleſtis præſidii ſperantibus in te præſtas auxilium. Per.

Benedictio Enſis. (1)

Exaudi quæſumus Domine preces noſtras, & hunc enſem quo hic famulus tuus N. ſe circumcingi deſiderat, maieſtatis tuæ dextera benedicere dignare, quatinus defenſio atque protectio poſſit (ſit) eccleſiarum, viduarum, orphanorum, omniumque ſervientium contra ſævitiam paganorum, aliisque inſidiantibus ſit pavor, terror, & formido.

Alia. Famulum tuum N. quæſumus Domine pietatis tuæ cuſtodia muniat, ut hunc enſem, quem te inſpirante deſiderat ſuſcipere, te adiuvante illæſum cuſtodiat. Per Dnm.

Item benedictio.

Benedic Domine ſancte Pater omnipotens per invocationem ſancti nominis, & per adventum Filii tui Dni nri Ihu Xpi, atque per donum Spiritus ſancti Paraclyti hunc enſem, ut his qui hodierna die tua pietate eo præcingitur, viſibiles inimicos ſub pedibus conculcet, victoriaque per omnia potius ſemper maneat illæſus. Per.

Sequitur antiph. Speciosus forma præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime.

Alia. Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum N. eminenti mucrone circumcingi iuſſiſti, fac illum contra cuncta adverſantia ita cœleſtibus armari præſidiis, quæ nullis hic & in ævum tempeſtatibus bellorum turbetur. Per.

Benedictio ſuper Capſellas & Fuſtes (2)

& ſuper illos, quicumque limina ac ſuffragia Sanctorum appetituri ſunt.

Ex Mſc. Vindob. Theol. 277. ſæc. XII. vel XIII.

Domine Ieſu Chriſte mundi redemtor & conditor, qui beatis apoſtolis tuis præcepiſti, ut euntes in prædicatione virgas tantum ſumerent; te ſupplici devotione depoſcimus, ut digneris has capſellas & hos benedicere fuſtes, quatenus eos, qui illos in ſignum peregrinationis & ſuorum corporum ſuſtentationem ſunt recepturi, tuæ cœleſtis gratiæ recipiant plenitudinem, ut in eis munimen tuæ benedictionis percipere poſſint. Ut quemadmodum virga Aaron in templo Domini florens ad rebellium Iudæorum numero ſic ipſius ſtirpem rite ſe iunxit, ita & hos ſignaculo ſancti Petri adornandos ab omnibus peccatis abſolvas, quo in die iudicii ab impiis ſeparati, in dextera ſint parte coronandi. Per eum.

Quando dabuntur capſelle & fuſtes dicit. Accipite has capſellas & hos fuſtes & pergite ad limina apoſtolorum in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti, & per interceſſionem beatæ Dei genitricis Mariæ & omnium Apoſtolorum, atque omnium Sanctorum mereamini in hoc ſæculo accipere remiſſionem omnium peccatorum, & in futuro conſortium omnium beatorum. Per Dnm.

Alia. Omnipotens ſempiterne Deus, humani generis reformator & auctor, qui Abrahæ puero tuo ut iret de terra nativitatis ſuæ, & veniret in

(1) Congruunt, quæ apud *Ed.* MARTENIUM lib. II. de ant. Eccl. Rit. cap. 12. habentur ex mſc. Pontificali *Guilielmi* DURANDI *de benedictione novi militis* in hæc verba T. II. p. 667. *In benedictione novi militis hoc modo proceditur. Pontifex enim priusquam dicatur evangelium, benedicat enſem eius:* Exaudi quæſumus Domine preces noſtras, & hunc enſem &c. *Alia benedictio.* Benedic Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus per invocationem &c. Prius dixerat MARTENIUS cum eccleſia abhorreat a ſanguine benedictionem novi militis in antiquis pontificalibus libris, quos ſibi ſumma cum diligentia & magno numero perluſtrare licuerit, nusquam deprehendiſſe: nam quæ in fine Ordinis *Romani* edita habetur, extra ordinem ex recentiori aliquo codice deſumta ipſi videtur. Obtinuiſſe tamen iam ante plusquam 500. annos militum ab epiſcopis benedictionem probat ex WILHELMI Card. epiſt. apud CHESNIUM Hiſtor. *Franc.* T. IV. p. 765. & aliis. Notavit P. *Ioſ.* BIANCHINI affertque *Ioſ.* CATALANUS in append. T. I. Pontif. *Rom.* p. 427. ex mſc. *Vallicellano* ann. circ. 800. benedictionem vexilli & enſis eandem propemodum, quam nos exhibemus: duos item ordines ad benedicendum novum militem ex codd. *Vatic.* num. 4744. & 4748. poſterior eſt *ordo qualiter in ſacroſancta beati Petri apoſtolorum principis baſilica de urbe aliquis militetur.*

(2) Fuſtes ac capſellæ hic baculi & ſportæ peregrinantium ſunt, quales etiam cum gladibus benedictæ dabantur cruce ſignatis pro recuperatione terræ ſanctæ. Qua de re CONRADUS *Urſpergenſis* Abb. in Chron. p. 232. *Omnibus*, inquit, *ultra quam credi poteſt catervatim concurrentibus ad eccleſias populis novo ritu gladios cum fuſtibus & capſellis ſacerdotalis benedictio diſpertivit.* Vid. *Ed.* MARTEN. lib. II. de ant. Eccl. rit. c. 25. ad finem. Sed formula hæc noſtra in gratiam eſt compoſita *Romam* ad limina apoſtolorum PETRI & PAULI pergentium.

Digitized by Google

in terram repromiſſionis, quam ei daturus promiſeras, præcepiſti; nec non & populum Iſraeliticum in deſerto te adorandum multis prodigiis venire feciſti: hos quæſumus ad beatorum Petri & Pauli limina te adorare pergentes a periculis omnibus eruas, & a peccatorum nexibus ſolvas. Et tu qui es vera via in te confidentibus eorum iter bene diſpone, ut inter omnes huius ſæculi perturbationes tuo protegantur auxilio. Mitte eis Domine angelum tuum, quem Tobiæ famulo tuo comitem dediſti, ut ubicumque manſerint, ſit illis defenſor contra inſidias omnium inimicorum viſibilium & inviſibilium, quatenus læti & incolomes ad nos iterum redire prævaleant. Per.

Conceſſio Ingenuitatis, quando quis Procerum ſervum ſui iuris ire ad ſacros ordines permiſerit. (1)

Ex Mſc. San-Blaſ. ſæc. IX. circ.

Auctoritas eccleſiaſtica patenter ammonet, inſuper & maieſtas regia canonicæ religioni adſenſum præbet, ut quemcumque ad ſacros ordines ex familia propria promovere eccleſia quæque delegerit, in præſentia ſacerdotum canonicorum ſimul & nobilium laicorum, eius, cui ſubiectus eſt manumiſſione ſub libertatis teſtamento ſolemniter roboretur. Idcirco ego in Dei nomine ill. Abb. ſanctæ Mariæ venerabilis monaſterii quendam eccleſiæ noſtræ famulum nomine ill. ſacris ordinibus dignum ad altaris cornu nobilium virorum in præſentia quem romanum per hoc auctoritatis teſtamentum ſtatuo, ita ut ab hodierna die & tempore bene ingenuus atque ab omni ſervitutis vinculo ſecurus permaneat tamquam ſi ab ingenuis fuiſſet parentibus procreatus vel natus, eandemque pergat partem, quamcunque volens canonice elegerit, habensque portas apertas, ita ut deinceps nec nobis, neque ſucceſſoribus noſtris ullum debeat noxiæ conditionis ſervitium, neque aliquod libertinitatis obſequium, ſed omnibus diebus vitæ ſuæ ſub certa pleniſſimaque ingenuitate, ſicut alii cives Romani, per hunc manumiſſionis atque ingenuitatis titulum bene ſemper ingenuus atque ſecurus exiſtat; ſuum vero peculiare, quod habet, aut quod abhinc adſequi poterit, faciat exinde ſecundum canonicam auctoritatem libere quidquid voluerit. Et ut hæc teſtamenti atque ingenuitatis auctoritas inviolabilem inconvulſamque obtineat firmitatem, manu propria ſubter firmavi: ſacerdotes quoque atque canonicos, nec non & laicos nobiles præſentes ſimiliter ſubter firmare rogavi.

In eodem antiquiſſimo cod. huic manumiſſionis formulæ altera mox pagina qua ſequuntur, leguntur annexa, nomina, ut videtur, ſervorum ſeu libertorum.

De WeſtFal. (2)

Iſtos recipiat Hatto Epus & Hitto Comis.
Leodac. filium Bodoloni.

Adal-

(1) Mabillonius lib. XXXII. Annal. n. 20. T. II. p. 614. inter alia Ludovici *Pii* præclara facta illud refert, quod homines ſervilis conditionis, qui ſemel Clero adſcripti eſſent ab eo removeri vetuerit, cum antea pro nutu regiæ auctoritatis ſacris altaribus applicarentur, removerenturque: Sancivit autem Ludovicus, quod poſtea Carolus eius filius firmavit, ut manumiſſio fieret ex mutuo conſenſu pontificum & optimatum imperii ſui. Affert in Append. pag. 742. exemplum Abbatis quale noſtrum hoc eſt, aliaque id genus apud Goldastum Rer. *Aleman.* T. II. p. 26. ſeq. T. III. p. 57. Ritum vero *manumſſionis famuli pro excuſſione denarii* habes apud Marten. Theſ. Anecd. T. I. p. 104. apud Eccardum vero Corp. hiſtor. medii ævi T. II. p. 19. epiſtolam libertatis de proprio ſervo: *Qui debitum ſibi nexum, atque competens relaxat ſervitium &c.* finit: *Præſens ingenuitas mea, vel aliorum bonorum hominum manibus roborata, cum adſtipulatione ſubnexa omni tempore maneat inconvulſa.* Cuiusmodi paſſim occurrunt exempla alia *ſtipulationis ſubnexæ*, dum nempe ſtipula ſeu feſtuca in manus eius, qui beneficium acceperat, tradebatur, ab illoque chartæ traditionis ſubnectebatur. Talem feſtucam autographo teſtamenti S. Fulradi abbatis S. Dionysii inſertam invenit Mabillonius. In Mſc. ſæc. IX. vel X. bibl. Cæſ. *Vindob.* Theol. 259. inter alias formulam manumiſſionis reperi ea conditione factam, *ut manumiſſus ſingulis annis dare & ſolvere debeat unum tremiſatam de cera in luminaribus ad eccleſiam beati Petri apoſtolorum principis, quæ conſtructa eſt infra muros Coloniæ.* Tremiſata eſt pars tertia libræ vel ſolidi. Manumiſſionis inſtrumentum inſculptum portæ eccleſiæ *Aurelianenſis* ad an. 1109. not. Mabillonius T. IV. Annal. p. 533.

(2) Lucem his affert ſequens Capitulare Caroli M. an. 797. circa quod tempus ſcriptus videtur codex noſter: „Anno ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCXCVII. & XXX. ac. XXII. regnante „domino Carolo præcellentiſſimo rege, convenientibus „in unum Aquis in palatio in eius obſequio venerabilibus epiſcopis & abbatibus ſeu illuſtribus viris „comitibus V. Kal. Novembris ſimulque congregatis „Saxonibus de diverſis pagis tam de Weſtfalahis, &

Digitized by Google

Adalradum fil. Marcradi habet Aino Epus.
Odonem fil. Emmoni habet Anſbertus Comis.
Eruin fil. Rano habet Richoinus.
Crailinc. fil. Thetmare habet Richoinus.
Gerimfrid. fil. Eglom habet Egeno Epus.
Aicharb fil. Fredred. habet Ado de Alamania.
Theodoar. fil. Audradi habet Waningus Comis.
Baldricum fil. Rotgeri Geremannus Comis.
Adalgaudum fil. Suigaut habet Unrocus Comis.

De OſtFal.

Gerardum fil. Macconis habet Sinbertus Epus.
Hisi fil. Brunardi habet Agino Epus.
Filium Maingrs habet Lantfredus.
Titbaldum fil. Sigibaldi hab. Ripoinus Comis.
Uulferum fil. Sieri habuit Audracus Comis.
Hernaldum fil. Sunthardi hab. Uualdo Abb.
Eriuuardum fil. Herigildi hab. Eriuald. Alamannus.
Fredeger fil. Ermamenarii habet Birtilo.
Filium Macconis hab. Uulfaldus Comis.
Uuerdulfum fil. Bernulfr hab. Uulfaldus.
Dodonem fil. Attoſti habet Torro.
Sidugath. fil. Benninc. hab. Bertaldus Comis.
Ricohardum fil. Unuani habuit Bertaldus Comis.
Fredegarium fil. Uuicharii habet Uualah.
Alaberium fil. Tutonis habuit Uulualdus.

De Angra.

Bunun. fil. Theotakres habet Uuichardus.
Altbertum fil. Uuilberti hab. Sindbertus Epus.
Heti. fil. Megi habet Sciltung.
Hadamarum fil. Sigimari & Hittun fil. Fridileib. & Brunherum fil. Liutheri hbt Uuolfoltus.
Ditmannum fil. Oſmanni hab. Uualdo.
Fridamundum fil. Uuarmunti hab. Ernhartus. & Macrinum fil. Megitodi.
Ruadhartum fil. Danctagi hab. Ruadhari.
Hadabernum fil. Uuitradi hab. Reccho.
Uolfurichum fil. Eoriches hbt Egino Epus.
Sunt in Summa XXXVII.
Iſti veniant ad Mogontiam Media XLma.

Carta ingenuitatis.

Ex Cod. Rhenaug. ſæc. X. circ.

In Chriſti nomine Ego Demoleus cogitans vocem apoſtoli, quæ omnes ſive liberos ſive ſervos in Chriſto unum eſſe teſtatus eſt. Credensque dimittentibus a Domino ſua dimitti peccata, mercisque futuræ pro aliorum remiſſione reſtitui præmia: quendam ſervum de propria familiæ meæ nomine Daren, ac quandam in præſenti meæ proprietatis ancillam, cui nomen eſt Pirgo, dimitto liberos, ut ex hoc die cum omni procreatione ſua, ac ſi de ingenuis parentibus nati fuiſſent, quidquid voluerint faciendi poteſtatem atque licentiam habeant, ſibi vigilent, ſibi dormiant, ſibi laborent, ad ſe fructus laborum ſuorum percipiant ac veluti cives romani, omni ſervili negotio abſoluti, intrandi & exeundi, & ubicunque voluerint pergendi habeant poteſtatem. Quod ſi ego, aut ullus de hæredibus meis vel alia aliqua perſona huic cartæ ingenuitatis contraire præſumſerit. & cætera. Actum in loco, qui dicitur. Signum Demolei, qui hanc cartam ingenuitatis patravit. Signum ill. Ego itaque huic exemplari vel unum vel unam vel quantos volueris æqua.

In Dei nomine incipit epiſtola quæ formata dicitur ſive commendatitia.

Carta commendatitia.

Reverentiſſimo atque religioſiſſimo, & a nobis cum ſumma veneratione nuncupando ill. Epiſcopo. Ego ill. extremus ſub pontificali officio Deo famulantium, perpetuam in Domino opto ſalutem (gloſſa) gloria Patris, Filii, Agio pneumati.

ΠΥΑ ΠΑΛΛΑΙ. DXCV. (1)

Præſens frater noſter ill. petiit ab extremitate noſtra licentiam ad veſtram almitatem proficiſcendi atque vobiſcum ſive cum veſtris habitandi. Cui & nos benivola mente & fraterno affectu non ſolum ei copiam ad vos veniendi non negavimus; verum etiam ut a vobis ſive a veſtris gratifice ſuſci-

„ Angrivariis, quam & de Ooſtfalahis, omnes unaniter conſenſerunt, & aptificaverunt, ut de illis capitulis, pro quibus Franci, ſi regis bannum transgreſſi ſunt, ſolidos LX. componunt, ſimiliter Saxones ſolvent, ſi alicubi contra ipſos bannos fecerint.“ *Oſtfalorum*, *Angariorum*, & *Weſtfalorum* a CAROLO M. devictorum, paſſim apud chronographos fit mentio, eorumque imprimis ſitum in *Saxonia* veteri diſtinguit ECCARDUS Rer. *Franc.* lib. XXIV. &c. T. I. p. 38. &c. 637. 672. 675. &c. 691. &c. T. II. p. 261. De origine *German.* pag. XV. ſeqq.

(1) Latet hic error *Amanuenſis*; Litteræ enim græcæ hic poſitæ, & iuxta ſequens ſchema computandæ maiorem numerum quam 595. exprimerent, quem tamen genuinum eſſe, liquet ex ſequente numero 99, qui huic 595. additus, ſimul 694. efficit, qui numerus in fine *formatæ* exprimitur.

Digitized by Google

ſuſcipiatur expoſcimus. Et ſi vobis placuerit, ut aut in ſacris altaribus miniſtret, aut ad altiorem gradum permoveatur, noſtro ſive noſtrorum teſtimonio ſuſcepto, id ei facere liceat. Quippe qui nihil in eo tute noverimus, quo id faciendi ei licentia denegetur. Bene namque in eccleſia, in qua hactenus fuit educatus, bene converſatus, hoc nobis de ſe ſive de ſua vita oſtendit. ut in quantum humana fragilitas ſcire poteſt, adminiſtratione ſacrorum gradu, quem modo tenet, miniſteriorum non ſit indignus. Nos itaque, ut homines divini ſenſus inſcii & arcanorum ignari, præbemus de fratre quale ſcimus teſtimonium. Deus eſt enim, quem occulta non fallunt, & qui omnium ſecreta rimatur, iuxta illud: Homo videt in facie, Deus autem in corde. Has ergo litterulas ideo illi petere & nobis facere libuit, ut ille non ſolum pro profugo & abiecto non habeatur; verum etiam noſtræ humanitatis & caritatis commendatione a veſtra fraternitate libentiſſime ſuſcipiatur. AMHN. CVIIII.

Salus æterna, quæ Chriſtus eſt, & in hoc præſenti tempore vobis longævam ſalutem, & in futuro cum Sanctis & electis ſempiternam largiri dignetur. DCXCIIII.

Qualiter debeat epiſtola formata fieri Exemplar.

Græca elementa litterarum numeros etiam exprimere nullus, qui vel tenuiter græci ſermonis notitiam habet, ignorat. Ne igitur in faciendis epiſtolis canonicis, quas mos latinas formatas vocat, aliqua fraus falſitatis temere agi præſumeretur, hoc a Patribus CCC. & VIII. (CCCXVIII.) *Nicææ* conſtitutis (congregatis) ſaluberrime inventum eſt & conſtitutum, ut formatæ epiſtolæ hanc calculationis ſeu ſupputationis habeant rationem. Id eſt, ut aſſumantur in ſupputationem prima græca elementa Patris & Filii & Spiritus ſancti, hoc eſt Π Υ A. Quæ elementa octogenarium quadringenteſimum & primum ſignificant numeros. Petri quoque apoſtoli prima littera, id eſt, Π. qua numerus octuaginta ſignificatur. Eius qui ſcribit epiſtolam prima littera, eius cui ſcribitur ſecunda, accipientis tertia littera, civitatis quoque, de qua ſcribitur, quarta, & indictionis, quæcumque eſt id temporis; id eſt, ſi decem X. ſi undecim XI. ſi duodecim XII. qui fuerit numerus, aſſumatur. Atque ita his omnibus litteris græcis, quæ, ut diximus, numeros exprimunt, in unum ductis, unum, quæcumque collecta fuerit, ſummam epiſtola teneat. Hanc qui ſuſcipit, omni cum cautela requirat expreſſam. Addat præterea ſeparatim in epiſtola etiam nonagenarium & nonum numeros, qui ſecundum græca elementa ſignificant AMEN.

Alfa	Beta	Gamma
A	B	Γ
I	II	III
Delta,	Eta,	Epiſemon (Epſilon)
Δ	E	S (ſt)
IIII	V	VI.
Zita	Ita	Theta
Z	H	Θ
VII.	VIII.	VIIII.
Iota.	Kappa.	Lanta.
X	XX	XXX
My	Ny	Xi
M	N	Ξ
XL	L	LX
Omicron	Pi	Kophe
O	Π	U
LXX.	LXXX.	XC.
Ro	Simma	Tau
P	C	T
C	CC	CCC
(Ipſilon)	Fi	(Chi)
Υ	Φ	X
CCCC	D	DC
Pſi	o longa	Ennakoſe
Ψ	Ω	Λ
DCC	DCCC	DCCCC (1)

Formata Epiſtola. (2)

Π & Υ & A. Adiuvante clementia C. veſtigia fidei beatiſſimi Π principis apoſtolorum proſequens

(1) Hoc ipſum exemplar integre exhibetur, cum quibusdam variationibus, ab ECCARDO *T. II. hiſtor. med. ævi. p.* 17. De cartis formatis egit etiam FLOREZ in *Eſpanna ſagrada T. XXVIII. p.* 108.

(2) Videantur aliæ apud MABILLONIUM T. I. P. II. Muſæi *Italici* pag 240. ſeqq. iuxta regulas prius traditas concinnatæ, MARTENIUM Theſ. Anecd. T. I. p. 15. *Fr. Bern.* FERRARIUM *de ant. Eccleſ. epiſtolarum genere*, vario ſcilicet, quod tribus libris explicat, ac primo quidem nomen & originem canonicarum ſeu formatarum ex Conc *Nicæno*: quod etiam apud ECCARDUM l. c. formula, ſeu *exemplar formatæ epiſtolæ, quæ in Nicæna ſynodo a ſanctis Patribus eſt formata, & collaudata. In nomine Patris* Π. *& Filii* Υ *& Spiritus ſancti* A. *illi epiſcopo N. illius eccleſiæ devotus &c.* fin. Π. Υ. A. &c.

Digitized by Google

ſequens, licet indignus, tamen præſul eccleſiæ C. ordinatus. Reverentiſſimo & conſacerdoti noſtro A. indeficientem in ſalvandorum omnium ſalvatore ſalutem Præſens frater noſter nomine L. petiit ab extremitate noſtra. Hinc *iuxta prius exemplar*, *uſque* libentiſſime ſuſcipiatur. Salus æterna, qui Chriſtus eſt, & in hoc præſenti tempore vobis longævam ſalutem, & in futuro cum Sanctis & electis ſempiternam largiri dignetur. AMEN. Dato XV. Kl. Mart. indictione VI. ſub anno primo Arnulfi regis Francorum. Mille XCVII. (1)

Ordo excommunicationis, qualiter unusquisque incorrigibilis anathematizari debeat.

Ex Cod. 277. Theol. Vindobon. ſæc. XII. vel XIII.

Epiſcopus cum excommunicare vel anathematizare aliquem pro certis & manifeſtis ſceleribus diſpoſitum habet, poſt lectionem Evangelii clerum & plebem ita debet alloqui. Noverit caritas veſtra fratres mei, quod quidam vir nomine N. diabolo ſuadente poſtponens chriſtianam promiſſionem quam in baptiſmo profeſſus eſt per apoſtaſiam converſus poſt ſatanam cui abrenunciavit, & omnibus operibus eius vineam Chriſti id eſt eccleſiam eius devaſtare & deprædari non pertimeſcit, pauperes Chriſti, quos pretioſo ſanguine ſuo redemit, violenter opprimens, & interficiens, & bona eorum diripiens. Unde quia filius huius noſtræ eccleſiæ, cui Deo auctore præſidemus, debuerat eſſe, quia in ea per aquam & Spiritum ſanctum renatus eſt, & inter adoptivos filios Dei annumeratus, quamvis modo filius diaboli ſit, imitando diabolum, ſolliciti ne per negligentiam paſtoralem aliqua de ovibus nobis creditis deperiret, pro qua in tremendo iudicio ante principem paſtorum Dnm nrm Ihm Xpm rationem reddere compellemur, iuxta quod ipſe terribiliter nobis comminatur, dicens: *Si non annuntiaveritis iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem eius de manu tua requiram*, miſimus ad eum presbiterum noſtrum, & litteras commonitorias ſemel & iterum ac tertio invitantes eum canonice ad emendationem & ſatisfactionem, & pœnitentiam, corripientes eum paterno affectu. Sed ipſe proh dolor! diabolo cor eius indurante, monita ſalutaria ſprevit, & in incepta malicia perſeverans, Eccleſiæ Dei, quam læſit ſuperbiæ ſpiritus inflatus ſatisfacere dedignatur. De talibus itaque transgreſſoribus, & ſanctæ religionis pacisque, quam ſuis diſcipulis Chriſtus dedit, atque reliquit violatoribus præcepta dominica & apoſtolica habemus, quibus informamur, quod de huiuscemodi prævaricatoribus agere nos oporteat. Ait enim Dominus in Evangelio: *Si peccaverit in te frater tuus corripe eum.* Frater in unumquemque noſtrum peccat. Si enim ſancta Eccleſia unum corpus eſt, cuius corporis caput Chriſtus eſt. Singuli autem ſumus alter alterius membra; & ſi compatitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: procul dubio in nos peccat, qui membra noſtra lædit. Iubet igitur Dominus, ut frater, id eſt chriſtianus, in nos peccans, primo ſecrete corripiatur, deinde cum teſtibus redarquatur, noviſſime in conventu eccleſiæ publice conveniatur. Quodſi has tres commonitiones, & pias correptiones contempnit, & ſatisfacere deſpicit, poſt hæc ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus, id eſt gentilis & paganus; ut non iam pro chriſtiano, ſed pro pagano habeatur. Et in alio loco membrum, quod a ſua compage reſolvitur, & a iunctura caritatis diſſociatur, & omne corpus ſcandalizat, Dominus & abſcidi, & proiici iubet dicens: *Si oculus, manus, vel pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum, & proiice abs te.* Et apoſtolus, *auferte*, inquit, *malum a vobis.* Et item: *Si quis frater nominatur, & eſt fornicator aut adulter, aut homicida; aut rapax, cum huiusmodi nec cibum ſumere licet.* Et Iohannes dilectus præ cæteris Chriſti diſcipulis talem nefarium hominem ſalutare prohibeat dicens: *Ne ei ave dixeris, neque eum in domum receperis.* Qui *enim ei ave dicit, communicat operibus eius malignus.* Dominica itaque atque apoſtolica præcepta adimplentes, membrum putridum & inſanabile, quod medicinam non recipit, ferro excommunicationis a corpore Eccleſiæ abſcidamus, ne tam peſtifero morbo reliqua membra corporis veluti veneno inficiantur. Per.

Ipſa anathematizatio. Igitur quia monita noſtra & crebras exhortationes contempnit: quia tertio ſecundum Dominicum præceptum vocatus ad emendationem & pœnitentiam venire deſpexit: quia

(1) Ultimus hic numerus non eſt nota anni, ſed computus numerorum ex litteris græcis in formata expreſſis: ubi tamen in littera L error ſcriptoris eſt, utpote quæ græca non eſt: forte Z ponenda erat, quam modo pro *Stigma* (ς) modo pro *Zeta* (ζ) adhibuere, uti apud ECCARD. l. c. videre eſt. Cæteræ notæ chronologicæ annum 888. produnt, qui primus fuit regni ARNULFI Imp. qui hic Rex *Francorum* dicitur.

Digitized by Google

quia culpam ſuam necdum cognovit nec confeſſus eſt, nec miſſa nobis legatione, quam cauſam, qua cauſam ipſius exquirimus, quia noſter parrochianus eſt, veniam non poſtulavit: quia in incepta malitia, diabolo cor eius indurante, perſeverat, & iuxta quod apoſtolus dicit, *ſecundum duriciam ſuam & cor impœnitens theſaurizat ſibi iram in die iræ*; idcirco nos eum cum univerſis complicibus & communicatoribus fautoribusque ſuis iudicio Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & beati Petri principis apoſtolorum, & omnium Sanctorum, nec non & noſtræ mediocritatis auctoritate & poteſtate nobis divinitus collata ligandi & ſolvendi in cœlo & in terra, excludimus & excommunicamus, & anathematizatum decernimus, & damnatum cum diabolo, & angelis eius, & omnibus reprobis in igne æterno iudicamus; niſi forte a diaboli laqueis reſipiſcat, & ad emendationem & pœnitentiam redeat, & Eccleſiæ Dei quam læſit ſatisfaciat. *Et reſpondeant omnes tertio* Amen *aut* Fiat, Fiat. *aut* anathema ſit. (1) *Debent enim duodecim ſacerdotes epiſcopum circumſtare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in concluſione anathematis vel excommunicationis proiicere debent in terram, & conculcare pedibus. Poſt hæc epiſcopus plebi excommunicationem communibus verbis debet explanare, ut omnes intelligant, quam terribiliter dampnatus ſit: & ut noverint, quod ab illa hora in reliquum non pro chriſtiano, ſed pro pagano habendus ſit, & qui illi quaſi chriſtiano communicaverit, aut biberit, aut eum oſculatus fuerit, vel cum eo colloquium familiare habuerit, niſi forte ad ſatisfactionem & pœnitentiam eum provocare ſtuduerit, aut in domo ſua eum receperit, aut ſimul cum eo oraverit, procul dubio ſimiliter ſit excommunicatus. Deinde epiſtolæ presbyteris per parrochias mittantur, continentes modum excommunicationis. In quibus iubeatur, ut dominicis diebus poſt lectionem evangelii plebibus ſibi commiſſis publice annutient ipſam excommunicationem; ut ne quis per ignorantiam communicet excommunicato. Præcepit enim Toletanum concilium, ut invicem mox ſcripta percurrant per omnes provinciæ epiſcopos, quosque adire potuerint, & excommunicatus audiatur. Seniori etiam eius ipſa excommunicatio debet nota fieri.*

Satisfactio & emendatio & reconciliatio anathematizati.

Cum aliquis (excommunicatus) vel anathematizatus pœnitentia ductus veniam poſtulat, & emendationem promittit, epiſcopus, qui eum excommunicavit, ante ianuas eccleſiæ venire debet, & duodecim presbyteri cum eo; qui eum hinc inde circumſtare debent. Ubi etiam adeſſe debent illi, quibus iniuria vel dampnum illatum eſt. Et ibi ſecundum leges divinas oportet dampnum commiſſum emendari; aut ſi emendatum eſt, eorum teſtimonio comprobari. Deinde epiſcopus interroget, ſi pœnitentiam iuxta quod canones percipiunt pro perpetratis ſceleribus ſuſcipere velit. Et ſi ille terræ proſtratus veniam poſtulat, culpam confitetur, pœnitentiam implorat, de futuris cautelam ſpondet; tunc epiſcopus apprehenſa manu eius dextera eum in eccleſiam introducat, & ei communionem & ſocietatem chriſtianam reddat, & ſeptem pſalmos pœnitentiæ decantet cum iſtis precibus. Kyrieel. Xpeel. Kyrieel. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Salvum fac ſervum tuum Domine. Deus meus ſperantem in te. Mitte ei Dne auxilium de ſancto. Et de Sion tuere. Nihil proficiat inimicus in eo. Et filius iniquitatis non. Eſto ei Domine turris fortitudinis. A facie inimici. Domine exaudi orationem meam. Et clamor meus. Præſta quæſumus Domine huic famulo tuo N. dignum pœnitentiæ fructum, ut Eccleſiæ tuæ ſanctæ a cuius int. Deus miſericors Deus clemens, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles. *Require in Feria V.* maioris

(1) Pleraque hæc ad verbum in hodierno adhuc pontificali *Rom.* leguntur; deſideratur vero ritus ſequens extinguendi proiiciendique candelas. De quo primum exemplum in ſynodo *Lemovicenſi* ſub pontificatu BENEDICTI IX. P. habetur apud LABB. T. IX. Conc. p. 891. T. 10. pag. 406. in Conc. *Quintilinoburg.* c. 13. Hæc leguntur apud BERTHOLDUM *Conſtant.* ad annum 1085. ea de re: *In fine Synodi ſententia anathematis cum ardentibus candelis promulgata eſt in Guibertum hæreſiarcham Sedis apoſtolicæ invaſorem.* Memorat S. PETRUS *Damiani* in ſynodali diſceptatione cum regio advocato: *Gerardus Galeriæ Comes a plenaria Nicolai II. ſynodo excommunicatus eſt, & extinctis luminaribus ſub perpetuo anatemate contemnatus.* ROMUALDUS *Salernitanus* in chron. ad an. 1177. affert formulam adhibitam in conciliata pace ab ALEXANDRO III. cum FRIDERICO I. ſub anathematis pœna in violatorem: *Sicut hæ candelæ extinguuntur, ſic eorum, qui pacem violaverint animæ lumine æternæ viſionis & claritate priventur.* Eius ritus paſſim fit mentio in diariis ceremon. *Rom.*

Digitized by Google

maioris ebdom. id eſt in Cœna Domini in reconciliatione lapſorum. Poſt hæc ſecundum modum culpæ pœnitentiam ei iniungat. & literas per parrochias dirigat, ut omnes noverint eum in ſocietate chriſtiana receptum: aliis etiam epiſcopis notum faciat. Nullus autem epiſcopus alterius parrochianum excommunicare vel reconciliare præſumat, ſine conſcientia vel conſenſu proprii epiſcopi.

Leo epiſcopus (1) ſervus ſervorum Dei dilectiſſimis fratribus & filiis archiepiſcopis, atque ſuffraganeis eorum abbatibus, & monachorum congregationibus in Francia commanentibus ſalutem perpetuam. Indicatum eſt nobis filii kmi, quod in veſtris regionibus malignorum hominum perverſitas creverit; ita ut res veſtras in ſuis pravis uſibus redigere cupiant. Quapropter ex auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filii eius Dni nri Ihu Xpi & Spiritus ſancti paracliti, atque ex vice beati Petri apoſtoli, nec non & beatæ Mariæ matris Domini, & per beatos angelos, & apoſtolos, martyres, confeſſores, ac virgines excommunicamus eos atque maledicimus, qui poſſeſſiones ſervorum ſancti Martini, & quidquid ad illos pertinet, tollunt, & perperam invadunt. Sit pars illorum cum Dathan & Abyron, quos terra pro ſua ſuperbia vivos abſorbuit, & cum Iuda proditore, qui Dominum in pretio vendidit. Amen. „ Fiant filii eorum orphani, & uxores eo„ rum viduæ. Nutantes transferantur filii eorum, „ & mendicent. Eiiciantur de habitationibus „ ſuis. Scrutetur fenerator omnem ſubſtantiam „ eorum.“ Et iterum: „ Omnes qui dixe„ runt hæreditate poſſideamus ſanctuarium Dei, „ Deus meus pone illos ut rotam, & ſicut ſti„ pulam ante faciem venti. Amen. Sicut ignis, „ qui comburit ſilvam, & ſicut flamma combu„ rens montes; ita perſequeris illos in tempeſta„ te tua, & impleas facies eorum ignominia, ita „ ut erubeſcant, & confundantur & pereant.“ Sintque maledictiones illæ, quas Dominus ſuper filios Iſrael per Moyſen promulgavit ſuper illos, qui bona & villas ſancti Martini deprædantur. Sintque maledicti in civitate, maledicti in agro, & in omni loco. Amen. Maledicta cellaria eorum, maledictus fructus ventris eorum, & fructus terræ eorum. Amen. Maledicta omnia, quæ illorum ſunt, & maledicti egredientes, & regredientes. Amen. Diſperdat eos Dominus de terra velociter. Amen. Percutiat eos Dominus de terra velociter. Amen. Percutiat eos Dominus fame & ſiti, egeſtate, frigore, & febri, donec pereant. Tradat illos Dominus corruentes ante hoſtes eorum, ſintque cadavera eorum in eſcam cunctis volatilibus cœli, & beſtiis agri. Percutiat eos Dominus ulcere peſſimo, ſcabie quoque & prurigine, amentia & cæcitate. Amen. Palpentque in meridie, ſicut palpare ſolus (ſolet) cæcus in tenebris. Amen. Et ſicut Dominus beato Petro apoſtolo, eiusque ſucceſſoribus, cuius vicem tenemus quamvis indigni, poteſtatem dedit, ut quodcunque ligarent ſuper terram, ligatum eſſet & in cœlis; ita illis ſi emendare noluerint, cœlum claudimus, & terram ad ſepeliendum negamus, & demergantur in inferno inferiori, ſolvantque, quod geſſerunt ſine fine. Amen. Si autem ad pœnitentiam, & emendationem venerint, & ſecundum nomen culpæ fructus dignos pœnitentiæ fecerint, omnia mala iſta avertat Deus ab illis, & nos parati ſumus ad recipiendum & orandum pro illis. Si autem ad emendationem noluerint venire, perpetuo anathemate feriantur: ita eccleſiam Dei non intrent, pacem cum Chriſtianis non habeant, nec ullam participationem faciant. Corpus & ſanguinem Domini nec in die mortis percipiant; ſed æternæ oblivioni traditi tanquam pulvis ante faciem fiant venti, & cum diabolo & angelis eius perpetuis ignibus tradantur, & ſicut lucerna iſta extinquitur, ſic & extinquantur animæ eorum in fetore inferni. Amen.

Benedictio Ferri iudicialis. (2)

Ex Cod. Vindob. Theol. 149. *olim Augienſi ſæc. IX.*

Benedic Domine per invocationem ſanctiſſimi nominis tui ad manifeſtandum iudicium tuum hoc genus

(1) Annexa immediate in mſc. cit. reperi, quæ hic ſequuntur ſub ementito nomine Vicarii Chriſti, conficta a nonnemine, qui legem Chriſti excuſſit animo, dum hæc conſarcinavit maledicta.

(2) Pertinet hoc ad purgationem, ut vocari ſolebat, vulgarem, canonicam, iudicium Dei. Qua de re egimus Diſquiſ. VI. c. 3. P. II. p. 553. ſeqq. ubi genera varia eiusmodi probationum explicavimus, eorumque uſum ac fata in eccleſia, donec penitus abrogarentur, cum in ſuperſtitionem, quo nihil proclivius fuit, deflecterent, per nimis frequentem, ac promiſcuum uſum absque legitima auctoritate & diſcretione. Inde etiam accidit, ut. ſucceſſu temporis multiplicarentur eius ſpecies, prioribus abolitis. Factum id quidem initio prudenti Eccleſiæ cautela, ne incertis magis eluderentur indiciis homines, exempli

genus metalli, ut omni dæmonum falſitate procul remota veritas veri iudicii tui fidelibus tuis manifeſta fiat. Per Dnm.

Benedictio Dei Patris & Filii & Spiritus ſancti deſcendat ſuper hoc ferrum ad diſcernendum iudicium Dei. Amen.

Benedictio Ignis & Ferri ſive Aquæ. (1) *Ex Cod. Th. Vind. 685. ſæc. X. vel XI.*

Deus iudex iuſtus fortis & patiens, qui auctor pacis es, & iudicas æquitatem, reſpice ad deprecationem noſtram, & dirige iudicium noſtrum, quia iuſtus es, & rectum iudicium tuum, qui reſpicis terram & facis eam tremere, & qui per adventum Unigeniti tui Dni nri Ihu Xpi ſeu paſſionem mundum ſalvaſti, genusque humanum redemiſti; tu hanc aquam vel ferrum igni ferventem ſanctifica, & ſicuti tres pueros Sydrac, Miſac, & Abdenaga iuſſu regis Babiloniæ civitatis miſſos in fornacem ſuccenſam illæſos ſalvaſti, angelumque tuum mittens exinde eduxiſti, & Suſannam de falſo teſtimonio eripuiſti, ita clementiſſime dominator oramus, & petimus, ut quisquis innocens de hoc crimine prænominato in hanc aquam manum miſerit, vel ferrum portaverit ſanam & illeſam eam educat, per te ſalvatorem & redemtorem tocius orbis. Qui venturus eſt iud.

Alia. Omps ſempiterne Ds, qui es ſervator occultorum cordium, te ſupplices exoramus, ut ſi homo hic culpabilis eſt de rebus præfatis, & diabolo ingruente cor eius præſumſerit in hanc aquam igne ferventem ſive ferrum ignitum manum ſuam mittere, tua iuſtiſſima veritas declaret, & in huius opere tuam veritatem manifeſta, ut per manifeſtam pœnitentiam in corpore, anima eius ſalvetur in extrema examinatione. Quodſi per

causa in ſortium variis generibus, quarum antiquiſſima habentur exempla, conſultusque a IANUARIO reſpondet S. AUGUSTINUS epiſt. LV. n. 37. de ſorte per libros divinos; propriumque exemplum narrat lib. VIII. Confeſs. c. 12. ipſe vero in re dubia remittit adprobationem coram tumulo S. FELICIS *Nolani* ep. LXXVIII. ſed non ita multo poſt variis in conciliis vetitæ ſunt quæcunque ſortes Sanctorum veluti in *Venetenſi* eodem adhuc ſæc. V. *Agathenſi* an. 506. c. 42. *Aurelianenſi* I. an. 511. c. 20. *Altiſiodorenſi* an. 578. c. 4. in Capitulari etiam CAROLI M. an. 789. T. I. p. 243. Add. S. GREGORIUS M. Hom. XXXII. in Evang. T. I. pag. 1591. de purgatione per iuramentum; ad ſepulcrum S. PETRI nominatim T. II. opp. p. 1219. Apud GREGORIUM *Turonenſem* frequens habetur eiusmodi probationum memoria de iuramento etiam, ac duello legibus antiquis & exemplis auctorato veluti GONDEBALDI regis *Burgundionum Ariani* ad finem ſæculi V. lex *Gundebada*, lex *Burgundionum* perſeverabat adhuc ſub S. SIGISMUNDO filio GONDEBALDI; ſcripſit vero AGOBARDUS *adverſus legem Gundebadi, & impia certamina, quæ per eam geruntur.* Add. capit. ANSEGISI lib. IV. c. 13. *De iudicio Crucis* a CAROLO M. permiſſo vid. GRETS. de Cruce. Quo ſanctiſſimo ſigno ipſoque ſacratiſſimo Chriſti nomine ut hodieque, ita iam olim ad ſuperſtitiones abuſos eſſe malignos S. AUGUSTINUS doluit. Tr. VII. in IOAN. c. I. p. 344.

(1) Initio ſæc. V. S. BRICIUS *Turonenſis* fertur ſe purgaſſe iudicio ferri igniti, de quo S. GREGORIUS *Turon.* Hiſt. *Franc.* lib. II. c. 1. p. 43. primumque authenticum teſtimonium apud eundem S. GREGORIUM *de Gloria Confeſſ.* cap. 76. de S. SIMPLICIO Ep. *Auguſtodunenſi* extare aſſerit P. *Petrus* BRUNIUS presbyter Oratorii in Opere Gallico *Hiſtoire critique des practiques ſuperſtitieuſes, qui ont ſeduits les peuples, & embraſsé les ſavans avec la methode & les principes pour diſcerner les effets naturels d'avec ceux, qui ne le ſont pas.* Ac uſum quidem promiſcuum huiusmodi probationum ſuperſtitioſum facit T. II. p. 221. ſeq. utpote ex paganiſmo provenientem, neque a pontificibus vel Conciliis auctoratum p. 236. ſeq. Sicuti legibus *Salica*, *Ripuaria*, *Longobardica*, Capitularibus item regum *Francorum* ſæc. VIII. ac deinceps ſæc. X. maxime frequentatum conſtat, inde a fine ſæc. VI. ut ex BALUZII utroque Capitularium tomo iam oſtendit BRUNIUS, neque etiam facta circa has probationes certa & authentica diffitetur, quæ varia profert T. II. habenturque collecta exempla & auctoritates apud HILDEBERTUM *Cenomenſem* & IVONEM, qui etiam rem diſcutit nonnullis in epiſtolis, faſſus ep. 74. fefelliſſe probationem. Egit de ea re dudum ante HINCMARUS ſingulari tractatu pro THIETBERGA LOTHARII uxore. Editus vero inter opera AGOBARDI a BALUZIO extat tractatus *contra damnabilem opinionem putantium divini iudicii veritatem igne vel aquis vel conflictu armorum pateſieri.* Scripſit hæc AGOBARDUS vergente ſæc. IX. quo finiente nihilominus an. 895. in Concilio *Triburienſi* c. 1. & 22. permittitur ritus, uti etiam de proximis ſæculis habetur auctoritas in Conc. actis apud LABB. T. IX. p. 587. & 1022. quod *Angliam* ſpectat, in qua EMMÆ exemplum memoratur in monaſt. *Angl.* p. 34. oſtenditque BRUNIUS T. II. p. 196. ſeq. in Orientem etiam penetraſſe. Ritum explorandæ veritatis ſeu iudicium ferri candentis, quo in dirimendis controverſiis gens *Ungarica* olim uteba-

Digitized by Google

per herbas aut per aliqua maleficia hoc peccatum tegere, cælareque voluerit, tuam ſanctam dexteram evacuare dignetur per unigenitum Dnm nrm Ihm Xpm, qui venturus eſt iudicare vivos & mort.

Iudicium Aquæ frigidæ. (1)
Ex Cod. Theol. Vind. 511. ſæc. X. vel XI.

Cum vis hominem in aquam mittere ad comprobationem, iſta debes facere. Accipe illos homines, quos in voluntate habes mittere in aquam, (2) *& duc eos in eccleſiam, & coram omnibus cantet presbyter miſſam. Cum autem ad communicationem venerint, antequam communicent, interroget eos ſacerdos adiuratione iſta, dicens:* Adiuro vos homines per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, & per ſanctam Trinitatem, & per invocationem unigeniti Filii, & per veſtram chriſtianitatem, quam ſuſcepiſtis, & per ſanctum evangelium, & per iſtas reliquias, quæ in iſta eccleſia ſunt, ut non præſumatis ullo modo communicare, neque accedere ad altare, ſi hoc feciſtis aut conſentiſtis, aut ſcitis quis hoc fecerit. *Si autem omnes tacuerint, & nullus hoc dixerit, accedat ad altare ſacerdos & communicet illos, quos vult in aquam mittere. Cum autem communicant, dicat ſacerdos per ſingulos:* Corpus & ſanguis Dni nri Ihu Xpi ſit tibi hodie in comprobationem. *Hac eſt celebracio miſſæ ad iudicium ſive aquæ ſive ferri.* Iuſtus es Dne. Beati immac. Da qs omps Ds ſic nos tuam gratiam promereri, ut noſtros corrigamus exceſſus ſic confitentibus relaxare delictum, ut coerceamus in ſuis pravitatibus obſtinatos. Per. *Expleta miſſa faciat ſacerdos aquam benedictam, & vadat ad locum ubi homines probantur. Et cum probati ſunt de omnibus bibere de aqua benedicta: & cum dederit, dicat ad unumquemque eorum.* Hæc aqua fiat tibi hodie ad comprobationem. *Poſtea vero convertat ſe ſacerdos ad aquam, ubi illum mittit, & coniurat bis verbis ſequentibus imprimis dicendo* Deus in adiutorium meum intende. *Ter. cum* Gloria. Kyrie eleiſon. Xpe eleiſon. *Ter & letaniam, & nominibus Sanctorum in eadem recitatis dicat hos verſus.* Pro huius negotii qualitate te rogamus audi nos. ℣. Ut iuſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur falſitas veritati. Te rogamus audi nos. *Ter. qua finita cantet presbyter* Pater noſter. Credo in Deum. *Et dicat* Dominus vobiscum. Adiuro te aqua in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te in principio creavit, & te iuſſit miniſtrare humanis neceſſitatibus, qui etiam te iuſſit ſegregari ab aquis ſuperioribus. Adiuro te etiam per ineffabile nomen Dni nri Ihu Xpi Filii Dei omnipotentis, ſub cuius pedibus mare, elementum aquarum calcabile ſe præbuit: qui etiam baptizari in elemento aquarum voluit, & per individuam Trinitatem, cuius voluntate aquarum elementum diviſum eſt, & populus Iſraeliticus ſuper illud ſiccis pedibus tranſivit. Ad cuius etiam invocationem Helias ferrum, quod de manubrio ceciderat ſuper aquam natare fecit, ut nullo modo ſuſcipias hunc hominem, ſi in aliquo ex hoc eſt culpabilis, quod illi obiicitur: ſcilicet, ut per opera aut per conſenſum, aut per ſcientiam, aut per ullum ingenium; ſed fac eum natare ſuper te, & nulla poſſit eſſe contra te aliqua facta cauſa, aut

tur poſt editionem *Claudiopolitanam* an. 1550. uberrimis notis illuſtratum recudit *Matth.* BELIUS in apparatu ad Hiſt. *Hung.* T. I. p. 191. ex multis pauca ego ad rem ex monumentis Liturg. *Alemanniæ* edo.

(1) Convenit fere codex *Wertinenſis* ſæc. XI. in quo BERNONIS Abbatis *Augienſis Ordo rituum eccleſiaſticorum* continetur. Apud ECCARD. T. II. Rer. *Francic.* p. 923.

(2) Agit de hoc probationis genere BRUNIUS toto libro VI. Tomi II. copioſe, ſuntque ei teſtimonia eam in rem extra dubium poſita complura etiam recentiora de lamiis præſertim hoc iudicio condemnatis, de quo citatur WIER de Præſtigiis dæmonum lib. VI. c. 7. extatque SCRIBONII epiſtola de purgatione ſagarum ſuper aquam frigidam; qui etiam refutat NEVALDI exegeſin purgationis ſive examinis ſagarum ſuper aquam frigidam; GODELMAN vero SCRIBONII hanc refutationem refutat *de Magis & Veneficis, & Lamiis noſcendis & puniendis. Francof.* anno 1591. BRUNIUS SCRIBONII ſyſtema refutat. Quomodo hæc probatio in *Gallia* fuerit diſſeminata oſtendit cap. 3. & 4. tum vero an per bonos an per malos angelos effectus ſiant diſquirit cap. 5. recteque iudicat §. 2. p. 312. etiamſi quandoque productus fuerit effectus, temerarium eſſe eundem iterare. Add. *Mulierum lavatio, quam purgationem per aquam frigidam. Item vulgaris de potentia Lamiarum opinio: quod utraque Deo, naturæ, omni iure, & probatæ conſuetudini ſit contraria. Auctore Conrado ab* ANTEN, *I. U. L. Lubecæ an.* 1590. Viciſſim vero ab eodem BRUNIO citatur RICKII *Defenſio probæ, ut loquuntur, aquæ frigidæ, qua in examinatione maleficarum plerique iudices hodie utuntur; ſæculo nempe adhuc XVI.* quo finiente vixit auctor *Coloniæ*que prodiit liber.

Digitized by Google

aut nulla præſtigatio quod illud non poſſit manifeſtare. Adiurata autem per nomen Xpi præcipimus tibi, ut per nomen eius obedias, cui omnis creatura ſervit: quem Cherubim & Seraphim laudant dicentes Sanctus, Sanctus, Sanctus Dns exercituum, qui etiam regnat & dominatur per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Alia. Ds qui maxima quæque ſacramenta..... ſerviens ad diabolicas fraudes detegendas, & ad eorum figmenta, argumenta diſſolvenda, atque ad multiformes eorum artes deſtruendas divinæ gratiæ ſumat effectum. Diſcedant hinc omnes inſidiæ latentis inimici, quatenus veritas de his, quæ a nobis divini ſenſus & alieni cordis ignaris requiruntur, tuo iudicio expetita per invocationem ſancti tui nominis patefacta clareſcat. Et ne unde requirimus iniuſte innocens damnetur; neque nocens a te, qui lux vera es, cuique non ſunt obſcuræ tenebræ, & qui illuminas tenebras noſtras, quærentibus veritatem impune poſſit deludere te, quem occulta non tranſeunt, oſtendente, & virtutem tuam, qui ſecretorum es cognitor declarante, fiat hinc nobis in te credentibus veri cognitio manifeſta.

Alia. Omps Ds qui baptiſmum in aqua fieri iuſſiſti, & hominibus remiſſionem peccatorum in eo conceſſiſti, tu iudex iuſtus rectum iudicium in iſta aqua diſcerne, ita ut ſi culpabilis ſit iſte homo de prænominata cauſa, aqua quæ in baptiſmo eum ſuſcepit, nunc non recipiat. Si autem inculpabilis ſit nunc in ſe recipiat, nullumque maleficium tui examinis veritatem in iſto iudicio prævaleat immutare, ſed contra cunctas demoniacas illuſiones, obſtantibus ſancti Ioannis baptiſtæ meritis ad dignos fructus pœnitentiæ, qui culpabilis eſt, compellatur. Per.

Alia. Dne Ds omps, qui aquarum ſubſtantiam archanis tuis ſubter eſſe iuſſiſti, nobiſque Spiritu ſancto cooperante per eam abolitionem omnium peccatorum remiſſionem dediſti, tu præſta per opera iuſtitiæ tuæ ut hæc aqua per virtutem ſanctæ Trinitatis, quamvis fluens, tamen ſit ſanctificata, & omnium fantaſmatum adinventiones expellat, detque iuſtis & innocentibus de prænominata cauſa, pro qua diſcutiendi ſunt ſecuritatem, reis quidem culparum manifeſtatione, ut uterque in ea probatione qua inventus eſt, iſte per probitatem iuſtitiæ, ille per correptionem obdurationis laudent nomen ſanctum tuum in ea claritate qua permanes in ſæcula ſæculorum. Am.

Domine Deus omps, qui baptiſmum fieri iuſſiſti in aqua, & per lavacrum regenerationis humano generi remiſſionem omnium peccatorum donare dignatus es, ſanctifica qs hanc fluentem aquam, & iuſtum in ea diſcerne iudicium, qui ſolus es iudex & fortis, ita, ut ſi innocens ſit iſte homo de prænominata cauſa, aqua, quæ in baptiſmo eum ſuſcepit, nunc in ſe recipiat, & mundus & innocens de imo profundo abſtrahatur huius aquæ. Per.

Poſt coniurationem autem & benedictionem aquæ exuat illos veſtimentis eorum, & faciat illos per ſingulos oſculari evangelium & crucem Chriſti, & poſt hæc de ipſa aqua benedicta aſpergat ſuper unumquemque coniuratus eum his verbis. Adiuro te N. per invocationem Dni nri Ihu Xpi & per iudicium aquæ frigidæ, adiuro te per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & per Trinitatem inſeparabilem & per Dnm nrm Ihm Xpm, & per omnes angelos, & archangelos, & per omnes ſanctos Dei, & per diem tremendum iudicii Dei & per XXIIII. ſeniores, qui cottidie Deum laudant, & per quatuor evangeliſtas, & per XII. apoſtolos, & per XII. prophetas, per martyres, & confeſſores, atque virgines, & principatus & poteſtates, & per dominationes & virtutes, & per thronos, cherubim & ſeraphim, & per omnia ſecreta cœleſtia te adiuro, & per tres pueros, qui cottidie Deum laudant Sidrac, Miſac, & Abdenago & per CIX.IIII. millia, qui pro Chriſto paſſi ſunt, & per ſanctam Mariam matrem Dni nri Ihu Xpi, & per cunctum populum Dei, & per illud baptiſmum, quod ſacerdos ſuper te regeneravit, te adiuro, ut ſi tu de hoc furtu ſcis, aut vidiſti, aut baiolaſti, vel in domum tuam recepiſti, aut conſentiens aut conſentaneus exinde fuiſti. Aut ſi habes cor ingraſſatum vel induratum, aut ſi culpabilis inde es, evaneſcat cor tuum, & non ſuſcipiat te aqua, neque ullum maleficium contra hoc prævaleat. Hoc autem Dne Ihu Xpe fac ad laudem & gloriam per invocationem nominis tui, ut omnes agnoſcant, quia tu es Deus benedictus qui vivis & regnas per omnia.

Poſt aquæ benedictionem dicat hos verſus. Exurgat Deus & diſſipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum a facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant. Sicut fluit cera a facie ignis, ſic pereant a facie Dei. *Ter cum* Gloria. *Tunc* (1) *ſtatim proiiciet eos in aquam. Hæc omnia debent ieiuni facere; neque illi antea comedunt, qui ipſos mittunt in aquam.* *In-*

(1) Apud ECCARDUM T. II. Rer. *Francic.* præmittitur tit. *Aquæ calidæ & ferri candentis iudicium*: eaque, quæ hic deſunt ſupplentur: tum additur *iudicium panis & caſei.*

Digitized by Google

Inquiſitus aliquis de furtu, vel luxuria, adulterio, vel qualicunque re alia, & nolens confiteri magiſtro ſeniori vel aliis, iſta erit ratio. Pergens ſacerdos ad eccleſiam induat ſe veſtimentis ſacris, excepta caſula, ferens in leva ſanctum evangelium cum chriſmario, & patrociniis Sanctorum, calicemque, crimine implicito, in atrio eccleſiæ, dicat aſtanti plebi in oſtio eccleſiæ. Videte fratres chriſtianæ religionis officium. Ecce lex in qua ſpes & remiſſio peccatorum hic chriſmatis unctio; hic corporis & ſanguinis Domini conſecratio. Videte ne tantæ beatitudinis hæreditate, & conſortio privemini, implicantes nos ſceleri alieno, quia ſcriptum eſt: non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte.

Ordo probandi per aquam, ignitos vomeres, panem & caſeum &c. (1)

Ex Cod. Rhenaugienſi ſac. XI. aut XII.

. . . . *peccata* veſtra. Quod ſi vos *non dimiſeritis*, nec Pater veſter qui in cœlis eſt dim*ittet* vobis peccata veſtra. . . . *Offert. De profundis cla*mavi ad te Dne.

Secreta.

Ab omni reatu *nos*, *Domine*, *ſancta quæ tracta*mus abſolvant & eadem nos muniant a totius pravitatis & diabolicæ illuſionis incurſu. Per.

Com. Amen dico vobis, quidquid.

Ad Complendum. Conſpirantes contra tuæ plenitudinis firmamentum dextræ tuæ virtute proſterne, ut iuſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur falſitas veritati.

Alia. Oſtende nobis Dne miſericordiam tuam ad examinandum rectum iudicium, ut per adventum Spiritus ſancti omnis falſitas diabolicæ artis, procul remota exiſtat. Per.

Coniuratio. *Ad*iuro vos homines per Patrem, *& Filium*, *& Spiritum ſanctum*, *& per* ſanctam Trinitatem, *& per invocationem unigeniti* Filii, & per veſtram (tuam) *Chriſtianitatem*, *quam* accepiſtis (i), & per ſanctum evangelium, & per iſtas reliquias, quæ in iſta eccleſia ſunt, ut non præſumatis (mas) ullo modo communicare neque accedere ad altare, ſi vos (tu) hoc feciſtis (ti), aut conſenſiſtis (ti), aut ſcitis (ſciſti) quis hoc fecerit. *Hic incipiunt VII. pſalmi penitentie. Et ſequens Letania.*

Kyrieleyſon. Xpel.
Chriſte audi nos.
Salvator mundi. adiuva nos.
Sca Maria. or.
S. Michael. or.
S. Gabriel. or.
S. Raphahel. or.
Omnes ſci angeli & archangeli. orate pro.
S. Iohannes. or.
S. Petre. or.
S. Paule. or.
S. Andrea. or.
S. Iacobe. or.
S. Philippe or.
S. Bartholomee. or.
S. Matthee. or.
S. Thoma. or.
S. Thathee. or.
S. Simon. or.
S. Mathia. or.
S. Barnaba. or.
S. Marce. or.
S. Luca. or.
Omnes ſci Apli. or.
S. Stephane. or.
S. Laurenti. or.
S. Clete. or.
S. Clemens. or.
S. Sixte. or.
S. Corneli. or.
S. Cypriane. or.
S. Alexander. or.
S. Felix. or.
S. Agappite. or.
S. Caliſte. or.
S. Marcelle. or.
Omnes ſci martyres. orate pro nobis.
. . . .
. . . .
. . . .
S. Ambroſi. or.
S. Severine. or.
S. Auguſtine. or.
S. Ieronime. or.
S. Servaci. or.
S. Silveſter. or.
S. Damaſe. or.
S. Leo. or.
S. Euſebi. or.
S. Gregori. or.
Omnes ſci Confeſſores orate pro nobis.
S. Felicitas. or.
S. Perpetua. or.
S. Petronella. or.
S. Agnes. or.
S. Agatha. or.
S. Cecilia. or.
S. Iuliana. or.
S. Lucia. or.
S. Tecla. or.
S. Affra. or.
S. Columba. or.
S. Anaſtaſia. or.
S. Suſanna. or.
S. Eugenia. or.
S. Eufemia. or.
Omnes ſcæ Virgines & Viduæ orate pro nobis.
Omnes ſci infantes & innocentes. or.
Omnes ſci pœnitentes. orate pro.
Omnes ſci monachi & heremite. or.
Omnes Sci orate pro nobis.

Propitius

(1) Codex hic ab initio & fine mancus, in medio quoque quasdam habet lacunas: quas aliunde ſupplere haud facile fuerit, unde ea ſolum ex MARTENIO litteris minuſculis reſtituimus, quæ in noſtro codice vetuſtate vel exeſa, vel attrita ſunt. Facile autem liquet, totam Miſſam hic fuiſſe poſitam, quum ad faciendum iudicium probationis in frigida aqua ex MS. codice S. VICTORIS *Pariſienſis* exhibet idem MARTENIUS T. II. de antiquis Eccleſiæ ritibus. p. 942. quæ enim hic habentur ab initio, ultima ſunt Evangelii ibidem perperam ex IOANNE citati, quum habeatur MARCI XI. Sic vero orditur codex.

Digitized by Google

Propitius eſto. parce nobis Dne.
Propitius eſto. libera nos Dne.
Ab omni malo. libera nos D.
A morbo malo. libera nos D.
A periculo mortis. libera nos D.
Ab omni iniquitate. libera nos D.
Per crucem & paſſionem tuam. l.
Peccatores. te rogamus audi.
Ut pacem nobis dones. te.
Ut ſanitatem nobis dones. te.
Ut remiſſionem peccatorum nobis dones. te rog.
Ut aeris temperiem bonam nobis dones. te.
Ut fruges terræ nobis dones, te.
Ut domnum apoſtolicum in ſancta religione conſervare digneris, te rog.
Ut regem noſtrum & exercitum Chriſtianorum perpetua proſperitate conſerves.
Ut cis vitam, ſanitatem atque victoriam donare digneris. Te rogam.
Pro huius negotii qualitate. Te rog. audi.
Ut iuſticie non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur falſitas veritati. Te rog.
Ut iuſtum iudicium diſcernere digneris. Te rog.
Fili Dei te rogamus audi.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi miſerere nobis.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi parce.
Chriſte audi nos.

Kyrieleyſon. Chriſte el. Kyriel. Pater noſter. Iuſtus es Dne, & rectum iudicium tuum. Oſtende nobis Dne miſericordiam tuam. Et ſalutare tuum da nobis. Fiat miſericordia tua Dne ſuper nos. Quemadmodum. Converte nos Deus. Et averte iram tuam a nobis. Miſerere noſtri Dne. Miſerere noſtri. Non nobis Dne non nobis. Sed nomini tuo da gloriam. Dne exaudi orationem meam. *Pſ.* Deus miſereatur noſtri. Dne Deus virtutum converte. Et oſtend. Dnus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.

Benedictio Ferri iudicialis or.

Benedic Dne per potentiæ tuæ virtutem hoc genus metalli, ut in eo propter nomen ſanctum tuum omni demonum falſitate procul remota omnique faſcinatione & fallacia infidelium ſublata veriſſimi iudicii tui fidelibus tuis veritas patefiat, quatenus laudabile & glorioſum nomen tuum in ſancta ecclefia tua ſemper glorificetur. Per.

Oratio ante iudicium facienda.

Deus plaſmator hominum & totius bonitatis auctor, reſpice ſuper nos famulos tuos ad te toto corde clamantes, & præſta propitius per interventum unigeniti Filii tui Dni noſtri Ieſu Chriſti, ut in hoc examinationis iudicio non prævaleant aliqua falſitatis iacula inimici, ſed manifeſtetur per te veritatis & declaretur rectitudo iuſticie. Per eundem.

Benedictio Ferri ferventis ad iudicium Dei.

Deus omnipotens, Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus omnium bene viventium, Deus origo & manifeſtatio omnis iuſtitiæ, qui ſolus eſt (es) iuſtus iudex, fortis & patiens; dignare nos exaudire famulos tuos orantes ad te pro benedictione huius ferri. Unde rogamus te Domine iudicem univerſorum, ut mittere digneris ſanctam & veram benedictionem tuam ſuper hoc ferrum, ut ſit refrigerium illud portantibus & habentibus iuſtitiam, & credentibus in tuam iuſtitiam & fortitudinem; & ſit ignis ardens iniqui, & facientibus iniqua, & credentibus in iniuſtitiam ſuam, & iniuſtam pompam diabolicam. Converte Domine incredulitatem iniuſtorum per virtutem & per benedictionem tuam, & per invocationem ſanctæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti; & mitte in hoc ferrum vim virtutis tuæ ac veritatis, ut in eo ſemper per miſericordiam & veritatem tuam veriſſima iuſtitia, quæ tibi ſoli cognita eſt, fidelibus tuis ad emendationem iniquorum manifeſtiſſime declaretur, de quacumque quæſtione ratio fuerit agitata, & nullam poteſtatem habeat diabolica virtus veritatem tuam aut occultare aut depravare; ſed ſit ſervis tuis in munimentum fidei ad credulitatem divinæ maieſtatis tuæ, & ad certificationem manifeſtiſſimæ miſericordiæ ac veriſſimæ tuæ veritatis. Per.

Alia. Deus iudex iuſtus, qui auctor pacis es, & iudicas æquitatem, te ſuppliciter rogamus, ut hoc ferrum ordinatum ad iuſtam examinationem cuiuslibet dubietatis faciendam benedicere & ſanctificare digneris, ita ut ſi innocens de prænominata cauſa, unde purgatio querenda eſt, hoc ferrum ignitum in manus acceperit (int), vel pedes immiſerit (int), illæſus (i e) appareat (ant) & ſi culpabilis (es) ſit (ſint) aut reus (i. e) iuſtiſſima ſit ad hoc virtus tua, in eo cum veritate declarandum, quatinus iuſticie non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur falſitas veritati, Per. (1) Benedictio Dei Patris & F. & Sp. ſci deſcendat ſuper hoc ferrum, ad diſcernendum verum Dei iudicium.

Oratio aqua igne ferventis ad Dei iudicium faciendum. Deus iudex iuſtus fortis & patiens, qui auctor es pacis & iudicas æquitatem, tu iudica

(1) Ultima hæc deſunt in MARTENIO.

Digitized by Google

dica quod iuſtum eſt Dne, & rectum iudicium tuum, qui reſpicis ſuper terram, & facis eam tremere. Tu Deus omnipotens, qui per adventum Filii tui Dni nri Ieſu Chriſti mundum ſalvaſti, & per ſanctiſſimam paſſionem genus humanum redemiſti, tu ſanctifica hanc aquam igne ferventem, qui tres pueros Sydrac Myſac & Abdenago iubente rege Nabuchodonoſor in camino ignis accenſa fornace ſalvaſti illæſos, & per angelum tuum eduxiſti. Tu clementiſſime dominator præſta, ut ſi innocens (tes) de hoc furto vel de hoc ſtupro hanc aquam igne ferventem manum (manus) ſuam (as) miſerit (int), ſicut tres pueros ſupra dictos in camino ignis ſolviſti, & Suſannam de falſo crimine liberaſti, ita de hac aqua igne fervente ſalvum & inlæſum educas. Si vero culpabilis ingravante diabolo cor induratum præſumpſerit, in hanc aquam igne ferventem manum ſuam mittere, tua iuſtiſſima veritas hoc declaret, & in huius corpore tuam veritatem manifeſta, ut anima per penitentiam ſalvetur, & ſi culpabilis per aliqua maleficia aut per herbas peccata ſua contueri voluerit, tua dextera hoc evacuare dignetur. Per unicum Dnum nrum Ieſum Xpm Filium tuum. Qui tecum.

Alia. Benedico te creatura aquæ per ignem ferventis in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ex quo cuncta procedunt, adiuro te per eum, qui te ex fluminibus quatuor totam terram rigare præcepit, & de petra produxit, & te in vinum convertit, ut nullæ inſidiæ diaboli neque malitia hominis te a veritate iudicii ſeparare poſſint, ſed punias noxium (os am as), & illeſum purifices, & innocentem. Per eum quem nulla latent occulta, & qui miſit te per diluvium ſuper univerſum orbem, ut peccatores deleres, & adhuc venturus es (eſt) iudicare vivos ac mortuos, & ſeculum per ignem.

Alia. Omnipotens Deus, te ſuppliciter deprecamur pro huius negotii examinatione, quam modo hic inter nos ventilamus, ut iuſtitiæ non dominetur iniquitas, ſed ſubdatur falſitas veritati, & ſi aliquis hanc præſentem examinationem per aliquod maleficium aut per herbas terræ tegere vel impedire voluerit, tua ſancta dextera iuſtiſſime iudex evacuare digneris.

Alia. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus, qui tua iudicia incommutabili diſpoſitione iuſtus ubique iudex diſcernis, tu clemens in hoc iudicio ad invocationem ſancti tui nominis, quod a te intentio fidelium implorat, tua iuſtiſſima examinatione declara. Per. *Poſtea vero fumo myrra odoretur & ſumetur caldariata, ſubtus quam & in circuitu, & ſic omne furtum probabitur.*

Benedictio Aquæ frigidæ ad iudicium Dei.

Omnipotens ſempiterne Deus, adeſto invocationibus noſtris, & hanc aquam ad hunc (hos has) hominem (es) purificandum præparatam virtute tuæ benedictionis infunde, & ſalubritas per tui nominis invocationem expetita ſit ab omni impugnatione antiqui hoſtis defenſa. Per.

Adiuratio.

Adiuro te (vos) homo (mines) per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, per diem tremendi iudicii, & per quatuor evangeliſtas, & per XXIIII. ſeniores, qui indefeſſa voce Dnum laudant, & numquam conceſſant. Adiuro te per XII. Aplos & per C. quadraginta IIII. millia innocentium, qui pro Chriſto paſſi ſunt, per victoriam martyrum, & per invocationem ſacri baptiſmatis tui. ut ſi tu de hac re culpabilis ſis ſive in facto aut aliquo modo indurato corde a diaboli ſuggeſtione ad hoc iudicium non præſumtuoſus accedas, & aqua te non ſuſcipiat, & hoc ſigno crucis Chriſti tuæ malitiæ appareat, & virtus omnipotentis Dei manifeſtetur. Per eundem.

Benedictio eiusdem Aquæ.

Dne Deus omnipotens, qui baptiſmum in aqua fieri iuſſiſti, & per lavacrum regenerationis humano generi remiſſionem peccatorum donare dignatus es, ſanctifica quæſumus hanc aquam, & iuſtum in ea diſcernendum iudicium, qui ſolus es iuſtus iudex & fortis, ut ſi reus ſit homo iſte de prænominata re, aqua quæ eum in baptiſmo ſuſcepit, nunc non recipiet: ſi autem inculpabilis & innocens ſit inde, aqua quæ eum in baptiſmo ſuſcepit, nunc in ſe recipiat, & ſi mundus & innocens ſit inde, ſanus de profundo huius aquæ abſtrahatur. Per.

Adiuratio. Adiuro te aqua in nomine Patris omnipotentis, qui te in principio creavit, & te iuſſit miniſtrare humanis neceſſitatibus, qui te iuſſit ſegregari ab aquis ſuperioribus. Adiuro te etiam per ineffabile nomen Ieſu Chriſti Filii Dei omnipotentis, ſub cuius pedibus ambulanti in mari te calcabilem præbuiſti, qui in te etiam baptizari voluit. Adiuro te etiam per Spiritum ſanctum, qui ſuper Dnum baptizatum aſcendit Adiuro te per nomen ſanctæ & individuæ Trinitatis, cuius voluntate aquarum elementum diviſum eſt, & populus Iſrael per illud ſiccis pedibus tranſiit, ad cuius invocationem Helias ferrum, quod de ma-

Digitized by Google

nubrio exierat, ſuper aquam natare fecit, ut nullo modo ſuſcipias hominem hunc N. ut ſi in aliquo eſt culpabilis, quod eis obiicitur. Per.

Tertia Adiuratio.

Si in aliquo eſt culpabilis ille,pro quo iſte ad probationem mittendus eſt, ſcilicet aut per opera, aut per conſenſum,aut per ſcientiam,aut per ullum ingenium,fac eum ſuper te natare,& nulla poſſit a te cauſa eſſe aliquo modo facta, aut per ullum præſtigium, quo illud non poſſit manifeſtari. Adiuro autem te per nomen Chriſti, & præcipio tibi, ut nobis obedias per nomen eius, cui omnis creatura ſervit, quem Cherubim & Seraphim collaudant dicentes ſanctus ſanctus ſanctus Dnus Deus exercituum, qui etiam regnat & dominatur per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Quarta Adiuratio.

Deus qui maxima quæque Sacramenta in aquarum ſubſtantia condidiſti: adeſto propitius invocationibus noſtris, & elemento huic multimodis purificationibus præparato virtutem tuæ benedictionis infunde, ut creatura myſteriis tuis ſerviens ad diabolicas & humanas fallacias detegendas, ad eorum argumenta & figmenta diſſolvenda, atque multivomes (*lege* multiformes)eorum artes deſtruendas divinæ gratiæ ſumat effectum. Diſcedant hinc omnes inſidiæ latentis inimici, quatinus veritas de his, quæ a nobis divini ſenſus & alieni cordis ignaris requiruntur, tuo iudicio expetita, per invocationem tui ſancti nominis patefacta clareſcat: & ne unde requirimus, innocens iniuſte damnetur, neque nocens a te, qui lux vera es, cuique non ſunt obſcuræ tenebræ, & qui illuminas tenebras noſtras, quærentibus veritatem impune poſſit deludere, Te, quem occulta non tranſeunt oſtendente, & virtute tua, qui occultorum es cognitor, declarante fiant (*lege* fiat) hinc nobis in te credentibus veri cognitio manifeſta. Per.

Quinta Adiuratio.

Adiuro te homo N. per invocationem Dni noſtri Ieſu Chriſti ad iudicium aquæ frigidæ. Adiuro te per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, & per Trinitatem inſeparabilem, & per omnes. *Deſunt hic duo folia in MS.*

*Ver*bum caro factum eſt & habitavit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi Unigeniti a Patre, plenum gratia & veritate.

Iudicium ad Vomeres.

Dne Deus omnipotens, qui creaſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, qui hominem ad imaginem tuam formaſti, qui Filium tuum unigenitum Dnum nrm Ieſum Chriſtum cooperante Spiritu ſancto in uterum intemeratæ Virginis miſiſti, qui ex illa eum carnem humanam ſumere voluiſti, per illius dilectiſſimi Filii tui Dni nri Ieſu Chriſti nomen atque per merita ſanctæ Dei genitricis Mariæ te invocamus, tuamque maieſtatem ſupplices exoramus, ut in hoc examinationis iudicio evaneſcere iubeas omnes verſutias diabolicæ fraudis calliditatiſque, ſive incantationes hominum ſive mulierum, nec non & valitudines herbarum, ut omnibus circumſtantibus appareat, quia tu es iuſtus & iuſtitiam diligis, & non eſt, qui reſiſtat maieſtati tuæ. Ideoque dominator Dne cœlorum & terræ, creator aquarum, rex univerſæ creaturæ tuæ, in tuo ſancto nomine atque virtute benedicimus hos vomeres ad diſcernendum iudicium verum, ut ita, ſi iſte homo innocens ſit de huius rei inqueſtione, quam inter nos ventilamus & tractamus, qui nudis pedibus ſuper eos ambulaverit, tu Deus omnipotens ſicut liberaſti tres pueros de camino ignis ardentis, & Suſannam de falſo crimine, & Danielem de lacu leonum, ſic innocentes pedes tua potenti virtute falſos (ſalvos) & illeſos conſervare digneris. Si autem iſte homo culpabilis ſit de prænominata re, & ſuadente diabolo tuam potentiam auſus tentare fuerit, & ſuper eos ambulaverit, tu qui iuſtus es & iudex, fac manifeſtam in eius pedibus apparere uſtionem tibi ad honorem & laudem (&) gloriam, nobis autem ſervis tuis ad conſtantiam & confidentiam nominis tui, perfidis autem & obcæcatis ad confuſionem & penitentiam peccatorum ſuorum, ut inviti cognoſcant, quod ſponte noluerunt, te eſſe iudicem vivorum atque mortuorum viventem atque regnantem in ſecula ſeculorum amen.

Relicto duarum linearum ſpatio, quarum littera ſtudio videntur eraſa, pergit.

Adeſto Dne ſupplicationibus noſtris, ut quod noſtræ humilitatis gerendum eſt miniſterio, intercedentibus omnibusSanctis tuis tuæ virtutis impleatur effectu. Per.

Perveniat (*l.* præveniat) nos quæſumus Dne miſericordia tua, & voces noſtras clementia tuæ propitiationis anticipet. Per.

Exorcizo te creatura ſalis per Deum vivum, per Deum verum, per Deum ſanctum, qui te per Heliſeum prophetam in aquam mitti iuſſit, ut ſanaretur ſterilitas aquæ; ut efficiaris ſal exorcizatum ad ſalutem credentium, & ſis omnibus te ſumentibus ſanitas animæ & corporis: effugiat atque diſcedat ab eo loco, quo aſperſus fueris, omnis

Digitized by Google

omnis fantaſia & nequitia vel verſutia diabolicæ fraudis, omnisque ſpiritus immundus adiuratus, per eum, qui venturus eſt iudicare vivos.

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Dei Patris omnipotentis, & in caritate Dni noſtri Ieſu Chriſti, & in virtute Spiritus ſancti: exorcizo te per Deum vivum, per Deum verum, per Deum ſanctum, qui te ad tutelam humani generis procreavit, & populo venienti ad credulitatem per ſervos ſuos conſecrari præcepit, ut in nomine ſanctæ Trinitatis efficiaris ſalutare ſacramentum ad effugandum inimicum.

Proinde rogamus te Domine Deus noſter, ut hanc creaturam ſalis ſanctificando ſanctifices, & benedicendo benedicas, ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina, permanens in viſceribus eorum in nomine Dni noſtri Ieſu Chriſti, qui.

Exorcizo te creatura ſalis per nomen Dni nri Ieſu Chriſti, per gloriam & regnum eius, per omnipotentiam & virtutem eius, per illum redemptorem & ſalvatorem mundi te exorcizo, qui.

Annualis benedictio Putei.

Deprecamur Dne clementiam pietatis tuæ, ut aquam putei huius cœleſti benedictione ſanctifices, & ad communem vitam concedas ſalubrem, & ita ex eo fugare digneris omnem diabolicæ tentationis incurſum, ut quicumque ex eo hauſerit biberitve, vel in quibuslibet neceſſariis uſibus hauſta aqua uſus fuerit, totius ſanitatis ac virtutis dulcedine perfruatur, ut tibi ſemper ſanctificatori & ſalvatori omnium Dno gratias agere mereatur. Per.

Super vaſa in antiquis locis reperta.

Omnipotens ſempiterne Deus, inſere te officiis noſtris, & hæc vaſcula arte fabricata gentilium ſublimitatis tuæ potentia ita mundare digneris, ut omni immunditia depulſa ſint tuis fidelibus tempore pacis ad (ac) tranquillitatis utenda. Per.

Alia. Deus qui in adventu filii tui Dni noſtri omni tuis mandaſti fidelibus; adeſto propitius invocationibns noſtris, & hæc vaſcula, quæ tuæ indulgentia pietatis poſt (p') ſpatia temporum a voragine terræ abſtracta humanis uſibus reddidiſti, gratiæ tuæ largitate emunda. Per.

Benedictio ad Fruges novas.

Oremus pietatem tuam omnipotens Deus, ut has primitias creaturæ tuæ (quas) aeris & pluviæ temperamento nutrire dignatus es, benedictionis tuæ imbre perfundas, & fructus terræ tuæ ad matu... *Definit pagina, & ſequuntur alia, ſed coæva, manu ſcripta:* ſalutare generi humano, & per invocationem . . . ut quicumque ex . . . ſumpſerint, corporis ſanitatem & animæ tutelam percipiant.

Benedictio ad omnia quæ volueris.

Benedic Dne hanc creaturam arborum, quam tua nobis largitas (te) ad perfruendum dare dignatus es, & præſta clementiſſime Pater, ut dum harum arborum fructu in nomine ſanctæ Trinitatis veſcimur, ſempiternæ tuæ benedictione (is) participemus. Per.

Alia. Creator & conſervator humani generis, dator gratiæ ſpiritalis, largitor æternæ ſalutis, tu Dne emitte Spiritum tuum ſanctum ſuper hanc creaturam tuam H. ut armata virtute cœleſtis defenſionis, qui ex ea guſtaverint, proficiat illis ad æternam ſalutem. Per. in unitate eiusdem Spiritus ſancti.

Benedictio Vexilli bellici.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui es cunctorum benedictio, & triumphantium fortitudo. (1) & cœleſtis præſidii ſperantibus in te præſtas auxilium. Per.

Benedictio Enſis novi.

Exaudi quæſumus Dne preces noſtras, & hunc enſem &c.

Alia. Famulum tuum &c.

Alia. Benedic Dne ſancte Pater omnipotens &c. *Tunc cantantur iſta antiphonæ;* Specioſus forma &c.

Item Oratio:

Omnipotens ſempiterne Deus, qui famulum tuum N. &c.

Benedictio novi Putei.

Dne Deus omnipotens, qui in huius putei altitudine per crepidinem fiſtularum aquarum copiam emanare iuſſiſti, præſta, ut te iubente atque benedicente per noſtræ officium functionis repulſis hinc fantaſmaticis calliditatibus atque inſidiis diabolicis purificatus atque mundatus hic puteus ſemper perſeveret. Per.

Oratio ubi negligentia contigit.

Dne ſancte Pater omnipotens æterne Deus, qui per inviſibilitatis potentiam has aquas viſibiles præbuiſti, te tui famuli ſupplices exoramus, ut aquas has, quas negligentia polluit, ſancti Spiritus gratia ad munditiam revocet atque purificet, ut ſpiritus callidi hoſtis abſcedat, ac deinceps ſanctificatas familiæ tuæ potabiles tribuas, ut & potan-

(1) Sequentia habes ſupra p. 110. ſeq.

Digitized by Google

potantium mundet (nt) corpora cordaque ſanctificent. Per.

Oratio ad iudicium Panis & Caſei.

Ayos ayos ayos (agios) ſancte Pater, qui es inviſibilis æterne Deus omnium rerum creator, qui arcana q' proſpicis, & cuncta cognoſcis, qui ſcrutaris corda renesque Deus. Deus qui liberaſti Moyſen & Aaron de terra Ægypti, David *Saul regis*, Ionam de ventre ceti, Petrum de fluctibus, Paulum de vinculis, Theclam de beſtiis, Suſannam de falſo crimine, tres pueros de camino ignis ardentis, Danielem de lacu leonum, paralyticum de grabbato, Lazarum de monumento; oſtende nunc nobis miſericordiam tuam, ut qui hæc furta, quæ hic ſubnotantur, admiſerint, panis vel caſeus iſte fauces nec guttura eorum tranſire poſſint. Per.

Exorciſmus eiusdem.

Exorcizo te maledicte & immundiſſime draco & ſerpens noxius, per verbum veritatis, per Dnm omnipotentem & Ieſum Chriſtum Nazarenum agnum immaculatum de altiſſimis miſſum, de Spiritu ſancto conceptum, ex Maria virgine natum, quem Gabriel angelus annuntiavit venturum, quem cum vidiſſet Iohannes clamavit voce magna dicens: hic eſt filius Dei vivi: & (*l.* ut) nullo modo dimittas communicare pane vel caſeo iſto eos, qui hæc furtu, quæ litteris annotavimus, admiſerint, & (qui) de hoc crimine neſcii ſunt manducent, & qui conſcii eſſe videntur, ſtatim tremebundi evoment. Per.

Alia. Suggero tibi Pater omnipotens æterne Deus, qui cœlum terramque fundaſti, mare limitibus formaſti, & ipſum cœlum fabricaſti, & magna luminaria videlicet ſolem & lunam ſuper iuſtos & iniuſtos fulgere iuſſiſti: fac Dne ſignum tale, ut omnis mundus omnisque terra intelligat, quia tu es Deus, qui facis mirabilia magna ſolus, Dne Ieſu Chriſte Fili Dei vivi: ut qui res iam dictas, quæ continentur ſubſcriptæ, & qui ex his conſcii & conſcientes eſſe videntur, ut gulæ & linguæ vel fauces eorum ita fiant conſtrictæ & obligatæ, ut caſeum iſtum non poſſint manducare. Per.

Adiuratio virorum,

hic dividatur panis & caſeus unicuique ſummentium untia dimidia.

Admoneo vos fratres in nomine Domini Ieſu Chriſti Nazareni, ut ſi quis iſtos ex vobis res furatus eſt, aut aliquo modo pollutus eſt, procedat in medium, & profiteatur coram ſancto altari, & ſatisfaciat. Sin autem noluerit, ſed arrogantia timidus (*l.* tumidus) introierit iudicium, ſentiat magnum iudicem eſſe Ieſum (*ſc.* Ioſue) ſuper ſe, qui quondam cupidum de ſpoliis victum interemit, ſtringat & fauces eius Heliſeus propheta qui mi (*ſ.* miniſtri) furtum deprehendit, gladius Petri apli aſtet animam Ananiæ ac Saphiræ verberans. Ideo ammoneo, ut detis gloriam Deo, & confiteamini illi ne introeatis in tentationem.

Adiuratio. Adiuro te immaniſſime draco, ſerpens antique, per verbum veritatis & ſignum claritatis Dni nri Ieſu Chriſti agni immaculati de altiſſimis procreati, ut nulla tua arte impediatur, ſed iudicium rectum Dei exiſtat. Et qui de hoc furto conſentiens fuerit, iudicium Dei ſpumato ore & ſtrangulato gutture patefaciat qui æquitatem (diligit *omiſſ.*) in omni tempore, qui benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Quando in os ſumentis mittitur, dicatur hac. Coniuro te o homo per Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, per tremendum iudicii diem, per quatuor Evangeliſtas, per duodecim Aplos, ſedecim prophetas, per viginti quatuor ſeniores, qui quotidie cum laudibus Deum adorant; per illum redemtorem, qui pro noſtris peccatis (mori *omiſſ.*) in ſancta cruce dignatus eſt, ſi de hoc furto, inde (*l.* unde) moderatio (*ſ.* modo ratio) agitur, culpabilis es vel mixtus, aut feciſti, aut ſciſti, aut baiolaſti, aut conſenſiſti, hoc tibi ordinatum ſit de manu Dei, ut panem vel caſeum iſtum non poſſis manducare niſi cum flato ore cum ſpuma & gemitu & dolore & lacrimis, & faucibus tuis conſtrictis & obligatis. Per eundem.

Primo . . iſta coniuratio.

Deus angelorum & archangelorum, Deus prophetarum & patriarcharum, Deus apoſtolorum & martyrum, Deus confeſſorum & virginum, Deus pater Dni nri Ieſu Chriſti, qui in mundi exordio hominem ad ſimilitudinem tuam propria voluntate formaſti, præceptumque ei dediſti, ut vetitum non tangeret pomum qw (. . .) transgreſſione multos luit annos quamque immenſa propitiaque tua divinitas in homine aſſumto tulit e vinculo ſervum reſtituitque genus humanum perpetua clementia regno, inclina ad precem humilitatis noſtræ & oſtende in nobis miſericordiam tuam, ut qui contra præceptum tuum & adverſus inſtituta legalia & evangelica & per apoſtolica furtum perpetrare non metuunt, virtutem tuam † per hanc creaturam panis & caſei ſentiant adveniſſe, ut ſi quis de his, quorum nomina hic tenent coinſerta, ſive de his rebus, quæ in breviculo tenentur, aliquid furatus eſt, aut conſentiens fuit, aut quolibet modo commixtu, aut ſi reddere in

præſenti

Digitized by Google

præſenti vel confiteri noluerit coram omnibus, panis vel caſei iſtius partem datam transglutire non poſſit, ſed ſpumato ore ac ſputo ſanguine mixto, faucibusque conſtrictis convinctus appareat: & qui innocens & illæſus eſt, cum gratiarum actione ſumat & lætus abſcedat: quia tu Dne iudex es iuſtus & verus, ſcrutans renes & corda, & tu ſolus ſciens cogitationes hominum. Ne perdas iuſtum cum impio, ſed æquitatem miſericordiæ tuæ in illis oſtende, ut quomodo in aqua benedictionis & maledictionis pudicitiam & typum decreviſti veteri quondam in lege, ita quoque noſtris temporibus in hac nunc tua creatura operare miracula, ut omnes fines terræ timerent iudicia tua, quia tu es Deus benedictus in ſecula ſeculorum. Amen.

Item exorciſmus.

Exorcizo te creatura panis & caſei, per Deum omnipotentem, & Ieſum Chriſtum Filium eius Dnum nrum & Spiritum ſanctum procedentem a Patre & Filio unum Deum in Trinitate, iudicem vivorum ac mortuorum. Adiuro te per ſanctos angelos eius atque per omnem militiam cœli, ut ſi qui ex his ſumere voluerit, te, qui de his quæ in hoc brevi. (1)

Impoſitio manuum Energumen. Caticuminum.

Ex Sacramentario Rhenaug. antiquiſſimo.

Omnipotens æterne Deus, cuius facie cœli diſtillant, montes ſicut cera liqueſcunt, terra tremuit, cui patent abyſſi, quem infernus paveſcit, quem omnes irarum motus aſpiciens humiliatur, Te ſupplex deprecor Dominator Dne, ut invocatione nominis tui ab huius famuli tui il. vexatione inimicus confuſus abſcedat, & ab huius poſſeſſione anima liberata ad auctorem ſuæ ſalutis recurrat, liberatoremque ſuum diabolico fœtore depulſo, & odore ſuaviſſimo Spiritus ſancti percepto ſequamur. Per. g. gg.

Item alia pro Energumeno.

Domine ſancte Pater omnipotens ſempiterne Deus, virtutem tuam totis exoro gemitibus pro huius a diabolo oppreſſa infantia, qui etiam indignis inter preſſuras donaſti præſidium, exſurge pro infancia debellata, & noli diu retinere vindictam,

(1) Hæc deſinit codex. Præter hæc tam varia, quæ ex codd. liturg. *Alemaunicis* retulimus, ſunt & alia id genus a laud. BRUNIO notata. Copioſe imprimis agit de *virga divina*, ut vocat CICERO in lib. I. de Off. uti quidem varia proh dolor ſuperſtitionis genera Chriſtianiſmo ſunt illata, atque etiam chriſtianis ritibus rebusque ſacris veluti obvoluta: „Ut illi ipſi (utor S. AUGU„STINI verbis Tr. VII. in IOAN. c. 1. p. 344.) qui ſe„ducunt per ligaturas, per incantationes, per machina„menta inimici miſceant præcantationibus ſuis nomen „Chriſti: quia iam non poſſunt ſeducere Chriſtianos, „ut dent venenum, addunt mellis aliquid, ut per id, „quod dulce eſt, lateat, quod amarum eſt, & biba„tur ad perniciem.“ Sic ſcimus abuſos etiam malignos ipſo ſacratiſſimo Corpore Domini, verbisque conſecratoriis ac aliis ſacris formulis, rebusque ſacris aqua baptiſmali, cereis benedictis, particulis æri campani benedicti, ornamentorum ſacerdotalium &c. Nihil frequentius eſt initio evangelii S. IOANNIS, quod notat BRUNIUS in uſu pulveris ſympatetici virgæque divinatoriæ, ad recondita manifeſtanda metalla, aquas &c. Incidunt etiam virgis figuram e. c. crucis, nomina CASPAR, MELCHIOR, BALTHASAR, quales *Pariſiis* ſervari ſatis antiquas teſtatur BRUNIUS. Recitant item qui virgam tenent, pſalmum *De profundis &c. Credo videre bona Domini in terra viventium*, ut ex WIERIO de Præſtig. dæm. lib. IV. c. 9. BODINO Dæmon. lib. II. c. 3. obſervavit BRUNIUS libroque VII. c. 2. tria circa eam rem ſtatuit poſt longam disquiſitionem p. 338. 1) Quod virgula ſine arte & fraude in nonnullorum manibus ſe moveat. 2) Quod non ſemper ſe inclinet, & quod quandoque deceptio aut illuſio interveniat 3) Quod quandoque ſe flexerit, ubi nec aqua nec metallum. Puellæ virga hac uti ſolitæ ſuaſit BRUNIUS, ut precibus, ſeceſſu ſacro & ſacra communione Deum precetur; quod ipſe ſacrificio miſſæ faciebat, rogabatque, ut ſi qua diaboli opera eo in uſu intercederet, Deus effectum impediret, quod & factum, necquidquam ſe virga inclinante, uti legere eſt in Elogio hiſtor. BRUNII operi edit. nov. an. 1750. præmiſſo T. I. p. XXVIII. Agitur poſtea p. XIV. ſeq. de eiusdem virgæ uſu maxime ſuperſtitioſo ad detegendos facinoroſos, limites transpoſitos &c. Quo in genere fraudis cum maxime celebretur *Iacobus* AYMAR, de eodem aliisque varia variorum iudicia affert BRUNIUS T. III. p. 177. abbatis etiam celebris *de la Trappe* ad MALEBRANCHIUM, cuius acutiſſimi Philoſophi aliorumque varias profert diſſertationes & epiſtolas cum reſponſoriis in utramque partem diverſo explicandi modo, qua ratione res ſaltem in detegendis metallis, aut aquis naturaliter accidat, aut ſuperſtitioſe ac per illuſionem humanam vel diabolicam, ſeu concurrente cauſa aliqua intelligenti, quæ ſeſe voluntati conſultantis accommodet, nec niſi ſuper eo, quod petitur detegi, ſe inflectit. Nobis pro cynoſura ſunt Conciliorum decreta, quæ varia legi poſſunt T. XV. Conc. ſæc. XVI. quo hæc ſuperſtitio maxime increbuit.

Digitized by Google

dictam, nec ante conſpectum tuum veniant parentum delicta, qui nec pro filio patrem nec patri promiſiſti filium iudicare, auxiliare quæſumus, inimici furtive (1) vexatum, ne ſine baptiſmate facias eius animum a diabolo poſſidere, ſed potius tenera ætas maligni oppreſſionibus libera tibi referat gratias ſempiternas, Per Dnm noſtrum Iheſum Chriſtum Filium tuum, qui venturus eſt iudicare . . . g. gg.

Item alia Energumen. baptizatum ſuper hominem qui a demonio vexatur.

Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus apoſtolorum, Deus martyrum, Deus virginum, Deus Pater Dni noſtri Iheſu Chriſti invoco ſanctum nomen tuum præclare Maieſtatis tuæ (*ſuppl.* clementiam ſupplex expoſco) ut mihi auxilium præſtare digneris adverſus hunc nequiſſimum ſpiritum, ut, ubicumque latet, audito nomine tuo velociter exeat, & recedat. Ipſe tibi imperat, qui te retrorſum redire precepit, audi ergo & ſatanas victus & proſtratus abſcede. In nomine Domini noſtri Iheſu Chriſti tu ergo nequiſſime ſatanas, inimicus fidei generis humani, mortis raptor (2) iuſticiæ declinator, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, perditor gentium, incitator invidiæ, origo avariciæ, cauſa diſcordiæ, excitator dolorum, demonum magiſter, quid ſtas & reſiſtis, cum ſcis eum tuas perdere vires, illum metue, qui in Iſaac immolatus eſt, in Ioſeph venumdatus, in agno occiſus, in homine crucifixus, deinde triumphator, recede in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

Deus conditor & defenſor generis humani, qui hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam manibus tuis, & proprio tuæ divinitatis ore formaſti, reſpice ſuper famulum tuum hunc, qui dolo ſerpentis adpetitur, quem vetus adverſarius & hoſtia (3) reformidinis horrore circumvolat, & ſenſum mentis humanæ ſtupore defugit (4) terrore conturbat, & metum trepidi timoris exagitat, repelle Dne, virtutem diaboli, fallaces inſidias, procul impius temptator auffugiat, ſit nominis tui ſigno famulus tuus & animo totus & corpore, tu pectoris huius interna cuſtodias, tu viſcera regas, tu corda conformes, in anima adverſariæ poteſtatis temptamenta vaneſcant. Da ad hanc invocationem nominis tui gratiam, & qui hunc uſque terrebat, territus habeat (*l.* abeat) & victus abſcedat, tibique poſſit hic ſervulus tuus corde confirmato & mente ſincera debitum prebere famulatum. Per.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus Oſanna in excelſis. Pater Domini noſtri Iheſu Chriſti, qui illum refugam tyrannum gehennæ deputaſti, qui Unigenitum tuum in hunc mundum miſiſti,ut illum rugientem leonem conteret (5), velociter adtende, adcelera ut eripias hominem tuis formatum manibus, a ruina & demonio meridiano. Da Domine terrorem tuum ſuper beſtiam, quæ exterminavit vineam tuam, da fiduciam ſervis tuis contra nequiſſimum draconem fortiter ſtare, nec contempnat ſperantes in te, & dicat, ſicut in Faraonem iam dixit, Deum non novi, nec Iſrael dimitto, urgeat illum Domine dextera tua potens diſcedere a famulis tuis, ne diutius preſumat captivum tenere hominem, quem ad imaginem tuam facere dignatus es. Adiuro te ergo ſerpens antique per iudicem vivorum & mortuorum per factorem mundi, qui habet poteſtatem mittere te in gehennam, ut ab hoc famulo Dei (6), qui ex his ſupplicium tuum creſcit, quoniam non hominem contempnis, ſed eum, qui dominator vivorum & mortuorum eſt, qui venturus eſt iudicare ſæculum per ignem.

Ex Cod. Bibl. Caſ. Vindob. Theol. 685. ſæc. X.

Quando venit aliquis vexatus a demone, tunc presbyter (7) *conſignet eum cum tribus collectis. Iubet*

(1) *leg.* furore.

(2) *Impreſſ.* mortis adductor, vitæ raptor.

(3) *Impreſſ.* hoſtis antiquus terræ &c.

(4) *Lege* defigit. (5) *leg.* contereret.

(6) *Supple ex impreſſis*: Qui ad Eccleſiæ ſinum recurrit, cum metu & exercitu furoris tui feſtinus diſcedas: qui quanto tardius exis, tanto magis ex his &c.

(7) Sunt, qui putent ab exorciſtis munus ordinis ſui eſſe exercendum, nequaquam a presbyteris; aliis econtra ſecus videtur, a presbyteris, quod hic præſcribitur, exorcizandum eſſe, quod apud *Græcos* fit ab antiqua traditione, ut *Iac.* GOAR in notis ad Euchologium *Græc.* obſervat, illuc etiam cum *Chriſt.* LUPO in Schol. ad cap. 41. TERTULLIANI *de Præſcriptionibus*, interpretatus can. 26. Conc. *Laodiceni*: *Quod hi, qui non ſunt ab epiſcopis ordinati, tam in eccleſiis, quam in domibus exorcizare non poſſunt.* Utrumque auctoritate epiſcopi faciendum eſſe S. INNOCENTIUS I. ad DECENTIUM *Eugubinum* reſcribit: *Ut autem fiat, epiſcopi eſt imperare, ut manus ei vel a presbytero, vel a cæteris Clericis imponatur.*

Digitized by Google

Iubet eum poſtea exire de eccleſia & deſpoliari veſtimentis ſuis in ſecreto loco. Interim autem cantet letaniam. Benedicat ſalem, & aquam. Tunc induat eum veſtimentis novis aſperſis cum aqua benedicta, & tunc vadat ante altare & ieiunet uſque ad nonam, & presbyter cantet miſſam pro eo, & det ei ſacrificium per VII. dies & maneat cum presbytero uſque ad XV. dies, nihil comedens niſi panem & ſalem, &, ſi presbyter permittit, piſces, legumina, cum benedictione ſalis & aquæ. Et ſi tunc non prævaluerit inimicum ſuperare, tunc faciat uſque dum Deus dignetur ſuper illum facere miſericordiam: quia Dominus dixit, hoc genus in nullo poteſt exire, niſi in oratione & ieiunio. *Nihil comedet neque bibet, niſi prius de aqua benedicta. Non comedat de capra. Nec caſeum, nec putirum. Nec nihil quæ illa generat. Nec caput illius pecudis. Nec de piſce. Et uſque ad XV. dies abſtineat ſe ab uxore ſua, & illa ſimiliter a viro ſuo. Et uſque ad plenum annum non comedet in die Dominico factum panem. Nec hanc carnem, quæ in ipſo die occiditur. Nec calidam cereviſſam in Dominico factam. Et nihil calidum manducat nec bibat, uſque dum vixerit.* Hec Liezan. (1)

Incipiunt Orationes contra Demoniacum.
Ex eodem Codice. (2)

Separa te a famulo Dei illo. immunde ſpiritus maledicte dampnatiſſime ſatanas! ſicut ſeparavit omps Ds cœlum a terra, lucem a tenebris, iuſticiam ab iniquitate, mendacium a veritate. Ecce imponitur tibi ſignum Dei mei. quod tu maligne inponere non potes. Solve nodos, ſolve catenas, ſolve ligamina. Te adiuro maledicte ſatana, fuge cum eſtu tuo de mundo hoc in terram Ægipti. Crepe velocius ſicut crepuit draco in Babilone ante pedes Dannihel ſervi Dei. & venient ſeptem angeli principes candidi. & lucerne ardentes ad conburendum te. ſemen Cain, filii tenebrarum fictæ latebræ, adverſator caſtitatis. Seductor animarum. aſperſator hereticorum, laſſator populorum, dux malorum. Agnoſce artem tuam maledicte ſatana. Ecce Gabrihel Angelus cum turibulo aureo pleno incenſo de orationibus ſanctorum. Invoco nomen maieſtatis tuæ Pater, cum Xpo filio tuo qui fecit vinum de aqua in Chana Galileæ. Iterumque benedixit quinque ſenſus hominum. Non lateat hic inmundus ſpiritus ab ungulis digitorum uſque ad verticem capitis. Adiuva Dne famu†lum tuum N. ſicut adiuvaſti Saram filiam Raguhel: ſicut illuminaſti oculos Tobiæ: ſicut liberaſti Loth de Sodomis: ſicut liberaſti David (*ſuppl.* de manu) Saul regis: ſicut liberaſti Teclam de tribus tormentis, ut credat omnipotentem atque in Dei ſapientiam & intellectum. P.

Adiuro

---

(1) Videtur hic auctor neſcio quis deſignari, ex quo deſumpſerit hæc ſcriptor a ſuperſtitione haud vacua, quæ affert de ſelectu ciborum alio, quam qui ad ieiunium ſpectet ſeu abſtinentiam. Locum hic habere poſſunt, quæ *Ioſ.* CATALANUS T. II. p. 323. collegit Commentar. ad Ritualis R. ad illa §. 19. verba *ne ullam medicinam infirmo, vel obſeſſo præbeat, aut ſuadeat,* ac ſi naturalis quædam quibusdam rebus inſita eſſet ad pellendos dæmones virtus.

(2) Igitur orationibus & exorciſmis contra dæmones res eſt agenda procul curioſis interrogationibus ſermocinationibusque cum obſeſſis. Qua de re ſic cavet Rituale *Rom.* §. 15. „Exorciſta ne evagetur in multiloquio, aut ſupervacaneis, vel curioſis interrogationibus, præſertim de rebus futuris & occultis ad ſuum munus non pertinentibus, ſed iubeat immundum ſpiritum tacere, & ad interrogata tantum reſpondere.“ Quanto iſtud cum diſpendio fiat, quamve proclive ſit hic delinquere ac mortaliter etiam peccare *Ioſ.* CATALANUS notat in Comment. ad h. l. T. II. p. 316. ex BARRUFALDO ad eundem locum: atque etiam ad Card. CAIETANUM in 2. 2 q. 90. art. 1. provocat. Notatu digna ſunt, quæ deinde ex CARDIO refert. Itaque ex eius ſententia „tenendum eſt imprimis peccare mortaliter, qui longos & inutiles ſermones cum dæmone obſidente habet, quia iam hoc eſſet cum eo amicitiam inire, quum tantum cum amicis ita familiariter agamus. Secundo lethaliter peccare, qui hanc vel illam rem a dæmonio, media interrogatione, addiſcere vult: etenim hoc eſt, beneficium aliquod ab eo exſpectare, quod certe ſuperſtitioſum eſt. Tertio, ſi adſit periculum, quod dæmon occulta pericula prodat, quia graviter tenemur, infamiam proximi vitare. Quarto, ſi quis ea interroget non coactive, ſed deprecative, quia hoc eſſet diſcipulus eius fieri, & humiliter illi ſubiici, quod illicitum eſt. Deinde tenendum eſt, quodſi coactive, & imperative hanc vel illam rem vanam & inutilem a dæmone interroget, tantum committere peccatum veniale curioſitatis &c.“ Porro male poſt primam orationem hic eodem forte, quem modo perſtrinximus, auctore adiecta ſunt verba hæc: *Scribe in tabula, & dele, & da bibere.* Orationibus & exorciſmis, contra dæmones procedendum eſt, iiſque ritu ac formulis ab eccleſia præſcriptis hic vel maxime, quando quidem cum hoſte ſaferrimo congrediendum eſt.

Digitized by Google

Adiuro & deprecor Dne ſignum cruentum crucis & Golgotha ſpeciem rubræ rupis, a ſanguine huius Iudæorum magni regis Ihu Xpi Dni nri redemptoris altiſſimi omnipotentis Dni unigeniti Filii Patris. Signum admirandum ualde uirtutis crucis Xpi altiſſimi, ut iſtum hominem uexatum a maligna uirtute adiuvet. Per Dnm.

Alia. Deprecor Dne die noctuque, ſig†num maieſtatis divinæ, ſig†num ſumme bonitatis Dei atque ineffabilis, ſig†num magne pietatis potentiæ ſublimis, ſig†num gloriae cœleſtis admirabilis, ſig†num ſalutis aeternæ ac vitæ perpetuæ, ſig†num palmæ ac victoriæ martyrum, ſig†num lucis ſempiternæ ſanctorum requie fruentum ſine fine in regno cum Xpo gloriæ, ſig†num altum ac profundum baptiſmi myſterium, ſig†num ſalubre ac magnum anime remedium, ſig†num ante conſecratum Xpi ore ac deprecatum, quod prædixerat apoſtolis paſſurum a Iudeis crucem pro ſalute mundi. per te namque auditus ſurdis donatur, leproſi mundantur, morbi dolore ſanantur, vicia ſeparantur. Sig†num Domine diei & reſurrectionis Xpi, ſig†num adventus Sps ſci deſcendentis ſuper ſanctos apoſtolos & ignis ſupra ſingulos credentium populos Xpi primum & in eccleſia Sanctorum. Sig†num ſuper orbem terrarum Xpi eccleſiarum canentium more unacum cordis affectu intimatum. Ihu Xpe qui cum Patre vivis ac regnas in unitate Sps ſancti Ds per omnia ſæcula ſæculorum.

Alia. Dne ſancte Pater omnipotens æterne Ds, Oſanna in excelſis, Pater Dni nri Ihu Xpi, qui illum locum refugam tyrannum gehennæ deputaſti, qui Unigenitum tuum in hunc mundum miſiſti, ut illum rugientem leonem conteret velociter, adtende accelera ut eripias hominem tuis formatum manibus a ruina & demonio meridiano. Da Dne terrorem tuum ſuper beſtiam, quæ exterminabit vineam tuam. Da fiduciam ſervis tuis contra nequiſſimum fortiter ſtare draconem. Nec contemnat ſperantem in te & dicat ſicut in Pharaone iam dixit: Dnm non novi, nec Iſrael dimitto. Urgueat illum dextera tua potens, ut diſcedat a famulo tuo N. Ne diutius præſumat captivum tenere hominem, quem tu ad imaginem tuam facere dignatus es. Adiuro te ſerpens antique per iudicem vivorum & mortuorum, per factorem mundi, per eum qui habet poteſtatem mittere in gehennam, ut ab hoc famulo Dei N. qui ad eccleſiæ Dei præſepia cucurrit, cum metu, & exercitu furoris tui feſtinus diſcedas. Ad†iuro te non mea infirmitate, ſed virtute Sps ſci, ut diſcedas ab e†o N. quem omnips Deus ad imaginem ſuam fecit. Cede, cede non mihi ſed myſteriis Xpi. Illius enim te perurguet poteſtas, qui ſe affigens cruci ſuæ te ſubiugavit. Illius brachium contremiſce, qui addictas gemitibus inferni animas ad lucem perduxit. Sit tibi terror corpus hominis, ſit tibi formido imago Dei. Nec reſiſtas. Nec moreris diſcedere ab homine iſto N. quoniam complacuit Xpo, ut in homine habitaret. Et ne me infirmiſſimum putes dum me peccatorem nimis eſſe cognoſcis. Imperat tibi Dnus. Imperat tibi Maieſtas Xpi. Imperat tibi Deus Pater. Imperat tibi Filius & Spiritus ſcus. Imperat tibi apoſtolorum fides, ſci Petri & Pauli, & ceterorum apoſtolorum. Imperat tibi indulgentia Confeſſorum. Imperat tibi Martyrum ſanguis. Imperat tibi ſacramentum crucis. Imperat tibi miſteriorum virtus. Exi transgreſſor, exi ſeductor plenus omni dolo & fallacia, veritatis inimicus, innocentiæ perſecutor. Da locum duriſſime, da locum impiiſſime. Da locum Xpo in quo nihil inveniſti de operibus tuis, qui te exſpoliavit, qui regnum tuum deſtruxit, qui te victum ligavit, & vaſa tua diſrupit (diripuit), qui te proiecit in tenebras exteriores, ubi tibi cum miniſtris tuis erit præparatus interitus. Sed quid nunc turbulente recogitas? quid temerarie retractas reus omnipotenti Deo, cuius transgreſſor es, reus Ihu Xpo Filio eius, quem temptare auſus es, & crucifigere præſumſiſti, reus humano generi, cui mors tuis perſuaſionibus venit. Adiuro te ergo draco nequiſſime in nomine agni immaculati, qui ambulat ſuper aſpidem & baſiliſcum, qui conculcat leonem & draconem, ut diſcedas ab homine iſto N. & ab eccleſia Dei. Contremiſce & effuge invocato nomine Domini. Illius quem inferi tremunt, cui Virtutes & Dominationes ſubiecte ſunt, quem Cherubim & Seraphim indefeſſis vocibus clamant. Imperat tibi Verbum caro factum. Imperat tibi natus ex Virgine. Imperat tibi Ihus Nazarenus, qui te, cum in diſcipulis ſuis contempneres (1), eliſum & proſtratum exire iuſſit ab homine: quo præſente cum te ab homine ſeparaſſet, nec porcorum gregem præſumebas contingere. Recede nunc adiuratus in nomine eius ab homine, quem ipſe plaſmavit. Durum tibi eſt contra ſtimulum calcitrare. Durum tibi eſt velle conſiſtere, quia quanto tardius exies, tanto tibi ſupplicium creſcit, quoniam non hominem contempnis, ſed illum qui dominator vivorum eſt, qui venturus eſt iudicare ſæculum per ignem, qui cum Patre & Filio & Spiritu

(1) *Impreſ.* cum diſcipulos eius contemneres &c.

Digitized by Google

Spiritu ſancto vivit & regnat Deus, per omnia ſæc. ſæcul. amen. *Alia.* Deus qui humano generi ſaluti &c. *Alia.* Virtutum cœleſtium Deus &c.

Alia. In nomine Dei Patris, & Filii, & Spiritus ſci. Coniuro te & obteſtor te diabole, per nomen Dni nri Ihu Xpi, & imperium eius, & per virtutem ſanctæ Trinitatis, & per omnipotentiam eius, ut exeas ſatanas, & omnis diabolica poteſtas de homine iſto N. abſque læſione animæ & corporis ſui. Exeas omnino nec ſtare, nec diſcurrere, nec latere, nec ſervire. in corpore iſtius, & ſpiritu, & anima, aut veſtimento præſumas, ſed profugus abſcedas. Nullumque veſtigium aut dolorem in anima iſtius, vel in carne ſeu oſſibus derelinquas. Exite inmundi ſpiritus, quicunque eſtis, aut unus, aut plures, qualecunque vobis ſit nomen. Exite velociter. De capite illius, & de capillis eius de iſto homine, de vertice, de fronte, de ſuperciliis, de oculis, de timporibus, de auribus, de naribus, de fiſtulis, de mutilagine, de maxillis, de lingua, de ſub lingua, de dentibus, de ore, de gutture, de gula, de altera gula, de uva, de palato. de aere, de anhelitu ipſius, de pectore, de cogitatione. de labiis, de faucibus, de gengivis, de utroque collo, de ungulis, de humeris, de ſcapulis, de aſcellis, de interſcapulis, de dorſo, de cervice, de ſpinera, & de medullis. & evola, procede conſtrictus per potentiam ſcæ Trinitatis & nomen Dei omnipotentis. Effuge liquefactus de ventre, de viſceribus, de femoribus, de genitibus (*l.* genibus) de ſuffraginibus & ſuris. de cruribus, de quatuor talonibus, de pedibus, de plantis, de calcaneis, de articulis, de interarticulis, de unguibus omnibus, de medullis univerſis, de venis, de oſſibus cunctis, de nervis, de arteriis, de omnibus carnibus, de omni ſanguine ſuo, de omni humore illius, de totis quinque ſenſibus eius, de genitalibus locis, de ſemine, de unguibus, de pectine, de veſica, de foramine alvi, de mina, de ſudore, de omni egeſtione ipſius. Expellaris in nomine Ihu Xpi crucifixi, qui reſurrexit. Exi de felle, de epate, de iuncturis omnibus, de inteſtinis, de ſtomacho, & ventriculo, de ſplene omnino procede, nunquam reverſurus ibi. Exi de adipe, de reticulo, de renunculis, de corde, de ſubcorde, de pulmonibus, de omnibus cordis & pulmonum corporis & carnibus. Exi de renibus, de lumbis, de teribus, de coſtis, de hiliis, de collis, de vertebris, de natibus, de internatibus, de omnibus fibris vitalibus, de anima, de umbilico, de mammillis, de intervivio, de mula, de inteſtino groſſiore, de pilis, de omni cute ipſius, de toto corpore eius, de cunctis cibariis, & omni pane ſuo, de toto potu, de omni victu illius abſcedes. Nec adpropinquare, nec malos aeris, nec ſendidos orrares, vel inſidias ullas ei ingerere præſumas; ſed expulſus extra mundum iſtum per virtutem & ſignum ſanctæ crucis redemptoris noſtri Ihu Xpi quæ eſt (ſunt) arma chriſtianorum & triumphus Dni Ihu Salvatoris nri. Per quem victus & ligatus es, ut paſſer in ſolitudine vacuus, deſerta mox concitus & conſtrictus petas. Per invocationem & virtutem nominis Dei omnipotentis, exi in iſta hora, & in iſto momento ſpiritus inmunde, qui invaſiſti hunc hominem N. Evola. Evaneſce. Hunc hominem ſanum integrum, & ſincerum corpore & anima, & ſpiritu in Dni Ihu ſervitio in perpetuum derelinque. Exi anathematizate, non remaneas, nec abſcondaris in ulla compagine membrorum iſtius, aut flatu eius, in ullo domorum angulo ſuarum per ullum argumentum, aut calliditatem te celare præſumas. Neque quæ ſunt eius contingas, aut obſideas. Non veſtimenta illius, non viros, non fœminas, non pecora, non iumenta, quæ ſua ſunt ullo modo invadere præſumas; ſed catenatus & frenatus per imperium & poteſtatem, & regnum Dni nri Ihu Xpi creatoris mundi exul effugias, parteſque illas petas, ubi ullam creaturam Dei ledere præſumas. Da mox honorem Deo omnipotenti cuius omnia dominantur imperio, cui inceſſabilia obediunt elementa. Virtus illius te expellat, & exire cogat cum omni turba tua, qui de Maria Magdalena ſeptem fugavit dæmonia. Qui regna mortis per te inventa deſtruxit, & de poteſtate tua electos ſuos abſtulit. Ipſe eſt Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ, qui ex ore Patris prodiit ante luciferum. Teque deprecamur, & invocamus te Deus omps ſancta Trinitas, ut hunc hominem, pietatem tuam petentem, iubeas emundari ab omni inſidia dæmonum, & doloris immiſſione eorum. In nomine Ihu & Spiritus ſci petimus Deus Pater, ut virtus tua adferatur in hunc hominem ægrum & corroborare eum digneris ad vitam æternam. Legimus & credimus Dne in Evangelio ſancto tuo, quod cum omni imperio Dnus Ihs Filius tuus ſpiritus immundos eiiciebat, & paſſiones ab ipſis illatas potenter curabat, ut impleretur quod dictum eſt a Domino per Eſaiam prophetam. Ipſe infirmitates noſtras & ægritudines portavit, & livore ſuo plagas noſtras ſanavit. Tu Domine Salvator mundi apoſtolis tuis ſanctis & omnibus in te credentibus poteſtatem dediſti ſpiritus inmundos de omnibus

eiicere, & curare omnes languentes, & omnes infirmitates per invocationem ſancti nominis tui. Tu dixiſti, omnis quicunque invocaverit nomen Domini, hic ſalvus erit. Et quodcunque petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis. Tu Domine dixiſti, ſi vos cum ſitis mali noſtris bona dare filiis veſtris, quanto magis Pater veſter de cœlo dabit ſpiritum bonum petentibus ſe. Tu Domine dixiſti, ſi habueritis fidem, & dixeritis monti huic, tranſi & tranſiet. Nos credimus Dominum te eſſe omnipotentem & omnia apud te poſſibilia eſſe. Teque ſancta Trinitas, invocamus, exaudi nos Dne. Ihu Salvator noſter, & per ſanctum Nomen tuum petimus Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, ut ſervum tuum nomine N. ab omni incurſu demonum emundari, & omnem infirmitatem quam ingeſſit, aut in animæ aut in corpore illius medicina tua iubeas ſanari. Tu Dne dixiſti non opus ſanis medico, ſed ægrotis, & dignatus es dicere: Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores. Tu Deus verus, & tu ſolus bonus cum Patre & Spiritu ſancto, mediator Dei & hominum, & propitiatio pro peccatis noſtris Ihu Xpe Fili Dei vivi. Omnipotens ab omnipotente genitus ante ſæcula ſemper es factor primi ſæculi cum Spiritu ſancto. Mitte omnes ſanctos angelos atque archangelos. Mitte ſanctum Archangelum Michaelem, ſanctum Gabrihelem, ſanctum Raphaelem, ut adſint, & defendant, & tueantur hominem tuum N. quem tu plaſmaſti, cui animam tu dediſti, & ſanguinem tuum pro ipſo fundere dignatus fuiſti. Protegant illum, illuminent vigilantem, dormientem ab ab omni infeſtatione diabolica ita reddant quietum atque ſecurum, ut nullum deinceps in quo poteſtatem habeat pars iniqua, nec ingredi præſumat. Nec animam illius, nec corpus eius nequam ſpiritus lædere vel fatigare, aut terrere, aut temptationibus titillare præſumat. Per.

Item Benedictio ſancta ſuper infirmum.

Sanet te Deus Pater, qui te creavit, ſanet te Filius Dei, qui pro te paſſus eſt, ſanet te Spiritus ſanctus, qui in te effuſus eſt, ſanet te fides tua, quæ te liberavit ab omni iniquitate. Benedicat te Deus Pater, & cuſtodiat te Filius Dei, illuminet te Spiritus ſanctus, ut habeas vitam æternam in ſæcula ſæculorum. Amen. Benedicat te Pater omnipotens de cœlo, qui in principio cuncta creavit verbo. Benedicat te Filius Dei, qui de ſede paterna ad nos redimendos venire dignatus eſt. Benedicat te Spiritus ſanctus, qui in ſpecie columbæ, in flumine Iordanis alvei ſuper Xpum Dnm requievit. Sancta Trinitas & inſeparabilis unitas te benedicat & animam tuam cuſtodiat, in ſæcula ſempiterna amen.

Item ſancta Benedictio.

Benedictio Dei Patris cum angelis ſuis ſit ſuper te. Benedictio Xpi cum apoſtolis ſuis ſit ſuper te. Benedictio Spiritus ſancti cum ſeptem donis ſit ſuper te. Benedictio & ſanctificatio & ſalvatio verborum factorum, virtusque myſteriorum Dei, & ſancti evangelii, in nomine Dei ſummi ſit ſuper te in vitam æternam. Benedictio dominicæ incarnationis & benedictio beatæ paſſionis & reſurrectionis & aſcenſionis Xpi, ſit ſuper te: & pax Dei quæ exſuperat omnem ſenſum cuſtodiat ſenſum tuum, & cor tuum, & corpus tuum, in Xpo Ihu Dno nro amen. Benedictio Eccleſiæ catholicæ cum filiis ſuis electis ſit ſuper te. Benedictio patriarcharum, & ſuffragia apoſtolorum, & victoria martyrum, fides confeſſorum, caſtitas virginum, & continentia viduarum, & interceſſiones omnium Sanctorum tuorum Domine ſint ſuper te. Fiant merita & orationes eorum tecum, in cogitationibus, in ſermonibus, in operibus, in diebus, in noctibus. Commendo te toto tempore ſub poteſtate ſanctæ Trinitatis, ut cuſtodiat te in vitam æternam. Amen.

Super Dæmonicum.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus expelle diabolum de homine iſto N. de capite, de capillis, de vertice, de cerebro, de fronte, de oculis, de ore, de auribus, de naribus, de lingua, de ſublingua, de gutture, de gula, de collo, de corpore tuo, de omnibus membris tuis, de conpaginibus membrorum tuorum, de intus, de foris, de oſſibus, de venis, de nervis, de omnibus operibus malis, de virtute; de omni converſatione, & in futuro operetur in te virtus Xpi, qui viv.

Alia. Omnipotens ſempiterne Deus, a cuius facie cœli diſtillant, montes ſicut cera liqueſcunt, terra tremet, cui patent abyſſi, quem infernus paveſcit, quem omnis iratum mox aſpiciens humiliatur. Te ſupplex deprecor dominator Domine, ut invocatione nominis tui ab huius famuli tui vexatione inimicus confuſus abſcedat, & ab huius poſſeſſione anima liberata ad auctorem ſuæ ſalutis recurrat, liberatoremque ſuum diabolico fetore depulſo, & odore ſuaviſſimo Spiritus ſancti percepto ſequatur. Per.

Alia. Domine ſancte Pater omnipotens ſempiterne Deus, virtutem tuam totis exoro gemitibus pro

Digitized by Google

pro huius famuli tui a diabolo oppreſſi infantia, qui etiam indignis inter preſſuras donas præſidium Exurge pro huius infantia debellata, & noli diu retinere vindictam, nec ante conſpectum tuum veniant parentum delicta, qui nec pro filio patrem, nec pro patre promiſiſti filium iudicare. Auxiliare quæſumus inimici furore vexato. Ne ſine baptiſmate facias eius animam a diabolo poſſideri, ſed potius tenera ætas malignis oppreſſionibus liberata tibi referat gratias ſempiternas. P.

Item alia. Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus apoſtolorum, Deus martyrum, Deus confeſſorum, Deus virginum, Deus Pater Dni nri Ihu Xpi. Invoco ſanctum nomen tuum ac præclaræ Maieſtatis tuæ clementiam ſupplex expoſco, mihi auxilium præſtare digneris adverſus hunc nequiſſimum ſpiritum, ut ubicunque latet, audito nomine tuo velociter exeat, vel recedat. Ipſe tibi imperat diabole, qui ventis, & mari, vel tempeſtatibus imperavit. Ipſe tibi imperat, qui te de ſupernis cœlorum in inferiora terræ dimergi præcepit. Ipſe tibi imperat, qui te retrorſum redire præcepit. Audi ergo & time ſatanas victus & proſtratus abſcede in nomine Dni Ihu Xpi. Tu ergo nequiſſime ſatanas inimicus fidei generis humani mortis raptor, iuſticie declinator, malorum radix, fomes vitiorum, ſeductor hominum, perditor gentium, incitator invidiæ, origo avaritiæ, cauſa diſcordiæ, excitator dolorum, dæmonum magiſter, quid ſtas & reſiſtis cum ſcis eum tuas perdere vires? illum metue, qui in Iſaac immolatus eſt, in Ioſeph venumdatus, in agno occiſus, in homine crucifixus, deinde triumphator. Recede in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, & da locum Spiritui ſancto, per hoc ſignum crucis Xpi Dni nri, qui cum Patre & Spiritu ſco vivit & regnat.

Alia. Deus conditor & defenſor generis humani, qui hominem ad imaginem & ſimilitudinem tuam formaſti. Reſpice ſuper famulum tuum hunc N. qui dolis invidi ſerpentis adpetitur, quem vetus adverſarius & hoſtis antiquus atræ formidinis horrore circumvolat, & ſenſum mentis humanæ ſtupore defigit, terrore conturbat, & metu trepidi timoris exagitat. Repelle Domine virtutem diaboli, fallaceſque eius inſidias amove. Procul impius temptator auffugiat. Sit nominis tui ſig✝no famulus tuus & animo tutus & corpore (1). Tu pectoris huius internæ cuſtodias. Tu viſcera regas. Tu corda confirmes. Mala adverſariæ poteſtatis temptamenta vaneſcant. Da ad hanc invocationem nominis tui gratiam, ut qui hucuſque terrebat, ſit territus, & victus abſcedat. Tibique poſſit hic ſervus tuus corde firmato & mente ſincera debitum præbere famulatum. Per.

Alia Omps & miſericors Deus, Pater Domini noſtri Ihu Xpi. Te ſupplices deprecamur, impera diabolo, qui hunc famulum tuum N. detinet, ut ab eo recedat, & libera eum ut credat in verum liberatorem Dnum nrum Ihm Xpm, ut expurgatus ab omni labe iniquitatis, maieſtati tuæ pura mente deſerviat, conſecutus gratiam Spiritus ſancti, qui cum Patre vivit.

Alia. Non ego impero tibi propter peccata mea inmundiſſime ſpiritus, ſed imperat tibi agnus immaculatus Ihs Xpus Dnus noſter, Deus Dei Filius. Urguent te angeli, urguent te archangeli, urguent te prophetæ, urguent te apoſtoli, urguent te martyres, urguent te confeſſores, urguent te virgines. Deficiant ergo artes diaboli, in die, in nocte, in menſe, in hora, in momento. Redde ergo fortitudinem in membris. Redde animæ ſanitatem. Non temptes eam. Non morti tradas. Non in eſca, non in potu, non in oculis, non in locis publicis, non ſupervenias vigilanti, non dormienti, non mentem moveas, nec inpedias, quærentem vitam æternam. Recede ergo a capite, a capillis, a lingua, a ſublingua, a brachiis, a naribus, a pectore, ab oculis, a venis, ab inteſtino maiore, & minore. Separa te diabole ab hoc famulo Dei N. ſicut ſeparavit omnipotens

(1) In rituali *Romano*, in quo hæc ipſa oratio legitur poſt crucem ad verbum *ſigno* in fronte hic tres cruces fieri in pectore iubentur §. 27. ſupra vero §. 17. *quoties viderit obſeſſum in aliqua corporis parte commoveri, aut pungi, aut tumorem alicubi apparere, ibi faciat ſignum crucis.* Ubi *Ioſ.* CATALANUS opportune S. CAROLI *Borromæi* Conc. IV. Provinc. *Mediol.* P. II. Conſtitutionum c. I. cautionem addit *dum exorcizat, ne energumenæ mulieris capiti, corporive, niſi cum magna honeſtate, atque cautione manum adhibeat.... neve quidquam aliud agat, quod offenſionem præbeat.* Et in ſynodo *Mediol.* diœceſana IV. decreto 18. *Caveat, dum exorcizat, ne energumenæ mulieris caput, humeros, manumque tangat &c.* Laudaturque S. GREGORIUS *Lingonienſis* verbis cognominis *Turonenſis* in Vit. PP. c. 7. *qui ſine ullo tactu facto, tantum ſigno crucis econtra, dæmonia diſcedere imperabat: quod illa protinus audientia, corpora, quæ ſua nequitia divexaverant, abſolvebant.* Sic eodem teſte facto ſigno crucis a S. NICETIO *Trevirenſi econtra*, tres energumeni ſopore preſſi *expergefacti elevantes in ſublime voces, dato impetu, ad vomitum emundati ſunt.*

nipotens Deus cœlum a terra, lucem a tenebris, veritatem a mendacio, bonum a malo, dulcem ab amaro, ſic eris ſeparatus inmundiſſime ſpiritus, quia vicit te Xpi potentia, quem tu vincere non potes, ſed vindicet in te Dnus noſter Ihs Xpus, qui te dampnavit in æternum, & deſcendat ad nos Domine gratiæ tuæ pietatis. Sig†na Domine caput eius, ſicut ſignavit Dnus omnipotens infirmos in Chana Galileæ. Sig†na oculos ſuos, ut ex ipſis expellatur diabolus qui lædit omnem carnem. Benedicat te Dns ſicut benedixit oculos cæcorum, qui in evangelio leguntur. Sig†na omnia membra illius ut ex ipſis expellatur diabolus qui lædit omnem carnem. Benedicat te Dnus, ſicut benedixit domum Abraham, Iſaac, & Iacob. Fiat ſanitas Domini ſuper te, ſicut ſanavit Dominus mulierem a fluxu ſanguinis. Cuſtodiant te angeli, & archangeli. Protegat te Deus Iſrael, & adiiciat ſanitatem, & benedictionem ſuam tibi & hic & in futuro ſæculo. Amen.

Alia. Omnipotens ſempiterne Deus, petimus humili prece divinam clementiam tuam ut hunc famulum tuum N. quem conſpicimus ab antiquo hoſte graviter temptari & ſenſus ſuos a livore ſatanæ in aliquo perturbari atque vexari, ab eius impetu clementer eripias, ut hos, qui in eccleſia tua poſiti per baptiſmatis ſacramentum coniuncti nomen ſanctum tuum confitentur nulla poſſit adverſitas diabolica temptatione ſubvertere. Per.

Impoſitio manuum ſuper inerguminum Caticuminum.

Omnipotens ſempiterne Deus, a cuius facie cœli diſtillant, montes ſicut cera liqueſcunt. Terra tremit, cui patent abyſſi, quem infernus paveſcit, quem omnis irarum motus aſpiciens humiliatur. Ut ſupra.

Alia pro parvulo inergumeno. Or. (1)

Dne ſancte Pater omnipotens ſempiterne Deus virt. *Alia.* Deus angelorum. *Alia.* Deus conditor. *Alia.* Domine ſancte Pater omps Deus oſanna.

Unctio Olei ſuper Demoniacum.

Unguo te oleo ſanctificato in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, ut per ſanctam Trinitatem ſalveris in ſæcula ſæculorum amen.

Alia Oratio.

Benedicat te Dominus & cuſtodiat te Xps ab omnibus inſidiis diaboli in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.

Alia. Benedicat te Dnus & cuſtodiat te, oſtendatque Dnus faciem ſuam tibi & miſereatur tui. Convertat Dns faciem ſuam ad te, & det tibi pacem, & impleat te Dominus Spiritu ſancto. Amen. Ipſe Deus pacis ſanctificet te per omnia ad perfectum ut integer Spiritus tuus, & anima, & corpus ſine querela in adventu Dni nri Ihu Xpi ſervetur.

Alia unctio Olei.

Hæc tibi unctio per ſignum crucis & per oleum ſanctificatum & per donum Spiritus ſancti fiat tibi ad ſanitatem. Per.

Oratio poſt unctionem Olei.

Reſpice Domine famulum tuum in infirm. &c.

Alia. Reſpice Dne propitius ſuper hunc famulum tuum, & opem ei ferre dignare ſuper lectum doloris eius, inpone manum tuam in manu mea,

(1) Præcedit hic *impoſitio manuum ſuper energumenum catechumenum*, ſed perinde eſt utrum ſequens *alia pro parvulo energumeno* pro catechumeno an pro baptizato accipiatur. Id quidem perplexum habuit S. HIERONYMUM, ad PAULAM de dormitione BLESILLÆ a dæmonio vexatæ uſque ad mortem ita ſcribentem: „Quid cauſæ eſt, ut ſæpe bimuli, trimulique, & ubera materna lactentes a dæmonio corripiantur? Iudicia enim Domini abyſſus multa. Et o profundum „divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius!“ Pertinet huc INNOCENTII I. reſponſum ad DECENTIUM c. 6. „De his baptizatis, qui poſtea a dæmonio corripiuntur, quæſivit dilectio tua, ſi a presbytero „vel diacono poſſint, aut debeant conſignari? Quod „hoc niſi epiſcopis præcipere non licet. Nam ei manus imponenda omnino non eſt, niſi epiſcopus auctoritatem dederit id efficiendi. Ut autem fiat, epiſcopi eſt imperare, ut manus ei vel a presbytero „vel a cæteris Clericis imponatur. Nam quomodo „id fieri ſine magno labore poterit, ut longe conſtitutus energumenus ad epiſcopum deducatur, cum ſi „talis caſus ei in itinere acciderit, perferri ad epiſcopum, nec referri ad ſua facile poſſit.“ S. AUGUSTINUS lib. XXII. de Civit. Dei c. 22. miſeram humani generis lapſi expendens conditionem, ad has infantium etiam baptizatorum infeſtationes ſermone delapſus „contra milleformes (inquit) dæmonum incurſus, „quis innocentia ſua fidit? Quandoquidem ne quis fideret, etiam parvulos baptizatos, quibus certe nihil „eſt innocentius, aliquando ſic vexant, ut in eis maxime, Deo ſinente, iſta monſtretur huius vitæ flenda calamitas, & alterius deſideranda felicitas.“

Digitized by Google

mea, ne meam peccatoris manum ſpernat infirmitas, ſed ad invocationem tui nominis effugiat, ut hic famulus tuus, diabolo depulſo, ad ſanitatem refectus exurgat, & repræſentetur eccleſiæ tuæ, ut gratias referat nomini ſancto tuo. Per.

Benedictio aquæ (1) cum ligno ſanctæ Crucis. Inprimis lætania, poſtea Kyriel. Pater noſter. Credo in Deum.

Ex eodem Codice.

Ego dixi Dne. Concede nos Deus ſal. Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei Dne aux. Nihil proficiet inim. Caſtigans caſtig. In tribulatione meá. Dne ne memineris. Adiuva nos Deus ſal. Dnus cuſtodit te. Dnus pro &c. poſtea Evangelium legatur ſecundum Lucam. Dnus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo. In illo tempore. Surgens Ihs de ſynagoga.

Benedictio Salis.

Exorcizo te creatura ſalis in nomine Patris & Filii & Spiritus ſci, qui te per Helyſeum prophetam in aquam mitti iuſſit, ut ſanaretur ſterilitas, qui divina voce ſua ita diſcipulis, Vos eſtis ſal terræ, & per apoſtolum cor veſtrum ſit ſale conditum, ut omnes qui ex te ſumpſerint ſanctificati fiant animis atque corporibus, & ubicunque aſperſus præſtes omnibus remiſſionem peccatorum, ſanitatem mentis & corporis, protectionem ſalutis, ad expellendas & excludendas omnes demonum temptationes. In nomine Dei Patris, & Filii, & Sps ſci. qui venturus eſt iudicare vivos & m.

Benedictio Aquæ.

Deus qui ad ſalutem humani generis. Ut ſupra.

Benedictio Salis & Aquæ contra fantaſiam ſatanæ.

Exorcizo te creatura ſalis & aquæ per Deum vi†vum, per Deum ve†rum, ut omnis virtus adverſarii, omniſque exercitus diaboli, omnis incurſus, omne fantaſma eradicetur & effugetur ab hac creatura aquæ vel ſalis, ut cum aſperſus fuerit vel guſtaverit, ex ea ſervus tuus ab hac creatura aquæ Dne ſit tutus ab omni diabolicæ poteſtatis incurſu & alienus habeatur. Per.

Benedictio ad unum hominem.

Exorcizo te creatura ſalis & aquæ in nomine Dei Patris, & in nomiue Domini noſtri Iheſu Chriſti Filii eius, ut omnis immundus ſpiritus & incurſio diaboli eradicetur, & ſeparetur ab hac creatura ſalis & aquæ: proinde efficere exorcizata ad omnem fantaſiam inimici, & ipſum inimicum eradicare & explantare in nomine Ihu Xpi qui venturus eſt in Spiritu ſancto iudicare vivos ac mortuos & ſæculum per ignem. Amen.

Oratio ſuper lignum Crucis & aquam.

Oremus. Dne Ihu Xpe Fili Dei vivi, qui ſecundum magnam diſpenſationem incarnationis tuæ in ligno crucis mori voluiſti, ut per tuam mortem humanum genus a perpetua morte liberares, præſta per invocationem nominis tui, ut hæc aqua a tactu ipſius ſanctæ crucis ſanctificata, famulo tuo N. quem ardens febris graviter excruciat, proficiat ad corporis animæque ſalutem, quod ipſe præſtare digneris. Qui cum Deo Patre & Spiritu.

Alia. Dne Ihu Xpe, qui pro noſtra redemptione per paſſionem tuam hoc lignum crucis ſanctificare voluiſti. Concede propitius, ut quicunque hanc aquam eiuſdem ſanctæ crucis tactu ſanctificatam, hauſtu perceperint, ab omni infirmitate mentis & corporis abſolventur, qui cum Deo Patre & Spiritu ſco vivis &c.

Alia. Deus cui cunctæ obediunt creaturæ, & omnia in verbo tuo feciſti in ſapientia, ſupplices quæſumus ineffabilem clementiam tuam, ut quos per lignum ſanctæ crucis Filii tui pio cruore dignatus es redimere, tu qui es lignum vitæ paradyſique reparator, omnibus in te credentibus dira ſerpentis venena extingue, & per gratiam ſancti Spiritus poculum ſalutis ſemper infunde. Per.

Alia.

---

(1) Aquam crucis ſigno in IESU Chriſti nominis invocatione benedicta contra dæmones & morbos pellendos adhibitam a IOSEPHO *Iudæo* apud EPIPHANIUM Hær. XXX. legitur; a IOAN. *Chryſoſtomo* teſte GEORGIO *Alex.* in vita apud PHOTIUM cod. 96. Bibl. a B. MACARIO teſte PALLADIO Hiſt. *Lauſ.* cap. 19. BRAULIO de S. ÆMILIANO apud MABILL. ſæc. I. *Bened.* p. 211. narrat, eum rogatum a nobili viro, ut dæmonem pelleret, qui domum ſuam infeſtam habebat, ſalem exorcizaſſe, aquæ miſcuiſſe more eccleſiaſtico, & in fugam egiſſe. Nec abludit, quod S. GREGORIUS fana in *Anglia* aqua benedicta luſtranda præcipit MELLITO lib. IX. ep. 71. Regeſt. Hincque primas aquæ benedictæ in dedicationibus templorum repeti poteſt uſus, lotioque parietum, de qua OPTATUS *Milevit.* lib. VI. contra *Donatiſtas.* Præceptio de aqua *dæmonum fugatrice*, & *inſidiarum omnium profligatrice* ab epiſcopo benedicenda habetur lib. VIII. c. 29.

Digitized by Google

Alia. Deus omnipotens Pater & Xpe Ihu Fili Dei & Spiritus ſancte! Rogo vos, ut mittere dignemini benedictionem veſtram ſuper hanc creaturam ſalis & aquæ, vel pomi vel caſei, ut proficiant ad ſalutem omnibus quibus dantur, ut ſanitas eis fiat in ore, in naribus, in oculis, in fronte, in vertice, in collo, in pectore, in corde, in ventre, in brachiis, in manibus, in pedibus, in omnibus membris corporis illius, ut non poſſint frigora & febres vincere vel nocere eum nec in viſu, nec in auditu, nec in ambulando, non in guſtu cibi, nec bibendo potus, ſed Deus perfectus, qui es ſalvator omnium, ſalvum fac hominem iſtum N. ab omni periculo redemptor mundi, qui cum Patre & Spiritu ſco vivis.

Oratio ſuper dæmoniacum.
Ex Cod. Vind. Theol. 277. ſæc. XII. vel XIII.

Repelle Domine ab hoc famulo tuo omnem infeſtationem inimici, ut redintegratus priſtinæ ſanitati, ad gratiarum clementiæ tuæ redeat actionem. Per Dnm.

Alia. Deus Angelorum &c. *ut ſupra.* *Alia.* Deus qui conditor & defenſor es generis humani qui &c. *Alia.* Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, Oſanna &c. *Alia.* Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, expelle &c.

Alia adiuratio.

Exorcizo te ſpiritus immunde. Non ego tibi impero neque peccata mea, ſed imperat tibi agnus immaculatus Chriſtus Deus & Dei Filius. Urguent te Angeli & Archangeli. Urgent te patriarchæ & prophetæ. Urgent te apoſtoli Chriſti Urguent te martyres Chriſti, & Confeſſores, ut deficiant artes diaboli die ac nocte, in menſe, & in hora, atque momento. Redde ergo fortitudinem membris, redde animæ ſanitatem: non temptabis eam, & morti non tradas. Non apparebis in eſca, nec in locis publicis, nec ſuper venies vigilanti, neque dormienti, nec mentem eius moveas, nec impedias quærentem vitam æternam. Per Dnm.

Alia. Omnipotens & miſericors Deus Pater Dni nri Ihu &c. Recede ergo immundiſſime ſpiritus ab hoc famulo Dei, ſicut ſeparavit Deus Pater omnipotens cœlum a terra, lucem a tenebris, veritatem a mendacio, bonum a malo, dulce ab amaro; ſic eris ſeparatus ab eo per potentiam, qua te Chriſtus vicit, quem tu vincere non potes, ſed vincat te Dns Ihs Xps, teque dampnatum æternis mancipet pœnis. Deſcendat ad nos Domine gratia tuæ pietatis. Signo caput tuum, ſicut ſignavit Dominus omnes infirmos in Chana Galileæ. Signo oculos tuos, ut ex ipſis expellatur diabolus, qui lædit omnem carnem tuam. Benedico te, ſicut benedixit Dominus oculos cæcorum, qui in evangelio leguntur. Signo omnia membra tua, ut ex ipſis expellatur diabolus, qui lædit omnem carnem tuam. Benedicat te Dominus, ſicut benedixit domum Abraham, & Iſaac, & Iacob. ſicut ſanavit Dominus mulierem de fluxu ſanguinis, ſic fiat ſanitas Domini ſuper te, & cuſtodiant te angeli & archangeli. Protegat te Deus Iſrael, & adiiciat ſanitatem & benedictionem hic & in futuro ſæculo.

Item alia.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus per impoſitionem manuum noſtrarum refugiat inimicus diabolus a capite, a capillis, ab oculis, a naribus, ab auribus, a labiis, a lingua, a ſublingua, a collo, a pectore, a ventre, ab inteſtinis, a cruribus, a pedibus, a calcaneis, ab univerſis compaginibus membrorum. Non habeat poteſtatem nocendi, nec tangendo, nec dormiendo, nec vigilando, nec in die, nec in nocte, nec in ingreſſu, nec in ſedendo, nec in iacendo, nec in viſu, nec in riſu, nec in ludendo, in nomine Dni nri Ihu Xpi qui nos ſuo ſanguine redemit, qui regnat in ſæcula ſæculorum. Nam te adiuro per Deum altiſſimum maledicte ſatanas, ne famulum hunc Dei artibus tuis temptare nitaris, neque in eum violentiis irruas. Contremiſce Deum immundiſſime ſpiritus, principium ſceleris, malorum omnium radix, transgreſſor viæ veritatis, prævaricator rectæ viæ, iuſticiæ perſecutor, fornicationis ſuaſor, parricidii magiſter diſſipator pacis, ſemen peſſimum, dux tenebrarum, mortis inventor, ianua tartari, gentium vorago, omnium denique criminum cauſa, ſepara te a famulo Dei, ſicut ſeparavit Deus Pater omnipotens cœlum a terra, vitam a morte, ſeptentrionem a meridie, lucem a tenebris, veritatem a mendacio, iuſtitiam ab iniquitate, amorem ab odio, caſtitatem ab impudicitia. Da honorem Deo, laudem advenienti Spiritui ſancto in ſæcula ſæculorum.

Alia. Obſecro te Domine Ieſu Chriſte, ut eiicias omnes lanquores ab omnibus membris hominis iſtius a capite, a capillis, a cerebro, a fronte, ab oculis, ab auribus, a naribus, a facie, a genis, ab ore, a lingua, a dentibus, a faucibus, a gutture, ab uberibus, a corde, a ſtomacho, a ventre, a viſceribus, a lateribus, a femoribus, a ſuris, a pedibus, a carne, a

ſanguine,

Digitized by Google

ſanguine, ab oſſibus, a medullis, a nervis, a cute, ab omni compage membrorum, a vertice capitis eius uſque ad plantas pedum, a ſcapulis, a brachiis, a manibus, ab ungulis, ut non lateat hic inmundus ſpiritus. Exaudi Domine cui eſt virtus & poteſtas, & imperium in ſæcula ſæculorum. Exi ſatanas de homine iſto, de pilo, de cerebro, de vertice, de toto capite, de fronte, de oculis, de naribus, de auribus, de faucibus, de ore, de lingua, de ſublingua. Signum crucis Chriſti, ſignum Salvatoris Dni nri Ihu Xpi ſit in fronte tua, ut confidas in eo. Benedic oculos tuos, ut videas claritatem eius, aures, ut audias verbum veritatis eius, nares, ut recipias odorem ſuavitatis, pectus, ut credas in eo, os, ut confitearis illi. Qui venturus.

Item alia.

Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob, Deus lucis, Deus claritatis. Domine Deus regnantium dominator, credentium adiutor. Deus in cuius nomine ego peccator benedictionem peto, tu Domine me adiuvare digneris. Adiuro te ſatanas per Deum Patrem omnipotentem, qui fecit cœlum & terram mare & omnia, quæ in eis ſunt, quicumque es ſpiritus inmundus, ne facias quæ facis. Non ſeducas de via lucis in viam tenebrarum, non nocte non die ei ſupervenias, nec operibus eius te interponas, nec fureris animas quas Deus ad imaginem ſuam formavit. Vade ſpiritus immunde, ubi nullus vel arator ſit, vel ſeminator. Vide ſignum crucis non hic reſiſtas viſo ſigno Chriſti, qui venturus eſt in maieſtate Patris iudicare ſæculum & te inimice per ignem. Erunt tibi verba hæc in teſtimonium hic & in die iudicii Dni nri Ihu Xpi venturi. Draco venenate, amator tenebrarum, deceptor animarum, radix amaritudinis, mendax a principio, prævaricator legis, electe de paradiſo, impero tibi per Abraham, impero tibi per Iſaac, impero tibi per Iacob, impero tibi per quatuor evangeliſtas, impero tibi per Spiritum ſanctum, quisquis es immunde ſpiritus apoſtata ſive lunatice ſive malefice non accedas ad eum prima luna, neque decreſcente, non in eſca, non in potu, non in dormiendo neque vigilando, non in via, non in trivio, neque in quadruvio exterminare audeas & nocere famulum Dei. Percutiat te virtus Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui venturus eſt.

Incipit obſequium circa morientes.

Ex Cod. Vind. Theol. 685. ſæc. X.

Quando aliquis ad mortem adpropinquaverit, primitus fiat litania, & antequam anima exeat de corpore, dicat ſacerdos hanc orationem.

Oremus. Deus miſericors, Deus clemens, qui multitudine indulgentiarum nulla temporum lege concluderis, ſed pulſantibus miſericordiæ tuæ ianuam aperis, pœnitentes etiam ſub ipſo vitæ huius termino non repelles, reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum remiſſionem ſibi omnium peccatorum tota cordis confeſſione poſcentem. Renova in eo piiſſime Pater, quod actione, quod verbo, quod ipſa denique cogitatione diabolica fraude vitiatum eſt, & unitate corporis eccleſiæ membrorum tuæ redemtionis adnecte. Miſerere gemituum, miſerere lacrimarum, & non habentem fiduciam niſi in miſericordia tua ad ſacramentum reconciliationis admitte. Per. *Poſt exciſam paginam leguntur* ſequentia S. Evangelii ſecundum Ioannem: Litigabant ergo Iudæi &c. *Offert.* Domine convertere. *Secreta.* Propitiare quæſumus Domine animæ famuli tui, pro qua tibi hoſtias placationis offerimus, & quia in hac luce in fide manſit catholicæ eccleſiæ, in futura vita ei retributio condonetur. Per. *Præfatio.* VD. *uſque* per Xpm Dnm nrm. In cuius adventu cum genuinam iuſſeris ſiſtere plebem, iubeas famulum tuum a numero diſcerni malorum, quem tribuas pœnæ æternæ evadere flammas, & iuſtæ potius adipiſci præmia vitæ: inducique iubeas devicta morte vigorem, ſemperque inextinctam habere luminis auram. Dignare perpetuam præclaro in corpore tribuere vitam, ubi nox nullas ſuas defendit atras tenebras ſecurus de ſalute, placidus lætetur in honore ſemper victurus, ſemperque in luce futurus per Xpm.

Infra act. Hanc igitur oblationem quam tibi pro requie animæ famuli tui offerimus, quæſumus Domine placatus accipias, & tua pietate concedas, ut mortalitatis nexibus abſoluta inter fideles tuos annumerari mereatur. Per. Tuam Deus depoſcimus. *Ad Compl.* Prs qs omps Deus ut animam famuli tui ab angelis ſuſceptam in præparata habitacula deduci facias beatorum. *Alia.* Annue nobis Domine ut anima famuli tui remiſſionem quam ſemper optavit mereatur percipere peccatorum. Per. *Antequam ipſum corpus elevetur dicat ſacerdos orat* Oremus. Omnipotentis Dei miſericordiam deprecemur, cuius iudicio aut naſcimur, aut finimur, ut ſpiritum fratris (ſororis) noſtri, quem Domini pietas de incolatu mundi huius tranſire præcepit, requies æterna ſuſcipiat, ut cum beata reſurrectione repreſentet, & in ſinibus Abrahæ, Iſaac & Iacob collocari mereatur, per

per eum qui venturus eſt iudicare vivos & mortuos. *Tunc incipiat cantor reſponſorium.* ℞. Subvenite Sancti Dei ℣. Suſcipiat te. *Hic dicant ſimul omnes* Kyrie eleiſon *ter.* *Sequitur oratio.* Oremus. Deum iudicem univerſitatis, Deum cœleſtium & terreſtrium, & infernorum. Deum deprecemur pro ſpiritu cari noſtri, ut eum Dominus in requiem collocare dignetur & in parte primæ reſurrectionis reſuſcitare, qui venturus. ℞. Antequam naſcer. ℣. Commiſſa mea. *Et dicant ſimul* Kyrie eleiſon. *Sequitur oratio.* Oremus. Deus qui univerſorum es creator & conditor, qui, cum ſis Sanctorum beatitudo, præſta nobis petentibus ut ſpiritum fratris noſtri a corporis nexibus abſolutum in Sanctorum tuorum reſurrectione facias præſentari. Per.

Poſtquam elevetur cantetur iſta antiphona. A. In paradiſum. *Pſ.* Ad te Domine levavi. *Oratio.* Inclina Domine aurem tuam ad preces noſtras, quibus miſericordiam tuam ſupplices deprecamur, ut animam famuli tui, quem de hoc ſæculo migrare iuſſiſti, in pacis ac lucis regione conſtituas, & Sanctorum tuorum cœtui iubeas eſſe conſortem. Per. *Oratio ante ſepulcrum priusquam ſepeliatur.* Oremus. Obſecramus miſericordiam tuam æterne omnipotens Deus, qui hominem ad imaginem tuam creare dignatus es, ut ſpiritum & animam famuli tui quem hodierna die rebus humanis eximi & ad te accerſire iuſſiſti, blande & miſericorditer ſuſcipias non ei dominentur umbræ mortis, nec tangat eum chaos & caligo tenebrarum, ſed exutus omnium criminum labe in ſinu Abrahæ collocatus locum lucis ac refrigerii ſe adeptum eſſe gaudeat & cum dies iudicii advenerit cum Sanctis & electis tuis eum reſuſcitari iubeas. Per. Aperite illi. *Pſ.* Confitemini Domino. *Sequitur oratio.* Deus apud quem mortuorum corpora vivunt, & in quo electorum animæ depoſito carnis onere plena felicitate lætantur; preces (*l.* præſta) ſupplicantibus nobis, ut anima famuli tui, quæ temporali per corpus huius luminis caruit viſu, æterne illius lucis ſolatio potiatur. Non eum tormenta attingant, non dolor horrendæ viſionis inficiat, non pœnalis timor excruciet, non reorum proxima catena conſtringat, ſed conceſſa delictorum omnium venia obtentæ quietis conſequatur gaudia repromiſſa. *Hic deponatur in ſepulcrum, & dicat ſacerdos. Ant.* Egrediar. *Pſ.* Quemadmodum. Oremus fratres kariſſimi pro ſpiritu cari noſtri, quem Dominus de laqueo huius ſæculi liberare dignatus eſt, cuius corpuſculum hodie ſepulturæ traditur, ut eum Domini pietas in ſinu Abrahæ Iſaac & Iacob collocare dignetur, & cum dies iudicii advenerit inter Sanctos & electos ſuos eum in parte dextera collocandum reſuſcitari faciat. Præſtante Dno nro. *Ant.* De terra plaſmaſti me. *Pſ.* Domine probaſti me. *Sequitur orat.* Oremus. Deus qui iuſtis ſupplicationibus ſemper præſto es, qui pia vota dignaris intueri, da famulo tuo, cui depoſitionis hodie officia per humanitatem exhibemus, cum ſanctis atque fidelibus tuis beati muneris portionem. Per eum qui vent. Hæc requies mea. *Pſ.* Memento Domine. *Alia oratio.* Debitum humani corporis ſepeliendi officium fidelium more complentes, Deum cui omnia vivunt fideliter deprecemur, ut hoc corpus cari noſtri a nobis in infirmitate ſepultum in ordine Sanctorum ſuorum reſuſcitet, & eius ſpiritum Sanctis & fidelibus aggregari iubeat, cum quibus inenarrabili gloria perenni felicitate perfrui mereatur. Per. *Ant.* Requiem æternam. *Pſ.* Miſerere mei Deus. *Alia oratio.* Temeritatis quidem eſt Domine, ut homo hominem, mortalis mortuum, cinis cinerem tibi Dno Deo nro audeat commendare; ſed quia terra ſuſcepit terram & pulvis convertitur in pulverem, donec omnis caro in ſuam redigatur originem inde tuam Deus, piiſſime Pater, lacrimabiliter quæſumus, pietatem, ut huius famuli tui animam, quam de huius mundi voragine ducis ad patriam, Abrahæ amici tui ſinu recipias † & refrigerii rore perfundas, ſit ab æſtuantis gehennæ truci incendio ſegregatus, & beatæ requiei, te donante, coniunctus. Et ſi quæ illi ſunt, Domine, dignæ cruciatibus culpæ, tu eas gratia mitiſſimæ lenitatis indulge, nec peccati recipiat vicem, ſed indulgentiæ tuæ piam ſentiat bonitatem, cumque finito mundi termino, ſupernum cunctis illuxerit regnum, omnium Sanctorum cœtibus aggregatus cum electis reſurgat in parte dextera coronandus. Per. *Alia.* Tibi Domine commendamus animam famuli tui, ut defunctus ſæculo tibi vivat, & ſi qua per fragilitatem mundanæ converſationis peccata admiſit, tu venia miſericordiſſimæ pietatis abſterge. Per. *Alia.* Inveniant quæſumus Domine animæ famulorum, famularumque tuarum omnium in Chriſto quieſcentium lucis æternæ conſortium, qui in hac luce poſiti tuum conſecuti ſunt ſacramentum. *Alia.* Multiplica Domine ſuper animas famulorum famularumque tuarum miſericordiam tuam & quibus donaſti baptiſmi ſacramentum da eis æternorum plenitudinem gaudiorum. Per. *Alia.* Partem beatæ reſurrectionis obtineat, vitamque æternam mereantur in cœlis Per te Ihu Xpe.

In

Digitized by Google

In eodem codice bibliotheca Cæſ. Vindob. qui fuit olim monaſterii S. Margaretha in ſilva nigra ſub tit. in agenda mortuorum *habetur officium deff. omnino ut hodie obtinet, tantum quod nona lectio non ſit ex Iob, ſed lectio epiſtola B. Pauli Ap. ad Theſſalon.* Fratres nolumus vos ignorare de dorm. . . . itaque conſolamini invicem in verbis iſtis.

℟. Libera me Domine de viis inferni.

In matutinis Laudib. Pſ. Miſerere.

Ant. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

Ant. Ne intres in iudicium cum ſervo tuo Dne.

Pſ. Domine exaudi.

II. *Ant.* Me ſuſcepit dextera tua Domine.

Pſ. Deus Deus meus.

Ant. Eruiſti Domine animam meam ne periret.

Pſ. Ego dixi &c.

Ant. Omnis ſpiritus laudet Dominum.

Pſ. Laudate &c. ℣. Requiem æternam.

In Evangel. Ant. Ego ſum reſurrectio & vita &c. (1)

Charta Confœderationis inter Hugonem Abbatem Cluniacenſem & monaſt. D. Blaſii.

Ex autographo manu S. Hugonis ſignato.

Notum ſit omnibus tam præſentibus quam futuris, quod Dominus HUGO Abbas Cluniacenſis ad S. Blaſium veniens, & honorifice a D. W. Abbate S. Blaſii eiusdem loci, & toto Conventu ſuſceptus eſt, & honorificentius tractatus. Unde propter charitatem & ordinis obſervantiam, quam ibi invenit, placuit Ipſi & Abbati & Fratribus eiusdem loci, ut fraternitatem ſibi invicem darent, & confirmarent. Ita inter eos ſtatutum, & confirmatum eſt., ut Conventus S. Blaſii tantum faciat pro Fratribus defunctis Cluniacenſibus, quantum pro ſuis; ſimiliter & Fratres Cluniacenſes idipſum faciant pro defunctis Fratribus S. Blaſii excepta prebenda. Erunt autem in omnibus locis Cluniacenſis Eccleſiæ, ad quæcunque venerint Fratres S. Blaſii, in choro, in capitulo, in refectorio, in ordine ſuo: ſimiliter & Fratres Cluniacenſes erunt in monaſteriis S. Blaſii ſecundum ordinem ſuum. Et ut iſta conſtitutio illibata ſemper permaneat, in ſcripto eſt reddita, & ſigillo Domini Hugonis munita.

Charta Confœderationis a Congregatione Fructuarienſi cum D. Blaſii initæ.

Ex mſc. Codici bibl. Vindob. adglutinatis membranis n. 6. Mſſ. Medic.

Notum ſit omnibus tam præſentibus, quam futuris, quod Congregatio Fructuarienſis & S. Blaſii monaſterii tali tenore coniunctæ ſint, ut quando altera alteri breves (2) pro defunctis ſuis fratribus miſerit, ea faciat unaquæque in miſſarum & vigiliarum orationibus, quæ de ſuis noviter defunctis utraque ex conſuetudine ſolet agere, excepto, quod *voce mea* non dicatur, & præbenda in refectorio non ponatur, & illæ XXX. continuatæ miſſæ (3) non dicantur, alia omnia fiant. Item ut VII. miſſæ & officia in conventu fiant, & per triginta dies *verba mea*, & unusquisque ſacerdos infra annum XXX. miſſas celebret, & qui ſacerdos non fuerit, X. pſalteria dicat. Scribatur etiam in martyrologio regulæ. Et ut hoc inviolabiliter omni tempore teneatur, oportunum videtur, ut hunc brevem utraque iam dicta congregatio ſcriptum in ſua regula habeat.

Senioribus de *Mura*,
& de *Chotewic*, &

---

(1) Subdimus hic antiquas confœderationum pro defunctis formulas *San-Blaſianas*, cuiusmodi notavit *Hirſaugienſes* TRITHEMIUS in Chron. *Hirſaug.* T. I. pag. 296. ſeq. alias MABILLONIUS in Annal. T. II. p. 206. 351. in act. Ord. *S. Bened.* ſæc. IV. P. I. p. 290. P. *Carolus* MEICHELBECK in hiſt. *Friſing.* HARTMANNUS in Annal. *Heremi* Deiparæ, P. *Philib.* HUBER in *Auſtria* ex archivis *Mellicenſibus*, aliique auctores, quorum nonnullos Diſquiſ. XI. c. 2. p. 1043. P. III. indicavimus.

(2) De eiusmodi brevibus egimus l. c. diſq. XI. poſt MABILLONIUM Annal. T. II. p. 206. & 351. Act. O. S. B. ſæc. IV. P. I. p. 290. ſeq. Nempe mors fratris ſtatim per nuntios monaſteriis confœderatis fuit ſignificata hac formula, quam ex antiquo MS. *Rhenaugienſi* accepi: *Fratribus in Chriſto dilectis nos fratres de monaſterio Rinava ſalutem. Intimamus caritati veſtræ obitum fratris noſtri N. defuncti, pro cuius anima ſolitas preces agere dignamini.* In necrologio ſæc. XIV. ſæpius legimus; *Adfuit lator brevium.*

(3) Miſſarum hic tricenarius apud *Cluniacenſes* uſitatus. Sic PETRUS *Venerab.* lib. II. ep. 17. ad *Cluniac.* per diverſas terrarum partes diffuſos poſt obitum matris ſuæ ſcribens, rogat *ut tricenarius miſſarum ei per loca ubi poſſibile fuerit, perſolvatur &c.* Plura ad eum locum annotat QUERCETANUS in Bibl. *Cluniac.* p. 129. Vid. a nobis Diſquiſ. XI. c. II. n. 9. pag. 1038. ſeqq.

Digitized by Google

& de *Wibelingen*,

& de *Albirspach* faciendam eſt ſicut Fructuarienſibus hoc ſuper addito, quod illo die, quo Brevis eorum in Capitulo noſtro pronuntiatur, etiam in refectorio præbenda donatur, & in libro vitæ ſcribuntur.

Confœderationis a FF. S. Blaſii cum monaſterio Hirſaugienſi initæ inſtrumentum.

Hoc eſt pactum, quod inter duo monaſteria ſcilicet *Hirſaugienſe*, & *S. Blaſii* conſtituerunt Abbates eorundem monaſteriorum, WILLEHELMUS, & UTTO, cunctis fratribus voluntarie aſſenſum præbentibus. Quandocunque ex aliquo prædictorum monaſteriorum ad quodcunque ipſorum Brevis pro defuncto fratre interiori vel exteriori mittitur, pronuntiatio eius uſque ad proximum capitulum differatur, & poſt capitulum *verba mea* non ſine pulſatione campanarum ei cantetur, & præbenda tantummodo eadem die ſibi detur, præbenda interior, ſi ſit de interioribus, exterior, ſi ſit de exterioribus. Poſtea vero agantur pro eo VII. miſſæ & VII. officia & totidem *verba mea*, ita tamen, ut ſi ſeptenarius alicuius defuncti ad præſens agitur, huic adiungatur, & ſi interim anniverſarius maiori cultu agendus ſupervenerit, pro ſeptenario ſecunda collecta dicatur. Unusquisque etiam ſacerdotum miſſam unam pro eo celebret; cæterorum quisque ſciens pſalmos L. ei cantet, qui autem hos neſcit, quinquagies pro eo *dominicam orationem* dicat. Quodſi plures, quotquot fuerint, ea die omnibus communiter fiat oratio. Singulæ vero ſingulis dentur præbendæ.

Huius pacti conſuetudinem nihilominus perſolvere ſolemus Fratribus noſtris *Augenſibus* (1) & *Rhenaugenſibus*. Nec non & illis

de *Scafhuſin*,

& de *S. Georgio*,

& de *Altorf*,

& de *Petrishuſin*,

& de *Zwiviltun*, (2)

& de *Breginzo*,

& de *Weizinisbrunnin*,

& de *Iſinum*,

& de *monte S. Petri*,

& ſanctimonialibus de *Turego*,

& de *Burron*,

& de *Einſidillon*,

& de *monte S. Petri* in *Bavaria*.

Tali tenore *Maſſilienſes* fratres coniuncti ſunt congregationi monaſterii *S. Blaſii*, ut ſc. utriusque congregationis orationes illis omnibus communes ſint, & quando venerint literæ pro defunctis eorum ad nos ſemel per annum XXX. continuis diebus officia illis integra perſolvamus, & præbendam unam cottidie de omnibus, quæ in refectorio generaliter fratribus miniſtrantur, in eleemoſynam pro animabus eorum demus. Abbates vero utriusque monaſterii ab hac die & ultra omnes ita in utroque monaſterio poſt obitum habeantur, tanquam ſi Abbates *Maſſilienſes* in monaſterio *S. Blaſii* profeſſi fuiſſent, & Abbates *S. Blaſii* in monaſterio *Maſſilienſi*. Quicunque autem ex monachis utriusque præfatæ congregationis alteram harum congregationum viſitaverint, ita in ea poſt obitum quaſi profeſſi eiusdem loci deinceps habeantur.

Pactum iſtud firmaverunt Abbas *Maſſilienſis* Bernhardus, & Abbas monaſterii *S. Blaſii* Giselbertus in Capitulo *S. Blaſii* Anno quarto, VII. Gregorii Papæ, primo Anno Rudolfi Regis, II. Non. Oct. fer. VI.

Huius pacti conſuetudinem nihilominus perſolvere ſolemus fratribus noſtris de *Meiginmunſtere*.

Canonicis *Turegenſibus* facienda ſunt III officia integra, & totidem miſſæ in Conventu, & per X. dies *Verba mea* poſt matutinum.

Senioribus de *Nerniſtheim* faciendum eſt ſicut *Hirſaugienſibus*.

Canonicis de *Marchbach* faciendum eſt ſicut *Hirſaugienſibus*, excepta præbenda, illa non eſt danda.

Sanctimonialibus de *Turego* faciendum eſt ſicut *Hirſaugienſibus*.

Sanctimonialibus de *Rumlinsberc* faciendum eſt ſicut *Hirſaug*. excepto, quod præbenda non datur.

Canonicis *Harreidenenſibus* faciendum eſt ſicut *Turegenſibus*.

Canonicis de *Reitinbuch* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.* excepto, quod præbenda non datur.

Similiter faciendum eſt Sanctimonialibus de *Waltchilcho*.

Sanctimonialibus de *Otteliniſtette* faciendum eſt ſicut ſenioribus de *Hirſaugia*, excepto, quod præbenda non datur.

Senioribus de *S. Afra* in *Auguſta* civitate faciendum eſt ſicut *Hirſaug.*

Senioribus de *Niderbach* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.*

Senioribus de *Wagenhuſen* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.*

Senioribus

(1) Vid. Iter *Alemannicum* edit. I. p. 267.

(2) Ibid. p. 205. ſeq.

Digitized by Google

Senioribus de *Beinwilare* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.*

Sanctimonialibus de *Altinmunſtere* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.* excepto, quod præbenda non datur.

Canonicis de *Lutinbach* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.* excepto, quod præbenda non datur.

Senioribus de *Reginberiſbuunin* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.*

Senioribus de *monte S. Petri* in *Bavaria* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.*

Sanctimonialibus de *Andela* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.* excepto, quod præbenda non datur.

Canonicis de *Spira* faciendum eſt ſicut *Turegenſibus.*

Senioribus de *Chamberch* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.*

Senioribus de *Murrath* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.*

Senioribus de *Eirlach* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.*

Senioribus apud *Coloniam* in monaſterio *S. Pantaleonis* conſiſtentibus facienda ſunt VII. vigiliæ, & VII. miſſæ in Conventu, & per X. dies *Verba mea*, & unuſquiſque ſacerdos miſſam unam, inferiores ordine L. Pſalmos.

Senioribus de *Sigeberc* faciendum eſt ſicut *Hirſaug.*

Senioribus de *Wile* . . . faciendum eſt ut de *Sigeberc.*

Senioribus de monaſterio *S. Iacobi* prope *Mogonciam* faciendum eſt ſicut *Hirſaugienſibus*, excepta prebenda, ſed per X dies *Verba mea.*

Similiter faciendum eſt illis de *S. Albano* apud eandem civitatem.

Senioribus *Calmoſiacenſibus* facienda ſunt III. officia, & totidem miſſæ, & per X. dies *Verba mea.*

Senioribus de *Augia S. Mariæ* faciendum ſicut illis de *Petriſhuſin.*

Tali more *Calmoſiacenſes* fratres counitì ſunt Congregationi *S. Blaſii*, ſcilicet ut utriusque orationes & eleemoſinæ, & cætera bona opera illis omnibus communes ſint, & quando venerint literæ defunctorum illorum ad nos, vel noſtrorum ad illos, agantur pro eis VII. miſſæ & VII. vigiliæ in Conventu, & per X. dies *verba mea.* Unusquiſque etiam ſacerdos miſſam unam pro eis celebret, cæterorum quiſque ſciens pſalmos, L. pro eis cantet, qui autem pſalmos neſcit, quinquagies pro eis Dominicam orationem dicat. Et ne forte negligentia fiat in deferendis literis defunctorum, placuit, ut utriusque loci congregatio pro defunctis alterius congregationis illo anno mortuis in vigilia S. Michaelis quod eſt III. Calendas Octobris, commemorationem faciat, ut ſiquid neglectum fuerit, tunc compleatur.

Similiter faciendum eſt Canonicis *de Cella S. Mariæ* in nigra ſilva.

Senioribus de *Cella* faciendum eſt ſicut illis de *Petriſhuſin.*

Senioribus de monaſterio *S. Waltpurgæ*, quod eſt in ſilva, quæ dicitur *Heiligenvorſt*, faciendum eſt ſicut illis de *Petriſhuſin.*

Canonicis de monaſterio *S. Leonis*, quod conſtitutum eſt in civitate *Tulenſi* facienda ſunt tria officia cum totidem miſſis in Conventu, & per X. dies *verba mea.*

Senioribus de *Geigenbach* faciendum eſt ſicut illis de *Petriſhuſin.*

Similiter faciendum eſt ſenioribus de monaſterio *S. Georgii*, quod ſitum eſt iuxta *Ratiſponam.*

Senioribus de monaſterio *S. Augendi* facienda ſunt per ſingulos annos poſt feſtivitatem S. MICHAELIS VII. officia.

Canonicis de Cella *S. Ratolfi* facienda ſunt VII. officia, & totidem miſſæ in Conventu, & per X. dies *verba mea.*

Senioribus de monaſterio *S. Michaelis*, quod ſitum eſt in epiſcopatu *Babinbergenſi* faciendum eſt ſicut illis de *Petriſhuſin.*

Canonicis de cella *S. Afræ* . . . . . . (1)

(1) Hucuſque Codex *Vindobonenſis*, in quo reliqua nobiscum confœderata cœnobia deſiderantur. Sunt quippe hæc tantum necrologii fragmenta, quatuor nempe membranæ aſſerculis, quibus codex tegitur, adglutinatæ. Codex eſt ſæc. XII. vel ad finem XI. referendus olim monaſterii *S. Blaſii*, ut in ipſa fronte præfert nota: *Iſte liber eſt monaſterii S. Blaſii nigre ſilve, & fuit accommodatus reverendo in Chriſto Rudolpho Dei gratia Conſtantienſi epiſcopo, anno Domini MCCLXXVIII, Indictione VI. in octava beatorum apoſtolorum Philippi & Iacobi.* Fuit hic RUDOLPHUS II. Comes de *Habſburg*, *Laufenburg.* familiæ, epiſcopus *Conſtant.* ab anno 1274. uſque 1293.

FINIS PARTIS SECUNDÆ.

Digitized by Google

MONUMENTA
VETERIS LITURGIÆ ALEMANNICÆ.
PARS III.

In Nomine Dei Patris & Filii & Sps ſci. Incipiunt Decretalia Innocentii Papæ. Innocencius Decencio Epiſcopo Capuano. (1)

Si inſtituta eccleſiaſtica, ut ſunt a beatis Apoſtolis tradita, integra vellent ſervare Dni Sacerdotes, nulla varietas nulla diverſitas in ipſis ordinibus, ac conſecrationibus haberetur; ſed dum unusquisque non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc arbitrat eſſe tenendum; inde diverſa in diverſis locis vel eccleſiis aut tenere, aut celebrare videntur, ac fit ſcandalum populis, qui, dum neſciunt traditiones antiquas humana præſumptione corruptas, putant ſibi eccleſiis non convenire, aut (2) apoſtolicis ſcriptis contraria, & non utenda indicta. Quis ergo neſciat, aut non avertat id, quod a principe apoſtolorum Petro Romanæ eccleſiæ & traditum eſt, ac nunc uſque cuſtoditur, debere ab omnibus ſervari, nec ſuperduci aut induci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur; exemplum præſertim cum ſit manifeſtum in omni Italia, Galliis, Spania, Affrica atque Sicilia, & in inſulis interiacentibus, nullum inſtituiſſe eccleſias, niſi eos, quos venerabilis apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes; aut legunt, ſi in his provinciis alius apoſtolorum invenitur, aut legitur docuiſſe; qui, ſi non legunt, quia nuſquam inveniunt. Oportet ergo eos hoc ſequi, quod eccleſia Romana cuſtodit, ex qua eas principium accepiſſe, dubium non eſt, nec dum peregrinis adſercionibus ſtudent, caput inſtitucionum videantur amittere.

Sæpe dileccionem tuam ad urbem veniſſe ac nobiſcum in eccleſia conveniſſe non dubium eſt, & quem morem vel in conſagrandis miſteriis vel in ceteris agendis archanis teneat, cognoviſſe, quod ſufficere arbitrarer (3) ad informacionem eccleſiæ tuæ, vel reformacionem, ſi præceſſores tui minus aliquid, aut aliter tenuerunt Sacerdotes, tunc noticiam haberem; niſi de aliquibus conſulendum non eſſe duxiſſes: quibus idcirco reſponderemus, non quod te aliquid ignorare credamus, ſed ut maiore auctoritate vel tuos inſtituas, vel ſi qui a Romanæ eccleſiæ inſtitucionibus aberrant, aut commoneas, aut indicare non differas, ut ſcire valeamus, qui ſint, qui aut novitates inducunt,

(1) Epiſtolam hanc decretalem S. INNOCENTII I. P. codici liturgico *San-Gallenſi* ſæc IX. præmiſſam hic recudendam eſſe duximus, indicio, eam in noſtra *Alemannia* pro cynoſura fuiſſe habitam, uti & ea quæ porro ſequuntur de ordine *Romano*, quoad ritus liturgicos.

(2) *Aut ab apoſtolis, vel apoſtolicis viris contrarietatem indictam.* Sic edita epiſtola a COUSTANTIO, qui tamen lectionem noſtram notat in cod. *Colbert.* excepta voce *indicta.*

(3) Ed *quod ſufficere ad informationem eccleſiæ tuæ vel reformationem, ſi præceſſores tui minus aliquid, aut aliter tenuerunt, ſatis certum haberemus, niſi de aliquibus conſulendos nos eſſe duxiſſes.* Vocem *arbitrarer* in priſcis editionibus conciliorum, perinde ac in Mſſ. hic addi, notat COUSTANTIUS, abundat autem iuxta contextum vulgatum, nec noſter vitio caret.

cunt, aut alterius eccleſiæ quam Romanæ conſuetudines, credunt eſſe ſervandas.

I. Pacem igitur aſſeris ante confecta Myſteria quibusdam populis imperare, vel ſibi inter ſe Sacerdotes tradere; cum poſt omnia, quæ aperire non dubio, pax ſit neceſſario indicenda, per quam conſtet & populum ad omnia, quæ in Myſteriis aguntur atque in eccleſia celebrantur præbuiſſe conſenſum, ac finita eſſe pacis concludentis ſignaculo demonſtrentur.

II. De nominibus vero recitandis antequam pacem Sacerdos faciat atque oblationes; quorum nomina recitata ſunt, ſua oratione commendet, quam ſuperfluum ſit, & ipſe pro tua prudencia recognoſcis, ut cuius hoſtiam nondum Deo offeras eius ante nomen inſinuis, cum illi incognitum nihil ſit; prius ergo oblatiunes ſunt commendandæ, & tunc eorum nomina, quorum ſunt edicenda, ut inter ſacra myſteria nominentur, non inter aliqua ante præmittimus, ut ipſis myſteriis fori viam futuris precibus aperiamus.

III. De conſignandis vero infantibus; manifeſtum eſt non ab alio quam Epiſcopo fieri licere. Nam presbyteri, licet ſint ſecundi Sacerdotes, pontific ti tamen apicem non habent, hoc autem pontificium ſolis debere epiſcopis, vel ut conſignent, vel ut paraclytum Spiritum tradant, non ſolum conſuetudo eccleſiaſtica demonſtrat, verum illa leccio apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Iohannem eſſe directos, qui iam baptizatis tradant Spiritum ſanctum. Nam presbyteri ſeu extra epiſcopum, ſive præſente epiſcopo cum baptizant cryſmate unguere licet baptizatos, ſed quod ab epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen frontem ex eodem oleo ſignare, quod ſolis debetur Epiſcopis cum tradunt Spiritum paraclytum, verba dicere non poſſum, ne magis prodere videar, quam ad conſulcionem reſpondere. Sabbato vero ieiunandum eſſe racio evidentiſſima demonſtrat: nam ſi diem dominicam, hoc eſt venerabilem reſurreccionem Dni nri Ihu Xpi non ſolum in paſcha celebramus, verum etiam per ſingulos circulis ebdomadarum ipſius diei imaginem frequentamus, ac ſexta feria propter paſſionem Dni ieiunatur; Sabbatum prætermittere non debemus, qui inter triſtitiam & lætitiam temporis illius videtur incluſus. Nam utique conſtat apoſtolos biduo iſto & in merore fuiſſe, & propter metum Iudeorum ſe hoc coluiſſe, quod utique non dubium, in tanto ieiunaſſe biduo; memoratur, ut traditio eccleſiæ habet, iſto biduo Sacramenta non celebrare, quæ utique forma per ſingulas ebdomatas eſt tenenda propter id, quod commemoratio diei illius ſemper eſt celebranda, quod, ſi ſemel putant, aut utique uno Sabbato ieiunandum; ergo & dominico, & ſexta feria ſemel in paſcha erit utique celebrandum. Si autem dominici diei ac ſextæ feriæ per ſingulas ebdomadas reparanda eſt imago, dementis (agere) eſt biduo augere conſuetudinem Sabbato prætermiſſo, cum diſparem habeat cauſam; a ſexta videlicet feria, in qua Dns paſſus eſt, quando ad inferis fuit, die tercia ſurgens redderet lætitiam poſt biduanum recedente triſtitia. Non ergo negamus ſexta feria ieiunandum, ſed dicimus & Sabbato hoc agendum, quia ambo dies triſtitiam apoſtolis, vel his, qui Xpm ſecuti ſunt, indixerunt, qui die dominica hilarati, non ſolum ipſum feſtiviſſimum eſſe voluerunt, verum etiam per omnes ebdomadas frequentandum eſſe duxerunt.

IIII. De fermento, quod die dominico capitulo (per titulos) mittimus ſuperflue nos conſulere voluiſti cum omnes eccleſiæ noſtræ infra civitatem ſint conſtitutæ, quarum presbyteri, qui die ipſa propter plebem ſibi creditam nobiscum convenire non poſſunt, idcirco fermentum a nobis confectum per acolythos accipiunt, ut ſe a noſtra comminione maxime non iudicentur reparatos, quod per parœcias fieri debere non puto, quin e longe portanda ſunt ſacramenta, nec nos per cemeteria diverſa conſtitutis presbiteris deſtinamus, & presbiteri eorum conficiendorum ius habeant, atque lecenciam.

V. De his vero baptizatis, qui poſtea a dæmonio vitio aliquo aut peccato interveniente arripiuntur, eſt ſolicita Dilectio tua, ſi a presbytero aut diacono poſſint aut debeant deſignari, quod niſi epiſcopo præcipere non licet, nam ei manus imponenda non eſt, niſi epiſcopus auctoritatem dederit, id efficiendi, ut autem fiet epiſcopi eſt imperare, ut manus ei vel a presbytero, vel a cæteris Clericis imponantur. Nam quomodo id fieri ſine magno labore poterit, ut longe conſtituti energumeni ad epiſcopum ducantur. Cum ſi talis cauſa ei in itinere acciderit, nec perferri ad epiſcopum, nec referri ad ſua facile poſſit.

VI. De pœnitentibus autem, qui ſive & gravioribus commiſſis, ſive levioribus, pœnitentiam gerunt, ſi nulla intervenit ægritudo, quinta feria ante paſcha eis remittendum, Romanæ eccleſiæ conſuetudo demonſtrat. Cæterum de pondere delictorum ſacerdos iudicare debet confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas cor regentis (corrigentis), ac tunc iubere dimitti, cum viderit congruam ſatisfactionem ſuam, vel ſi quis

Digitized by Google

quis ægritudinem incurrerit, atque uſquequaque ad deſperationem devenerit, ei ante tempus paſchæ relaxandum, nec de ſæculo absque communione diſcedat. Sane cum de hoc, ſicuti de cæteris conſulere voluerit Dilectio tua; adiecit etiam filius meus Cœleſtinus in epiſtola ſua ad tuam Dilectionem poſitam, illud, quod in beati Iacobi epiſtola conſcriptum eſt: ſi infirmus aliquis ex vobis eſt, vocet presbyterum, oratio fidei ſalvabit laborantem, & ſuſcitabit eum Dns, & ſi peccatum fecit, remittitur ei: quod de fidelibus ægrotantibus accipi vel intelegi debere, qui ſco oleo chriſmatis perungi poſſunt, quod ab epiſcopo confectum non ſolum ſacerdotibus, ſed & omnibus Xpianis licet in ſua neceſſitate ungendum.

Ceterum illud ſuperfluum adiectum, ut ab epiſcopo ambigatur, quod presbyteris licere dubium non eſt. Nam idcirco presbyteris dictum eſt, quia epiſcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidas non poſſunt ire. Ceterum epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem a ſe viſitandum & benedicere & chriſmare ſine cunctatione poteſt; cuius & chriſma conficere, nam pœnitentibus infundi non poteſt, quia genus eſt ſacramentorum, nam quibus reliqua ſacramenta negantur, quomodo hoc genus putatur concedi.

His igitur frater chariſſime omnibus, quæ tua Dilectio voluit a nobis exponi, prout potuimus reſpondere curavimus, ut eccleſia tua Romanam conſuetudinem, a qua originem ducit, ſervare valeat, atque cuſtodire. Reliqua vero, quæ ſcribere fas non erat, cum adfueris, interrogati poterimus edicere. Erit autem Domini potentiæ etiam id procurare, ut eccleſiam tuam & Clerum noſtrum, qui ſub tuo pontificio divinis famulatur officiis, bene inſtituas, & aliis formam tribuas, quam debeant imitari. Data XIIII. Kalendarum Aprilium Theodoſio Auguſto & Paladio conſulibus.

Ordo Proceſſionis ad eccleſiam, ſive ad Miſſam.

Ex Mſc. Turicenſi ſæc. IX. collato cum Cod. Einſidlenſi ſæc. X. circ. (1) *&* *edito a* MABILLONIO *T. II. Muſ. Ital.*

1) Primum omnium obſervandum eſt, ſeptem eſſe regiones & eccleſiaſtici ordinis urbis Romæ, & unaquæque regio ſingulos habere diaconos regionarios, & uniuſcuiusque acoliti per manum ſubdiaconi regionarii diacono regionis ſuæ officii cauſa, ſubduntur; quorum diaconorum, ſi quando quiſpiam moritur, donec loco eius alius ſubrogetur, illius regionis acoliti archidiacono obediant; quia omnes acoliti, cuiuscunque regionis ſint, cauſa eccleſiaſtici officii ad miniſterium eius pertinent. Quod etiam de conſequentibus ordinibus intelligendum eſt, ſervata unicuique poſt eum proprii gradus archidiaconi (prærogativa) in ſui ordinis miniſterio ſubditis, ut ſi quis, verbi gratia paſſus fuerit ſive ab eccleſiaſtico, ſeu a quacunque militari perſona, ſi a ſui ordinis primo eius cauſa ad effectum minime pervenerit, audiat (habeat) archidiaconus isdem vicarius pontificis cauſam, quod non ſubdito eum ſibi querelas absque notitia poſſit explicare Pontificis. Cætera vero per omnes ordines finiantur, nam primo (ſcire) oportet, ut poſt numerum eccleſiaſticarum ſciet, qui voluerit, numerum dierum per hebdomadam, quo ordine circulariter obſequantur; nam prima feria regio tertia eſt, id eſt, paſchæ: ſecunda feria, regio quarta: tertia feria, regio quinta: feria quarta, regio ſexta: feria quinta, regio ſeptima: feria ſexta, regio prima: ſabbato, regio ſecunda, ordine proprias, tam in proceſſione, quam eccleſia, vel ubicunque eos propria dies ratione ſui gradus (priſca ſtatutio) priſtina ſtatio ire vel miniſtrare compulerit. A miniſterio Pontificis non poterit ſine ulla ſui deeſſe excommunicationis vel animi averſionis (animadverſionis) ſententiæ diſciplina; quorum miniſteria primitus ſecundum rationem ſimplicem dupliciter diebus ſingulis dividuntur, id eſt in proceſſione apoſtolica ad ſtationem, & ingreſſus (M. & in egreſſu) ſacrarii uſque ad miſſarum conſummationem.

2) Diebus itaque ſolemnibus, ſicuti eſt paſcha, primo omnes acoliti regionis tertiæ, & defenſores omnium regionum venientes diluculo in patriarchio lateranenſi præcedent Pontificem pedeſtres ad ſtationem; ſtratores autem laici a dextris (& a ſiniſtris) æqui ambulant, ne alicubi titubent; qui autem eos equitantes præcedunt, hi ſunt: Diacones Primicerius, & duo Notarii regionarii, Defenſores regionarii, Subdiaconi regionarii. Procedunt vero diviſis turmis, ſpatium inter ſe & apoſtolicum facientes. Poſt equum vero hi ſunt qui equitant: Vicedominus, veſtiarius, nomenculator, atque ſacellarius.

Unus autem ex acolitis ſtationarius præcedit pedeſter, equum Pontificis, geſtans ſanctam chriſmam manu in mappula cum annulo involuta; ſed

(1) Notat hunc codicem MABILLONIUS in admonitione prævia inſuper & *San-Gallenſem*: unde palam eſt hunc omnium antiquiſſimum ordinem *Romanum* veteres *Alemannos* liturgos præ oculis paſſim habuiſſe.

Digitized by Google

ſed & omnes acoliti absque ſacculis & ſindones & chriſmate non procedunt, quod diſponet ſtationarius. Si quis autem adire voluerit Pontificem, ſi equitat, ſtatim ut eum viderit, deſcendat de equo, ex latere viæ expectat dum ab eo poſſit audiri, & petita benedictione diſcutitur a Nomenculatore vel ſacellario cauſa eius, & ipſi indicant Pontifici, & finiunt. Quod & ſimiliter obſervabitur, etiamſi absque ulla petitione ei quisquam obvius fuerit; (1) tantummodo loco ſuo figitur, ut ab eo audiatur, vel benedicatur.

3) Die vero reſurrectionis Dominicæ, procedente eo ad ſanctam Mariam, Notarius regionarius ſtat in loco, qui dicitur merulanas; & ſalutato Pontifice dicit: *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti baptizati ſunt heſterna nocte in ſancta Dei genitrice Maria infantes maſculini numero tanti; femina tanta;* reſpondet: *Deo gratias;* & accipiet a ſacellario ſolidum unum; Pontifex autem pergit ad ſtationem. Feria ſecunda ad Miſſam ſimiliter (M. ſimpliciter). Feria tertia in reflexione portici ſancti Pauli tantum; (item qui ped.) hæcque pedeſtres obſequuntur. In die vero ſanctum paſchæ omnes acoliti regionis tertiæ, ſimiliter defenſores omnium regionum conveniunt primo diluculo in patriarchio lateranenſi; & dum proceſſerit Pontifex, equum illius præcedunt. Acoliti autem, qui inde fuerint (obſervant, ut portent) chriſma ante Pontificem & Evangelia, ſindones & ſacculos, & aquam manus poſt eum, ſicut ſupra diximus, portent, apoſtolum autem ſubdiaconus, qui lecturus eſt, ſub cura ſua habebit, Evangelium archidiaconus, aquam manus, patenam quotidianam, calicem, ſcyphos, & pugilares, alios argenteos, & alios aureos, & gemelliones argenteos, colatorium argenteum & aureum, & alium maiorem argenteum, ammas argenteas, cantatoria & cetera vaſa aurea & argentea (2) de eccleſia Salvatoris per manum primi manſionarii ſumunt, & baiuli portant.

4) Diebus vero feſtis calicem & patenam maiores & evangelia maiora de veſtiario dominico exeunt ſub ſigillo (3) gemmarum, unde procedant. Sellam Pontificis cubicularius laicus præcedens deportat, ut parata ſit, dum in ſacrario venerit ad denuntiatam ſtationem.

5) Denunciata ſtatione diebus feſtis, primo mane procedit omnis clerus Apoſtolicum ad eccleſiam (4) exceptis his, qui in obſequio illius comitantur, ut ſupra diximus, qui ordine ſuo ſcribitur, exſpectantes Pontificem in eccleſia cum ſupplanetario (ſupplementario) & baiulis, & reliquis qui cruces portant, ſedentes in presbiterio; Epiſcopi quidem ad ſiniſtram intrantibus, presbiteri vero in dexteram, ut quando Pontifex ſederit, ad eos reſpiciens, Epiſcopos ad dexteram ſuam, presbiteros vero ad ſiniſtram contueatur. Sed dum venerit Pontifex prope eccleſiam, exeuntes acoliti & defenſores ex regione illa, cuius dies ad officium fuerit in obſequio, præſtolantur eum in loco ſtatuto antequam veniat, ubi deſcenſurus eſt. Similiter & presbiteri tituli vel eccleſiæ ubi ſtatio fuerit, unacum Maioribus domus Eccleſiæ Romanæ vel patre diaconiæ, ſi tamen illa eccleſia diaconiæ fuerit, cum ſubdito ſibi presbitero & manſionario, thimiamaterium deferentibus in obſequium illius inclinato capite, dum venerit. Acolitus quidem cum defenſoribus primum, deinde presbiter cum ſuis petita benedictione diviſis hinc inde partibus, prout militant, præcedunt Pontificem uſque ad eccleſiam; advocatores autem eccleſiæ ſtant quidem cum Maioribus, non autem procedunt cum eis, ſed ipſi tantummodo ſequuntur ſellarem Pontificis cum acolito, qui aquam manus portat, quam ſemper neceſſe eſt ſequi Pontificem uſquedum ad altare aſcendat paratus ſub humero in presbiterio, quando vocetur a ſubdiacono regionario ad aquam dandam. Cum vero eccleſiam introierit Pontifex, non aſcendit continuo ad altare, ſed prius intrat in ſecretarium, ſuſtentatus a diaconibus, qui eum ſuſceperint de ſellario deſcendentem; ubi dum intraverit, ſedet in ſella ſua, & diaconi ſalutato Pontifice egrediuntur ſecretario, & ante fores eiusdem mutant veſtimenta ſua, & parat evangelium qui lecturus eſt. Reſerato ſigillo præcepto Archidiaconi ſubplaneta acoliti, & ſi neceſſe fuerit propter maiora evangelia, duobus acolitis ſuper planetas tenentibus, parat evangelium; quo facto, acolitus defert evangelium uſque ante altare in presbyterium præcedente eum ſubdiacono, ſequente qui eum deſuper planetam illius ſuſcipiens manibus ſuis honorifice ſuper altare ponat; nam egredientibus diaconibus de ſecretario, remanent

(1) Qui vero pedeſter fuerit.

(2) Cereoſtata aurea & argentea.

(3) Veſterarii per numerum gemmarum, ut non perdantur.

(4) Ubi ſtatio antea fuerit denunciata.

Digitized by Google

manent cum Pontifice Primicerius, Secundicerius. Primicerius defenſor, Notarii regionarii, Defenſores regionarii, ſubdiaconi, & ſubdiaconus ſequens, qui tenet pallium Pontificis in brachio ſuo, ſuperplanetam in ſiniſtro brachio cum acubus. Pontifex autem per manus ſubdiaconorum regionariorum mutat veſtimenta ſollemnia hoc ordine: Defert ea plicata cubicularius tonſoratus accepta a manibus oſtiarii iuxta caput ſcamni ſubdiaconi regionarii, & tunc ceteri ſubdiaconi regionarii ſecundum ordinem ſuum accipiunt ad induendum Pontificem ipſa veſtimenta, alius lineam alius cingulum, anagolagium (anagolaium) id eſt amictum, alius dalmaticam, & alius planetam, & ſic per ordinem induunt Pontificem. Primicerius autem & ſecundicerius componant veſtimenta eius, ut bene ſedeat; noviſſime autem, quem voluerit domnus Pontifex de diaconibus vel ſubdiaconibus, cui ipſe iuſſerit, ſumit de manu ſubdiaconi pallium, & induit ſuper Pontificem, & configit eum cum acubus in planeta retro & ante, & in humero ſiniſtro, & ſalutat domnum & dicit: * *Iube domne benedicere:* ℟. *Salvet nos Dominus.* ℟. *Amen*; deinde ſubdiaconus regionarius tenens mappulam Pontificis in ſiniſtro brachio ſuperplanetam revolutam exiens ad regiam ſecretarii dicit: Scola? ℟. *Adſum:* & ille *qui pſallit* ℟. *ille & ille*, & rediens ad Pontificem ſubdiaconus porrigit ei mappulam inclinans ſe ad genua ipſius, & dicens: * *Servi Dni mei! talis ſubdiaconus regionarius legit Apoſtolum, & talis & talis cantat;* & poſtea non licet alterum mutare in loco lectoris vel cantoris; quod ſi factum fuerit, archiparaphoniſta a Pontifice excommunicabitur, id eſt quartus ſcolæ, qui ſemper Pontifici nuntiat de cantoribus; cui dum nuntiatum fuit, ſtatim ſequitur quartus ſcolæ ſubdiaconum, adſtans ante faciem Pontificis uſquedum ei * annuat Pontifex ut pſallant; cui dum annuerit, ſtatim egreditur ante fores ſecretarii dicens: *accendite?* qui dum incenderint, ſtatim ſubdiaconus ſequens tenens thimiamaterium aureum pro foribus ponit incenſum, ut pergat ante Pontificem; & ille quartus ſcolæ pervenit in presbyterio ad priorem ſcolæ vel ſecundum ſive tertium, inclinato capite dicit: *Domine* (*Domini*) *iubete!* tunc illi elevantes per ordinem vadunt ante altare, & ſtatuuntur per ordinem acies duæ, paraphoniſtæ quidem hinc inde, a foris infantes ab utroque latere infra per ordinem.

6) Et mox incipit prior ſcolæ antiphonam ad introitum ſubdiaconi de ſcola levent planetas cum ſinu, quorum vocem diaconi dum audierint, continuo intrant ad pontificem in ſecretario; & tunc Pontifex elevans ſe dat manum dexteram Archidiacono, & ſiniſtram ſecundo, vel qui fuerit in ordine; & illi oſculatis manibus illius procedunt cum ipſo ſuſtentantes eum; tunc ſubdiaconus ſequens cum thimiamaterio procedit ante ipſum mittens incenſum; & ſeptem acolyti ipſius regionis, cuius dies fuerit, portantes ſeptem cereoſtata accenſa, procedunt ante Pontificem uſque ante altare: ſed priusquam veniant ante altare, diacones infra presbyterium (1) exuuntur planetis, & ſuſcipit eas ſubdiaconus regionarius, & porrigit illas ad acolitos regionis, cuius fuerit diaconia; & tunc duo acoliti tenentes capſas cum ſancta (ſanctis) apertas, & ſubdiaconus ſequens cum ipſis tenens manum ſuam in ore capſæ, oſtendit ſancta Pontifici vel Diacono qui proceſſerit; tunc inclinato capite Pontifici vel Diacono, ſalutat ſancta priusquam veniat ad ſcolam, & contemplatur, ut ſi fuerit ſuperabundans, præcipiat, ut ponatur in conditorio, tunc peraccedens antequam veniat ad ſcolam, dividunt cereoſtata, quatuor ad dextram, & tres ad ſiniſtram partem, & pertranſit Pontifex in caput ſcolæ, inclinat caput ad altare, ſurgens & orans, & faciens crucem in fronte ſua, dat pacem uni Epiſcopo de ebdomadariis & Archipresbytero & diaconibus omnibus; & reſpiciens ad priorem ſcolæ, annuit ei, ut dicat *gloria*, & prior ſcolæ inclinat ſe Pontifici, & inponit, quartus vero ſcolæ procedit ante Pontificem, ut ponat oratorium ante altare, ſi tempus fuerit, & accedens Pontifex orat ſuper ipſum, uſque ad repetitionem verſus.

7) Nam Diaconi ſurgunt quando dicunt *Sicut erat*, ut ſalutent altaris latera, prius duo & duo iuſſi redeuntes ad Pontificem; & ſurgens Pontifex oſculatur evangelia & altare, & accedit ad ſedem ſuam, & ſtat verſus ad orientem; ſcola vero finita antiphona, incipit (imponit) *Kyrie eleiſon*, & continuo acoliti ponunt cereoſtata in pavimento eccleſiæ, tres quidem in dexteram partem, & tres in ſiniſtram, unum vero in medio in ſpatio, quod eſt inter eos; prior vero ſcolæ cuſtodit ad Pontificem, ut ei annuat, quando vult mutare numerum letaniæ. Et inclinat ſe Pon-

* Quoties deinceps hoc aſteriſci ſignum comparet ab edito differt hic noſter ordo, & abundat. Ubi enim Mabillonius aliquid amplius habet, ſingillatim annotamus.

(1) In presbyterio.

Digitized by Google

Pontifici; quam dum finierint, (1) incipit Pontifex *Gloria in excelſis Deo* (2) Si tempus fuerit, & non ſedet antequam dicat poſt orationem primam, *amen.* Et tunc ſumantur cereoſtata de loco, in quo prius ſteterant, ut ponantur in una liena apud mediam eccleſiam. Interea diaconi, ſi tempus fuerit, levant planetas in ſcapulas, & ſtant iuxta Pontificem; ſimiliter & levant ſubdiaconi, ſed cum ſinu; & tunc aſcendunt ſubdiaconi regionarii ad altare (3) ſtatuentes ſe ad dexteram ſive ad ſiniſtram altaris: ſubdiaconus quidem, qui lecturus eſt, mox ut viderit poſt Pontificem Epiſcopos vel presbyteros ſedentes, aſcendit in ambonem & legit. Poſtquam vero legerit, cantor cum cantatorio aſcendit, & dicit reſponſum gradale, & ſi fuerit tempus, ut dicatur *Alleluia*, bene: ſi autem tractum: ſi minus, tantummodo reſponſum. Ad completionem autem *alleluia* * vel reſponſ. &c. parant ſe diaconi ad evangelium legendum, ſi autem diaconus ibidem non fuerit, Presbyter ſicut diaconus ſtat iuxta Pontificem, ſed non relevata planeta; at ubi evangelium legere debet, ibi ſe parat ubi & diaconus. Sed ſtatim ubi perlegerit evangelium, & venerit ante altare reveſtit planeta & ornat altare ſicut diaconus; Diaconus autem oſculatur pedes Pontificis, & tacite dicit ei Pontifex: *Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis.* Deinde venit ante altare, & oſculatis evangeliis levat in manus ſuas codicem, & procedunt ante ipſum duo ſubdiaconi regionarii levantes thimiamaterium de manu ſubdiaconi ſequentis, mittentes incenſum, & ante ſe habentes duos acolitos portantes duo cereoſtata. Venientes ad ambonem dividuntur ipſi acoliti ante ambonem, & tranſeunt ſubdiaconi, & diaconus cum evangelio per medium eorum; ille, qui abſque thimiamaterio eſt, vertens ſe ad diaconem porrigit ei brachium ſuum ſiniſtrum, in quo ponit evangelium, ut manu ſubdiaconi aperiatur ei locus, in quo ſignum lectionis poſitum fuerit, & interpoſito digito ſuo diaconus in loco lectionis aſcendit ad legendum, & illi duo ſubdiaconi redeunt ſtare ante gradum deſcenſionis ambonis, finito evangelio dicit Pontifex: *Pax tibi; Dnus vobiscum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* Deſcendente autem diacono ſubdiaconus, qui prius aperuerat, recipit evangelium, & porrigit eum ſubdiacono ſequenti, qui in filo ſtat, quod tenens ante pectus ſuum ſuper planetam porrigit oſculandum omnibus per ordinem graduum qui ſteterint; & poſt hinc præparato acolito in polo (4) iuxta ambonem cum capſa, in qua ſubdiaconus idem ponit evangelium, ut ſigilletur: Accolitus autem erit regionis eiusdem cuius & ſubdiaconus, & revocat evangelium a lateranis. *

8) Ceteri vero acoliti ſumentes cereoſtata, ponent ea retro altare per ordinem. * Deinde pergente diacono ad altare ſtante acolito cum calice & corporale ſuper eum, levat calicem in brachio ſuo ſiniſtro, & porrigit diacono corporalem, ut accipiat deſuper calicem, & ponit eum ſuper altare a dextris, proiecto capite altero a diacono ſecundo ut expandantur. (5) Subdiaconus vero cum calice vacuo ſequitur Archidiaconum; Pontifex autem deſcendit ad ſenatorium, tenente manum eius dexteram primicerio Notariorum, & primicerio defenſorum ſiniſtram, & ſuſcipit oblationes Principum per ordinem (6) arcuum; Archidiaconus poſt eum ſuſcipit amulas & refundit in calicem maiorem, tenente eum ſubdiacono regionario, quem ſequitur cum ſcypho ſuper planetam acolitus, in quo calix impletus refunditur. Oblationes a Pontifice ſuſcipit ſubdiaconus regionarius, & porrigit ſubdiacono ſequenti, & ſubdiaconus ſequens ponit in ſindonem, quam tenent duo acoliti: reliquas oblationes poſt Pontificem ſuſcipit Epiſcopus hebdomadarius, & ipſe manu ſua mittet eas in ſindonem, qui eum ſequitur, poſt quem diaconus, qui ſequitur poſt archi-

(1) M. dirigens ſe Pontifex contra populum.

(2) M. Et ſtatim regyrat ſe ad orientem uſquedum finiatur. Poſt hoc dirigens ſe iterum ad populum & dicens *Pax vobis.* & regyrans ad orientem dicit *Oremus* & ſequitur oratio. Poſt finitam ſedet, ſimiliter epiſcopi vel presbyteri ſedent, tunc aſcendent &c. Altare in eccleſiis *Romanis Vaticana, Lateranenſi, S Pauli &c.* medium ad occidentem vergit, unde neceſſe haud eſt, ut ſacerdos gyret ſe verſus populum: id quod in noſtro codice idcirco non praſcribitur, unde propius accedit ad primariarum *Romanæ* urbis eccleſiarum uſum, ſecus ac vulgatus a MABILLONIO. Vid. vet. Liturg. *Alem.* T. I. diſquiſ. IV. c. 2. n. 10. pag. 301. ſeq.

(3) Tunc Pontifex annuit epiſcopis & presbyteris ut ſedeant.

(4) M. pogio. E. poio.

(5) Tunc aſcendunt ad ſedem primicerius & ſecundicerius, & primicerius defenſorum cum omnibus regionariis & notariis.

(6) M. archium.

Digitized by Google

archidiaconem, ſuſcipit amulas, & manu ſua refundit in ſciphum. Pontifex vero, antequam tranſeat in partem mulierum, deſcendit ante confeſſionem, & ſuſcipit oblatas primicerii & ſecundicerii, & primicerii defenſorum; nam diebus feſtis poſt diacones ad altare offerunt; ſimiliter aſcendit Pontifex in parte feminarum, ordine quo ſupra omnia explet, (1) tunc tenentibus primicerio & ſecundicerio manus eius, redit in ſedem. (abluit manus ſuas) Archidiaconus ſtans ante altare, expleta ſuſceptione lavat manus ſuas; deinde reſpicit ad faciem Pontificis, ut annuat ei; & illo reſalutato, aſcendit ad altare, tunc ſubdiaconi regionarii levantes oblatas de manu ſubdiaconi ſequentis ſuper brachia ſua, porrigunt archidiacono, & ille componit altare, nam ſubdiaconi hinc inde porrigunt; ornato vero altare tunc archidiaconus ſumit ammulam Pontificis de ſubdiacono oblationario, & refundit ſuper colum in calicem. Deinde Diaconorum; & in die feſto primicerii ſecundicerii (primicerii) Defenſorum, deinde deſcendit ſubdiaconus ſequens in ſcolam, accipit fontem de manu Archiparaphoniſtæ, & defert Archidiacono, & ille infundit faciens crucem in calicem, tunc aſcendunt diaconi ad Pontificem, quos videntes primicerius ſecundicerius & primicerius Defenſorum regionariorum, & Notarii regionarii, & Defenſores regionarii, deſcendunt de aciebus, ut ſtent in loco ſuo, tunc ſurgit Pontifex a ſede, deſcendit ad altare (& ſalutat altare) & ſuſcipit oblatas de manu presbiteri hebdomadarii, & diaconorum. Deinde archidiaconus ſuſcipit oblatas Pontificis de oblationario, & dat Pontifici; quas dum poſuerit Pontifex in altare, levat calicem archidiaconus de manu ſubdiaconi regionarii, & ponit eum ſuper altare iuxta oblatam Pontificis a dextris involutis anſis cum offertorio, quod imponit in cornu altaris, & ſtat poſt Pontificem, & Pontifex inclinans ſe paululum ad altare, reſpicit ſcolam, & annuit ut ſileant.

9) Tunc finito offertorio Epiſcopi ſtant poſt Pontificem, primus in medio, deinde per ordinem, & archidiaconus a dextris Epiſcoporum, ſecundus diaconus a ſiniſtris, & ceteri per ordinem, diſpoſita acie, & ſubddiaconi regionarii finito offertorio vadunt retro altare aſpicientes ad Pontificem (2) ſtantes erecti, uſque dum incipiat dicere hymnum Angelicum, id eſt, *Sanctus, Sanctus;* quæ dum expleverint, ſurgit Pontifex ſolus & intrat in canonem; Epiſcopi vero, diaconi, ſubdiaconi, & Presbyteri in presbyterio permanent inclinati, & dum dixerit: *Nobis quoque peccàtoribus*, ſurgant diaconi; (ſubdiaconi) cum dixerit: *Per quem hæc omnia Dne*, ſurgit archidiaconus ſolus; cum dixerit: *Per ipſum & cum ipſo;* levat cum offertorio calicem per anſas, & tenet exaltans illum iuxta Pontificem. Pontifex autem tangit a latere calicem cum oblatis dicens: *Per ipſum & cum ipſo*, uſque *per omnia ſæcula ſæculorum.* Et ponit Pontifex oblationes in loco ſuo, & archidiaconus calicem iuxta eas dimiſſo offertorio in anſis eiusdem. Nam quod intermiſimus de patena, quando inchoat canonem, venit acolitus ſub humero habens ſindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus ſuum in parte dextera uſque medium canonem; tunc ſubdiaconus ſequens ſuſcipit eam ſuper planetam, & venit ante altare expectans, quando eam ſuſcipiat ſubdiaconus regionarius. Finito vero canone ſubdiaconus regionarius ſtat cum patena poſt archidiaconem; quando dixerit: *Et ab omni perturbatione ſecuri;* vertit ſe archidiaconus, & oſculata patena dat eam tenendam diacono ſecundo. Cum dixerit: *Pax Dni ſit ſemper vobiscum;* (3) mittat in calicem de ſancta; ſed archidiaconus pacem dat Epiſcopo priori, deinde ceteri, per ordinem, & populis, ſequentes cum acolitis, qui ſaccula portant a dextris & ſiniſtris altaris. Tunc Pontifex rumpit oblatam ex latere dextro, & particulæ quam ruperit partem ſuper altare relinquit. Reliquas vero oblationes ſuas ponit in patenam, quam tenet diaconus; (4) nam archidiaconus levat calicem, & dat eum ſubdiacono regionario, quem tenet iuxta cornu altaris dextrum, & accedentes ſubdiaconi ſequentes cum acolitis, qui ſaccula portant a dextris & a ſiniſtris altaris. Et tenentibus (extendentibus) acolitis brachia cum ſacculis, ſtant ſubdiaconi ſequentes, a fronte parantes ſinus ſacculorum archidiacono ad ponendas oblationes, prius a dextris, deinde a ſiniſtris. Tunc accoliti vadunt

dextra

(1) M. Similiter & presbyteri ſi neceſſe fuerit poſt eum vel in presbyterio faciunt, poſt hoc Pontifex tenente ei manum.

(2) M. Ut quando dixerit *Per omnia ſæcula*, aut *Dominus vobiscum*, aut *Surſum corda*, aut *Gratias*, ipſi ſint ad reſpondendum.

(3) M. Faciens crucem tribus vicibus manu ſua ſuper calicem.

(4) Et redit ad ſedem. Mox primicerius & ſecundicerius & primicerius defenſorum &c.

Digitized by Google

dextra levaque per (E. poſt) Epiſcopos circum altare; reliqui deſcendunt ad Presbyteros, ut confrangant hoſtias; patena autem præcedit iuxta ſedem, deferentibus eam duobus ſubdiaconibus regionariis diaconibus, (ad diacones ut frangant) ut frangantur; ſed illi aſpiciunt ad faciem Pontificis, ut eis annuat frangere: & dum annuerit, ſalutato Pontifice confrangunt; & archidiaconus evacuato altare oblationibus (1) reſpicit ad ſcolam, & annuit eis, ut dicant *Agnus Dei*, & vadit ad patenam cum ceteris.

10) Expleta confractione diaconus minor levatam de ſubdiacono patenam defert ad ſedem, ut communicet pontifex; qui dum communicaverit de ipſa ſancta, quam momorderat, ponit in calicem in manus archidiaconi dicendo (in calice): *Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Dni noſtri Ieſu Chriſti accipientibus nobis in vitam æternam, amen. Pax tecum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.* (2) Deinde venit archidiaconus cum calice ad cornu altaris, & adnuntiat ſtationem, & refuſo parum, de calice in ſcipho inter manus acoliti, accedunt primum epiſcopi ad ſedem ut communicent de manu pontificis ſecundum ordinem; ſed & presbyteri omnes aſcendunt, ut communicent ad altare; epiſcopus autem primus accipit calicem de manu archidiaconi, & ſtat in cornu altaris ſequentis ordinis uſque ad primicerium defenſorum; deinde archidiaconus accepto de manu illius calice refundit in ſciphum, quem ſupra diximus, & tradit calicem ſubdiacono regionario, qui tradit ei ampullarem, cum quo confirmat populum, calicem autem accipit ſubdiaconus ſequens dante acolito; ille revocat in paratorio, qui dum confirmaverit, id eſt, quos Papa communicat, deſcendit pontifex a ſede cum primicerio defenſorum, tenentibus ei manus, ut communicet eos, qui in ſenatorio ſunt: poſt quem archidiaconus confirmat, poſt archidiaconem epiſcopi communicant (3), & poſt eos diaconi confirmant, deinde tranſeunt in ſiniſtram, & faciunt ſimiliter. Presbyteri autem annuente primicerio iuſſu pontificis communicant populum, & ipſi viciſſim confirmant; nam mox ut cœperit pontifex in ſenatorio communicare, ſtatim ſcola incipit antiphonam ad communionem (4), ut pſallant uſquedum communicato omni populo annuit pontifex, ut dicant *Gloria*, & tunc repetito verſu quieſcunt; nam pontifex mox ut communicaverit in parte mulierum, redit in ſedem, & communicat regionarius per ordinem eos, qui in filo ſteterant (5). Finita autem antiphona ſurgit pontifex cum archidiacono, & veniens ad altare dat orationem ad complendum (6), qua finita, cui præceperit archidiaconus de diaconibus, aſpicit ad pontificem, ut ei annuat, & dicit ad populum: *Ite miſſa eſt.* ℟. *Deo gratias.* Tunc ſeptem cereoſtata præcedunt pontificem, & ſubdiaconus regionarius cum thuribulo ad ſecretarium; deſcendente autem illo in presbyterium, epiſcopi primum dicunt: *Iube domne benedicere.* ℟. *Benedicat nos Dnus, amen;* poſt eos presbyteri, deinde monachi, deinde ſcola, deinde milites draconarii, id eſt qui ſigna portant, poſt hos baiuli, poſt eos cereoſtatarii, poſt eos acoliti, qui virgam (rugam) obſervant; poſt eos extra presbyterium cruces portantes, deinde manſionarii iuniores, & intrant in ſecretarium. (7)

DE OFFICIO MISSÆ.

Capitula ſequentis opuſculi prænotamus, ut ſi quis forte ignarus extans de ignobilitate operis noſtri, aggrediensque illud quaſi dignum, ac poſtea reperiens vile, ne pœnitentia ductus dicat apud ſemetipſum, vel apud ſuos adſtantes: ſi cognoviſſem ruſticitatem huius operis, nullatenus in eo laborem oculorum meorum inpenderem; videat modo in capite quæ ſequantur uſque in finem; & ſi lectionis cauſa in aliquam nauſeam incurrerit, non mihi tantum ingratus exiſtat, ſed & ſibi, qui cognita ignobilitate noſtra magis eam elegit rimare uſque ad calcem. Illa (illud) vero intimandum eſt, quod ea, quæ celebramus in officio miſſæ uſque lectum evangelium reſpicientia ſint ad primum adventum Dni uſque ad illum

(illud)

(1) M. præter particulam, quam Pontifex de propria oblatione confracta ſuper altare reliquit (quia ita obſervant, ut dum miſſarum ſolemnia peraguntur, altare ſine ſacrificio non ſit.)

(2) Et confirmatur ab archidiacono.

(3) Populum annuente eis primicerio cum manu ſub planeta percantato pontifice.

(4) Per vices cum ſubdiacono & pſallunt.

(5) Et in diebus feſtis de ſchola &c.

(6) Directus ad orientem, nam in iſto loco, cum *Dominus vobiscum* dixerit, non ſe dirigit ad populum finita vero oratione cui &c.

(7) Edidit MABILLONIUS eclogas AMALARII abbatis in hunc ordinem *Romanum* p. 549. ſeqq. prout eidem in notato codice *Einſidl.* annectuntur; in *Turicenſi* vero ſæpe adducto ſunt copioſiores prout ſequuntur.

Digitized by Google

(illud) tempus, quando properabat Hieruſalem paſſurus.

Introitus vero ad chorum prophetarum reſpicit, & merito hos hic tangimus, quod Auguſtinus ait: Moyſes miniſter fuit & veteris teſtamenti, & perfecte miniſter novi teſtamenti.

Kyrie eleiſon ad eos prophetas reſpicit, qui circa adventum Dni erant, de quibus erant Zacharias nec non & Iohannes filius eius.

Gloria in excelſis Deo ad cœtum angelorum reſpicit, qui gaudium Nativitatis Dni paſtoribus adnuntiaverunt.

Prima collecta ad hoc reſpicit, quod Dnus agebat circa duodecimum annum, quando aſcendit Hieroſolymam, & ſedebat in templo inter medios doctorum, & audiebat illos atque interrogabat.

Epiſtola ad prædicationem Iohannis pertinet.

Reſponſorium ad benevolentiam apoſtolorum, quando vocati a Dno & ſecuti ſunt.

Alleluia ad lætitiam mentis eorum, quam habebant de promiſſionibus eius, vel de miraculis, quæ videbant fieri ab eo, ſive pro nomine eius. De *Tractu* alias dicemus.

Evangelium ad ſuam prædicationem uſque ad prædictum tempus.

Deinceps vero, quod agitur in officio miſſæ, ad illud tempus reſpicit, quod eſt a dominica, quando pueri obviaverunt ei, uſque ad aſcenſionem eius, ſive pentecoſten.

Oratio, quam presbyter dicit a Secreta uſque *Nobis quoque peccatoribus*, hanc orationem deſignat, quam Ieſus exercebat in monte Oliveti.

Et illud, quod poſtea agitur, illud tempus ſignificat, quando Dnus in ſepulchro iacuit.

Quando panis mittitur in vinum, animam Dni ad corpus redire demonſtrat.

Et quod poſtea celebratur, ſignificat illas ſalutationes, quas Chriſtus fecit diſcipulis ſuis.

Et fractio oblatarum, illam fractionem ſignificat, quam Dnus duobus fecit in Emaus. (1)

Qualiter occurrat cantorum officium quod agitur ad miſſam, ſive ſubdiaconi vel diaconi quod agitur in pulpite, ſacramento Incarnationis Chriſti, angelorum prædicationis, paſſionisque, nec non & reſurrectionis.

De Introitu.

Introitus fit primo in officio cantorum ad miſſam, quando intrat Epus in eccleſiam; legimus namque, quod Chriſtus vice ſua poſuiſſet in eccleſia apoſtolos ut eius ſucceſſores, ſucceſſores apoſtolorum Epiſcopi ſunt, qui eos imitantur. Introitus cui convenit aptius, niſi choro prophetarum, qui adnuntiaverunt Chriſtum venturum in mundum, & per quos introivit Chriſtus in mundum; ſicut Paulus apoſtolus de David: Et cum introducit, inquit, primogenitum in orbem terræ, dicit: & adorent eum omnes angeli Dei. Ipſa introductio eius eſt aperte declarata Incarnatio; & ſicut illi extiterunt præcones adventus Chriſti, ita & cantores præſentium ſacerdotum.

De Kyrieleiſon & Chriſteleiſon.

Plane prophetæ non tantum prædixerunt Chriſti adventum, verum etiam & aliquando ex perſona primitivæ eccleſiæ etiam veniſſe clamarunt, & hanc miſericordiam, quæ modo manifeſtata eſt, deprecati ſunt; unde dicit Iſaias: Dne miſerere noſtri, te expectavimus; iſte enim numerus, id eſt Kyrieleiſon & Chriſteleiſon, innuentibus eis qui in altiore loco ſtant, mutatur; talis enim mos extitit apud prophetas Dni, ut ad tactum Spiritus Dei, qui excellit omnem creaturam, aliquando deprecarentur formam Dei, quod pertinet ad Kyrieleiſon, & aliquando (formam) ſervi, quod pertinet ad Chriſte eleiſon. Ad formam Dei reſpicit, quod David dixit: Inclina Dne aurem tuam, & exaudi me; quod eſt aperte dicere: commoda mihi Kyrie miſericordiſſimam aurem tuam & miſerere mei Iterum ad formam ſervi pertinet, quod ait: Dne refugium factus es nobis, quod factus eſt, ſecundum humanitatem factus eſt, quid tamen orat ſervus Dei illum? hoc nempe: Ne avertas hominem in humilitatem; id eſt, Chriſte ne permittas humanum genus terrena deſiderare, ſed ad cœleſtia dignare extollere. Non abhorret a vero, ſi propinquiores prophetas in iſto officio accipimus, de quibus fuit Zacharias, cui dictum eſt: Ne timeas Zacharias, exaudita eſt deprecatio tua. Audite cantores: quorum miniſterium frequentatis, horum vitam ſequemini; audite, quod ſuavis tuba ex voce Dei pie reſonet in manibus prophetarum aſſimilatus ſum.

De Gloria in excelſis Deo.

Poſtea Epus dicit clara voce: Gloria in excelſis Deo. Iam prædicaverunt prophetæ; prædicaverunt, quæ oraverunt; prima laus poſt eius nativitatem & decantatio ſecundum evangelium iſta fuit, ſic enim ſcriptum eſt: & ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum

(1) Hucuſque *Turicenſis* codex convenit cum *Einſidlenſi*: quæ ſequuntur ſolus *Turicenſis* habet.

Digitized by Google

Deum & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Non unus ſolum angelus cantavit, ſed unus primo adfuiſſe dicitur, & ſubito cum eo factam eſſe multitudinem angelorum laudantium Deum; ſicque modo unus Epus inchoat, & omnis eccleſia reſonat laudem Deo. Iamque glorioſe ſacerdos angelicis vocibus interfuiſti, hortor, ut intimo animi affectu eorum converſationem inplores, ſurſumque cor habeas, quia ei dixiſti gloriam, quem credis in excelſis habitare.

De Epiſtola.

Videamus frater, quis eo nato primus extiterit prælector & ſubminiſtrator novi teſtamenti; ut omittamus ea, quod ipſe Chriſtus lector fuit, dicamus, quis de membris eius primus prænunciarit in eccleſia ſacramenta novi teſtamenti, aut ſubminiſter fuerit vice ſubdiaconi? Chriſtus enim miniſter fuit, qui dixit: Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare; Iohannes nempe ſubminiſter, qui dixit: Hic erat, quem dixi vobis, quia poſt me venturus eſt; ante me factus eſt, quia prior me erat; & iterum requiſitus a Phariſæis quis eſſet; reſpondit: Ego baptizo in aqua vos. Et ut Matthæus manifeſtus ait: in pœnitentia; qui autem poſt me venturus eſt, fortior me eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto & igne. De eodem Iohannes ſcriptum eſt: Vox clamantis in deſerto; ipſe enim prædicavit ante Chrm, eademque Chriſtus pœnitentiam inquiens agite, adpropinquavit enim regnum cœlorum. Videamus, quæ convenientia ſit officio Aplorum ſive aliorum prædicatorum, quorum dicta ſubdiaconi legunt in ambone cum Iohanne. Audi quid dicat Iſaias propheta: clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam; & cui dicitur ſpecialiter in Iſaia propheta de clamatione profecto ſicut legimus Iohanni; de ipſo enim dicitur: vox clamantis in deſerto. Unde ipſe de ſe teſtatur: ego vox clamantis; & paulo poſt in eodem Iſaia de choro prædicatorum dicitur: videbit omnis caro: pariter quod os Dni locutum eſt: vox dicentis clama, & dixit: quid clamabo? omnis caro fœnum, & reliqua. Fœnum cum ſiccatur, minuitur; vide quomodo his verbis Iohannes conveniat: Me oportet inquit minui, illum autem creſcere. Iohannes præco verbi, præco prædicationis novi teſtamenti. Ideo omnis chorus prædicatorum in eo concordat, & apte, quia præco erat Chriſti. Epiſtola, quæ legitur ante evangelium, miniſterio Iohannis convenit. Audi pronuntiator ſermonum Dei! audi ſpeculator mandatorum Dei! hæc tibi dicit Dns, ut non ſileas, nec propter pigritiam, neque propter adulationem, neque propter timorem. Si non adnuntiaveris iniquo iniquitates ſuas, ſanguinem eius de manu tua requiram. Audi & unde gaudeas: fidelis ſervus & prudens, quem conſtituit Dnus ſuper familiam ſuam, ut det illis in tempore cibum.

De Reſponſorio.

Veniamus modo ad chorum apoſtolorum. Reſponſorium in eccleſia cantatur poſt lectionem. Reſponſorium ideo dicitur, eoquod uno cantante cæteri reſpondeant; cantavit unus Chriſtus, id eſt vocavit Petrum & cæteros apoſtolos, & illi reſponderunt, quia Chriſtum imitati ſunt; & ideo reſponſorium convocationi apoſtolorum convenit. Ipſe idem, qui inchoavit ſolus, ſolus verſum cantat, quia Chriſtus, qui apoſtolos vocavit ſeorſum, & pernoctans & ſolus orabat, ſicut ſcriptum eſt in evangelio: Et egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem olivarum; ſecuti ſunt autem illum & diſcipuli; & cum perveniſſet ad locum, dixit illis: orate ne intretis in temptacionem, & ipſe avulſus eſt ab eis quantus iactus eſt lapidis, & poſitis genibus orabat; & iterum: iuſſit diſcipulos ſuos aſcendere in naviculam, & præcedere eos transfretum, donec dimitteret turbas; & dimiſſa turba aſcendit in montem orare ſolus; & iterum: ipſe autem erat pernoctans in oratione. Vis audire, ubi iterum incipiat reſponſorium! ſtatimque Ieſus locutus eſt dicens: habete fiduciam, ego ſum nolite timere. Audi & ubi reſpondeat chorus: reſpondens autem Petrus dixit: Dne ſi tu es, iube me venire ad te; ambulabat Chriſtus ſuper mare, & fecit & Petrum ambulare ſupra mare. Ecce ſic convenit reſponſorium convocationi apoſtolorum. Nec minus convenit rationi, ſi officium Iohannis præponatur duodenario numero, quia aliqui diſcipulorum per Iohannis locutionem ſecuti ſunt Ieſum; ſicut ſcribit Iohannes evangeliſta: ſtabat Iohannes & ex diſcipulis eius duo, & reſpicit Ieſum ambulantem, & dicit: Ecce agnus Dei, & audierunt eum duo diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Ieſum; illum fuerant ſecuti, de quo Iohannes loquebatur. Ipſe Iohannes exponit infra, qui diſcipuli eſſent dicens: Erat Andreas, frater Simonis Petri, unus ex duobus, & reliqua. Et paulo poſt, Invenit hic primum fratrem ſuum Simonem & dicit ei: Invenimus Meſſiam, & cætera. Et Matthæus evangeliſta apertiſſime prædicat, quod Iohannes iam traditus eſſet, quando cepit Ieſus prædicare & dicere: pœnitentiam agite,

Digitized by Google

gite, & reliqua. Si quis vult inveſtigare de vocatione apoſtolorum, legat evangelium, & ibi inveniet, vocatos eſſe apoſtolos a Chriſto poſt prædicationem Iohannis Baptiſtæ.

De Alleluia.

Poſt duodenarium namque Apoſtolorum numerum veniamus per ordinem ad ſeptuaginta duos diſcipulos, quos miſit Ieſus binos ante faciem ſuam prædicare in omnem civitatem, & locum, quo erat ipſe venturus. Audiamus quid ſequatur poſt eorum reverſionem ad Ieſum; evangeliſta Lucas ita meminit: In ipſa hora, inquiens, exultavit Ieſus in Spiritu ſancto, & dixit: Confiteor tibi Pater Dne cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Verbum Confiteor duobus modis accipitur, pro confeſſione peccatorum; & pro laude Chriſti. Confeſſio ad laudem utique pertinet, non ad confeſſionem peccatorum, quia nulla fuerunt in eo. Alleluia quid ſonat in lingua noſtra niſi laudem Dei! ipſe qui in convenientia reſponſorii vocavit apoſtolos, ipſe modo laudat Deum Patrem de revelatione parvulorum, quaſi ſequatur poſt reſponſorium alleluia, ipſe ſolus cantat verſum de alleluia, quia dicit: Nemo ſcit quid ſit Filius niſi Pater, & quid ſit Pater niſi Filius. Ipſe iterum alleluia dicit, quando ait ſecundum Matthæum eisdem diſcipulis & eorum ſucceſſoribus: Venite ad me omnes, qui labratis & honerati eſtis, & ego vos reficiam; Et paulo poſt: & invenietis requiem animabus veſtris. Quæ eſt requies animarum, niſi totam vitam in Dei laude ducere! diximus namque, quod ſeptuaginta & duo diſcipuli miſſi eſſent ante faciem Ieſu in omnem civitatem & locum, quo erat ipſe venturus. Eia, quo diſcipuli ante faciem eius prævenerunt, veniat ipſe Chriſtus magni conſilii angelus, qui doceat nos ſuper omnes prophetas, & ſuper omnem chorum doctorum, quæ ſint paſcua eius, & quæ ſint gaudia æterna O cantores cantate Dno canticum novum, quia mirabilia fecit; mirabile opus, ut te vocaret, fecit, quando hoc, quod totus mundus capere non poteſt, ad hoc contractum eſt, ut in uno homine totum maneret, & tu haberes, quod imitareris.

De Evangelio.

Legatur evangelium. In ipſo Chriſtus ore ſuo loquitur populo, ſicut dicit evangeliſta Matthæus: Et aperiens os ſuum docebat eos dicens: Beati pauperes ſpiritu, & reliqua. Tuba angeli magni conſilii, memento ſi eſt, quod reboas, dulce quaſi mel in ore tuo; verumtamen ventrem tuum amaritudine complet. Item primitiva eccleſia hunc uſum habebat, ſicut in actibus Apoſtolorum legitur, ut per Sabbata recitarentur lex & prophetia; & ideo oportet, ut in celebratione noſtræ miſſæ & lectio fiat pro lege, & prophetia in reſponſorio, & alleluia ſequatur in recordatione laudis reſurrectionis æterne, & evangelium poſtea ſequatur, quia in Chriſto omnia bona complentur, & permanent.

De Credo in Deum.

Poſtquam Chriſtus locutus eſt populo ſuo, fas eſt, ut dulcius & intentius profiteatur credulitatem ſuam, ſicut ſcriptum eſt in evangelio Iohannis feciſſe populum, qui audierant a muliere Samaritana verbum, multi inquit crediderunt in Ieſum propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis & cætera; & paulo poſt: Multi plures crediderunt in eum propter ſermonem eius, & mulieri dicebant: quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audivimus, & ſcimus, quia hic eſt vere ſalvator mundi; ſicque convenit populum poſt evangelium, quia Chriſti verba audiunt, intentionem credulitatis ſuæ præclaro ore proferre. Chriſtiana religio ut ſalva maneas, corde crede ad iuſtitiam, oris autem confeſſio fit in ſalutem.

De Offertorio.

Poſt credulitatem noſtram prolatam veniamus ad offertorium, offertorium namque dicitur, quia ipſo tempore oblationes offeruntur, nempe fas eſt, ut Chriſti verba ſuſcepta & populi intentio eius credulitatis ora(e) prælata (prolata) ſequantur; eaque prædicat Paulus apoſtolus dicens: Obſecro vos per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem. Et cui tibi placet hoc officium convenire, niſi his, qui, quando Chriſtus in Ieruſalem properabat, & paſſio eius imminebat, obviaverunt ei dicentes: Oſanna filio David; benedictus qui venturus eſt in nomine Dni. Sic enim ſcriptum eſt in evangelio: plurima autem turba ſtraverunt veſtimenta ſua in via; alii autem cædebant ramos de arboribus, & ſternebant in via; turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant dicentes: Oſanna filio David, & cætera, ſicut iam diximus. Quod ibi ſignificant veſtimenta, hoc & in iſto officio offertorii oblationes poſſunt ſignificare; veſtimenta eorum, de quibus iam diximus, ſigna eſſe corporum eorum poſſumus dicere, qui non denegabant tradi ad mortem temporaliter, ut Chriſtus ſuper

Digitized by Google

ſuper ea ambularet, id eſt, ut per martyrium eorum fides Chriſti de homine in homines creſceret, & de regno in regnum, & de gente in gentem. Et hoc offertorium ante conſecrationem corporis & ſanguinis Dni fit; in qua conſecratione dicitur: hæc quotienscunque feceritis, in mei memoriam facietis; hoc eſt, ſicut mortuus ſum pro vobis, ita ſitis parati mori pro fratribus veſtris; & ſicut nobis videtur, ſignificant oblationes, quæ offeruntur in altari. Illic clamabant dicentes: Oſanna filio David; & cantores clamant intenta voce: Ad te Dne levavi animam meam: Deus meus in te confido, non erubeſcam. Et iterum: populum humilem ſalvum facies Dne, & alia his ſimilia, quæ pertinent ad ſalvationem animæ. Idipſum enim videtur ſonare Oſanna, id eſt ſalvum fac. O cantores! mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terra; id eſt extinguite carnales concupiſcentias, eſtote malitia parvuli &c. (1)

De Aſcenſione Subdiaconi ad ambonem,
quod Subdiaconus officium Iohannis ſignificet, & de eo, quod non aſcendat in locum evangelii, quia Iohannes non eſt dignus ſolvere corrigia calceamentorum Chriſti.

Poſt primam datam orationem aſcendit ſubdiaconus ad ambonem, ut legat & adnuntiet populo Dei prædicationes ſanctorum Patrum, ſive veteris teſtamenti, ſive novi; non tamen aſcendit in ſuperiorem gradum, quem ſolus ſolet aſcendere, qui evangelium lecturus eſt. Sane poſtquam angelus paſtoribus bonum noſtrum, quod nobis petendum eſt, nuntiavit, id eſt gaudium magnum, quia natus eſt nobis hodie ſalvator, qui eſt Chriſtus Dnus, in civitate David; Iohannes ad verba prædicationis novi teſtamenti cucurrit dicens: pœnitentiam agite, adpropinquavit enim regnum cœlorum. De ipſo enim Iohanne dictum eſt in evangelio, quod exiſtimante (æſtimante) populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis, ne forte ipſe eſſet Chriſtus, reſpondens (dit) Iohannes omnibus dicens: Ego enim aqua baptizo vos; venit autem fortior me, cuius non ſum dignus corrigia calceamentorum eius ſolvere; quoniam & in alio loco evangelii confeſſus eſt, non ſe eſſe Chriſtum. Stat in inferiori gradu, qui verba horum, quæ incipit Iohannes, adnuntiat, & non aſcendit in ſuperiorem gradum, quia non eſt dignus Iohannes ſolvere corrigia calceamentorum eius, cuius verba in eo leguntur; & iterum, qui habet ſponſam, ſponſus eſt; amicus autem ſponſi ſtat, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi.

De Aſcenſione Cantorum ad ambonem;
quod idem cantor Chriſtum imitetur vocantem chorum Apoſtolorum.

Cantor vero aſcendere poteſt; indifferenter aſcendit ſuperius, quia Chriſtus prælatus eſt Iohanni; ſtat in eodem, qui æſtimabatur Iohannes; ſtat inferius, quia venit ab eo baptizari. Poſt prædicationem vero Iohannis Chriſtus ad baptiſmum venit; poſt baptiſma vocavit chorum Apoſtolorum, & congregavit cœtum diſcipulorum; hoc namque dicimus, quia ſecundum ordinem evangelii convenit convocatio apoſtolorum; Reſponſorio (um) itaque, quod geritur in typo vocationis apoſtolicæ, & diſcipulatus, inferius poteſt eſſe, quam quod geritur in typo præconatus Iohannis baptiſtæ; ad neminem enim apoſtolorum venit Chriſtus, ut baptizaretur ab eo; nemo eorum ex utero matris exultavit in adventum Chriſti; nemo eorum dictus eſt ſpecialiter præco, niſi Iohannes baptiſta; ſic enim ſcriptum eſt in evangelio: Et factus (um) eſt, ut audivit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultavit infans in utero eius, & repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth; repleta eſt Eliſabeth Spiritu ſancto, ſed Iohannes antea repletus eſt. Et iterum in Matthæo: tunc venit Ieſus a Galilæa in Iordanem ad Iohannem, ut baptizaretur ab eo, & reliqua. Si tibi placet iſto modo non aſcendat ſuperius, qui reſponſorium cantat, quam qui lectionem legit, & ſtet in eodem loco, & aſcendat ſuperius ſecundum ſupradictos modos.

De Diaconi Aſcenſione ad ambonem:
quali ordine aſcendat; vel quid ſit verſus; vel quid & qualiter cæteri eadem hora agant.

Diaconus cum aſcendit ad legendum, petit benedictionem ab Epiſcopo, & accipit evangelium de altari, & præcedunt ante eum duo candelabra, & duo thuribula, ſive unum quid autem illud ſignificet, iam dictum eſt. Redeamus & (ad) propoſitum ordinem. Et accipit diaconus caute in brachio ſubdiacono (ni) poſitum evangelium, quo loco lecturus ſit; invento loco aſcendit in ambonem, & in ſuperiorem gradum, & dicit:

(1) Hic turbatus eſt ordo codicis, textusque interruptus, paucis interiectis, quæ apud Mabillonium p. 552. quoad ſenſum leguntur de ſeſſione epiſc.

dicit: Dominus vobiſcum; quo audito vertit ſe Pontifex, & omnis ſacerdotalis gradus, ſive omnis populus fidelis ad orientem; & poſtquam dixerit diaconus: Sequentia ſancti evangelii, & reliqua; facit ſignum crucis in fronte eius, id eſt diaconus, ſimiliterque Epiſcopus & omnis populus, & revertuntur ad evangelium; ſed & baculi omnium deponuntur de manibus; ipſe vero diaconus ſtat verſus ad meridiem, ad quam partem viri ſolent confluere; Diaconus petit primum benedictionem ab Epiſcopo: Epiſcopus dicit illi: Dominus ſit in corde tuo & in labiis tuis; & ponitur incenſum in thuribulum. Incenſum, ut bene noſti, orationem deſignat Sanctorum; unde dicit propheta: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, hoc factum indicat Epiſcopus, ſi oratio ſua accenſa eſt ab igne Spiritus ſancti, & pro ipſo diacono orare poſſe & pro omni populo; ut hæc verba poſuit ſuper caput diaconi cum ſigno ſanctæ crucis: crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis; altare namque crucem ſignificat Dni; unde dicit Eſaias propheta: In die illa erit altare Dni in medio terræ Ægypti, & titulus iuxta terminum eius; Dni altare namque in medio terræ crucem Dni ſignificat in Hieruſalem; quod Hieruſalem in medio ſit terræ, Pſalmiſta manifeſtat dicens: Operatus eſt ſalutem in medio terræ; in Hieruſalem namque paſſus eſt Salvator noſter, ubi crucem aſcendit, ubi redemit omnem populum chriſtianum. Per titulum, qui iuxta terminum eius eſt, prædicationem accepimus evangelii, quia ab Hieruſalem Apoſtoli inchoaverunt prædicare, & inde in omnem terram exivit ſonus eorum, & reliqua. Quod dicit: In medio terræ Ægypti, ſignificat iſtud altare & iſtum titulum in mundo eſſe, per Ægyptum namque mundum intelligimus; poſſumus quippe reperire exempla ſacræ ſcripturæ, ubi evangelium quodam modo & pro cruce accipiatur, & pro ſancta prædicatione, ſicut eſt illud Iohannis: vade & accipe librum apertum, qui eſt in manu angeli ſtantis in conſpectu Dei ſuper mare & ſuper terram, & abii ad angelum dicens: ut daret mihi librum; & dixit mihi: accipe & comede illum, & amaritudinem ventri tuo faciet, ſed in ore tuo erit dulce velut mel. De libro utique dicit, in quo refertur diſpenſatio Incarnationis Chriſti, nec non & paſſionis eius, ac reſurrectionis, ſed & in cœlos glorioſe aſcenſionis; qui amaritudinem ventri facit, quando infit: Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra de crapula & ebrietate; & iterum delitioſis: Nolite ſolliciti eſſe dicentes: quid manducabimus, aut quid bibemus? & reliqua; & paulo poſt: Neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt. Et Iohel propheta: convertimini ad me in toto corde veſtro in ieiunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Crux namque, ut ſcis, a cruciatu dicitur; quis vult dicere, hoc non eſſe cruciatum carnis? ſi quis illa contempſerit & iſta. (1)

Ecce modo audiſti, ubi præſens adeſt ſponſus, & non neceſſe habetur baculus, de quo ſupra diximus; Audi poſtea, ubi neceſſarium ſit. In lectulo meo per noctes quæſivi, quem diligit anima mea. Minus erudita anima in ſuavitate huius mundi vult invenire Chriſtum, & non poteſt, quia arcta via & anguſta eſt, quæ ducit ad vitam; quæſivi illam, & non inveni, quia in deliciis huius ſeculi non invenitur Chriſtus. Sequitur: Surgam & circuibo civitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea; quæſivi illum, & non inveni; id eſt, quæſivi illum in ſeculari ſapientia per vicos & plateas, quia multos angulos habet rhetoricæ & dialecticæ ars, & neque ſic inveni, quem diligit anima mea; invenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt civitatem; num, quem dilexit anima mea, vidiſtis? en quia non habet ſponſum, baculus loquitur; qui cuſtodiunt civitatem, qui cuſtodiunt ſanctam eccleſiam; hos interrogat: num, quem dilexit anima mea, vidiſtis? Vos, inquit, eſtis paſtores eccleſiæ, vos cuſtoditis civitatem Dei viventis; dicite mihi: quid agam, ut merear mundo corde videre illum, quem diligit anima mea? ita tamen ſi illum vidiſtis, ſi ab eo didiciſtis, ſi in catholica fide ſtatis. Attende diligenter iterum, ubi ei non ſit baculus neceſſarius: ſequitur baculum, cum pertranſiſſem eos, inveni quem diligit anima mea, hoc eſt, poſtquam eorum doctrina, id eſt evangelio erudita fuit, & fide ſanctæ Trinitatis imbuta, adveniens Spiritus ſanctus, qui docet omnem veritatem, qui & ipſum me fecit videre quem diligit anima mea; iam non requiſivi a baculo ſuſtentari, ſicut antea quæſivi; iam mihi nihil amplius neceſſe erat, niſi quod Paulus dicebat: Nemini quicquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. Vis audire, quomodo requirat iterum ſuſtentaculum baculi? Sequitur: Adiuro vos filiæ Hieruſalem (primitivam eccleſiam adiurat pediſſequa) ſi inveneritis dilectum meum, redemptorem meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo; orate vos pro me, ut

(1) Hic iterum turbatus eſt ordo codicis ac materiæ.

Digitized by Google

ut Dominus deſiderium meum audiat, quale eſt deſiderium tuum dilecta mi? Amore langueo. Cur amore langues ſoror mi? quia zelum (us), quo (quem) cordi meo inpoſuit, comedit me; non conceditur requies, quia in anxietate tribulor, quoniam incolatus meus prolongatus eſt; ideo vulnerata ſum, & alia multa perpeſſa. Sed quoniam aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, vos intercedite, qui eadem patimini, pro me, ut in me perficiatur, quod in evangelio ſcriptum eſt: qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. Iſta frater mi exempla ideo poſuimus, ut intelligatur, quod aliquoties neceſſe eſt, baculos tenere in manibus, & poſtquam conſpectui Chriſti præſentabimur, baculi iam neceſſarii non erunt; quapropter quando ſacerdos orat, atque celebratur aliorum doctorum officium, baculos tenemus in manibus; & quando ipſius Chriſti verba nobis loquuntur, baculos non tenemus in manibus, ut oſtendatur, non difficile eſſe Chriſto per ſe docere populum ſuum; quoniam ubi in promptu Chriſtus loquitur, non ibi neceſſe habemus Petrum, nec Paulum, neque alium doctorem; quia ipſe eſt unus magiſter, qui in cœlis eſt Chriſtus Dnus.

Quid ſit verſus Diaconus in ambonem. (1)

Diaconus, pronuntians verba evangelii, ad meridiem ſtat verſus, quoniam illis loquitur, de quibus Paulus dicebat: ſapientiam loquimur inter perfectos; quando enim ſol ad meridiem vergitur, ferventior ſolet exiſtere & altior, ſignificat namque eccleſiam ferventem animo in amore Dei elevatum (am) eſſe in magno culmine virtutum; de qua parte ſic fatur in canticis canticorum: Indica mihi quem diligit anima mea, ubi paſcas? ubi cubes in meridie? In eadem parte illam (um) ſponſa requirit, quia recognoſcit illum cubare in meridie, id eſt in eis, quorum cor ardens eſt in dilectione Dei & dilectione proximi. Ipſi ſunt, de quibus loquitur evangelium, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum adferunt in patientia. Non dicimus ita, ut hi, qui poſt tergum ſunt, extorres ſint a ſancto evangelio; ſed ut per doctiores minus eruditi erudiantur. Sane quando ſolemus ſedere ad lectionem magiſtrorum noſtrorum, facies magiſtri noſtri amplius intenta eſt in eum, qui perfectius poteſt diſcere, quam in eos, qui minus perfecte diſcunt; non quod illi ſoli oportet ſuam doctrinam, ſed quia illos, qui tardiorem ſenſum habent, vult iterum doceri ab illo, qui citius veram rationem invenire poteſt in doctrina Magiſtri.

Tu qui ſcandiſti culmen ſublime miniſter,
Quinto (quanto)excelſa petis, tanto moderatior eſto;
Quantum prona ſolo, tantum ſit proxima cœlo;
Mens etenim, quæ celſa petit, hæc ima tenebit;
Inferiorque gradus qui vult deſcendere, ſurgit.
Lætetur ſemen inimicus cicadis almæ.
Angelus altithroni ſi non gaudet quia tu fers
Pocula celſa iubes tu ſcandere limen olympi.

De Deſcenſione Diaconi de ambone, & de eo, quod ſalutante Chriſto mulieribus (res) poſt reſurrectionem ſalutat evangelium populus.

Poſtea namque deſcendit de ambone, & fertur evangelium primo ad oſculandum populo, deinde in locum ſuum, nam & crux nuper reperta ab Ellena, & vecta Conſtantinopolim, ſolet annuatim præſentari populo, ut eam adorent & oſculentur. Et poſtea reportatur in locum ſuum; ſic namque poſt reſurrectionem Dominus venit mulieribus obviam, dicens illis: havete. Illæ autem acceſſerunt & tenuerunt pedes eius, & adoraverunt eum.

De Extinctione Cereorum.

Poſt lectum evangelium candelæ extinguuntur, ut bene noſti, per candelas diximus doctores eccleſiæ ſignificari; & quid vult iſtud, poſt evangelium extinguuntur; niſi quod nemo doctorum transcendere poteſt verba ſancti evangelii, quaſi ipſe doctor dicat: Extinguo candelam meam, quando evangelium tacet, id eſt: Sileo, ſi evangelium tacet, niſi radicem omnis doctrinæ meæ invenire potuerim in evangelio, non loquar; quod eſt aperte dicere: clauſo evangelio extinctam eſſe doctrinam doctorum.

De Thuribuli portatione poſt lectum Evangelium.

Thuribulum namque portatur per altaria; quæ conſuetudo nempe non diſcrepat a veteri teſtamento, in quo ſcriptum eſt: poneſque altare contra velum, quod ante arcam pendet teſtimonii coram propitiatorio, quo tegitur teſtimonium...

Velit manere uſque ad conſummationem ſeculi. Iohannes manifeſtat dicens: qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Ecce propter tantum ſacramentum dicit

(1) Quæ ſequuntur apud Mabillonium ex parte leguntur p. 553. n. 15.

Digitized by Google

dicit ſe Chriſtus manere in cordibus fidelium. Unde cantores orant, ut, quod ipſe promiſit, nos adipiſci mereamur. Adhuc unum reſtat, quod cantores ſolent dicere, id eſt, Deo gratias; quod ideo modo prætermittimus, ut ipſi vobis concludamus ea, quæ adhuc deſideramus de aliis officiis miſſæ diſerere. (1)

INCIPIT

LIBER DE OFFICIO MISSÆ,

ſcilicet expoſitio ethica, atque theorica, per interrogationem & reſponſionem a quodam edita.

Interr. *Quid eſt officium?* ℟. Opus divinum ab orthodoxis Viris nobiliter conſtructum, atque certis temporibus, diebus, horisque ſolenniter celebrandum. Int. *Cur dicitur officium?* ℟. Ab efficiendo mutata una litera propter decorem ſermonis. Int. *Sacrificium unde dictum?* ℟. Quaſi ſacrum factum, dum myſtice conſecratur operante inviſibiliter Spiritu Dei. Hoc ſacramentum græce Euchariſtia dicitur, quod latine bona gratia interpretatur. Int. *Quid eſt Miſſa?* ℟. Legatio inter Deum & homines; cuius legationis officium fungitur ſacerdos, cum preces & oblationes populi offert ad Dominum, & bene hoc fit in commemoratione paſſionis Xpi, qui ſemetipſum Deo optulit Patri. Int. *Miſſa unde dicitur?* ℟. Eoquod tempore ſacrificii cathecumini foras mittuntur, clamante miniſtro: Si quis cathecuminus eſt, ſecedat. Int. *Quis eſt ordo Miſſæ?* ℟. Primum autem in celebratione Miſſæ ad introitum ſacerdotis antiphona ad notitiam eius ingreſſus in ſanctuarium a choro cantatur. Int. *Quid eſt chorus?* ℟. Chorus multitudo eſt in ſacris collecta. Int. *Unde dicitur chorus?* ℟. A ſtantibus in modum coronæ. Alii dicunt a concordia, ſive de concordia, id eſt convenientia ſoni. Dum unus canit, græce monodia, latine ſicinium dicitur. Cum duo canunt bitinium vocatur. Cum multi, chorus nuncupatur. Antiphona græce vox reciproca ex duobus choris alternatim pſallentibus dicitur. Poſt introitum præcedunt litaniæ; ſalutatio presbyteri ad populum, cui & populus pacis reſpondet verbum. Sequitur lectio canonica ad reddendos auditorum animos intentos. Deinde reſponſorium; quod ideo reſponſorium dicitur, quia alio deſinente, id alter reſpondeat, quod & Itali traduntur primum inveniſſe: & hoc quidam gradale dicunt, eoquod iuxta pulpiti gradus cantatur. Tunc alleluia canitur, hoc eſt laus Dei, la enim ex nominibus Dei apud Hebreos eſt, etiam & hebreum, amen. Tantum enim ſacra ſunt nomina, ut ea ſe audiſſe in cœlis S. Iohannes teſtatur; ac per hoc oportet in terris utraque dici, ſicut in cœlo reſonant. Poſtea legitur a diacono evangelium, ut ibidem ipſius virtus audiatur, cui corporis miſterium celebratur. Fiunt oblationes. Cantatur offertorium, qui inde vocatur quaſi canticum offerentium, inmittitur altari corporalis pallium, quod ſignificat linteum, quo involvebatur corpus Salvatoris, qui non aliunde, niſi puro linteo textum eſſe debet. Ponuntur vaſa, calix, & patena, dominici ſepulchri quodammodo typum tenentia, quibus adminiſtratur corpus Domini ad percipiendum, fidelibus ſacræ orationis conditum unguentis. Poſt de elevatione cordis ad Deum. Deinde fit oratio pro adſociandis vocibus humanis angelicis dicentibus ter: Sanctus; & reliqua. Deinde conſecratio corporis & ſanguinis, & depræcatio valida; inter quas & dominica oratio: Pacis oſculum, Agnus Dei. Poſt communionem benedictio ſacerdotis, tunc prædicatur a diacono licentia eundi peracta miſſa. Capitula ſequentis opuſculi prænotamus, ut ſi forte quis ignarus exſtans de ignobilitate huius operis adgradiensque illud quaſi dignum, ac poſtea reperies vile, ne pœnitentia ductus dicat apud ſemetipſum, & apud ſuos adſtantes. Si cognoviſſem ruſticitatem huius operis, nullatenus laborem oculorum meorum inpenderem, videat modo in capite, quæ ſecuntur uſque in finem; & ſi lectionis cauſa in aliquam nauſeam incurrerit, non illi, qui ordinavit tantum ingratus exiſtat, ſed & ſibi, qui cognita ignobilitate magis eam eligit rimari uſque ad calcem.

De Romano Ordine, & Statione in Eccleſia.

Cur maſculi ſtant ad auſtralem partem, & feminæ ad porealem? ℟. Ut oſtentatur perfectiorem ſexum firmiores ſcos ſemper conſtitui in maioribus tenptationibus eſtus huius mundi, & per infirmiorem, fragiliorem ſexum infirmiores in aptiore loco. Ad hoc etiam pertinet, quod & Iohan-

(1) Verba hæc indicant ſuperiora cum ſequentibus cohærere, quæ in cod. *Turicenſi* magis adhuc hiulca ſunt & perturbata, quam priora, unde ea omittimus. Sunt vero ipſiſſimæ AMALARII eclogæ a MABILLONIO editæ, quas tamen hic, ex cod. *San-Blaſ.* ſæc. IX. circ. *Turicenſi* ſuppari edimus per modum interrogationis & reſponſionis diſpoſitas.

Digitized by Google

Iohannes in apocalipſi ſua vidit angelum fortem, qui poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum ſuper terram. Forciora etenim membra in maioribus periculis: altera in compedentibus ſiſtuntur.

De Introitu Epiſcopi.

Int. *Cur epiſcopus a leva ingreditur, & tranſit ad dexteram?* ℟. Quia Xpi unum corpus ſumus omnes; ideoque fas eſt, quod epiſcopus intrans eccleſiam, imitetur ſuum caput Xpm ingredientem in mundum. Levam partem tetigit Salvator noſter, quia temporalem adſumpſit; ſed volebat ad dexteram, & docebat idipſum eccleſiam facere, quanto (quomodo) reſurrectionis carnem, quam adſumpſit, ad dexteram Dei elevabit; & eccleſiam ſuam ſecum fecit conſcendere in cœleſtibus: ſicut dicit Paulus apoſtolus; quia ſimul excitavit, & ſimul fecit ſedere in cœleſtibus. Audi, quod dicit Salomon de dextera, & leva: Longitudo dierum in dextera eius, & in ſiniſtra illius divitiæ & gloria. Si longo tempore vivere cupimus, ad dexteram, id eſt, ad futuram vitam tendamus; & in ſiniſtra habemus divitias & gloria, id eſt, ſufficientia præſentis vitæ.

De Diaconibus & ceteris Miniſtris Epiſcopi.

Int. *Cur cum epiſcopo non amplius, quam ſeptem (VII.) diaconi, totidem ſubdiaconi, totidem acoliti cum turibulis non amplius, quam ternis intrantur?* ℟. Sæpe ſcriptum eſt, & in multis locis apertum, quod ſeptenario numero univerſitas ecleſiæ deſignatur, quanto multiplicatis partibus ſuis facit XII. id eſt ter IIII. XII, & quater tria XII, & ex duo denario numero patriarcharum & apoſtolorum univerſa eccleſia propagavit. Si interrogaveris, *quare non poſuiſſent in eo ordine VI. aut IIII. aut duo?* reſpondebo: Quia Deus impari numero gaudet. Int. *Cur inquis Deus gaudet impari numero?* ℟. Quia inpar numerus dividi non poteſt, & diviſionem non vult Deus recipere in eccleſia ſua. Par numerus dividi poteſt: ſicut eſt VI. in IIII, & IIII. in duo, & II. in unum, & unum ideo parem numerum non ſuſcipimus in ordine ſupra dicto, quia diviſionem & ſciſma non vult Dominus recipere in eccleſia ſua. Quamvis tacuiſſem de VII. diaconibus apoſtolis ordinatis; ex hinc decreverunt apoſtoli & ſucceſſores apoſtolorum per omnes eccleſias VII. diaconos, qui ſublimiori gradu eſſent ceteris, & proximi circa aram quaſi columne altaris adſiſterent: VII. propter VII. viros perfectos; .V. libros Moyſi; III. propter ſpem, fidem, & caritatem; unus propter unitatem eccleſiæ.

De Portatione Cerearum.

Int. *Cur, quot diaconi ſunt, tot candelabra portantur?* ℟. Quia omni eccleſiæ laboranti & imitanti Xpm promittitur gaudium æternæ vitæ, & lux perpetua, quod manifeſte declaratur in apocalipſi Iohannis dicente Domino negligenti: Age pœnitentiam, & prima opera fac; ſi autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco ſuo, id eſt promiſſe lucis munere, ſi pœnitentiam non egeris, te privabo.

De portatione Turibuli.

Int. *Cur portatur & turibulum?* ℟. Quia Xpi corpus ſignificat, ſicut ſcriptum eſt in eadem apocalipſi: Alius angelus venit, & ſtetit ante altare habens turibulum aureum; quod ſic expoſitum eſt: in conſpectu Sci licet aparuit eccleſiæ, factus ipſe turibulum, ex quo Deus odorem ſuavitatis accepit, & propitius factus eſt mundo.

De Epiſcopo iam præſentato altari.

Int. *Cur epiſcopus veniens ante altare adorat primo ſcam, & poſtea pacem dat presbyteris & diaconibus?* ℟. Quia illum imitatur, de quo propheta ſcripſit: Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.

Int. *Cur epiſcopus primo adorat ſcam?* ℟. Quia primo illius miſericordia impertienda eſt, a quo pax, & miſericordia, & regnum Xpi intra nos regnat.

Int. *Cur duos ſacerdotes oſculatur?* ℟. Quia ipſe eſt lapis angularis, qui coniunxit duos in unum parietem altrinſecus venientes, & dedit his pacem, qui fuerant longe, & his, qui prope.

De Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto.

Int. *Cur poſt datam pacem cantor dat ſanctæ Trinitati gloriam?* ℟. Quaſi dicat: Gloriam referimus Deo Patri & Filio & Spiritui ſco, & pacem, quam prophetavit per ſcos ſuos prophetas, nobis in noviſſimis temporibus dignatus eſt oſtendere, quanto dicit: Sicut erat; diaconi procedunt ad altare, & iterum revertuntur ad epiſcopum, & ſtant erecti, hoc ſignificat, quod ideo morti ſe tradiderunt; ſubauditur apoſtoli, ut Xpi corpori adunarentur; id eſt: ſicut erat in principio, in præterito, & nunc præſens, & ſemper futurum, & æternum, & in ſæcula ſæculorum; longitudo magna. Unum erigens, quoties ſæcula ſæculorum

Digitized by Google

nominantur; fortaſſe licet ignotus nobis, tamen a Dno ſtatus aliquis ac terminus indicatur; quaſi ſuperiora tria circa tempus referantur, & iſta inferiora circa ſæcula fidelium tranſeuntium. Altare pro teſtificatione nominis Xpi; vidi ſub altare, per hyperbaton dictum eſt, non ſub ara vidi occidere; ſed quia non ſub ara fuerunt occiſi, ſed ſub teſtificatione nominis Xpi, eorum animas vidi.

Int. *Quare, quanto dicitur prophetalis verſus, epiſcopus vadit ad altare, & oſculatur eum?* ℟. Quia per ora prophetarum Xpus venit in mundum, & tranſit ad paſſionem.

De Statione Diaconorum.

Int. *Cur diaconi primo ſtant inclinati ante altare cum epiſcopo uſque Sicut erat?* ℟. Quia chorus ſcorum martyrum ante noviſſimam tribulationem in convalle lacrimarum manet; poſtea martyrio coronati, erecti ſtant liberati & ſecuri iam ab omni perſecutione, quorum Deus oculos abſterſit ab omnibus lacrimis, & ab omni dolore, & ab omni eſurie; ideoque ſtant ante Dnm ſemper.

De Statione Epiſcopi.

Int. *Cur epiſcopus vero ſemper ſtat inclinatus uſque ad prophetalem verſum?* ℟. Quia Xps non anticipavit tempus, quo prænuntiatus eſt per ora prophetarum, tempore enim, quo prophetæ prædixerunt, venit in mundum ad paſſionem; & ideo cum verſu prophetali vadit ad altare, quia Xpm imitatur, ut oſtendat populo omnia, quæ prophetæ prædixerunt de Xpi paſſione, vera eſſe, & in tempore ſuo conſumata, ſicut aperte legimus in prophetia Danielis: LXX. inquit ebdomadæ adbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſcam tuam, ut conſumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetæ, & ungatur ſcs ſanctorum. Et iterum inferius: confirmabit autem pactum multis ebdomatis una, & in dimidio ebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium. Quod dicit: adducatur iuſticia ſempiterna, de Xpi adventu dicit. Quod dicit: ungatur ſcs ſanctorum, de eius baptiſmo dicitur. Quod dicit: confirmabit autem pactum multis ebdomadis una, de Iohannis prædicatione, & de Xpi prædicatione, & de vocatione apoſtolorum dicitur. Quod dicit: & in dimidio ebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium, de Xpi paſſione, & de reſurrectione dicit. Quod autem dicit: LXX. ebdomades, id ſunt anni ſolares CCCC. LXX. V. ſeptem enim anni ponuntur in una ebdomada; adbreviatas ideo dicit, quia de CCCC.LXX.V. facit CCCC.LXXX.VIII. aufert emboliſmos de ſolaribus annis CCCC.LXXX.VIIII. annos, & ſit inchoatio XCmi anni, in quo anno Dns crucem aſcendit; & ideo dixit propheta: confirmabit pactum multis ebdomadis una, quia in ea Iohannes prædicabat, & apoſtoli ad fidem converſi, & in dimidio ebdomadis occiſus eſt Dns Ihs Xps. VII menſes, qui adiecti ſunt ad annos CCCC.LXXX.VIIII. idem ipſe, qui ſeparari ſubdidit uſque ad mortem. De hac expectatione matri intulit dicens: Quid tibi & mihi eſt mulier, nondum venit hora mea.

Int. *Cur epiſcopus ſtatim poſtquam adoraverit ſcam pergit ad dexteram altaris, & ſtat erectus verſus ad orientem, & diaconi retro illum unum poſt unum, plures ad dexteram, pauciores ad ſiniſtram?* ℟. Epiſcopus ad dexteram altaris ſtat, quia Xps regnum prædicabat, in quo totum dextrum eſt, & nihil ſiniſtrum habet; ſtat erectus, quia venit regere. Suos in virga ferrea, id eſt, in inflectabili iuſtitia. Stat verſus ad orientem, quia, ut ipſe indicat, non querebat voluntatem ſuam facere, ſed eius, qui miſit illum; ſicut ſcriptum eſt: quia deſcendi de celo, non ut faciam voluntatem meam, & reliqua. Non quidem retrorſum verſus, ſed ſemper faciem Patris intuetur, unde ipſe Dns in evangelio: ſcio unde veni, aut quo vado; ſic namque oportet epiſcopum & regnum prædicare celeſte, & peccata ſub pedibus ſternere, reſpicere æterna, & temporalia retro habere. Diaconi retro ſtant, quia ſicut diximus, bene martyrum choro aptari poſſunt, quia adminiſtrantes ſunt in ſancto altari, & dalmacas portant, quas ſolebat militaris uſus portare. Ipſi diaconi præceſſerunt ad altare, quia in veteri teſtamento martyres extiterunt, & modo retro ſtant, qui poſt nativitatem Dni nihil minus martyrio digne coronantur. Aliqui ex ipſis ſtant ad dexteram, & aliqui ad ſiniſtram, quia multi de contemplativa vita martyrio coronati ſunt; & multi de activa vita ad coronam martyrii procedunt. De utriusque modis in duobus hominibus contentum exemplum poteſt poni. Scribens namque Clemens Alexantrinus de Iacobo fratre Iohannis hiſtoriam quondam dignam memorie refert: & is, inquit, qui obtulerat eum iudici ad martyrium, motus etiam ipſe, & confeſſus eſt, ſe eſſe chriſtianum, ducti ſunt ambo ad ſupplicium pariter, & cum ducerentur; in via rogavit Iacobum, dari ſibi remiſſionem, at ille parumper deliberans: Pax tibi, inquit, & oſculatus eſt eum; & ita ambo ſimul capite plexi ſunt. Iacobus

Digitized by Google

bus contemplativam vitam ducebat, quia nemo eorum ſuum aliquid eſſe dicebat. Socius autem ſuus, nullus dubitet, quin præſentem vitam duceret; quamvis unacum illo ad gloriam regni cœleſtis, martyrio coronatus, intrarit. Hi namque, qui contemplativam vitam ducunt, vigent maiori numero virtutum, quam hi, qui activam, in quo ſufficere poſſunt ad exempla Marthæ & Mariæ, una minſtrabat activam vitam, altera ſedens contemplativam.

Candelæ primo ab acolitis inluminantur.

Int. *Quid ſignificat, quod primo candelæ præcedunt extra eccleſiam, & per acolitos portantur in eccleſia, & poſtquam ventum fuerit ad altare poſtponuntur?* ℟. Utrumque demonſtrant & doctores eccleſiæ, id eſt inluminatores extitiſſe ante nativitatem Dni, & poſtea. Acoliti namque accenſores luminum dicuntur. Portantur manibus, quia, quos ſcientia replet, bonis exemplis erigere nullatenus ceſſare debent. Eadem candelæ uſque ad Kirieleiſon acolitorum manibus tenentur, & tunc ponuntur in pavimento, & ſtant fixo gradu; ſic oportet doctores, ut rudem populum nullatenus de manibus relinquant, antequam populus ſubiectus ſciat dicere: Dne miſerere mei peccatori, quod eſt aperte dicere, prout docti ſunt a didaſcalo, miſerum me recognoſco, & ideo miſericordiam Dei implorare oportet. Stantque tunc per ſe in eccleſia & inluminant eccleſiam, quanto (quoniam) fas eſt, ut qui iam doctus eſt a doctore, doceat eccleſiam pro vice doctoris; quia ſimiliter, ut diximus de diaconibus, plures ſtant a dextris, & pauci a ſiniſtris. De quo idipſum ſignificare velle intelligimus, quod ſuperius diximus de diaconibus. Poſt primam namque orationem ponuntur candelæ ante altare non iam altrinſecus ut antea, ſed mixtum per ordinem unaquæque poſt alteram, uſque ad noviſſimam, quia ſunt quidam, qui omnia relinquunt, & ſeſe ad vitam contemplativam conſtringunt. Plerique activam vitam ducunt, & habent curam terrenarum rerum, tantum quantum poſſunt elemoſinas faciendo, vigilias exercendo ſatagunt properare ad eccleſiam, quos utroſque noſtra eccleſia mixtim tenet. Et quamvis ideo poſſit intelligi, candelas per ordinem ante altare poni, ut expedite poſſint miniſtri ad ambonem currere, & circa altaria miniſtrare. Evangelium, qui portatur propius epiſcopo, oſtendit, quod ipſum eſt nobis via eundi ad regnum Dei.

De Seſſione Epiſcopi.

Int. *Quid ſignificat ſeſſio epiſcopalis peractam orationem, quod presbiteri cum eo ſedent, & de eo, quod verſus ſit ad populum?* ℟. Oſtenditur datam eſſe illi poteſtatem eorum acta ſcrutari. Epiſcopus quidem poſt primam orationem, quam precationem nominamus, ſedet verſus ad populum, & presbiteri cum eo, in ipſa vero precatione, optationem bonam eccleſiæ intelligimus, quaſi dicat populo: Optavi bonum eccleſiæ, & ideo ſedeo, & vos quidem, ſi delectat requiem poſſidere animarum, quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & æterna neceſſaria adiicientur vobis, & poſt invenietis requiem; ſtare namque eſt, adhuc in certamine poſito orare, poſt victoriam vero ſedere ac iudicare. Sedent & presbyteri cum eo, quorum miniſterium eſt idipſum adnunciare; de quibus Paulus: Presbyteri duplici honore habeantur maxime, qui laborant in verbo Dei. Poſt primam orationem ſtat verſus ad populum, ut demonſtret populo, poſtquam Deo ſe manifeſtavit & ſua acta, oravit pro ſe ſuisque & pro populo bona precatus eſt, & laudem Deo retulit habere in miniſterium opera populorum ſuorum examinare, quis inter eos dignus habeatur, vel quis indignus.

De Sede epiſcopali.

Int. *Cur altior locus poſitus eſt epiſcopis?* ℟. Ideo, ut ipſi ſuperintendant, & tanquam cuſtodiant populum. Nam & græce, quod dicitur epiſcopus, hac latine ſuperintentos interpretatur, quia ſuperintendit, quia ſuper videt. Quemadmodum enim viniatori altior fit locus ad cuſtodiendam vineam, ſic & epiſcopo altior locus factus eſt. Et de iſto periculoſo loco & alto periculoſa ratio reddetur; niſi eo corde ſtemus hic, ut humilitati ſub pedibus veſtris ſimus & pro vobis oremus.

De Epiſtola.

Int. *Quid fuit Xps in hoc?* ℟. Xps enim miniſter fuit, qui dixit: non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Iohannes enim ſubminiſter fuit, qui dixit: hic erat, quem dixi, qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt, qui non aſcendit ad ſuperiorem gradum, quem ſolus ſolet aſcendere, qui evangelium lecturus eſt, ut oſtendat ſe ſubminiſtrum eſſe, quia non eſt Iohannes dignus ſolvere corigiam calciamentorum eius, cuius verba in eo locuntur. Cantor vero aſcendere poteſt indifferenter, aſcendit ſuperius, quia Xps perlatus eſt Iohanni. Stat in eodem, quia eſtimabatur Iohannes. Stat inferius, quia venit ab eo baptizari. Non aſcendit ſuperius, qui reſponſorium cantat, quam qui lectionem legit, ſed ſtat

in

Digitized by Google

in eodem loco. Et, ſi aſcendit ſupra, ſecundum ſupra dictos modos intelligitur. Reſponſorium ideo dicitur, eoquod uno cantante, ceteri reſpondeant. Cantavit unus Xps, id eſt, vocavit Petrum & ceteros apoſtolos. Illi reſponderunt, quia Xpm imitati ſunt; & ideo reſponſorium convocationi apoſtolorum convenit. Idem ipſe ſolus verſum cantat, quia Xps ſeorſum pernoctans ſolus orabat, ſicut in evangelio: ipſe autem erat pernoctans in oratione. Diaconus cum aſcendit ad legendum, petit benedictionem ab epiſcopo, & accipit evangelium de altari, & procedunt ante eum duo candelabra, & duo turibula, ſive unum, illud quidem quid ſignificet dictum eſt. Diaconus vero ſtat verſus ad meridiem, ad quam partem viri ſolent confluere, petit prius benedictionem epiſcopo, epiſcopus dat illi; Dns ſit in corde tuo, & in labiis tuis. Incenſum, quod ponit in turibulo orationem deſignat ſanctorum; unde dicit propheta: dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Diaconus dicit: Dns vobiſcum, & populus ſe vertit ad orientem. Orat Dnm, ut poſſit digne intelligere, quæ auditurus eſt. Et ſinguli faciunt ſignum ſancte crucis in frontibus eorum, & per ſignum ſancte crucis ſint loricati, quatenus nulla fantaſia diabolice fraudis aditum inveniat introeundi in corda eorum, & auſſere poſſit ſemen evangelii de animabus eorum. Poſt hæc baculi deponuntur e manibus, Iudei namque harundinem in dexteram Ihu dabant, & ſpineam coronam capiti eius impoſuerunt, & ſalutabant eum, atque ponentes genua adorabant eum inludentes. Nos vero fugientes conſenſum eorum, deponamus baculum, quem illi erexerunt ob ſuperbiam, neque coronam, neque aliud operimentum ſuper caput eadem hora tenentes. Si intraverit quis ſubito eadem hora in eccleſiam non ſalutamus eum, neque genua ponimus ad orationem, donec lectum ſit evangelium. Aliter baculum poſſumus intelligere humanum adiutorium. Unde & Hieremias: maledictus homo, qui confidit in homine, & reliqua. Sacerdotes namque in eccleſia poſſunt eſſe baculi noſtri, qui pro nobis debent orare; quam orationem pro populo ponimus, & aliquoties, ut eo baculo utamur, aliquando non; quando Xpm in promptu habemus, non eſt neceſſe ullo baculo, ſi quando propter peccata noſtra diſceſſerit, neceſſe eſt quære baculum, id eſt, orationes Sanctorum. Quapropter quando Sacerdos orat, atque celebrat aliorum doctorum officia, baculos tenemus in manibus; & quando ipſius Xpi verba nobis locuntur, baculos non tenemus in manibus, ut oſtendatur non difficile eſſe Xpo, per ſe docere poſſe populum ſuum; quando ubi in promptu Xps loquitur, non ibi neceſſe habemus Petrum, neque Paulum, neque alium doctorem, quia ipſe eſt unus magiſter, qui in cœlis eſt.

Cur ſit Diaconus in ambone verſus ad meridiem.

Int. *Cur diaconus pronuntians verba evangelii ad meridiem ſtat verſus?* ℟. Quando illis loquitur, de quibus Paulus dicebat: ſapientiam loquimur inter perfectos. Quando enim ſol ad meridiem vergit, ferventior ſolet exiſtere, & altior. Significat namque eccleſiam ferventem animo in more Dei, eleveta eſſe in magno culmine virtutum. De qua parte ſic fatetur in canticis canticorum: indica mihi, quem diligit anima mea, ubi paſcas, ubi cubas in meridie, in eadem parte illum requirit ſponſa; quare cognoſcit illum cubare in meridie. Adeſt in eis, quorum cor ardens eſt in dilectione Dei, & dilectione proximi: ipſis, de quibus loquitur evangelium: qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum aferunt in patientia. Sane quando ſolemus ſedere ad lectionem magiſtrorum, facies magiſtri noſtri amplius eſt intenta in eum, qui perfecte poteſt diſcere, quam in eos, qui minus perfecte diſcunt. Non eo, quod illi ſoli aptent ſuam doctrinam, ſed quia illos, qui tardiorem ſenſum habent, vult iterum doceri ab illo, qui cicius veram rationem invenire poteſt in doctrinam magiſtri. Non dicimus ita, ut hi, qui poſt tergum ſunt extranei ſint a ſancto evangelio, ſed, ut per doctores minus eruditi, erudiantur. Tu, qui ſcandiſti culmen ſublime miniſtri, quanto excelſa petis, tanto moderatior eſto. Quantum inclinato ſolo, tantum ſit proximo cœlo. Mens etenim, quæ cælſa petit, hæc ima tenebit; inferiorque gradus, quo vult deſcendere, ſurgit; lætatur ſerpens inimicus, ſi cadis alme. Angelus alti throni, ſi non gaudet, quia tu ſis; Pocula celſa iubes tu ſcandere limen olimpi.

De extinctione Cereorum.

Int. *Cur poſt lectum evangelium candele extinguntur?* ℟. Per candelas deſignantur doctores eccleſiæ; & quod vult iſtud, quod per evangelium extinguntur, niſi quod nemo doctorum tranſcendere poteſt verba ſancti evangelii. Aperte etiam monſtratur claſſo ſancto evangelio, extinctam eſſe doctrinam Sanctorum.

De

Digitized by Google

De Credo in Deum.

Int. *Cur ſymbolum poſt evangelium cantatur?* ℟. Poſtquam Xps locutus eſt populo ſuo, fas eſt, ut dulcius & intentius proficearur credulitatem ſuam, ſicut convenit populo poſt evangelium, quia Xpi verba audivit intentionem credulitatis ſuæ præclaro ore proferre, Xpiana religio, ut ſalva maneat. Corde enim creditur ad iuſtitiam, oris autem confeſſio fit ad ſalutem.

De preſentatione Corporalis, & Calicis ad altare.

Int. *Cur poſt lectum evangelium venit ſubdiaconus ferens in brachio ſiniſtro calicem, in quo recipiantur ampulla populorum, & ſuper calicem corporalem?* ℟. Quod accipiens diaconus ponit ſuper altare, ſimiliter calicem poſt receptas ampullas, Dns Ihs, ipſe diaconus, ſubdiaconus, quando ipſe aperuit librum, & legit. Diaconus, quando dixit: filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, ipſe ferens calicem & corporalem, nullo cogente venit Hieroſolimam adpropinquante hora paſſionis ſuæ, habens in ſiniſtro brachio calicem, & deſuper corporalem; quando, quod paſſus eſt temporale non æternale. Non licet fieri de altero panno corporale, niſi de lineo. Linteum namque per multas exercitationes venit ad candorem ſuum. Significat vero ipſam intentionem dominicæ paſſionis; calix ipſam paſſionem, in qua ſuſcepit animas noſtras.

Recapitulatio De paſſione Dní.

Bis enim narretur in iſta ſcedula de paſſione Dni, unum, quod fuit in evangelio, & alterum, quod adhuc reſtat, & agitur in altari. Int. *Cur hoc?* ℟. Quando bis crucifixus eſt Dns, primo linguis Iudeorum, & poſtea cruce, inde eſt, quod Marcus hora tercia, id eſt, in linguis Iudeorum. Sed ſicut alii evangeliſtæ narrant, manibus hora ſexta. Et quid vis dicere, quale miniſterium habeant ſubdiaconi, quando ſtant inclinati, ſi pro ſuis peccatis non orant, & plorant. Per trophologiam ſubdiaconi inclinati ſunt, quia declinaverunt, ſtant erecti per confeſſionem, & ſurſum aſpiciunt in faciem pontificis, poſtquam dicit: Nobis quoque peccatoribus; & quomodo poterant diſcipuli & mulieres claudere oculos ſuos, ut non viderent Dnm in cruce pendentem, quem tantum amabant. Subdiaconi in ipſo aſpectu perſeverant, uſque cum fanone calix circumdatur, tunc demum recedunt, ut præparent calices, in quo corpus Dni honorifice ſervetur.

De Oblatione.

Int. *In cuius typo eccleſia panem & vinum offert?* ℟. Xps Dns Sacerdos eſt in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui rex Salem, id eſt, rex pacis, obtulit panem & vinum in præfiguratione veri Sacerdotis Xpi, qui obtulit Deo Patri verum panem, id eſt, corpus inmaculatum, & vinum, id eſt, ſanguinem ſuum. In cuius typo hodie noſtra eccleſia panem & vinum offert in conſecratione corporis & ſanguinis Dni, & qui dedignantur oblationes offerre, dedignantur quamvis non viva voce confiteri ſe Xpi paſſione non eſſe redemptos, & eandem paſſionem memoriæ ſuæ mandare, ita tamen, ſi non ſit aliqua cauſa, quæ forte ad tempus impediat, cum fanonibus offerunt, quoniam legimus in paſſione Dni ſudarium uſurpatum eſſe. Aliter quippe fanones de lino efficiuntur, & linum multis modis ſcæ ſcripturæ pro exercitatione paſſionis ponitur; atque ideo fanonibus puris oblationes tenent, ut ſe oſtendant religione ſancta & catholica accepiſſe pro fratribus animam ponere, & non ſolum animas, ſed & puras, ut non ſint aliqua hereſi pollutæ, ſed caritate mundatæ. Unus dicit apoſtolus: & ſi tradidero corpus meum, ut ardeam, caritatem autem non abuero, nihil mihi prodeſt. Noviſſime omnium ſacerdotes offerunt & diaconi, ſed ſolum panem. Solus autem archidiaconus ſolet implere oblationes priorum infundens aquam in calicem, & amulam pontificis, ut oſtendatur corpus Xpi unum eſſe, & quod iſte fecit, pro omnibus fecit. Sicut Petrus in evangelio Dnm diſcipulos interrogantem: Vos quem me eſſe dicitis? pro univerſitate diſcipulorum ſolus Petrus reſpondit: tu es Xps Filius Dei vivi. Hoc quod omnes reſponderunt animo, viva voce ſolus Petrus protulit, quod presbyteri in noviſſimo loco offerunt, non vacat a miſterio, quando Iohannes in apocalipſi ſua vidit ſimilem filio hominis in medio VII. candelabrorum, & in eo vidit ſtatum omnis eccleſiæ præſentis qualis eſſet; & cum hoc deſcripſiſſet, pedes, inquit, eius ſimiles auricalco, ſicut in camino ardenti. Pedes igitur noviſſimi temporis eccleſiam dicit, quæ eminentius eſt examinanda, & probanda preſſuris. Presbyteri miniſterium eſt, fortem eſſe in Eccleſia, ut pro ſe poſſit orare, & pro populo; & ideo iſti, quia fortiores ſunt in eccleſia, noviſſime offerunt, ut ſignificent eccleſiam, quando in noviſſimo tempore erit antixps, videlicet multo plures iniurias ſuſtinere, quam in præſenti. Sed etſi delectet audire, cur viri ante feminas offerant, dicatur

Digitized by Google

catur, quia & primitiva eccleſia inpreſſura, quando nondum pleniter Xpiani erant, plures iniurias ſuſtinuerunt, quam modo ſuſtineat præſens eccleſia. Femine in medio offerunt, quia, ſicut liquido patet, ſilentium eſt magnum in eccleſia; Deo enim gratias, Xpianitas maxime in iſtis temporibus viget, præcipue, quando (quoniam) poteſtas ſublimis Xpiana eſt. Presbyterorum, & diaconorum miniſterium eſt in altari, & circa altare miniſtrare, ideoque ipſi ſoli accedunt ad altare, quorum miniſterium eſt circa altare.

De Miniſtris ſtantibus hora Miſſæ.

Int. *Cur eo tempore, quod Miſſa celebratur, diaconi ſtant retro epiſcopum, & ſubdiaconi ante faciem eius?* ℟. Notum eſt enim dixiſſe Xpm diſcipulis ſuis: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte; quia ſicuti Xps prædixit, eadem nocte relicto eo fugerunt, ac per hoc modo eadem hora ſecundi miniſtri altaris recedunt a facie epiſcopi, ut ſignificetur ad tempus apoſtolos abſentes fuiſſe, & tamen retro expectantes, quoniam poſt paſſionem illum ſecuti ſunt. *Quid eſt retro ſtare?* Procul dubio ſequi anteriorem. Subdiaconi vero poſt evangelium hymnum ſtant inclinati uſque dum dicit: Nobis quoque peccatoribus. Tunc primo ſe erigunt, & ſtant in loco, ubi ante ſteterunt; quando diſcipuli, & mulieres ſequentes erant Dnm uſque ad locum crucifixionis; non ſolum ſequentes, ſed & plangentes. Converſus autem Ihs dixit: Filiæ Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos, & ſuper filios veſtros. Mulieres flebant quaſi pro peccatore; ſed ipſe Dns oſtendit, non ſuper illum debere flere, ſed ſuper ſe ipſas, quæ peccatrices erant. Audiat quamdiu ſupra diem ſteterint ad crucem. Lucas inquit: Hic acceſſit ad Pilatum, & petiit corpus Ihu, & depoſitum involvit in ſindone. Subſecutæ autem mulieres, quæ cum ipſo venerant de Galilea, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum fuerat corpus eius, & revertentes paraverunt aromata, & unguenta, & ſabbato quidem ſiluerunt. Pararant quidem mulieres aromata, & unguenta, unde condiatur corpus Dni, ne in pulverem redigatur. Subdiaconi quidem poſtquam vident calicem circumdatum linteo, vadunt, & præparant calices, ſive ſindones mundas, in quibus recipiant corpus Dni, ne in terram cadat, & in pulverem vertatur. Mulieres ſabbato ſiluerunt. Sic licet & ſubdiaconi expectent, uſque dum oratio dominica compleatur, & id, quod pertinet ad hanc orationem. Convenienter quippe ſabbatum coaptatur orationi dominicæ, in qua ſunt VII. peticiones; etenim per ſeptimam ſabbati, ſeptiformis intelligitur. De oratione dominica, quæ ſabbato aptatur; ſilentium ſabbati requiem mentis deſignat, quæ datur per VII. dona Spiritus ſci, & hæc dona nos petimus in oratione dominica, unde miniſtri eccleſiæ eadem hora quieſcunt. Plane diaconi inclinati permanent uſque dum compleatur oratio dominica, & ſubdiaconi erigunt ſe, cum audiunt: Nobis quoque peccatoribus. Per quos deſignantur illi, quibus Xps dixit: Vos autem ſedete in civitatem, donec intuamini virtutem ex alto, ſcilicet apoſtoli. Sed iſtorum declinatio perſeverans, eorum perſeverantia in oratione deſignat, ut acciperent promiſſum Dni; quibus utique ſpecialiter præcepit expectare promiſſum Spiritus ſancti in Hieruſalem uſque ad pentegoſten. Illi ſtant inclinati, uſque dum compleantur VII. petitiones orationis dominicæ; & de quibus ſupra legitur, quod miniſtrantes ei erant uſque ad ſepulchrum, & poſtea præparantes aromata; illi, qui horum typum tenent, recedunt de altari ad miniſterium præparandum, quando audiunt: Per omnia ſæcula ſæculorum amen. *Verſus.* Ecce habes hic tumulum Xpi, quam conſpicis aram. Hinc ſurſum mente culmina celſa pete. Lintea mirantur pariter flagrantia precans, concordes Dno hæc tu meditare pie. Diſcipuli vultum in terram deponite veſtrum. Hoc vobis monſtrant agmina ſca matrum, aſtemus humiles nos cum mulieribus omnes. Ante pias facies angelicas iugiter.

De Te igitur.

Int. *Cur* TE IGITUR *ſecreto cantatur?* ℟. Conſuetudo namque patrum noſtrorum habebat, ut qui orationem facerent, laudem Deo referrent. Igitur, quod excelſa voce dicimus ante Te igitur ad laudem pertinet creatoris noſtri, ut manifeſte omnibus demonſtretur, qui hanc valent diſtinguere; ubi & nos Deo gratias referendas eſſe refertur. Et angelicam creaturam pronuntiat unamquamque in miniſterio apto laudare creatorem ſuum. Poſtea namque ſequitur Te igitur, oratio videlicet ſpecialis ſacerdotum, in qua orat & ſpecialiter pro aliquibus, ut facit pro apoſtolico, & poſtea, ubi dicit: famulorum famularumque, & ilico poſtquam propriis orationem fundit, generaliter ſe convertit pro omnibus orare, adiungens: Et omnium circumſtantium; & cetera his ſimilia; in eo videlicet, quo iſta ratio ſpecialiter ad

Digitized by Google

ad ſacerdotem pertinet. Solus ſacerdos in eadem intrat, ſecreto eam decantat; ſequitur magiſtri ſui præcepta, qui dicit: Tu autem cum oraveris intra in cubiculum tuum, & cetera. Iſte namque mos apud noſtram eccleſiam uſque hodie manet, ut, ſi quis orationem facit, ſpecialiter faciat. Hanc ita exultat vocem, ut ſe ipſum ammoneat, quod in ſecreto cordis ſui poſtulare debeat, neque ab re eſt, quare mos iſte apud Xpianos teneatur, procul dubio, quia Xps ſolus orabat. Unum Matheus: & dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare.

De Crucibus in TE IGITUR.

Int. *Cur cruces in hac oratione ſenario numero perficiuntur?* ℟. Ut ſicut Dei opera perfecta ſunt, ita & eiusdem Dei & Dni noſtri Ihu Xpi corpus perfectum intelligatur. Senarius enim numerus partibus ſuis computatus perfectus eſt. Hoc ſignificat, quod noviſſima crux cum oblatione celebratur, quod pro tota eccleſia venerat is pati, cuius corpus paſſioni ſubcubuit uſque ad tactum crucis.

Aliter. Quinque etiam ordines crucium, quæ fiunt ante ſub ordinem ſextum, quando cum oblata tangitur calix, ſignificat quinque ætates mundi ante nativitatem Dni. Sextum vero tempus, illud quod reſtat a nativitate Dni uſque ad finem mundi. Significat enim ſemel tactus calix oblata, ſemel Dnm abſcondiſſe crucem, ut finem haberet cruciatus, qui fiebat per V. ætates mundi; per oblata, quæ exaltantur in manibus, ſignantur prophetæ, qui in manibus exaltabant panem verum Xpm, quando eius incarnationem aperta voce prophetabant, unde Iſaias: Ecce, inquit, virgo concipiet, & pariet filium. Cum ipſam crucem videt diaconus facere, & incipere calicem exaltare, vadit, & tenet calicem ſimul cum epiſcopo exaltatum, uſque dum dicit: Per omnia ſæcula ſæculorum. Et poſtea ponit calicem in altare, & involvit cum ſudario: nempe Ioſeph accepto corpore Ihu, involvit illud in ſindone munda, & poſuit illud in monumento ſuo. Hunc præſentem diaconum propter conveniens miſterium in typo ponimus Ioſeph, ſive generaliter in typo eorum, qui caſto corde miſteria Xpi ſuſcipiunt. Diaconus ſiquidem tenet calicem exaltatum, cum pontifice ponit illum in altare, qui Ioſeph depoſuit de cruce corpus dominicum, & poſuit in monumento. Diaconus, ſicut diximus, convolvit cum ſudario calicem, quoniam Ioſeph involvit in ſindone munda. In ipſo altari, id eſt in ſepulchro, corporale iacet; per quod intelligitur ipſum linteum maius, quo totum corpus tegebatur in ſepulchro, & per illud, quod aliquam partem calicis tegit ſudarium, intelligitur, quod aliquam partem capitis Dni tegebat, & aliquam non tegebat, ſicut mos Iudeis eſt facere, & remanet in altari, id eſt, in ſepulchro, hoc corpus uſque dum tria capitula compleantur, id eſt, prologus de oratione ſequenti: Pater noſter, &: Libera nos qs Dne, etenim tres dies in ſepulchro Dns quievit. Poſtea namque comixtum corpus Dni cum vino, ſimulque pace adnuntiata, auferetur dominicum corpus de altari, quoniam in tertia die anima, quæ deſcendit ad inferna, ut liberaret iuſtos, & corporis vivificaret membra, rediit ad corpus, & non eſt amplius inventum dominicum corpus in ſepulchro, & ideo, quando totus homo ſurrexit ſimul, fas eſt, ut ilico cum oblatione calix Dni auferatur de altari.

De Nominibus quatuor orationum Epiſcoporum ſive populi in Miſſa.

Prima oratio aliquando oratio dicitur, aliquando collecta. Manifeſtum eſt, quod ideo oratio dicitur, quia precantur bona pro populo. Collecta vero, quia populus inchoatur colligere in unum. Libeat fraternitatem tuam mihi frater kariſſime uti auctoritatem ſci Auguſtini in hoc opuſculo. Iſtud namque officium in IIII. ſpecies dividit: id eſt in precationes, in poſtulationes, in gratiarum actiones, ita commemorans: quidquid agitur in officio miſſæ, antequam oblationem ponant in altari, precatio nominatur, & hanc diſtantiam facit inter precationem, & deprecationem, & inprecationem, quod precatio fit, quando bona optat populo. Deprecatio, quando orat, ut devitet malum, & deſinat a peccatis. Inprecatio, quando mala optat, id eſt, maledicit. Prima vero oratio, quam dicit epiſcopus precatio nominatur; idem optatio bona pro populo. Diximus namque, quod introitus eſſe foret ad officium prophetarum, quod per ora prophetarum Xps intravit in mundum, & non ſolum intravit, ſed & carnem adſumpſit, & homo factus eſt, ducens originem ſecundum carnem de ſcis patriarchis; quorum unus valde optat & commendat expectationem eius populo dicens: non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus eſt; & ipſe erit expectatio gentium, & iterum: Salutare tuum expectabo Dne, itaque obſecro, inquit, Dne, mitte, quem miſſurus es. Hoc bonum optat ſancta Maria virgo Dei genitrix, quando angelo reſpondit: fiat

Digitized by Google

mihi ecce ancilla Dni ſecundum verbum tuum, ut ipſe procedat ex meo virginali utero, qui ſalvet populum ſuum a peccatis eorum.

De Secreta.

Int. *Secreta cur dicitur?* ℟. Eoquod ſecretam orationem dat epiſcopus ſuper oblationem, ut vellet reſpicere ſuper oblationem propoſitam, & deputare eam futuræ conſecrationi. Notum eſt enim ideo ſecretam orationem facere ſuper oblata, ut poſſit ex ea fieri corpus Dni.

De Fractione oblatarum.

Int. *Fractio oblatarum quid ſignificat?* ℟. Illam fractionem ſignificat, quam Dns duobus diſcipulis fecit in Emaus, qua de re ſolent aliqui epiſcoporum, quando invicem communicant, tres portiones facere divina oblata in typo horum trium, id eſt, Xpi, & deope, &, ut dicunt, Lucæ. Sicut enim multæ eccleſiæ ſunt per univerſum orbem terrarum propter diverſa loca, & tamen una ſca eſt Katholica propter unam fidem, ſic & multæ oblatæ propter vota offerentium. Unus panis eſt propter unitatem corporis Chriſti. Si enim requiris quare non integra oblata ponatur in calicem, cum conſtat integrum corpus Dni reſurrexiſſe, partim reſurrecturum, partim iam vivit, ut ultra non morituri; partim mortale eſt, & iam in cœlo. Unde dicit apoſtolus: noſtra autem converſatio in cœlis eſt.

De pace adnunciata antequam commiſceatur Corpus, & Sanguis Dni.

Int. *Quibus modis accipitur pax dicta?* ℟. Duobus enim modis poteſt accipi pax dicta. Ab epiſcopo ſive presbytero antequam corpus Dni mittatur in ſanguinem; ſcilicet & illa pax per iſtam intelligi poteſt, quæ iuſtis eodem tempore data eſt, quando anima Xpi deſcendit ad infernum, & eruit inde omnes fideles, & abſterſit Deus omnem lacrimam ab oculis eorum, ut amplius eis non ſit dolor, neque luctus, ſed in pace Dei, qua angeli pacati ſunt cum eo, ut vivant in æternum, & certe ea pax per iſtam intelligi poteſt, quæ data eſt Xpi corpori, quando anima ad illum rediit, ut ſicut neque anima umquam turbata eſt pro ſua morte, ita nec corpus ultra turbetur de ſua mutatione; ſed ea pace fruantur utraque, ut ſemper gaudeant de æterna inmortalitate. Non enim ab re eſt, ſi per tactum, quo tanguntur labia calicis, eodem tempore ſcripturam illam accipiamus: & inſufflavit in faciem eius ſpiraculum vitæ, ut in eo membro reſtitutio vitæ intelligatur, cui primo, ut viveret, legitur data. Sane illud rationi congruit, ut IIII.or ſenſus ſunt in capite, per IIII.or partes labia calicis tangantur. Sive, quia per IIII.or partes mundi, Xpi reſurrectio ſperatur. Unde ſcriptum eſt: a IIII.or ventis veni, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reviviſcant. Sicut enim, poſtquam pueri clamaverunt: Oſanna, benedictus qui venit, gentiles quidem, qui nondum erant Dei, quærebant per Philippum, qui erat os lampadis, videre Ihm. In quo ſignificatum eſt gentiles futuros corpus Dni per fidem, ita & iſte panis, quando primum ponitur in altari, datur intelligi, futurum de eo fieri corpus Dni. Audiamus, quid iam de commemoratis gentilibus reſpondeat Dns: Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, in quo profecto oſtendit Dns, niſi ipſe moriatur, gentilitatem non fieri corpus Dni. Sic ſane & panis purus ſuum corpus antea fieri non poterat, niſi ad memoriam reducatur ſacerdotis Sacramentum paſſionis Dni, & crucis ſignaculum pro eo celebraturus.

Item de Secreto.

Xpus ſolitudinem quæſivit in oratione, quanto magis nos oportet quærere, qui undique circumdamur tumultibus viciorum, & conſuetudine ſeculari? Utile namque eſt omnem orationem ſpecialem ſacerdotum ſecretum eſſe, ut non cogitemus, quantum placeat vox, & compoſitio oris populo terreno, ſed tantummodo cogitemus, qualiter mens ſoli Deo concordet, quem orat. Ab illo loco, ubi Secreta dicit epiſcopus, uſque ad Agnus Dei, totum illud vocat Auguſtinus orationes.

De Præfatione.

Præfatio namque dicit quaſi prælocutio. Hæc namque oratio, quæ Præfatio dicitur prælocutio eſt ſecuturæ orationis, quæ inchoatur: A te igitur, pervenit uſque ad Agnus Dei. Hanc conſuetudinem hæc oratio tenet, quam habuit oratio patrum noſtrorum, qui ſolebant laudes Deo referre in oratione, ita namque Daniel oravit: Dne Deus noſter, qui eduxiſti populum tuum de terra Egipti in manu forti, & feciſti tibi nomen ſecundum diem hanc. Et paulo poſt: Avertatur, obſecro, ira tua, & furor tuus a civitate tua, & cetera. Primo namque laudavit Dnm in eo, quod eduxerat populum ſuum de ſervitute gravi, & poſtea deprecatus eſt de præſenti tribulatione.

De

Digitized by Google

De Benedictione poſt Communionem.

Poſtcommunionem hanc orationem Auguſtinus poſtulationem vocat. Poſtcommunionem namque dicit, quia poſtquam populus communicat, hæc ſequitur. Super populum vero, quia tunc benedicitur populus, ut noſtro ſco conveniant evangelio. Poſt orationem & communionem benedictio ſequitur, quando, poſtquam Xps in cruce oravit, & coram diſcipulis manducavit, & reliquias eis dedit, elevatis manibus ſuis benedixit eos, & factum eſt, dum benediceret eos, receſſit ab eis, & ferebatur in cœlum; noſtra quippe benedictio poſtulatio eſt apud Dnm, ut benedicere dignetur. Epiſcopus namque data benedictione revertitur ad propria. Poſtea adnunciat diaconus: Ite miſſa eſt. In angelorum typo loquitur populo, qui dixerunt apoſtolis: Hic Ihs, qui aſſumptus eſt a vobis cœlum, & reliqua. Quid eſt namque ite miſſa eſt frater mi, niſi ite cum pace ad domus veſtras, id eſt, miſſa legata eſt pro vobis oratio ad Dnm, & per angelos, qui nuntii dicuntur, allata eſt in conſpectu divinæ Maieſtatis, populus reſpondit: Deo gratias. Hanc reſponſionem Auguſtinus vocat gratiarum actiones. Hoc agit ſca eccleſia more apoſtolico, qui erant adorantes Ihm, & regreſſi ſunt Hieruſalem cum gaudio magno. Audi, qualiter apoſtoli Deo gratias referant, & erant ſemper in templo, laudantes & benedicentes Dnm, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum amen.

Qualiter quedam orationes & cruces in TE IGITUR agenda ſunt.

Te igitur clementiſſime Pater per Ihm Xpm filium tuum Dnm noſtrum, ſubplices te rogamus, & petimus, uti accepta habeas, & benedicas. *Sic ſignat calicem & oblata tribus vicibus, non tamen ſub una cruce, ſed ſeparatim ſingulis ſingulas faciat cruces*: Hæ†c do†na, hæ†c mu†nera, hæ†c ſc†a ſacrificia inlibata, inprimis, quæ tibi offerimus pro eccleſia tua ſca katholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, unacum famulo tuo Papa noſtro N. Memento Dne famulorum, famularumque tuarum, illorum; & illarum. *Hic nomina vivorum memorentur ſi volueris, ſed non dominica die niſi ceteris diebus.* Et omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolomitatis ſuæ tibi reddunt vota ſua æterno Deo vivo & vero. Communicantes, & memoriam venerantes inprimis glorioſæ ſemper virginis Mariæ genitricis Dei & Dni noſtri Ihu Xpi. Sed & beatorum apoſtolorum & martyrum tuorum Petri & Pauli, Andreæ, Iacobi, Iohannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomei, Mathei, Simonis, & Thathei, Lini, Cleti, Clementis, Xiſti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chriſogoni, Iohannis & Pauli, Coſme & Tamiani. *Si fuerit Natalis Sanctorum ita dicat: Sed & diem natalitii beatorum illorum, aut beati illius celebrantes.* Et omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis, precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio per Xpm Dnm. *Hic inclinat ſe uſque ad altare dicit:* Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, qs Dne, uſque iubeas grege numerari per Xpm. *Hic erigit ſe ſurſum; ſolam oblatam hic benedicat.* Quam oblationem tu Deus in omnibus qs bene†dictam, ad†ſcriptam, ra†tam, ratio†nabilem, acceptabilemque facere digneris. *Hic ambos ſignat, id eſt, oblatam & calicem.* Ut nobis cor†pus & ſan†guis fiat dilectiſſimi Filii tui, *uſque* offerimus præclare maieſtati tuæ, de cuius donis ac datis. *Hic IIII. (or) vicibus ſolam oblatam ſignat, & in quinta vice ſuper calicem ſolum crucem faciens.* Hoſtiam pu†ram, hoſtiam † ſcam, hoſtiam imma†culatam, panem † ſcm vitæ æternæ, & ca†licem ſalutis perpetuæ. Supra quæ propitio. *uſque* Inmaculatam hoſtiam. *Hic inclinat ſe iterum iuxta altare dicens:* Supplices te rogamus omnipotens Deus. *Hic orat apud ſe, quod voluerit; deinde dicit:* Iube hæc perferri per manus ſci angeli tui in ſublime altare tuum in conſpectu divinæ maieſtatis tuæ. *Hic ſe erigit, hac verba dicens*: Ut quodquod ex hac altaris participatione ſacro ſ. f. c. e. ſ. ſ. o. b. c. e. r. p. X. D. n. *Hic orationes due dantur una ſuper diptitios. Alteram poſt lectionem nominum. Et hoc cottidianis, id eſt in agendis tantummodo diebus.* Memento etiam & eorum nominum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. *Et recitantur, deinde poſtquam recitata fuerint, dicit:* Ipſis Dne, & omnibus in Xpo quieſcentibus locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas deprecamur per Xpm Dnm noſtrum. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis; *uſque* largitor amitte per Xpm Dnm nrm. *Hic archidiaconus erigens ſe, venit & involvit calicem mappa domnum Papam.* Per quem hæc omnia Dne ſemper bona creas. *Hic ambos ſignat, id eſt oblata & calicem tribus vicibus; ſingulis ſingulas faciens cruces:*

Digitized by Google

es: San†cti†ficas, vi†vi†ficas, be†ne†dicis, & præſtas nobis. *Hic levat Dns Papa oblationes duas uſque ad oram calicis, & tangens eum de oblationibus, tenente illum arcbidiacono;* Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Sps ſci omnis honor & gloria. *Hic dicit in altum:* Per omnia ſæcula ſæculorum. *Tunc reponit oblationes in altare, & dicit in altum:* Oremus præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere: Pater noſter; *uſque* ſed libera nos a malo. *Tunc dicit Dns Papa interveniente nullo ſono banc or.* Libera nos qs Dne ab omnibus malis præteritis p. e. Intercedente b. e. g. ſ. v. d. g. M. ſcis apoſt. P. & P. atqe A. & ſco Stephano protomartyre tuo, & beatis Confeſſoribus tuis Hilario, Martino atque Benedicto. *Hic nominat, quales voluerit Scos, & quantos commemorat:* Cum omnibus Scis da propitius pacem; *uſque* per omnia ſcla ſclorum. *Deinde dicit:* Pax Dni ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde dat pacem altario & patene, & ſic populus dat ſibi pacem. Dum vero domnus Papa dicit:* Pax Dni ſit ſemper vobiſcum, *non mittit partem ſcam in calicem ſicut ceteris ſacerdotibus mos eſt, dum confringunt, & Agnus Dei dicunt, & expleta confractione communicat Domnus apoſtolicus. Partem ſibi mordet, & reliqua in calicem mittit, faciens crucem de ea tribus vicibus ſuper calicem nibil dicens, & ſic confirmat de calice, teutentem calicem arcbidiaconus. Quando vero Domnus apoſtolicus deſcendit ab altari, incipit communicari populus. Dicitur antipbona ad communionem, & expleta communione & antipbona. Tunc ſurgit Dnus Papa, & veniens ad altare, ſalutat altius dicens:* Dns vobiſcum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. *Deinde dicit orationem:* Quod ore ſumpſimus Dne, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum; per Dnm.

Recapitulatio.

Int. *Ea, quæ celebramus ante lectum evangelium, quid ſignificat?* ℟. Illud vero intimandum eſt, quod ea, quæ celebramus in officio miſſæ ante lectum evangelium, reſpicientia ſunt ad primum adventum Dni, uſque ad illud tempus, quando properabat Hieruſalem paſſurus. Int. *Introitus ad quid reſpicit?* ℟. Tangimus hic, quando, ut Auguſtinus ait, Moyſes miniſter fuit veteris teſtamenti, & prophetæ miniſtri novi teſtamenti. Int. *Kirieleiſon ad quid reſpicit?* ℟. Ad eos prophetas, qui circa adventum Dni erant; de quibus erat Zacharias, & filius eius Iohannes. Int. *Gloria in excelſis Deo ad quid?* ℟. Ad cœtum angelorum reſpicit, qui gaudium nativitatis Dni paſtoribus adnunciaverunt. Int. *Collecta prima ad quid reſpicit?* ℟. Ad hæc, quod Dns agebat circa XII. annum, quando aſcendit Hieroſolimam, & ſedebat in templo inter medios doctorum, & audiebat illos, atque interrogabat. Int. *Epiſtola ad quid?* ℟. Ad prædicationem Iohannis pertinet. Int. *Reſponſorium ad quid?* ℟. Ad benevolentiam apoſtolorum, quando vocati a Dno, & ſecuti ſunt. Int. *Alleluia ad quid?* ℟. Ad letitiam mentis eorum, quam habebant de promiſſionibus eius, & de miraculis, quæ videbant fieri ab eo, ſive per nomen eius. Int. *Evangelium ad quid?* ℟. A ſua prædicatione uſque ad prædictum tempus. Int. *Deinceps quid?* ℟. Deinceps vero quod agitur in officio miſſæ ad illud tempus reſpicit, quod eſt a dominica, quando pueri obviaverunt ei, uſque ad aſcenſionem eius, ſive pentecoſten. Int. *Oratio, quam presbyter dicit a ſecreta, uſque Nobis quoque peccatoribus, quam orationem ſignificat?* ℟. Hanc orationem deſignat, quam Ihs exercebat in monte Oliveti. Int. *Quid ſignificat, quod poſtea agitur?* ℟. Illud tempus, quando Dns in ſepulchro iacuit. Int. *Quid ſignificat, quando panis in vinum mittitur?* ℟. Animam Dni ad corpus redire demonſtrat. Int. *Et quid, quod poſtea celebratur?* ℟. Illas ſalutationes ſignificat, quas Xps fecit diſcipulis ſuis. Int. *Quid fractio oblatarum?* ℟. Fractio oblatarum, illam fractionem ſignificat, quam duobus Dns fecit diſcipulis ſuis in Emaus.

Incipit Ratio canonum penitentiæ presbyteris dandæ:

Notandum eſt enim, quia prius eſt inſpicienda ratio patrum, quare ita diffinire ſtuduerunt, intentio ſcilicet illorum ſanctorum patrum, qui canones diffinierunt, tribus modis conſtat. Primo, ut terror incuteretur. Secundo, ne ordo ſacerdotalis vileſceret, idem, ut non paſſim ad illum ordinem præſumat quis accedere. Tercio, ut occaſio ſacerdocio detrahendi non daret. Deinde conſiderandum eſt tempus, perſona. Tempus; id eſt: utrum in puericia, an in diaconatu, vel in preſpiteratu illud malum, hoc eſt adulterium commiſſum. Perſona ſcilicet, hoc eſt, utrum virgo, an vidua ſit. Viduam dico quippe, quæ ſolummodo virum unum habuit, & absque veſte ſacra conſiſtit, an meretrix, an vidua veſte mutata, an maritata, an virgo Deo dicata? Deinde

conſi-

Digitized by Google

conſiderandæ ſunt cauſæ in ſacerdote, hoc eſt: utrum bonam vitam habeat, an neceſſariam ſibi, an neceſſariam aliis, an honeſtatis ſit. Nunc autem tractemus per ſingulas rationes, quas ſuperius diximus, hoc eſt: ſi cum illa femina fecit illud ſcelus, quam ſibi licuit accipere in coniugio, hoc eſt cum virgine, & tempore puericiæ malum commiſſum eſt. Tunc conſideranda eſt vita in preſpitero. Si bona eſt, an non bona? Non bonum dico, qui, quamvis ſapientia vigeat, aut aliqua ratione, ut poſſit aliis proficere, tamen non habet aliud tale ſcelus perpetratum, quod illum removeat ab ordine ſacerdocii. Tunc poteſt in ſuo officio ſacerdotali conſiſtere, ſi velit, ſed cum pavore. Si autem cum vidua unius viri, quæ ſine veſte ſacrata eſt, vel meretrix eſt, quam cognovit meretricem eſſe; tunc conſideranda eſt cauſa in ſacerdote, aut tempus. Idem ſi ſacerdos utilem vitam habuerit, hoc eſt neceſſariam, idem, ſi per ſuam ſapientiam aliis proficiet; aut ſi non eſt in illo loco alius, qui poſſit illo evulſo adimplere, veluti eſt in inſulis, in quibus rari inveniuntur ſacerdotes, atque perpauci. aut ſi honeſtatem habuerit, hoc eſt ſapientiam, vel aliquid talem utilitatem, ut, quamvis ſint alii, qui poſſint illud officium implere, tamen non ſic honeſte, ſicut ille aliis proficiendo, & ad viam vitæ provocando. Deinde, ſi aut unam de his habuerit, aut etiam omnes, quas diximus; tunc poteſt ipſo officio presbiterii, ſi velit, fungi, ſed cum magno pavore. Si autem neceſſitatem habuerit ille ſacerdos, hoc eſt, ut per officium ſacerdotii vivat, & non aliunde; ita tamen, ſi vitam habuerit bonam, quam ſuperius diximus; poteſt etiam pro hac cauſa canere miſſam, ſed cum pavore, & hoc notandum eſt, quod, ſi ille ſacerdos voluerit ceſſare ab officio pro virginea vidua, aut meretrice, quas ſuperius diximus, habeat, quod nos de illis ſacerdotibus hoc quaſi conſiderandum dicimus, qui a miſſa ceſſare nolunt. Quod ſi aut cum maritata, aut virgine Deo dicata, aut cum vidua Deo dicata, aut meretrice, quam cognovit eſſe meretricem, peccaverit omnimodo ab officio miſſæ ceſſare debet, quamvis habuerit illa congruentias, quas ſuperius diximus, eoquod iſtæ congruentiæ non poſſint prævalere adverſus illud peccatum, & ab hoc non debent computari.

Item de Laicis.

Si laicus commiſerit tale ſcelus, quod illum prohibet ab eccleſia, & fuerit manifeſtum, prohiberi debet. Si autem ipſum peccatum fuerit occultum, non debet exire de eccleſia, ne notabile fiat illud peccatum. Verum duo debet agere. I.mum debet recedere a corpore & ſanguine Dni nri Ihu Xpi. Alterum: Debet in corde ſuo ſemper eſtimare ſe indignum cum aliis intrare in eccleſiam; & tamdiu debet ille homo a corpore, & ſanguine Dni nri Ihu Xpi ſeparari, donec poteſt ocultare, ſi autem viderit, non poſſe ocultare, & tantæ infirmitatis eſt homo ille, ut homines timeat, tamen poteſt communicare; ita tamen, ut indignum ſe iudicet in corde ſuo ad communionem accedere, & cum aliis in eccleſiam intrare. Item ſi talis laicus eſt, qui multa crimina commiſit, & venerit ad confeſſionem, manifeſtanda ſunt ei tempora pœnitentiæ omnium illorum peccatorum, quæ confeſſus fuerit, quot per unum quodque peccatum dicunt canones eſſe pœnitendum, ut magis timeat, ſed miſericordiam non deſperet, debet ei pro omnibus tanta tempora indicere, quanta pro uno peccato dicunt canones eſſe pœnitendum.

De conſueto tempore Miſſæ.

Memoratus Papa Teleſphorus ſcripſit, quo tempore primo diei liceret miſſam celebrare. Legitur in geſtis pontificalibus dixiſſe memoratum Papam, ut ante horæ tertiæ curſum nullus præſumeret miſſas celebrare, qua hora Dns noſter aſcendit in crucem. Si enim propterea aptum eſt iuxta memoratum Papam tempus horæ tertiæ celebrationi miſſæ; quia in eo legitur ſecundum Marcum crucem Xpm aſcendiſſe, & nos poſſumus convenienter dicere, aptum eſſe tempus horæ ſextæ, quando ſecundum Matheum crucem aſcendit. Sed & tempus horæ nonæ, quando emiſit ſpiritum. Hæc tria tempora ſacrata ſunt Xpi fixione linguis Iudæorum, & ligno, hi qui ante horam tertiam, ſive poſt horam nonam neceſſario offerunt ſacrificium Deo amore divino infecti, ut non prætereat dies ſine illorum ſacrificio, ut reor, non hoc agunt proterve contra inſtituta apoſtolica, ſed habent cauſam certam, qua excuſari probabiliter ſe poſſint, ut Dns diſcipulos ſuos defendit reprehenſis a Iudæis, quando velabant ſpica, quaſi hoc facerent, quod non licet in ſabbatis. Exemplo didicit, quando neceſſitate famis transgreſſus eſt legem, ut manducaret panes conſecratos, fames utique in cauſa fuit, ut probabile excuſatione tranſgreditur legem dictam. Huic rei aliquid ſimile ſcribit Innocentius Papa capitulo LV.to. Ergo, quod neceſſitas pro remedio reperit, ceſſante neceſſitate debet utique

ceſſare,

Digitized by Google

ceſſare, quod urguebat; quia alius eſt ordo legitimus, alia uſurpatio, quem ad præſens fieri tempus inpellit. Namque vidi Leonem apoſtolicum diluculo intrare ad miſſam, neſcio utrum cauſa neceſſitatis intercedente hoc ageret, an ſola poteſtate. Quod legimus in geſtis pontificalibus, hoc ſcripſimus, fulget enim poteſtas ratione decorata. Protulit enim Teleſphorus memoratus rationem de hora miſſæ, qua de re ſponte incumbimus ſuæ auctoritati.

• De Ypopanti.

Scriptum eſt in geſtis pontificalibus, quod Sergius Papa præciperet litanias fieri in die præſentationis & nativitatis ſcæ Dei genitricis Mariæ, ac ſci Simeonis, quod Ypopanti dicitur: Græci cum litania exeant a ſco Adriano, & a ſca Maria populus occurrat. De qua dicit feſtivitate Beda ſacerdos & doctor eximius in libro de temporibus: ſecundum dicavit Februa quin Numa id. Plutoni, qui luſtrationum potens credebatur, luſtrarique eo menſe civitatem neceſſe erat, quo Romelus ſtatuit, ut iuſta iura diis manibus ſolverentur. Sed hanc luſtrandi conſuetudinem bene mutavit xpiſtiana religio, cum in menſe eodem die ſcæ Mariæ plebs univerſa cum ſacerdotibus ac miniſtris ymnis modula devotus per eccleſias perque congrua urbis loca procedit; datoſque a Pontifice cereos in manibus geſtant ardentes, & augeſcente bene conſuetudine idipſum in ceteris quoque eiusdem beatæ matris & perpetuæ virginis feſtivitatibus agere didicit, non utique in luſtratione terreſtris imperii quinquennem, ſed in perenni regni cœleſtis memoria; quando iuxta parabolam virginum prudentium omnes electi lucentibus bonorum actuum lampatibus obviam ſponſo ac regi ſuo venientes, mox cum eo ad nuptias ſuperne civitatis intrabunt.

De Gloria in excelſis Deo.

Teleſphorus natione Grecus exanachorita conſtituit, ut ymnus diceretur angelicus, hoc eſt: Gloria in excelſis Deo ante ſacrificium. Simachus XL.mus V.tus poſt Teleſphorum conſtituit, ut omni die dominico, & nataliciis martyrum idem ymnus cantaretur. Ymnus gloria in excelſis Deo, laus Dei eſt, ut in evangelio legimus: & ſubito facta eſt cum angelo multitudo angelorum laudantium Dnm, & dicentium: gloria in excelſis Deo. Sacerdos, quando dicit gloria in excelſis Deo, orientis partes ſolet reſpicere, in quibus ita ſolemus Dnm requirere; quia, ſi ibi propria eius ſedes ſit, cum pocius eum ſciamus ubique eſſe. Non eſt ordo, ut qui Dnm laudare voluerit, tergum ad eum vertat, & pectus ſervos. Ipſum ſtatum ex qualitate loci, ubi angeli cecinerunt memoratum ymnum poſſumus canicere. Dns, qui ubique eſt ſecundum formam ſervi in Bethleem erat, quæ Bethleem noſtram eccleſiam ſignat, quæ eſt domus panis; angeli ad orientem cecinerunt; de quo ſtatu dicit Micha: & tu turris gregis nebuloſa filiæ Sion uſque ad te venient. Turris quippe gregis quæ hebraice dicitur turris Ader mille circiter paſſibus a civitate Bethleem ab oriente diſtat. Diximus ſuperius, tranſitum epiſcopi de altari in texteram partem ſignificare Xpi tranſitum de paſſione ad æternam vitam; ac ideo hoc in loco dicimus, gloria in excelſis Deo cantandum, quando gloria ineffabilis in excelſis facta eſt, quando Xps tranſitu ſuo animas Sanctorum copulavit conſorcio angelorum, hoc gaudium adnuntiavit angelus dicens: Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus eſt vobis hodie Salvator. Manifeſtum eſt, quibus extitit Salvator, quando gloria reſurrectionis celebrata eſt. Tunc in terra pax hominibus fuit, quibus dicebat: pax vobis, pax magna eſt, quando ſub uno Dno copulantur cœleſtia, & terrena, ita factum eſſe poſt reſurrectionem ſuam denunciat Salvator dicens: data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra, ut qui alium in culpa ſua defendere, & excuſare nititur, excommunicetur.

IN NOMINE DNI NRI IHU XPI
Incipit Capitulare eccleſiaſtici Ordinis.

Qualiter a ſancta atque apoſtolica Romana Eccleſia celebratur, ſicut ibidem a ſapientibus & venerabilibus Patribus nobis traditum fuit.

Primitus enim adventum Dni Cal. Decembris incipiente celebrare, & in ipſa nocte iniciantur legi Eſaiam prophetam & uſque in Dni natalem, repetendo a capite ipſum legunt; deinde una dominica ante natalem Dni incipiunt canere de Conceptione ſanctæ Mariæ. In ipſa vero hebdomada quarta & ſexta feria ſeu & ſabbatum ſtationes publicas faciunt ad ſanctam Mariam ad præſepem: ſecunda ad apoſtolos Iacobi & Ioannis: tercia cum duodecim lectionibus ad ſanctum Petrum: & in ipſa die ſacerdotes & cæteri miniſtri eccleſiæ, ſi neceſſe fuerit ordinantur. Si autem evenerit, ut vigiliæ natalis Dni Sabbato incurrant, præcedente hebdomada omnem celebra-

Digitized by Google

brationem vel ordinationem, quam diximus uſque in Sabbato conſument. Pridie natalis Dni, niſi forte Dominica contigerit, ſicut & reliquis diebus dominicis, miſſarum ſolemnia hac hora celebrantur. In vigilia vero natalis Dni incipiente nocte, mox ingrediuntur in eccleſia, deinde expletis pſalmis novem cum lectionibus vel reſponſoriis, ſeu & matutinis cum antiphonis ad ipſum diem pertinentibus, exſpectantes Domnum apoſtolicum modicum requieſcunt. Media autem nocte ipſo Domno apoſtolico cum epiſcopis vel reliquis ſacerdotibus cum cereis vel multis luminibus procedente, ſurgentes præparant ſe, qualiter ad miſſas ingrediuntur; & mox, ut gallus cantaverit, Domnus apoſtolicus cum omni ordine ſacerdotum ad miſſas ingrediuntur. Completa omnia, ſicut decet, celebratione miſſarum cum multa turba populi ad ſanctam Anaſtaſiam procedunt, & ibidem miſſas (is) celebratas (is), mox luce ſuperveniente ad ſanctum Petrum omnes accedunt, & miſſas ibidem ſacræ Nativitatis Dni cum magno decore celebrantur. Modus autem vel conſuetudo tam ipſius diei, quam omnium dominicorum dierum vel paſchalium ſeu natalitia Sanctorum plurium talis eſt.

Primitus enim procedunt cruces ſeptem de ſacrario cum ſilencio, & veniunt ad eccleſiam, ubi ſtacio fuerit, & ponuntur ſuper duas materias in cruce poſitas prope gradum ad dexteram partem. Deinde poſt modicum ſpacium cantantibus antiphonam ad introitum clericis Domnus apoſtolicus de ſacrario cum epiſcopis vel presbyteris ceteriſque eccleſiæ miniſtris manibus diaconorum ſuſtentatus, præcedentibus ante eum acolytis cum ſeptem candelabris aureis, aut argenteis, ardentibus in eis cereis, ſeu & thuribulis ad ſcm altare aſcendit, & ut ante altare pervenerit, antequam aſcendat, inclinat vultum ad oracionem, & erigens ſe dat pacem uni epiſcopo, & presbytero & omnibus diaconibus ſuis, in pace accedit ad altare, & proſtrato omni corpore in terra facit orationem, uſque dum clerici antiphonam ad introitum cum pſalmo & gloria, & repetito verſu dixerint. Surgens autem ab oratione tranſit poſt altare ad ſedem ſuam, & uſque dum *Kyrieleiſon* novem vicibus repetitis, ad orientem unacum diaconibus ſuis, qui manus eius anteire (anire) videntur, aſpicit. Finitis *Kyrieleiſon* reſpiciens ad populum incipit *gloria in excelſis Deo;* hoc finitum dicit *pax vobis*, reſpondentibus omnibus, *& cum ſpiritu tuo;* dicit *oremus.* Tunc vertit ſe ad orientem, & dicit orationem de ipſa die pertinentem, & reſpondentibus *Amen*, ſedet in ſede ſua, & aliis ſacerdotibus, qui ſtant unusquisque in ordine ſuo in presbyterio ſignum facit, ut ſedeant. Diaconi vero dextra, levaque iuxta Pontificem adſtare videntur. Idem Archidiaconus ad dexteram cum uno, aut duobus, & alii ad ſiniſtram; ita ut præter ipſos diaconos nullus de clero præſumat accedere ad Pontificem, donec locus adveniat. Inde vero accipiens lector codicem aſcendit ad legendum in gradu; & tunc prius ſubdiaconi tantum aſcendunt in circuitu altaris. Lecta lectione, idem apoſtolus, aut propheta de die autem, aut tempore ſuo; ſequitur *reſponſorium* & *alleluia.* Inde vero accepta diaconus benedictione a Pontifice, oſculans humiliter ſcm evangelium ſuper altare levatum magna reverentia in manibus ſuis, præcedentibus ante eum duobus candelabris & thuribulis aſcendit, & legit: ut autem perlegerit, dicit Pontifex, *pax tibi*; & mox deſcendit Diaconus cum ipſo ſco evangelio, & ſuſcipit eum Subdiaconus tenens ipſum in manibus ante pectus ſuum iuxta grado, & oſculantur eum clerici.

Surgens autem Pontifex, aſpiciens ad populum dicit: *Dominus vobiscum;* & reſpondentibus omnibus: *& cum ſpiritu tuo* dicit *oremus*, & ſedit in ſede ſua: inde dat acolythus aquam manibus duobus adſtantibus ſubdiaconis, tenentibus linteum ante genua eius; Diaconi interim altare veſtiunt; deinde ſurgens Pontifex a ſede ſua, & deſcendit, & accipit oblationes a populo, tam ipſe, quam epiſcopi vel presbyteri. Archidiaconus vero & reliqui diaconi recipiuntur vinum, quod offertur a populo, acceptis autem ipſis oblationibus, iterum aſcendit ad ſedem ſuam, & iterum ſedens lavat manus. Subdiaconi autem accipientes oblationes ab acolythis tradant diaconis; ipſi vero ponant ſuper altare. Veniens igitur Pontifex ante altare, accipit oblationes proprias epiſcoporum, presbyterorum vel diaconorum traditum ex ipſis diaconibus, & ipſe ponet eas ſuper altare; ipſe vero Pontifex noviſſime ſuas proprias duas accipiens in manus ſuas elevans oculis & manibus cum ipſis ad cœlum orat ad Dominum ſegrete, & completa oratione ponit eas ſuper altare. Tunc vero archidiaconus accipiens (aſpiciens) calicem a ſubdiacono, ponit ipſum iuxta oblationes Pontificis ad dexteram partem; tunc Pontifex inclinato vultu in terram ſuper oblationes dicit orationem, ita ut nullus præter Dominum & ipſum audiat,

audiat, niſi tantum per omnia ſæcula ſæculorum: & ut dixerint omnes *amen*, ipſe ſtatim dicit *Dominus vobiscum*, reſpondentibus omnibus: *& cum ſpiritu tuo*. dicit *ſurſum corda*, reſpondentibus omnibus, *habemus* (*abemus*) (*ad*) *Dominum* (*Dno*). ipſe dicit *gratias agamus Domino Deo*, & omnes reſpondentibus: *dignum & iuſtum eſt.* Inde Pontifex elevans vocem, & dicit ipſam præfationem, ita, ut ab omnibus audiatur. Deinde cum venerit ad *adorant dominationes*, omnes epiſcopi, presbyteri & diaconi inclinant vultum in terram.

Cum autem pervenerit ut dicat *ſupplici confeſſione dicentes*, inclinant iterum ſubdiaconi proclamantibus omnibus clericis vel populo cum tremore & reverentia *Sanctus*, & incipit canere de ſimili voce & melodia, ita, ut a circumſtantibus altare tantum audiatur, ipſi vero ſubdiaconi ſic permanent inclinati uſque in eum locum, ubi dicit: *nobisque peccatoribus*, & mox venerit ad dicendum: *propitio hac ſereno vultu reſpicere digneris*, inclinato capite ante altare ſuppliciter deprecans, uſque in illum locum, ubi dicit: *ut quodquod ex hac altaris participatione.* cum autem ſurrexerint ſubdiaconi, unus ex ipſis venit, & accipit patena ab acolytho, & vadit retro altare, ubi ante ſteterat, & tenens eam ante pectus ſuum, uſque dum dixerit: *omnis honor & gloria.* Pontifex vero ut venerit ad eum verſum, ut dicat: *per ipſum, & cum ipſo*, levat oblationes proprias de altare, & mittit in ore calicis, tenente ipſum calicem Archidiacono, uſque dum dixerit alta voce: *per omnia ſæcula ſæculorum.* Epiſcopi vero & Sacerdotes uſque ad iſtum locum ſemper permanent inclinati, præter Archidiaconus, qui illum calicem ſublevatur, qui propter ipſum calicem uno momento ante alios Sacerdotes ſurgit. Subdiaconus autem ille, qui patenam tenet, tradit eam ad ipſum verbum, *omnis honor & gloria*, diacono, & ille tenet eam uſque dum finitur oratio dominica reſpondentibus omnibus: *Sed libera nos a molo*, & ſequitur oratio. poſt ipſam orationem dominicam, inde ponet eam diaconus ſuper altare ad confragendum, & Pontifex duas oblationes proprias, quas diximus, ponet in ipſa patena, & frangit modicum de ipſa oblatione, & mittit in calice, & dicit: *pax Domini ſit ſemper vobiscum*, reſpondentibus omnibus: *& cum ſpiritu tuo;* facit populus pacem.

Hoc facto Domnus apoſtolicus redit ad ſedem ſuam; diaconus vero tollit patena de altare, & dat ſubdiaconibus duobus, & ponent eam ante Pontificem, & tunc diaconi petunt benedictionem a Pontifice, & confrangunt in præſentia ipſius. Archidiaconus vero reliquas oblationes de altare tradit accolythis in ſacculis lineis, quod qui appenduntur ad cervices eorum; ipſi autem accolythi tenent ad confragendum ante epiſcopis vel presbyteros, ſeu & ſubdiaconibus, & confrangunt ſeparatim unuſquisque in ordine, cantantibus omnibus ſemper: *agnus Dei, qui tollis peccata mundi.*

Tunc Archidiaconus levat calicem de altare, & tradit eum ſubdiacono; ille vero portat ipſum ante Domno apoſtolico, & ita Pontifex accipit particulam corporis Dni in manu ſua, communicat ex eo, & quod remanet, ponit in calicem, & accipit aliam de manu ſubdiaconi, & confirmat. Tunc Arcidiaconus accepto ipſo calice, vadit iuxta altare, & tenens calicem in manibus pronunciat venturam ſtacionem, & ſic per omnia vaſa, quod accolythi tenere videntur, de calice ſacro ponit ad confirmandum populum; & iterum recipit ſubdiaconus calicem, & revocat eum ante Pontificem, accedunt omnes epiſcopi & Sacerdotes ad ſedem Pontificis, & communicant de manu eius. Poſt hæc deſcendit Pontifex a ſede ſua, & communicat populum, qui manus ſuas extendere ad ipſum potuerit, & revertitur ad ſedem ſuam. reliquum vero populum communicant epiſcopi & presbyteri, & confirmant ſemper diaconi.

Interim vero cantantur ſemper cantores antiphonam ad diem pertinentem. Communicato autem omni populo facto ſigno a Pontifice dicunt *gloria* & verſum cum ipſa antiphona, & deſcendit de ſede ſua ipſe ante altare, & dicit: *Dominus vobiscum*, reſpondentibus omnibus, *& cum ſpiritu tuo*, dicit *oremus:* inde dicit orationem de ipſa die pertinentem, & conpleverit *per omnia ſæcula ſæculorum*, reſpondentibus omnibus *amen.* Et dicit iterum *Dominus vobiscum*, cum reſpondentibus omnibus, *& cum ſpiritu tuo;* dicit diaconus: *ite miſſa eſt*, & reſpondentibus omnibus *Deo gratias*, & conſumatum eſt. Deinde redit Pontifex ad ſacrarium cum omnibus Sacerdotibus, & candelabris, vel omni ornatu, ſicut prius exierat, & accepta benediccione de manu ipſius confirmant ſingulos meros.

Poſt nativitatem vero Dni uſque in octabas præter Sanctorum feſtivitatibus pſalmi, antiphonis, reſpon-

Digitized by Google

reſponſoria, lecciones in nocte & in die, de ipſa natale Dni eſt canendum. In octabas autem Dni, quod eſt Kal. Ianuarias, ordinem, quo Dei natalem, in omnibus obſervantur. Inde vero uſque in Theophaniam præter dominicis diebus, de cottidianis diebus pſalluntur.

Pridie Theophaniæ ieiunium publicum eſt, & medium noctis tempore ingrediuntur ad vigilias pſalmi quoque aut lecciones vel reſponſoria de ipſa die, canentes tantum de muneribus Magorum, & baptiſmum, de nuptiis vero quæ factæ ſunt in Channa (Cana) Galileæ. Octavæ Theophaniæ celebrantur, ſed & omni ebdomada uſque in octabas ſemper de Theophania canuntur.

Expletis igitur nocturnis & matutinis mox cum cereis & candelabris canendo: *Te Deum laudamus*, incipiunt litania: id eſt, *Xpe audi nos*, & reliqua. (1) Ipſa litania finita ſtatim epiſcopus benedicit fontes; poſt benedictionem chriſma faciens crucem in fontes ponet, & cum manu ſua per omnes fontes de ipſa chriſma ſpargit. Hoc facto omnis populus accipit benedictionem, unusquiſque in vaſis ſuis de ipſa aqua. Deinde diſcalceati presbyteri aut diaconi ingrediuntur in fontes & acceptis infantibus a parentibus baptizantur eos, ter mergentes in aqua *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti*, tantum ſemel invocantes. Levatis ipſis infantibus offerunt eos in manibus ſuis presbytero. Ipſe vero presbyter de criſma crucem in verticem eorum facit cum oratione & invocatione ſanctæ Trinitatis, nominis Xpi. Deinde ſunt parati, qui eos ſuſcipere debeant cum linteis, & traduntur eis a presbyteris vel diaconis, qui eos baptizantur.

Miſſa vero ipſa die ordinem, quod diximus, in Dni natale ſecuntur. Inde vero IIIIto non. Februarias collecuntur omnes ad eccleſiam ſancti Adriani martyris prima, & inde vadunt cum litania ad ſanctam Mariam maiorem, & ibi celebrantur miſſas qualiter poſt purificationem beatæ Mariæ Dns nr Ihs Xps ſecundum legem Moyſi repræſentatus eſt in templo, & accipiens eum Simeon propheta in ulnis ſuis benedicens Dnm.

Deinde ſeptuageſima apud illos celebrantur; & hoc faciunt, vel pro reverentia tante feſtivitatis, vel pro eruditionem populi, ut per numerum dierum cognoſcat iam adpropinquare diem paſchæ, & præparet ſe unusquiſque ſecundum ordinem & virtutem ſuam, qualiter ad ipſum ſcm diem cum tremore ac reverentia contrito corpore, & mundo corde perveniat. Et non ſolum ſeptuageſima, ſed & LXma Ima, XLXXXma, XVma & VIIIma ſemper pro ipſo ordine celebrantur.

Græci autem a LXma de carne levant ieiunium. Monachi vero & Romani devoti, vel boni chriſtiani a Lma levant. Primum autem ieiunium IIIIta & VIta feria poſt Lmam, id eſt ante quadrageſimam apud eos publice agitur.

Prima vero hebdomada in quadrageſima IIIIta & VIta feria & Sabbato ſtationes publicas faciunt, ieiunium & XII lectiones in ipſo Sabbato conſumantur; & ſi fuerit ipſo Sabbato de Martio menſe ordinationes Sacerdotum faciunt. Si autem in alia hebdomada, vel tercia, quando Pontifex iudicaverit, iterum IIIIta & VIta feria celebrare videntur, ſicut prius & Sabbato duodecim lecciones leguntur, & ordinantur, qui ordinandi ſunt.

Quarta vero hebdomada ante paſcha incipiunt ſcrutinium facere ad infantes, qui in Sabbato ſancto baptizandi erunt. Secunda vero feria in ipſa hebdomada veniunt hora tercia ad eccleſiam matres cum infantibus eorum, & facit eos presbyter primum catechumenos, id eſt impoſita manu ſuper capita ſingulorum dicit orationem his verbis: *Omps ſempiterne Deus, Pater Dni nri.* Dicta ipſa oratione accipit ſalem exorcizatum & ponit in os infantum dicendo: *Accipe talis ſalem ſapientiæ propitiatus in vitam æternam.* Tunc ſcribuntur nomina eorum ab accolitho tam infantum, quam & eorum, qui eos ſuſcepturi ſunt, idem maſculi ſeorſum, & feminæ ſeorſum, & ita exeunt foras eccleſiam, exſpectantes quando revocentur; tunc primum incipiunt antiphonam ad introitum: *dum ſanctificatus fuero in vobis.* Inde presbyter vadit retro altare in ſede ſua, ut vocantur per nomina, & per ordinem, ſicut ſcripti ſunt; idem primum maſculi, & ordinantur ad dextris, deinde feminæ a ſiniſtris, & intrat primum acolitus faciens ſignum crucis in frontibus ſingulorum, & imponit eis manus, & exorcizat eos his verbis: *Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob*, & reliqua. Completa ipſa oratione ſuper maſculos, vertit ſe ad feminas, & facit ſimiliter; & iterum ſequitur alius acolitus, & facit ſimiliter; inde tercius, & facit ſimiliter. Poſtea

(1) Vid. quæ de ritu hoc ſolemnis baptiſmi diximus Diſq. V. c. 1. Vol. II. p. 438. ſeq. MARTENE de ant. eccl. ritibus lib. I. c. 1. art. 1.

Digitized by Google

ea vero intrat presbyter, & imponit eis manum, & benedicit eos his verbis: *æternam ac iuſtiſſimam pietatem tuam.* Iſta completa iterum incipiunt pſallere antiphonam ad introitum, inde dicta a presbytero oratione de ipſa ordine pertinente, lectio legitur, & inde ſequitur reſponſorium, & admonentur a diacono, ut exeant foras, ita: *catecumeni recedant: ſi quis catecumenus eſt recedat: omnes catecumeni exeant foras:* & ſic egredientur infantes exſpectantes pro foribus uſque dum completa fuerint miſſarum ſolemnia.

Lecto autem evangelium offerunt matres eorum pro ipſis oblationes, & finitas miſſas communicant ipſæ matres, vel clerus; & adnunciat presbyter qualem diem voluerit, ut revertantur, & facit ſimiliter. Sequente vero hebdomada iterum una die qualem presbyter adnunciaverit, ſimiliter facit. Tercia vero hebdomada ſimiliter die, quam elegerit presbyter, facit aures apertionum, id eſt, veniunt ad eccleſiam, ſicut prius, & vocant infantes in eccleſiam, ſicut ſcripti ſunt, & ſtatuuntur, ſicut diximus, maſculi ad dexteram, feminæ a ſiniſtris, & imponunt accoliti tres ſicut dictum eſt, manus ſuper eos, & inde ſimiliter presbyter hoc facto accedit ante altare; & canent antiphonam ad Introitum, & inde leguntur lectiones duæ, quas in capitulare commemorat, & ſecuntur reſponſoria. Inde leguntur initio quatuor evangeliorum cum expoſitionibus ſuis, & inde tradit presbyter orationem dominicam & ſymbolum. Poſtea accipit accolytus unum ex ipſis infantibus maſculum in manibus ſuis, & alius accolytus ſimiliter feminam, & tenentes manum dexteram ſuper capita ipſorum; & interrogat eos presbyter quali lingua confitentur Dnm nrm Ihm Xpm? reſpondent: latine. Iterum dicit presbyter, *adnuncia fidem illorum, qualiter credunt*, & tunc incipit accolytus a voce decantando: *Credo in unum Deum Patrem omnipotentem;* hoc finito admonentur a diacono iterum hoc modo: *Catecumeni recedant: Si quis catecumenus eſt recedat: omnes catecumeni exeant, & recedant;* & exeunt foras de eccleſia exſpectantes pro foribus donec conſumentur miſſarum ſolemnia, & tunc offerunt matres eorum oblationes pro ipſis, & finitas miſſas communicant ipſæ matres, vel qui ipſos infantes ſuſcepturi ſunt.

Iterum adnunciat eis presbyter, qualem diem ipſe iudicaverit, ut revertantur in ſcrutinium; ita tamen penſandum eſt, ut a primo ſcrutinio uſque in Sabbato ſancto ſeptem vicibus hoc fiat: id eſt in prima hebdomada duabus vicibus, in ſecunda una, inde in tertia duabus, in quinta vero, quæ eſt ultima, iterum duabus, in ipſa autem noviſſima, quod eſt in Sabbato ſco, quando ad fontes debent accedere, catacizat eos presbyter his verbis: *Nec te latet ſatanas.* Inde tangit ipſe presbyter de oleo benedicto pectus infantum, faciens bis crucem in eorum pectus dicendo: *Abrenuncias tu talis ſatane, & omnibus operibus eius?* Reſpondent circumſtantes: *Abrenunciat:* & inde terciam crucem inter ſcapulas ſimiliter dicendo: *& omnibus pompis eius?* & iterum reſpondent: *Abrenunciat.* Inde tangit de ſaliba oris, ſingulorum nares & aures; & dicit ſecrete in aures ipſorum: *Effeta, quod eſt aperire*, & iterum ambulat decantando ſuper capita ipſorum: *Credo in unum Deum*; ſicque intrant ad benedicendum fontes, & baptizantur per ordinem, idem maſculi prius, & feminæ poſterius. Inde poſtea tenent miſſas ipſi infantes, & offerunt ipſi infantes oblationes, & communicant omnes, vel parentes, atque patrini.

Baptizati autem infantes, ſi ad præſens poſſunt epiſcopum habere, confirmari cum criſma debent. Quod ſi ipſa die minime epiſcopum invenire potuerint, in quantum celerius poſſunt invenire, hoc ſine dilatione efficiant, & in ipſis diebus octo paſchæ, quamdiu in albis ſunt, cottidie debent offerre oblationes ipſi infantes, & miſſas tenere, & communicare.

Hoc tamen ſciendum eſt magnopere, atque tenendum in cœnobiis, ſive in civitatibus, vel in vicis, vel ubicunque ſacerdos miſſas celebraverit, ſive dominicis, ſive cottidianis diebus, vel in aliis ſolemnitatibus, tam Sanctorum, quam & reliquorum martyrum; ſive cum clero publice, vel etiam cum duobus vel unum miniſtrum; vel etiam, ſi ſingulorum ſacrificium Deo obtulerit, obſervare debet, ut ſemper ad introitum antiphonam cum pſalmo & Gloria adiungente; (gat) ſi autem ipſa anphona de pſalmo fuerit præ ipſa verſum primum de ipſo pſalmo debet dicere, & præ verſu ipſam canit, & præ antiphona; ſubſequitur: *Gloria Patri & Filio & Spiritu ſco.* & iterum antiphona eſt canenda, & præ ipſa adiungit: *Sicut erat in principio, & nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum amen.* & iterum canit ipſam antiphonam, & item poſtea dicit alium verſum de ipſo pſalmo, & iterum canit ipſam antiphonam; & ſic incurvati contra altare ad orientem adornant dicentes: *Kyrieleiſon* prolixe unusquisque chorus per novem vicibus; ſi autem ſingulus fuerit ſacerdos

cerdos novem tantum vicibus inclinatus adornando dicit *Kyrieleiſon*; & poſtea erigit ſe, ſi dies dominicus fuerit, vel præcipua alia ſolemnitas Scorum ſtatim dicit: *Gloria in excelſis Deo*. Reliquis autem diebus cottidianis, vel quando miſſas facit, ſeu & agendas mortuorum, antiphona tantum ad Introitum cum pſalmo & *Gloria*, ſubſequente *Kyrieleiſon*; & ita ſalutat, & poſtea dicit orationem de die pertinente, unde celebratur. Si vero in ſolemnitate apoſtolorum fuerit, pſalmi ſunt deputati, qui cum antiphona ad Introitum canuntur, vel ad communionem, id eſt: *Domine probaſti me.* ad Introitum, ad communionem: *Cœli enarrant.* In reliquorum ſcorum Martyrum, vel Confeſſorum ad Introitum: *Benedicam Dno.* Ad communionem: *Dne Dnus noſter.* ſive: *Gaudete iuſti in Dno*; *miſericordias Dni.* vel etiam: *Dne in virtute tua.*

Ad agendas vero mortuorum, antiphona ad Introitum: *Donet vobis Dnus requiem ſempiternam*, cum pſalmo: *Te decet.* Ad commemorationem vero, antiphona cum ipſo pſalmo: *Te decet.* & *De terra formaſti nos*: ſi de uno: *Formaſti me.* Iſta eſt traditio ſecundum ordinem vel conſuetudinem ſcæ Sedis romanæ Eccleſiæ.

In diebus autem ſeptimanæ de ſecunda feria, quod eſt uſque in diem Sabbati celebrantur miſſæ, vel nomina eorum commemorantur. Die autem dominica non celebrantur agendas mortuorum, nec nomina eorum ad miſſas recitantur; ſed tantum vivorum nomina regum, vel principum, ſeu & ſacerdotum, vel pro omni populo xpiano oblationes, vel vota redduntur. Defunctis autem, qui merentur, die dominica *Xps Filius Dei ipſe dat requiem, qui ſemetipſum pro ipſis vel pro univerſo genus humano hoſtiam obtulit.* Hæc corpora defunctorum die dominica non ſepeliuntur ante horam quartam, nec miſſas eorum celebrantur ante horam nonam. Si neceſſe fuerit, ut in ipſo die ſepeliantur, ieiunat ſacerdos cum parentibus ipſius defuncti uſque ad horam nonam, & ponent eum in eccleſia, & celebrantur agendas ipſius offerentes pro ipſum oblationem, & ſic ſepeliunt eum. Similiter & in cœnobiis monachorum vel ancillarum Dei faciunt.

In die vero dominica, vel in aliis præcipuis ſolemnitatibus Sanctorum, quando publice miſſas celebrant ad ſcam Mariam maiorem, ſive ad præſepe, vel in monaſteria monachorum præ antiphona vel *Kyrieleiſon*, prælectionem apoſtoli aut prophetæ ſive actus apoſtolorum, vel apocalypſi ſecundum tempus, & reſponſorio vel *alleluia*, atque evangelium cum debent offerre, habeant in ſacrario præparatas oblationes in turres tres aut duas, vel una, aut ſi turres non habent, patena ipſa præparata, ubi corpus Dni confrangere debent. Egrediuntur de ſacerdotibus, qui cum ſtant ad altare, unus aut duo vel quanti neceſſe fuerint cum diaconibus ingrediuntur ſacrario, & accipit ſacerdos in manibus ſuis turrim, vel patenam cum oblationes. Similiter diaconus calicem, & elevant eos contra capita ſua; antequam ingrediantur in eccleſia, dicunt antiphona alta voce prolixe, hoc eſt: *Laudate Dnum de cœlis.* Et reſpondit ipſe clerus in eccleſia; & dum ipſe reſpondit, ipſi ingrediuntur ſacerdotes cum ipſas turres, vel patena ſeu & calices, & vadunt ante altare, ſubſiſtunt modicum, & iterum cantant antiphona, & item clerus reſpondit ipſa antiphona; & tunc primum ſacerdos, qui celebrat miſſas egreditur præ altare, & venit ante altare, lavat manus ſuas; & cum ipſe lavat manus ſuas; illi alii ſacerdotes vel diaconi cum ipſas oblationes tranſeunt præ altare, & vertunt ſe ad altare, & elevatis manibus contra capita ſua tenentes ipſas patenas vel calices, & iterum cantant tertio ipſa antiphona, & reſpondent eam clerici, & ipſi tercia voce. Tunc vadit ille ſacerdos, qui miſſas celebrat ante altare, ſtat in locum ſuum, & tunc ille ſacerdos, qui præ altare tenet ipſas turres, vel patenam cum oblatione porrigit ad illum ſacerdotem, ille vero extenſas manus ſuper altare accipit ea, & ponit ipſam oblationem ſuper altare, ille vero turres vel patenam reddit ei, & reportat ea in ſacrario uſque dum ad confragendum veniat. Similiter & diaconus, qui cum calice præ altare ſtare videtur, extendit manus ſuas ad ſacerdotem, & dat ei calicem; ille vero ponit ipſum ſuper altare de dextera parte iuxta oblationem ad conſacrandum; & poſt hoc ſtatim clerus canit: offerenda, qd frangi dicit ſonum. Et tunc, ſi in monaſterio fuerit offert abba oblationem, ſive ſecundus, ſeu presbyter, vel archidiaconus in loco ſuo pro ipſo abbate, & pro ipſis devoti, vel boni xiani, & poſtea accolythus, ſicut dictum eſt ſupra, involvit ſe linteo mundo, & accipit ipſa patena cum illo linteo in manibus, quam in ſacrario ante repoſuerat; tenet ea contra pectus ſuum uſque ad illum locum, ubi ſacerdos confrangere debet ipſam oblationem, & tunc accipit ſacerdos, & ponit ea ſuper altare ad confragendum, ſicut dictum eſt, & complet omnia cum decore, ut decet, ſicut ſæpius iam dictum. Cum autem conſacraverit corpus & ſanguinem

Digitized by Google

guinem Dni noſtri Ihu Xpi, & dixerit, *pax Dni ſit ſemper vobiſcum*, & reſpondentibus omnibus *& cum Spiritu tuo*, ſtatim, ſicut ſupra dictum eſt, debet clerus, vel populus inter ſe pacem facere, ubi ſtare videntur; & poſtea ipſe ſacerdos, ſi habet alios ſacerdotes ſecum, vel diaconibus, confrangunt ipſum corpus Dni, cantantibus interim clericis ſemper: *Agnus Dei qui tollis*. Et poſt hoc communicat ſacerdos, vel ceteri ſacerdotes ſeu & miniſtri, & ſtatim incipit clerus antiphonam pſallere cum pſalmo de ipſo die pertinente; & ſi plures clerici, vel populus communicaverit, totum pſalmum canent cum antiphona, uſque dum ſacerdos ſignum crucis fecerit in fronte ſuo cum digito ſuo, ut dicatur *Gloria Patri;* & poſt *Gloria* repetent verſum de ipſo pſalmo, & noviſſime canent ipſa antiphona, & ſic laudem ſcæ Trinitatis debent peragere vel conſumare.

Diebus autem quadrageſimæ ad miſſas non cantant *Gloria in excelſis Deo* uſque in Sabbato ſco propter renovationem ſcæ reſurrectionis Dni nri Ihu Xpi, ut ſicut ipſa feſta præcellit alias feſtivitates, ita in ipſa omnia cantilena nova celebrentur, ut magis cum gaudio omnia celebrentur, atque admirentur.

De paſcha vero ſolita totis quinquaginta diebus uſque in Pentecoſten reſponſorium ad miſſas non cantatur apud Romanos, ſed *alleluia* una in loco reſponſorii, & alia *alleluia* in loco ſuo.

In feſtivitate autem ſcæ Mariæ, vel in aliis ſolemnitatibus virginum, antiphona ad introitum: *vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis*, cum pſalmo: *eructabit cor meum*. Ad communionem antiphona: *quinque prudentes virgines*, cum ipſo pſalmo: (1) *eructabit cor meum*, vel etiam: *Deus noſter refugium*, adiungentes *Gloria Patri*.

Hoc iterum atque iterum ſuper omnia admonemus, ut omnes Sacerdotes, qui deſiderant racionabiliter ſacrificium Deo offerre, ut & complaceat, ſecundum ſanctam inſtitutionem ortodoxorum Patrum, beatæ atque glorioſæ ſedis ſancti Petri apoſtoli, iſto more cum omni devotione retinere, atque celebrare ſtudent, ut ſemper, quando intrant miſſas celebrare; primitus enim pſalmum cum *Gloria Patri*, vel antiphona adiungentes *Kyrieleiſon;* ita ad communionem antiphona pſalmum adiungentes; ſemper *Gloria Patri*, quod eſt laus ſcæ Trinitatis ſic eſt tenendum, & ſuper omnia gratia Dei complendum. Qui enim iſto modo non offert, poſtquam cognoverit, non recto ordine offert, ſed barbarico, & ſuo arbitrio ſequitur, vel eorum, qui ad voluntatem ſuam ſcas ſcripturas convertere nituntur. Hii deſideria ſua ſecuntur, & non voluntatem Dei, vel Sanctorum eius, neque iuſtitia eius ſunt ſubiecti, ſed ſuam querentes ſtatuere ſciunt, ſequi iſta deſpiciunt, vel relinquunt; quia nihil adverſante Deo poteſt eſſe ſecurum, vel proſperum.

Item de curſu diurno vel nocturno,

qualiter horas canonicas nuntiantur in ſca ſedis Romanæ eccleſiæ, ſive in monaſteriis conſtitutis.

Inprimis prima ſic temperantur, ut ſic canatur, quando ora prima diei fuerit expleta, ſi tamen neceſſe fuerit aliquam operam cum feſtinatione facere, ſin autem, quomodo (quando) ora diei ſecunda expleta fuerit. Sic cantatur apud eos prima. Hoc eſt; primitus dicit prior: *Deus in adiutorium meum intende;* & inde cæteri, quæ ſequuntur. Iſta prima ibi cantatur, ubi dormiunt, & ibidem pro invicem capitulo dicto orant, ſtatim ibi ſedeunt & prior cum ipſis, & ibi legunt regulam ſancti Benedicti, & a priore, vel cui ipſe iuſſerit, per ſingulos ſermones exponitur, ita, ut omnes intelligant, ut nullus frater ſe de ignorantiam regulæ excuſare poſſit. Inde accepta benedictione vadunt ſive ad ciandum vel veſtiendum atque lavandum, & abeant ſpatium ad hoc uſque ad oram terciam. Si eſt conſuetudo apud ipſos, ut ille archiclavus, qui claves eccleſiæ, ſive miſterium ſacrum ſub cura ſua habet, ipſe cuſtodit & oras canonicas ad curſum celebrandum, quando ſignum pulſare debeat, ut reddantur, & neque ad tertiam, neque ad ſextam, neque ad nonam, vel ad veſperam, nec ad completorio, neque ad matutinis non dicit prior, quando incipit apud illos: *Domine labia mea aperies*, ni tantum ad nocturnas.

Completorio autem tempore æſtatis quomodo ſol occumbit colliguntur ad collecta, tangit autem frater, cui cura eſt iniuncta, cymbalum, aut tabula, & colliguntur fratres in unum locum, & prior ipſorum cum ipſis ſedens, & omni ſive eſtate ſive hibernum tempore ſemper lecciones ad collecta leguntur, & ibi fructum, quod eis Deus dederit, manducantur, & bibent. Poſtea pulſato

(1) Nota hic, & mox apertius, uſum antiquiſſimum proſequendi pſalmum ad Introitum notatum.

Digitized by Google

pulſato ſigno canuntur completorio ubi dormiunt in dormitorio, & extremo verſu dicuntur, antequam dormiant, hoc eſt: *pone Domine cuſtodiam ori meo*, & tunc vadunt cum ſilentio pauſare in lectula ſua.

Pauſant autem uſque nocte media, ſi ſolemnitas præcipua non fuerit, ſi vero dominica, vel alia grandis ſolemnitas evenerit, temporius ſurgunt; & habent poſitum ubi dormiunt tintinabulum talem, qui ad excitandum eos pulſatur, & poſtea modico intervallo facto ſurgunt fratres. Cui autem opus exire ad neceſſaria, ſeu urinam digerendum, & ad introitum eccleſiæ habeant vaſculum poſitum cum aqua, ubi lavent manus ſuas vel facies, & tergant linteo iuxta poſito; & iterum cum pulſatum fuerit aliud ſignum, ad pſallendum parati ingrediuntur monaci; & prior ſtatim dicit prolixe: *Domine labia mea aperies*. Sub *gloria Patri lente* decantantes, & in fine *alleluia* concludentes, cantat ſtatim, cui iuſſum fuerit, invitatorio, quod eſt: *venite exultemus Domino* cum antiphona, ceteris reſpondentibus; & omni officio ſuo quod ſupra ſcriptum eſt, complebuntur; nocturnis ante finitis, ſi lux non ſtatim ſupervenerit, faciunt modicum intervallum, ut ſuperius dictum eſt propter neceſſitates fratrum, & iterum ingrediuntur ad matutinis laudibus explendas.

Si autem cottidianis dies fuerint, tempore hyberni poſt nocturnis finitis iterum pauſantes uſquequo lux apparere incipiat, & ſic ingrediuntur ad celebrandum matutinorum laudibus. Sic autem eſt ſemper ſolicitus ille frater, cui cura commiſſa eſt, ut ſemper ſignum competenti ora inſonare debeat. Si autem exinde aliqua negligentia, ut adſolet, fragilitate humana ei evenerit, ut ante oram, vel poſt oram pulſaverit, pœnitentia ei exinde indicit Prior ſuus; & propterea vel reverentia Dei hoc ſemper metitatur, & in his ſit ſolicitus, ut omnia ſemper oneſte, vel competenter, & ſecundum ordinem expleantur, & Deus ſemper in omnibus magnifice laudetur.

Ex eodem Cod. San-Gallenſi ſæc. IX.
In Nomine Sci Dni Nri Ihu Xpi incipit inſtructio eccleſiaſtici Ordinis.

Qualiter in cœnobiis, fideliter Dno ſervientes, tam iuxta auctoritatem catholicæ atque apoſtolicæ romanæ eccleſiæ, quam iuxta diſpoſitionem ac regulam ſancti Benedicti miſſarum ſolemniis, vel nataliciis Sanctorum, ſeu officiis divinis anni circuli, die noctuque auxiliante Dno debeant celebrare, ſicut in ſancta, ac romana Eccleſia a ſapientibus ac venerabilibus Patribus nobis traditum.

Primitus enim adventum Dni cum omni officio divino, tam lectionibus cum reſponſoriis, vel antiphonis ſeu & verſibus. A Cal. Decembris incipiunt celebrare, & initiant legere Eſaiam prophetam in vigiliis ſemper a capite repetendo, uſque in Dei natalem ipſam leguntur. Reſponſoria vero uſque Octabas Dni præter nataliciis Sanctorum Hieremiam & Daniel leguntur; poſtea quidem Hiezechiel, & prophetæ minores, atque Iob in Id. Februarii. Epiſtolæ Pauli apoſtoli omni tempore in poſterioribus tribus lectionibus tam in die dominico ad vigiliis, quam & in miſſarum ſolemniis leguntur. Deinde vero quinque libri Moyſi cum Ieſu Naue, & Iudicum in tempore Veris; iidem ſeptem diebus ante initium Quadrageſimæ, uſque ad octavum diem ante paſcha leguntur, & ſeptem dies ante paſcha liber Iſaiæ prophetæ, unde ad paſſionem Xpi pertinent, & lamentationes Ieremiæ. In diebus autem paſchæ epiſtolæ apoſtolorum & actus, atque apocalypſis. uſque pentecoſten. In tempore autem æſtatis libri regum, & paralipomenon uſque ad medium autumni, hoc eſt quinto decimo Cal. Decembris. Tractatus vero SS. Hieronymi, Ambroſii ceterorumque Patrum, prout ordo poſcit, leguntur.

In vigiliis omnium apoſtolorum vel ceterorum principalium, omnes ieiunium faciunt, & hora nona natalitia eorum prævenientes abſque *Gloria in excelſis Deo*, & *Alleluia* miſſarum ſolemniis celebrantur, & ipſa nocte ad vigilias eorum paſſiones vel geſta leguntur. Quodſi in diem dominicam eorum natalitia evenerint, tam in adventu Dni, quam & in omni tempore pſalmi cum eorum paſſionibus, vel geſtis cum reſponſoriis & antiphonis de ipſis pertinentes canuntur. Si autem geſta eorum minor fuerit, ut in novem leccionibus ſufficere non poſſint, in tribus tantum poſteribus leccionibus leguntur, & octabas eorum cum reſponſoria vel antiphonas, ſeu & miſſarum ſolemniis, ſicut die primo feſtivitatis eorum celebrantur. Quod ſi in octabas eorum natalitia aliorum evenerint, precedente die eorum octabas celebrantur.

Reſponſorius vero tercius ſecundum regulam ſci Benedicti cum *Gloria* eſt canendus noviſſime. Sed romana eccleſia omnia reſponſoria cum *Gloria* ſemper cantatur. Secundum regulam ſci Benedicti

Digitized by Google

Benedicti omni tempore diebus dominicis legitur lectio ſancti evangelii ſecundum tempus quo fuerit, & ſequitur hymnum *Te Deum laudamus*, & verſum cum *Kyrieleiſon*, & finiuntur vigiliæ nocturnæ. Matutinæ vero laudes diebus dominicis præter Quadrageſimam omni tempore cum *alleluia* ſunt canendæ.

Una autem ebdomada ante natale Dni de conceptione beatæ Mariæ incipiunt celebrare; in ipſa ebdomada quarta & ſexta feria, ſeu & ſabbatum omnes ieiunium faciunt, & miſſarum ſolemniis cum lectionibus, vel reſponſoriis, ſeu & antiphonis de ordine pertinentes celebrantur. Et ipſa die ſacerdotes, & ceteri miniſtri eccleſiæ, ſi neceſſe fuerit, ordinantur. Si autem evenerit, ut vigiliæ natalis Domini Sabbato incurrant, præcedente ebdomada omnem celebrationem vel ordinem, quod diximus, quæ in Sabbato celebrantur. Ipſam autem ordinationem Sacerdotum, ut diximus, præter quatuor tempora in annum, id eſt, Marcii, Iunii, Septembris, & Decembris menſis non ordinantur; ita tamen ebdomada, qua pontifex iudicaverit, ut & ieiunium quarta feria incipiente, & Sabbato omnia conſummentur. Pridie natalis Dni, niſi forte dominica contigerit, omnes publicum ieiunium faciunt, & hora nona miſſas celebrantur. In vigilia pridie natalis Dni humiliæ cum reſponſoriis ſuis vel antiphonis in matutinis laudibus de ipſa die pertinentes canuntur.

In vigilia natalis Dni tam pſalmi novem cum antiphonis, vel humilias cum reſponſoriis ſuis ſeu & verſibus, expletis vel miſſarum ſolemniis, ordine, quo in priori capitulare memoravimus cum magno decore celebrantur. Corpus autem Dni in ipſa nocte expletis miſſarum ſolemniis omnes communicant. De octabas Dni vel de Epiphania ſuperiori ordine invenitur, qualiter celebrare debeamus. A quadrageſima vero incipiente, uſque quinquageſimo die ante paſcha ad vigiliis de aptatico unde leguntur, & reſponſoria inde canentur; quod ſi exinde minus reſponſoria habuerit, tam in die quam in nocte quadrageſimalis reſponſoria canuntur.

In matutinis laudibus diebus dominicis ſicut & cotidianis diebus a quinquageſimo incipiente, id eſt: *miſerere mei Deus;* inde ſequitur pſalmus centeſimus ſeptimus decimus cum antiphonis ſuis; & ſequitur ordo matutinorum ſolemnitas; ſicut & reliquis diebus dominicis. Et a XV.mo die ante paſcha tam reſponſoria quam & antiphonæ cum verſibus ſuis de paſſione Dni incipiunt celebrare.

Quinta vero feria ante paſcha, id eſt cœna Dni ad miſſas antiphona ad introitum non pſallitur, apoſtolum nec evangelium non legitur, nec reſponſorium cantatur, nec ſalutat presbyter, id eſt non dicit *Dnus vobiſcum*, nec pacem faciunt uſque in Sabbato ſco, ſed cum ſilentio ad miſſas ingrediuntur.

In Paraſceve autem, quod eſt ſexta feria paſſionis Dni hora nona colleguntur omnes in eccleſia, & legunt duas lectiones, quas in capitulare vel in ſacramentorum commemorat cum reſponſoriis de paſſione Dni, & legitur paſſio Dni ſecundum Iohannem, & dicuntur illas orationes a presbytero, quas in ſacramentorum commemorat. Poſt unamquamque orationem admonentur omnes a diacono, ut flectantur genua, & dicit diaconus *flectamus genua*, & proſternentes ſe omnes in terra cum lacrymis vel contritione cordis; & iterum admonentur a diacono dicente: *Levate.* Expletis autem ipſis orationibus dicit presbyter *Oremus*, & dicit orationem: *Præceptis ſalutaribus*, cum oratione dominica, & ſequitur oratio, *libera nos qs Dne ab omnibus malis*, & accipit diaconus corpus Dni & ſanguinem, quod ante diem Cœnæ Dni remanſit, & conſecratum fuit, & ponit ſuper altare, & communicant omnes corpus & ſanguinem Dni cum ſilentio nihil cantantes, & ipſa nocte in eccleſia lumen non accenditur uſque in Sabbato. His autem expletis ingrediuntur ad veſperam, & ipſa nocte abſtinentes ſe ab omni delicia corporali, id eſt præter tantum panem & aquam cum aceto mixtam non ſumentes; quibus autem Dnus virtutem dederit, pertranſeunt ſine cibo uſque in vigilia paſchæ: hoc autem apud religioſos & venerabiles viros obſervantur.

In Sabbato ſco paululum poſt hora nona ad vigilias. Primitus autem veſtiuntur ſacerdotes unacum diaconibus ſuis, & procedunt de ſagrario cum cereis vel thuribulis, & intrant in eccleſiam cum ſilencio nihil canentes, ſtantes in ordine ſuo. Inde vero benedicentur cerei a diacono, ordine, quo in ſacramentorum habetur, & ſtatim accedunt & ſedent ſacerdotes in ſedilia ſua. Diaconi vero tantum permanent ſtantes iuxta ordinem ſuum, ſive iuxta abbatem vel presbyterum, qui miſſas celebratur, & incipiunt legere lectiones de ipſa nocte unacum canticia eorum, quas in ſacramentarum commemorat. Expletis autem ipſis lectionibus, omnes ſacerdotes cum diaconibus revertuntur in ſacrario ornantes ſe, qualiter ad miſſas ingrediuntur.

Digitized by Google

tur. Cum autem ſignum pulſatum fuerit, procedunt de ſacrario cum diaconibus accenſis cereis cum thuribulis, ſicut prius deſcripſimus, & intrant in eccleſia facientes litania. Expleta autem ipſa litania incipit abba, aut presbyter, qui miſſas celebrat *Gloria in excelſis Deo*; & complebunt omnia miſſarum ſolemnia ſicut & reliquis diebus dominicis, & ipſis ſeptem diebus uſque paſcha, ſolita in omni officio divino.

Ita agitur ſicut & diem ſcam Paſchæ, præter tantum pſalmi, qui de unamquaque diem pſalluntur ſemper cum *alleluia*, uſque quinquageſimo die a paſcha, quod eſt Pentecoſten; tam pſalmi vel reſponſoria cum verſibus vel antiphonis omnes cum *alleluia* ſunt canenda.

Aſcenſionem vero Dni cum omni officio divino de ipſa die pertinente, ſicut & reliquis diebus dominicis celebrantur; reſponſoria vero vel antiphonis uſque in ſabbatum Pentecoſten de aſcenſionem Dni canuntur.

Sabbato Pentecoſten omnes ieiunium faciunt, & omni officio divino, tam lectionibus, quam & baptiſmum, vel ordine, ut & in Sabbato ſancto celebrantur; tantum hora octava incipiente ingrediuntur ad vigiliis vel miſſarum ſolemniis, ut hora nona dici expleta, omnia conſumentur. Diem ſanctam Pentecoſten ſicut & diem ſanctum Paſchæ celebrantur. In ipſa vero ebdomada poſt Pentecoſten quarta & ſexta feria ſeu & ſabbatum ieiunium faciunr & miſſarum ſolemniis cum omni offiicio divino ſicut in ſacramentorum commemorat, celebrantur. Octabas autem Pentecoſten ſicut & dominica præcedente, ita celebrandum eſt.

Reliquo tempore in anni circuli, præter quod memoravimus de ipſis pſalmis reſponſoria ſunt canendæ. Antiphonis vero tam matutinis quam & veſpertinis laudibus de cotidianis diebus canuntur.

Ad agendas vero mortuorum ad vigilias, tam pſalmi, quam & lectionibus cum reſponſotiis ſuis vel antiphonis in matutinis laudibus ſine *alleluia* de ipſis eſt canendum. In miſſis eorum nec *Gloria in excelſis Deo*, nec *alleluia* non cantatur.

Ex Mſc. S. Blaſii ſæc. IX.

In Nomine Dei Summi incip. Breviarium eccleſiaſtici Ordinis &c. ut ſupra p. 168.

In ipſa vero Sabbato ſacerdotes & ceteri miniſtri eccleſie ſi neceſſe fuerit ordinantur. Si autem & vigilia venerit natalis Dni Sabbatum incurrat, præcidente ebdomata omnem celebrationem vel ordinationem, quam diximus uſi in Sabbatum conſummantur: in ipſa autem ordinatione ſacerdotum preter quatuor tempora anni nullatenus ordinentur. Poſt primum Ver, quod eſt ebdomata prima menſis primi Marcii; ita tamen, ſi ipſa ebdomata infra qnadrageſima contigerit. Deinde ſequitur aliut tempus eſtas, quod venit menſis quarti Iunii, quod ſequitur ebdomata prima poſt pentecoſten. Sequitur tercium tempus Auctumni, quod eſt menſis ſeptimi Septembrii, quod agitur tertia ebdomata ipſius menſis. Inde ſequitur quartum tempus anni Hyems, quod eſt menſis decimi December, ſicut ſupra diximus, hoc eſt ebdomata prima ante natale Dni ordine, quod diximus, quarta & ſexta feria, ſeu & ſabbatum celebrantur. Geſta ſcæ Eugeniæ vel eius commemorationem, pridie natalis Dni tantum ad vigiliis celebrantur, matutinis vero de ſupredicto die pridie natalis Dni eius miſſa ora tertia canuntur & celebrantur. Ipſa vero die, niſi forte dominica contigerit, omnes publicum ieiunium faciunt; & ora nona vigilia natalis Dni miſſas celebrantur & *alleluia* minime canuntur. Omni vero tempore, quando ieiunium faciunt & hora nona miſſas celebrantur, nec *Gloria in excelſis Deo* nec *alleluia* canuntur. In ipſa vero vigilia natalis Dni in cenobiis monachorum nocte ſuperveniente paulolum requieſcunt; deinde ſurgens temporius celebrantur ſicut decet vigilia Dni. Poſt expletis novem pſalmis cum anteſonas aut novem lectionibus de humiliis ſci Auguſtini vel pape Leonis, aut ſci Gregorii cum reſponſorio, & finiuntur vigiliæ. Deinde ſecuntur matutine cum antiphonas. Expletis vero matutinis præparantur ſe qualiter miſſas celebrare debeant, & ut gallus cantaverit mox cum omne decore vel ordine ſacerdotum ad miſſas ingrediuntur. Expleta vero miſſarum ſolempnia cummunicant omnes, & in ipſa nocte ad miſſas ſemper *Gloria in excelſis Deo*, *alleluia* pariter canunt. Deinde mox luce ſuperveniente procedunt ad aliam eccleſiam & ſimiliter celebrantur aliam miſſam ſicut & prius. Similiter iterum cumpetente hora dici procedant ad eccleſiam & celebrant miſſas ſacre nativitatis Dne unam poſtquam gallus cantaverit, alia mane prima, tertiam in die ſicut mos eſt in honore ſci Trinitatis celebrantur, ſicut ſcs Gregorius in humiliis ſuis loquitur, dicens: quia miſſarum ſolempnia ter hodie celebraturi ſumus, ita & nos oportet ut ſimiliter ſcam nativitatis Dni diem in Trinitatem numerum miſſarum ſolempnia celebremus. Modus autem vel ordo in agendis miſſarum ſolempnis

lempniis tam ipſius diei, quam & omnium principalium feſtivitatem talis eſſe videtur. Cum autem hora adpropinquaverit, ut miſſas introeant, ingrediuntur ſacerdotes & levite in ſacrario, induunt ſe veſtibus, cum quibus miſſas celebrare videntur, & ordinantur per ordines, ſicut mos eſt, & incipiunt clerici antiphonam ad introitum de ipſo die pertinentem. Cum autem primo verſo pſalmo incipiunt, procedant ſacerdotes de ſacrario ſicut ſunt ordinati primi presbyteri, qui miſſas publicas ipſo die non celebrantur duo & duo iuxta ſe adherentes; deinde ſecuntur candelabra cum accenſas ceriis aut ſeptem aut duo iuxta ſe adherentes cum turabulis timiamatis ante ſacerdotem præcedentes, & ſequitur ſacerdos, qui miſſas celebrare videtur, diaconi vero dextera levaque adſtantes. Et alii diaconi ſecuntur poſt ipſos duo & duo ſe adherentes, ſubdiaconi vero ſimiliter ſecuntur poſt ipſis, & procedunt leniter paulatim cum tremore & reverentia procedentes. Ut autem ante altare venerint, dividant ſe ſeparatim, ut faciunt ſpacium ante ſacerdotem, invicem ſe aſpicientes, & ſacerdos inclinat vultum ad orationem, & dat pacem uni presbitero in dextera parte & omnibus diaconibus ſuis. Hoc autem ita faciens, ut omni ordine ſacerdotum vel clerico ſuo pacem & concordiam demonſtratam puro corde accedat ad immolandum ſacrificium Deo. Inde prope accedat ad altare & proſtrato omni corpore in terra fundens orationem pro ſe, vel pro peccata populi uſque dum antiphonas ad introitum cum pſalmo & gloria cum verſos ad repeten. dixerint. Surgens autem ab oratione oſculantur ſcm evangelium ſuper altare poſitum, tam ſacerdos, quam & omnes diaconi, & tranſiens retro altare cum diaconibus ſuis, & ad orientem adherentes diaconi iuxta ſacerdotem pars una ad dextris, alia a ſeniſtris; ſacerdotes vero alii ſtant iuxta altare in ordines ſuos. Expleta autem antiphona ad introitum cum *Kirieleiſon* novem vicibus repetito, reſpiciens ſacerdos ad populum, & incipit *Gloria in excelſis Deo*, & ut venirent, ubi dicant *pax hominibus bone voluntatis*, iterum aſpiciunt ad orientem, uſque dum expleta fuerit *Gloria in excelſis Deo*. Deinde aſpiciens ſacerdus ad populum dicit *pax vobis*, & reſpondent omnes *& cum ſpiritu tuo*. Deinde reſpiciens ad orientem, & dat orationem de ipſa die pertinentem, & ſedens ſacerdos retro altare in ſede ſua, diaconi vero permanent ſtantes ad latus ſacerdotis. Sacerdotes autem alii ſedent in ſedilia iuxta altare; & ingreditur lector ad legendum apoſtolum, & tunc ſubdiaconi tantum aſcendunt in circuitu altaris, ut parati ſunt ad omnia, que iniunguntur eis a diaconibus, lecta autem lectione ſicut reſponſorium, inde *all.* Deinde diaconus inclinet caput ad ienua ſacerdotis, accepta benedictione pergens ad altare oſcolans ſanctum evangelium levat eum cum magna reverentia in manibus ſuis præcedentibus ante eum duobus candelabris, accenſis in eis cereis cum turabulum timiamatum; aſcendens in grado faciens crucem in fronte ſua, aſpiciens in cœlum, & dicit *Dns vobiſcum*, & reſpond. omnes *cum ſpiritu tuo*, & adnunciat evangelium & legit, ut autem legerit, dicit ei ſacerdos, *pax tibi*. Deinde dicit *Dns vobiſcum*, deinde *oremus*, & redit in ſede ſua. Deinde dat acolitus aquam in manus ſacerdotis, diaconi vero interim altare veſciuntur. Inde vero in monaſterio ubi populus vel feminis licitum eſt introire, deſcendens ſacerdos a ſede ſua cum diaconibus, & accipit oblationes a populo, & ponet ſacerdos ipſas oblationes in lintea quas acolitus ante pectus ſuum tenere videtur. Similiter diaconi accipient vinum & ponunt in vaſcula argentea vel calices, quos acoliti tenire videntur. Acceptas autem ipſas oblationes revertentur ad ſedem ſuam, & iterum lavet manus. Item in monaſterio, ubi non ingrediuntur femine, poſtquam primitus ſacerdus lavaret manus, ingrediuntur ſacerdotes cum levitas in ſacrario, & accipent oblationes, & procedant de ſacrario, & offeruntur ſuper altare, canentibus interim fratribus offerturia. Inde vero accedens ſacerdos ante altare, & accipiens proprias oblationes elevatis oculis & manibus cum ipſis ad celum orat ad Dnm & ponet eas ſuper altare; ſimiliter offerat & vinum. Diaconi vero vadant retro ſacerdotem, & ordinantur per ordinem. Subdiaconi autem ambulant retro altare, & ſtatuuntur per ordinem. Sacerdotes autem ſtant in ordines ſuos ante altare, tunc vero ſacerdos dextera levaque aliis ſacerdotibus poſtulat pro ſe orare &c. ut ſupra p. 169.

Deinde vero ſacerdotes confrangunt ipſas oblationes ſuper altare, ſi neceſſe fuerit. Diaconi vero iuxta altare tenente ſubdiacono ante ipſus patenam, & confrangunt ipſas oblationes, canentibus interim fratribus, *Agnus Dei*. Deinde communicant ſacerdotes & levite in ordines ſuos. Poſtea accipiens quidam diaconus calicem in dexteram partem altaris elevans eum in manibus ſuis pronuncians natalitia ſanctorum in ipſa ebdomata venientia ita dicendo: illa feria veniente natal. eſt ſancta Maria, aut confeſſorum, aut aliorum San-

Digitized by Google

Sanctorum, qualis evenit ſecundum martyrilogium, & reſpondent omnes *Deo gratias.* Poſt hec canentibus interim antiphonam ad communionem; cummunicantibus autem omnibus, dat orationem ſacerdos, & dicit diaconus, *ite miſſa eſt*, reſpondentibus omnibus, *Deo gratias.* Et conpletum eſt. Poſt hoc revertetur ſacerdus ad ſacrarium cum miniſtris eccleſiæ, vel cum omni ornatu, ſicut prius exierit, & exuunt ſe veſtibus cum quibus iam miſſarum ſolempniis celebraverunt, & conſumata ſunt omnia. Poſt nativitatem vero Dni &c. ut ſupra p. 170.

Poſt nativitatem vero Dni uſque XII. diebus ante initium quadrageſime adque Hieremiam & Ezechihel & Danihel ſeu & XII. prophetas minores cum expoſicionibus eorum leguntur. Epiſtole vero Pauli apoſtoli omni tempore in poſterioribus lectionibus in die dominica ad vigilias leguntur. Tractatus vero ſci Hieronimi, Ambroſii, vel ceterorum patrum, ut ordo poſcit, leguntur; in tempore Veris hoc eſt XII. diebus ante initium quadraginſime quinque libri Moyſi cum Ieſu Nave & iudicum adque Ruth uſque XII. dies ante paſcha, inde vero librum Iſaie prophete & lamentationes Hieremiæ, Oſe, & Zachariæ, unde ad paſſionem Xpi convenit. In diebus autem paſchæ epiſtole apoſtolorum & actus apoſtolorum adque apocalipſis uſque pentecoſten. A pentecoſten vero libri regum & paralipominon. Deinde Salamonis libri, Iob, Tobi, Iudit, Heſter adque Machabeorum uſque Kal. Decemb. in vigiliis omnium apoſtolorum vel ceterorum ſanctorum &c. ut ſupra p. 42.

Primitus enim induunt ſacerdotes unacum diaconibus veſtibus cum quibus vigilias celebrantur, & procedunt de ſacrario levite tantum cum ſubdiaconibus duo & duo iuxta ſe adherentes ſine luminibus accenſis, canentibus interim fratribus litania; ut autem ante altare venerint ſtantes in ordines ſuos, ille qui cereum benedici debet ſtans in medio, poſtulans pro ſe orare, & faciens crucem ſuper cereum & accipiens a ſubdiacono lumen, quod in paraſceven abſconſum fuerit, & accenſo cereo dicit *Dnus vobiſcum*, reſp. omnes, *& cum ſpiritu tuo.* Deinde dicit *oremus*, & dicit orationem primam. Deinde dicit *Dns vobiſcum*, reſpo. omnes: *& cum ſpiritu tuo.* Iterum dicit *ſurſum corda.* reſpond. *habemus a Dno.* Et iterum dicit: *gratias agamus Dno Deo noſtro.* reſp. *dignum & iuſtum eſt;* vel omnia ſicut in ſacramentorum commemorat. benedicto autem cereo revertuntur in ſacrario. Deinde procedunt ſacerdotes de ſacrario cum diaconibus iuxta ordines ſuos cum accenſis cereis de ipſo lumine cum turabolis timiamatum, iterum canuntur litaniam; ipſam autem expletam ſtantibus vero, & dit ſacerdos orationem retro altare ſicut mos eſt, & ſedentibus ſacerdotibus in ordines ſuos; & ingrediuntur ad legendum. Poſt unamquamque lectionem dat ſacerdos orationem ſicut in ſacramentorum commemoratur. Expletis vero lectionibus cum canticas eorum & benedictionem revertuntur omnes miniſtri eccleſiæ in ſacrario cum accenſis cereis exſpectantes horam, qua ad miſſas ingredi debeant. Cum autem ſtella in cœlo apparuerit, ſtatim iterum incipiunt tertiam litaniam, & procedunt de ſacrario, ſicut ante fecerunt cum cereis accenſis, vel turabulis. Expleta autem litania incipit abbas aut presbiter, qui miſſas celebrantur, *Gloria in excelſis Deo.* hoc finitum legitur lectio apoſtoli, & canuntur *alleluia, Dns regnavit*, tracto qualis volueris, & legitur lectio evangelii aut epiſcopis, aut presbiteris legitur, ad communionem canuntur *Agnus Dei*, & complebuntur omnia miſſarum ſolempnia ordine ſicut reliquos diebus dominicis, &c.

In Xpi nomi. explicit Breviarium eccleſiæ ordinis Rominſe. Deo gracias amen.

Ex Mſc. San-Blaſiano ſæc. VIII.

De Auctoritate ſacræ Scripturæ, quæ legitur in eccleſia in circulo Anni.

In Paſcha actus Apoſtolorum & Apocalipſin & epiſtolas canonicas uſque ad Pentecoſten.

Poſtea in tempore æſtatis libri Regum quatuor.

Poſt Regum Paralipomenon.

Deinde Salomonis libri quinque. Deinde Iob, Tobias, Iudith, Eſther, Eſdræ libri duo. Machabæorum libri duo.

Deinde Prophetarum libri, Iſaias. Hieremias, Ezechiel. Daniel. Et duodecim Prophetarum.

Quindecim diebus ante Natale Domini legitur Eſaias uſque in Theophaniam.

Et poſt Theophaniam revertitur ad Prophetas ubi relinquitur & legitur uſque in Sexageſimam.

In Sexageſima enim uſque in ebdomadam maiorem ante Paſcha legitur Eptadicum.

Deinde in ebdomada maiore usque in Paſcha legitur Hieremias.

In vigilias cœna Domini legantur tres lectiones de lamentationibus Hieremiæ Prophetæ. Tres de tractatu Pſalmi LXIII. Exaudi Deus. Tres de A-

poſtolo ubi ait in epiſtola ad Corinthios *Ego enim accepi a Domino quod & tradidi vobis.*

Item in cœna Domini ad Miſſam lectio Epiſtolæ beati Pauli Apoſtoli, ad Corint. *Fratres convenientibus ergo vobis in unum iam non eſt dominicam cœnam manducare:* uſque, *ut non cum hoc mundo dampnemur.*

In Paraſceve leguntur III. lectiones de lamentationibus Hieremiæ & tres de ſermonibus ſancti Auguſtini. Tres de Apoſtolo ubi ait in epiſtola ad Hebr. *Feſtinemus ergo ingredi in requiem illam.*

In Sabbato leguntur tres lectiones de lamentationibus Hieremiæ. Tres de ſerm. Auguſt. Tres de Apoſtolo ubi prius in Paraſceve.

Laudate cœli & exultet terra, quia *homouſion* Patris ante ſecula natus. Hodie idem ipſe ad nos ex virginali utero humanus venit. Ex noſtra natura paſſibilis & in ſua miraculis coruſcabat & refulſit Deus ut colerent eum omnes turbæ diſcedendum gaudentes laudare Deum voce magna ſuper omnibus quas viderant virtutibus dicentes *Benedictus qui venit in nomine Domini. Pax in terra & gloria in excelſis.*

Credimus Salvatorem noſtrum venturum eſſe cum gloria, & vos eſtote parati ſuſcipere regnum Dei.

Antiphonæ ad Pſalmos in Paraſceve.

Adſtiterunt reges terræ.	Quare.
Diviſerunt ſibi.	Deus Deus meus.
Inſurrexerunt.	Dns inluminatio.
Intende in adiutor.	Domine ne in.
Confundantur & revereantur.	Expectans.
Alieni inſurrexerunt.	Deus in nomine.
Ab inſurgentibus in me.	Eripe me de.
Longe feciſti notos.	Dne Deus Sal.
Captabunt in animam.	Deus ultionum.

Ad Matutinum.

Attendite univerſi populi.	Miſerere.
Anxiatus eſt in me.	Domine exaud.
Contritum eſt cor meum.	Deus Deus meus.
Dum conturbata fuerit.	Domine audivi.
Replevit & inebriavit.	Laudate Dnum.
Cum accepiſſet acetum.	Benedic.
Poſuerunt ſuper caput.	

Antiphonæ ad Pſalmos in Sabbato.

Scitote quoniam magnus.	Cum invocarem.
Habitabit in tabernac.	Domine quis
Caro mea requieſcet.	Conſerva.
Credo videre.	Dns inluminatio.
Domine abſtraxiſti.	Exaltabo.
Vim faciebant	Domine ne.
In pace factus eſt.	Notus in
Factus ſum ſicut homo.	Dne Deus Sal.

Ad Matutinum.

Videbunt in quem transfiixerunt.	Miſerere.
O mors ero mors tua.	Iudica me Deus.
Oblatus eſt quia ipſe voluit.	Deus Deus meus.
A porta inferi.	Ego dixi.
Plangent eum.	Laudate Dnum.
Sepulto Dno Sig. eſt mon.	Benedictus Dnus.
Mulieres ſedentes ad monumentum.	

Ex Mſc. Turicenſi ſac. circ. IX.

Leguntur tres Lectiones de Iſaia propheta. Prima lectio ſic continet in caput: *Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini*, uſque *Exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa.* Secunda lectio ſic continet in caput: *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz dicens: pete tibi ſignum a Domino Deo tuo.* uſque: *a diebus ſeparationis Ephraim a Iuda cum rege Aſſyriorum.* Tertia lectio ſic continet in caput: *Egredietur virga de radice Ieſſe.* uſque, *Ipſum gentes deprecabuntur, & erit ſepulchrum eius glorioſum.*

In Inventione ſanctæ Crucis, leguntur lectiones, quas in natale plurimorum Martyrum.

In Aſcenſa Domini leguntur lectiones tres de Actus (ibus) Apoſtolorum. Prima lectio ſic continet in caput: *Primum quidem ſermonem feci de omnibus o Theophile.* uſque, *Et Maria matre Ieſu & fratribus eius* Secunda lectio ſic continet in caput: *Et in diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum.* uſque, *Et adnumeratus eſt cum undecim Apoſtolis.* Tertia lectio ſic continet in caput: *Qui ergo receperunt ſermonem qui baptizati ſunt*, uſque, *qui ſalvi fierent*, *quotidie in idipſum.* Et poſtea leguntur Homeliæ ad ipſum diem pertinentes.

In Dominica Pentecoſten (es) leguntur lectiones tres de Actus (ibus) apoſtolorum. Prima lectio ſic continet in caput: *Et cum complerentur dies pentecoſten* (*es*). uſque, *audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.* Secunda lectio ſic continet in caput: *Stupebant autem omnes & mirabantur ad invicem dicentes: quidnam vult eſſe hoc?* uſque, *& erit omnis*, *qui invocaverit nomen Domini*, *ſalvus erit.* Tertia lectio ſic continet in caput: *Viri Iſraelitæ audite verba hæc, Ieſum Nazarenum adprobatum a Deo*, uſque, *Quoscunque advocaverit Dominus noſter.*

In Natale ſancti Iohannis Baptiſtæ leguntur lectiones tres ex libro Sapientiæ. Prima lectio ſic cont net in caput: *Iuſtum deduxi Dominus per vias rectas.* Ex

Digitized by Google

Ex Mſc. San-Gallenſi ſæc. IX.

Incipiunt Capitula de Libris novi ac veteris Teſtamenti.

Plenitudinem, quam in Canone catholica recipit Eccleſia, iuxta vetuſtam priorem traditionem iſta eſt. In principio videlicet quinque libri Moyſi exodus, leviticus, numerum ſeu devteronomium, id eſt recapitulatio legis, & quaſi ſecunda lex; huic ſuccedunt libri Ieſu Naue vel iudicum, ſive libellus, cuius titulus Ruth. qui non ad hiſtoriam iudicum ſicut Ebræi adſerunt, ſed magis ad principium regum pervenire videntur. Hos ſecuntur IIIIor libri regum, quorum quidem paralipomenon libri duo ætate adnectuntur, quia earumdem geſtarum rerum cauſas continent, quæ in libris regum eſſe noſcuntur; quamquam & alia ſunt volumina & opuſcula, quæ in conſequentibus diverſorum inter ſe temporum texunt hiſtorias: ut Iob liber, vel Tobi hiſtoria, ſive vidit, nec non & Hisdra ſeu Machabæorum libri duo. Sed hi omnes preter librum Iob regum ſecuti hiſtoriam; deinceps Iudæorum annales ſuis quibusque temporibus proſequuntur continentes triſtitiam ſive lætitiam, quæ excidium Hieruſalem iudaico populo accerſerunt; ex quibus Tobi & Iudith, ſeu & Machabæorum Iudæi non recipiunt. Eccleſia vero nra eosdem tamen inter canonicas ſcripturas enumerat. Occurrunt dehinc prophetæ, in quibus eſt pſalmorum liber unus, & Salomonis libri tres, proverbiorum ſcilicet, & eccleſiaſtes, deinde cantica canticorum; duo quoque illi egregii & ſci inſtitucionis libelli, ſapientiam dico, & alius qui vocatur eccleſiaſticus, qui dum dicantur ab Hieſu filio Syrach editi, tamen propter quamdam eloquii ſimilitudinem Salomonis titulo prænotati; qui tamen in eccleſia parem cum reliquis canonicis libris tenere noſcuntur auctoritatem. Superſunt libri XCI. Prophetarum, ex quibus quatuor ſunt, qui maiora volumina condiderunt; id eſt Eſaias, Hieremias, Ezechiel, & Daniel, reliqui vero duodecim breves ſunt, & antiqui, & ab hoc uno volumine coarctati. Quorum nomina hæc ſunt: Oſee, Iohel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Ambacuc, Soffonias, Aggeus, Zacharias, Malachias; quidam autem Hieremiæ lamenta ſegregantes, de volumine eius ſecernunt, ſicque XLV. libros veteris teſtamenti ſuſcipiunt. Hinc occurrit teſtamentum novum, cuius primum evangeliorum libri ſunt IIIIor, Matheus quoque & Marcus, Lucas atque Iohannes. Sequuntur deinde epiſtolæ Pauli apoſtoli XIIII. id eſt ad Romanos I. ad Corinthios II. ad Galatas I. ad Epheſios I. ad Filippenſes I. ad Teſſalonicenſes II. ad Timotheum II. ad Titum vero, & ad Filemonem, & ad Ebræos ſingulæ; epiſtola Iacobi apoſtoli I. Petri II. Ioannis tres, Iudæ I. Actus etiam apoſtolorum a Luca evangeliſta conſcripti, & Apocalypſis Ioannis apoſtoli. Fiunt ergo in ordine utriusque teſtamenti libri LXXII. Hæc ſunt enim nova & vetera, quæ de theſauro Dei proferuntur, & quibus cuncta Sacramentorum myſteria revelantur. Hii duo Seraſim, qui in confeſſione ſcæ Trinitatis iugiter decantantes tres agios (aggeus) hymnorum erumpunt. Hæ litteræ ſacræ. Hii libri integri numero, & auctoritate, & aliud cum iſtis nihil eſt comparandum, quidquid extra hos fuerit, inter hæc ſancta & divina nullatenus ſunt recipienda.

Ex Cod. San-Gall. ſæc. IX. circ.

Cantatur autem omnis ſcriptura ſci canonis ab initio anni uſque ad finem, & ſic ordo eſt canonis decantandi in eccleſia ſci Petri. Quinque libri Moyſis cum Ieſu Naue & iudicum in tempore Veris. Septem diebus ante initium Quadrageſimæ uſque ad octavam diem ante paſcha liber Iſaiæ prophetæ, unde ad paſſionem Xpi convenit & lamentationes Ieremiæ. In diebus a paſcha epiſtolæ apoſtolorum & Actus, atque Apocalypſin uſque pentecoſten. In tempore æſtus libri regum & paralipomenon uſque ad medium autumni; hoc eſt uſque Vto decimo Kalendas Novembris. Deinde libri Salomonis mulierum atque Machabæorum, & liber Tobi uſque ad calendas Decembris. Ante autem Natale Dni nri Ihu Xpri Iſaias, Ieremias & Daniel uſque ad Epiphaniam. Poſtea Ezechiel & prophetæ minores, atque Iob uſque in Idus Februarias; pſalmi omni tempore, evangelia & Apoſtoli ſimiliter tractatus, prout ordo poſcit, paſſiones martyrum, & vitæ Patrum catholicorum leguntur.

Ex Cod. Rhenaug. ſæc. XI. vel XII.

Incipit Ordo librorum catholicorum ad legendum.

Inprimis. In LXXma ponunt Eptaticum uſque in XV. diem ante paſcha.

In XV. die ante paſcha ponunt Hieremiam prophetam uſque in paſcha.

In paſcha ponunt actus apoſtolorum. Sequuntur VII. epiſtolæ canonicæ.

Deinde ſequitur Apocalypſis uſque in octabas pentecoſten.

Digitized by Google

In octabas pentecoſten ponunt Regum & Paralipomenon uſque in dominicam primam menſis Auguſti.

In dominica prima menſis Auguſti ponunt Salomonem uſque in Kal. Sept.

In dominica I. menſis Sept. ponunt Iob, Tobiam, Iudith, Heſter & Hæſtra uſque in Kl. Octobr. id eſt uſque in dominica prima Octobris.

In dominica I. Octobris ponunt Machabæorum uſque in Kl. Novembris.

In dominica I. Novembris ponunt Ezechielem & Danielem & minores prophetas XII. uſque in S. Andreæ, id eſt, uſque in Kl. Decembris.

In dominica I. Decembris, id eſt, in dominica de Adventu Domini, ponunt Eſaiam prophetam uſque in natale Domini.

De Natali Domini ponuntur epiſtolæ Pauli uſque in LXX.

In Natalitiis Sanctorum ponuntur vitæ & paſſiones eorum.

Extractus ex Rituali Mſc. ſæc. XIV. Ordinis Melitenſis.

It. in LXX. cantatur & legitur In principio i. pentatecum Moyſi uſque ad paſſionem Domini. LXX. a civitatem Babilonis ſigt. i. confuſionis in qua nos ſumus dum in mundo captivamur. de qua exeuntes. debemus ad Chrm redire. i. ad domum pacis. Un. diabolus nos captivavit. Quamvis n. captivitatis ſemper memores eſſe debemus. ſpecialiter tn illis diebus oportet. quibus cantamus & legimus de abiectione patris noſtri Adam de paradiſo. de periculo Noe in diluvio. de Abraam qui exiret de terra ſua. & de huiusmodi iuſſus eſt laboribus. ſicut n. Adam in exordio mundi factus eſt. ſic & in principio anni & eccleſiaſtici officii. de illo legere & cantare propoſuimus.

A paſſione Dni uſque ad Paſca legitur Ieremias qm ipſe redemptoris noſtri paſſionem aperta lamentatione præſignavit.

Dies XV. & cantatur apocalipſis. qm qd beato Ioanni revelatum eſt de morte agni immolati. hoc ſancti apoſtoli prædicaverunt & operibus firmaverunt. Poſtea leguntur epiſtolæ canonicæ uſque ad aſcenſionem. & cantatur de pſalmis idem *Si oblitus.* & *narrabo nomen,* quia & Del (David) prophetavit paſſionem Dni. quam prædicabant apoſtoli.

Ab aſcenſione Dni uſque ad pentecoſten. de ſeſe cantantur. SS. Apocalipſis legatur, quia revelatus eſt Dei Filius cum ad cœlos aſcendit. Cunctis videntibus & multa, quæ ante fuerant clauſa ab illa die revelata patuerunt.

Ab Octava pentecoſtes uſque ad Kal. Aug. leguntur libri regum, & cantatur *Præparate* quoniam ſicut Saul & David & alii pro lege ſua alophilos. & Goliam pugnaverunt ſic & nos poſt pentec. i. poſtquam recepimus donum Spiritus ſci in baptiſmo pugnare debemus contra vicia & dæmones. Unde apoſtolus: *non eſt nobis coniuctacio adverſus carnem & ſanguinem: ſed adverſus principes &c.*

A Kal. Auguſti uſque ad Kal. Septembris legitur & cantatur Salomon i. ſapientia cum reſponſoriis. *Audi fili mi.* Auguſtus VII. menſus eſt & calidus & anni medius. In VI. ætate venit Dnus propter eius præſentiam debemus eſſe ſapientes. ut cum cor noſtrum ita nos & in meditatione noſtra exardeſcat ignis. Vel quia in media ætate. ubi quisque amplius ab eſtu iuniorum ſuccenditur magis tunc debeat ſuccreſcere ſapientia. Ubi tanto ſapientius cavendum quanto plus valet etatis profectio ad reſiſtendum.

A Kal. Septembris uſque ad medium eiusdem menſis cantatur & legitur Iob. ℞. *Si bona.*

A medii Sept. uſque ad Kal. Octob. cantatur & legitur Tobi. Iudit. Eſt. & Esdra. ℞. *Peto.* Hii ſunt qui omnia adverſa patienter ſuſtinuerunt, ſic & nos iam in VIIma ætate qua mundus finietur adverſa quæ ingentius veniunt debemus cum ſpe & manſuetudine pro Dno ſuſtinere.

A Kal. Octobris uſque ad Kal. Novembris legitur liber Machabæorum. cantatur ℞. *Adaperiat.* Iſte octavus menſis lætitiam reſurrectionis ſignificat. quia ſicut Iudæi finitis præliis & templo reſtituto in ymnis & confeſſionibus benedicebant Dominum ſic & in reſurrectionis gloria & fractis viribus diaboli, Sci & iuſti in Domino gaudebunt.

A Kal. Novembris uſque ad adventum Dni legitur Ezechiel. & Daniel. & XII. pphetæ cum reſponſoriis *Vidi Dnum.* Ezechiel enim vidit iiij. animalia. & iiij. Evangeliſtas. qui Dni nativitatem humanam. paſſionem. reſurrectionem. aſcenſionem &c. mundum docuerunt. Daniel quoque venturum eſſe prædixit dicens. *Aſpiciebam in viſu noctis & ecce filius hominis venit.* Similiter ceteri prophetarum venturum prædixerunt ante adventum eius. Hii leguntur quia ipſe eſt ſalvator mundi quem de virgine naſci prædixerunt.

Ab adventu Dni uſque ad natale eius legitur Yſaias. qui quanto de Dno prophetavit urbanus tanto nativitati eius legitur primus.

Ab octava natal. Dni uſque ad Septuageſimam leguntur eplæ Pauli cum reſponſoriis de pſalmis.

Due

Digitized by Google

Dne ne in ira tua. quia quod David cecinit apoſtolus concorditer prædicavit.

Ex Mſc. San-Gallenſi ſæc. IX.

Item incipit de convivio ſive prandio atque cœnis Monachorum, qualiter in monaſteria Romanæ eccleſiæ conſtitutis eſt conſuetudo.

Quando autem ad prandium accedunt, dicit Prior orationem cum fratribus, hoc eſt: *oculi omnium;* totam cum *Gloria Patri* ſubſequente prolixe dicuntur, & poſtea in fine *alleluia* canuntur; & dicit ſacerdos orationem talem vocem, ut cuncti audiantur, & reſpondeant, *amen. Hoc benedicantur nobis Dne dona tua.* Vel alias ſunt plurimas, quæ ad hunc cibum ſunt deputatas. Et ſedeunt poſtea omnes in loco ſuo; habent autem prope menſa Abbatis cathedra tale ex alto ſtabilita cum annologio, ubi librum ponitur, & ſedeunt, cum legunt. Et ſtatim, cum primum cibum ponunt miniſtri, & ſignum inſonuerit, ut ſignetur ad comedendum, reſpondent omnes: *Deo gratias.* Priore ſignante, aut presbytero, vel cui iuſſerit, tali voce ſignatur, ut univerſi audiant, & reſpondent: *amen.* In ipſo inicio comedentium eſt præparatus lector, qui ſtatim petit benedictionem, dicit: *iube Domne benedicere.* Senior autem dicit: *Salvet nos Dns;* & reſpondent omnes *amen;* & ingreditur ad legendum, & legit, quamdiu illum cibum manducant, & poſtea, ſi longo prandio habuerint, ut diucius ſedeant, vel ſi aliam miniſtrationem miniſtrentur, tangit Prior menſa, ut ſileat ipſe lector modicum, & ſi fuerint piſces, vel etiam ſi volatilia, manducant; cum miniſtratur, & inſonuerit ſignum, ut benedicatur, reſpondent omnes: *Deo gratias,* & benedicit Prior, aut cui iuſſerit, dicente: *creaturam ſuam creator omnium Dns benedicat,* & reſpondent omnes, *amen;* & manducantur. Si item alius cibus fuerit, dicit orationem, hoc eſt: *precibus ſcæ Dei genitricis Mariæ, & nos, & dona ſua Xps Filius Dei benedicat;* reſpondent omnes, *amen.*

Et ad aliam miniſtrationem iterum legit lector tamdiu, quouſque præcipiat ei Abba, ut finiatur. Aut ſi ille congruam finem invenerit, ſi benedictio ſonaverit in extremo ſermone repetit ipſum iterum ſecundam vicem prolixe; & reſpondent omnes: *Deo gratias,* & deſcendit. Si autem longa fuerit leccio, & vel bene finierit ſermonem, repetit ipſum, & poſtea dicit: *tu autem Dne miſerere nobis.* & reſpondent omnes, *amen.* Sic & ad nocturnis, vel ad collecta, vel ubi præceptum legerint divinum, iſta eſt conſuetudo, ut ſemper, quando incipit legere, petita benedictione dicit: *iube Domne benedicere;* quando finierit lector lectionem, *Deo gratias* reſpondent. Et deſcendente eo vadit ante menſam Abbatis, & dat ei benedictionem, unde manducat, & bibit. Surgentibus autem fratribus dicent lente: *confiteantur tibi Dne;* adiungentes *Gloria Patri,* & ad finem *alleluia* canentes. Et ſi maiorem refectionem habuerint, ut eis exinde ſuperfuerit dicit Prior, vel cui cura commiſſa eſt orationem: *fragmenta, quæ ſuperaverunt ſervis ſuis, Xpus Filius Dei multiplexit, & benedicat, & abundare faciat, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum,* & reſpondentibus omnibus, *amen,* vadunt in oratorio ad orationem Dnm gratias agentes, & ibi dicent poſt finitam orationem *diſperſit dedit,* completo officio cibi.

Item ad ſera cœnantibus, cum ingreſſi fuerint, ubi reficiuntur, dicant, ſubtrahendo moras, orationem: *edent pauperes,* adiungentes *Gloria Patri,* & in fine canentes *alleluia.* Et dicit ſenior orationem, ſic tamen, ut cuncti audiant, & reſpondeant, *amen,* hoc eſt: *tua nos Dne;* vel alias ſunt multas ſecundum tempus. Sedentes autem in ſedilia ſua faciunt ſimiliter, ſicut & in prandio in die, & ſi contigerit, ut nox perveniat cœnantibus, & lumen neceſſe ſit accendere; ille autem frater, qui lumen adportat, ſtatim cum ingreditur in domum prope ſeniores dicit tali voce, ut omnes audiant: *lumen Xpi,* & dicunt omnes *Deo gratias;* & iterum ipſe incurvatus dicit: *iube Domne benedicere.* Senior autem dicit: *in nomine Dni ſit;* & reſpondent omnes, *amen.* & ſic ponit lumen in locum ſuum, ut luceat omnibus in domo. Et ſi miſcere iuſſum fuerit fratribus, ut bibant, vadit miniſter ad miniſterium, & tangit digito ſuo calicem, & reſpondent omnes *Deo gratias,* & ſignat, & reſpondent omnes, *amen,* & ſic bibent cum benedictione; & ſi fructum eis Dns dederit, dicit ſenior ita orationem: *fructus ſuos Dns omps benedicat,* & reſpondent omnes, *amen.* Sic fit de omnia (omni) adminiſtrationem. Cum autem refectio expleta fuerit, facto ſigno, ut ſurgant, ille frater, qui in quoquina ſeptimanam facit, quando fratres reficiunt, ſemper cum aliis miniſtris ad menſam ſeniorum ſive fratrum adminiſtrat. Cum autem ſurgunt a menſa, ille frater curvat ſe contra oriente ſuper genua ſua, & rogat pro ſe orare, dicens: *Domni orate pro me;* & dicit ſenior,

ſalvet

Digitized by Google

ſalvet nos Dns. ille frater ſurgens, dicit prolixa voce, *Deo gratias.* Statim omnes fratres incipiunt canere, *ſemper tibi Dne gratias.* ita finitum, dicit Prior cum fratribus: *miſerator & miſericors Deus*, prolixe cum *Gloria*, adiungentes & in fine *alleluia.* Sive: *qui dat eſcam omni carni*, *confitemini Dno cœli*, *quoniam bonus*, *quoniam in ſæculum miſericordia eius*; & dicit ſacerdos orationem, hoc eſt: *ſatiaſti nos Dne*, finita reſpondent omnes, *amen.* & ſic vadunt ad orationem, & orant, ſicut ſupra ſcriptum eſt.

Ille autem ſeptimanarius, qui ingreditur quoquinam, in die dominica ingreditur, vel egreditur, iuxta id, quod in regula ſci Benedicti continetur ſcriptum. Matutinis finitis ſtatim in oratorio, qui egreditur, poſtulat pro ſe orare dicens: *Domni orate pro me.* dicit autem ſenior: *ſalvum fac ſervum tuum*; ille vero ſubſequens dicit cum omnibus fratribus: *benedictus es Dne Deus*, hoc uſque tercio repetens, accepta benedictione egreditur. Statim dicit, qui ingreditur: *Deus in adiutorium meum intende*, & iſta oratione tertio cum omnibus repetitur, & ſic accepta benedictione, intrat ad ſerviendum fratribus ſuis. Sic & in eccleſia beati Petri apoſtoli, presbyter ſeptimanam facit, vel manſionarii, qui lumen vel ornatum ipſius eccleſiæ cuſtodiunt, die Sabbati ora tercia conſignant officia ſua ad pares ſuos, & ſic deſcendunt, & vadunt in domos ſuas; & illi alii cum presbytero vel paris ſuos (paribus ſuis) uſque ad alio Sabbato ſerviunt, & faciunt ſimiliter, & ſic in omnibus officiis honeſte, vel ordinabiliter Deo conſervantur.

Et ſi fortaſſe iſta, quæ de multis pauca conſcripſimus (conſcripſi) alicui diſplicuerit, non ſit piger, ſed habeat prudentiam; ſic habent alii Sacerdotes, vel Patres, ſeu & Monachi devoti, qui recto ordine vivere, atque cuſtodire cum divina auctoritate deſiderant. Quomodo illi vadunt, iſtam ſcam doctrinam ad ſuam utilitatem, vel ſuos, ſeu & multorum ædificationem cum magno labore ipſam deferent, ut hic poſtmodum, vel in futurum perpetualiter gaudeant, atque letentur in conſpectu Dei & angelorum, vel omnium Sanctorum eius. Vadat ſibi ipſe Roma, aut ſi piget, miſſo ſuo fideli in loco ſuo tranſmittat, & inquirat diligenter, ſi eſt ita, aut non eſt, quod de pluribus parum conſcripſimus; aut ſi non ita ibidem celebratur, vel ſi bene cum ſancta intentione vel devotione inquiſierat, & adhuc in centuplum melius, unde in opere Dei proficiat, invenerit; tunc poſtmodum fortaſſe iſta audiat, deſpicere vel derogare, vel etiam tantos & tales ſcs Patres contra ſe adverſare præſumat, qui iſtam ſcam normam inſtituerunt.

Primus, beatus Damaſus Papa, adiuvante S. Hieronymo presbytero vel ordinem eccleſiaſticum deſcriptum de Hieroſolyma permiſſu ſci ipſius Damaſi tranſmittentem inſtituit, & ordinavit. Poſt hunc beatiſſimus Leo Papa annalem cantum omnem inſtituit, atque opuſcula in canonica inſtitutione luculentiſſima edidit, quam, ſi quis ea uſque ad unum iota non receperit, vel veneraverit, anathema ſit. Deinde beatus Gelaſius (Zelaſius) Papa ſimiliter omnem annalem cantum ſeu & decretalia canonum honeſte atque diligentiſſime, facto in ſede beati Petri apoſtoli conventu Sacerdotum plurimorum, conſcripſit. Poſt hunc Simachus Papa ſimiliter & ipſe annalem ſuum cantum edidit. Iterum poſt hunc Iohannes Papa ſimiliter & ipſe annum circuli cantum, vel omni ordine conſcripſit. Poſt hunc Bonifacius Papa, qui inſpirante ſco Spu & regulam conſcripſit, & cantilena anni circuli ordinavit. Poſt hos quoque beatus Gregorius Papa, qui afflatu ſci Spus, magnam atque altiſſimam gratiam ei Dns contulit, ut ſuper librum beati Iob moralia diptycha (tibica), inveſtigatione tripliciter atque ſeptiformem expoſitionem lucidaret. Super Ezechiel quoque propheta prima parte, ſeu & extrema, luculentiſſima expoſitione declaravit. Quid ſuper evangelia quadraginta humiliarum expoſitione fecerit, notum eſt omnibus chriſtianis, quam pulchre explanarit. Quid inde aliquorum libris operante ſco Spu digeſſit, vel aliarum multarum ſanctarum ſcripturarum interpretatus eſt, Xpianis in mundo tegentibus, patefactum eſt. Et cantum anni circuli nobile edidit. Poſt iſtas quoque Catalenus Abba, ibi deſerviens ad ſepulcrum ſci Petri, & ipſe quidem annum circuli cantum diligentiſſime edidit. Poſt hunc quoque Maurianus Abba ipſius ſci Petri apoſtoli ſerviens, annalem ſuum cantum, & ipſe nobile ordinavit. Poſt hunc vero Domnus Vir bonus Abba, & omnem cantum anni circuli magnifice ordinavit.

Si quis, poſtquam iſta cognoverit, cuſtodire, vel celebrare, in quantum Deo iubente valuerit, neglexerit, aut ſi melius aliunde ſcire, vel accepiſſe exemplum fortaſſe iactaverit, dubium non eſt, quod ipſe ſibi fallit, & in caligine erroris ſemet ipſum infeliciter demergit, qui tantos, & tales Patres, ſcos Auctores auſus ſit deſpicere, vel derogare. Neſcio, qua fronte, vel temeritate

tate

tate præſumptuoſo ſpiritu auſi ſunt beatos Hilarium atque Martinum, ſive Germano vel Ambroſio, ſeu plures Sanctos Dei, quos ſcimus de ſca ſede Romana a beato Petro apoſtolum ſucceſſoribus ſuis directos in terra iſta occidentali, & virtutibus atque miraculis coruſcare, qui in nullo a ſca ſede Romana, vel a ſynodo trecentorum decem, & octo Patrum catholicorum Niceni (Nicæni) conventus, medium cum Spiritu ſco cohabitantem vel ceteris tribus aliis principalibus ſynodis deviarint, cum qua ſca canonica inſtructione omnia eſſe noſcuntur, ut tales ad teſtimonium adducere audeant, ut dicantur, ſicut & illi tenuerunt, vel cuſtodierunt, ſic & nos tenere, atque cuſtodire videmur; quorum vita, vel mores, & opera atque meritum longe ab iſtis, quos modo memoravimus, quantum cœlum a terra, diſtat, diſtare videatur; cum iſtos præclaros Confeſſores Xpi, quos ſuperius nominavimus, ſciamus, frequenter eos Romam ambulaſſe, & apud beatos Papatus, vel Xpianis Imperatoribus colloquium habuiſſe, vel ſi qui a ſca Romana ſede deviabant, ſæpe recorrexiſſe, apud nos manifeſtum eſt. Inquirant ergo, qui iſtos ſe fatentur habere auctores, volumina, vel geſtas eorum, ſi ſic tenent, & operantur, quomodo & illi operati ſunt, atque tenuerunt, adſentimus & nos eos cum omni devotione & veneratione. Si autem non eſt ita, oportet eos diligenter inquirere, & imitare, atque cuſtodire, ſicut & ſca Romana eccleſia cuſtodit, ut teneant & ipſi unitatem catholicæ fidei, amen; ne dum peregrinas conſuetudines inquirentes, atque ſectantes involvantur, vel excidantur a fide, ne ſuperveniat in illos illud, quod egregius prædicator prædixit: in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erunt homines ſe ipſos amantes, & omnem intellectum in captivitatem redigentes, veritatem autem non loquentes, nec adquieſcentes; & illud; erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus habentes, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur; & illud; teſtimonium perhibeo illis, quod æmulationem Dei habeant, ſed non ſecundum ſcientiam, vel traditionem, quam acceperunt a nobis; ignorantes enim Dei ſcientiam, & ſuam quærentes, ſtatuere iuſtitiæ Dei non eſſe ſubiectam iuſtitiam ſuam. Illi qui ſunt, qui ſtatuere? qui veram auctoritatem derelinquunt, & arbitrio ſuo vel voluntatem ſequuntur; quod ita Xpianis non expedit facere, ſed magis divinarum ſcripturarum cottidie ſcrutare, & ſanctorum Patrum dogmata inveſtigare, atque imitare, qui in omnibus ſemper Dno placuerunt, & hic in mundo hominibus probati paruerunt, nec e ſchiſmaticis vel contradictoriis adverſus ſcam ſedem Romanæ eccleſiæ eſſe demonſtrentur, & ne forte videantur eſſe ramuſculi, quod ſunt membra de illo ſigillo ſeptimo, id eſt ſeptima hæreſis, qui ad extremo ſurrectura eſt, adteſtante ſacra ſcriptura: quia prope eſt pro foribus, quod dicitur ante ianuis, quia iuxta beati Iohannis Apoſtoli vocem, qui ſeptem eccleſiis in apocalypſi ſcribere a Dno iuſſus eſt, & librum ſignatum vidit ſigillis ſeptem ſecundum miſterium ſeptem dona Spiritus ſancti. Econtrario ex adverſa parte ſeptem ſpiritus nequam ſunt contrarii ſeptem donis Spiritus ſancti, & ſeptem ſigillis, ſeptem hæreſes ſunt. Sex enim iam ſurrexerunt in mundo de parte orientali contra ſca Romana eccleſia, ſed opitulante gratia Xpi omnes illas hæreſes fregit ſancta ſedes beati Petri Apoſtoli, atque computavit. Adhuc ſeptima reſtat, & ſic tradunt ſeniores & ſapientes, atque Doctores ſcæ ſedis Romanæ eccleſiæ, quia de parte iſta occidentali, ſeu & aquilone ſurgere habet; & data eſt eis poteſtas tenebroſa, & perdant ſemetipſos, & alios in errore ducantur, & quos non potuerunt ſeducere per blandimenta, faciunt per fortitudinem & per tormenta, vel gladium eccleſiæ Dei quærantur trucidare, atque extingere. Sed fundamentum Dei fortiter ac fixum ſtat, quod in evangelium per ſemetipſum Dns promittere dignatus eſt dicens ad beatum Petrum Apoſtolum: *Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Fideles autem Romanæ ſedis eccleſiæ tormentis & tribulationibus adfligi, vel mori quidem poſſunt, ſed ſuperari fides atque credulitas eorum nullatenus nec frangi poteſt.

Oremus miſericordem Dnm, & inſtanter vigilemus, atque ſobrii ſimus, & non dormiamus, ſicut illi, qui ſpem non habent, ut de iſta mala omni, quæ univerſa orbe ſuperventura ſunt in proximo, ut nos eripere, & liberare dignetur, & unitatem catholicæ fidei uſque in finem habere, atque cuſtodire concedat, & per portas ſit introitus noſter in civitatem Dei, quod eſt Hieruſalem cœleſtis, ut lignum vitæ in perpetuum cum ſanctis Dei perfruere & iucundare mereamur donante Dno nro Ihu Xpo, qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat, Deus per omnia ſæcula ſæculorum amen. Finit. Deo Gratias.

Digitized by Google

Ex Codice Bibliothecæ Caſ. Vindobon. N. 277. olim 349. ſæc. XII. (1)

In Vigilia Natalis Domini leguntur lectiones tres de Hyſaia Propheta.

Prima lectio ſic continet in capite. *Primo tempore alleviata eſt terra Zabulon, & terra Neptalim.* uſque *Curvemini ſub vinculo, & cum interfectis cadetis: Super omnibus his non eſt aversus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta.* Secunda lectio ſic continet in capite: *Conſolamini, conſolamini popule meus, dicit Ds veſter.* uſque: *Quia manus Domini fecit hoc, & ſpecie eius creavit illud.* Tertia lectio ſic continet in capite: *Conſurge, conſurge, induere fortitudinem brachium Domini.* uſque: *quia quibus non erat narratum de eo viderunt, & qui non audierunt contemplati ſunt.* Poſtea leguntur omeliæ ſanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes. Huc uſque ſcribenda (2) Romani hanc noctem ita celebrant. Prima die vigiliæ Natalis Domini hora nona canunt miſſam ad ſanctam Mariam. Qua expleta canunt veſpertinalem ſinaxim; dehinc vadunt ad cibum (3). In crepuſculo noctis intrat Apoſtolicus in præfatam eccleſiam, tamen non cantant ibi introitum, ſed expletis vigiliis & matutinis ſicut in antiphonario continetur, ibidem canunt primam miſſam in nocte: qua expleta vadunt ad ſanctam Anaſtaſiam canere aliam miſſam de nocte. Dehinc pergunt ad ſanctum Petrum, ut ibi vigilias celebrent, ab eo loco ubi invenerint eos pſallere, qui ibidem excubant. Ipſi enim intrant ad vigilias ſolito tempore in proceſſu noctis, & canunt invitatorium, & proſequuntur ordinem antiphonarii. Unde etiam dupla officia in Romanorum antiphoriis hac nocte deſcribuntur. Vigiliæ quoque quæ a paſtoribus hac nocte cuſtodiebantur, in quatuor dividuntur, ſcilicet leges quatuor ſignificantes, primam naturalem, ſecundam Moſaicam, tertiam prophetarum, quartam novi teſtamenti. In qua paſtoribus, id eſt eccleſiaſticis doctoribus apparuit. Et nos cum paſtoribus vigilare debemus, ut mereamur illud ſuaviſſimum armonicum, quod hac nocte primum cantatum eſt audire: *Gloria in excelſis Deo.* Inde etiam ſanctus Telesphorus Papa pervigiles nos malens fore, miſſas celebrare fecit, ſcilicet in recordationem nativitatis Xpi, ſeu concentus angelici. Alia vero miſſa quæ ſequitur, ſignat novam lucem gaudii, qua per incarnati Verbi myſterium perfundimur, ſeu propter viſitationem paſtorum ad præſepe Domini, in quo invenerunt panem vivum, qui cottidie a fidelibus manditur.

Ordo in Vigilia Natalis ſancti Stephani.

In ipſa nocte leguntur lectiones tres de actibus Apoſtolorum. Prima lectio ſic continet in capite: *In diebus illis creſcente numero diſcipulorum.* uſque: *factum eſt magnum gaudium in illa civitate.* Poſtea leguntur omeliæ ſanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes.

Ordo

(1) Apud Hittorpium *de divinis catholicæ Eccleſiæ officiis* p. 19. inſcribitur: *Ordo Romanus antiquus de reliquis anni totius officiis ac miniſteriis*, ubi pauca ad complementum operis adduntur, in noſtro autem exemplari multa per decurſum habentur, quæ apud Hittorpium deſiderantur. Quodſi coniicere liceat hunc eſſe ordinem ſeu ordinarium *Romanum*, quem compoſitum a Bernoldo, ſeu Bertholdo presbytero *Conſtantienſi* ex monacho *San-Blaſiano* alibi ex Honorio *Auguſtodunenſi* lib. IV. de Script. eccleſ. c. 13. & Trithemio c. 338. chronico item *Hirſaug.* p. 216. commemoravimus, locum præcipue inter monumenta veteris liturgiæ *alemannicæ* meretur accommodatus ſui ævi ritibus: cuiusmodi duo adhuc exemplaria ſæc. XIV. in pergameno deſcripta ad uſum eius temporis in monaſterio *S. Blaſii* ſervantur, creduntur que ad exemplum huius Ordinarii a poſteris Bernoldi compoſita, propoſueratque P. Marquardus operi de veteri diſciplina addere. Gratis vero Cassandro in liturgicis Bertholdus commentarium in ordinem *Romanum*, qualem ſæpe ſub eius nomine citat, compoſuiſſe dicitur contra expreſſa Honorii & Trithemii verba.

(2) Hæ tres voces ad diſtinctionem ritus additæ videntur.

(3) Eſt hoc, quod Tertullianus *de ieiunio* dicit: *Stationes uſque ad veſperam producimus.* Quæ fuit olim quadrageſimalis ieiunii obſervantia, cum alia per annum ieiunia plerumque ad nonam tantum durarent. Sic cap. XLI. Reg. S. Bened. præſcribitur: *Ab Idibus Septembris uſque ad caput Quadrageſimæ ad nonam ſemper reficiant. In Quadrageſima vero uſque ad Paſcha ad veſperam reficiant.* Quæ pro oculis habens S. Bernardus ſerm. III. in Quadrageſ. *Hactenus*, inquit, *uſque ad nonam ieiunavimus, nunc uſque ad veſperam ieiunabunt nobiſcum univerſi.* Igitur ceu rem ſingularem notat ſcriptor, quod *Romæ* in vigilia Natalis Domini, qua hora nona in antiquis codicibus miſſa cani præſcribitur, poſt veſpertinalem ſynaxin demum cibum ſumerent.

Digitized by Google

Ordo in vigilia S. Iohannis Apoſtoli.

In ipſa nocte leguntur lectiones tres de apocalypſi a capite libri, uſque *quia tu creaſti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.* Poſtea leguntur omeliæ ſanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes.

Ordo in Natale ſanctorum Innocentum.

In Natale Innocentum leguntur tres lectiones de Apocalypſi, ubi dicitur: *Et vidi in dextera ſedentis ſuper thronum.* uſque: *& facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræ motus factus eſt magnus.* Poſtea leguntur ſermones ſanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes.

Ordo in octavis Domini.

In octavis Domini ſimiliter leguntur lectiones, quæ in vigilia natalis Domini, & ſi fuerint omeliæ ad ipſum diem pertinentes. Ieſus octava die circumciſus eſt. Hæc vero circumciſio nihil aliud eſt, niſi abſciſio in carne præputii, ſecundum quod a Dno in lege præceptum eſt: *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum, & infans octo dierum circumcidetur ex vobis*; ſed quia vetera tranſierunt, & ecce facta ſunt omnia nova, oportet nos circumcidi non carne ſed ſpiritu, ut deponamus veterem (hominem) cum actibus ſuis, & induamus novum, qui ſecundum Deum creatus eſt. Hæ vero octavæ ideo reverenter celebrantur, quia in hac die adventum hominum ad Xpum celebramus, & in Nativitate eiusdem adventum illius ad homines. Sed quia imperiti homines ſecundum dementiam gentilium hunc diem Kalendarum Ianuariarum a principe ſuo Iano, quem pro Deo colebant, ita vocatum, multis diabolicis ſpurcitiis ſacraverunt, ſtatuit univerſalis Eccleſia ieiunium publicum in iſto die fieri (1). Quatenus his calamitatibus auctor vitæ finem imponeret. Sed quia Domino largiente hæc a fidelibus pro nihilo habentur in eisdem Kalendis nichil aliud novi præſumendum eſt. Excepto quod octavæ Dominicæ cum eximio cultu celebrentur. Poſt octavas vero uſque in Theophaniam ſive nocte ſive die omnia de cottidianis.

Ordo in vigilia Theophaniæ.

In Vigilia Theophaniæ leguntur lectiones tres de Iſaia. Prima lectio ſic continet in capite: *Omnes ſitientes venite ad aquas.* uſque: *erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod ſignum non auferetur.* Secunda lectio ſic continet in capite: *Surge illuminare Ieruſalem.* uſque: *In tempore eius ſubito faciam illud.* Tertia lectio ſic continet in capite: *Gaudens gaudebo in Dno.* uſque: *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparaſti exſpectantibus te.* Poſtea leguntur omeliæ ſanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes. Solemnitas hæc ſacratiſſima, quæ a Græcis Apparitio ſeu oſtenſio vel manifeſtatio interpretatur. Expletis namque Xps quaſi XXX. annorum curriculis venit in Iordanem ad Iohannem ut baptizaretur ab eo: anno videlicet quinto decimo imperii Tiberii Cæſaris Valeriano & Aſiatico conſulibus. Nec non prætereundum eſt, quod ſecunda nativitas Chriſti tot illuſtrata myſteriis, honoratior eſt, quam prima. Tunc tantummodo natus eſt, & angelus paſtoribus affatus eſt, hodie vero a Magis muneribus adoratus. Hodie cum in Iordanicis aquis tingueretur Filius dilectus a Patre vocatus de cœlo, & Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ ſuper eum viſus eſt, nec non per baptiſmi ſacramentum caput draconis eſt contritum. Hodie ex aqua vinum factum eſt, eidemque cœleſti ſponſo Eccleſia coniuncta eſt. Inſuper & quinque millia hominum ab eo refecta ſunt. Et ideo manifeſtatio interpretatur, qui in his manifeſtare ſe hominibus dignatus eſt. Quod autem in hac feſtivitate nemo præſumat baptizare, ſanctus Leo papa in decretalibus prohibet ita (2): *Si quis autem Epiphaniæ feſtivitatem, quæ in ſuo*

debito

(1) Vid. T. II. Diſquiſ. diſq. IX. c. 1. ubi de celebratione huius diei cum ieiunio egimus, veluti ſervatum fuiſſe ex ſerm. inter opera S. AUGUSTINI 129. conſtat: „Appoſite ingluviei oppoſitum. Inebriantur illi, „vos ieiunate. Si hodie non poteſtis ieiunare, ſaltem „cum ſobrietate prandete.“ Vides vero hic veterem obſervantiam, ſublata cauſa, paulatim, inſtituta diei religioſa celebritate exoleviſſe.

(2) Iam ante S. LEONEM *Siricium* P. ad HIMERIUM *Tarraconenſem* temeritati imputaſſe, ut paſſim ac libere natalitiis Chriſti, ſeu apparitionis &c. plebes baptiſmi myſterium conſequantur T. II. Diſquiſ. V. c. 1. notavimus, quo nempe loco, & Diſquiſ. IX. c. 1. monumentum liturgicum *Alemanniæ* noſtræ mille circ. annorum illuſtravimus, in quo ritus baptiſmi ſolemnis in Epiphania deſcribitur. Plura etiam circa hunc uſum affert MARTENIUS de antiq. Eccl. rit. lib. I. c. 1. a. 1. in occidente maxime in *Galliis* frequentatum, ac etiam in *Hiſpania* ritu *Gotho-Hiſpano.* In Conc. *Rotomagenſi* an. 1072. cautum eſt, *Vigilia vel die Epiphaniæ ut nullus, niſi infirmitatis neceſſitate baptizetur.*

Digitized by Google

debito honore veneranda eſt, ob hoc exiſtimat habere privilegium baptiſmatis, ſciat illius baptiſmi aliam gratiam, aliam fuiſſe rationem; nec ad eam pertinuiſſe virtutem, quia per Spiritum ſanctum renaſcuntur. Dominus non indigens remiſſione peccati, nec remedio renaſcendi, ſic voluit baptizari, quomodo & circumcidi. Sed tunc regenerationis potentiam ſanxit, quando de latere illius profluxerunt ſanguis redemtionis, & aqua baptiſmatis. Unde in baptizandis electis, qui ſecundum apoſtolicam regulam & exorciſmis ſcrutandi, & ieiuniis ſanctificandi & frequentibus ſanctis prædicationibus imbuendi, duo tantum tempora; id eſt paſcha & pentecoſtes eſſe ſervanda; excepto pro mortis periculo in perſecutionis anguſtiis, & in timore naufragii. Per triduanam enim ſepulturam, imitatur trina immerſio, & ab aquis lavatio inſtar eſt reſurgentis de ſepulchro.

Item alius Ordo in Theophania.

In Theophania *Domine labia mea* non dicunt, nec invitatorium cantant, ſed ſtatim antiphonam cum pſalmo incipiant. Reliqua omnia ſicut in Capitulari habentur. Ad veſperam ſuper pſalmos de cottidianis tantum diebus antiphonam in evangelio de ipſa feſtivitate dicant. Similiter in octava Domini ad veſperam. A Theophania uſque in octavam, antiphonam *Chriſtus apparuit.* Antiphona ex evangelio, & reſponſoria de Theophania.

Ordo in Octava Theophaniæ.

In octava Theophaniæ antiphona in *Venite. Chriſtus apparuit nobis.* Ad nocturnam ſicut in Theophania. Et leguntur omeliæ & ſermones ad ipſum diem pertinentes. Ad Matutin. ſicut in Capitulari ſcriptum eſt. Ad Veſperam ſicut in Theophania. Ab octava Theophaniæ ponunt epiſtolas ſancti Pauli apoſtoli uſque in Septuageſimam, antiphon. vero & reſponſ. de cottidianis diebus.

Ordo in Purificatione ſanctæ Mariæ.

In Purificatione ſanctæ Mariæ leguntur Cantica canticorum, ſive omeliæ ad ipſum diem pertinentes. De hac feſtivitate, id eſt Ypapanti Domini, & aliis feſtivitatibus ſanctæ Mariæ in geſtis pontificalibus legitur, quod Sergius Papa præcepit letanias fieri in die Præſentationis in templo Domini. Ita enim ſcriptum eſt, ut in diebus Annuntiationis Domini, Dormitationis & Nativitatis ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & ſancti Simeonis, Ypapanti græce dicitur, cum letaniis exeant a ſancto Adriano, & ad ſanctam Mariam populus occurrat. Ipſa vero die aurora aſcendente præcedat omnis clerus & omnis populus cum letania & antiphonis ad eccleſiam ſancti Adriani exſpectantes pontificem. Ingreſſus pontifex in ſacrarium, induat ſe veſtibus nigris, & clerus ſimiliter. Deinde ex iuſſu pontificis inchoat ſchola antiphonam: *Exurge Domine* cum pſalmo *Deus auribus noſtris.* Et egredietur pontifex de ſacrario cum miniſtris annuens primo ſcholæ, ut dicant gloriam. Deinceps vadit ad altare & orat, uſque ad expletionem gloriæ. Poſt orationem oſculato altari & diacono, ſimiliter hinc inde dicit ſchola verſum: *Opus quod operatus eſt in diebus antiquis.* Antiphona expleta ſtans pontifex ante altare dic. *Dominus vobiſcum*, & *Oremus.* Et diaconus dicat *Flectamus genua*, ſi tamen infra Septuageſimam evenerit, oratio ad collectam. *Erudi &c.* Tunc exorcizetur ſal & aqua ad aſpergendos deinde cereos. Poſtea dicantur hæ ſequentes orationes in benedictionem eorum. ℣. *Pretioſa in conſpectu Domini* ℟. *Mors Sanctorum eius.* Sequitur ſacerdos & diaconus. *Sancta Maria mater Dni nri Ihu Xpi & virgo perpetua cum omnibus Sanctis intercedere digneris pro nobis peccatoribus ut mereamur ab eo adiuvari & exaudiri. Qui in Trinitate perfecta vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum.* ℟. *Amen.* Benedictio ceræ. *Benedic Domine &c.* Tunc aſpergantur cerei aqua benedicta & thure adoleantur, & illuminentur & interim canatur a clero antiph. *Hodie beata virgo Maria puerum.* Poſt hæc accipiunt omnes ſingulos cereos de manu pontificis vel editui, & dicit ſacerdos hanc orationem. *Omps ſemp. Deus qui unigenitum &c.* Oratione expleta, elevatis ſanctorum reliquiis, & vexillis clerus circuit eccleſiam, & inchoat ſchola antiph. *Ave Maria gratia plena.* Alia. *Adorna thalamum.* Ant. *Reſponſum accepit Simeon.* Et ingrediendo eccleſiam canunt antiph. *Cum inducerentur.* Qua finita dicat ſacerdos hanc orat. *Dne Ihu Xpe qui hodierna die &c.* Secundum Romanos autem cum appropinquaverint atrio ſcæ Mariæ faciendæ ſunt letaniæ. His expletis ante altare, & ingreſſo pontifice in ſacrarium inchoat ſchola ant. *Suſcepimus Deus.* Ipſa die non cantatur *Gloria in excelſis Deo.* Si infra ſeptuageſimam evenerit. Deinceps peragitur miſſa ordine ſuo.

Ordo in Cathedra ſancti Petri.

In Cathedra ſancti Petri leguntur lectiones quæ in nataliciis omnium apoſtolorum, ſive omeliæ ad ipſum diem pertinentes.

In

In Annuntiatione ſanctæ Mariæ.

In Annuntiatione ſanctæ Mariæ leguntur lectiones tres de Iſaia propheta. Prima lectio ſic continet in capite. *Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini.* uſque *Exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa.* Secunda lectio ſic continet in capite. *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz dicens. Pete tibi ſignum a Domino Deo tuo*, uſque *A diebus ſeparationis Effraim a Iuda cum rege Aſſiriorum.* Tertia lectio ſic continet in capite. *Egredietur virga de radice Ieſſe.* uſque *Ipſum gentes deprecabuntur*, & *erit ſepulchrum eius glorioſum.*

In prima veſpera Septuageſimæ.

In Sabbato Septuageſimæ ad veſperam ſuper pſalmos *alleluia* In Evangelio. *Alleluia.* Ad mat. in Septuageſima in *Venite all.* Similiter in *Beatus vir. Dne Deus meus. Salvum me fac.* In ſecunda vero nocturna ſive in tertia ſuper omnes pſalmos *all.* Reſponſoria vero ſicut in capitulari habetur. Nam prius matut. per oratoria *alleluia* cantatur. Et ponunt eptaticum uſque quintum decimum diem ante paſcha. In Septuageſima vero uſque in quadrageſimam ſicut in capitulari habetur. Septuageſima videtur dici poſſe propter LXX. dies qui ſunt ab ipſo die ad Sabbatum ante octavas paſchæ, quo die alba tolluntur veſtimenta a nuper baptizatis. Septuageſima vero ut prædictum eſt computatur ſecundum titulationem ſacramentarii & antiphonarii Novem ebdomadibus ante paſcha in VII. Sabbati populus Dei in Babylone ductus eſt captivus ſeptuaginta annis, quibus expletis reverſus eſt Hieruſalem. Ideo auctor officii noſtri ſeptuageſimam poſuit in officiis noſtris, ut hoc tempore a deliciis abſtinendo oſtenderemus in noſtra converſatione qualiter per omne tempus ſæculi vivere debeant, qui poſt baptiſmum peccatis ſe alienant a cœleſti Hieruſalem. Quapropter *alleluia* illo tempore non cantatur apud nos, ſed tractus vel luctus, nec *Gloria in excelſis Deo*, quæ ſunt cantica cœleſtia. Et in quibusdam locis dalmaticarum uſus intermittitur.

De Sexageſima.

Græci primam ebdomadam id eſt ſexageſimam ſanctificant ſuo ieiunio. Porro ſexageſima inde dici poteſt, quia ſexaginta ſunt dies ad medium paſchæ, quod eſt feria quarta paſchalis hebdomadæ.

De Quinquageſima.

Cleri noſtri, auctore Teleſphoro papa, ſequentem id eſt quinquageſimam ſanctificant: qui conſtituit ſeptem hebdomadarum ieiunium ante paſcha. Quinquageſima vero ideo dicitur quia decurrit uſque in diem ſecundum reſurrectionis dominicæ.

De Quadrageſima.

Quadrageſima etiam cum dominica ſua currit ad myſticum paſcha Hebræorum, quod Dns nr Ihs Xps cum diſcipulis ſuis celebravit, & nos dicimus cœnam Domini; quadrageſimam vero Chriſtus nobis dedicaverat ieiunio. A quadrageſima vero uſque ad paſſionem Domini ſicut in capitulari habetur; præter hoc tantum, quod primam mutant: id eſt in capite quadrageſimæ imprimis cantant *Qui habitat*, poſtea vero *Beati immaculati* uſque *legem pone mihi Domine.*

Additur hic recenſio libb. XX. de poteſtate & primatu apoſtolicæ ſedis, patriarcharum ceterorumque primatuum metropolitanorum, & ſynodo celebranda & vocatione ad ſynodum.

Ordo in Capite Ieiunii.

Feria quarta, id eſt in capite ieiunii, veniunt ad Collectam, hac die *Flectamus genua* pronunciante diacono ſuper populum cum inclinatione capitis. Imprimis præmonere debet ſacerdos omnes Chriſtianos ex ſacris ſcripturarum teſtimoniis, quatinus in capite ieiunii ad veram confeſſionem, veramque pœnitentiam feſtinantius accedant. Denique admonendi ſunt, ut in Cœna Domini redeant ad reconciliationem. Si vero intereſt cauſa aut itineris, aut cuiuslibet occupationis; aut ita forte hebes eſt, ut ei hoc ſacerdos perſuadere nequeat, iniungat ei tam quadrageſimalem, quamque annualem pœnitentiam, & reconciliet eum ſtatim. Sicut autem ſtatim ſacrificium offerre non debent, niſi epiſcopi vel presbyteri, quibus claves regni cœleſtis traditæ ſunt, ſic nec iudicia iſta alius uſurpare debet. Si autem neceſſitas evenerit, & presbyter non fuerit præſens, diaconus pœnitentiam ſuſcipiat (1), ac det ſanctam communionem. Denique cum ſacerdos ſuſceperit pœnitentem, ſi laicus eſt dimiſſo baculo; quisquis vero ille eſt ſive laicus, ſive clericus, ſive monachus, ſuppliciter inclinet ſe ante ſacerdotem. ſequitur Oratio. *Domine Deus omnipotens, propitius eſto mihi peccatori & praſta, ut condigne poſſimus tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam miſericordiam miniſtrum feciſti ſacerdotalis officii, & me exiguum, humilemque mediatorem conſtituiſti ad adorandum & intercedendum Dum nrm Ihm Xpm pro peccantibus,* &

(1) Vid. T. II. Diſquiſ. V. c. 2. de miniſtro pœnit. p. 463.

& ad pœnitentiam revertentibus. Ideoque dominator Domine, qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: qui non vis mortem peccatorum, ſed ut convertantur & vivant; ſuſcipe orationem meam, quam fundo ante conſpectum clementiæ tuæ pro famulis & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam & miſericordiam tuam confugierunt. Per. Deinde iubeat eum ſacerdos ſedere contra ſe, & colloqui cum eo de ſupradictis viciis ſive exhortationibus, ne forte præ verecundia aut ignavia, ſive oblivione aliquid putridum in corde remaneat, per quod iterum diabolus eum ad vomitum peccati reducat. Conſideret etiam ſexum, ætatem, conditionem, ſtatum, perſonam, & ſecundum hoc, ut ſibi viſum fuerit, ſingula quæque diiudicet, & aliquos a cibo abſtinendo, alios eleemoſynas dando, nonnullos ſæpius genua flectendo, ſive in cruce ſtando, aut aliquid aliud huiusmodi, quod ad animæ ſalutem pertinet. In omnibus vero diſcretio ſit unicuique horum, hoc eſt inter divitem & pauperem, liberum & ſervum, inter infantem & puerum, iuvenem & adoleſcentem, ætate ſenem, hebetem & ſtultum, ſcientem & ignarum, laicum & clericum, monachum & epiſcopum, presbyterum & diaconem, ſubdiaconem & lectorem; in gradu, in coniugio, vel ſine coniugio; inter virginem & feminam, inter canonicam & ſanctimonialem, inter debilem & infirmum, inter ſanos & ægros. De qualitate etiam peccatorum & hominum, inter continentem & incontinentem, utrum voluntate vel caſu in abſcondito quaſi compunctione emendet neceſſitate vel voluptate: loca & tempora diſcernat. Attendat etiam ſacerdos, ut ſalvi ſint omnes, & non puſillanimes, quia potentes potenter tormenta patientur. Poſt iſta omnia ſcrutata, & pœnitentem corroboratum, interroget eum ſacerdos ita dicens: *Credis in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum?* ℟. Credo. *Credis quia iſtæ tres perſonæ Pater & Filius, & Spiritus ſanctus unus Deus ſit?* ℟. Credo. *Credis quia in ipſa carne, in qua modo es reſurgere habes, & recipere ſive bonum ſive malum prout geſſeris?* Credo. *Vis dimittere illis, qui in te peccaverunt, omnia, ut & tibi Deus dimittat peccata tua, ipſo dicente, ſi non dimiſeritis hominibus peccata eorum, nec Pater veſter cœleſtis dimittet vobis peccata veſtra.* Si vult dimittere, ſuſcipias eius confeſſionem, & indices ei pœnitentiam; ſi non vult, non ſuſcipias eius confeſſionem. Volens vero dimittere omnia his, qui in ſe peccaverint, confiteatur omnia peccata ſua, quæ recordari poteſt in hæc verba.

Confeſſio pœnitentis.

Confiteor tibi Domine Pater cœli & terræ, tibique bone & benigniſſime Ieſu unacum Spiritu ſancto coram angelis tuis, & coram Sanctis tuis, coram hoc altare & ſacerdote, quia in peccatis conceptus & in peccatis natus, & in peccatis nutritus, & in peccatis poſt baptiſmum uſque ad hanc oram ſum converſatus. Confiteor etiam, quia peccavi nimis in ſuperbia, inani gloria, in extollentia oculorum, quam veſtium, & omnium actuum meorum. In invidia, in odio, in avaritia, tam honoris, quam pecuniæ: in ira, in triſticia, in acedia, in ventris ingluvie, in luxuria ſodomitica, in ſacrilegiis, in periuriis, in adulteriis, in furtis, in rapinis, in omni genere fornicationis, in immundiſſimis, turpiſſimis, in ebrietatibus, in commeſſationibus, in fabulis otioſis, in luxuriis, in oſculis, & amplexibus immundis, in femoribus & genitalibus meis, in homicidiis animo optatis. In fide, ſpe & caritate: in accipiendo corpore & ſanguine Domini ſemper indigne. In exhortationibus, & adulationibus malignis, in ignorantia, in negligentia, in ſurreptionibus, in dandis & accipiendis muneribus, in uſuris faciendis in prælationibus, in diſſipandis male rebus eccleſiaſticis, in ſubtrahendis eleemoſynis, in pauperibus exaſperandis, in hoſpitalitatibus & receptionibus pauperum, in deſpectione propinquorum, in oppreſſione pauperum, in afflictione familiæ mihi commiſſæ. Non viſitando infirmos ſecundum evangelicum præceptum, & in carcere poſitos, non ſepeliendo mortuos, non veſtiendo pauperes, non recreando eſurientes, non potando ſitientes. Solemnitatibus ſanctorum & dominicis ac feſtis diebus debitum honorem & celebrationem non impendendo, nec ſobrie ac caſte in his vivendo, conſentiendo ſeniori in malo, non adiuvando apud illum ſolatiando, indigentibus nocendo potius quam adiuvando petentibus ſenioribus & magiſtris ac principibus detrahendo & blaſphemando, amicis & benefactoribus meis fidem & debita obſequia non rependendo. Animalium & pecudum concubitus conſcientia immunda intuendo. In eccleſiam Dei ſuperbe intrando, ſtando, ſedendo, iacendo, & egrediendo, ac otioſis fabulis, & ſceleratis actionis turpibusque colloquiis in ea cum aliis inſiſtendo, vaſa ſancta & miniſterium ſanctum polluto corde & manibus immundis tangendo, orationem & pſalmodiam atque officium divinum negligenter in eccleſia Dei faciendo. In cogitationibus peſſimis, in meditationibus perverſis, in ſuſpicionibus falſis, in iudiciis temerari-

bus,

Digitized by Google

bus, in conſenſu malo, & conſilio iniquo, in concupiſcentia & delectatione immunda, in verbis otioſis, ſuperfluis, luxurioſis, atque contumelioſis, in mentaciis, in falſitatibus, in iuramentis multimodis & diverſis, in detractionibus aſſiduis, in rixis ac diſcordiis ſeminandis, in irriſionibus in otioſitate, in contentione, in doloſitate, in malignitate, in ſuſurratione, inani lætitia, in omni malo, in murmurationibus & blaſphemiis, in ſcurrilitate, in cachinnis, in ſomnolentiis, in maledictis, in conviciis, in turpiloquiis, inſultationibus, in diſſimulatione, in vigiliis Deo contrariis, in concupiſcentiis carnalibus, in cogitationibus luxurioſis, in delectationibus immundis. In conſenſu diaboli, & tranſgreſſione præceptorum Dei, in negligentia propoſiti mei, in dilectione Dei & proximi. In viſu auditu; guſtu, odoratu & tactu luxurioſo, & immundo & omnimodis cogitatione locutione, voluntate & actione perditus ſum. Quomodo in his & in aliis omnibus vitiis, quibuscunque humana fragilitas contra Deum & creatorem ſuum, aut cogitando, aut loquendo, aut operando, aut delectando, aut concupiſcendo peccare poteſt, me peccaſſe. & reum in conſpectu Dei ſuper omnes homines eſſe cognoſco & confiteor; ideo ſupplico vos omnes ſancti angeli Dei, & omnes ſancti, & te venerande ſacerdos in quorum conſpectu hæc omnia confeſſus ſum, ut teſtes mihi ſitis in die iudicii contra diabolum hoſtem & inimicum humani generis hæc omnia me confeſſum fuiſſe. Obnixe etiam te ſacerdos Dei expoſco, ut intercedas pro me & pro peccatis meis ad Dominum Deum noſtrum, quatenus de his & de aliis omnibus ſceleribus meis veniam & indulgentiam per merita & interceſſionem omnium aſſequi merear. Reſponſio ſacerdotis. *Miſereatur tui omnipotens Deus.* Amen. *Et dimittat tibi peccata tua.* Amen. *Liberet te ab omni malo.* Amen. *Conſervet te in omni opere bono.* Amen. *Et perducat nos pariter ad vitam æternam.* Amen. *Ab omni malo cuſtodiat nos Dominus.* Amen.

Præcavendum eſt tamen ſacerdoti de ſupraſcriptis vitiis, ut ei exhortationis gratia ad memoriam reducat, ne quid adverſante diabolo occultum remaneat. Quo facto fixis genibus in terra, & ſuper ipſa innexis ſtans ſuppliciter tenſis manibus, blando ac flebili vultu reſpiciens ſacerdotem dicat his verbis: *Multa quidem & innumerabilia ſunt alia peccata mea, quæ recordari nequeo in factis in dictis in cogitationibus pro quibus omnibus miſera mens mea compungitur, & acri interdum pœnitentia cruciatur. Ideoque conſilium immo iudicium tuum qui ſequeſter ac medius inter Deum & peccatorem ordinatus es hominem ſupplex deprecor, &, ut pro eiſdem peccatis meis interceſſor exiſtas, humiliter imploro. Per.*

Quo prædicto totum in terram proſternat, & gemitus atque ſuſpiria vel lacrimas prout Deus dederit ab intimo corde producat. Sacerdos vero patiatur eum aliquantiſper iacere proſtratum, iuxta quod viderit eum divina inſpiratione compunctum. Dein iubeat eum ſacerdos ſurgere, & cum ſteterit ſuper pedes ſuos cum tremore & humilitate preſtoletur iudicium ſacerdotis, & indicet ei ſacerdos abſtinentiam ſive obſervantiam perpendens ſubtiliter perſonæ qualitatem, modum culpæ, intentionem animi, & corporis valitudinem vel imbecillitatem. Percepta autem ſententia ſacerdotis iterum proſternat ſe pœnitens pedibus illius petens pro ſe orationem fieri, ut ſuggerat ei divina viſitatio virtutem conſtanter obſervandi, quæ illi iniuncta ſunt, & ita reverenter ſacerdotis iudicio obtemperare, ac ſi ab ipſius divinæ maieſtatis ore oportuna ſalutis ſuæ medicamenta ſuſceperit. Sed & hoc ſciendum eſt, ut cum venerint ſervi vel ancillæ ad pœnitentiam, non eos cogatis ieiunare tantum quantum divites, quia non ſunt in ſua poteſtate, ideoque medietatem pœnitentiæ eis imponite. Tunc imponat ſacerdos VII. pſalmos pœnitentiæ *Dne ne in furore. Beati quorum. Dne ne in furore. Miſerere mei. Dne exaudi. De profundis. Dne exaudi or.* Poſtea dicit dominicam orationem & preces.

Domine convertere & eripe animam meam.	*Salvum me fac.*
Reſpice & exaudi me Domine Deus.	*Domine Deus meus.*
Illumina oculos meos.	*Ne quando dicat ini.*
Ab occultis meis munda me.	*Et ab alienis parce.*
Delicta iuventutis meæ	*Et ignorantias meas.*
Propter nomen tuum D. propit.	*Multum eſt enim.*
Delictum meum cognitum tibi feci.	*Et iniuſtitias meas non.*
Dne ante te omne deſiderium meum.	*Et gemitus meus a te n. e.*
Exaudi orationem meam Domine.	*Auribus percipe lacrimas.*
Complaceat tibi Domine ut eruas me.	*Domine ad adiuvandum.*
Domine miſerere mei.	*Sana animam meam quia.*

Miſe-

Digitized by Google

Miſerere mei Deus, miſerere mei,	*Quoniam in te confidit anima mea.*
Dne averte faciem tuam a peccatis meis.	*Et omnes iniquitates m.*
Ne memimeris iniquitatum.	*Cito anticipent nos.*
Adiuva nos Deus ſalutaris noſter.	*Et propter gloriam nominis tui.*
Ne tradas beſtiis animas confitentes tibi	*Animas pauperum tuor.*
Deus tu ſcis inſipientiam meam,	*Et delicta mea a te.*
In multitudine miſericordiæ tuæ	*Exaudi me in veritate ſal.*
Ne avertas faciem tuam a puero t.	*Velociter exaudi me.*
Intende animæ meæ & libera.	*Propter inimicos meos er.*
Domine vide humilitatem meam,	*Et dimitte omnia peccata mea.*
Ne perdas cum impiis animam meam	*Et cum viris ſanguinum.*
Redime me & miſerere mei.	*Pes enim meus ſtetit in via.*
Clamavi ad te Domine,	*Dixi tu es ſpes mea.*
Intende ad deprecationem meam,	*Quia humiliatus ſum nimis.*
Libera me a perſequentibus	*Quia confortati ſunt ſuper me.*
Educ de tribulatione animam meam.	*Et miſericordia tua diſperdet in.*
Domine exaudi orationem meam.	*Et clamor meus ad te ven.*

Orat. *Exaudi Dne preces noſtras, & confitentium tibi parce peccatis, ut quos conſcientiæ reatus accuſat, indulgentia tuæ miſerationis abſolvat. P.*

Alia. *Da quæſumus Domine huic famulo tuo, continuam purgationis ſuæ obſervantiam pœnitendo gerere, & ut hoc efficaciter implere valeat, gratia tuæ viſitationis & præveniat & ſequatur. P.*

Alia. *Præveniat hunc famulum tuum quæſumus Domine miſericordia tua, & omnes iniquitates eius celeri indulgentia deleantur. Per.*

Alia. *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, nec ſit ob hoc famulo tuo N. clementiæ tuæ longinqua miſeratio. Sana vulnera, eiusque remitte peccata, ut nullis iniquitatibus a te ſeparatus tibi Domino ſemper valeat adhærere. P.*

Alia. *Domine Deus noſter, qui peccatis noſtris offenderis, ſatisfactione placaris, reſpice quæſumus hunc famulum tuum N. qui ſe tibi peccaſſe graviter confitetur: tuum eſt enim ablutionem criminum dare & veniam præſtare peccantibus, qui dixiſti, pœnitentiam te malle, quam mòrtem. Concede ergo Domine hoc, ut famulus tuus N. pœnitentiæ tibi excubias celebret, & correctis actibus ſuis, conferri ſibi a te ſemper gaudia gratuletur. P.*

Alia. *Exaudi quæſumus omnipotens Deus preces noſtras, quas in conſpectu pietatis tuæ effundere præſumimus, ſuppliciter deprecantes, ut famulum tuum N. in tua miſericordia confidentem benedicas, & omnia ei peccata dimittas, tuaque eum protectione conſerves, ut poſſit tibi dignus fieri, & ad æternam beatitudinem valeat pervenire. P.*

Alia. *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris, & huius famuli tui N. confeſſionem benignus aſſume, ut qui auxilium gratiæ tuæ implorat, & ſanctificationis gratiam percipiat, & quæ pie precatur, obtineat. Per.*

Alia. *Proteſtor Domine clementiæ & miſericordiæ tuæ maieſtatem, ut famulo tuo peccata confitenti debita relaxare, & veniam præſtare digneris, & ei præteritorum criminum culpas indulgeas, qui humeris tuis ovem perditam reduxiſti, quique publicani preces confeſſione placatus, exaudiſti, tu etiam huic famulo tuo N. tu huius precibus benignus aſpira, ut in confeſſione placabili permaneat. Fletus eius & petitio perpetuam clementiam tuam celeriter exoret, ſanctisque altaribus & ſacrariis reſtitutus; ſpei rurſum æternæ a cœleſti gloria mancipetur. Per.*

Quibus dictis iubeat ſacerdos pœnitentem ſurgere de terra; ſed & ipſe ſurgat de ſedili ſuo, & ſi loco vel tempori congruit, eccleſiam ingreſſi, & ſuper genua vel cubitos uterque innixus dicant pſalmos iſtos: *Dne ne in furore tuo.* Pſ. *Benedic anima mea.* I. uſque *renovabitur.* Pſ. *Miſerere mei Deus.* uſque *Dele iniquitatem.* Pſ. *Deus in nomine tuo.* Pſ. *Quid gloriaris.* Pſ. *Kyrie el. & Pater noſter. Salvum fac ſervum tuum. Deus meus ſperantem. Illuſtra faciem tuam ſuper ſervum tuum. Salvum eum fac in miſericordia. Mitte ei Domine auxilium. Et de.* Orat. *Deus cuius indulgentia cuncti indigent, memento famuli tui N. qui lubrica terreni corporis eſt fragilitate nudatus: da quæſumus Domine veniam confitenti, parce ſupplici, ut qui ſuis meritis accuſatur, tua miſeratione ſalvetur. Per.*

Miſſa pro Confeſſione.

De neceſſitatibus meis eripe me. Orat. *Omnipotens ſempiterne Deus confitenti tibi huic famu-*

lo

lo tuo N. pro tua pietate peccata relaxa, ut non plus ei noceat conſcientia reatus ad pœnam, quam indulgentia tuæ pietatis proſit ad veniam. Per. Lect. *Lavamini, mundi.* Gr. *Salvum fac ſervum.* Tr. *Domine non ſecundum.* Evang. *Duo homines aſcend.* Off. *Miſerere mihi Domine.* Secreta. *Præſta quæſumus omnipotens & miſericors Deus, ut hæc ſalutaris oblatio famulum tuum N. & a propriis reatibus indeſinenter expediat, & ab omnibus tueatur adverſis. Per.* Comm. *Deus propitius eſto mihi.* Comm. *Omps & miſericors Deus, qui omnem animam pœnitentem magis vis emendare, quam perdere, reſpice propitius ſuper famulum tuum N. & per hæc ſacramenta quæ ſumpſimus averte ab eo iram indignationis tuæ & dimitte ei omnia peccata ſua. Per.* Hic mittendus eſt cinis ſuper caput pœnitentis & dicat. *Memento homo quia pulvis es & in pulverem reverteris.* Statimque imponendum cilicium & dicendum. *Contere cor tuum, & humilia animam tuam in cinere & cilicio, cor enim contritum & humiliatum Deus non deſpicit.* Sequitur. *Adſit quæſumus Domine huic famulo tuo inſpiratio gratiæ ſalutaris, quæ cor eius fletuum ubertate reſolvat, ſicque macerando conficiat, ut iracundiæ tuæ motus idonea ſatisfactione compeſcat. Per.* Poſt hanc eiiciendus eſt ab eccleſia & tali modo increpandus. (1) *Ecce eiiceris hodie a ſinu matris tuæ ſanctæ Eccleſiæ propter peccatum tuum, ſicut Adam primus homo eiectus eſt a paradiſo propter transgreſſionem ſuam.* Sequitur ℟. *In ſudore vultus tui.* ℣. *Pro eo quod obediſti.*

Eodem die fit collecta ad ſanctam Anaſtaſiam, & imprimis agitur benedictio cineris, (2) deinde aliud

(1) Ritus eiiciendi pœnitentes ab eccleſia hoc die in moderno pontificali *Rom.* præſcribitur, notatque MARTENIUS eundem adhuc in quibusdam *Gallicanis* (utinam etiam in aliis) eccleſiis perſeverare, velut in *Cenomanenſi* & *Rotomagenſi*, in eccleſia autem *Auguſtodunenſi* ultimum Canonicorum repræſentantem pœnitentem perſonam de eccleſia eiici. Neque vero dicendum eſt contrarium hunc morem eſſe ei, qui conformiter cum *Gelaſiano* ſacramentario in noſtro antiquiſſimo ſacramentario notatur: „Suſcipis eum quarta feria mane in capite Quadrageſimæ, & cooperis eum cilicio, oras pro eo, & includis uſque ad Cœnam Domini.„ Quippe eiecti ex eccleſia quodam includebantur loco, ac *Romæ* quidem in ſecretario, ut conſtat ex epiſtola GREGORII II. P. ad LEONEM *Iſauricum*: Ubi (inquit) peccaverit quis, & confeſſus fuerit, ſuſpendii, & amputationis loco, evangelium & crucem eius cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcerem in ſecretaria, ſacrorumque vaſorum æraria coniiciunt, in eccleſiæ diaconia, & in catechuma ablegant, ac viſceribus eorum ieiunium, oculisque vigilias, & laudationem ori eius indicunt, tum pretioſum illi Domini corpus impartiunt, & ſancto illum ſanguine potant, & cum illum vas electionis reſtituerint, ac immunem peccati, ſic ad Dominum purum inſontemque transmittunt.“ In Concilio *Salegunſtad.* an. 1022. nec locus nec anni tempus determinatur, licet carina cuius meminit canon pœnitentiam quadraginta dierum in pane & aqua deſignet, ut oſtendit *Io.* FILESAC. in Syntagmate pœnit. c. 5. ſic vero habet canon ille decimus nonus: „Omnis pœnitens, dum carinam ſuam ieiunat, de loco in locum non migret; ſed ibi permaneat, ubi ſuam acceperit pœnitentiam, ut proprius ſacerdos ſibi præbeat teſtimonium: ſi autem ibi propter hoſtiles inſidias ieiunare non poterit, ſuus ſacerdos eum confratrum ſuorum alicui, ubi pacifice poſſit ieiunare, diligenter commendet.“ Reſtitutionem diſciplinæ publicæ pœnitentiæ paſſim concilia inculcant poſt *Tridentinum* ſeſſ. XXIV. de Reformat. c. 8. ex quibus *Auguſtana Alemanniæ* noſtræ Synodus an. 1548. cap. 19. ſic ſtatuit: „Item quicunque omnipotentem Deum aut ſacratiſſimam Dei genitricem vel alios Sanctos palam blaſphemant, aut eis maledicunt, vel per eorum nomina, vel membra indigne, ac impie iurant, & imprecantur, ſeu maledicunt, ab eccleſiæ ingreſſu, & ſacra communione excludendi ſunt, donec publicam egerint pœnitentiam.“

(2) Vides hic communem iam, qui hodie in eccleſia obtinet in capite ieiunii ritum, qui ex veteri illo remanſit paulo ante notato imponendi pœnitentiam ordine, qui luculenter admodum deſcribitur a GRATIANO, REGINONE, BURCHARDO, ceu ex Concilio *Agathenſi* in hanc ſententiam: „In capite Quadrageſimæ omnes pœnitentes, qui publicam ſuſcipiunt, aut ſuſceperunt pœnitentiam ante fores eccleſiæ ſe repræſentent epiſcopo civitatis, ſacco induti, nudis pedibus, vultibus in terram proſtratis reos ſe eſſe vultu & habitu proclamantes. Ibi adeſſe debent decani, id eſt archipresbyteri parochiarum, id eſt, presbyteri pœnitentum, qui eorum converſationem diligenter inſpicere debent, & ſecundum modum culpæ pœnitentiam per præfixos gradus iniungant. Poſt hæc in eccleſiam eos introducat, & cum omni clero

Digitized by Google

aliud officium præſenti die congruum. *Omnipotens ſempiterne Deus parce* &c. Alia. *Deus qui non mortem* &c. ut in miſſali Romano. Exorciſmus cineris. *Exorcizo te cinis in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Ieſu Chriſti Filii Dei vivi, & Spiritus ſancti, qui te per ignem & favillam converti præcepit, ut ſicut inſpione Dei per ſanctum famulum eius Moyſen cinis vitulæ in populo aſperſus, omnem congregationem filiorum Iſrael ſanctificavit, ita & tu exorcizatus in nomine ſanctæ Trinitatis nos a peccatorum ſordibus emundes. Per eum qui venturus eſt iudicare vivos.* Alia. *Deus qui humiliatione &c. Omps & miſericors Deus qui Ninivitis &c.* Sequitur ant. *Exaudi nos Domine.* Pſ. *Salvum fac. Oremus flectamus genua. Levate* Oratio. *Concede nobis &c.* Ant. *Immutemur habit.* Hic mittat ſacerdos cinerem ſuper capita ſingulorum dicens. *Memento &c.* Ant. *Iuxta veſtibulum.* ℟. *Emendemus.* ℟. *Paradiſi port.* His finitis ſequuntur letaniæ.

Denunciatio menſis I. *Annua nobis eſt dilectiſſimi ieiuniorum celebranda feſtivitas, quam menſis illius ſolemnis curſus indicat. Quarta igitur & ſexta feria ſuccedente ſolitis eandem conventibus exſequamur, ſabbatorum die ſacras acturi vigilias; ut per obſervantiam competentem Domino purificatis mentibus ſupplicantes, beatiſſimo Petro apoſtolo ſuffragante a præſentibus periculis exui mereamur pariter & futuris. Per.* Alia. *Hac hebdomada nobis menſis illius recenſenda ſunt ieiunia. Quapropter fidem veſtræ dilectionis hortamur, ut eadem quarta & ſexta feria ſolitis proceſſionibus exſequentes, ſabbatorum diem vigiliis ſolemnibus expleamus, quatinus apoſtolicis ſuffragantibus meritis propitiationem Dei noſtri perſeverantia debitæ ſervitutis obtineat.* Item denunciatio ieiuniorum menſis primi. *In anniverſarii fratres Kmi ieiunii puritate qua & corporis acquiritur & animæ ſanctitas nos commonet illius menſis inſtaurata devotio. Quarta igitur & ſexta feria ſolito convenientes occurſu, offeramus Deo ſpirituale ieiunium; die vero ſabbati apud beatum Petrum, cuius nos interceſſionibus credimus adiuvandos ſanctas vigilias chriſtiana pietate celebremus: ut per hanc inſtitutionem ſalutiferam peccatorum ſordes, quas corporis fragilitate contraximus, ieiuniis & eleemoſynis abluamus, auxiliante Dno nro Ihu Xpo. qui cum Patre.* Alia. *Illius menſis ieiunia in hac hebdomada nobis ſunt tenenda. Ideoque oramus ſanctam fidem veſtram, ut quarti, ſexti, ſeptimi vel decimi ferias ieiunemus, quatinus divinis inhærendo mandatis propitiationem Dei noſtri perſeverantia ſervitutis debita obtineat.*

In primo menſe quarta & ſexta feria vel ſabbato in prima hebdomada ipſius menſis ieiunium celebratur. In ſabbato hora tertia vel quali voluerint, primo ingreditur pontifex ſeu ſacerdotes ſeu levitæ in ſacrarium, & induunt ſe veſtimentis religioſis, cum quibus debent celebrare miſſarum ſolemnia canente, interim clero antiphonam ad Introitum ad ipſum diem pertinentem. Ipſa finita dicunt *Kyrie el.* Dein pontifex dicit *Oremus*, diaconus *Flectamus genua.* Et ut ſurrexerint dicit *Levate.* Proſequitur ſacerdos orationem primam ſicut in ſacramentario continetur. Sequitur lectio, & tunc pronuntiat lector *Lectio libri* & legit. Deinde reſponſorium. Inde dicit ſacerdos *Oremus.* diaconus ut ſupra. Et dicit orationem ſacerdos poſt primam lectionem, & ſuper unamquamque lectionem ſicut ſuperius. Expleta autem lectione, quæ eſt Danielis prophetæ, canunt benedictionem (1). Cum autem benedictio

„ ſeptem pœnitentiæ pſalmos in terram proſtratus cum „ lacrymis pro eorum abſolutione decantet. Tunc re„ ſurgens ab oratione, iuxta quod canones iubent, „ manus eis imponat, aquam benedictam ſuper eos „ ſpargat, cinerem prius mittat, deinde cilicio capi„ ta eorum cooperiat, & cum gemitu & crebris ſu„ ſpiriis eis denunciet, quod ſicut Adam proiectus eſt „ de paradiſo, ita & ipſi ab eccleſia abiiciantur. Poſt„ hæc iubeat miniſtris, ut extra ianuas eccleſiæ ex„ pellant. Clerus vero proſequatur eos cum reſpon„ ſorio *In ſudore vultus tui veſceris pane &c.* ut vi„ dentes ſanctam eccleſiam pro facinoribus ſuis tre„ mefactam atque commotam non parvipendant pœni„ tentiam.“ Utinam eo pœnitentiæ ſenſu ſuſcipiamus cineres, quem nobis eius ritus origo inſtillat, quæ nempe TERTULLIANO lib. de Pœnit. c. 9. *proſternendi & humiliandi hominis diſciplina eſt, converſationem iniungens miſericordiæ illicem. De ipſo quoque habitu, atque victu mandat, ſacco & cineri incubare, corpus ſordibus obſcurare.* Quam quidem itentidem repetit atque etiam exaſperat pœnitentiæ formam in libro de Pudicitia cap. 5. ad publicam iam tunc eccleſiæ diſciplinam reſpiciens: *De pœnitentiæ officio ſedent, in ſacco, & cinere inhorreſcunt, eodem fletu ingemiſcunt eiſdem precibus ambiunt, eiſdem genibus exorant, eandem invocant matrem.* Sic S. AMBROSIUS virginem lapſam ad pœnitentiam inſtruit, *ut totum corpus incuria maceretur, cinere aſperſum, & opertum cilicio perhorreſcat.*

(1) Id eſt canticum trium puerorum *Benedicius &c.*

Digitized by Google

nedictio peragitur, benedicto incenſo, diaconus imponit evangelium. Poſtea miſſa celebratur ordine ſuo.

Oratio poſt communionem non habetur ſuper populum in menſe primo; quia illud officium frequenter circa noctem dominicam ſolet finiri (1), in qua minime genuflectitur.

Incipit Ordo vel Denunciatio Scrutinii ad electos, quod tercia hebdomada in quadrageſima ſecunda feria iniciatur.

Scrutinii diem, dilectiſſimi fratres, quo electi noſtri divinitus inſtruantur imminere cognoſcite. Ibi denique ſolita devotione ſuccedente, ſequente quarta feria circa horam terciam convenire dignemini, ut cæleſte myſterium, quo diabolus cum ſua pompa deſtruitur, & ianua cæleſtis regni aperitur, inculpabili, Domino iuvante, miniſterio peragere valeamus. In quarta ebdomada quadrageſimæ, & in quarta feria hora tertia varietas eſt per adiectionem unius lectionis, & unius reſponſorii. Prima enim lectio Ezechielis prophetæ ita inchoat: *Hæc dicit Dominus Deus, ſanctificabo nomen meum magnum.* Gr. *Venite filii.* ℣. *Accedite. Hæc dicit Dominus Deus. Lavamini mundi eſtote.* Gr. *Beata gens.* ℣. *Verbo Domini.* Ut autem infantes ad eccleſiam venerint, ſicut diximus quarta feria hora tertia ſcribantur nomina infantum, vel eorum, qui ipſos ſuſcepturi ſunt, & vocentur ab accolito in eccleſiam per nomina vel ordinem ſicut ſcripti ſunt, ita dicendo: *Ille puer.* Et ſic per ſingulos ſtatuantur maſculi ſeorſum ad dextram partem. *Illa virgo*, & ſic per ſingulos ſtatuantur feminæ ſeorſum ad ſiniſtram partem. Memorata quarta feria apud cultores Eccleſiæ in apertione aurium, dicitur. Eadem die agitur ſcrutinium tercium, quod maximum eſt inter ſeptem ſcrutinia. Eadem die tanguntur aures & nares catecumenorum.

Incipit Ordo a dominica mediana uſque in octavis paſchæ, de officiis divinis diebus ac noctibus breviter digeſtus.

Dominica quinta de paſſione Domini ponunt Hieremiam prophetam uſque in Cœnam Domini. Igitur a dominica, quam ſedes apoſtolica medianam voluit nuncupari, uſum obſervantiæ credimus intimandum. Unde & ea ipſa die dicuntur numerum oſtendunt, ut eſt illud: *Quarta decima die ad veſperum.* Et paulo poſt: *In quinta decima ſolemnitatem celebrabitis.* A quo die uſque in vigiliam ſanctæ Dominicæ reſurrectionis in nullo reſponſorio decantatur *Gloria*, nec in *Venite.* A Cœna vero Domini, nec in pſalmis, nec in ullo loco decantatur *Gloria* uſque in Paſcha.

Ordo diei Sabbati ante Palmas.

Sabbatum ante Palmas ita prætitulatur in ſacramentario: *Sabbato vacat, domnus Papa eleemoſynam dat.* Et quia de hac feria officium non habetur, de eiſdem feriis repetitur, id eſt de quarta feria. Antiphona *Liberator meus.* Lectio Zachariæ prophetæ: *Hæc dicit Dominus. Exulta ſatis... Et ſalvabit eos Dominus Deus eorum.* Secundum Lucam: *In illo tempore. Cum appropinquaſſet... Pax in in cælo, & Gloria in excelſis.*

Ordo in Die Palmarum.

Dominica indulgentiæ, quæ diverſis vocabulis diſtinguitur, id eſt dies palmarum ſive florum, atque ramorum; Oſanna, Paſcha petitum, ſive competentium, & capitolavium

Statio ad S. Iohannem.

Hora ſecunda convenientes omnes in eccleſiam ſancti Iohannis ad Lateranos primitus canunt Tertiam, qua finita faciunt letaniam, & expoſitis in medio palmarum vel olivæ, ſeu aliarum arborum ramis, primum benedicit ſacerdos ſalem & aquam,

---

(1) Cauſam huius officii ſabbati circa noctem dominicam ex S. LEONE M. indicavimus T. II. Diſquiſ. X. c. 6. p. 989. iuxta inſcriptionem can. 8. Conc. *Rotomag.* an. 1072. *Ut ordines ſacri poſt diem ſabbati vel die dominica mane ieiunis a ieiunantibus conferantur.* Operæ pretium eſt integrum hic canonem (T. IX. Conc. Ed. *Labb.* p. 1227.) recenſere, unde palam fit ſæculo XI. adhuc iam vergente obſervantiam illam exactam fuiſſe in *Gallia*: „Hoc etiam ſtatutum eſt, ne in dan„dis ſacris ordinibus apoſtolicæ auctoritatis violatores „inveniamur. Legitur enim in decretis LEONIS Papæ, „quod non paſſim diebus omnibus ſacri ordines cele„brentur; ſed poſt diem ſabbati, in eius noctis ex„ordio, quæ in prima ſabbati luceſcit, his qui con„ſecrandi ſunt, ieiunis a ieiunantibus ſacra benedictio „conferatur. Quod eiusdem obſervantiæ erit, ſi mane „ipſo dominico die, continuato ſabbati ieiunio, ce„lebretur. A quo tempore præcedentis noctis initium „non recedit, quo diem reſurrectionis, ſicut etiam in „paſcha Domini declaratur, pertinere non dubium eſt.“ Palam hinc eſt, qua præparatione dandos viciſſim & accipiendos ſacros ordines exiſtimarint veteres, ut etiam trium dierum ieiunium quatuor anni temporibus fidelibus indixerint, quo & ipſi propitium numen reddere ſatagerent, ad idoneos dignosque impetrandos altaris ſuæque ſalutis miniſtros.

Digitized by Google

aquam, benedicendo commiſcet. Deinde antiph. *Oſanna filio David.* Sacerdos dicit *Oremus.* Sequitur oratio *Deus quem diligere &c. Lectio libri Exodi. In diebus illis. venerunt filii Iſrael &c.* Tunc aſcendentes in pulpitum duo ex paraphoniſtis imponant antiphonam *Collegerunt pontifices & Phariſæi.* ℣. *Unus autem ex ipſis. Ne forte.* Deinde dicit diaconus: *Dnus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.* Et legitur evangelium ſecundum Marcum (1): *In illo tempore. Cum appropinquaret . . . Benedictum quod venit regnum Patris noſtri David. Oſanna in excelſis.* Finito evangelio faciat epiſcopus, ſi velit, ſermonem ad populum de evangelio, & de præſenti feſtivitate, dicatque ſacerdos: *Dns vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpir. tuo. Oremus: Adeſto nobis omnipotens Deus, ut quod noſtro miniſtratur officio tuæ benedictionis potius impleatur effectu. Per.*

Exorciſmus Florum & Frondium. (2)

Exorcizo te creatura florum & frondium in nomine Patris omnipotentis, & in nomine Ieſu Chriſti Filii eius, & in virtute Spiritus ſancti. Proinde omnis virtus adverſarii, omnis exercitus diaboli, omnis poteſtas inimici, omnis incurſio dæmonum, eradicare & explantare ab hac creatura florum & frondium, ut ad Dei gratiam feſtinantium veſtigia non ſequaris.

Benedictio frondium olivæ & palmarum. (3)

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, mundi conditor, omniumque creaturarum mirabilis diſpoſitor, qui inter ipſa mundi primordia, cum ex nihilo cuncta conderes, ligna quoque fructifera, & diverſo uſui congrua terram producere iuſſiſti, ac poſt maledictum interdictæ arboris univerſa nobis per obedientiam Unigeniti tui in benedictionem convertiſti; benedic etiam hos multigenarum arborum ramos, inter quas præcipue arbor olivæ pinguedine cunctas præcellit, per quam etiam cum mundi crimina diluvio quondam expiarentur effuſo, columba ramum eiuſdem deferens pacem terris redditam nunciavit &c. nec non & innocens turba Spiritu ſancto afflata, unigenito tuo Dno nro Ihu Xpo pro tocius mundi ſalute paſſuro obviam currens palmarum & huius arboris ramos abſcindens, ac veſtigiis eius ſubſternens, iam quaſi triumphatorem de morte principe oſtendebat; te Domine ſuppliciter deprecamur, ut qui annua devotione eiusdem redemtoris noſtri ſacratiſſimam paſſionem prævenire nitimur, ipſo adiuvante palmam victoriæ tenentes, atque oleo miſericordiæ intrinſecus reſulgentes in eius ſancta reſurrectione præmium vitæ & immortalitatis coronam percipere mereamur. Per.

Alia. *Omps ſemp. Deus qui in diluvii effuſione &c.*

Alia. *Omnipotens ſempiterne Deus, flos mundi, odor ſuavitatis, & origo naſcentium, qui omnia legis & prophetarum oracula in filii tui Dni nri Ihu Xpi humilitate declaraſti, quique etiam ei venienti Hieroſolymam devotam cum ramis palmarum, ac myſticis laudibus hodierna die obviam feciſti turbam procedere, reſpice propicius ad debitam tui populi ſervitutem, & huius creaturæ novitatem tua virtute ſanctifica, ut ſicut tunc prioris populi gratus tibi fuit huius devotionis affectus, ita nos quoque in veritate confeſſionis nominis eius, hac eadem poſt (per) revoluta tempora frequentantes purificatis ſenſibus dignum tibi deſeramus obſequium, ut velut florum varietate piis vernantes ſtudiis, ſarcina carnis depoſita, cum odore bonorum operum in cæleſti Hieruſalem eidem Filio tuo Domino noſtro valeamus occurrere. Per.*

Benedictio folius Olivæ.

Petimus te Domine &c.

Alia benedictio Olivæ.

Auge fidem in te ſperantium &c.

Benedictio Olivæ vel Ramorum.

Deus qui per olivæ &c.

Item benedictio Palmarum & Olivæ.

Benedic quæſumus hos palmarum &c.

Benedictio Palmarum & Ramorum.

Deus cuius Filius &c.

Benedictio Ramorum ſive Olivarum.

Omnipotens ſempiterne redemtor, qui de cælis ad terram deſcendere, & ad paſſionem voluntatis tuæ venire dignatus es, ut humanum genus tuo precioſo ſanguine liberares; adeſto Eccleſiæ tuæ votis & ſupplicationibus noſtris: tu enim Domine manſuetus manſueti aſelli terga inſidens ad paſſionem redemtionis noſtræ ſpontaneus adveniſti, cumque tibi ramis arboreis occurrentibus diſcipulorum turbis certatim ſterneretur in via, & triumphatricibus palmis cum voce laudis occurrens plurimorum catervæ reſultantes pariter & dicentes Oſanna Filio David, benedictus qui venit

(1) In miſſali *Rom. ſecundum Matthæum.*

(2) P. I. p. 64. ſupra P. II. p. 73.

(3) P. I. p. 65. & ſupra P. II. p. 73. in modum Præfationis.

Digitized by Google

nit in nomine Domini, *tibi in monte Oliveti via conſtrata eſt. Tu quondam Noe in archa ſuper undas diluvii gubernaſti, & columbæ miniſterio per olivæ ramum pacem terris redditam nunciare voluiſti; ſed & Iacob patriarcha in miniſterium gloriæ tuæ erigens lapidem ex huius arboris oleum benedictionis in cacumen tituli ſudit, unde unxiſti reges & prophetas tuos. Tu enim Chriſtus Filius Dei, tibi competit fructus unctionis & pacis, in cuius ineffabilem laudem pſalmiſta cecinit dicens:* Unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. *Quapropter ſupplices te Domine deprecamur, ut benedicas hos ramos arborum, quos tui famuli in ſuis ſuſcipientes manibus in occurſum tui properare, teque benedicere & glorificare deſiderant. Ecce Hieruſalem ſedens ſuper pullum, aſinam rex manſuetus adveniſti. Adveni ergo, rogamus, & nobis, & in medio noſtri conſiſte, ut te advenire in noſtris cordibus ſentiamus. Et qui nos tunc reparaſti per crucem, iterum lapſos repara per eandem beatificam paſſionem, oris noſtri confeſſionem ac ieiunii humiliationem libens ſuſcipe, & fructum nos viriditatis habere concede: quatinus tuis imbribus irrigati, mereamur tibi ſuavium fructuum ubertate placere. Et ſicut illi tibi præceſſerunt obviam cum arboreis frondibus egreſſi, ita nos, te redeunte in ſecundo adventu cum palmis victoriæ læti mereamur occurrere, Salvator mundi, qui cum Patre in unitate Spiritus ſancti vivis & regnas Deus. Per omn. ſæc. ſæculorum.* ℟. *Amen. Dnus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpir. tuo. Surſum corda.* ℟. *Habemus ad Dnum. Gratias agamus Dno Deo noſtro.* ℟. *Dignum & iuſtum eſt.* Præfatio. *Æquum & ſalutare, te Dne inter cætera mirabilium tuorum præcepta laudare & benedicere. Qui Lamech ſemen iuſtum dediſti Noe, cui revelaſti per Spiritum, aquas diluvii futuras cognoſcere: cuius archam ad noſtram ſalutem teſtatur mater Eccleſia. De qua columba volans, ſpiritualis olivæ fructuoſum ſurculum retulit, quam ad ſe Noe revertentem gaudens ſuſcepit. De cuius rami unctione Iacob electus titulum erexit, Dno votum vovit, & oleum deſuper fudit. Hæc eſt initio rami illius manentis de cœlis gratiæ, ſeu & populi vaſa replentis. Hæc eſt initio rami illius plantati ſecus decurſus aquarum cuius folium non defluit, per quod quotidie per lavacrum baptiſmatis Eccleſia procreatur, & noſtra delentur peccata. Hæc tua Dne plantatio bona valde, & tu es vita & reſurrectio mortuorum, qui quatriduanum Lazarum reſuſcitaſti a mortuis. Propterea & turba cum ramis palmarum obvians tibi clamabat,* Oſanna benedictus qui venit in nomine Domini rex Iſrael. *Quapropter quæſumus Dne clementiam tuam, ut nos famulos tuos, qui huius rei gratiam & fidem veritatis percepimus. ernas de ore inferni, & adiutorium gratiæ tuæ nobis tribuere digneris, ut pie & iuſte ſancteque viventes cum electis & Sanctis tuis facias habere conſortium. Per.*

Sequitur Oratio in communem benedictionem omnium.

Deus qui Filium tuum Ihm Xpm &c. Hac benedictione dicta ſpargitur aqua ſuper ramos palmarum & olivarum, & aliarum arborum. Poſt aſperſam aquam & thurificationem factam dicitur hæc oratio: *Deus qui Filium tuum unigenitum &c.*

Alia. *Omnipotens Genitor, qui Unigenitum tuum ab Iericho monteque Oliveti ad Hieruſalem direxiſti, cum turba mirabiliter occurrit, alii veſtimenta ſua ſternentes, alii ramos de arboribus cedentes olivarum, alii palmas in manibus ſuis deferentes; te obnixis precibus humiliter deprecamur, ut hæc germina arborum ita ſanctificare digneris, ut hæc loca, ubi deportata fuerint, ſanctificata efficiantur, quo omnis iniquitas, ſeu illuſio dæmonum abſcedat, & tua nos ſemper dextera protegere dignetur. Per.*

Finita hac oratione dat ſacerdos palmas ad populum cantando hanc antiph. *Ante ſex dies ſolemnis paſchæ.* Sequitur hæc oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui Dnm nrm Ihm Xpm &c.* Deinde expanſis palmis vadunt ad eccleſiam, ubi miſſam debent celebrare cantantes per viam antiphonas proceſſionales: *Cum apropinquaret Dominus.* Alia. *Cum audiſſet populus.* Item imponit cantor antiphon. *Turba multa.* cum pſalmo *Cantate Domino.* Inſuper ceteras antiphonas huic feſtivitati congruas. Ut autem pervenerint cum palmis, ubi ſtatio eſt ſanctæ Crucis (1), clerus populuſque reverenter ſtent per tur-

mas

(1) Solet etiamnum alicubi ſtatio hæc S. Crucis in medio templi inſtrui parata ibi Crucifixi imagine, ad quam cum pervenerit proceſſio, pueri chori cantantes ant. *Pueri Hebræorum* palmas & ſuperpellicia proiiciunt in terram & reſumunt. Deinde accedunt ad crucem ſeſeque proſternentes duo cantores Clerici cantant poſtremas ſtrophas hymni *Vexilla regis &c.*, *O crux ave ſpes unica &c.*

Digitized by Google

mas in ordine ſuo cum baiolis & reliquo ornatu, & infantes paraphoniſtæ in loco competenti ſubſiſtentes imponant ant. *Fulgentibus palmis proſternimus.* Reſpondet ſchola ex parte populi ant. *Occurrunt turbæ cum floribus.* Tunc ſcholaſtici e regione crucis lento gradu veniant ante eam, & cum omni reverentia caſulas vel cappas in terram iactantes proni adorent Crucifixum, clero interim cantante antiph. *Pueri Hebræorum veſtimenta proſternebant.* His recedentibus conveniant ex latere pueri laici *Kyrie eleiſon* cantantes, & ſequendo vexillum, quod ante eos portatur, veniant ante crucem, &, annuente edituo, iactent ramos palmarum in terram proni adorando Crucifixum, & clerus interim cantet antiph. *Pueri Hebræorum tollentes.* His recedentibus ex ſchola infantes paraphoniſtæ iuxta crucem hunc hymnum cantent *Gloria, laus & honor.* Clero proſequente eundem verſum. Eo ordine ſequuntur alii verſus: *Iſrael es tu rex.* Reſpondente ſchola: *Gloria, laus.* inter omnes huius hymni verſus aſpiciens ad ſanctum evangelium (1) ſeu inclinans capita ad ſanctam crucem. His finitis incipit ſchola cum baiolis antiphonam: *Omnes collaudent nomen tuum & dicant Benedictus qui venit in nomine Domini.* Pſ. *Lauda Ieruſalem Dnum.* adiungentes *Gloria Patri.* Et tunc proſternit omnis populus hinc inde flores ſeu frondes, clero cantante antiphonam *Cum angelis & pueris.* His ita peractis veniat epiſcopus vel ſacerdos ante crucem, & proſtratus in terram cum omni populo adoret Crucifixum clero interim cantante ant. *Scriptum eſt enim.* Tunc ſurgens epiſcopus ſive ſacerdos dicat hanc orat. *Oremus. Deus qui miro ordine diſpoſitionis &c.* Data oratione crucem & vexilla ſequendo honorifice progrediantur ad civitatem ſive ad eccleſiam clero per viam cantante antiphonas vel reſponſoria de præſenti feſtivitate. His finitis cum intraverint portas civitatis omni populo cantante *Kyrie el.* primus ſcholæ imponat ℟. *Ingrediente Dno.* proſequente omni clero pariter & verſum *Cumque audiſſent quia.* cum *Gloria.* Quodſi tanta reſtat via dicantur antiph. matutinales eiusdem diei uſque ad regiam eccleſiam. Ingredientibus vero eccleſiam imponat cantor antiphonam in evang. ant. *Ceperunt omnes turbæ* cum pſalmo *Benedictus Dnus Deus Iſrael.* uſque in finem cum *Gloria.* ſacerdote proſequente hanc orationem. *Oremus. Adiuva nos Deus ſalutaris noſter, & ad beneficia recolenda, quibus nos inſtaurare dignatus es, tribue venire gaudentes. Per.* Deinde agatur miſſa ordine ſuo. Miniſtri vero & clerus ac populus teneant palmas in manibus ſuis uſque ad expletionem miſſæ. Aliqui vero intermittunt ſalutationem in paſſione, id eſt *Dominus vobiſcum*, quod non legitur in ordinibus, ſed in Paraſceve tantum, ubi reticetur officium ſacerdotale. Ideo autem hæc hebdomada maior dicitur, quia in ea maxima adhibenda eſt parſimonia, ſive quod maius officium celebratur in ea (2).

Ordo

(1) Sancti evangelii textum ſolemniore pompa in hac proceſſione delatum fuiſſe luculenter oſtendit *Ioſ.* CATALANUS in opere *De codice ſancti Evangelii, atque ſervatis in eius lectione & uſu vario ritibus.* lib. III. c.2. Iuxta ord. *Rom.*XII. auctore CENCIO c.9. „Die „ dominica palmarum præparatur quoddam portatorium „ honeſtiſſime, in quo intromittitur ſanctum evange„lium, quod intelligitur Chriſtus &c.“ Quæ eodem in auctore *De div. Offic.* qui ſub nomine ALCUINI editus eſt, leguntur, atque in libello conſuetudinum *Germaniæ* monaſteriorum notatur *portatorium in modum feretri, in quo reponantur parvæ capſæ ſive textum evangeliorum. Deſuper quoque appendantur philacteria ſive buxæ reliquiarum.* Ex miſſali eccl. *Surisberienſis* apud MARTENIUM T. III. de antiq eccleſ. Rit. p.215. conſtat SS. Corpus Chriſti a feretro dependiſſe. Id quod etiam ex ſtatutis LANFRANCI palam fit aliisque monumentis apud MARTENIUM de antiquis monach. Rit. L. III. c. 12. n. 23.

(2) Aptior hæc præ aliis videtur eſſe ratio, cur hæc hebdomada maior dicatur. Vid. P. III. Diſquiſ. X. c. 3. p. 849. 967. S. IOAN. *Chryſoſtomus* Hom. XXX. in *Geneſ.* T. IV. p. 294. quæſtionem movens, cur magna vocetur hæc hebdomada, ſimul rationes accumulat, cur hæc maiore religione celebretur: „ Quia in illa magna „ quædam & ineffabilia bona contigerunt nobis. In illa „ enim ſolutum eſt bellum diutinum, extincta mors, „ maledictio interemta, diaboli tyrannis diſſoluta, va„ſa eius direpta. Deus hominibus reconciliatus eſt, „ cœlum penetrabile factum eſt, homines cum angelis „ commixtio ſunt, ſepes ſublata, ſeptum remotum, „ Deus pacis pacifica fecit omnia, quæ in cœlis & „ quæ in terris. Hac itaque de cauſa magnam heb„domadam vocamus, quia tantam nobis donorum mul„titudinem in illa largitus eſt Dominus. Et idcirco „ multi & ieiunium intendunt, & vigilias, & perno„ctationes ſacras, & eleemoſynas, hinc exhibentes „ eum, quem hebdomadæ huic præſtant, honorem. „ Nam ſi Dominus talia bona in illa nobis donavit, „ quomodo non & nos debemus, quantum poſſumus, re„verentiam & honorem oſtendere? Enimvero impe„ratores ipſi geſtis ſuis declarant, quam venerabiles

Digitized by Google

Ordo de Feria IIII. maioris hebdomadæ.

Feria quarta maioris hebdomadæ, quæ eſt pridie Cœnæ Domini, hora tertia conveniunt omnes presbyteri, tam de civitate, quam & de ſuburbanis, & omnis clerus cum populo in ſtatuta infra urbem exſpectantes pontificem, qui ſemper in eccleſia maiore orationes ſolempnes (1) ipſa die ſicut ſacramentorum libro continetur, complet hoc ordine ſuo ante altare ad orandum ſuper oratorium, mox ut ſurrexerit dicit. *Oremus.* Et diaconus *Flectamus gen. Levate.* Dat orationem. *Deus a quo & Iudas.* Poſt *Amen* ſequitur. Et dicit orationes ſolempnes. *Oremus dilectiſſimi nobis, imprimis pro Eccleſia Dei.* Et ceteros per ordinem. Tantummodo pro ſe intermittit. Poſtea vero dicit orationem pro rege Francorum ſive imperatore. Ad ultimum pro Iudæis non flectuntur genua. Quibus expletis oſculatur altare, & egreditur. Presbyteri vero eccleſiarum ſive de urbe, ſive de ſuburbanis, vadunt per eccleſias ſuas, ut hoc ordine feria VI. hora tertia cuncta faciant: hoc ſcientes ut ubi pontifex de ſe intermiſit, illum commemorent. Poſtea vero hora octava ingrediuntur ad miſſam hoc ordine. Tunc dicit ſchola antiphonam ad Introitum. *In nomine Domini omne genu.* Et pontifex ſive presbyter dat orationem hanc. *Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut qui noſtris exceſſibus inceſſanter affligimur per unigeniti tui paſſionem liberemur. Qui tecum.* Deinde legitur *lectio Iſaiæ prophetæ. Hæc dicit Dominus Deus. Dicite filiæ Sion.* Sequitur Gr. *Ne avertas faciem tuam* cum verſu. Poſtea dicit aliam orationem. *Deus qui pro nobis filium tuum.* Legitur alia lectio de eodem propheta. *In diebus illis. Dixit Iſaias. Dne quis credidit.* Poſtquam legitur, cantatur Tractus *Domine exaudi cum quinque verſibus.* Evangelium vero pronunciat diaconus (2) ſine ſalutatione ita. *Paſſio Dni nri Ihu Xpi ſecundum Lucam.* Qua expleta, expletur miſſa ordine ſuo. Sec. *Purifica nos.* Ad compl. *Largire ſenſibus.* Super populum. *Reſpice.*

Ordo de officiis divinis in Cœna Domini feria quinta.

Feria quinta maioris hebdomadæ in nocte ſurgunt ad vigilias hora noctis octava, & tangitur campanæ ſignum ſicut aliis diebus. Et poſt hæc non tangitur ad matutinum niſi in nocte ſanctæ paſchæ. Et tunc eccleſia omni lumine decoretur. Venientibus autem omnibus in eccleſiam infra chorum more ſolito non dicatur *Domine labia mea ap.* nec *Deus in adiutorium meum int.* nec *Venite;* Sed cantor incipiat in pſalmis antiph. *Zelus domus tuæ.* Et ceteras ſicut in Antiphonario continetur. In fine pſalmorum non dicatur *Gloria Patri* nec in reſponſoriis, nec in ullo loco nec finis ſubtrahatur. Poſt tres pſalmos dicatur verſus pleniter, non ſubtrahendo finem. Sed & in fine nocturni lector benedictionem non petit, nec pontifex aut presbyter more ſolito benedictionem complet, & quando finit lectionem non dicit *Tu autem Domine;* Sed ex verbis lectionis iubetur facere finem, aut certe exterminationem. Lectiones vero leguntur tres de lamentationibus Ieremiæ prophetæ ab eo loco, ubi

dicit

„ illos dies habeant, mandantes, ut omnibus ſint induciæ & feriæ iis, qui civilibus funguntur negotiis, utque claudantur fores iudiciorum, & eliminentur omnes litium & contentionum ſpecies, quo magna tranquillitate ac quiete liceat ad ſpiritualia recte perficienda feſtinare. Et non hoc ſolum, ſed & aliam libertatem oſtendunt: eos enim, qui in carceribus ſunt, a vinculis ſolvunt, & pro humana facultate Dominum ſuum imitantes: ſicut enim ipſe a gravi nos peccatorum carcere liberat, & innumeris bonis afficit; eodem modo & nobis pro virili faciendum eſt, ut ſimus imitatores miſericordiæ Domini Dei noſtri. Vidiſtis quomodo ſinguli in omnibus ſpecimen edamus eius honoris ac reverentiæ, quam exhibemus diebus iis, qui nobis tot bonorum cauſæ ſunt.“

(1) De orationibus ſolemnibus, quæ hodie feria VI. *Paraſceves* dicuntur, hac etiam die olim dici ſolitis ſermonem fecimus T. II. diſquiſ. IX. c. 1. p. 853. Ad originem vero hodierni ritus illuſtrandam facit, quod mox hic additur de presbyteris eccleſiarum ſive de urbe, ſive de ſuburbanis, qui *vadunt per eccleſias ſuas, ut hoc ordine Feria VI. hora tertia cuncta faciant.*

(2) *Ioſ.* CATALANUS comment. in Rituale *Rom.* T. II. p. 188. ex *Auguſt.* Patricii Cæremoniali S. R. E. obſervat, forte ſæculo XV. invaluiſſe, ut paſſio Domini a tribus caneretur. Affert autem ex miſſali *Sariſberienſi* hanc explicationem: „ Quod paſſio triplici voce debet cantari, aut pronuntiari, ſcilicet alta voce, baſſa & media, quia omnia, quæ in paſſione continentur, aut verba ſunt *Iudæorum*, vel diſcipulorum, aut verba ſunt Chriſti, aut evangeliſtæ narrantis.“ Verba Chriſti commode ſigno ✠ diſtinguimus, C. literam GAVANTUS chroniſtam interpretatur S. vero ſynagogam, quam CATALANUS in medio relinquit interpretationem, quæ in una non eſt adæquata S. litera.

Digitized by Google

dicit *Quomodo ſedet ſola civitas* cum pronuntiatione *Aleph.* uſque *cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion.* Tres de tractatu ſancti Auguſtini in pſalmo ſexageſimo tertio, id eſt *Exaudi Deus deprecationem meam cum deprecor.* Et tres de apoſtolo. Prima ubi ait ad Corinth. capitulo LVI. *Ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis.* Secunda lectio ſic incipit. *Similiter poſtquam cœnavit.* Tertia. *De ſpiritualibus autem nolumus vos ignorare.* Novem itaque pſalmi VIIII. lectiones VIIII. reſponſoria per omnia complenda ſunt. Incenduntur in quibuſdam locis in hac nocte XXIIII. (1) Lumina & extinguuntur per ſingulas lectiones & reſponſoria. Quæ ſimul per tres noctes fiunt LXXII. Lumen autem eccleſiæ apud Romanos ab initio cantus nocturni inchoatur extingui. Hoc tamen ordine, ut ab introitu ipſius eccleſiæ incipiat paulatim tutari. Ut verbi gratia peracto primo nocturno videatur eorum tertia pars eſſet extincta, medio nocturno item tertia, tertia vero expleta exceptis ſeptem lampadibus nihil luminis relinquatur. Sequuntur matutini, in quibus ſimiliter non dicatur *Deus in adiutorium meum* nec *Gloria Patri;* ſed antiphonæ tantum ſuper matutinas laudes, & in matut. VII. lampades hoc ordine extinguuntur. In initio pſalmi primi ſit cuſtos ſemper paratus in loco dexteræ partis eccleſiæ prope lampades. At ubi audierit primam antiphonam tenens cannam in manu ſua tutat lampadem unam; in fine vero pſami ipſius tutat aliam ſiniſtræ partis. Sic una ex parte una alia ex alia tutentut uſque ad evangelium. In evangelio vero ante *Benedictus* non dicatur lectio ſed tantum verſus, & ſtatim tutatur mediana lampada, vel ſubtrahitur & ſervatur ut ita veniat, ut *Benedictus Dominus Deus Iſrael* abſque lumine pſallatur. *Benedictus* finito cum antiphona, non dicatur *Kyrie el.* nec *Et ne nos inducas in tempt.* neque preces neque oratio alta voce more ſolito, ſed ſecum tacite. Factoque ſigno a Priore omnes pariter ſurgant, ſicque finiantur vigiliæ nocturnæ atque matutini. Matutino autem completo vadunt per oratoria pſalmos canendo cum antiphonis ſine *Gloria.* Eodem die altaria templi, & parietes ſive pavimenta eccleſiæ laventur, & vaſa Domino ſacrata purificentur. Ad primam autem non dicitur *Deus in adiutorium*, ſed tantum pſalmi ſine *Gloria & Kyrie el.* ac ſine precibus; ſed tamen in choro communiter ſtent prout ſupra, & ita finiatur. Similiter eodem die tercia, ſexta, nona. Eodem vero die cœna Domini hora nona, (2) quando dies longiores ſunt, ſeu hora quinta quando breviores, faciunt excuti ignem de lapide in loco foras baſilicam, ſi ibidem oratorium habuerint in porta, ibi excutiunt; ſin vero, in loco quo conſideraverit prior, ita ut ex eo poſſit accendi. Et benedicitur ignis. Benedictio ignis *Deus qui per filium tuum* &c. Alia *Dne Deus Pater* &c. Alia. *Dne ſancte Pater* &c. Oratio poſtquam incenditur. *Veniat* &c. De quo igne novo illuminata candela in harundine debet poni, & a manſionario eccleſiæ præſente populo portari, & de ipſo igne continuo in eadem eccleſia vel in loco ubi incenditur lampas una ſervetur uſque in Sabbatum ſanctum ad illuminandum cereum, qui eodem die benedicendus eſt ordine ſuo, quo in ſacramentario continetur. Hoc expleto accipit manſionarius prior iam præfatam candelam in manu ſua illuminatam, ut prodiximus, in canna, proſequente eum populo cum ſupplici ſilentio; ita ut ſummitas candelæ, quæ illuminatur altare verſus inclinata reſpiciat illam eccleſiam, quam ſunt ingreſſuri. Quæ tamen prius abſque lumine erit, præparatis ante altare ſeptem lampadibus ita compoſitis, ut abſque ullo impedimento cuiuſcumque retardationis manu manſionarii cum eadem candela poſſint accendi, ac deinceps præparatis cuſtodibus omni lumine decoretur: & ita ingrediantur ad miſſas ſicut in ſacramentario continetur, vel antiphonario. Miſſa completa communicent ordine conſtituto, & ſervent de ſancta uſque

(1) De vario candelarum numero agit MARTENIUS in libro *de ant. Eccl. diſcipl.* c. 29. iuxta hanc autem noſtram rubricam falli videtur DURANDUS, dum in ſuo Rationali lib. VI. c. 72. n. 15. ſcribit quoſdam accendere ſeptuaginta duas candelas, quoſdam viginti quatuor &c. Admitti tamen poteſt, quod dicit, ſi quod in antiquiſſimo ordine *Rom.* I. dicitur, ſpectetur, de his vigiliis noct. *Eccleſia omni lumine decoretur.*

(2) In Ord. *Rom.* I. n. 32. eadem ad verbum fere leguntur. In epiſtola 12. autem ZACHARIÆ P. ad S. BONIFACIUM: „Ut quinta feria paſchæ, quando ſacrum chriſma conſecratur, tres lampades in ſecretiori loco eccleſiæ conſtitutæ ardeant uſque ad tertium „diem“ Id eſt Sabb. S. quo hodie hæc cærimonia peragitur atque etiam novus ignis benedicitur iiſdem, quæ hic notantur precum formulis. Quod in epiſtola ZACHARIÆ præcipitur, hic mox ſequitur; nihilominus ignis ſingulis tribus diebus excutiendus & in proceſſione deportandus paulo poſt præſcribitur.

uſque in craſtinum. Sed & ipſa eccleſia uſque ad vigilias illuminata permaneat, & ſicut in illo die taxavimus, ſic & ſexta feria faciendum eſt, ſimiliter & Sabbato ſancto, ea tantum ratione mutata, ut ad horam nonam excuſſo igne, ut diximus, a manſionario quinta feria portetur, ſexta feria ab archidiacono, Sabbato vero ſancto ab epiſcopo iuniore portetur. Sin autem hic ordo in monaſterio agitur, quinta feria ipſe ignis a cuſtode eccleſiæ ſexta feria a præpoſito, Sabbato vero ſancto ab abbate portetur.

Feria quinta in Cœna Domini mane primo manſionarii ordinent omnia, quæ ſunt neceſſaria ad conſecrationem chriſmatis, ampullas tres de oleo mundiſſimo plenas ponentes in ſacrario, unam ad oleum pro infirmis, alteram ad chriſma, tertiam vero ad oleum ad catecumenos unguendos: maximam illam, quæ ad chriſmam, debet fieri de albo ſerico, alias ſerico autem de alio coopertas, & pontifex prævideat de balſamo. Mediante autem hora prima diei epiſcopus concilium (1) ſollempnibus veſtimentis indutus cum presbyteris ceteriſque ad hoc diſpoſitis celebret ſecundum canonum inſtituta. Peracto autem concilio hora tertia ſonetur ſignum, ut omnes veniant in eccleſiam, in qua chriſma debet conſecrari. Tunc egredietur pœnitens de loco, ubi pœnitentiam geſſit, ut gremio præſentetur eccleſiæ. Sedente autem epiſcopo pro foribus eccleſiæ pœnitentibus in atrio eccleſiæ eminus cum archidiacono iuſſum aliis præſtolantibus antequam eos offerat, poſtulat archidiaconus his verbis: *Adeſt* &c.

Sequitur exorciſmus Olei pro infirmis, item de conſecratione principalis Chriſmatis.

Ut ſupra, ubi de Sacramentis ordinem poſuimus.

In hac nocte uſque in Sabbatum ſanctum nonnulli ſervi Dei imitantes apoſtolos ieiuni permanent. Aliqui vero contenti ſunt pane tantum vel herbis atque legumine ſeu cicere (2).

Item benedictio Olei ad omnem lanquorem quocunque tempore, & nulla in huius olei benedictione concluſio dicatur antequam ſubinſeratur:

Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas. In tuo nomine &c. ut T. I. p. 76. (3)

Benedictio Olei ambroſiana ad ungendum tam infirmos quam energumenos.

Domine qui ſtudio &c. Ibid. p. 77.

Item benedictio Olei ambroſiana, quo ungendi ſunt Catechumeni.

Deus Sacramenti huius &c. Ibid. p. 75.

Oratio ad conſummandam Chriſmatis benedictionem.

Dominator Domine Deus, rex unctus, auctor ungenti, ſpecioſus forma, ſpecioſior unctione, ſacrator ipſe tuus; ipſe omnium conſecrator, qui ungentum de poteſtate ſanctificas, poteſtatem conſecras de ungento, de ungento feciſti chriſma, de chriſmate nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine iſto ſit regalis unctio Chriſtianis; in tuo ergo nomine fiat hæc creatura iam chriſma, & habeatur ut chriſma forma crucis, ſignum frontis, ſacri titulus bellatoris. In hoc chriſmate mulceatur auditus, purificetur viſus, odoratus ſuaveſcat, ſoporetur guſtus, tactus in

trinitate

(1) Hæc de Concilio celebrando Fer. V. in Cœna Domini ex antiquo ordine *Romano* ſunt deſumta.

(2) Firmatur hinc illa nonnullorum opinio, de feria hac quinta Cœnæ Domini dicto *der grüne Donnerſtag*, i. e. dies viridium ab hoc auſpicio herbis & leguminibus veſcendi paſſim in *Germania* ac alibi *Romæ* etiam obtinente, ut ex Ord. *Rom.* CENCII c. XIII. n. 29. conſtat, ubi ſic ſcribit de feria V. & VI. maioris hebdomadæ: „ Notandum, quod Dominus Papa nullis „ de familia dat ad potandum, nec coctum ad come- „ dendum, dat vero eis tantummodo panem & aquam „ & herbas de conſuetudine " Atteſtatur porro rem OVIDIUS lib. III *Faſt.* de hac die ſic canens:

Nos & amara dies lactuca paſcit agreſti.

Haud abluderet, ſiquidem firmo ſubſiſteret talo, *I. Leonardi* FRISCHII in Lex. *Germ.* lat. originatio appellationis *der grüne Donnerſtag* a voce *Karena*, Germ. *Karen*, ſeu *Kren*, id eſt *Grün* ab uſu veſcendi herbis. Cum tamen vox illa *Karena*, *Carina* quadraginta dierum ieiunium in Monumentis liturgicis deſignet, velnti Gallis *Kareme*, *Careme* dicitur. Quod nec tempus, id eſt diem, de quo ſermo eſt, determinat, nec rem ipſam, ſeu uſum viridium eiusmodi per integram Quadrageſimam ita pervagatum, ut inde Quadrageſima potius dici potuerit ab hac abſtinentia, quam ab ipſa voce Quadrageſima, contracta forte primum a *Gallis* uſu in ſua lingua familiari.

(3) Nota hic variam olei benedictionem, etiam extra ſacramentum extremæ Unctionis. Extat etiamnum in rituali *Romano* olei ſimplicis benedictio, ſed loco & tempori certo non affixa, fuitque olim frequens a Sanctis quibusque viris adhibita, quorum multa exempla affert *Ioſ.* CATALANUS T. II. Comment. in Rituale *Rom.* c. 20.

Digitized by Google

trinitate (intuitate) ſit ſolidus, ut talibus ſtipendiis Domini milites decorati, atque ambroſio rore madidi, imperanti ſerviant non ſuadenti, & ſignati hoc chriſmate ſancto ſigniferi eſſe mereantur cæleſtes. Per te Ieſu Chriſte ſalvator mundi, qui vivis & regnas Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen. Finita benedictione domnus epiſcopus ſalutet chriſma nudum

Item ſermo de Chriſmate.

Chriſmate ungendum primum Moyſes in Exodo iubente Domino commiſit, quo primum Aaron & filii eius peruncti ſunt. Eratque eo tempore tantum in regibus & ſacerdotibus myſtica unctio, qua Chriſtus figurabatur, unde & ipſum nomen a chriſmate dicitur. Sed priusquam Dominus noſter verus rex & ſacerdos æternus a Deo Patre cœleſti ac myſtico ungento eſt delibutus, iam non ſoli pontifices & reges, ſed omnis Eccleſia unctione chriſmatis per impoſitionem manuum conferatur. Quod ſolis epiſcopis debetur, ut conſignent & Spiritum paraclitum tradant. Quod non ſolum conſuetudo eccleſiaſtica demonſtrat, verum & illa lectio actuum apoſtolorum, quæ aſſerit, quibusdam in nomine Domini Ieſu baptizatis per impoſitionem manuum apoſtoli Pauli datum eſſe Spiritum ſanctum, ut ibi legitur: *Et cum impoſuiſſet manus illis Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos.* Et reliqua. Item in alio loco ſcribitur, quod apoſtoli ab Hieroſolymis Petrum & Iohannem miſerunt Samariam, ut iam baptizatis traderent Spiritum ſanctum, prout dicitur: *Tunc imponebant illis manus, & accipiebant Spiritum ſanctum.* Spiritum ſanctum autem accipere poſſumus, dare non poſſumus, ſed ut detur Dominum invocamus. Ibi aperte datur intelligi, ſolis pontificibus apoſtolorum vicariis deberi, ut conſignent & paraclitum tradant. In geſtis pontificalibus legitur, quod Silveſter papa conſtituit, ut baptizatum liniat presbyter chriſmate levatum de aqua propter occaſionem tranſitus mortis, ne propter abſentiam epiſcopi, & difficultatem eum conſequendi, ſine manus impoſitione baptizati migrarent. Quia ſi quis ſine ea obierit, periculoſum iter arripit. Timendum eſt, ne illa differentia ſit inter eum, qui manus impoſitionem accipit, & eum qui non accipit, quæ eſt inter ſtellarum claritudinem; hoc eſt quamvis non excludantur a regno Dei propter bona opera, tamen non habeant locum, quem haberent, ſi illam acciperent. Penſandum eſt de his, qui per negligentiam amittunt epiſcopi præſentiam, & non ſuſcipiunt manus impoſitionem, ne forte propterea damnentur, quia feſtinare debuerat ad manus impoſitionem. Hæc providens papa Silveſter quantum potuit, ſubvenit, & conſtituit, ut propter abſentiam epiſcopi a presbytero baptizati ungerentur. Unde dicit Beda in tractatu ſuper actus apoſtolorum: Nam presbyteris ſive extra epiſcopum ſive præſente epiſcopo cum baptizant chriſmate baptizatos ungere licet, ſed quod ab epiſcopo fuerit conſecratum; non tamen in fronte, quod ſolis epiſcopis debetur, ſed verticem ex eodem oleo ſignare licet. Dum forte cogitat aliquis fide fragilis, quod non licet: quid mihi prodeſt poſt myſterium baptiſmatis, myſterium Confirmationis. Nam ſi poſt fontem adiectione novi generis indigemus, quantum video, non totum de fonte ſuſcepimus. Non ita intelligendum eſt dilectiſſimi. Nam quid prodeſt, ſi quisquam parentum magnam parvulo conferat utilitatem, niſi provideat illi tutorem. Ita paraclytus regeneratis in Chriſto cuſtos & conſolator, & tutor eſt. Poſſunt enim ſuadente diabolo ſicut parvuli facultatem, perdere baptiſmi utilitatem, ſi non habeat tutorem Spiritum conſolatorem. In hoc enim mundo tota ætate victuris inter pericula & inviſibiles hoſtes gradiendum eſt velut inter ſerpentes & ſcorpiones, quapropter conſolator & tutor eſt neceſſarius Spiritus paraclytus. In baptiſmo regeneramur ad vitam, poſt baptiſmum armamur & confirmamur contra hoſtes ad pugnam. In baptiſmo abluimur, poſt baptiſmum renovamur. In baptiſmo remiſſionem omnium peccatorum ſive originalium ſive actualium accipimus; poſt bapiſmum ſcutum fidei, galeam ſalutis, & gladium ſpiritus contra hoſtes aſſumimus, ut undique armati ſtemus. De Spiritu ſancto accipimus, ut ſapiamus inter bonum malumque diſcernere, iuſta diligere, iniuſta reſpuere: ut malitiæ ac ſuperbiæ repugnemus, ut luxuriæ ac diverſis illecebris & fedis, iniuſtisque cupiditatibus reſiſtamus. De Spiritu ſancto accipimus vitæ æternæ amore flagrare, & mentem a terrenis erigere, & ad cœleſtia ſublevare, quo nos per donum eiusdem Spiritus ſancti paraclyti pervenire concedat Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre eodemque Spiritu ſancto vivit & gloriatur in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ordo in nocte Paraſceve.

In nocte paraſceve temporariæ id eſt media nocte parvum ligneum ſonetur ſignum. Collectis omnibus in eccleſia non dicatur *Deus in adiutorium meum int.* nec *Venite*, ſed antiph. *Aſtiterunt reges terræ.* Ad pſalmos non dicatur *Gloria*, nec finis

finis ſubtrahatur. Verſus dicatur pleniter non ſubtrahendo finem. Dicantur autem novem pſalmi cum totidem reſp. Lectiones legantur tres de lamentationibus Hieremiæ prophetæ ab eo loco, ubi ait: *Cogitavit Dominus diſſipare murum filiæ Sion* uſque: *Miſericordiæ Domini multæ* cum pronuntiatione *Aleph.* Tres de tractatu ſancti Auguſtini de pſalmo LXIII. & tres de apoſtolo ubi ait ad Hebræos cap. V. *Feſtinemus ingredi.* Secunda lectio: *Omnis inquam pontifex.* Tertia *De quo grandis nobis ſermo eſt.* Lector benedictionem non petat, nec finem ſolitum faciat, ſed de ipſa lectione finem faciat. Luminaria ad pſalmos ſingulos extinguantur. Deinde ſecuntur matutini. Ante *Benedictus* non dicatur lectio, ſed verſus. Finito *Benedictus* privatim & ſub ſilentio dicantur preces. Sic finiantur matutini. Primam privatim cantent eodem die, ſimiliter Tertiam, Sextam, Nonam & Veſperam, communiter in choro ſtantes, ſimiliter & Completam.

Ordo in Paraſceve.

Feria ſexta paraſceves quæ & ſexta Sabbati dicitur miſſa non cantatur: ſed neque in Sabbato ſancto uſque ad vigilias noctis. In ipſo autem die, hoc eſt feria ſexta hora quinta deportatur lumen ut ſupra ab archidiacono ſeu præpoſito, & illuminentur lampades VII. vel ut alius ordo vult, illuminentur inde duæ candelæ ad altare ubi officium agitur. Conveniunt autem omnes eccleſiaſtici, nec non & laici, & procedit domnus epiſcopus vel qui vicem illius tenuerit in eccleſia ſtatuta infra urbem; non tamen in maiori eccleſia, ubi mos eſt ſalutiferam ſalutare crucem. Et præparent ſe presbyteri, & archidiaconus, & diaconi, vel cæteri quantum opus eſt ad miniſtrandum domno pontifici ad miſſam (1) cum cantoribus & reliquis miniſtris, veſtibus quadrageſimalibus induti ſcilicet planetis fuſcis, non nudis pedibus: non enim licet presbyterum diaconum vel acolitum ad altare miniſtrare per nudos pedes. Procedentes itaque de ſacrario uſque ad altare abſque ullo cantu, proſtrato omni corpore in terram diutius, oratione completa atque oſculato altari, vadunt ad ſedem pontificis more ſolito. Et mittitur parvum linteum ſuper altare nudum de ſub evangelio. Ante evangelium vero non portentur candelæ vel incenſum. Et dum veniens pontifex de ſacrario proceſſerit ante altare ad orandum ſuper oratorium, ſicut mos eſt, ſtatim ut ſurrexerit, cum ſilentio aſcendit ad ſedem. Quo ſedente, ſtatim ut annuit archidiaconus ſubdiacono, ſubdiaconus aſcendit ad legendum, & legitur lectio prima in Oſee. *In tribulatione ſua mane conſurg.* Et poſt lectionem cantetur canticum. *Domine audivi.* Cum quatuor verſibus ſuis. Et dicat pontifex. *Oremus.* Diaconus *Flectamus genua.* Poſtea (2) *Levate.* Et dat orationem: *Deus a quo & Iudas reatus ſui pœnam.* Deinde ſequitur altera lectio in Exodo: *Dixit Dominus ad Moyſen & Aaron.* Poſt quam ſequitur Tractus: *Qui habitat.* Cantant hic aliqui tractum nuperrime compilatum *Eripe me Domine ab homine malo.* (3) Quo finito legitur abſque ſalutatione *Paſſio Dni nri Ihu Xpi ſecundum Iohannem. Egreſſus eſt Ieſus cum diſcipulis ſuis* trans

(1) Infra etiam omnium communio, uti poſtea in Sabb. S. præſcribitur, quemadmodum P. III. Diſquiſ. IX. c. 1. p. 847. olim in hoc triduo obtinuiſſe oſtendi. In antiquiſſimo ordine *Rom.* I. ſic legitur ad Paraſceven: *Communicant omnes cum ſilentio, & expleta ſunt univerſa.* Id quod Amalarius conformiter ad ea, quæ in noſtro hoc ordine divini officii habentur, explicat lib. I. de div. Off. c. 12. quoad communionem generalem ac ordinem Miſſæ *Romanæ* in ſequentibus etiam ordinibus *Romanis* explicatum. *Mos eſt Romanæ Eccleſiæ, ut in confectione immolutionis Chriſti adſint presbyteri, & ſimul cum pontifice celebrent.* Addit Innoc. III. lib. IV. de myſteriis Miſſæ c. 25. *Cumque conſummatum eſt ſacrificium, de manu eius communionem accipere.* Id quod ſaltem in Cœna Domini remanſit ex uſu veteri concelebrandi ſacrificium, qui primum in Eccleſia communis, diutius in Eccleſia *Romana*, atque hoc triduo ſacro perſeveravit. Ex quo iam id ſolum reſiduum eſt, quod Miſſæ privatæ nullæ his diebus fiant.

(2) Hæc particula *poſtea* moram aliquam ſignificat, poſtquam dicendum ſit *Levate.* Id quod quidem ſupra apud orationes illas ſolemnes Feria IV. aſſignatas haud adnotatur; ſingulare autem eſt, quod circa illas orationes hic paulo poſt legitur: „Dum pontifex „dicit *Oremus*, & *diaconus Flectamus genua.* Et orat „diutiſſime. Et diaconus *Levate.* Et dicit orationes ſo„lemnes ad *Hieruſalem.*“ Ita ut *Levate* primum poſt orationem ante verba *Per Dnm* aſſignetur hoc modo: *Oremus.* Flectamus genua. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui gloriam tuam &c.* Levate. *Per Dnm* Et ſic deinceps. Infra in officio Sabb. S. circa baptizandos ſic præſcribitur. Poſtea dicitur eis ab archidiacono. *Orate electi. Flectite genua.* Et poſt paululum dicit: *Levate.*

(3) Hæc ex ordine *Romano* apud Hittorpium expreſſa ſunt. Vid. P. III Diſquiſ. IX. c. I. p. 852.

Digitized by Google

trans torrentem Cedron. Nec incenſum ibi portatur. Hac expleta ſtatim duo diaconi nudant altare ſindone, quæ prius fuerat ſub evangelio poſita in modum furantis. Aliqui vero antequam legatur Paſſio Domini præparant ſindones duas ſibi invicem cohærentes, & in eo verſu, ubi legitur *Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi*, ſcindunt hinc inde ipſas ſindones deſuper altare in modum furantis, & ſecum auferunt. Tunc venit pontifex ante altare, ſive ut in alio ordine legitur, tranſit in dexteram partem eccleſiæ infra thronum & dicit *Oremus.* Et diaconus *Flectamus genua.* Et orat diutiſſime. Et diaconus *Levate.* Et dicit orationes ſolemnes ad Hieruſalem. *Oremus dilectiſſimi nobis imprimis pro Eccleſia ſancta Dei.* Et cæteras per ordinem ſicut in libro continentur, ſicut ſupra in quarta feria, pronunciante diacono *Flectamus genua*, niſi pro Iudæis tantum non flectantur genua. *Oremus.* Flectamus genua.

Omnipotens ſempiterne Deus qui gloriam tuam. Levate. *Per Dnm.*

Oremus & pro beatiſſimo papa noſtro. Oremus. Flectamus genua.

Omnipotens ſempiterne Deus cuius iudicio. Levate. *Per Dominum.*

Oremus pro omnibus epiſcopis. Oremus. Flectamus genua.

Omnipotens ſempiterne Deus cuius ſpiritu. Levate. *Per Dnm.*

Oremus & pro chriſtianiſſimo. Oremus. Flectamus genua.

Omnipotens ſempiterne Deus in cuius manu. Levate. *Per Dnm.*

Oremus pro catechumenis noſtris. Oremus. Flectamus genua.

Omnipotens ſempiterne Deus qui eccleſiam tuam. Levate. *Per Dnm.*

Oremus dilectiſſimi nobis. Oremus. Flectamus genua.

Omnipotens ſempiterne Deus mæſtorum conſolatio. Levate. *Per Dnm.*

Oremus & pro hæreticis. Oremus. Flectamus genua.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui ſalvas omnes. Levate. *Per Dnm.*

Oremus & pro perfidis Iudæis. Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui etiam Iudaicam perfidiam. Per Dnm.

Oremus & pro paganis, ut Deus. Oremus. Flectamus genua.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui non mortem. Levate *Per Dnm.*

Subdiaconi autem ſtent retro altare, vertentes ſe ad altare, & ibi ſicut cæteri flectentes genua, non tamen terga vertentes altari. Quas ut finierit, omnes taciti exeunt foras. Notandum vero eſt, quia in Romana eccleſia extinguitur totus ignis in hac feria, hora ſexta, & reaccenditur hora nona. Presbyteri vero ſive de urbe ſive de ſuburbanis vadunt per eccleſias ſuas, ut hoc ordine hora nona cuncta uſque ad veſperum faciant; hoc tantum mutantes, ut ubi pontifex meminit apoſtolicum, ipſi nominent epiſcopum ſuum. Ad veſperam vero tam in eccleſia, ubi pontifex dicit orationem, quam & in ceteris eccleſiis presbyterorum poſt orationem præparatur crux ante altare, interpoſito ſpacio inter ipſam & altare, ſuſtentata hinc inde a duobus acolitis, poſito ante eum oratorio. In cuius laudem dicitur *Agios* cum verſibus iſtis: *Popule meus.* ℣. *Quia eduxi te. Agios otheos Agios. Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miſ.* ℣. *Quia eduxi te per deſertum. Agios* & *Sanctus* ut ſupra. ℣. *Quid ultra. Agios* & *Sanctus* ut ſupra. Canunt aliqui ad ſalutandam crucem etiam hoc reſponſorium ſancti Ambroſii ex perſona ſanctæ Mariæ. ℟. *Vadis propitiator ad immolandum pro omnibus. Non tibi occurrit Petrus qui dicebat, pro te moriar. Reliquit te Thomas, qui clamabat dicens Omnes cum eo moriamur. Et nullus de illis ſed tu ſolus duceris, qui immaculatam me conſervaſti filius & Deus meus.* ℣. *Venite & videte Deum & hominem pendentem in cruce. Qui.* Sequitur antiph. *Ecce lignum crucis.* Pſ. *Beati immaculati in via.* Interea venit pontifex ſolus, & adoratam deoſculatur crucem. Deinde epiſcopi, presbyteri, diaconi, ſubdiaconi, ac cæteri per ordinem dein populus. Orat. ad crucem Domini in prima genuflexione. *Dne Ihu Xpe Deus verus &c.* Oratio ſecunda *Deus qui Moyſi &c.* Oratio in tertia genuflexione *Dne Ihu Xpe qui nos &c.* Pontifex vero redit ad ſedem uſquedum omnes ſalutent crucem. Nam ſalutante pontifice vel populo crucem, canitur ſemper ant. *Ecce lignum crucis* cum pſalmo *Beati Immaculati.* ut ſupra antiphona: *Crucem tuam adoramus & ſanctam reſurrectionem tuam laudamus & glorificamus: ecce enim propter crucem tuam venit gaudium in univerſo mundo.* Pſ. *Deus miſereatur.* Item antiphona unde ſupra: *Dum fabricator mundi mortis.* Alia. *O admirabile pretium.* Unde ſupra: *Crux fidelis inter omnes.* Clero proſequente eundem verſum cum aliis verſiculis. Iſtis vero verſiculis in finem perductis, & cruce ſalutata, & in ſuo loco repoſita, duo ſubdiaconi & presbyteri

Digitized by Google

presbyteri duo priores intrant in ſacrarium vel ubi poſitum fuerat corpus Domini, quod pridie remanſit, ponentes illud in patenam, & ſubdiaconus teneat ante ipſos calicem cum vino non conſecrato & alter ſubdiaconus patenam & alter calicem & deferunt ſuper altare nudatum. Tunc deſcendens pontifex ante altare inclinat ſe, & iterum elevat dicens *Oremus. Praeceptis ſalutaribus moniti.* Finita *Pater noſter* ſequitur. *Libera nos* &c. uſque *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Cum vero dixerint *Amen.* Sumit de ſancta, & ponit in calicem nihil dicens, niſi forte ſecrete aliquid dicere velit. *Pax Domini* non dicitur, quia non ſequuntur oſcula circumſtantium. Sanctificatur autem vinum non conſecratum per ſanctificatum panem, & communicant omnes cum ſilentio. Et ſic expleta ſunt univerſa. Et poſt paululum veſperos dicit unusquisque privatim, & ſic vadunt ad menſam.

Ordo in nocte Sabbati ſancti.

In Sabbato ſancto ad vigilias media nocte ſurgendum eſt, & ſimiliter ut in Paraſceve fiunt omnia. Dicantur novem pſalmi cum reſponſoriis Tres lectiones leguntur de lamentationibus Hieremiæ prophetæ ſine pronuntiatione *Aleph*, *Heth* (1) & reliquorum ab eo loco ubi dicitur *Miſericordia Domini multa* uſque in finem. Et tres de apoſtolo ubi ait in epiſtola ad Hebræos, *Chriſtus aſſiſtens pontifex.* Secunda lectio *Ubi enim teſtamentum.* Tertia *Umbram enim habens lex bonorum futurorum.* Deinde legantur omeliæ ſanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes. Et in candelis accendendis vel extinguendis ſicut ſuperius habetur.

Item Ordo de Sabbato ſancto in die, primum qualiter catechizantur infantes.

In Sabbati vero die ſancto ac ſolemniſſimo primo mane ordinetur eccleſia cum omnibus utenſilibus ſuis. Poſt Tertiam denique horam Sabbati procedunt ad eccleſiam, qui baptizandi ſunt cum omnibus utenſilibus ſuis. Poſt Tertiam denique horam Sabbati procedunt ad eccleſiam, qui baptizandi ſunt cum patrinis & matrinis, & ordinentur ab acolito per ordinem ſicut ſcripti ſunt, maſculi in dexteram partem, feminæ vero in ſiniſtram, & tunc qui poſſunt reddunt orationem dominicam & ſymbolum; ſive patrini pro ipſis atque matrinæ eorum, qui eos ſuſcepturi ſunt. Et faciens crucem ſacerdos cum pollice in frontibus ſingulorum dicit: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Poſtea impoſita manu ſuper capita ſingulorum dicat hanc orationem ad catechizandos infantes: *Nec te lateat* &c. Ipſa expleta tangit presbyter ſingulorum nares & aures de ſputo oris ſui, & dicit unicuique ad aurem dexteram: *Effeta* &c. Ad ſiniſtram: *Tu autem effugare* &c. Poſtea vero tangit eis pectus, & inter ſcapulum de oleo ſancto crucem faciendo cum pollice, & vocatis ſingulis nomine dicit *Abrenuntias* &c. Hoc expleto ambulat in circuitu impoſita manu ſuper capita eorum cantans: *Credo in Deum Patrem* & reliqua. Deinde vertit ſe ad feminas, & facit ſimiliter. Poſtea dicitur eis ab archidiacono: *Orate electi. flectite genua.* Et poſt paulum dicit: *Levate.* Complete orationem veſtram in unum, & dicite *amen.* Et reſpondent omnes *amen.* Iterum admonentur ab archidiacono his verbis: *Catechumeni recedant. Si quis catechumenus eſt, recedat. Omnes catechumeni exeant foras.* Item dicit diaconus: *Filii cariſſimi revertimini in locos veſtros, exſpectantes horam, qua poſſit circa vos Dei gratia baptiſmum operari.* Ipſa die hora ſeptima ingrediuntur ſacrarium pontifex, ſacerdotes & levitæ, & induant ſe veſtimentis ſolemniſſimis, cum quibus vigilias ſanctas celebrare debent, diaconi dalmaticis, ſubdiaconi lineis aut ſericis albis, & deportetur lumen, quod quinta feria fuerat excuſſum de ſilice vel criſtallo, quod deportat prior manſionariorum in manu ſua, ut poſſit ex eo cereus accendi. Et procedant ſimul omnes de ſacrario foras baſilicam ordinatim, & accenſo cereo in loco mundo, pontifex ſive presbyter faciens ſuper eum crucem, benedicit eum humili voce, ita ut a circumſtantibus poſſit audiri, ſchola interim cantante VII. pſalmos pœnitentiæ, hoc modo incipiens *Dominus vobiſcum. Et cum ſpiritu tuo.*

Or. *Deus mundi conditor, auctor luminis, ſiderum fabricator, Deus qui iacentem mundum in tenebris luce perſpicua retexiſti, Deus per quem ineffabili potentia omnium claritas ſumpſit exordium; te in tuis operibus invocantes, in hac ſacratiſſima noctis vigilia de donis tuis tua ſuppliciter offerimus maieſtati, non adipem carnis pollutum, non profana unctione viciatum, non ſacrilego igne*

(1) Hodierno uſu etiam hac die literæ alphabethi hebraici ad lectiones de lamentatione Hieremiæ prophetæ pronunciari ſolent.

igne contactum, ſed cera atque ſtuppa conſtructum, in tui nominis honore ſuccenſum obſequio religioſæ devotionis offerimus. Magnum igitur myſterium, & noctis huius mirabile ſacramentum dignis neceſſe eſt laudibus cumulari, in quo dominicæ reſurrectionis miraculo diem ſibi introductum tenebræ inveteratæ ſenſerunt, & mors, quæ olim fuerat æterna nocte damnata, in fonte veri fulgoris & lumine captivam ſe trahi dominicis triumphis obſtupuit, & quod prævaricante protoplaſto tenebroſa præſumptione fuerat in ſervitutem damnatum, huius noctis miraculo ſplendore libertatis irradiat. Ad huius ergo feſtivitatis reverentiam fervore ſpiritus deſcendentes, quantum devotio humana exigit, tibi fulgore flammarum placita luminaria exhibemus; ut dum hac fide integra perſolvuntur, creaturæ tuæ etiam præconia extollantur. Flamma lux quippe dicenda eſt, per quam poteſtas Deitatis Moyſi apparere dignata eſt, quæ de terra ſervitutis populo exeunti ſalutifero lumine ducatum exhibuit, quæ tribus pueris in camino ſententia tyranni depoſitis vitam blandimentis mollioribus reſervavit. Nam & præcedente huius gratia luminis tenebrarum horror excluditur; ita Domine luceſcente maieſtatis tuæ imperio peccatorum ſarcinæ diluuntur. Cum igitur huius ſubſtantiæ miramur exordium, apum neceſſe eſt laudemus originem. Apes vero ſunt frugales in ſumptibus, in procreatione caſtiſſimæ, ædificant cellulas cereo liquore fundatas, quibus humanæ peritiæ ars magiſtra non coæquatur. Legunt pedibus flores, & nullum damnum floribus invenitur. Partus non edunt, ſed ore legentes concepti fœtus reddunt examina. Sicut exemplo mirabili Chriſtus ore paterno proceſſit. Fecunda eſt in his ſine partu virginitas, quam utique Dominus ſequi dignatus, carnalem ſe matrem habere virginitatis amorem conſtituit. Talia igitur Domine digna ſacris altaribus tuis munera offeruntur, quibus te lætari religio chriſtiana non ambigit. Qui vivis & r.

Alia. *Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, in nomine tuo & Filii tui Dni nri Ihu Xpi & Spiritus ſancti benedicimus hunc ignem, & eum cum cera & omnibus eius alimoniis ſanctificamus, & ſigno crucis Chriſti Ieſu Filii tui altiſſimi ſignificamus ut intus vel foris accenſus, non quod nocet, incendat, ſed omnia ad uſus hominum neceſſaria calefaciat, ſive illuminet; & quæ ex hoc igne fuerunt conflata vel calefacta, ſint benedicta, & omni humanæ ſaluti utilia, ut non cum Nadab & Abiu ignem tibi offerentibus alienum incendamus, ſed cum Aaron pontifice & filiis eius Eleazaro & Ithamaro hoſtias tibi pacificas ſancti Spiritus igne aſſatas immolare valeamus, & ſemper eiuſdem Sancti igne vicia noſtra ure, cordaque luce ſcientiæ tuæ illumina, & animas noſtras fidei calore clarifica. Per eundem Dum urm. in unitate eiuſdem.*

Tunc accenditur ex eo cereus poſitus in harundine, & deportatur ab epiſcopo, ſeu abbate, ſeu præpoſito, & procedunt ſimul omnes de loco benedictionis in eccleſiam cum ipſo cereo ſilentio nihil cantantes, proſequente eum omni populo ſicut ſupra. Aliqui tamen hic cantant hymnum Prudentii: *Inventor rutili dux boni luminis, qui certis vicibus tempora dividis merſo ſole chaos ingruit horridum, lumen redde tuis Chriſte fidelibus.* Schola eundem verſum proſequente *Quamvis innumero*, cum aliis verſiculis ad hoc pertinentibus. Tunc illuminentur ex eodem lumine ſeptem lampades ante altare, quæ tamen prius ſine lumine erunt, ita compoſitæ, ut abſque ullo impedimento poſſint accendi. Cereus vero magnus, qui benedicendus eſt ponitur in candelabro ante altare in medio eccleſiæ, congregato hinc inde omni clero ſeu populo. Deinde veniens archidiaconus facit crucem in eo, & illuminat illum de novo igne, & humiliter inclinatus, rogat unum de ſacerdotibus vel levitis, qui ibidem reveriti aſtant pro ſe orare, atque ut ſurrexerit, completur ab eo benedictio cerei prima, quaſi in modum legentis ita:

Benedictio Cerei.

Exultet iam &c. (ut in miſſali Romano) *Precamur ergo te, ut nos famulos tuos, omnem clerum, & devotiſſimum populum unacum beatiſſimo papa noſtro N. & glorioſiſſimo rege noſtro N. eiuſque nobiliſſima coniuge N. & antiſtite noſtro N. in his paſchalibus feſtis conſervare digneris. Per Dum &c* Cereo benedicto illico illuminentur ab eodem in duobus candelabris alii duo cerei ſtaturam hominis habentes, & de ipſo novo & benedicto igne accendunt in omni domo: quia omnis ignis anterior, qui tunc ardebat extingui debet. Et hic ordo cerei benedicendi in forenſibus civitatibus agitur. Nam in catholica eccleſia infra civitatem Romanam non ſic benedicitur; ſed mane primo Sabbato ſancto venit archidiaconus in eccleſiam, & fundit ceram

in

Digitized by Google

in vas (1) mundum maius, & miſcet oleum ibidem, & benedicit ceram, & ex ea fundit ſimilitudinem agnorum, & ſervat eos in loco mundo.

Benedictio Ceræ.

Benedic Domine Ieſu Chriſte hanc creaturam ceræ ſupplicantibus nobis, & infunde ei per virtutem ſanctæ crucis tuæ benedictionem cœleſtem: ut qui eam ad repellendas tenebras humano generi tribuiſti, talem ſignaculo ſanctæ crucis tuæ fortitudinem & benedictionem accipiat, ut in quibuscunque locis accenſa ſive poſita fuerit, diſcedat diabolus, & contremiſcat, & fugiat pallidus cum omnibus miniſtris ſuis de habitationibus illis, nec præſumat amplius inquietare vel illudere ſervientes tibi. Qui cum Deo Patre & Spiritu ſancto.

Alia. *Benedico te cera in nomine ſanctæ Trinitatis, ut ſis ubique diaboli effugatio, atque omnium contubernalium ſuorum exterminatio, adiuvante eadem ſancta & individua Trinitate, quæ in unitatis eſſentia vivit & regnat Deus.* In octava paſchæ dantur ipſi agni ab archidiacono in ipſa eccleſia poſt miſſam & communionem populo, & ex eis faciunt incenſum accendi adfumigandum in domibus ſuis pro quacunque tribulatione eis venerit neceſſitas. Similiter & in forenſibus civitatibus de cereo faciunt. Qui cereus per octo dies neophitorum præcedit pontificem, qui eſt caput populi. Cum autem pontifex ſive presbyter fuerit paratus, exſpectet clerus in ordine ſuo in choro uſque dum eis viſum fuerit obviam illi venire, ut in eccleſiam intret, eoque veniente ad ſedem ſuam; vel ſi in ſacrario ſedere voluerit, alius presbyter dicat orationes ad altare per lectiones. Antea vero quam legantur lectiones, accipiant duo notarii ſupra ſcriptos cereos accenſos, teneant illos, unus in dextro cornu altaris, alter in ſiniſtro uſque ad fontem. Deinde aſcendens lector in ambonem legere non pronunciat lectio libri Geneſis, ſed ſic inchoat: *In principio creavit Deus cœlum & terram* plane. Et omnes alias lectiones ſimiliter inchoat. Et ante in principio non dicat epiſcopus orationem. (2) Ea perlecta dicit epiſcopus aut presbyter abſque ſalutatione. *Oremus.* Et diaconus non dicit Flectamus genua. (3) Sequitur oratio. *Deus qui mirabiliter creaſti &c.* Sequitur lectio ſecunda de libro Exodi: *Factum eſt in vigilia.* Poſtea cantatur Tractus *Cantemus Domino.* Sequitur ſacerdos & dicit *Oremus. Deus qui antiqua miracula.* Deinde tertia lectio Iſaiæ prophetæ. *Apprehendent ſeptem mulieres virum.* Sequitur cant. Tr. *Vinea facta eſt.* Dicit Sacerdos. *Oremus. Deus qui nos ad celebrandum ſacram.* Sequitur lectio IIII. Iſaiæ prophetæ: *Hæc eſt hæreditas.* Canticum. *Attende cœlum.* Oratio. *Deus qui Eccleſiam tuam ſemper gentium vocat.* Tr. *Sicut cervus.* Sequitur oratio: *Concede quæſumus omnipotens Deus, ut qui feſta paſchalia.* Alia oratio de

(1) Huius ritus *Romani* infra iterum ſuo loco fit mentio nempe in ordine in octavis paſchæ; hic autem eadem leguntur verba, quæ *Ioſ. Mar.* SUARESIUS in libello *de baptiſmo paſchali, & origine ac ritu conſecrandi Agnos Dei* ex ord. *Rom.* GELASII P. circa annum 1492. retulit contra VICTORELLUM, qui in notis ad CIACONIUM in URBANO V. ad huius pontificis tempora cum nonnullis aliis retulit uſum benedicendi Agnos Dei cereos. *Rhabanus* MAURUS lib. II. de Inſtit. Cler. ZOSIMUM auctorem facit. Vid. SIGEBERTUS *Gemblac.* ad an. 417. poſt AMALARIUM de eccleſ. Officiis. c. 118. In muſæo ſacro *Vaticano* Agnum Dei ex cera ad tempora IOANNIS XXII. ſæc. XIV. pertinentem, vetuſtiorem, quem viderit, notat *Stephanus* BORGIA de hoc argumento ſcribens ad PIUM VI. P. anno primum 1775. ſæculo XV. defeciſſe ritum conſecrandi Agnos ſeu ceram Feria V. in Cœna Domini, atque ad finem eiusdem ſæculi, initioque ſæculi XVI. Pontifices benedictionem Agnorum Sabbato in Albis aliquando peregiſſe, ac denique, aliquo inter feſta paſchalia, & ſabbatum in Albis die, idem probat pag. XXIX. ſeq. ut uſque hodie obſervatur. Vid. CIAMP. Vet. Monum. P. I. c. 3.

(2) Vides hic expreſſis verbis præſcribi ritum a *Gelaſiano* diverſum, quo prima oratio lectionem præcedit, ut habes in noſtro ſacramentario *Alem.* T. I. pag. 83.

(3) Aliter hodie mos obtinet, nempe iuxta antiquum *Romanum* ritum, de quo memorabile ad rem eſt, quod MARTENIUS in libro de ant. Eccl. diſc. c. 24. n. 13. refert ex antiquo *Romano* ordine ad uſum *Corbeienſis* monaſterii accommodato, in quo ita legitur: „Et interrogavimus nihilominus domnum apoſtolicum ADRIANUN ſecundum veſtra mandata, ſi in paſchali ſabbato debent flecti genua, & ipſe reſpondit, hoc debere omnimodis fieri. Cui cum diceremus, & quomodo ſacerdotes, & miniſtri ſeu clerus cum ſtolis, & planetis poſſunt in terram proſterni. Ille adiecit, non debere ſacerdotes, vel miniſtros, ſeu clerum ſtolis prius, planetisque veſtiri, niſi tunc demum, cum lumen novum introducitur, ut cereus benedicatur.“ Ex quibus verbis iam obſervavit MARTENIUS olim lectiones præceſſiſſe cerei benedictionem.

Digitized by Google

de eodem pſalmo. *Omnipotens ſempiterne Deus reſpice propitius ad devot.* Interim autem dum lectiones leguntur presbyteri catechizant infantes, qui non ſunt catechizati, & præparent ſe ad baptizandum. Expletis autem lectionibus vigiliarum paſchæ per ordinem cum canticis ad ipſum diem pertinentibus, & cum reliquo officio ſtatim venientes duo acoliti tenentes ampullas manibus ſuis de chriſmate & oleo ſancto coopertas, & ſtantes in dextro cornu altaris procedunt pontifici ſive presbytero obviam, pergenti ad fontes. Secundus vero ſcholæ tenet vas aureum in manu ſua ſiniſtra ſuper lanceam, unde pontifex mittat chriſma in fontem. Tunc deinde ſchola deſcendit ad fontes ad letaniam faciendam exſpectantes pontificem, & iuſſi faciunt letaniam ſeptenam. Deinde procedit pontifex de eccleſia benedicendo cum omni decore & ordine ſacerdotum cum letania quina, proſequente eum clero vel populo uſque ad fontes, ſuſtentatus a duobus diaconibus, præcedentibus ante eum notariis cum duobus cereis ardentibus, qui ante fuerant illuminati, ſtaturam hominis habentibus in altum cum thuribulis & thimiamatibus. Et illi duo cerei vel cereoſtrata illo die ſemper ante ipſum præcedunt, uſque dum omnia fuerint finita. Et ut ventum fuerit ad *agnus Dei*, ſemper illud cantent, uſque dum pontifex quidem annuit eis ut ſileant. Expleta autem letania ante fontem aſtante omni clero, vel populo in circuitu fontis, facto ſilentio benedicturus fontem, hora iam nona, ut mos eſt, dicat pontifex orationem Dominicam *Pater noſter.* Et ſymbolum. Quo finito iſtum dicat verſum. *Quoniam apud te eſt fons vitæ.* ℟. *Et in lumine tuo. Dominus vobiſcum*, quod nuſpiam alias in iſto officio dicendum eſt. ℟. *Et cum ſpiritu tuo. Oremus. Omnipotens ſempiterne Deus adeſto magnæ piet. tuæ &c.* (ut P. I. pag. 85.) His omnibus expletis in præſentia cleri, ſubdiaconus ſumens vas aureum unde mittitur chriſma in fontem, & effundens in id de ampullis utriſque id eſt de oleo ſancto, atque de chriſmate donat diacono, & ille pontifici. Pontifex vero effundit chriſma de vaſculo aureo intra fontem ſuper ipſam aquam in modum crucis dicens lenta voce *Sanctificetur & fæcundetur fons iſte renaſcentibus ex eo in vitam æternam.* Et cum vaſe aureo miſceat ipſum chriſma cum aqua, & ſpargit cum manu ſua per omnem fontem, & ſuper omnem populum circumſtantem. Hoc facto omnis populus, qui voluerit accipiat benedictionem unusquisque in vaſe ſuo de ipſa aqua, antequam ibi baptizentur parvuli ad ſpargendum in domibus & vineis, & campis & fructibus ſuis. Deinde pontifex baptizet unum vel duos vel quantum ei placuerit de ipſis infantibus. Et tenente eo infantem a quo ſuſcipiendus eſt, interrogat pontifex ita *Quis vocaris?* Reſpondet ille. Item interrogat pontifex *Credis* &c. Symbolum apoſtolorum: *Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ.* Et reliqua. Sermo unde ſupra (1). *Symbolum græca lingua dicitur an latina?* Græca lingua ſymbolum latina dicitur collatio: hoc eſt collectio. *Quare collatio?* Quia poſt aſcenſionem Domini & adventum Spiritus ſancti, ſancti apoſtoli in unum convenerunt, & ſimul omnes hanc doctrinam apoſtolicam compoſuerunt. *Quare hæc fecerunt?* Quia futurum erat, ut transirent ad gentes, dividerenturque per ſingula regna terrarum, & Chriſtum Dei Filium eſſe omnibus gentibus prædicarent, ne diſcrepatio fieret inter prædicatores & auditores. *Dicitur alio modo ſymbolum niſi collatio?* Dicitur etiam iudicium vel ſignum, quia per hanc apoſtolicam doctrinam recta atque perfecta fides indicatur. *Et quot ſunt ſymbola?* ℟. Tria. Unum ab apoſtolis inventum, aliud in Nicea urbe a trecentis decem & octo patribus, tertium in Conſtantinopoli a centum quinquaginta patribus regnante Theodoſio imperatore. *Quid diſtat inter credo Deo, & credo Deum, & credo in Deum?* Hoc diſtat: Credo Deo, credo præceptis Dei, & mandatis Dei, & verbis Dei, & dictis Dei; quoniam quæcunque dixit vel promiſit, vera ſunt: verbi gratia, ſic ſolemus dicere, credo illi homini, quia verum mihi dixit. Credo Deum eſſe, quia Deus eſt, ſicut hominem eſſe, quia eſt homo. Credo in Deum: id eſt, omnem ſpem atque fiduciam meæ ſalutis in Deum pono, colloco, conſtituo. *Deus quare dicitur?* Deus ergo a dilectione dicitur; quia omnia diligit quæ creavit, & ipſe diligitur a Sanctis ſuis. Dicitur autem Deus a timore, quia timetur ab omnibus, adoratur a cunctis. Dicitur & a divinitate Deus, quia divinus eſt, & omnia ſcit antequam fiant. *Pater quare dicitur?* Quia habet Filium. Dicitur omnipotens, quia omnia ex nihilo creavit. Et omnipotens, quia omnipotentem genuit Filium. *Quare ſpecialiter dicitur creator cæli & terræ, cum ipſe omnia creavit?* Ut per duas principales creaturas omnes aliæ intelligantur. Per cœlum

(1) Sequentes interrogationes & reſponſiones; nec non expoſitionis fidei formulæ admodum accommodatæ ſunt captui infantum.

Digitized by Google

lum enim ſpirituales & inviſibiles deſignantur, per terram corporales & viſibiles. *Quare dicitur & in Ieſum Chriſtum Filium eius?* Quia ſic eſt Filius Deus, quomodo Pater. *Qua lingua dicitur Ieſus?* Hebræa, quod latine dicitur Salvator, quia ſalvat populum ſuum a peccatis eorum. Chriſtus græce, latine dicitur unctus. *Unde unctus eſt Ieſus? Nunquid corporali, & viſibili oleo?* Non, ſed oleo ſpirituali, hoc eſt plenitudine Spiritus ſancti. Unde per pſalmiſtam dicitur: Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, & Iſaias dicit: Spiritus Dni ſuper me, eoquod unxerit me. *Quare dicitur Filius?* Filius dicitur a felicitate, quia omne gaudium & omnis læticia Patris eſt Filius. *Quare dicitur unicum Dominum? Quid eſt unicus?* Unus & ſolus. *Quare unicus Dominus Ieſus Chriſtus?* Quia ille ſolus proprius eſt Filius Dei, nos ſumus adoptivi. *Quare dicitur, qui conceptus eſt de Spiritu ſancto?* Quia operante Spiritu ſancto ſuſcepit carnem ex Virgine. *Quare ergo non dicitur Filius Spiritus ſanctus?* Ne duo viderentur eſſe Patres in ſancta Trinitate. Verbi gratia, multæ res naſcuntur, quæ proprie filii non vocantur. Naſcuntur homines ex aqua baptiſmatis, & non vocantur filii aquæ, ſed filii adoptivi. Sic vero ille homo aſſumtus a verbo opere Spiritus ſancti formatus, Spiritus ſancti tamen non dicitur Filius, ſed Filius Patris. *Natus ex Maria Virgine?* Ex Maria Virgine dicitur, hoc eſt ex ſubſtantia Mariæ. *Paſſus ſub Pontio Pilato?* Paſſus eſt, ut nos ſua paſſione liberaret. Pontius dicitur ab inſula Ponto, Pilatus enim præſes fuit Iudeæ provinciæ. Pilatus interpretatur os malleatoris, quia os malleatoris aliquando percutit, aliquando ſublevat. Sic faciebat Pilatus, quando dicebat, nullam cauſam invenio in homine iſto, ut eum morti tradam, eum iuſtificabat; & quando dicebat, accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum, condemnabat. *Quare crucifixus eſt Dominus?* Ut nobis exemplum daret, quatenus in nobis peccatum crucifigamus, & ut nos ipſi mundo moriamur. *Quare non voluit Dominus alia morte mori niſi morte crucis?* Quia crux magnum myſterium habet in ſe. Si crux in terra proiicitur per quatuor eius cornua, quatuor partes mundi demonſtrantur. In hoc voluit Dominus demonſtrare, quia non venit unam partem mundi redimere, ſed totum humanum genus. Unde dicit pſalmiſta: a ſolis ortu uſque ad ocaſum, ab Aquilone & mari, dicant qui redemti ſunt. Et ſi crux ſurſum erigitur, ſimul demonſtrat cœleſtia & terreſtria. Unde dicit Paulus apoſtolus: Pacificans per ſanguinem crucis eius ſive quæ in cœlis ſunt, ſive quæ in terris. *Habet crux aliud myſterium in ſe?* Vere habet. Unde dicit Paulus apoſtolus ad auditores ſuos: Orate ut poſſitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ ſit longitudo, & latitudo, ſublimitas & profundum. Sublimitas eſt ea pars, quæ ſuper caput eminet, & inde deſignatur ſpes futurorum bonorum operum. Unde dicit Paulus apoſtolus: Spe enim ſalvi facti ſumus. Per tranſverſum lignum ubi brachia extenduntur, deſignatur caritas. Unde dicit evangelium, diligite amicum in Deo, inimicum propter Deum. Et propheta dicit: Latum mandatum tuum nimis. Hinc Iacobus ait: Caritas cooperit multitudinem peccatorum. Per longitudinem crucis, id eſt, eam partem, quæ eminet a terra uſque ad tranſverſum lignum deſignatur perſeverantia in bonis operibus. Unde dicit Dominus in evangelio: Qui autem perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit. Profundum crucis eſt ea pars, quæ in terra figitur, unde deſignantur occulta Dei iudicia. Et inde dicit Paulus apoſtolus: O altitudo diviciarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inveſtigabiles viæ eius. Quis enim, cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarus eius fuit? Subauditur nemo. Mortuus eſt, ut nos, qui peccatis mortui eramus, vivificaret. Sepultus eſt, ut nobis daret exemplum peccata noſtra ſepeliendi. Tunc peccata noſtra ſepeliuntur, quando infans ternis vicibus ſub aqua mergitur. Et tunc cum Chriſto reſurgimus, quando infans de aqua ſubtrahitur. *Deſcendit ad inferna quomodo?* Sola anima. *Vel quare deſcendit?* Ut inde ſuos electos abſtraheret, qui ibidem indebite detinebantur. Tertia die reſurrexit a mortuis. *Quare non voluit ipſo die aut ſecundo? Quare voluit tertia die?* Quia ſicut primus homo Adam tribus vicibus cecidit, & perdidit nos omnes, ita & iſte ſecundus Adam, id eſt Dominus noſter voluit tertia die reſurgere, ut nos de eis liberaret, in quas inducti eramus propter peccatum primi hominis Adæ, id eſt ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. Aſcendit ad cœlos, ut nobis aperiret aditum regni cœleſtis, quia clauſus erat propter peccatum primi hominis Adæ. *Sedet ad dexteram Dei Patris. Quare dicitur ſedere ad dexteram Patris?* Numquid Deus corporeus eſt, ut dexteram vel ſiniſtram habeat? Non, ſed per dexteram ſignificatur æqualitas Patris, quia in æqualitate Patris manet, & Deo Patri eſt æqualis.

Digitized by Google

qualis. Sedere enim requieſcentis dicitur, vel iudicantis, inde dicit de æqualitate Patris. *Quos appellat vivos, quos mortuos?* Vivos appellat eos, quos Dominus inveniet vivos, appellat mortuos, qui iam mortui ſunt. Alio ſenſu vivos appellat iuſtos, qui fide & bonis operibus vivunt; mortuos appellat peccatores, qui peccatis mortui exiſtunt. *Quare dicit in Spiritum ſanctum?* Quia alia perſona eſt Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti: idcirco dicitur diſtincte Credo in Deum Patrem omnipotentem, & in Ieſum Chriſtum Filium eius, & in Spiritum ſanctum, quoniam ſic eſt Spiritus ſanctus Deus, quomodo Pater & Filius. *Sanctam Eccleſiam catholicam.* Sancta dicitur ſecreta, ſemota. Eccleſia græce latine dicitur congregatio. Et quod nomen eſt melius ſynagoga an Eccleſia. Eccleſia eſt melius & maius nomen, quia bruta animalia congregari poſſunt, convocari non poſſunt niſi homines, qui ſunt rationales. Idcirco placuit ſanctis apoſtolis eorumque ſucceſſoribus, ut ſolus populus chriſtianus Eccleſia vocaretur. Catholica græcus ſermo eſt, latine dicitur generalis vel univerſalis. *Sanctorum communionem.* Communionem dicit ſocietatem, qua ſocietate fideles & ſancti ſocii ſunt per fidem & charitatem. *Carnis reſurrectionem.* Credo, quia omnes de terræ pulvere reſurrecturi ſumus. *Vitam æternam* dicit ad diſtinctionem iſtius vitæ temporalis & tranſitoriæ. Æternam dicit, quia ſemper fuit, eſt & erit. *Amen* vero hebræus ſermo eſt, latine dicitur vere, ſive fideliter, ſive fiat. *Iſtis quoque* rite peractis interrogat pontifex ita: *Vis baptizari?* ℟. Volo. Tunc accipit eum & dicit: Et ego te baptizo in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti. Et reddet eum patrinis, vel matrinis: Ordo de verbis græcis baptiſterii, quomodo vertantur in latinum. Baptizo te, hoc eſt intinguo te, electus, a Deo coronatus. Cathechumini, hoc eſt inſtructi, eruditi, & docti. Idoneus hoc eſt prolatus, modeſtus. Exorcizo te, hoc eſt, adiuro te. Tutela, hæc eſt defenſio, protectio, curatio, cuſtodia. Lavacrum baptiſmum. Patriarcha hoc eſt princeps & ſenior. Catechizas eos, hoc eſt, edoces eos & inſtruis. Imminere, hoc eſt accreſcere & exaltari. Clibanus, fumus. Oleo exorcizato, ſacrato. Abrenuntias, reſpuis, deſpicis omnes malitias & vanitates. Et pompis, quod eſt ſuperbia. Linit, ungit, linio, unguo. Conſubſtantiale hoc eſt unius ſubſtantiæ. Conſempiternum vel idem, id eſt ſine fine. Abluens, lavans, abſtrahens. Origo, inicium Orbis, totus mundus. Regenerandis, renovandis. Archana, ſecreta. Sexus hic dicitur de viro & femina. In principio, in initio. Manare, fluere. Efficaces, effective. Squaloribus, immunditiis. Medelam, medicinam. Gentiles, ethnici, pagani. Energumeni ſunt homines a dæmonibus vexati, aut exagitati. Quando dicit Credis in Deum Patrem omnipotentem, hoc eſt in perſona Patris. Et quando dicit Credis in Ieſum Chriſtum Filium eius unicum Dominum noſtrum natum & paſſum, hoc eſt in perſona Filii. Et quando dicis & in Spiritum ſanctum, hoc eſt in perſona Spiritus ſancti. Scrutinium a ſcrutando dictum eſt. Item quærendum eſt, quid ſit ſcrutinium, quia ante baptiſmum fidem catechumeni ſcrutari oportet. Item quærendum eſt, cathechumenus quid ſit, id eſt accedens ad baptiſmum ut renunciet maligno ſpiritui, & omnibus dampnoſis eius operibus & pompis. *Item catechumenus cuius lingua?* Græcum eſt. Quid interpretatur in latinum? Audiens, ſive petens, vel inſtructus. *Item cur exſufflatur?* Ut iam effugato diabolo, Chriſto Domino præparetur introitus. *Item catechumeno cur primum ſal datur?* Quod quærit invenit in ſcriptura divina. Sal enim, id eſt, ſapientia a catechuminis percipitur, quia Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam audiendo deguſtant. *Item quid eſt exorcizatus?* Id eſt coniuratus malignus ſpiritus ut exeat, & recedat, dans locum Deo vivo, & vero. *Item cur catechuminus accipit ſal?* Ut putrida & fluxa eius peccata, ſapientiæ ſale divino munere mundentur. *Item quid eſt, quod ſacerdos de ſputo ſuo tangit aures & nares?* Secundum exemplum Dei ait, quod in evangelio legimus eum de ſurdo & muto facere. Sive aliter, audiendo & orando Chriſtum ſic tribuit, quia ſicut Spiritus de interioribus capitis procedit, ita Filius de ſubſtantia Patris naſcitur, cum dicit apoſtolus: Caput Chriſti Deus. Item tanguntur nares, ut quamdiu ſpiritum naribus trahit, in fide accepta perduret. *Item cur ſcapula ſignantur?* Quia in regnum Chriſti conſecratur. De nobis enim dicit apoſtolus: Hæredes quidem Dei cohæredes autem Chriſti. *Item cur inter pectus & ſcapulas de ipſo oleo crucem facit?* Demonſtrat ut regno Chriſti, quod eſt Eccleſia prædicando & laborando proficere ſtudeat. In pectore rationem deſignat, in ſcapulis vero onus oſtendit. Dicit enim apoſtolus: Glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Glorificate prædicando, portate ſuſtinendo. *Item pectus quoque perungitur oleo*, ut ſigno ſanctæ crucis diabolo claudatur

ingreſſus

Digitized by Google

ingreſſus. Signantur ſcapulæ, ut undique muniantur. In pectoris & ſcapularum unctione ſignatur fidei firmitas, & operum bonorum perſeverantia. *Item cur ſymbolum apoſtolorum antequam baptizetur, traditur?* Traditur enim ſymbolum apoſtolorum & fides, ut vacua domus & priſco habitatore derelicto, ſic denuo ornetur, ut præparetur habitatio Dei. *Item cur ante baptiſmum renunciatur diabolo, & omnibus operibus eius, & pompis?* Quia poſt renuntiationem ſatanæ ſacra verba datæ fidei fixa erunt. *Item baptiſmum cuius ſermo eſt?* Græcus. *Item cur interpretatur tinctorium?* Quia ibi tinguntur corpora fidelium. Poſt hæc baptizantur in aqua his verbis, in nomine Patris & Filii, & Spiritus ſancti. *Quid eſt, quod ab ipſo Domino præcipitur baptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti?* In unitate Deitatis naturam, & proprietatem ſingularitate demonſtrat. Propter unitatem ſubſtantiæ non dicitur in nominibus, ſed in nomine; propter ſingularitatem perſonarum Patrem & Filium & Spiritum ſanctum ſingulatim nominat; & ſic in nomine ſanctæ Trinitatis trina ſubmerſione baptizatur. Et recte homo, qui ad imaginem ſanctæ Trinitatis conditus eſt, per invocationem ſanctæ Trinitatis ad imaginem renovatur eandem. Et qui trino gradu peccandi id eſt conſenſu, ſuaſione, delectatione cecidit in mortem, trino elevatus de fonte per gratiam ſurgit ad vitam. *Item cur induitur veſte candida.* Per veſtem candidam inmortalitatem, quam per primum hominem in paradiſo perdidimus, demonſtrat in baptiſmo nos recipere. Et tunc albis induitur veſtimentis propter gaudium regenerationis, ac caſtitatem vitæ, & angelici ſaporis decorem. *Item cur caput eius ſacro chriſmate perungitur, & myſtico tegitur velamine?* Ut intelligat diadema regni & ſacerdotii dignitatem ſe portare: quia iuxta apoſtolum vos eſtis genus regale; offerentes voſmetipſos Deo vivo hoſtiam ſanctam Deo placentem. *Item cur ſtatim corpore & ſanguine dominico confirmamur?* Ut illius capitis ſit membrum, qui pro eo paſſus eſt & reſurrexit. *Item cur primum miniſtri & non pontifex ſuper catechumenum manus imponant?* Ideo, ut noviſſime per impoſitionem manus a ſummo ſacerdote ſeptiformis gratiæ ſpiritum accipiat: ut roboretur per ſpiritum ſanctum ad prædicandum, qui fuit per baptiſmi gratiam vitæ donatus æternæ. *Item quomodo credis?* Credo in Deum Patrem omnipotentem, ingenitum, ante omnia ſubſiſtentem. & nullum finem habentem. *Item quomodo credis in Filium?* Credo in Filium genitum a Patre, per quem omnia facta ſunt, æqualem Patri in Deitate. *Item quomodo credis in Spiritum ſanctum?* Credo in Spiritum ſanctum non genitum non ingenitum, non creatum, neque factum, ſed de Patre & Filio procedentem, coæqualem, cuncta vivificantem. In hac Trinitate unum Deum credo, atque confiteor in tribus perſonis. *Item credis reſurrectionem?* Credo. *Quomodo?* Credo, poſtquam morior, quod reſurgam in perfecta ætate in qua ipſe Chriſtus reſurrexit, & aſcendit ad Patrem, & inde venturus eſt iudicare vivos & mortuos, & reddere unicuique iuxta opera ſua. *Qualiter in Trinitate credendum eſt?* Credendæ ſunt tres perſonæ Pater & Filius & Spiritus ſanctus; ſed in his tribus perſonis unus eſt Deus, una poteſtas, una maieſtas colenda eſt. *Intereſt aliqua differentia in his perſonis?* Alia eſt perſona Patris, alia Filii, alia Spiritus ſancti. *Item, eſt adhuc in his differentia?* Sine dubio eſt: quia Pater ingenitus eſt, & non ſuſcepit carnem; Filius eſt genitus, & ſuſcepit carnem de incorrupta virgine matre Maria; Spiritus ſanctus nec eſt ingenitus nec genitus, nec carnem ſuſcepit ſed procedens a Patre & Filio. Tamen Filius Dei nec poſterior nec minor Patre in quantum Deus eſt. Similiter Spiritus ſanctus nec poſterior Patre & Filio, nec minor Patre & Filio, nec minor nec humilior; ſed in his tribus perſonis una Deitas, æqualis poteſtas, una coæternitas certiſſime credenda eſt. Spiritus ſanctus a Patre & Filio non factus nec creatus nec genitus, ſed procedens a Patre & Filio, quibus conſtat una natura, una divinitas, una maieſtas, una gloria & poteſtas, ſemper fuit Pater, ſemper Filius, ſemper Spiritus ſanctus.

Expoſitio S. Anaſtaſii Alexandrini epiſcopi de fide catholica.

Quicumque vult ſalvus eſſe ante omnia opus eſt, ut teneat catholicam fidem. Eiusdem unde ſupra. Fides eſt credulitas illarum rerum, quæ non videntur. Quæ ſunt illæ res, quæ non videntur? Non videtut Pater, non videtur Filius, non videtur Spiritus ſanctus, tamen creduntur. Non videtur Chriſtus paſſus, non videtur crucifixus, non videtur cœlos aſcendiſſe, tamen creditur. Fides eſt confeſſio Trinitatis & totius bonitatis, & pietatis, & religionis fundamentum. Quia omnis bonitas & pietas in hac fide conſiſtit. Fides dicitur, quia fit illud quod dicitur. vel quod promittitur. In hoc loco illa fides intelligitur, quæ in ſacro baptiſmate promittitur, quando dicitur ab-

renuntiare diabolo & omnibus operibus eius. *Quicunque vult*: id eſt unusquisque cupit, vel deſiderat. Quicunque dicitur, quia non eſt perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente, qui timet Deum, acceptus eſt illi. Omnes enim vult ſalvare, qui ſalvari merentur. Fides dicitur propter liberum arbitrium, quia nullus invitus & coactus eſt trahendus ad fidem, ſed voluntarius debet venire. *Salvus eſſe:* quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. *Ante omnia*, id eſt per omnia. *opus eſt*, neceſſe eſt. *Quare ſuper omnia tenenda eſt fides?* Quia ait apoſtolus, ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Et fides eſt omnium fundamentum bonorum. Ut teneat non manu corporis, ſed manu mentis catholicam fidem. Catholica græcus ſermo eſt, & latine dicitur univerſalis ſive generalis. *Quare univerſalis ſive generalis dicitur?* Quia in hac fide tenetur ſancta Eccleſia per univerſum mundum diffuſa. *Quam niſi quisque* & cæt. Quam, id eſt fidem niſi, ſi non quisque vel unusquisque integram, ſanam, perfectam inviolatamque, id eſt incorruptam ſervaverit, cuſtodierit, absque dubio, ſine dubio in æternum peribit: æterna pœna cruciabitur & contempnabitur. *Fides autem catholica hæc eſt:* Hic ſunt tres gradus. In primo invitat ad fidem, cum dicitur *Quicunque vult & cæt.* In tertio incipit demonſtrare quæ ſit vera fides, cum ait: *Fides autem catholica.* Forte interrogat aliquis, quæ ſit vera fides? Ut unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate veneremur. *Ut unum Deum*, id eſt unam Divinitatem, unam ſubſtantiam, unam naturam, unam poteſtatem *in Trinitate*, id eſt in tribus perſonis, & Trinitatem, id eſt tres perſonas in unitate, id eſt in una Divinitate, una ſubſtantia, una natura, una poteſtate veneremur, colamus, confiteamur. *Neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam ſeparantes.* Confundentes id eſt miſcentes, coniungentes. Quia ille confundit perſonas, qui de tribus perſonis unam facit. Quis hoc prius dixit? Sabellius. Quomodo dicebat: Quando vult Pater eſt: quando vult Filius eſt: quando vult Spiritus ſanctus eſt; ipſe tamen unus eſt, id eſt perſona una Patris. Dicebat male an bene? Certe male. Quare? Quia perſona dicitur, eoquod per ſe ſonat. Per ſe ſonat Pater, per ſe ſonat Filius, per ſe ſonat Spiritus ſanctus, & ideo non ſunt confundendæ perſonæ. *Neque ſubſtantiam ſeparantes.* Id eſt dividentes. Quis ſeparat ſubſtantiam? Illi qui dicunt, quia Pater maior ſit, quam Filius, & Filius maior, quam Spiritus ſanctus. Quis hoc prior dixit? Arrianus. Dicebat male, an bene? Certe male. Quare? Quia ſicut non ſunt tres ſubſtantiæ, ita nec tres Dii. Ambos illos errores Dominus una ſententia reprehendit, cum ait: Ego & Pater unum ſumus. Cum dicit unum, oſtendit, quod non ſit ſeparanda ſubſtantia. Cum dicit ſumus, oſtendit, quod non ſint confundendæ perſonæ. Ideo tribus vicibus dicit alia, alia, alia, quod aliud ſonat Pater, aliud Filius, aliud Spiritus ſanctus, & ut oſtenderet, quod non ſit ſeparanda ſubſtantia, ideo ſubiunxit dicens: *Sed Patris, & Filii, & Spiritus ſancti una eſt Divinitas*, una eſt Deitas, *æqualis gloria*, id eſt æqualis claritas, *coæterna maieſtas*, ſimul æterna poteſtas. Ergo non eſt ſeparanda ſubſtantia. Maieſtas dicitur, quaſi maior poteſtas, & bene maior poteſtas in Deo dicitur, quia omnia præcellit. *Qualis Pater.* Qualis id eſt quantus, & tantus, quantus Pater, tantus Filius, tantus Spiritus ſanctus. Sicut increatus Pater, increatus Filius, increatus & Spiritus ſanctus. Sicut increatus Pater, ita & Filius, ita & Spiritus ſanctus. Increatus Pater, quia a nullo creatus eſt; & ſi creatus eſſet, creatura eſſet, & ſi creatura eſſet, non eſſet creator. Sic & Filius & Spiritus ſanctus. Ut oſtenderet, quia non ſint confundendæ perſonæ, ideo tribus vicibus dixit increatus. *Immenſus Pater*, id eſt non menſus, id eſt immenſurabilis, quia non poteſt menſurari. Immenſus eſt Pater, quia non poteſt circumſcribi, nec valet comprehendi, nec loco claudi, quia ubique eſt totus, non per membra diffuſus, ſed poteſtate dilatatus, quoniam ipſe eſt ſuper omnia, infra omnia, extra omnia, ſub omnibus. Similiter Filius, ſimiliter Spiritus ſanctus. *Æternus Pater.* Æternus dicitur, quia initio & fine caret. Sic & Filius, ſic & Spiritus ſanctus. Ut oſtenderet, quod non ſint confundendæ perſonæ, ideo tribus vicibus dixit, æternus. Et propter unitatem ſubſtantiæ ſubiunxit, dicens: Et tamen non tres æterni, ſicut non tres increati. *Similiter omnipotens Pater.* Omnipotens dicitur, quia omnia poteſt. Et ſi omnia, ergo poteſt mentiri, & falli, & poteſt mori & infirmari? Certe non poteſt, quia non conveniunt naturæ Dei. Ea enim poteſt Deus, quæ vult, & ea vult, quæ poteſt: quia voluntas Dei in poteſtate eſt, & poteſtas in voluntate eius. Ita mentiri & falli non poteſt, quia veritas eſt, quia non convenit naturæ Divinitatis eius. Mori non poteſt, quia vita eſt perennis. Infirmari non poteſt, quia ſanitas eſt. Ut oſtenderet, quod non ſunt confundendæ perſonæ, ideo tribus vicibus dixit omnipotens; & propter unitatem ſubſtantiæ ſubiunxit dicens: Et tamen non tres omnipotentes, ſed unus omnipotens. Ita Deus Pater. Deus dicitur a dilectione, quia diligit omnia quæ creavit. Unde dictum eſt, nihil eorum odiſti, quæ feciſti. Et Deus dicitur a timore, qua ti-

Digitized by Google

timetur ab omnibus, adoratur a cunctis. Adoratur quidem a bonis angelis, timetur a malis. Et Deus dicitur a divinitate, quia divinus eſt, & cognoſcit omnia antequam fiant. Similiter Filius, ſimiliter & Spiritus ſanctus. Forte interrogat aliquis, quomodo poſſunt eſſe tres perſonæ una ſubſtantia? Sed non debet videri contrarium, quia poſſumus ſimile invenire exemplum in corporalibus rebus. Verbi gratia, eſt Soli ſplendor, & calor. Et ſi interrogat te aliquis, eſt Sol ſplendor? reſponde, eſt. Et ſi interrogat te aliquis, eſt Sol calor? reſponde, eſt. Nunquid igitur tres ſunt Soles? Non. Quare? Quia unus eſt Sol, id eſt una natura. Ut oſtenderet, quod non ſint confundendæ perſonæ, ideo tribus vicibus dixit Deus. Et propter unitatem ſubſtantiæ ſubiunxit dicens: *Et tamen non tres Dii, ſed unus eſt Deus. Ita Dominus Pater.* Dominus dicitur a domo, quia ſicut paterfamilias regit famulos in domo, ita Dominus regit cunctos in mundo. Sive Dominus dicitur a dominando, quia omnibus dominatur. Et ut oſtenderet, quod non ſint confundendæ perſonæ, ita tribus vicibus dixit Dominus. Et propter unitatem ſubſtantiæ ſubiunxit dicens: Et tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus. *Quia ſicut ſingillatim.* Singillatim eſt ſemotim, ſeparatim; *unamquamque perſonam, Deum ac Dominum confiteri*, id eſt venerari, adorare *chriſtiana veritate*, id eſt doctrina compellimur, id eſt cogimur. Verbi gratia, ſi interrogat te aliquis, ſeparatim eſt Pater Deus ac Dominus? Reſponde, eſt. Et ſi interrogat te aliquis, ſeparatim eſt Filius Deus ac Dominus? Reſponde, eſt. Ita tres Deos aut Dominos dicere catholica religione, id eſt catholica fide prohibemur, vetamur. *Pater a nullo eſt factus.* Eſt Pater a ſe, an ab alio? A ſe. Quomodo non eſt ab alio? Quia a ſe ſolo eſt. Eſt factus, aut creatus? Certe nec factus, nec creatus: ſi factus aut creatus eſſet, non eſſet creator, aut factor. Eſt genitus, an ingenitus? Certe ingenitus. Quare? Qnia a ſe ſolo eſt. Filius a Patre ſolo eſt. Eſt Filius a ſe, an ab alio? Certe ab alio. A quo? A ſolo Patre eſt. Eſt factus aut creatus? Certe nec factus nec creatus: ſi factus aut creatus eſſet, factura, aut creatura eſſet, & ideo non eſſet factor, nec creator. Eſt genitus, an ingenitus? Certe genitus. Quare eſt genitus? Quia a ſolo Patre eſt. Quare non eſt a Spiritu ſancto? Ne videantur duo Patres eſſe in hac ſancta Trinitate. Spiritus ſanctus a Patre & Filio. Eſt factus aut creatus? Certe nec factus, nec creatus; quia ſi factus aut creatus eſſet, factura aut creatura eſſet, non eſſet factor, aut creator. Eſt genitus, an ingenitus? Certe nec genitus eſt, nec ingenitus. Quare non eſt genitus, quia non eſt Filius. Quare non eſt ingenitus? Quia non eſt Pater. Quid ergo eſt? Procedens. Quare procedens dicitur, cum ipſe ubique ſit? Ipſa proceſſio ſpiritualis eſt. Tunc Spiritus ſanctus procedere dicitur, quando corda fidelium illuminat. Unde ſcriptum eſt: Spiritus ubi vult ſpirat. Unus ergo Pater, non tres. Ille qui Pater eſt poteſt dici Filius, aut Spiritus ſanctus? Non poteſt. Ergo unus Pater, non tres Patres. Ille qui Filius eſt poteſt dici Pater, aut Spiritus ſanctus? Non poteſt. Ergo unus Filius, non tres Filii. Et ille qui Spiritus ſanctus eſt, poteſt dici Pater aut Filius? Non poteſt. Ergo unus Spiritus ſanctus, non tres Spiritus ſancti. Sed in hac Trinitate nihil prius, quia nunquam fuit Pater antequam Filius; aut poſterius, quia numquam Spiritus ſanctus poſtea, quam Pater aut Filius; nihil maius, quia nunquam fuit Pater maior, quam Filius; nihil minus, quia nunquam fuit Spiritus ſanctus minor quam Pater aut Filius. Sed totæ tres perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales, id eſt ſimul æternæ & ſimul æquales. Ita ut per omnia, videlicet nomina, quæ pertinent ad naturam divinitatis, ſicut iam ſupra dictum eſt, id eſt æternus, immenſus & cæt. Trinitas in unitate id eſt tres perſonæ in unitate, id eſt in una divinitate, in una natura, in una ſubſtantia, in una poteſtate; & unitas, id eſt, una divinitas, una natura, una ſubſtantia, una poteſtas; in Trinitate, id eſt in tribus perſonis veneranda, adoranda, colenda ſit. *Qui vult ergo.* Rem quam vult homo arctius in menre retinere: more hominum ſæpe calculando repetit. Ita fecit beatus Anaſtaſius: Poteſt aliquis ſalvari ſine fide? Certe non poteſt. *Sed neceſſarium eſt ad æternam ſalutem.* Æternam ſalutem dicit, quia eſt & temporalis. *Ut Incarnationem quoque Dni nri Ihu Xpi fideliter credat.* Fideliter, id eſt, abſque omni ambiguitate. *Eſt ergo fides recta, ut credamus & confiteamur.* Quare duo verba poſuit? ſufficeret tantum dicere. Credamus. Idcirco duo verba poſuit, quia unum fertur ad cor, alterum ad labia. Corde credimus, labiis confitemur. Unde & apoſtolus: Corde enim creditur, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Et quomodo ſit verus Deus & verus homo, manifeſtat cum ſubiungit, dicens. *Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus*, quia ex ſubſtantia Patris omnipotens genuit omnipotentem. *Et homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus*, quia de virgine ſumpſit carnem, ut oſtenderet ſecundum divinitatem non habere initium, ideo dixit ante ſæcula genitus. Et ut manifeſtaret quia ſecundum humanitatem habet initium, ideo dixit in ſæculo

Digitized by Google

natus. *Perfectus Deus, perfectus homo.* Perfectus Deus, quia omnipotens genuit omnipotentem, Deus Deum, lumen, lumen. Perfectus homo, quia veſtram carnem, & veſtram animam ſumpſit ex virgine abſque peccato; non fantaſticum corpus, ſicut Manichæus dicit; neque loco animæ habuit divinitatem, ſed verus Deus, & verus homo extitit. Quare ex anima rationali dicitur? Quia eſt & irrationalis, ſicut & in pecoribus. *Æqualis Patri ſecundum divinitatem:* quia ſicut Pater omnipotens eſt, ita & Filius. *Minor Patre ſecundum humanitatem:* quia carnem noſtræ mortalitatis aſſumpſit. Et quid mirum, ſi minor Patre eſt, cum cætera minor ſit angelis? Unde ſcriptum eſt: Minoraſti eum paulo minus ab angelis. *Qui licet Deus ſit & homo.* Et cæt. Quia non eſt converſa divinitas in homine, ſed humanitas aſſumta eſt in divinitatem. Iſta humanitas eſt augmentata, illa divinitas non eſt minorata. Iſta cæpit eſſe, quod non erat, illa non deſinit eſſe, quod fuerat. *Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ.* Unus omnino, id eſt, certe, non confuſione ſubſtantiæ, quia non eſt confuſa id eſt ſimul mixta ſubſtantia; ſed unitate perſonæ, hoc eſt, quia in una perſona ſubſiſtunt duæ ſubſtantiæ, & ut non videretur tibi contrarium, quomodo eſſent duæ ſubſtantiæ in una perſona, ideo corporale exemplum poſuit dicens: *Nam ſicut anima rationalis. Qui paſſus eſt pro ſalute noſtra.* Forte aliquis dicit, quæ perſona ſanctæ Trinitatis ſuſcepit carnem? Filius. Fuit ſemper Pater cum Filio? Semper. Et ſi ſemper fuit Pater cum Filio, ergo quando paſſus eſt Filius paſſus eſt & Pater. Non. Quare non? Quia divinitas impaſſiblis eſt. Deſeruit aliquando humanitatem? Non. Semper enim fuit divinitas cum humanitate, & eam non deſeruit, etiam nec ipſa cruce. Ergo patiebatur divinitas? Non, humanitas patiebatur, divinitas vero, ſicut diximus, impaſſibilis eſt. Verbi gratia: Elevat homo manum, ut percutiat arborem aut lignum cum ſecuri, verberatur Solis radius, ſed non patitur, ſic & divinitas inpaſſibilis eſt. Item quærendum eſt, cum redemtio noſtra totius Trinitatis ſit operatio, quare ad ſolam Filii perſonam refertur. Sicut enim cythara ex tribus cauſis conſiſtit ligno, chordis & digitis; & ſi unum ex iſtis defuerit, cythara eſſe non poteſt. Verumtamen quamvis ex ligno, & digitis & chordis conſiſtat, tamen ipſe ſonus ad ſolas chordas refertur; ita & redemtio noſtra, licet totius Trinitatis ſit operatio, tamen ad ſolam perſonam Filii refertur. *Deſcendit ad inferna.* Quomodo deſcendit ad inferna? In ſola anima. Quare deſcendit? Ut eos qui indebite detinebantur in inferno, eriperet, id eſt, iuſtos. Quare reſurrexit? Ut nobis exemplum, & ſpem reſurgendi daret: quia ſicut ipſe reſurrexit, ita & nos reſurgemus de pulvere terræ. Et quare non ipſo die, aut altero, ſed tertio reſurrexit. Sive propter trinam ſubſtantiam aquæ; ſive quia Adam tribus gradibus pervenit in peccatum, id eſt ſuggeſtione, delectatione & conſenſu. Et ideo tertia die reſurrexit, ut oſtenderet etiam ipſo ſtatu reſurrectionis, quia ab ipſis malis liberare nos venerat, per quem in peccatum Adæ incidimus. *Sedet ad dexteram Dei Patris.* Nunquid Deus corporeus eſt, qui habebat dexteram vel ſiniſtram, ut Filius dicatur ſedere ad dexteram Patris? Non. Per ſeſſionem æqualitas deſignatur. Æqualitas Dei ſedet, quia per omnia æqualis factus eſt ipſi Deo Patri. Sive ad dexteram Dei Patris ſedet, quia ipſe inde venturus eſt, iudicare vivos & mortuos. Vivos appellat eos, quos in carne inveniet vivos, & mortuos peccatores deſignat. *Ad cuius adventum omnes homines reſurgere habent cum corporibus ſuis.* Cum corporibus dicitur, quia non erunt corpora aerea, & ventoſa, ſicut hæretici dicunt; ſed corporibus ipſis, quibus vixerunt, reſurgent, & reddituri ſunt de factis propriis rationem. Numquid verbis? Non. Rationem autem reddituri ſunt, quia omnia, quæcunque egerunt, manifeſta erunt, *& qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam.* Vita æterna dicitur, quia eſt & temporalis. *Qui vero mala in ignem æternum.* Ignem æternum appellat ad diſtinctionem illius, qui eſt temporalis; ſive ad diſtinctionem illius purgatorii, qui eſt ſalutaris. *Hæc eſt fides catholica.* Et ut arctius eam cordibus fidelium inculcaret, ſæpe repetit, dicens: *Hæc eſt fides catholica, quam niſi* quisque fideliter, id eſt, abſque ruga, *firmiterque crediderit ſalvus eſſe non poterit.* (1) Deinde presbyteri, aut diaconi etiam

(1) Allatæ hactenus expoſitionis fidei formulæ quoddam ad captum infantum magis appoſite, inſtar ſunt ſermonum, quos paſſim in operibus SS Patrum legimus ſequentibusque etiam poſt baptiſmum diebus habitos novimus, atque etiamnum per octavam paſchæ uſu antiquiſſimo diverſa in Miſſa leguntur evangelia uſque ad Dominicam in Albis. Hucque pertinet, quod de Clodoveo I. *Francorum* rege in die paſchæ cum ſex millibus *Francorum* baptizato refert Fredegarius Hiſt. c. 21. „Cum autem (inquit) a S. Remigio in „Albis evangelii lectio Clodoveo annunciaretur, „qualiter Dnus Ieſus Chriſtus ad paſſionem venerat, di„xit Clodoveus: *Si ego ibidem cum Francis fuiſ„ſem, iniuriam eius vindicaſſem.*“

etiam ſi neceſſe fuerit, & accoliti (1) induentes ſe veſtimentis mundis vel candidis ingrediuntur in fontem intro in aquam, & baptizantur primo maſculi, deinde feminæ ſub hac interrogatione. *Quis vocaris* ℞. *Ille* vel *Illa*. *Credis in Deum Patrem &c. Vis baptizari?* ℞. *volo*. Et acceptis infantibus a parentibus vel patrinis eorum baptizent eos ſub trina merſione, tantum ſanctam Trinitatem ſemel invocantes, ita dicendo. *Et ego baptizo te in nomine Patris*. Et mergit ſemel. *Et Filii*. Et mergit iterum. *Et Spiritus ſancti*. Et mergit tertio. Ut autem ſurrexerint a fonte, illi, qui eos ſuſcipiunt, levantes ipſos infantes in manibus ſuis offerunt eos uni presbytero. Ipſe vero presbyter facit de chriſmate crucem cum pollice in vertice eorum ita dicendo: *Deus omnipotens &c.* Et ſint parati, qui eos ſuſcepturi ſunt cum linteis in manibus eorum, & accipiant ipſos a pontifice & presbyteris vel diaconibus, qui eos baptizant. Pontifex vero egrediatur e fonte in ſacrarium, habens ibi compoſitam ſedem, vel in eccleſia ubi voluerit, & ſedeat in ea, ut cum veſtiti fuerint infantes confirmet eos. Et deportantur ipſi infantes ante eum, & dat ſingulis ſtolam candidam, & chriſmale, & decem ſiliquas, dicens: *Accipe veſtem candidam ſanctam, & immaculatam, quam præferas ante tribunal Chriſti in vitam æternam. Pax tibi.* ℞. *Amen.* Induti vero ordinantur per ordinem ſicut ſcripti ſunt in circuitu, & infantes quidem in brachiis dextris tenentur, maiores vero ponunt pedem ſuper pedem patrini ſui. Interim ſchola iuſſa facit letaniam ad fontem ante altare, primo ſeptenam, & ſpacio facto; faciunt alteram quinam, ita enim inchoatur: (2) Stat primicerius unus in dextro choro, & dicit cum ipſo *Kyrie el.* Et reſpondet ſecundicerius cum ſiniſtro choro *Kyrie el.* uſque ter. Deinde *Chriſte el.* uſque ter, hoc ſunt VII. vices repetitæ, unde & ſeptenæ dicuntur. Poſt hoc: *Chriſte audi nos*, uſque ſepties, & ſic per ordinem. Hoc ordine, intervallo facto, ſequuntur ut prædictum eſt letaniæ quinæ, id eſt quinquies repetitæ. Pontifex vero veniens ad infantes tenente archidiacono chriſma involutis ſcapulis, & brachiis ex panno lineo, elevata & impoſita manu ſuper capita omnium, dat orationem ſuper eos cum invocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus ſancti.

Oratio. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos & famulas tuas ex aqua & Spiritu ſancto quique dediſti eis remiſſionem omnium peccatorum. Emitte in eos ſeptiformem Spiritum tuum ſanctum paraclitum de cælis.* Amen. *Spiritum ſapientiæ & intellectus.* Amen. *Spiritum conſilii & fortitudinis.* Amen. *Spiritum ſcientiæ & pietatis.* Amen. *Adimple eos Spiritu timoris tui.* Amen. *Et conſigna eos ſigno crucis Chriſti in vitam propitiatus æternam. Per.* (3) Oratione expleta interrogantibus diaconibus nomina ſingulorum, pontifex tincto pollice in chriſmate, faciat crucem in frontibus ſingulorum ita dicendo: *Confirmo te in nomine &c.*

Hoc autem omnino præcavendum eſt, ut non negligatur, quia tunc omne baptiſmum legitimum chriſtianitatis nomine confirmatur. Quibus expletis iuſſi incipiunt in eccleſia letaniam tertiam, ternam ordine ſupraſcripto, & campanæ tanguntur, & ingrediuntur ad miſſam. Et cum dixerint *Agnus Dei*, magiſter ſcholæ dicit excelſa voce: *Accendite.* Tunc primum illuminantur omnes cerei neophitorum, quos manibus tenent, & illuminatur eccleſia. Ea vero quæ ſequuntur, id eſt *Chriſte audi nos*, & *Kyrie el.* tamdiu debent moroſe repeti, ut miniſtri queant procedere. Nam miniſtri ita debent eſſe præparati ante hoſtium ſacrarii, ut cum magiſter ſcholæ dixerit *Accendite*, absque mora procedant uſque ad altare. Et procedit pontifex de ſacrario cum ingenti decore cum thimiamateriis, & duobus cereis, unde ſuperius diximus, & ſtant ſicut antea a dextris & a ſiniſtris altaris. Letania expleta dicit pontifex: *Gloria in excelſis Deo.* Quo finito dicit *Pax vobis.* ℞. *Et cum ſpiritu tuo.* Et dat orationem

Deus

(1) Iidem miniſtri ſolemnis in paſchate baptiſmi Vol. I. p. 87. deſignantur.

(2) Verba hæc *ita enim inchoatur* innuere videntur litaniam ſeptenam, quinam, ternam ita appellatam, quod initio tantum toties repeteretur e. g. *Kyrie eleiſon &c.* non quod ſingulæ invocationes toties repeterentur ad proceſſiones, prout diximus Diſquiſit. IX. p. 860. P. II.

(3) In celebri ſacramentario *Augienſi* ſæc. IX. quod ſervat Biblioth. Cæſ. *Vindob.* poſt benedictionem fontis in Sabb. S. rubricamque baptizat & linit eum presbyter de criſmate in cerebro & dicit: *Deus omnipotens Pater Dni noſtri Ihu Chriſti qui te &c.* ſequitur immediate una & ſola *Oratio ad infantes conſignandos* uti hic, tantum, quod *amen* non interponatur perinde ac in noſtro ſacramentario Tom.I. pag. 87.

Digitized by Google

Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem gratia. Deinde lectio *Si conſurrexiſtis. Alleluia. Confitemini Domino.* Tr. *Laudate. Sequentia S. Evang. Veſpere autem Sabb.* Ante evangelium non portant lumen in ipſa nocte, ſed tantum incenſum, nec cantent off. neque *Agnus Dei*, nec communionem, ſed miſſam per ordinem & *Pater noſter* uſque *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Et oſculum pacis inter ſe non faciunt. Poſtquam omnes communicaverint dicit orationem ad Compl. Dicit diaconus *Ite miſſa eſt.* ſecundum Romanum ordinem; ſed uſus eccleſiæ non vult hoc propter veſperos. In hac nocte de veſpertinali ſynaxi apud Romanos nihil agitur, neque ante miſſam, neque poſt miſſam (1). Apud nos autem unus de ſchola, cui iuſſum fuerit, pro antiphona incipiat *Alleluia* ad veſperos, & dum communicaverint, cantatur pro veſpera feſtinanter pſalmus *Laudate Dominum omnes gentes.* Ante *Magnificat* vero lectio non dicitur vel verſus, ſed antiphona *Veſpere autem Sabbati.* Finito *Magnificat* dicat ſacerdos hanc orationem: *Deus qui renatis ex aqua & Spiritu ſancto cœleſtis regni pandis introitum, auge ſuper famulos tuos gratiam, quam dediſti, ut, qui ab omnibus ſunt purgati peccatis, a nullis priventur promiſſis. Per.* Illud autem de parvulis providendum eſt, ut poſtquam baptizati fuerint ullum cibum accipiant neque lactentur ſine ſumma neceſſitate antequam communicent ſacramento corporis Chriſti. Et poſtea per totam ebdomadam paſchæ omnibus diebus ad miſſam veniant, & parentes eorum pro ipſis offerant, & communicent. Item ipſa die diurnalem cantum ſeparatim canunt. Tunc finitis omnibus deſcendit pontifex cum omni decore uſque in cubiculum ſuum cum pace & gaudio. Eodem die domnus Papa & cæteri Romani ova manducent, & formaticum id eſt caſeum.

Benedictio Caſei in eodem Sabb.

Dignare Domine omnipotens benedicere & ſanctificare banc creaturam caſei, quam ex adipe animalium producere dignatus es, ut, quicunque ex populis tuis fidelibus inde comederint, omni benedictione cœleſti, & gratia tua ſaturitate repleantur in bonis. Per.

Item in monaſteriis quomodo fiat in Sabbato ſancto.

Ubi autem baptiſmum non fit, aqua benedicatur a ſacerdote, & ſpargatur in omni domo. Poſtea ut ordo eſt, ſicut manifeſtatur in ſacramentorum codice, ſic cantent. Et ut finierint, absque ullo cantu revertantur in ſacrarium. Poſtea ingrediantur ad veſperam. Poſtea modico intervallo, ut prima ſtella (2) fuerit viſa, ſonant ſigna & incipiunt canere letaniam ad Introitum cum magno decore cum ſeptem candelabris, & in cæteris cum incenſo, & thuribulis procedit ſacerdos, canentibus interim clericis letaniam. Poſtquam finierint dicit ſacerdos *Gloria in excelſis Deo.* Poſtea dicit orationem, & legitur apoſtolus. Sic autem ſupra ſcriptus ordo baptiſmi, ſicut in hoc ſabbato paſchæ, ſic & in Sabbato pentecoſtes omnimodis celebretur.

Ordo in vigilia paſchæ.

In vigilia reſurrectionis Domini ante mediam noctem populus non eſt dimittendus de eccleſia iuxta canonum ſanctiones. In ipſa nocte matutina luce rumpente tenebras, ſurgentes in eccleſiam veniunt, & mutua caritate ſe invicem oſculantes,

(1) Eadem verba apud vulgatum ALCUINUM leguntur his adiectis: *Quia ſecundum Auguſtinum & alios doctores iſtud ſabbatum non babet veſperam.* In antiquioribus ordinibus *Rom.* nihil de his veſperis legere eſt. In ordine demum XI. n. 43. veſperæ, ut hodie celebrantur, præſcribuntur. Eam vero immutationem factam fuiſſe haud dubito poſtquam nocturna huius diei ſynaxis, quæ ad mediam uſque noctem protracta fuit, immutata eſt. In Conc. *Aquisgranenſi* an. 836. Cap. II. Can. II. ſic ſtatuitur circa hanc rem: „Veſpertinales „quoque preces in vigilia paſchæ melius celebrandæ „ſunt propter lætitiam reſurrectionis Domini, quam „dimittendæ"

(2) De nocturno hoc officio ſeu vigiliis diximus alias ſuis locis de Cantu & Muſica ſacra, item P. III. Diſq. IX. c. I. p. 861. Paulo poſt in hoc ordine div. off. de vigilia paſchæ ſic legitur: „In vigilia reſurre„ctionis Domini ante mediam noctem populus non „eſt dimittendus de eccleſia iuxta canonum ſanctio„nes." Paſſim ſcriptores medii ævi de officiis divinis ad locum S. HIERONYMI provocant in Comment. ſuper evangelium S. MATTHÆI, ubi ex traditione apoſtolica permanſiſſe dicit: „ut die vigiliarum paſchæ „ante noctis medium populos dimittere non liceat, ex„ſpectantes adventum Chriſti." S. AUGUSTINUS vero Serm. CCXIX. quem in huius noctis vigiliis habuit „Quanto ergo (ait) alacrius in hac vigilia velut ma„tre omnium ſanctarum vigiliarum vigilare debemus, „in qua totus vigilat mundus." Et Serm. CCXXVIII. quem ipſo paſchatis die ad populum & infantes habuit, ſic loquitur: „Poſt laborem noctis præteritæ, „quoniam etſi ſpiritus promtus eſt, caro tamen in„firma, diu vos tenere ſermone non debeo."

Digitized by Google

lantes, dicunt. *Surrexit Dominus de ſepulchro.* Deinde dicit ſacerdos. *Domine labia mea aperies. Et os meum annuntiabit l. t. Deus in adiutorium meum intende.* Super *Venite* dicunt *Alleluia* de antiph. *Praeoccupemus.* Secuntur tres pſalmi cum antiph. *Ego ſum, qui ſum.* Pſ. *Beatus vir.* Ant. *Poſtulavi Patrem meum.* Pſ. *Quare fremuerunt.* Ant. *Ego dormivi.* Pſ. *Domine quid.* Secuntur lectiones tres de omelia ſanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes cum reſponſoriis. Secuntur matut. cum ant. Infra albas paſchæ ſuper *Venite*, dicitur ant. *Surrexit Dominus vere.* Et tres pſalmos per nocturnam imponunt per ſingulas noctes, & ſic per omnes pſalmos cantatur *Alleluia* uſque in octavas paſchæ hoc ordine. Pſ. *Cum invocarem.* Pſ. *Verba.* Pſ. *Domine ne in furore.* Fer. II. Pſ. *Domine Deus meus.* Pſ. *Dne Dnus nr.* Pſ. *In Domino conſ.* Fer. III. Pſ. *Salvum me fac.* Pſ. *Uſquequo Domine.* Pſ. *Dixit inſipiens.* Fer. IV. Pſ. *Domine quis.* Pſ. *Conſerva me.* Pſ. *Exaudi me.* Fer. V. Pſ. *Cæli enarrant.* Pſ. *Exaudiat te.* Pſ. *Domine virtutum.* Fer. VI. Pſ. *Dni e. t.* Pſ. *Ad te Domine.* Pſ. *Iudica.* Sabbato. Item paſcha uſque ad octavas ad nullum curſum cantatur reſponſ. nec lectio recitatur, ſed pro verſu & reſponſorio cantatur ℟. & Grad. *Hæc dies*, & de *Alleluia* tantum prima. Induti ſollempniſſimis veſtimentis omnes clerici convenientes ad ſtationem ad ſanctam Mariam maiorem primitus cantent Tertiam. Qua finita reſperſi aqua ſancta quæ pridie collecta eſt de fonte tam ipſi, quam & omnis populus procedunt cum omni decore, cum cruce & thimiamateriis procedentibus etiam ſanctis evangeliis cantantes antiphonas proceſſionales (1). Ant. *In die reſurrectionis meæ.* Al *Vidi aquam.* *Cum rex gloriæ, Chriſtus infernum.* Poſtea iſti ſequuntur verſus: *Salve feſta dies.* cum aliis verſibus. *Sedit angelus ad ſepulchrum Domini.* Deinde verſ. *Crucifixum in carne laud.* Verſ. *Recordamini.* Et ita ingrediuntur ad miſſam. Ad Introitum imponit cantor *Reſurrexi & adhuc tecum.* Pſ. *Dne probaſti.* Dicitur Oratio *Deus qui hodierna die.* Legitur epiſtola ad Cor. *Expurgate vetus fermentum.* Gr. *Hæc dies.* v. *Confitemini.* *Alleluia.* v. *Paſcha noſtrum.* v. *Epulemur.* Evangelium ſecundum Marcum: *Maria Magdalena, & Maria Iacobi & Salome emerunt.* Inde completur Miſſa ordine ſuo, & communicant omnes.

Item ſecundum Romanos. Die reſurrectionis dominicæ procedente pontifice ad ſanctam Mariam cum ordinibus ſuis notarius regionarius ſtat in loco, qui dicitur Merulanas, & ſalutato pontifice dicit: *In nomine Dni nri Ihu Xpi baptizati ſunt heſterna nocte in ſancta Dei genitrice Maria infantes maſculi numero tanti, feminæ tantæ.* Reſpondet pontifex *Deo gratias.* Et accipit a ſacellario ſolidum unum (2). Pontifex autem pergit ad ſtationem. In die vero ſanctæ paſchæ primo omnes acoliti regionis terciæ, & defenſores omnium regionum convenientes diluculo in patriarchio Lateranenſi præcedunt pontificem pedeſtres ad ſtationem, ſecunda feria, regio quarta; tertia feria, regio quinta; quarta feria regio ſexta: quinta feria regio ſeptima; ſexta feria regio prima; ſabbato regio ſecunda ordine proprio tam in proceſſione, quam in eccleſia, vel ubicunque eos propria dies ratione ſui gradus priſca conſtitutione

(1) Differt hæc proceſſio ab ea, quam explicavimus P. III. Diſquiſ. IX. c. 1. p. 864. quove pertinent orationes in antiquis ſacramentariis *ad veſperum ad fontes &c.* uti habentur in antiquiſſimo noſtro Vol. I. p. 92. ſeq. per integram octavam paſchæ. In vita S. UDALRICI ep. *Auguſtani* ſæc. X. deſcribitur ſolemnis proceſſio die paſchatis poſt Primam ad eccleſiam *S. Ambroſii*, ubi celebrabatur miſſa de SS. Trinitate: inde redibat proceſſio Corpusque D N. cum evangelio cereis accenſis, & incenſo deferebatur, in eccleſiam *S. Io. Baptiſtæ*, ubi dicebatur Tertia, & inde ad eccleſiam cathedralem ubi cantabatur miſſa, dabaturque communio cunctis adſtantibus. Imitatio hæc erat quædam proceſſionis ad ſtationem *Romæ*, uti hic deinceps deſcribitur.

(2) Vid. *Petri* MORETTI *Ritus dandi presbyterium Papæ, Cardinalibus & nonnullis Clericis nonnullarum eccleſiarum urbis.* Quippe vocabantur eiusmodi largitiones *presbyterium.* P. III. ſect. IV. agitur de eiusmodi munere erga notarium annuntiantem die paſchatis numerum baptizatorum; affert inter alia locum ex cæremoniali mſc. BRUNONIS *Traiectenſis* decretorum doctoris in gratiam PETRI *de Monte* circa medium ſæc. XV. epiſcopi *Brixiani* ſcripto. In quo ſub rubrica *de presbyterio dando, & quibus diebus*, hæc leguntur: „Presbyterium quod datur bis in annum ſcilicet in „die Natalis Domini, & in die Paſchæ dicti dominis „Cardinalibus ex parte domini Papæ, reducendo mo„netam auri ad monetam *Turonenſem*, ut ſequitur. Et „primo priori epiſcopo VI. malachin & ſex ſolid. pa„pienſ. valen. computan. quomlibet malachinum pro „ſeptem ſolidis, & tres denarios *Turonen.* parvorum &c.

Digitized by Google

tutione ire vel miniſtrare compulerit, a miniſterio pontificis non poterit ſine ulla deeſſe excommunicationis ſententia, vel animadverſionis diſciplina. Quorum miniſteria primitus ſecundum rationem ſimplicem dupliciter diebus ſingulis dividuntur: id eſt in proceſſione apoſtolici ad ſtationem, & in egreſſu ſacrarii uſque ad miſſarum conſummationem. Sed dum venerit pontifex prope eccleſiam, exeuntes acoliti & defenſores ex regione illa, præſtolantur eum in loco ſtatuto antequam veniat, ubi deſcenſurus eſt. Similiter presbyter eccleſiæ cum ſubdito ſibi presbytero & manſionario thimiamateria deferent in obſequium illius dum venerit. Et acoliti quidem cum defenſoribus primum, dein presbyter cum ſuis petita benedictione, diviſis hinc inde partibus, præcedunt pontificem uſque ad eccleſiam. Cum vero eccleſiam introierit, deſcendens in ſecretarium, mittet veſtimenta ſua ſolempnia, & miniſtri ante ianuam eiusdem ſecretarii mutent veſtimenta ſua, & paret ſe evangelium, qui lecturus eſt. Et dum pontifex innuit, ut pſallant, mox incipit prior ſcholæ antiphonam ad Introitum, & ita ingreditur pontifex ad miſſam cum ordinibus ſuis. Celebrata autem miſſa, & communicantibus omnibus det orationem ad complendum, & innuente eo unus ex diaconibus dicit: *Ite miſſa eſt.* ℟. *Deo gratias.* Tunc ſeptem cereoſtatæ præcedunt pontificem, & ſubdiaconus regionarius cum thuribulo ad ſecretarium. Deſcendente autem illo in presbyterium epiſcopi primum dicant: *Iube Dne benedicere.* Et ſtatim pontifex dat benedictionem: *Benedicat vos Dns. Amen.* Poſt epiſcopos presbyteri, deinde monachi, deinde ſchola, deinde milites draconarii (1), id eſt, qui ſigna portant, poſt eos baioli, poſt eos cereoſtarii, poſt quos acoliti, qui ruga obſervant, poſt eos extra presbyterium cruces portantes, deinde manſionarii iuniores intrant in ſecretarium.

Benedictio Agni in Paſcha.

Poſt celebratam Domine ſancti paſchæ ſollempnitatem poſtque etiam tranſactos ieiuniorum dies, iam animabus ſpiritualibus dapibus refectis de menſa tuæ maieſtatis offerimus famuli tui pro huius fragilitate corpuſculi aliquantulum reparandi hanc uſui noſtro conceſſam creaturam agni, ut eum ore proprio nobis ſignantibus benedicas, ac dextera tua ſanctifices, & univerſis ex eo miniſtrata munuſcula grata effici præſtes, atque his cum gratiarum actione perceptis te Deum, qui es cibus vitæ, & animæ noſtræ magis & inhianter deſideremus, & indefeſſe fruamur. Per D.

Benedictio aliarum Carnium.

Deus creator univerſæ carnis, qui Noe & filiis ſuis de mundis animalibus præcepta dediſti; quique ſicut holera herbarum humano generi quadrupedia munda edere permiſiſti; quique agnum in Ægypto Moyſi & populo tuo in vigilia paſchæ comedere præcepiſti, in figura agni Dni nri Ihu Xpi cuius ſanguine omnia primogenita tibi de mundo redemiſti, & in nocte illa omne primogenitum in Ægypto percutere præcepiſti, ſervans populum tuum agni ſanguine prænotatum; dignare Domine Deus omnipotens benedicere & ſanctificare has ovium mundarum ſive aliorum animalium carnes, ut quicunque ex eis famulis tuis fidelibus comedere, omni benedictione cœleſti & gratia ſaturati, repleantur in bonis. Per eundem. (2)

Bene-

(1) Videtur hic ſcriptor offenſus vocabulo draconarii legendum exiſtimaſſe diaconarii. Sed enim draconarii, qui in ordinibus *Romanis* occurrunt, vexilla in proceſſionibus portabant, dicti uſu vocabuloque *Romanorum*, apud quos ut ſingulæ legiones aquilam habuerunt pro ſigno militari, ita ſingulæ cohortes draconem ſeu draconis ſpeciem in vexillo expreſſam iuxta deſcriptionem *Ammiani* MARCELLINI lib. XVI. & PRUDENTIUS in libro de Coronis hymno, duos draconarios celebrat, qui e militibus gentilium Chriſtiani facti crucem in exercitu pro dracone ferebant.

Proque ventoſis draconum, quos gerebant palliis

Præferunt inſigne lignum, quod draconem ſubdidit.

Sic IONAS *Aurelianenſis* initio libri II. de cultu imaginum de CONSTANTINO M. verba faciens, *Exinde*, inquit, *ſignum, quod de cælo ſibi fuerat demonſtratum in militaria vexilla transformat, ac Labarum, quem dicunt Draconem, in ſpeciem crucis dominicæ exaptat.* Draconarii in ordinibus *Romanis* dicuntur, qui portant ſigna in proceſſione ante Pontificem. An inde draconis effigies in Rogationibus, de qua DURANDUS lib. VI. Ration. c. 102. an a Dracone peſtis & aliorum malorum ſymbolo?

(2) Alibi hæc oratio *Benedictio ſuper Agnum in Paſcha* inſcribitur. Verba autem, *Per quem hæc omnia*, quæ in Cod. *Vindob.* Theol. 685. ſæc. X. addantur argumento ſunt, benedictionem hanc ſub canone in Miſſa fuiſſe peractam. Inde fuerit, quod *Græci Latinis*, ut apud DACHERIUM T. VII. Spicil. in ÆNEÆ *Pariſ.* lib. contra *Græcos* legitur, obiecerint, *quare agnum ſimul cum corpore & ſanguine in paſcha ſuper altare ponamus, & more Iudæorum offeramus.* Qua de calumnia NICOLAUS I. P. ep. 16. & 70. ad epiſc. *Gall.* Superſtitionem vero quandam *Iudaicam* etiam *Walafr.* STRABO notavit, ut P. II. Diſquiſ. p. 531. obſervavimus. In Vita S. UDALRICI ep. *Auguſtani* ſæc. V.

Digitized by Google

Benedictio Lactis & Mellis.

Benedic Domine has creaturas lactis & mellis, & pota famulos tuos fonte perenni, quod eſt ſpiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte & melle. Tu enim Domine promiſiſti patribus noſtris Abrahæ, & Iſaac, & Iacob dicens. Introducam vos in terram repromiſſionis, terram fluentem lacte & melle. Coniunge Domine famulos tuos ſpiritu veritatis, & pacis, ſicut coniunctum eſt hoc lac & mel in Xро Ihu Dno nro, qui tecum (1).

Item ordo eodem die ſancto ad veſperam, & uſque ad octavas paſchæ.

Die ſancto conveniente ſchola temperius cum epiſcopis & diaconibus ad ſanctum Iohannem in eccleſia ad locum crucifixi incipiunt *Kyrie el'* & veniunt uſque ad altare aſcendentibus diaconibus in pogium, epiſcopi & presbyteri ſtatuantur in locis ſuis, & ſchola ante altare. Finito *Kyrieel.* innuit archidiaconus primo ſcholæ, vel cui voluerit; ſed & omnibus incipientibus hoc modo præcipit. Dicitur igitur *Alleluia* cum pſalmo *Confitebor tibi.* Inde ſalutat primus ſcholæ archidiaconum, & illo innuente dicit primus ſcholæ cum paraphoniſtis infantibus incipiant Grad. *Hæc dies quam.* cum verſu. *Confitemini.* Quo finito incipiet primus ſcholæ cum melodis infantibus *Alleluia* ℣. *Paſcha noſtrum.* Et reſpondent paraphoniſtæ. Sequitur ℣. *Epulemur in.* Inde melodia. Hoc ordine expleto incipit archidiaconus in evangelio ant. *Et reſpicientes.* Poſt hanc dicit ſacerdos orationem, & deſcendunt ad fontes (2) cum ant. *In die reſurrectionis meæ.* Quam, ut finierint, dicit primus ſcholæ *alleluia* cum ant. *Laudate pueri.* Pſ. *In exitu Iſrael* Deinde primus ſcholæ dicit pueris, *Alleluia venite exultemus* cum ℣. *Praeoccupemus.* Poſt hunc ſequitur diaconus & dicit ant. *Cito euntes.* Deinde ſequitur oratio. Tunc vadunt ad crucem cantantes ant. *Vidi aquam.* ſive *Chriſtus reſurgens ex mortuis.* Sequitur oratio. Deinde deſcendant primates eccleſiæ ad acculita (3) invitante notario vice dni & bibant ter de gco (græco) primo, de pactiſi ſecundo, de proconia tertio. Poſtquam biberint omnes presbyteri, & acoliti per ſingulos titulos, redeant ad faciendos veſperos; ipſi enim tantummodo ſuper pſalmos *alleluia* dicunt, & ante evangelium ℟. Grad. *Hæc dies.* ſine verſu & *alleluia.* tantum prima. Deinde oratio, & bibent de dato presbyteri. Hæc ratio per totam ebdomadam ſervabitur uſque in dominicam poſt albas, *alleluia* & antiphonis mutatis tantum ſingulis diebus, pſalmos vero eosdem canunt. Item Infra albas ſingulis diebus ad matutinos legantur omeliæ ad ipſum diem pertinentes.

De

O. S. Ben. c. 1. n 23. p. 429. legitur, ſanctum virum in paſchate ſanctificato cibo carnes agni & particulas lardi inter miſſarum ſolemnia benedicti omnibus diſpenſaſſe. Add. *Ordo Benedicti canonici* n. 48.

(1) De benedictione lactis & mellis, cui par apud HITORPIUM in Ord. *Rom.* habetur, inſignis eſt locus in cod. Canonum Eccl. *Afric.* c. 37. Neque vero morari quemquam debent S. HIERONYMI in locum *Iſa.* LV. quo iubemur emere vinum & lac, verba eiuscemodi: „Quod vinum miſcuit, & lac ſapientia „in cratere ſuo, omnes ſtultos ſæculi, mundique ſa„pientiam non habentes provocans ad bibendum: & „ut non ſolum vinum emamus, ſed & lac, quod ſi„gnificat innocentiam parvulorum: qui mos ac typus „in occidentis eccleſiis hodie uſque ſervatur, ut re„natis in Chriſto vinum, lacque tribuatur.“ Lac enim & mel in ſacratiſſimum calicem miſſum fuiſſe, ex quo ſub vini ſpecie ſanguis Chriſti hauriebatur ex IOANNIS *Diaconi* epiſtola P. II. Diſquiſ. p. 451. declaravimus; S. HIERONYMUS autem preſſe inhærens verbis prophetæ mel excludere cenſendus non eſt, qui in Dial. adverſus LUCIFER. utrumque exprimit, ita fatus: „Multa alia, quæ per traditionem in Eccleſia „obſervantur, auctoritatem ſibi ſcriptæ legis uſurpa„verunt, vel in lavacro ter caput mergitare: deinde „egreſſos lactis & mellis prægustare concordiam ad „infantiæ ſignificationem.“

(2) Huc pertinent orationes ad veſp. ad fontes &c. in antiquis ſacramentariis, ut paulo ante meminimus de alia matutina proceſſione agentes, a qua differt hæc veſpertina per octavam paſchæ celebrata. Vid. P. III. Diſquiſ. IX. c. 1. p. 864. ſeq.

(3) Laudatus ſupra p. 217 n. 2. *Petri* MORETTI *Ritus dandi presbyterium,* quo nomine etiam hæc vini largitio veniebat, P. III. ſect. IV. ex *Ord. Benedicti Canonici* hæc affert ad rem: „Redit dominus Pontifex in præ„paratam porticum: poſito ibi faciſtorio, ſedet ipſe, & „alii ordines circa eum; architriclinus autem cum a„liis iuvenibus ordinate præparat ante dominum pon„tificem potionem, & vinum bibit ipſe, & omnes alii „bibunt. Interim cantores ſurgunt, & cantant ſe„quentiam græcam πασχὰ ἱερὸν ἡμῖν σύμερον. „Qua ſequentia finita, eunt, & oſculantur pedes Pon„tificis, & dat eis bibere coppam potionis. Sic omnes „læti recedunt.“ Parum differt ordo Camerarii ab eodem mox relatus, propinari papæ *claretum vinum & omnibus circumſtantibus ab archidiacono* teſtatus.

Digitized by Google

De Sabbato infra Albas.

Sabbatos infra albas albati, qui in Sabbato ſancto baptizati fuerint, albis veſtibus exuantur.

Benedictio aquæ ad albas deponendas.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, creator generis humani, nos qui per te redemti ſumus, & per gratiam pietatis tuæ in fonte aquæ baptiſmi renati ſumus; dignare quæſumus huic creaturæ per ſignum crucis ſobrietatem infundere, ut ſicut per fontem baptiſmi imbuti ſumus, ita ſuper aquam hanc quam poſt fontem ſacrum ad abluendas albas offerimus veniat Spiritus ſanctus tuus, qui in fonte baptiſmi, & confeſſione nominis tui peccata extinxerunt. Per Dnm nrm in unitate Spiritus ſancti.

De obſervanda unctione Chriſmatis.

Quanto autem tempore generaliter ab eccleſia celebratur adventus Spiritus ſancti ſuper apoſtolos, tanto tempore debet ſervari unctio chriſmatis, apud unumquemque qui accipit manus impoſitionem.

De octo Officiis Neophitorum. (1)

Octo officia quæ fiunt in commemoratione neophitorum, diſtinguitur a cæteris ſequentibus uſque ad Pentecoſten. Primum habet duas laudes id eſt *Alleluia. Confitemini.* Et tractum *Laudate.* Septimum duas ſimiliter, id eſt duo *alleluia. Hæc dies.* Et *Laudate pueri*, quod in nullo alio Sabbato uſque in Pentecoſten. Sex media habent ℟. & *alleluia.*

De verſibus gradalibus infra albas.

Notandum eſt verſus reſponſorii omnes eſſe de pſalmo *Confitemini Domino*, qui ſonat confeſſionem laudis, quæ tamen laus *alleluia* concluditur, qui ſunt: *Confitemini Dno. Dicat nunc Iſrael. Dicant qui redemti ſunt. Dextera Domini. Lapidem quem reprobaverunt. Benedictus qui venit.* In fine autem verſuum reſponſorii *Hæc dies*, præpoſterus ordo eſt. *Benedictus qui venit*, præponitur in quinta feria verſui *Lapidem quem reprobaverunt*, qui eſt in ordine prior, ſed ſexta feria cantatur, quia inter cæteros præcipue ſonat de paſſione Domini, quæ facta eſt feria ſexta. Item notandum quod per illos ſex dies paſchales, in quibus reſponſorium cantamus, *Alleluia* ſubſequitur. Illi vero dies quinquaginta, qui ſequuntur a Sabbato paſchali uſque ad octavas pentecoſtes, vel feſtivos ſanctorum dies, duo *Alleluia* dicuntur.

Ordo in octavis Paſchæ.

In octava paſchæ ponunt actus apoſtolorum, & ſeptem epiſtolas canonicas, ſive Apocalipſin Iohannis uſque octavas pentecoſtes. Tres vero pſalmi cantantur in nocturnali officio per ſeptem dies baptiſmales, & unum diem ducimus in religione per illos ſeptem dies. Deinceps in ſequenti tempore, quia creſcentium arborum frondes multiplicantur, & recoluntur mores boni diverſorum operum per plures pſalmos. (2) In eadem Dominica poſt albas in octavis paſchæ infra civitatem Romanam dantur agni cerei ab archidiacono in eccleſia poſt miſſam, & communionem populo, & ex eis faciunt infra domos ſuas incenſum accendi, ad fumigandum ſcilicet in domibus ſuis pro quacunque neceſſitate. Similiter in ſuburbanis civitatibus de cereo benedicto faciunt, ad ſuffumigandum ſcilicet in domibus ſuis, ſeu ponendum in agris, vel vineis propter illuſiones diabolicas, ſive contra fulgura & tonitrua.

Ordo in letania maiore.

Romana conſuetudo unum diem id eſt VII. Kal. Maii interponit, quem vocat letaniam maiorem, non in ieiunio (3) lætania autem græce, latine dicitur rogatio, inde rogationes. Poteſt enim ſerena mens & aliena a voluntate mala precari Deum, quamvis manducet ſobrie. Hanc autem

(1) Meminimus ſupra ex vita S. UDALRICI apud MABILLONIUM ſæc. V. Ord. S. B. c. 1. p. 429. miſſæ poſt Primam, id eſt matutinalis de SS. Trinitate pro neophytis: qualis etiam in miſſali *Gothico* legitur, rituque *Ambroſiano* hodieque celebratur, prout habetur in noſtro ſacramentario triplicis ritus Vol. I. p.92. ſeq. *Miſſa Ambroſiana in eccleſia minore pro baptizatis* per oct.

(2) Sunt hæc ipſiſſima antiquiſſimi Ordinis *Rom.* I. verba. Vid. quæ ſupra p. 217. n. 1. adnotavimus.

(3) Monachos tamen olim ieiunaſſe MARTENIUS lib. IV. de ant. Monach. Rit. cap. 4. num. 25. obſervat. S. PETRUS *Damiani* ſæc. XI. lib. VI. epiſt. 33. *De letania maiore*, inquit, *turpiter a nonnullis & maniſeſtiſſime contra canonum agitur ſententias, quia in ea per occaſionem B. Marci, cuius eodem die feſtivitas eſt, ieiunium non tenetur. Sed quia a conſpiratoribus ventris noſtra prorſus aſſertio ludibrium ducitur, ut ſubterfugium deſit, ipſa canonica auctoritas ſimpliciter inferatur.* Ait enim *Moguntinum* Concilium: *Placuit nobis, ut in die VII. Kal. Maii &c.* Sed ut P. III. Diſquiſ. X. p. 1002. notavimus, de his litaniis non agit Concilium *Mogunt.* unde etiam, quæ hic ad calcem tituli de litania mai. ex eodem Can. afferuntur verba ſuo loco non ſunt poſita, etſi melius deſcripta quam apud PETRUM *Damiani*, nempe ſine aliqua ieiunandi mentione.

Digitized by Google

tem legimus ſtatutam eſſe a ſancto Gregorio (1) propter imminentem cœleſtem mucronem. Iuſſit autem in eodem die letaniam ſeptenam ita præcipiens. Letania clericorum exeat ab eccleſia ſancti Marcelli martyris; letania monachorum ab eccleſia ſanctorum martyrum Iohannis & Pauli; letania ancillarum Dei ab eccleſia beatorum martyrum Coſmæ & Damiani; letania feminarum coniugatarum ab eccleſia beati Petri, & martyris Stephani. Letania viduarum ab eccleſia beati martyris Vitalis; letania pauperum & infantum ab eccleſia beatæ martyris Ceciliæ. Pro importunitate autem bellorum poteſt procul dubio videri letania inſtituta eſſe, & ex æqualitate temporibus colligimus, eam neceſſariam eſſe ad fruges conſervandas. Quam letaniam una die obſervare debent omnes chriſtiani, non equitando, non precioſis veſtibus induti; cinere reſperſi, & cilicio induti

De Letania maiore. (2)

Tres autem dies Rogationum, qui celebrantur ante aſcenſionem Domini iuxta morem Gallicanæ eccleſiæ, conſtituit ſanctus Mamertus Viennenſis epiſcopus ob incurſionem ſcilicet malarum beſtiarum, quæ tunc temporis graviſſime afficiebant populum Domini. Quæ conſuetudo apud nos uſque hodie pro diverſis calamitatibus devotiſſime recolitur. Nullus autem his diebus veſtimenta pretioſa indicatur (induat), quia in ſacco & cinere lugere debemus. Prohibeantur ebrietates, & commeſſationes, quæ fuerint in vulgari plebe. Nemo ibi equitare præſumat, ſed diſcalceatis pedibus omnes incedant. Nequaquam mulierculæ choros ducant, ſed omnes in commune *Kyrie el.* decantent; & cum contritione cordis Dei miſericordiam exorent pro peccatis, pro pace, pro peſte, pro conſervatione frugum & pro cæteris neceſſitatibus; dies enim abſtinentiæ ſunt non lætitiæ. Per quod triduum ſervi & ancillæ ab opere relaxentur, quo magis plebs univerſa conveniat. Et hoc triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur. (3) Antiphonæ vero ad reliquias deducendas in libro graduali vel antiphonario quærentibus occurrent per ſingulos tres dies, ſed propter

---

(1) Quod iam Card. BARONIUS contra plerorumque omnium etiam recentiorum opinionem in Martyrologio *Rom.* ad diem XXV. *Aprilis* adnotaverat, litanias maiores non inventas a S. GREGORIO M. ſed ab ipſo ad *S. Petrum* indictas eſſe graſſante lue, id pluribus explicant *Caiet.* MERATUS in *Gavant.* T. I. P. IV. tit. XI. n. 8. & P. de LUBEIS apud CATALANUM comment. in Rit. *Rom.* T. II. pag. 190. minime confundendam eſſe litaniam maiorem, cum litania ſeptiformi a S. GREGORIO M. conſtitutam, qualis hic deſcribitur diverſo nihilominus modo, quo a S. GREGORIO *Turonenſi* lib. X. Hiſt. *Franc.* & a PAULO *Diac.* lib. III. de Geſtis *Longobard.* c. 24. alio item a IOANNE *Diacono* in S. GREGORII vita lib. I. n. 13. Cuius diverſitatis cauſam BARONIUS ad an. 590. n. 12. putat eſſe, quod non ſemel eiusmodi indictæ fuerint litaniæ, uti certe triduum indicat laudatus S. GREGOR. *Turonenſis*, cuius etiam veſtigium habetur in noſtro Sacramentario *Alem?nnico* P. I. Monum. p. 109. ubi id præcipuum ad rem eſt, quod p. 108. habeatur litania maior ex antiquiſſimo ſacramentario *San-Gallenſi*, quod ipſa forma *Gelaſianum* eſſe demonſtrat, atque pro tali ab eo indubitanter eſt agnitum, qui iam ſæc. circ. X. ſacramentarium triplicis ritus *Gelaſiani*, *Gregoriani*, & *Ambroſiani*, in noſtra *Alemannia* compilavit, prout a nobis eſt editum. Ad rem vero apprime faciunt, quæ *Petrus* MORETTUS enarrat de feſto in honorem principis apoſtolorum *Romæ* ad diem XXV. *Aprilis* inſtituto ad miſſam illi tempori in ſacramentario *Leonino* aſſignatam, inſcriptam *in dedicatione* cathedræ nimirum D. PETRI auſpiciis ad eum diem. Nempe iu catalogis *Roman.* Pont. antiquiſſimis D. PETRI Sedi *Romanæ* tribuuntur anni XXV. menſ. II. dies III. quot ſunt a die mortis vigeſimo nono *Iunii* ad diem vigeſimum quintum *Aprilis* feſtum nimirum, quod dedicationis inſcribitur in ſacramentario *Leonino*, atque deinceps ſemper ſolemnis proceſſio, cum litania ad *S. Petrum* fuit inſtituta ac terminata, ut orationes *in atrio* declarant, litania autem maior ob celebriorem amplioremque circuitum haud dubie fuit dicta.

(2) Hanc triduanam litaniam olim etiam maiorem fuiſſe dictam T. II. Diſquiſit. pag. 1001. oſtendimus; apud HITTORPIUM tamen titulus eſt *de litania minore.*

(3) De ieiunio & abſtinentia horum dierum diximus T. II. p. 1003. ſeq. Nempe ut ſcribit SIDONIUS APOLLINARIS lib. V. ep. 14. *In his ieiunatur, oratur, pſallitur, fletur.* AMALARIUS lib. I. de div. Offic. c. 27. miratur, *quomodo inolevit conſuetudo præſentis ieiunii in noſtra eccleſia.* Eius reliquias adhuc quasdam fuiſſe ſæc. XIV. diſcimus ex *Iab.* de VITRIACO ſerm. in fer. II. Rog. *In his autem*, ait, *litaniis ieiunare ſolebant in principio in quadrageſimalibus cibis; nunc autem pauci ieiunant primis duobus diebus, niſi in caſeo, & ovis. Omnes autem debent ab operibus mundanis ceſſare, ſicut in diebus feſtis, donec facta ſit Proceſſio, cui debent intereſſe.*

Digitized by Google

propter facilitatem hic ſubſcripti videntur. In letania minore ſicut & in maiore feria II. imprimis agitur benedictio cineris. Sequitur antiphona. *Exurge Domine adiuva nos, & libera nos propter nomen tuum. Deus auribus.* Cum *Gloria.* Qua finita ponendi ſunt cineres ſuper capita. (1) Sicut antiphona teſtatur. *Immutemur.* Sequitur oratio. (2) *Mentem familiæ tuæ quæſumus Domine intercedente beato Laurentio martyre tuo, & munere compunctionis aperi, & largitate pietatis exaudi. Per.* Quando autem levantur reliquiæ, imponit cantor antiphonam hanc. *Surgite ſancti.* Alia. *De Ieruſalem exeunt.* Deinde ſequuntur verſus lætaniæ huiusmodi. *Humili prece & ſincera devotione ad te clamantes ſemper exaudi nos. Summus & omnipotens genitor, qui cuncta creaſti. Æternus Chriſtus, filius atque Deus. Nec non ſanctificans dominator Spiritus almus. Unica maieſtas, trinaque ſola Dei. Humili.* Ea finita iſtæ quæ ſequuntur cantantur antiph. *Dimitte nobis Domine peccata noſtra, tibi peccavimus, patientia Iſrael libera nos Domine in tempore anguſtiæ noſtræ. Alleluia. Propitius eſto Domine. Sacerdotes fundite lacrimas. Tu es Domine Salvator. Sicut paſtor portat ovem. Annuntiata eſt inter gentes. Sanctos portantes ſanctorum. Sub altare Domini. Suſcipiamus Domine. Tu autem Domine. Domine in flagellis tuis. Timor & tremor.* Feria tertia cantantur iſtæ antiphonæ ad ſuſcipiendos ac ſalutandos fratres. *Benedicat vos trina maieſtas Domini.* ℟. *Bened. vos ſpiritus.* Item. *Ille vos benedicat.* In ingreſſu. Bened. Dns ſacerd. Clero quoque ſtante in choro incipit cantor antiph *Exurge Domine.* cum verſu *Deus auribus* Poſtea. *Immutemur.* Sequitur oratio *Deus qui culpas delinquentium diſtricte feriendo percutis, fletus quoque lugentium non recuſes; ut qui pondus tuæ animadverſionis cognovimus, etiam pietatis gratiam ſentiamus. Per.* Ant. *Surgite ſancti. Cum iocund. De Ieruſalem.* Tunc iſti cantantur verſiculi. *Clamemus omnes. Bellis attriti. Curvantur. Delicta. De cælis. Flagella. Gemitum. Ecce.* Item. *Aufer a nobis Domine iniquitates noſtras, ut mereamur puris mentibus introire ad ſancta Sanctorum.* Exaudi. Item *Pater de cælis Deus miſerere nobis. Spiritus ſancte Deus miſerere nobis Qui es trinus & unus Deus miſerere nobis. Ipſe idemque benignus Deus, miſerere nobis. Sancta Maria, ora pro nobis. Gratiam tuam concede nobis Domine. Aeris temperiem bonam, concede nobis Domine. Ab inimicis noſtris libera nos Domine. Fili Dei miſerere nobis. Nunc & in perpetuum miſ. Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Ardua ſpes mundi.* Feria quarta ant. *Exurge Domine. Immutemur.* Oratio. *Parce Domine, parce populo tuo, ut nullis iam patiaris adverſitatibus fatigari, quos precioſo filii tui ſanguine redemiſti. Per. Surgite ſancti. Cum iocunditate De Ieruſalem.* Deinde iſta proſequitur letania. *Kyrie el.*

Ordo in inventione ſanctæ Crucis.

In inventione ſanctæ crucis legantur lectiones, quæ & in natalitiis plurimorum martyrum, ſive omeliæ ad ipſum diem pertinentes.

Ordo in vigilia Aſcenſionis Domini.

Leguntur lectiones tres de actibus apoſtolorum. Prima lectio ſic continet in capite: *Primum quidem ſermonem feci*, uſque, *& Maria mater Ieſu & fratres eius.* Secunda lectio ſic continet in capite: *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum*, uſque, *& annumeratus eſt cum undecim apoſtolis.* Tertia lectio ſic continet in capite: *Quia receperunt ſermonem eius*, uſque, *qui ſalvi fierent cottidie in idipſum.* Poſtea legantur omeliæ ſanctorum Patrum ad ipſum diem pertinentes.

Ordo in Sabbato ſancto Pentecoſtes.

Sabbato in vigiliis Pentecoſtes omnes ieiunium faciant, & omne officium divinum, vel ordinem tam lectiones, quam & baptiſmum ſicut in ſabbato ſancto vigiliarum paſchæ, tantum hora octava ingrediantur ad vigilias vel miſſarum ſolemnia, ut hora nona expleta omnia conſummentur. In eis autem legantur lectiones quatuor, & canentur quatuor cantica ante baptiſmi conſecrationem, ſicut in vigiliis paſchæ. Antequam deſcendatur ad fontem ad baptizandum legatur lectio prima: *Temptavit Deus Abraham.* Oratio. *Deus qui Abrahæ &c.* Lectio ſecunda: *Scripſit Moyſes.* Tr. *Attende Domine. Deus qui nobis per prophetarum ora &c.* Lectio tertia. *Apprehendent ſeptem mulieres.* Tr. *Vinea facta eſt. Deus qui nos ad celebrandam præſentem feſtivitatem utriusque teſtamenti paginis inſtruis, da nobis intelligere miſericordiam, ut ex perceptione*

(1) Convenit hic ritus iis, quæ MARTENIUS affert ex codd *Turonenſi*, & *Saliſburgenſi* compluresque recenſet eccleſias, apud quas hodieque obtinet. De ant. Eccl. diſc. in celebr. div. off. c. 27. vid. P. I. Diſq. p. 1006.

(2) In ſacramentario noſtro *alemannico* oratio hæc Fer. III. Rogat. prima notatur *ad S. Laurentium.* Vol. I. p. 119.

Digitized by Google

ne præſentium munerum firma ſit exſpectatio futurorum. Per. Lectio IIII. *Audi Iſrael.* Oratio. *Deus incommutabilis virtus & lumen æternum reſpice propitius ad totius Eccleſiæ mirabile ſacramentum, & da famulis tuis, ut hoc, quod devote agimus, etiam rectitudine vitæ teneamus. Per.* Tr. *Sicut cervus.* Oratio. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui hanc ſolempnitatem adventu ſancti Spiritus conſecraſti, da nobis quæſumus, ut cæleſtibus deſideriis accenſi fontem vitæ ſentiamus. Per.* Finitis lectionibus deſcendendum eſt ad fontem cum ſancto chriſmate, & cereis cum magna reverentia decantando letaniam. Aliqui canunt letaniam Noricam: *Rex Sanctorum.* His expletis, baptizandum eſt ſicut in vigilia paſchæ. Poſt aſcenſum vero fontis ingrediendum eſt ad miſſam publicam ad ſanctum Iohannem. Imprimis autem fiunt letaniæ ter repetendo, & cum dixerint *Agnus Dei*, dicat cantor excelſa voce *Accendite.* Accenſis omnibus luminibus procedat pontifex cum omni ornatu uſque ad altare, & dicat: *Gloria in excelſis Deo.* Et peragatur miſſa cum *Alleluia*, & tractu ordine ſuo, ſicut in ſacramentario continetur.

Ordo in nocte Pentecoſtes.

In adventu ſancti Spiritus, id eſt nocte Pentecoſtes, dicantur tres pſalmi cum antiphonis ſicut in paſcha Domini, & in adventu Spiritus ſancti. Legantur etiam tres lectiones de actibus apoſtolorum. Prima lectio ſic continet in capite: *Et cum complerentur dies Pentecoſtes.* uſque, *audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei.* Secunda lectio ſic continet in capite: *Stupebant autem omnes & mirabantur ad invicem.* uſque, *& erit omnis qui invocaverit.* Tertia lectio ſic continet in capite: *Viri Iſraelitæ, audite verba hæc: Ieſum Nazarenum virum approbatum a Deo.* uſque, *quoscunque advocaverit Deus Dnus noſter.* Alias vero leguntur omeliæ ad ipſum diem pertinentes. Quod in paſcha dictum eſt de conſequentibus noctibus baptiſmalibus hoc & hic dicendum eſt, ut tres pſalmi per ſeptem dies neophitorum omnimodis canantur. Et ſic maieſtatem Spiritus ſancti in pentecoſte celebramus, & in octava eiusdem feſtivitatis, id eſt in nocte, tres pſalmos in nocturnis, & uſque ad finem diei præſentis dominici *Alleluia* dicamus. In ipſis enim diebus præſentis ebdomadæ non ſtatim peracta die quadrageſima genu ad orandum curvamus; ſed & illa adhuc ſeptimana ſtantes Domino ſupplicamus, & quamvis intermiſſa repetentes ieiunia, tamen *Alleluia* cottidie perſonamus, & per quatuor dies laudes hymnorum debitas ſimul & miſſarum celebrationes Deo offerimus.

Ordo in octava Pentecoſten.

In dominica octavæ pentecoſtes ponunt librum Regum, & Paralipomenon uſque in dominicam primam Auguſti. Tempus autem Pentecoſtes inchoatur a prima die reſurrectionis, & currit uſque ad diem quinquageſimum poſt pauca. Qui dies quinquaginta celebrantur in læticia poſt reſurrectionem Domini. Propter hoc ieiunia relaxantur, & ſtantes oramus, quod eſt ſignum reſurrectionis. Duas autem varietates habet Eccleſia de ieiunio, quod fit poſt reſurrectionem Domini. Aliqui ſecundum vulgarem uſum ſtatuunt terminum quadrageſimalis ieiunii in feſtivitate ſancti Iohannis, aliqui volunt omnes dies habere in lætitia. (1) Cur lætari debeamus in diebus Pentecoſtes habundant exempla ſanctorum Patrum; cur ieiunare neceſſe ſit, unusquiſque ex ſuo corde cognoſcit. Sed unicuique voluntate licet ieiunare ob devotionem mentis. Ab hac licentia excluduntur, qui proprie in Eccleſia pœnitentes nominantur. *Annua nobis eſt dilectiſſimi celebranda feſtivitas, quam menſis IIIius ſolemnis curſus indicit. Quarta igitur & ſexta feria ſuccedente ſolitis eandem convenientibus (conventibus) exequamur, ſabbatorum die hic ſacras acturi vigilias, ut per obſervantiam competentem Domino purificatis mentibus ſupplicantes, beatiſſimo Petro apoſtolo ſuffragante a præſentibus periculis exui mereamur pariter & futuris.*

De ieiunio Quatuor Temporum.

In quatuor temporibus, quando agimus XII. lectiones, ſolemus ieiunare pro ordinandis, quamvis ordinatio non fiat; etiamſi pervenerint in octavis Pentecoſtes, quando celebratur feſtivitas ſeptiformis Spiritus, & neophitorum. Ut autem hoc ieiunium celebretur in largitione ſanctorum ordinum Eccleſiæ primitivæ mos obtinuit. In quarta feria quarti menſis leguntur duæ lectiones. Quinta feria deeſt officium & miſſa, & ideo debes cantare de Dominica Pentecoſtes. Sexta feria

una

(1) Alludit hic compilator ad tertiam quandam quadrageſimam alicubi olim poſt Pentecoſten celebratam. Vid. quæ P. III. Diſquiſ. X. c. 3. n. 14. de tribus quadrageſimis ſcripſimus. Et P. I. Monum. vet. Liturg. *Alem.* p. 391. annotavimus ad feſtum S. Io. *Baptiſtæ*, quod ſolum habetur feſtum Sanctorum in illo Graduali Dominicali, cum feſtis Natale Domini proxime ſequentibus unaque feſtum S. Luciæ menſe *Decembri* & feſto Purificationis menſe *Febr.*

Digitized by Google

una tantum legatur lectio. Sabbato, quando benedictio agitur, quatuor lectiones legantur, & ſingulas lectiones ſinguli reſponſorii dicent. Proxima lectio ordinationi de camino ignis legatur. Quatuor temporibus annus volvitur, unumquodque tempus tres menſes habet. Pro unoquoque menſe ſinguli dies ieiunio conſecrantur. Per ſingulas orationes in duodecim lectionibus genuflectimus, excepto in octavis Pentecoſtes in ſola de camino ignis genu non flectimus. Item de ieiunio pentecoſtes. Si autem ipſa hebdomada in menſe quarto evenerit, ieiunium faciant quarta & ſexta feria, & in Sabbato uſque ad horam nonam, & hæ lectiones leganrur, quæ menſe quarto ſcriptæ ſunt cum reſponſoriis quatuor & *Benedicite.* Et Tractum *Laud.* Sin autem ea non tempore ſuo agitur cum lectiones legantur, non pronunciat lector *lectio libri*, ſed inchoat plane, & legit in ſenſu lectiones, ſicut epiſtolæ Pauli diebus Dominicis leguntur. Si vero tempore ſuo agitur, tunc pronunciat *lectio libri.* Similiter & in reliquis tribus temporibus.

Item unde ſupra apertius.

In menſe Iunio ſi eveniunt duodecim lectiones in Sabbato Pentecoſtes, tunc in quarta feria cantetur & legatur ant. *Exaudi Domine vocem meam, qua clamavi.* Oratio. *Preces noſtras quæſumus Domine.* Require in hebdomada prima quadrageſimæ. *Lectio libri ſapientiæ. In diebus illis dixit Salomon.* Oratio. *Devotionem populi tui. Lectio Iſaiæ prophetæ. Audi Iacob. Alleluia.* ℣. *Domine Deus ſalutis. Evangelium ſecundum Lucam. In illo tempore. Accedent.* Off. *Viri Galilei.* Comm. *Pater cum eſſem.* Fer. VI. ant. *Exaudi Domine* or. *Eſto Domine propitius plebi tuæ. Lectio Iohel prophetæ. Exultate filiæ Sion. Alleluia.* ℣. *Domine refugium. Secundum Lucam. Venit ad Ieſum vir, cui nomen.* Off. *Viri Galilei* ℣. *Pater cum eſſem.* Sabbato primitus dicant letaniam. *Kyrie eleiſon. Gloria in excelſis.* Oratio. *Mentibus noſtris.* Alia. *Illo nos igne.* Tertia. *Deus qui animarum.* Quarta *Præſta qs omps Ds.* Quinta. *Præſta qs omps Deus.* Cum lectionibus & gradalibus, & *Benedicite.* Ad miſſam. *Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut claritatis tuæ ſuper nos.* Lectio. *Factum eſt, cum Apollo eſſet Corinthi. Alleluia.* ℣. *Confitemini.* Tr. *Laudate.* Evangelium. *Si diligitis me, mandata.* Off. *Emitte Spiritum.* Comm. *Ultimo feſtivitatis.* Si autem evenerit in ipſa ebdomada ſancta, tunc in quarta feria, quod ibi conſtitutum eſt cantatur. Ant. *Deus cum egredieris. Alleluia. Domine Deus ſalutis.* Off. *Meditabar.* Similiter in VI. Fer. *Repleatur os meum. Alleluia. Domine refugium.* Of. *Lauda anima.* Similiter in Sabbato. Ant. *Karitas Dei.* Cum orationibus, lectionibus gradalibus cum Benedic. & Tractu. Lectio *Convenit univerſa civitas.* Evangelium. *Surgens Ieſus.* Lectiones ſunt iſtæ. *Dixit Salomon. Audi Iacob. Exultate filiæ. Effundam de ſpiritu. Angelus Dni.* Ad miſſam. *Iuſtificati ex fide.* Of. *Domine Deus ſalut.* Com. *Non vos.*

Ex ordine operis Dei San-Blaſ. Mſc. ſæc. XIV.

De Adventu Domini.

Dominica IV. ante natale Domini in vigilia ad veſperam Antiphona: *Cuſtodit Dominus:* Oratio: *Excita Domine. Benedicamus Domino* a puero dicatur. De ſancta Maria Antiph. *Miſſus eſt.* Capitulum *Ave Maria gratia plena.* Oratio: *Deus qui de beatæ.* Hanc orationem cottidie dicimus ad Matutinum & ad Veſperam, & ad Miſſam uſque ad Nativitatem Domini. Commemoratio S. Trinitatis & S. Crucis dimittitur uſque poſt Purificationem S. Mariæ. Ad Letaniam tamen poſt Primam & ante Miſſam non dimittitur. Ad Veſperam & ad Matutinum de omnibus Sanctis uſque ad natale Domini antiphona *Ecce Dominus veniet.* Ad preces de omnibus Sanctis infra Adventum Domini dicatur imprimis: *Ave Maria. Fuit homo &c.* Oratio: *Conſcientias noſtras.* Invitatorium a duobus non reveſtitis canatur, *Ecce veniet Rex*, & ad Lectiones Eſaias ponatur legendus, tam in Dominicis quam in privatis diebus. In fine Lectionum Dominicis diebus dicitur: *Tu autem Domine;* privatis vero, *Hæc dicit Dominus.* ad matutinas Laudes primam antiphonam ebdomadarius incipiat, reliquas ſeniores fratres, ſicut in Breve notati ſunt. Et hoc ſemper fiat in duodecim lectionibus, præter ſummas & maiores & minores feſtivitates. Ad Laudes de S. Maria antiphona *Angelus Domini.* Capitulum & oratio ut ſupra. De Patrono (S. Blaſio) antiph. *Martyr Domini.* Hæc antiphona in omni pleno officio de patrono canitur. Ad Primam poſt pſalmum, *Quicunque*, dicatur ſolita oratio: *Omnipotens ſempiterne Deus, qui dediſti famulis tuis.* Ante Tertiam agatur proceſſio, ſicut in cæteris dominicis. Reſponſorium: *Miſſus eſt Gabriel. Ave Maria* cum verſibus. Ad introitum eccleſiæ reſponſorium: *Dies venient.* Capitulum *Rorate cæli. Kyrie el. Chriſte el. Kyrie el.* cap. *Ave Maria.* Hoc capitulum tantum in Adventu Domini hoc

Digitized by Google

hoc loco dicendum eſt; alio vero tempore: *Poſt partum. Ora pro nobis B. Blaſi. Exultabunt Sancti.* Oratio. *Via Sanctorum omnium.* Et ſciendum, quod de quocunque reſponſorium ad Introitum cantatur, de ipſo primum capitulum dicitur. Ad miſſam ſacerdos & miniſtri altaris caſulis utuntur uſque ad natalem Domini. Ab hac enim die & deinceps per totum Adventum ad miſſam non veſtiatur diaconus dalmatica, nec ſubdiaconus tunica, ſed caſula. In Adventu etiam Domini provideat cantor, ut ſingulis hebdomadis bis celebretur de S. Maria. Si fieri poſſit una vice ſolemniter, altera privatim, & ſine ſequentia, (*Mittit ad Virginem.*) ita tamen, ut Feria IV. & Feria VI. Miſſa de Patrono noſtro non omittatur. Et ſi in adventu Domini maior Miſſa de ea non poteſt cantari, in Sabbato ad matutinam Miſſam celebretur, ſive ſit duodecim Lectionum, ſive non.

Quando denique antiphonæ O. incipiunt, Abbas, ſi præſens eſt, primam incipiat, reliquas Cantor.

De ieiunio decimi Menſis.

Feria IV. ieiunii decimi Menſis Invitatorium: *Prope eſt iam Dominus*, Si hiſtoria *Clama* canitur: ſin autem *Regem venturum.* Evangelium *Miſſus eſt* cum ſua Homelia a Diacono pronuntietur, non tamen ab uno, ſed per ordinem in Breve mutantur Feria VI. & Sabbato. Præfata autem Evangelia, quamquam iſtis diebus per Diaconum pronuntientur ad nocturnos, de Homeliis tamen eorum in capitulo legi non debet, ſed de Regula, ſicut & in cæteris privatis diebus. Ad menſam tamen legantur Capitulum & oratio de Adventu ſolito more

Feria VI ad Miſſam *Prope eſto* per totum, oratio cum ſalutatione & genuflexione cum uſualibus. In Sabbato ita cantamus Miſſam maiorem. Finito *Pater noſter* in choro ſedent omnes, hoc eſt ante Miſſam, & hoc fit in ieiunio & Decembri. Letaniam ante Miſſam non cantamus de ullo tempore iſtius ieiunii. Qui debent legere, induunt ſe omnes, quibus Cantor præcipit. Ebdomadarius ad officium, & miniſtri altaris non mutantur: de Converſis induatur unus tantum. Hi omnes induantur ſicut in privatis diebus, ſed qui officium facit, Cappa induatur. Reveſtitis omnibus omnia in choro ſigna pulſentur: & Introitus cantatur, ſicut in privatis. *Kyrie eleiſon* non mutatur, ex illo choro incipitur, ubi Ebdomada. Lectiones legunt ſicut ſunt in ordine *Benedictus*, Reſponſorium cantant, quibus Cantor præcipit. Omnes orationes genuflexio præcedit ſine ſalutatione, præter illam, *Deus qui tribus pueris*, quam ſalutationem ſine genuflexione exigit. Unus ex illis, qui cantaverunt *Benedictus*, ad offerendum vadit, & alius ei præparat ſicut in XII. lectionibus. Textus non fertur per chorum. Cantatis verſibus offertorii exuunt ſe omnes, qui fuerint induti, præter Ebdomadarios. Ad pacem Prior, vel quilibet de Senioribus eat. Hoc autem Sabbatum, quamvis ſex tantum Lectiones habeat, dicitur tamen duodecim Lectionum, eo quod antiquitus eædem lectiones bis legebantur, græce videlicet & latine.

Si in aliqua iſtius ieiunii die feſtum S. Thomæ evenerit, poſt Capitulum pulſato ſigno & oratione facta cantet Tertiam; finita Tertia ſequitur miſſa, quam ſecundum conſuetudinem minoris feſti ſolemniter cantamus. Miniſtri præcedentis Ebdomadæ ad maiorem Miſſam præparent ſe, id eſt, Diaconus, Subdiaconus, Converſi. Poſt miſſam fratres ſe exuentes iterum lectioni vacant, uſque dum ſignum Sextæ audiatur. Tunc facta denuo oratione ſedent in choro, donec Sacerdos cæterique miniſtri altaris ſe induant ad miſſam de ieiunio. Quibus reverſis Sexta canitur, ſtatimque miſſa non præcedente letania cum flectione genuum, & *benedicamus Domino.*

De Vigilia Natalis Domini.

Pridie in vigilia natalis Domini hoc modo pronuntiandus eſt ordo. Poſt Capitulum vacent fratres lectioni. Facta hora ſonetur ſignum ad Sextam. Poſt Sextam iterum vacent lectioni, & cum tempus fuerit, ſonetur ſignum ad miſſam, & puer cantet letaniam, qua finita fiat compulſatio duabus campanis ad maiorem miſſam. Poſt miſſam cantetur Nona: Poſt Nonam vero eant ad refectorium, & poſt refectionem vacent lectioni, & cum tempus fuerit, pulſetur ad Veſperas.

In vigilia natalis Domini ad priorem Veſperam *Deus auribus* dimittitur, & ſigna omnia pulſantur. Poſt veſperas de omnibus Sanctis dicantur Veſperæ mortuorum *Dilexi* ſine antiphona. Ad Completorium hymnus *Te lucis ante terminum.* Pſalmus *Miſerere* ſolum. Ad Matutinum XV. gradus dicantur & ſigna omnia pulſentur. Invitatorium duo cantent, & accendantur duo luminaria. In Laudibus ſeniores, ſicut notati ſunt, incipiant antiphonas. Antiphonam autem *Ioſeph fili David*, cantet Abbas, ſi præſens eſt, ut cantet eam uterque chorus per totum communiter, antequam Pſalmus incipiatur, *Benedictus* Domi-

Digitized by Google

Dominus Deus. Et ille chorus, qui ſecundum verſum cantare debet, finito verſu, quem dexter chorus cantavit, ſtatim incipiat antiphonam, & cantet eam usque *coniugem tuam*, & dexter chorus, qui primum verſum cantavit, incipit, *quod enim in ea*, & cantet eam uſque in finem. Qua cantata ſiniſter chorus inchoet verſum, *Et erexit cornu.* Et cantetur pſalmus per totum. Poſt ultimum verſum, *Illuminare his* iterum antiphona cantetur alternatim. Poſt *ſicut erat* iterum communiter cantetur ab omnibus. Oratio *Deus qui nos redemptionis noſtræ.* Poſt Matutinum de omnibus Sanctis cantatur matutina laus pro defunctis. Pſalmus *Miſerere mei Deus.* ſine antiphona, deinde *Verba mea*, & *Domine exaudi.* Poſtea redeant ad lectos.

Aparente luce diei pulſetur Prima, ut fieri ſolet poſt feſtum S. Michaelis, & cantent Primam. Antiphona *ſcitote quia prope.* Pſalmi familiares *Levavi. Deus in adiutorium*, *Domine exaudi. De profundis*, & *Voce mea*, quem pſalmum, ſi Trigentenam agimus, ad omnes horas pronuntiamus. Deinde VII. pœnitentiales & letania. Poſt Primam vacent lectioni uſque dum Tertia pulſetur. Ad Tertiam antiphona *Hodie ſcietis.* Pſalmus familiaris *Levavi. Deus in adiutorium. Domine exaudi.* Miſſa matutina de S. Maria *Rorate cæli* per totum, ut præſcriptum eſt in adventu Domini de S. Maria. *Alleluia* non canitur, niſi ſit Dominica. Finita miſſa ad Capitulum prolixius ſolito pulſetur, & mox, ut nativitas Domini pronuntiatur, proſternat ſe unusquisque in faciem ſuam, Dominus Abbas & pueri contra Crucem, ſimiliter Lector retro pulpitum; Qui autem ex utraque parte capituli ſedent, contra ſe invicem omnes toto corpore proſtrati faciunt orationem ſpatio pſalmi *Miſerere mei.* Cum Abbati viſum fuerit, ſurgat, & cæteri cum eo. Legatur ibi lectio de Evangelio, *Cum eſſet deſponſata.* Brevis de natali Domini uno die ante vigiliam pronuntietur, & legatur eo die lectio de Regula: *Nuntianda hora*, & per totum annum non legatur amplius. Poſt Capitulum habeant colloquium. Similiter fiat poſt Sextam. Ad Sextam antiphona *Craſtina die*, deinde pulſato maiore ſigno & facta oratione reveſtiat ſe Dominus Abbas, aut alius Sacerdos, & Diaconus, & duo Subdiaconi, quorum unus Prophetiam, & alter legat Epiſtolam. Diaconus induatur dalmatica, duo Subdiaconi tunicis: duo Fratres cantent ℟. Gradualis, qui præcedenti Dominica cantaverunt *Alleluia*, & tres Converſi ſint reveſtiti ad cereos & ad thuribulum. Unus de albatis offerat, qui & ad Pacem eat. In canone proſternant ſe ſuper formas; ad miſſam vero tria luminaria ſuper gradus incenduntur. Ad Nonam ant. *Levate capita.* Ad menſam legatur ſermo S. Auguſtini de ſymbolo contra Iudæos.

Ad Veſperam duo ſigna pulſentur, ſicut in omnibus ſummis feſtis, & qui notati ſunt, incipiant antiphonas.

Ant. *Iudæa & Ieruſalem.*	Pſ. *Laudate pueri.*
Ant. *Rex pacificus.*	Pſ. *Laudate Dum omnes gentes.*
Ant. *Orietur ſicut.*	Pſ. *Laudate Dum quoniam bonus.*
Ant. *Betlehem.*	Pſ. *Lauda Ieruſalem.*

Ad quartum pſalmum induant ſe duo Cantores, qui cantent Reſponſorium *Iudæa*, qui etiam incenſent altaria, & dicant *Benedicamus Domino.* Ad *Magnificat* Ant. *Cum eſſet deſponſata*, quæ canitur ſicut illa, *Ioſeph fili David*, & alternatim canenda eſt. Et hoc modo dividitur chorus, qui eam incœpit cantare, uſque *Maria Ioſeph*, alter chorus ſtatim inchoat, *antequam convenirent*, & cantet uſque *in utero habens*, & tunc iterum prior chorus, *Quod enim*, & cantet uſque ad finem. Poſt *Magnificat* & poſt *Gloria Patri* iterum hæc antiphona cantanda eſt ab omnibus. Oratio: *Deus qui nos redemptionis.* De S. Maria Ant. *O Virgo Virginum.* Cap. *Benedicta tu in mulieribus.* Oratio. *Deus qui de beatæ.* Deinde de Patrono, & ſuffragia omnium Sanctorum, & Veſperæ de omnibus Sanctis ſolito more. Ad Veſperas & ad Matutinum de omnibus Sanctis ad *Magnificat:* antiph. *Lux orta eſt* uſque poſt Epiphaniam. Ad Completorium hymnus *Te lucis ante terminum.* Hic, & ad omnes horas adiungitur verſus de natali Domini ad hymnos, *Memento ſalutis auctor*, uſque ad Purificationem B. Virginis.

De Natali Domini.

Cum tempus fuerit, ut fratres ſurgant Chriſtum natum de Virgine laudare, ſecretarius convocet ſocios ſuos, & candelas omnes accendant; interim unus eorum cum lumine excitet fratres in dormitorio. Accenſis luminibus pulſetur ſcilla cum duobus parvis campanis, quæ compulſatio vulgariter dicitur Schreki. Poſtea fiat compulſatio in choro tantum cum illis campanis, deinde exeant de choro Diaconi & Converſi & maiores campanas, & duo ſigna maxima pulſentur. Venientibus vero pueris, & factis tribus orationibus duo ſigna pulſentur unumquodque cum duabus campanis,

Digitized by Google

campanis, poſtea omnia, & ſic fiat compulſatio in omnibus feſtivitatibus. XV. Gradus ſub ſilentio dicantur, & ad quintum pſalmum omnes ſolito more erigantur ſuper ſedilia. Tres fratres reveſtiti in cappis cantent *Invitatorium.* Cuſtos in primo Nocturno accipiat librum, ubi ab eo repoſitus erat, & ponat in analogium, & incendat lumen lectori. Lector autem inclinatus eat per chorum ad librum Matutinalem incipiens in medio chori: finita lectione ſimiliter inclinatus eat per medium chorum, & flectat genua ſua; deinde revertatur in locum ſuum. Singula Reſponſoria cantentur a duobus. IV. VIII. & XII. a tribus. Puer legat primam lectionem, cæteras fratres, qui notati ſunt. Primum quoque, & quintum, & nonum Reſponſorium duo pueri cantent. Ad decimam vero lectionem exeant ſcholares ad calefaciendum ſe, & ad XII. revertantur. Evangelium Abbas legat: *Liber generationis.* Sequitur, *Te decet.* Oratio, *Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem.* Qua dicta imponat Cantor de S. Maria ant. *O mundi Domina.* Oratio absque *Dominus vobiscum.* Cap. *Poſt partum virgo.* Oratio, *Deus qui per B. Mariæ V.* Dicta oratione non pulſantur ſigna, ſed inchoatur matutina laus de omnibus Sanctis ab ipſo, qui Evangelium legit. Qua cantata eant in dormitorium, & poſtea in calefactorium ſeu regularem coquinam, ubi Cammerarius in tertio Nocturno præparavit focum, & aquam, & manutergia ad abluendas manus. Et ita præparent ſe, ut dum auditum fuerit maius ſignum, veniant in Eccleſiam, factaque oratione induitur Sacerdos Alba de auro, & caſula, ſimiliter Diaconus Dalmatica, & duo Subdiaconi tunicis, & tres Converſi ad ſuum officium: Et impoſitor officii in cappa: nam ad has tres miſſas ſinguli Sacerdotes cum ſingulis miniſtris notantur ad libitum Cantoris: & qui ad primam miniſtrarunt miſſam, non notantur ad ſecundam. Indutis omnibus ſigna omnia pulſentur tam in choro quam in angulari, & lumina incendantur. Ad miſſam de nocte, quæ feſtive ſicut in maioribus celebratur, hoc modo fit officium. *Dixit Dominus ad me* per totum. *Kyrie eleiſon.* Incipiente Sacerdote hymnum angelicum omnes flectant genua, exceptis, qui induti ſunt, qui prætendant manus ad terram. Prophetia, *Populus qui ambulabat.* Epiſtola *apparuit gratia Dei.* Sequentia, *Grates nunc omnes,* quæ omnibus ſtantibus canitur. Evangelium *Exiit edictum.* *Credo in unum* ad omnes miſſas canitur, & textus per chorum feratur. Ille, qui facit officium, offerat, & ad pacem eat, & non communicet quis ibi, niſi Diaconus & Subdiaconi. Interim dum dicit Sacerdos collectam ad communionem pulſentur omnia ſigna, & Sacerdos ita, ut eſt reveſtitus, in altari incipiat matutinas laudes *Deus in adiutorium,* & exiens exuat caſulam, & in in ſtola & alba, cum quibus miſſam celebravit, redeat in chorum. Ant. *Quem vidiſtis.* Reſponſorium *Benedictus qui venit,* a duobus non reveſtitis canitur. Hymnus *corde natus.* Ant. ad *Benedictus: Gloria in excelſis Deo.* De hac antiphona agitur ſicut de illa *Ioſeph fili David.* Illis vero duabus vicibus, quibus ab utroque choro alternatim canenda eſt, hoc modo dividitur. Chorus qui eam poſt primum verſum cantare cœpit, cantat uſque, *& in terra pax* alter vero chorus, *hominibus bonæ voluntatis.* Oratio, *Da quæſumus.* *Benedicamus Domino* dicatur ab his, qui reſponſorium cantaverunt. De S. Maria, & de S. Anaſtaſia non fit mentio, ſed ſtatim inchoatur antiphona de Patrono, *Domine Rex.* Deinde ſuffragia Sanctorum ſolito more.

Poſtea eant induere diurnales ſuos, veniantque in regularem coquinam, ubi parata inveniant omnia, ut prius. Iuvenes qui ſtant in regula, & pueri de prædicto loco calefactionis non recedant, antequam ſignum ad miſſam audiatur. Interim Cuſtos & ſocii eius præparent quinque lumina in Eccleſia S. Mariæ, & pulpitum, duosque calices, & duas harundines, ponanturque hoſtiæ, ut ſufficere videtur communicantibus, ita tamen, ut impares ſint. Cum tempus fuerit, pulſet Cuſtos maius ſignum in choro ad miſſam de luce. Quo audito veniant pueri cum Magiſtris, & iuvenes, & faciunt trinas orationes, quas ante Primam facere ſolent. Deinde reveſtiant ſe tanti, ſicut ad miſſam de nocte, cum paramento minoris feſtivitatis. Reveſtitis omnibus veniant in Eccleſiam S. Mariæ, & præcedat Impoſitor officii, deinde tres Converſi, duo cum luminibus accenſis, & unus cum thuribulo & capſula cum thure, deinde textus Evangelii & Diaconus, poſtea Sacerdos, & Lector Prophetiæ, deinde ſchola & Conventus. Veniente Sacerdote in Eccleſiam ſtatim complicat ſibi Diaconus caſulam, & ſic expectat ante gradus cum miniſtris uſque ad *Gloria Patri,* & impoſito incenſo faciat confeſſionem. Venientibus omnibus imponat Cantor officium, *Lux fulgebit.* Prophetia *Spiritus Domini.* Sequentia *Natus ante ſæcula,* qua incepta cuſtos miniſtret luminaria. Evangelium, *Paſtores*

loquebantur. Ad hanc miſſam pueri & Officiales, & infirmi, & quicunque voluerint, communicent, & hoc modo incedant miniſtri in communicando. Sacerdos communicatis miniſtris, & percepto ſanguine Domini dat calicem Diacono, quo accepto Diaconus vadit in ſiniſtrum cornu altaris, & tam ipſe, quam duo Subdiaconi primi communicent de ſanguine Domini cum harundine argentea. Subdiaconibus ad tenendam pallam altaris in dextrum cornu redeuntibus, Cantor officii, ſi vult, primus communicet cum miniſtris, quia ipſe de calice vinum cum harundine daturus eſt communicantibus. Hic ordo ſemper teneatur, quando Conventus communicat. Secretarius vero ita procurabit cum pulſando, ut, cum oratio Dominica, vel *Agnus Dei* dicitur, lux incipiat apparere. Poſt miſſam veniant pueri in Hyemale capitulum, & legant pſalmum, *Domine ne in furore*, ſi dies eſt: ſin autem, exſpectent uſque ad diem. Apparente luce diei pulſentur duo maxima ſigna in angulari. Ad Primam cantetur hymnus, *Iam lucis* tali melodia uſque ad octavam Epiphaniæ, ſicut *a ſolis ortus.* Ant. *Lux orta.* Cap. *Regi autem ſæculorum.* Poſt Primam eant ad Capitulum. Poſt Capitulum cantetur miſſa matutina; ſed poſt parvum intervallum pulſetur maius ſignum, & congregatis omnibus, & facta oratione reveſtiant ſe communiter. Reveſtitis omnibus ſignum ad tertiam pulſetur, quemadmodum ſtatim poſſint ſcholares in choro videre de die ad legendos pſalmos propter communicantes, ne deficiant. Ad Tertiam antiphona, *Hodie intacta virgo.* Cum ventum fuerit ad eum locum, *omnes ipſum adoremus*, fiat genuflexio ab omnibus. Cap. *Multifariam.* ℣. *In ſole poſuit tabernaculum.* Oratio. *Concede quæſumus omnipotens Deus, ut nos.* Si Dominica fuerit, fiat benedictio ſalis ante Tertiam, & infra Tertiam Sacerdos viſitet officinas ſolito more. Infra Tertiam ordinet Cantor Proceſſionem, ut fieri ſolet in ſummis feſtivitatibus. ℟. ad Proceſſionem, *Hodie nobis cælorum. Sancta & immaculata* cum verſibus. Ad Introitum, *Hodie Chriſtus natus eſt.* Ad miſſam ante Introitum duo Fratres, quibus iuſſerit Cantor, ſtantes ſupra dextrum gradum cantent verſum de natali Domini: *Hodie cantandus eſt.* Et reſpondeant duo in choro ſtantes ante gradus, *Quis eſt iſte.* Et reſpondeant iſti duo excelſa voce, *Hic enim eſt.* Quo dicto ſtatim imponant, tres Cantores officium de die, *Puer natus eſt nobis. Kyrie eleiſon.* Prophetia, *Propter hoc ſciet.* Epiſtola, *Multifariam.* Sequentia, *eia recolamus.* Finita miſſa fiat compulſatio omnium ſignorum, & componant albas & cappas diligenter fratres. Ad Sextam ant. *Hodie natus eſt.* Cap. *Apparuit benignitas.* ℣. *Lætentur cæli.* Oratio. *Concede quæſumus omnipotens Deus, ut ſalutare tuum.* Ad menſam legatur Homelia Bedæ de Evangelio, *In principio*, & Sermo de natali Domini. Ad Nonam antiph. *Gaudeamus omnes.* Cap. *Apparuit gratia Dei.* Oratio. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui hunc diem.* Ad Veſperas pulſentur duo ſigna, & Ebdomadarius antiphonam primam incipiat, cæteras, quibus Cantor præcipit. Ad ultimum pſalmum ſicut in priori die, duo, quibus Cantor iuſſerit, exeuntes reveſtiant ſe ad ℟. & incenſent altaria, & dicant, *Benedicamus Domino.* Ad *Magnificat* ant. *Hodie Chriſtus natus*, alternatim cantatur & ſic dividitur. Primus chorus cantat uſque *hodie Salvator apparuit.* Alter chorus uſque *hodie in terra canunt.* Item prior chorus *hodie exultent* uſque ad finem. Finito ℣. *Magnificat* ſimili modo alter chorus incipiat antiphonam, & ab utroque choro cantetur ſicut prius. *Et exultavit.* Poſt pſalmum iteranda eſt ſicut prius. Poſt *Gloria Patri*, & in fine illius cantanda eſt ab omnibus. Oratio, *Concede quæſumus omnipotens Deus, ut nos.* De S. Maria ant. *Virgo hodie fidelis.* Cap. *Poſt partum virgo.* Oratio. *Deus qui per B. Mariæ V.* Hanc orationem dicimus de S. Maria ad Veſperas, & ad Matutinum uſque in octava Domin. Proceſſio hac vice nuſquam agatur. De S. Stephano ant. *Stephanus autem.* De Patrono, *Domine Rex.* & cætera ſecundum conſuetudinem noſtram. Ad collationem legatur ſermo Maximi Epiſcopi. *Hodierni Myſterii.*

A Feſto S. Stephani uſque ad octavam SS. Innocentum.

In natali S. Stephani Protomartyris ad Invitatorium *Regem Prothomartyris* duo Diacónes reveſtiantur. Legatur etiam & cantetur ad matutinum ut ad minora feſta. Ad tertium nocturnum lumina, quæ ſunt in altari, accenduntur, cum illis tribus, quæ ante gradus de illis ſeptem extincta remanſerant. Ad Primam pulſentur in choro duo maiora ſigna. Ant. *Cum autem eſſet Stephanus.* Miſſa matutina de octava Domini: *Puer natus eſt* per totum. Oratio ſecunda de S. Stephano. Tertia de omnibus Sanctis. De S. Maria non fit mentio ad miſſam uſque in octava Domini. Lectio, *apparuit gratia Dei.* Evangelium, *exiit edictum.* Alia die lectio, *apparuit benignitas.*

Digitized by Google

benignitas. Evangelium, *Paſtores loquebantur*, & ita viciſſim legantur per hebdomadam. Si Dominica in illo triduo evenerit, id eſt in natali S. Stephani, vel S. Ioannis, ſive Innocentum, miſſa matutina de ea cantur, & ant. ad *Magnificat* in Veſperis cum oratione non prætermittitur. Si autem Trigentenam noſtrorum profeſſorum habemus, Hebdomadarius Capellæ B. Virginis celebret illam ſecundum conſuetudinem noſtram, quæ occaſione nullius feſti negligatur, nec in natali Domini, nec in die S. Paſchæ, ſive in Pentecoſte. Per totum vero annum provideat Cantor, ut quidquid in noſtro Conventu obſtante aliqua neceſſitate non poteſt cantari, a Sacerdotibus veteris monaſterii, prout Cantor eis iuſſerit, non negligatur. Poſt Tertiam indutis cappis per clauſtrum & monaſterium fiat Proceſſio. Similiter fiat in feſto S. Ioannis, ſi Dominica dies eſt. Ad Proceſſionem, ſi in Dominica evenerit, *O Maria Ieſſe.* Ad Introitum ℟. *Patefactæ ſunt ianuæ.* Ad miſſam Diaconi induti Dalmaticis teneant chorum, & ſi tanti ſunt, cantent graduale & *alleluia.* Unus Diaconus offerat, qui & ad pacem eat. Ad Veſperas duo ſigna pulſentur, & omnia luminaria accendantur, ut in priori veſpera natalis Domini. Et cantetur veſpera de S. Stephano per totum hoc modo. ℟. *Iuſtus ut palma* duo Diacones cantent, ℣. vero *Magna eſt gloria* a duobus pueris dicatur. Oratio, *da nobis quæſumus.* De natali Domini ant. *Verbum caro factum.* De S. Maria ant. *neſciens mater.* deinde de Patrono. Poſtea agatur Proceſſio ad S. Ioannem. Sacerdos ſicut eſt reveſtitus incenſet altare præcedentibus duobus pueris cum luminibus, & cantetur ℟. *apparuit.* Tres quibus iuſſerit Cantor, cantent ℣. *Cumque compleſſet.* verſa facie ad altare, & Conventu ſimiliter ſtante repetitur, *Veni dilecte mi. Gloria Patri. Veni dilecte mi.* Dicto *Gloria Patri*, & repetitione incepta Conventus facies ad invicem convertat. Cap. *Nimis honorati ſunt.* Oratio, *Eccleſiam tuam.* Ad collationem Sermo S. Euſebii Epiſcopi: *Satis notum.*

In natali S. Ioannis Evangeliſtæ ad matutinum quinque lumina accendantur cum cæteris luminibus, ſigna pulſentur, & XV. Gradus cantentur eo ordine, ut in S. nocte natalis Domini. Ad tertium nocturnum lumina, quæ pendent in ſanctuario, accendantur cum illis in altari, & hoc fiat in omnibus ſummis feſtis. Ad Invitatorium *Adoremus Regem* tres Sacerdotes reveſtiantur, quia ſicut præcedens feſtum per Diacones, ſic iſtud debet inofficiari per Sacerdotes. Ad miſſam induantur ſeniores caſulis, cæteri cappis, & Cantor aſſumat duos vel tres de ſenioribus ad tenendum chorum. Ad menſam legatur Homilia Bedæ de Evangelio: *dixit Dominus Ieſus Petro.* Ad collationem autem Sermo S. Iſidori. *Iſte eſt Ioannes Apoſtolus & Evangeliſta.*

In natali SS. Innocentum die & nocte agatur ſicut in minoribus. Miſſa etiam matutina de octava celebretur, niſi in Dominica evenerit. Ante Tertiam, ſi eſt Dominica, benedictio Salis & Proceſſio agatur, & facta aſperſione aquæ in choro ordinet Cantor proceſſionem, id eſt, tres Converſos alios quam hebdomadarios, quorum duo lumina, tertius incenſum ferat, Hebdomadario cum una cruce præcedente. Interim Sacerdos viſitat officinas ſolito more: Et ſic in omnibus feſtis minoribus fiat. Ad menſam legitur Homilia Bedæ de Evangelio, & ſermo de Innocentibus. Poſt Veſperas tria lumina accendantur, & fiat compulſatio ſignorum pro anniverſario Domini Regenberti.

Dominica infra octavam ad menſam legitur Homilia de Evangelio, *Erat Ioſeph.* Poſt Veſperas ant. de S. Maria: *Virgo verbo concepit*, ſi feſtum non impedit, dimittitur, & in Cappella cantatur. ℟. *Confirmatum eſt* uſque poſt octavam Epiphaniæ.

Si prima die poſt natale SS. Innocentum Dominica non occurrerit, ante nocturnos poſt XV. Gradus ſigna pulſentur, duoque non reveſtiti cantent Invitatorium. Evangelium a Diacono pronuntietur: *Exiit edictum*, & puer cantet Reſponſorium. Infra preces ſigna pulſentur ad matutinas laudes. Ad Primam maius ſignum pulſetur in choro, & ad Capitulum legatur Homilia de Evangelio, totusque dies agatur ſicut in XII. lectionibus.

In natali S. Sylveſtri ad Invitatorium *Regem Confeſſorum*; & cætera omnia pleniter ſicut de uno Confeſſore, qui fuit Epiſcopus, in XII. lectionibus. Si autem feſtum S. Sylveſtri in Dominico die evenerit, antiphonas & Reſponſoria in priori & ſecunda Veſpera recipit: Tertius nocturnus agitur de eo, & legitur Evangelium, *Homo quidam peregre* cum Homilia ſua. Matutinæ laudes, & miſſa matutina de eo cantatur ad principale altare. Hebdomadarius vero Capellæ cantet de octava Domini, ſicut præſcriptum eſt in ordine.

Digitized by Google

In octava S. Stephani ante matutinum legantur XV. Gradus tantum uſque poſt octavam S. Blaſii. Epiſtolas quoque S. Pauli hac die incipimus, ſive ſit privatus dies, ſive Dominicus hoc modo. Si privato die incipimus, legitur ad matutinum, argumentum ſolius Epiſtolæ ad Romanos. *Romani ſunt, qui ex Iudæis.* Lecto primo argumento idem Cantor incipit ſecundum: *Romani ſunt in partibus Italiæ*, & ſic terminat lector. Poſt matutinum prætermittimus familiares pſalmos, quos non dicimus uſque poſt octavam S. Blaſii. Similiter fiat infra octavas Sanctorum, quos cum XII. lectionibus celebramus per circulum anni.

In octava SS. Innocentum ad Veſperam finito ſigno legatur *Deus auribus*, cum reliquis. Sequitur vigilia mortuorum atque laus, *Miſerere mei Deus.* Tertia oratio ad vigiliam, & ad miſſam: *Deus cui proprium eſt.* In miſſa matutina ſive ſit pro defunctis, ſive non, uſque ad cathedram S. Petri oratio *Deus cui proprium* non prætermittitur, quia tres Trigentenas in anno agimus, quarum unam hic inchoamus.

In Purificatione B. Mariæ Virginis in Septuageſima.

Si feſtum Purificationis B. Mariæ in Dominica Septuageſimæ evenerit, ſic celebrandum erit. Omnia de Septuageſima agantur in prima Veſpera, ut infra ſcriptum reperitur, ſcilicet *Benedicamus Domino* cum *alleluia* decantato, & poſt ant. de Patrono cum *Gloria Patri.* Cantor ℟. *Poſtquam impleti ſunt* incipit, & Proceſſio agitur ad Capellam B. Virginis. ℟. a duobus fratribus hebdomadariis cum *Gloria Patri* canitur. Puer dicat verſum, *Elegit eam Deus.* Dominus vero Abbas, ſi præſens eſt, incipiat ant. *Senex puerum.* Si non eſt præſens, Cantor incipit eam. Poſt *Magnificat* ſtatim Sacerdos dicat Cap. *Poſt partum virgo;* omnibus interim genua flectentibus ſequitur oratio ſine *Dominus vobiſcum*, Oratio: *Exaudi quæſumus Domine*, dicaturque benedicamus Domino a duobus Hebdomadariis. Ad Matutinum vero & ad horas canonicas agatur de feſto Purificationis, ſed ad Laudes poſt *Benedicamus* canitur de Dominica ant. *Simile eſt*, cum oratione ut ſupra ad Veſperam. Similiter fiat in II. Veſpera cum ant. *cum autem ſero factum eſſet*, & oratione ut ſupra. Matutinalis etiam miſſa ad principale altare de Septuageſima cantetur.

In Purificatione B. M. V. extra Septuageſimam.

In Purificatione B. M. ad Veſperam

Ant. *O admirabile.*	Pſ. *Dixit Dominus.*
Quando.	*Confitebor.*
Rubum.	*Beatus.*
Germinavit.	*De profundis.*

Hymnus, *Quod chorus natum.* Ad proceſſionem ad capellam B. Mariæ ℟. *Gaude.* Benedictio candelarum & proceſſio agitur poſt Tertiam. Finitis pſalmis ant. *Hodie &c.* Poſtea ſacerdos aſpergat candelas aqua benedicta, & incenſet prius altare, deinde candelas; Deinde imponat cantor ant. *Lumen ad revelationem*, interim dentur candelæ. Illis accenſis imponat cantor ant. *Ave gratia.* Ad officium eant omnes cum candelis, & offerant illas.

In feſto S. Patroni Blaſii.

Ad hanc veſperam in choro omnia lumina accenduntur, & ſolempniſſime in pulſando, in cantando, & ſacris veſtibus utendo celebratur hoc feſtum, prout ordinarius docet. Si autem feſtum S. Blaſii in Dominica Septuageſimæ evenerit, agimus commemorationem de Purificatione cum XII. lectionibus in vigilia Brigidæ Virginis, ad ſatisfaciendum B. Mariæ V. propter veſperam in die Purificationis, quam non poſſumus conſueto more complere propter Dominicam Septuageſimæ. Ad ſecundam itaque veſperam in die Purificationis *Alleluia, alleluia, alleluia.* Ant. *Cuſtodit Dominus.* Pſ. *Confiteantur.* & cætera omnia de Septuageſima. Poſt *Benedicamus Domino*, quod a duobus cantandum eſt, cum *alleluia*, fiat proceſſio ad capellam B. Virginis cum ℟. *Poſtquam completi ſunt.* Poſt ℟. verſus & *Gloria* a duobus fratribus hebdomadariis cantetur; puer vero dicat ℣. *Elegit eam Deus.* Ad hanc veſperam VII. lumina incenduntur. Poſt verſum dominus Abbas, ſi præſens eſt, mox imponat antiphonam *Hodie B. Virgo*; ſi non eſt præſens, cantor incipiat eam. Cantica autem ad *Magnificat* cum antiphona ſine finali decantata ſtatim ſacerdos dicat cap. *Poſt partum virgo.* omnibus interim genua flectentibus ſequitur oratio ſine *Dominus vobiſcum.* His peractis mox cantor incipiat de S. Blaſio ℟. *Sancte Deo*, & ſic exeant de capella B. Virginis, & redeant in chorum. Finito reſponſorio mox duo fratres bene vociferati, quibus iniunxit cantor, cantent ℣. *Sancte & glorioſe* cum *Gloria Patri.* Poſtea dicto a duobus prius verſu *Magna eſt gloria eius*, mox imponat dominus Abbas ant. ad *Magnificat*, *adeſt nobis*, quæ antiphona cantanda eſt cum cantico *Magnificat*, eaque finita dicat ſacerdos orationem, *Deus qui nos B. Blaſii*, vel *Deus qui S. Blaſium.* In

Miſſa

Digitized by Google

Miſſa Sequentia *Iucundare*, vel *Sanctorum vita.* In ſecunda veſpera ant. ad *Magnificat: Hac eo orante.* Hic cum ventum fuerit ad eum locum *Sancte Blaſi* fiat genuflexio ab omnibus. Nam domnus Guntherus Abbas cum conſenſu fratrum ſuorum conſtituit, ut in ſecunda veſpera, quando canitur in antiphona *hac eo orante: S. Blaſi memento noſtri*, ut omnes ob reverentiam S. Blaſii genuflexionem faciant, illi ſe ſuaque omnia committentes.

De primis Veſperis in Septuageſima.

Dominica in Septuageſima ad veſperam *Alleluia, alleluia, alleluia*, ut antiphona *Cuſtodit Dominus*, Pſalmus *Confiteantur.* Ant. *Alleluia, alleluia, alleluia*, ut antiphona *Laudabo.* Pſalmus *Lauda anima.* Ant. *Alleluia, alleluia, alleluia*, ut antiphona *Deo noſtro.* Pſalmus *Laudate Dominum, quoniam.* Ant. *Alleluia, alleluia, alleluia*, ut antiphona *Benedixit.* Pſalmus *Lauda Ieruſalem.* Cap. *Benedictus Deus.* ℟. *Alleluia iudica iudicium.* ℣. *Vide humilitatem.* Iſtud reſponſorium & *Benedicamus* cum *alleluia* a duobus cantetur. Hymnus. *O lux B. Trinitas.* ℣. *Veſpertina.* In Evangelium antiphona tali ordine cantanda eſt. Incipiente cantore antiph. *Hymnum cantate.* dexter chorus cantat uſque *de Canticis Syon.* ſiniſter chorus *de canticis Syon.* dexter chorus *Quomodo cantabimus.* ſiniſter chorus *Septuaginta annos.* dexter chorus, *Ibi ſuſpendimus*, cum verſu *Magnificat anima.* Siniſter chorus *Hymnum cantate* cum verſu *Et exultavit.* Dexter chorus *de canticis Syon* cum verſu *Quia reſpexit.* Siniſter chorus *Quomodo cantabimus*, & *Quia fecit mihi magna.* Dexter chorus *Septuaginta annos*, & *Et miſericordia eius.* Siniſter chorus *Ibi ſuſpendimus*, & *Fecit potentiam.* Dexter chorus *Hymnum cantate*, & *Depoſuit potentes.* Siniſter chorus, *de canticis Syon alleluia*, & *Eſurientes.* Dexter chorus *Quomodo cantabimus*, & *Suſcepit Iſrael.* Siniſter chorus *Septuaginta* & *Sicut locutus eſt.* Dexter chorus *Ibi ſuſpendimus* & *Gloria Patri.* Siniſter chorus *Sicut erat.* Poſt *Gloria Patri* repetitur antiphona per totum ab omnibus abſque alternatione. Oratio *Preces populi. Benedicamus Domino alleluia alleluia alleluia. Deo gratias alleluia alleluia alleluia.* Hinc uſque in Paſcha dimittitur *alleluia* iuxta ſtatutum ſedis apoſtolicæ. Cantata antiphona de Patrono fit proceſſio ad altare S. Crucis cum reſponſorio vel antiphona de S. Trinitate.

In Annuntiatione B. Mariæ V.

De annuntiatione in Dominica regula. Si in Dominica *Oculi* evenerit, omnia agenda ſunt de beata Virgine, ſicut Brevis docet. Ad priorem tamen veſperam ant. *Fili tu ſemper mecum*, cum ſua Collecta. Similiter fiat ad Laudes, & in II. veſpera. Matutina Miſſa de Dominica cum tractu decantanda eſt. Si in Dominica *Lætare*, vel in Dominica de Paſſione Domini evenerit, mutatur in ſequentem Feriam II. ſecundum illam regulam; Feſta Sanctorum poſtponenda ſunt, & anniverſaria mortuorum anticipanda ſunt. Si hæc feſtivitas in die Palmarum, vel in ſequenti Feria II. III. IV. in Cœna, vel Paraſceve evenerit, anticipamus illud propter varios labores illius hebdomadæ, & ſolempnizamus illud in ſabbato Palmarum. Item ſi in ſabbato Paſchæ, vel in die ſancto evenerit, celebramus illud Feria II. ipſius tali modo. Poſt veſperam in die ſancto agimus proceſſionem ad capellam B. V. cum ant. *Hæc eſt dies.* Hæc antiphona non dimittenda eſt propter alterationem diei, ſed tamen ad matutinam Miſſam canimus officium feriale ipſius hebdomadæ. Ad ſummam autem Miſſam *Rorate cæli.* Si vero contigerit hoc feſtum celebrare in hebdomada Paſchæ, tali modo celebrandum eſt. In I. veſpera ſuper pſalmos ant. *alleluia*, ut ant. *Crucifixus.* vel *alleluia* ut ant. *Surrexit.* Pſalmi *Laudate pueri. Laudate Dominum omnes gent. Laudate Dominum quoniam bonus.* Pſalmus. *Lauda Ieruſalem.* Hymnus *Ave maris* &c. Proceſſio ad capellam S. Mariæ. ℟. *Chriſti virgo.* Ad vigilias matutinas imprimis dicatur *Domine labia. Deus in adiutorium. Gloria Patri.* Invitatorium *Ave Maria.* Poſt Invitatorium Hymnus non canitur, ſed mox imponitur ant. *Miſſus eſt.* Pſ. *Domine Dominus noſter* &c. Ad hoc matutinum omnes antiphonæ abſque repetitionibus, & abſque finalibus cantandæ ſunt. Cantantes vero & legentes ſint reveſtiti ſicut in ſancta nocte reſurrectionis dominicæ. Poſt *Te Deum laudamus* non legitur evangelium, ſed mox imponitur Cap. *Ora pro nobis. Deus in adiutorium.* Ant *Quando venit* &c. Ad proceſſionem ℟. *Ingreſſus angelus.* Ad Miſſam *Rorate cæli.* Sequentia *Virginis Mariæ laudes.* Ad veſperam ant. *Alleluia. Crucifixus.* Pſ. *Laudate.* ut in die ſancto.

In Feria IV. Cinerum.

Feria IV. in Capite ieiunii legatur expoſitio de Evangelio, *Cum ieiunatis* &c. ſupra pag. 72.

In capite quoque ieiunii Cantor pronuntiabit ad Capitulum mandatum quotidianum in charta, quod fieri debet pauperibus, & ea die incipiatur,

ſecundum

Digitized by Google

ſecundum quod intimatum eſt, & Ordinarius docet. Eodem die fiat Proceſſio, & hoc idem obſervetur omni Feria IV. & VI. uſque ad Paſcha.

Sexta dein Feria ante Quadrageſimam poſt Primam eant fratres in Phyeſale, & ibi vacent lectioni ad placitum Abbatis vel Prioris, & illud obſervetur omni Feria VI. uſque ad Palmas, ſi non impediat feſtum XII. lectionum. Ab hac etiam die eant fratres in Phyeſale poſt refectionem, & ibi vacent lectioni, quouſque Prior inbeat pulſari Nonam, & obſervetur omnibus diebus Dominicis uſque ad Dominicam Palmarum excluſive, vel ſi Prior moram nimis protraxerit, tunc pulſetur Nona, poſtquam ſervitores menſæ pranſi fuerint. Notandum pariter, quod ad miſſam non debet Diaconus indui Dalmatica, nec Subdiaconus tunica, ſed uterque caſula uſque ad cœnam Domini. Cantato *Kyrie eleiſon* exuat Subdiaconus caſulam, legatque Epiſtolam, qua perlecta iterum induat eam. Diaconus vero ad Tractum veniat in veſtiarium, & exuat caſulam, & plicet eam in longum, & ponat eam in humerum ſiniſtrum in modum ſtolæ uſque poſt communionem, & iterum eam induat mox, poſtquam corporale plicatum habuerit. Excipitur feſtum S. Vincentii, & Purificationis S. Mariæ, & S. Blaſii, & Annuntiationis.

In Dominica Palmarum.

Poſt Matutinam miſſam faciant aquam benedictam, deinde fiat Proceſſio per clauſtrum &c. ſupra p. 75.

In Feria IV. ante Cœnam Domini.

Feria IV. ante cœnam Domini tali modo dicendus eſt ordo. Poſt Capitulum vacent fratres lectioni. Facta hora ſonetur ſignum ad Sextam, poſt quam iterum vacent lectioni, & Cuſtos ornet altare, & crucem ponat retro altare, quæ adoranda eſt in Paraſceve. Poſt ſonetur ad Nonam, eaque finita dicatur Letania tantum ab uno puero, & Proceſſio non agatur. Poſt hæc ſonentur duo ſigna ad miſſam; incipiente autem hebdomadario Introitum, *Omne genu flectatur*, fiat genuflexio ab omnibus prima vice tantum. Diacono pronuntiante in Paſſione *velum templi ſciſſum eſt*, deponantur vela. Dicente Presbytero *Pater noſter* ſonetur ſcilla ad Veſperam ut in XII. lectionibus. Poſt miſſam compulſatio ſignorum fiat, preces dicantur, *Ego dixi Domine* cum Pſ. *Miſerere mei* ſolo. Poſt Veſperas dicantur ut in privatis diebus conſuetæ antiphonæ, ſcilicet de S. Cruce, de S. Maria, de Patrono, deinde ſuffragia, & poſt ea de omnibus Sanctis. Poſt hæc *Placebo* ſine antiphonis Pſ proſtratus *Deus auribus noſtris*, id eſt, Pſalmi familiares non dicantur, nec *Miſerere*, id eſt, laudes mortuorum dicantur ad hanc Veſperam. Poſt refectionem vacent lectioni. Facta hora ſonetur ſcilla ad collationem, poſtea ad Completorium, & dicatur Hymnus, *Te lucis ante terminum* privatim. Poſt Completorium pauſent in lectis. Cuſtos autem cum ſuis coadiutoribus ibi ordinet retro altare XXV. candelas.

In Cœna Domini.

Tempore matutinali ſurgens Secretarius cum ſuis coadiutoribus incendit ipſas candelas a Cuſtode retro altare poſitas, poſtea ſonetur ſcilla ad matutinum. Venientibus pueris in chorum faciant trinas orationes, deinde legantur XV. Gradus. Poſt hæc fiat compulſatio omnium ſignorum ſicut in XII. lectionibus: Cantor vero hebdomadarius mox imponat ant. *Zelus domus tuæ*, Domno Abbate manu ſibi innuente. Ad primum verſum pſalmi fiat genuflexio ſuper formas Dominis ſive a ſcholaribus, & legant, qui notati ſunt in Breve. Ad unamquamque antiphonam & Reſponſorium extinquitur una candela. His etiam tribus diebus non dicitur, *Deus in adiutorium*, nec *Gloria Patri*, nec *iube Domne benedicere*, nec, *tu autem* neque *Kyrie eleiſon* ad Horas, nec *Dominus vobiſcum*, neque *Benedicamus Domino*. Incipiente hebdomadario primam antiphonam ad Laudes ad primum verſum pſalmi *Miſerere* fiat genuflexio ab omnibus. Incepto dein pſalmo, *Laudate Dominum de cælis* extinquuntur omnia luminaria in monaſterio. Inchoato vero pſalmo *Cantate Domino canticum* exeat Magiſter puerorum, & accendat lucernam, & recondat eam in veſtiario, ut a nullo videatur. Incipiente Cantore antiph. *Traditor autem* extinquitur ultima candela. In fine *Benedictus*, vel *laudate Dominum de cælis* commendet Cantor duobus Diaconis, qui cantent *Kyrie eleiſon* in medio choro ſtantes, & duobus Sacerdotibus verſus ſtantibus ſuper Gradum, cantata antiphona poſt *Benedictus* abſque finali. His etiam quatuor diebus omnes antiphonæ abſque finalibus cantantur. Poſtea imponatur a Cantore hymnus *Rex Chriſte*, qui his tribus diebus hoc ordine erit cantandus. Finito hymno veniant duo Diacones in medium chorum, & cantent, *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*. Alii

duo

Digitized by Google

duo Sacerdotes ℣. *Qui paſſurus*, & reſpondeant omnes, *Domine miſerere.* Tunc illi duo dicant *Kyrie eleiſon.* Alii duo vero, *Qui prophetice*, & reſpondeat chorus *Domine miſerere.* Item illi duo dicant, *Kyrie elei,on*, alii duo vero ℣. *Qui expanſit*, deinde chorus, *Domine miſerere.* His expletis dicantur preces ſub ſilentio *Ego dixi Domine*, cum Pſ. *Miſerere mei* ſolo. Oratio. *Reſpice quæſumus*, quibus dictis pronuntiat Domnus Abbas formam, & exeant pueri ſoli cum Magiſtris. Egreſſis pueris percutiat formam alia vice, & exeat Conventus ad quiescendum. Cum hora Primæ advenerit, ſonetur ſcilla ad Primam. Venientibus pueris in chorum factaque oratione incipiatur Prima tali modo. Pſ. *Deus in nomine. Beati immaculati* uſque *legem pone. Quicunque vult ſalvus eſſe* non dicitur. Poſt Primam legantur VII. Pſalmi & Letania, deinde vacent Lectioni. Facta hora ſonetur ſignum, eantque in dormitorium, & calcient ſe diurnalibus calciis. Poſtea ſonetur maius ſignum, ac venientibus pueris in chorum, factisque trinis orationibus, quas alio tempore ante Primam facere ſolemus, incipiatur Tertia tali modo. Pſ. *Legem pone* & legatur uſque *Defecit in ſalutare.* Oratio *Reſpice* vel alia de paſſione Domini. Dicta Tertia eant ad Capitulum.

Cum Domno Abbati placuerit, faciat ſignum Cantori, ut exiens videat, ſi pauperes ad mandatum ſint ordinati. Si ſunt ordinati debito more, mox renuntiet Domno Abbati, qui innuat Priori ut percutiat tabulam in Capitulo. Qua percuſſa, dictoque *benedicite* incipiat Domnus Abbas Pſ. *Miſerere mei Deus*, euntibusque in clauſtrum ad viſitandum pauperes Domnus Abbas præcedat cum Capellano ſuo portante ſibi librum, deinde Conventus, & primo Seniores, poſtea pueri cum Magiſtro. Finito pſalmo incipiat Cantor ant. *Dominus Ieſus poſtquam*, flectantque omnes genua, & unicuique fratrum collocetur unus pauper. Et ſi aliquis fratrum hoc anno obierit, eidem unus pauper ponatur: duodecim vero pauperes Domno Abbati aſſignentur & tredecim Domno Regenberchto. Poſt ablutionem pedum & manuum percutiat Prior tabulam annuente Abbate, qua percuſſa detur eleemoſina pauperibus. Completo mandato incipiat Domnus Abbas ſeptem pſalmos pœnitentiales, eantque in chorum, ſicut exierunt de Capitulo legentes ipſos pſalmos proſtrati in terram, Domnus autem Abbas ante altare ſuper ſedem ſibi appoſitam. Finitis pſalmis dicat Domnus Abbas confeſſionem cum orationibus ad hoc pertinentibus, deinde veniant in clauſtrum ad colloquendum. Hebdomadarius autem Miſſæ matutinæ cantet miſſam in Capella B. Virginis. Scilla non ſonetur in elevatione hoſtiæ. Ad tertium *Agnus Dei* cantetur *Miſerere nobis.* Pax non detur his tribus diebus. Ad hanc miſſam communicent pueri, infirmi & officiales. Interim Prior & Cellerarius ordinent mandatum ſcholarium. Facta hora ſonetur ſcilla ad Sextam, & legatur *Defecit* uſque *Mirabilia.* Poſt Sextam iterum ſedeant ad colloquendum. Secretarius interim cum ſuis coadiutoribus ignem ſuccendat in ambitu, qui benedicendus eſt poſt Nonam. Deinde facto intervallo modico ſonetur ſcilla ad Nonam, & legatur *Mirabilia* uſque *ad Dominum cum tribularer.* Poſt Nonam eant in dormitorium, poſtea lavent manus ſuas, eantque in chorum. Sacerdos reveſtiat ſe Alba, & Stola Diaconus, & Subdiaconus & unus officium faciens reveſtiant ſe Albis tantum. Poſtquam reveſtiti fuerint Sacerdos ſtans in medio choro inchoet pſalmum *Miſerere mei Deus. Iudica me Deus*, eantque in clauſtrum ad benedicendum novum ignem. Benedicto igne Levita accendat candelam, quam fert in laterna. Quo facto incipiat Sacerdos Pſ. *Dominus illuminatio.* Revertanturque per portam monaſterii ad chorum; Deinde ſonentur ſigna omnia. Sacerdos interim exiens ante chorum induat Caſulam, Diaconus Dalmaticam, Subdiaconus Tunicam. Poſtea cantetur miſſa ſicut in XII. lectionibus. Secretarius tantas hoſtias imponat, quod etiam altera die ſufficiant, & quidem impares ſint, & ſcilla non ſonetur in elevatione hoſtiæ. Dicente Presbytero *Pater noſter*, percutiatur tabula; dicente vero Sacerdote Complendam ſonentur omnes tabulæ. Poſt miſſam Sacerdos ſumat viaticum, & deferat illud retro altare in Almeriam claudens, incenſansque illud ponat candelam ardentem ante Almeriam. Interim faciant [illegible]ationem ante Veſperam, incipiaturque ant. *Calicem*, cum reliquis. Poſt Veſperam fratres eant ad refectionem. Iſto die debet Abbas omne miniſterium facere, hoc eſt, ignem benedicere, maiorem miſſam cantare, benedictionem dare ad mandatum pauperum ſive fratrum. Poſt refectionem Abbas tractet cum Priore & Cellerario de mandato ſcholarium. Interim Cuſtos & ſui coadiutores diſcooperient omnia altaria. Facto intervallo modico percutiat Prior tabulam loco cymbali propter pueros; cum vero tempus fuerit, ſonet Prior tabulam ad mandatum. Convenientibus fratribus incipiat Cantor ant. *Dominus Ieſus.* Domnus autem Abbas abluet Priori & cunctis fratribus pedes & manus, tergat & oſculetur. Incipiente Cantore ant. *ante diem feſtum.*

ſtum. Exeat Diaconus, & induat Albam, Stolam, & Dalmaticam, & veſtitus revertatur ad Congregationem præcedente ſecretario Analogium portante, poſt Secretarium tres Converſi cum candelis & incenſo, deinde ipſe Diaconus cum textu, ipſisque intrantibus aſſurgat Conventus. Finita antiphona legat Diaconus Evangelium *ante diem feſtum* in maiori tono. Interim Abbas oſculatur manus Prioris & Fratrum dans eis mandatum. Simili modo faciat ſibi Prior. Cum Domno Abbati placuerit, faciat ſignum Diacono, qui faciat finem legendi, ſedeatque ad dexteram Abbatis, Converſi vero ad ſiniſtram. His expletis ſurgat Abbas, & dicat, *Adiutorium noſtrum.* Poſtea eant ad Completorium. Magiſter Fratrum ſumat ſecum, quos voluerit, de Fratribus, & det mandatum Fratribus in veteri monaſterio. Poſt Completorium redeant in dormitorium.

In Paraſceve.

Ad hoc matutinum agendum eſt cum candelis, *Kyrie eleiſon*, ac Verſibus, ut in præterita nocte. Poſt matutinum eant in dormitorium. Cum tempus fuerit ſonet Secretarius Primam. Poſt Primam legantur VII. Pſalmi pœnitentiales cum Letania. Dicta Letania incipiat Domnus Abbas Pſalterium, eantque in capitulum, & legatur ibi per totum. Cum legitur Pſalmus *Dixit Dominus* exeat Secretarius cum ſuis coadiutoribus, & præparet ſepulchrum ſuper gradum. Lecto Pſalterio, & facto intervallo ſonetur tabula ad calceamenta, deinde ſonetur tabula ad Tertiam. Venientibus pueris in chorum ternas faciant orationes; deinde dicatur Tertia, poſtea eant ad Capitulum. Poſt Capitulum vacent lectioni. Facto intervallo ſonetur tabula ad Sextam, & poſt Sextam vacent lectioni. Secretarius vero cum ſuis coadiutoribus accend* ignem in clauſtro, qui poſt Nonam benedicendus eſt, præparetque ſuper gradum Crucem, quæ hodie debet adorari. Deinde ſonetur tabula ad Nonam. Poſt Nonam eant in dormitorium. Poſtea lavent manus, & Sacerdos, Diaconus, & duo Presbyteri, quorum unus legat Prophetiam, alter Epiſtolam, & duo Fratres cantantes Tractum, *Domine audivi*, & *Agios*, & tres Fratres cantantes Tractum *Eripe me Domine*, & *Popule meus*, reveſtiant ſe, Sacerdos Alba & Stola, Diaconus ſine Stola. Deinde agatur Proceſſio ad benedicendum ignem ſicut & in præterito die. Poſt benedictionem ignis ſonentur tabulæ omnes pariter. Interim Sacerdos cum Diacono exeuntes extra chorum induant ambo caſulas, revertentes in chorum ante altare faciant confeſſionem. Poſt hæc Sacerdos faciat ſignum Presbytero, quod legat Prophetiam ſine titulo. *Hæc dicit Dominus in tribulatione.* Lecta Prophetia duo Fratres cantent Tractum. *Domine audivi*, & repetatur idem Verſus ab omnibus, deinde ad quemlibet Verſum fiat repetitio: *Conſideravi.* Poſt ultimum Verſum & repetitionem illi duo Fratres ante gradum ſtantes repetant ℣. *Domine audivi*, compleaturque a Conventu. Deinde dicat Sacerdos Collectam. *Deus a quo & Iudas*, ſalutatione præmiſſa & *Flectamus genua* ſolito more. Poſtea legatur Epiſtola, deinde cantetur Tractus, *Eripe*, & cantetur eo ordine ſicut in die Palmarum. Poſtea legatur Paſſio. Infra Paſſionem exeant duo, qui cantabant Tractum *Domine audivi*, & induentes duas cappas revertantur in chorum ſtantes ex utraque parte altaris. Pronuntiante Diacono in Paſſione: *Partiti ſunt veſtimenta mea*, mox ad ſe trahant mapulas abſcondentes eas ſubtus cappas, exeunteſque reponant mapulas in veſtiarium, & exutis cappis revertantur in chorum. Lecta Paſſione Sacerdos dicat orationes, Levita vero ad omnes orationes dicat, *Flectamus genua* excepta tantum oratione pro Iudæis. Ad primam genuflexionem fiat ſpatium Pſalmi *Miſerere mei.* Finitis omnibus orationibus Sacerdos & Diaconus exuant ſe caſulis, & ſtent in choro cum Stolis. Poſt hos venientes duo Fratres, qui cantaverant Tractum *Eripe me*, ſtent retro crucem induti caſulis, cantentque ant. *Popule meus.* Duo autem Diaconi qui cantaverant Tractum *Domine audivi* ſtantes in medio chori, & indutis cappis cantent *Agios.* Finitis verſibus & *Agios* diſcooperient Crucem illi duo, qui cantaverunt *Popule meus*, incipientes ant. *Ecce lignum.* Tunc omnes flectant genua, & deinde adorent Crucem. Ad primam adorationem dicatur *Pater noſter. Credo in Deum. Deus in nomine tuo.* Ad ſecundam *Pater noſter*, *Deus miſereatur.* Ad tertiam *Pater noſter. De profundis.* Secretarius vero habeat poſita in choro tria tapetia, ſuper quibus veſtiti adorent Crucem. Adorata S. Cruce ſumat Domnus Abbas Crucem, & ſtans ante altare incipiat ant. *Super omnia ligna*, & fiat genuflexio ab omnibus, reponaturque Crux retro altare. Poſtea exeat Conventus ad lavandum manus ita ſe præparans, ut cum Sacerdos dixit *Pater noſter* ſtent in ordine ſuo in choro. Interim Abbas & Diaconus induentes caſulas ante chorum intret chorum cum incenſo & candelis tollentes viaticum de Almeria retro altare, portetque illud ſuper Altare. Incipiente Sacerdote *Pater noſter.* Secretarius ſonet tabulam

ad

ad Veſperam, poſtea communicet Conventus totus. Communicatis omnibus ſonentur tabulæ omnes. Poſt hæc fiet oratio ante Veſperam. Interim Sacerdos ſumat viaticum, eatque ad ſepulchrum cum incenſo & candelis cantando ℟. *Agnus Dei Chriſtus. Ecce quomodo moritur*, cum Verſibus & repetitionibus, ponensque illud in ſepulchrum incenſet, & claudens illud cantet ℟. *Sepulto Domino*, cum Verſu & repetitione, ponaturque cereus ardens ante ſepulchrum. Deinde legatur Veſpera ant. *Calicem.* cum reliquis. Poſt Veſperam habeat Cammerarius aquam calidam præparatam ad lavandos pedes. Poſtea eant ad refectionem, & poſt refectionem vacent lectioni. Poſtea ſonetur tabula loco cymbali. Facto modico intervallo ſonet Secretarius tabulam ad collationem. Cum Priori placuerit faciat ſignum clauſtrali Priori, ut ſonet tabulam ante refectorium; poſtea eant in refectorium facientes mandatum, quod craſtina die faciendum erat. Deinde eant ad Completorium, & poſt Completorium vadant in dormitorium.

In Sabbato ſancto.

Cum tempus fuerit matutini ſurgat Secretarius cum ſuis coadiutoribus, accendantque candelas retro altare; poſtea ſonetur tabula ad matutinum. Ad iſtud matutinum agendum eſt per omnia ſicut ad matutinum præteritæ noctis. Poſt matutinum eant in dormitorium. Cum tempus Primæ fuerit, ſonetur tabula ad Primam. Poſt Primam dicantur pſalmi cum Letania. Poſtea vacent lectioni. Facto intervallo ſonetur tabula ad calciamentum. Poſtea ſonetur tabula ad Tertiam. Poſt Tertiam eant in Capitulum, & poſt Capitulum ſedeant ad colloquium. Facta hora ſonetur tabula ad Sextam. Poſt Sextam iterum redeant ad colloquium. Secretarius autem interim præparet cereum ſuper gradum, & ignem in clauſtro. Deinde ſonetur tabula ad Nonam. Poſt Nonam lavent manus ſuas, & revertantur ad chorum, reveſtiantque ſe omnes: Sacerdos Alba & Stola, Diaconus Alba, & Stola, & Dalmatica. Poſtea benedicendus eſt ignis cum his pſalmis. *Domini eſt terra. Miſerere mei Deus.* Revertentes dicant Pſ. *Domini eſt terra. Lauda Ieruſalem.* Ubi in chorum pervenerint, mox Diaconus incipiat *Exultet*, interim omnes tabulæ ſonentur. Cum Diaconus legit *Suſcipe ſancte Pater*, incenſet cereum; cum autem legit *Rutilans ignis* accendatur cereus. Finito *Exultet* Sacerdos indutus caſula intret faciens confeſſionem. Deinde faciat ſignum Fratri ad legendum primam lectionem abſque titulo. Sacerdote pronuntiante ultimam orationem veniant duo pueri in medium chorum, incipiantque Letaniam Septenam. Cantantibus eis *S. Raphael* egrediantur ad abſidem S. Nicolai, primo Sacerdos cum incenſo, poſtea Converſus, deinde ſiniſter chorus, tum infantes cum Magiſtris, poſtea cantantes Letaniam, ac tandem dexter chorus. Sacerdos autem incenſet altaria, quæ ibi ſunt. Cantata Letania veniant duo Fratres cantantes Letaniam Quinam. Cantantibus eis *S. Gabriel* procedant ad abſidem S. Benedicti ordine uti prius. Finita Letania procedant duo Cantores induti cappis incipientes Letaniam Trinam. Cantantibus eis *Gloria Patri* ſtet Conventus inclinatus, deinde revertantur in chorum primo Sacerdos, poſtea Converſus, tum ſiniſter chorus, deinde pueri, deinde Cantores, poſtea dexter chorus. Sacerdos incenſet principale Altare, & Letania cantatur in choro. Cantantibus in Letania Cantoribus *Omnes Sancti*, ſonentur omnes campanæ tam in choro quam angularibus. Finita Letania dicant Cantores alta voce, *accendite*, accendanturque luminaria, moxque Cantor imponat *Kyrie eleiſon* ad miſſam, quæ quidem miſſa celebrabitur ut in minoribus feſtis. Incipiente Sacerdote *Gloria in excelſis* totus Conventus ſtet inclinatus verſus Altare. Ad hanc miſſam Offertorium non canitur, nec *Agnus Dei*, Pax non datur, Communio non canitur, *Sanctus* autem non dimittatur. Incipiente autem Sacerdote *Pater noſter* fiat compulſatio tam in choro quam in angularibus. Reſpondente autem choro *Sed libera nos a malo* mox imponat Cantor *Alleluia crucifixus*, & ſchola Pſ. *Laudate Dominum omnes gentes* cum *Gloria*, qui ſolus cantandus eſt. Poſt ant. *Alleluia crucifixus* incipiat Cantor ant. *Veſperi autem Sabbati*, decanteturque ab omnibus tali modo. Chorus in quo Cantor incipit ant. *Veſpere autem* proſequatur eam uſque ibi *In prima Sabbati.* Et alter chorus proſequatur ab illo loco: *Venit Maria* uſque in finem. Qua finita primus Cantor cantet *Magnificat*, & poſt primum verſum ſecundus chorus reincipiat *Veſpere autem* alternando ut prius. Qua denuo finita cantatur pſalmus ad finem, & poſt ultimum verſum iterum alternatur antiphona ut ſupra. Sequitur *Gloria*, poſt quam cantatur antiphona communiter non alternatim. Poſt primum verſum interim duo Cantores induentes duas cappas incenſent Altaria monaſterii. Sacerdos autem interim communicet ſe, & completis ſupraſcriptis convertat ſe ad chorum dicens *Dominus vobiſcum*, & reſpondente

Digitized by Google

choro *Et cum ſpiritu tuo* vertat ſe ad Altare, & legat Complendam, *Spiritum nobis Domine. Per eiusdem Spiritus ſancti.* Poſtea iterum convertat ſe ad chorum dicens *Dominus vobiscum.* Mox illi duo Cantores, qui offerebant incenſum altaribus, cantent *Benedicamus Domino* cum *Alleluia.* Ad hoc Officium *Ite Miſſa eſt* non dicitur, eo quod non initiatur per Introitum. Benedictio etiam non datur ſicut in cæteris Miſſis propter pacem, quæ prohibita eſt in hoc officio. Similiter *Agnus Dei* ſubmittitur, eo quod credimus Chriſtum in Paraſceve immolatum, & in hoc officio non colimus Chriſtum Anaſtiſatum, id eſt per potentiam reſurrexiſſe. Ad hanc etiam Veſperam non agimus commemorationem S. Crucis, ſed

de S. Maria.	Ant.	*Alleluia S. Dei genitrix.*
de S. Blaſio.	Ant.	*Beatus vir qui inventus eſt.*
de Reliquiis.	Ant.	*Vox lætitiæ.*
de S. Michaele.	Ant.	*Michael Archangele.*
de S. Ioan. Bapt.	Ant.	*Qui manet in me.*
de Apoſtolis.	Ant.	*Alleluia Ego ſum vitis.*
de S. Vincentio.	Ant.	*Iſte ſanctus pro lege.*
de S. Mauritio.	Ant.	*Fulgebunt iuſti ſicut ſol.*
de S. Martyribus.	Ant.	*Lux perpetua.*
de S. Martino.	Ant.	*Amavit eum.*
de S. Nicolao.	Ant.	*Beatus vir qui metuit.*
de S. Benedicto.	Ant.	*Iuſtum deduxit.*
de Confeſſoribus.	Ant.	*In cæleſtibus regnis.*
de S. Virginibus.	Ant.	*Prudentes Virgines.*
de omnibus Scis.	Ant.	*Sancti tui Domine ſicut*

palma. Pſalmi & Capitula ſolito more. ℟. *Exultent iuſti Alleluia alleluia.* Hymnus *Chriſte Redemptor* ſolito more. ℣. *Lætamini.* Ad *Magnificat. Vox lætitiæ.* Oratio conſueta. (1)

Poſt Veſperam reficiant, & poſt refectionem vacent lectioni. Facta hora ſonetur cymbalum, factoque intervallo modico ſonetur ſcilla ad collationem. Poſt collationem eant ad Completorium. Pſ. *Cum invocarem. Qui habitat. Ecce nunc benedicite.* Hymnus *te lucis ante terminum. Quaſumus auctor omnium. Gloria tibi Domine, qui ſurrexiſti.* Oratio, *Deus qui hanc ſacratiſſimam noctem.* Ant. *Alleluia ſancta Dei genitrix.* Cap. *Poſt partum.* Oratio, *Protege nos Domine tuos famulos.* Sequitur Benedictio. Poſt Completorium eant in dormitorium. Secretarius autem & ſui coadiutores aſpergant & incenſent domum infirmorum, dormitorium, refectorium, & Cellarium.

In die ſacro Reſurrectionis Dominicæ.

Nocte ſacratiſſima reſurrectionis Domini, cum tempus fuerit pulſandi matutinum, Secretarius ſurgat, ſumens laternam cum lumine Domnum Abbatem excitabit, atque Priorem, deinde alios de Fratribus ad compulſandas campanas, qui ſibi placuerint. Surgens autem Domnus Abbas ad Eccleſiam eat, & induit ſe Alba, Stola, & cappa, Prior autem Alba, & cæteri Fratres, ſumentesque duo thuribula cum incenſo præcedentibus candelabris eant ad ſepulchrum cum ℟. *Maria Magdalena* cum verſu, & eant ad ſepulchrum, ac illud incenſent exterius, deinde levato tegimento iterum incenſent interius. Poſtea ſumens corpus Domini ſuper altare ponit cantans ℟. *Surrexit Paſtor bonus*, cum verſu. Interim levet corpus Dominicum, incenſisque candelis ſonetur claſſis. Poſt ternas orationes incipiat Domnus Abbas XV. Gradus. Omnes qui in hac nocte aliquid cantare vel legere volunt, debent eſſe reveſtiti Albis præter puerum, qui dicit verſum. Infra XV. Gradus ſonentur duo maxima ſigna in angulari, deinde duo maiora ſigna in choro, poſtea fiat compulſatio ab omnibus campanis. Tunc veniens Domnus Abbas ante altare indutus cappa incipiat, *Domine labia mea aperies.* deinde *Deus in adiutorium.* Poſtea tres Fratres induti cappis ante gradus cantent Invitatorium *Alleluia* Pſ. *Venite exultemus.* Poſtea exuunt cappas & remanent in Albis; Hymnus non cantatur, ſed ſtatim incipiet Hebdomadarius Ant. *Ego ſum*, quæ dividitur in duas partes per conſtructiones. Primam partem canit chorus, in quo concepta eſt; ſecundam partem canit chorus oppoſitus. Similiter fit de Pſ. *Beatus vir*, qui incipiendus eſt in choro, in quo incepta eſt antiphona, & ſecundus verſus legendus eſt in choro oppoſito. Finito pſalmo & *Gloria* cantanda eſt antiphona per totum ab omnibus. Similiter fiat ad ant. *Poſtulavi Patrem & Ego dormivi*, ac pſalmos *Quare fremuerunt*, & *Domine quid multiplicati.* Omnes Antiphonæ cantandæ ſunt ad hoc matutinum ſine finalibus. ℣. *Reſurrexit Dominus* dicendus eſt a puero. Ad tertium pſalmum induit ſe Levita, qui primam Evangelicam lectionem lecturus eſt, Stola & Dalmatica, & accedens ad analogium, in quo liber matutinalis eſt repoſitus, præcedantque eum tres Converſi, unus portans incenſum, alii duo candelabra, & ſtent iuxta eum. Deinde

Diaconus

(1) Et hæc ſunt illa XV. ſuffragia & veſperæ de omnibus Sanctis, quæ ſingulis pene diebus addere conſueverant, de quibus toties memoria redit in laudato codice.

Digitized by Google

Diaconus petat benedictionem dicens, *iube Domne*, & pronuntians Evangelium ſecundum Marcum dicens: *Lectio S. Evangelii ſecundum Marcum. In illo tempore Maria Magdalena.* cumque dixit, *Et reliqua*, tunc recedant Converſi ab eo, & incendant omnia lumina. Interim induant illi ſe, qui debent primum Reſponſorium cantare, cappis, & incenſent principale Altare: venientes autem ad Fratres in ſuperioribus locis debent ſedere uſque in finem lectionis; Tunc accipiant duo Converſi thuribula ad ipſis, & offerant incenſum omnibus, qui ſunt in utroque choro. Poſt lectionem incipiant ℟. *Angelus Domini* cum ℣. & *Gloria.* Similiter faciendum eſt ad ſecundam & tertiam lectionem atque Reſponſoria. Qui ſecundam lectionem legit, debet remanere in ſola Alba: Similiter qui tertiam legit, faciat, excepto Abbate, qui debet legere in cappa. Tertium vero Reſponſorium cantent tres Cantores in cappis, quorum duo incenſent Altare, ut ſupra ſcriptum eſt. ℟. *Dum tranſiſſent*, quod poſt *Gloria Patri* reincipiendum eſt. Interim duo Sacerdotes ſe cappis induunt ſummentes duo thuribula, & humeraria in capita ponent, intrantes chorum, paulatim euntes verſus ſepulchrum, voce mediocri cantantes, *Quis revolvet nobis lapidem.* Quos Diaconus, qui debet eſſe retro ſepulchrum, interroget pſallendo, *Quem quæritis.* deinde illi, *Ieſum Nazarenum.* Quibus Diaconus reſpondet, *Non eſt hic*, mox incenſent ſepulchrum, & dicente Diacono, *Ite, nuntiate*, vertent ſe ad chorum remanentes ſuper gradum, & cantent, *Surrexit Dominus de ſepulchro* uſque in finem. Finita antiphona Domnus Abbas incipiat *Te Deum laudamus* in medio ante Altare, moxque campanæ ſonentur in angularibus. Cum cantatur *per ſingulos dies* ſonentur omnia ſigna in choro. Finito *Te Deum laudamus* procedat Dominus Abbas ante altare, & dicat Cap. *In reſurrectione tua Chriſte.* Deinde inchoet matutinas laudes. *Deus in adiutorium.* Mox incipiet Hebdomadarius ant. *Et valde mane*, quæ alternatim per conſtructiones eſt cantanda ſicut ant. *Ego ſum qui ſum.* De pſalmo *Dominus regnavit* etiam faciendum eſt, ut de pſalmo *Beatus vir*, & ſic primus verſus incipiendus eſt in illo choro, in quo incepta eſt antiphona, & ſecundus verſus in choro oppoſito. Cap. *Si conſurrexiſtis.* ℟. duo Cantores in cappis cantent, *Surrexit Dominus.* Hymnus *Claro paſchali.* ℣. *Hæc eſt dies.* Iſte verſus dicatur ad Laudes, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam, & ad Veſperas per totam hebdomadam uſque ad Sabbatum. Ad Primam autem & Completorium verſus ſolito more dicantur; Nam illi duo nunquam mutantur. Ad *Benedictus* Ant. *Alleluia lapis.* Poſt hæc Domnus Abbas in medio ante altare dicat: *Dominus vobiscum.* Coll. *Deus qui hodierna die.* Deinde Cantores induti cappis cantent *Benedicamus Domino* cum *Alleluia.* De S. Cruce antiphona *Crucem ſanctam.* Iſta antiphona cantatur per totam hebdomadam Paſchæ, & per totam hebdomadam Pentecoſtes ad Laudes & ad Veſperas, & in omnibus maioribus & minoribus feſtis: Reliquis vero diebus in tempore paſchali cantatur ad Laudes ant. *Surrexit Chriſtus.* Ad Veſperam autem ant. *Surrexit.* Cap. *Dicite in nationibus.* Oratio *Deus qui pro nobis.* Suffragia Sanctorum ut ſupra ad Veſperas. De omnibus Sanctis ad matutinum ſuper pſalmos ant. *Sancti tui Domine florebunt.* Cap. *Scimus quoniam diligentibus.* ℟. *Iuſti autem.* Hymnus *Ieſu Salvator.* ℣. *Mirabilis Deus.* Ad *Benedictus. In tabernaculis iuſtorum.* Oratio conſueta. Deinde eant in dormitorium. Cum tempus Primæ fuerit, ſcilla parva ſonetur in dormitorio; deinde faciant trinas orationes. Interim hebdomadarius capellæ celebret miſſam, & ibi communicent pueri, Officiales, & infirmi. Poſt miſſam ſonentur duo ſigna ad Primam. Poſt Primam eant in Capitulum. Ad Tertiam Hymnus *Chorus novæ Ieruſalem* ſine augmentatione verſus, *Quæſumus auctor.* Ant. *Ite nuntiate.* Poſt Tertiam ant. *In die reſurrectionis meæ.* Deinde duo Cantores incipiant *Salve feſta dies*, & ſtatim fiat Proceſſio more ſolito. Ad Introitum: *Chriſtus reſurgens*, interim aſcendant ſuper gradus duo bene vociferati, & vertant ſe ad chorum cantantes tropum: *Hodie totus orbis.* Ad ſummam Miſſam Sequentia. *Laudes Salvatori.* Ad Veſperam ant. *Alleluia crucifixus.* Pſalmi. *Laudate pueri. Laudate Dominum omnes gentes. Laudate Dominum quoniam bonus. Lauda Ieruſalem.* Iſti pſalmi dicantur quotidie ad Veſperas uſque ad Sabbatum. Cap. *Expurgate vetus.* Ad quartum pſalmum exeant duo Cantores, & induant ſe Albis & cappis, & cantent ℟. *Surrexit Dominus.* Hymnus *Iam Paſcha.* Interim prædicti Cantores in cappis incenſent Altaria. Ad *Magnificat* ant. *Surrexit enim* mox cantet eam primus chorus uſque *Ibi:* ſecundus chorus, *Ibi eum videbitis.* Iterum primus chorus *Magnificat*, ſecundus chorus reincipiat ant. *Surrexit enim*, iterum primus chorus *Ibi eum videbitis.* Tunc ſecundus chorus *Et exultavit* uſque in finem pſalmi. Poſtea recapitulat

Digitized by Google

primus chorus antiphonam cantando *Surrexit enim*, deinde chorus oppoſitus *Ibi eum videbitis.* Tunc ſubſequitur *Gloria Patri. Sicut erat.* Poſtea omnes ſimul reſolvant antiphonam per totum. Oratio, *Deus qui hodierna die. Benedicamus Domino Alleluia alleluia* cantent duo Cantores in cappis.

In Feſto S. Marci.

Poſt Sextam cum tempus fuerit ſonante ſigno eant in chorum, & faciant orationem. • Tunc incipiat ſchola ant. *Exurge*, duobus interim reſonantibus ſignis. Antiphona cantetur cum Pſ. *Deus auribus*, & *Gloria.* Cap. *Oſtende nobis. Kyrie eleiſon. Pater noſter.* Pſalmus non dicitur. Cap. *Et veniat ſuper nos. Dominus vobiſcum.* Oremus. *Mentem familiæ.* Ant. ad Proceſſionem, *Propitius eſto Domine* ſine verſu. *Oremus Dilectiſſimi*, ſi neceſſe eſt, aut *Parce Domine*, vel *Dimitte nobis.* Et ſic vadant Proceſſionem: prius aqua benedicta, deinde Crux, poſtea ſubdiaconus cum textu, deinde ſchola, poſtea Conventus, & ſic exeunt de choro per maiorem portam monaſterii atque paradiſum, euntes per curiam Domni Abbatis ultra pontem, qui eſt in inferiori latere granarii, intrantes ianuam veteris clauſtri, & ſic eant per ambitum in vetus Monaſterium cum ℟. *Beatus vir.* Finito illo dicat Sacerdos, qui eſt hebdomadarius, *Ora pro nobis B. Blaſi*, cum oratione, & fiat genuflexio ab omnibus. Oratio, *Propitiare quæſumus.* Deinde fiat oratio. Poſt *Pater noſter* incipiant duo Fratres Letaniam, *Chriſte audi nos*, quod ter cantandum eſt, cum qua etiam revertantur per cœmiterium S. Stephani ad matrem Eccleſiæ. Si autem eſt pluvia, ſtatim poſt exitum paradiſi aſcendant viam, quæ eſt ante Capellam S. Benedicti, & nullam ſtationem faciant tunc coram ea. Cum autem pervenerint ad ambitum veteris Monaſterii ſtatim vertant ſe ad latus ſiniſtrum, & girando vadant ad ianuam veteris Monaſterii. Illic peractis omnibus, ſicut ſcriptum eſt, eadem via cum Letania deſcendant ad novum Monaſterium. Finita Letania ab his, qui ſtant ante gradum, mox incipiatur Miſſa: *Exaudivit de templo.*

In Feſto Inventionis S. Crucis.

Poſt Veſperas ad Proceſſionem ℟. *Dulce lignum.* Cap. *Adoramus te Chriſte.* Oratio ut ad Sextam. Miſſa matutina de S. Alexandro & aliis: *Clamaverunt iuſti.* Ad Proceſſionem poſt Tertiam ant. *O crux benedicta. O crux glorioſa. O crux omni laude. Lignum vitæ.* Ad Introitum ant. *Sanctifica nos Domine.* Statim ponit Secretarius tapetem unum ſupra quod presbyter hebdomadarius ſolet ſtare, porrigens crucem Domini Abbati & Conventui ad oſculandum & adorandum. His peractis ſumat Domnus Abbas crucem, & veniens in medium ſupra gradum ante altare ſtatim imponat ant. *Super omnia ligna*, & fiat genuflexio ab omnibus. Tunc reſumat Prior crucem ab Abbate portans illud ſuper principale Altare. Ad ſummam miſſam, *Nos autem* Sequentia *Victimæ Paſchali.*

Ab inventione S. Crucis uſque ad Adventum Domini cantetur miſſa de S. Cruce omni Feria VI. niſi fuerit feſtivitas Sanctorum.

In hac etiam die Conventus incipit poſt Nonam ſedere in ambitu, & vacare lectioni, & obſervatur in omnibus diebus feriatis uſque ad exaltationem S. Crucis, exceptis Udalrici & Pelagii.

De Feriis Rogationum.

Feria II. III. & IV. in Rogationibus ante Aſcenſionem Domini omnia agantur de reſurrectione ad nocturnos, ad Laudes, ad Horas.

Feria II. poſt Sextam facto intervallo ſonetur ſignum, ad quod totus Conventus occurrat, factaque oratione ſchola incipiat ant. *Exurge*, cum Pſ. *Deus auribus* & *Gloria Patri.* Cap. *Oſtende nobis. Kyrie eleiſon. Pater noſter.* Pſ. *Deus miſereatur.* Alia die Pſ. *Deus in adiutorium.* Cap. *Et veniat ſuper nos miſericordia.* Oratio. *Deus qui culpas delinquentium.* Alia die, *Deus qui culpas noſtras.* Finita oratione incipiat Cantor ant. *Propitius eſto Domine*, reſonantibus interim duobus ſignis & claſſi. Finita antiphona Cantor incipiat ant. *De Ieruſalem*, & ſic egrediantur de choro ea ordinatione, ut in die S. Marci. Poſt ant. *De Ieruſalem* ant. *Omnipotens Deus.* Altera die iterum cantetur *De Ieruſalem*, & ant. *Parce Domine.* Ubi ſciendum eſt, quod Feria II. ſolemus ire per magnam portam novi Monaſterii ultra pontem Steina per cœmiterium S. Stephani cum Proceſſione, & ant. *Omnipotens.* Qua finita incipiat Cantor ℟. *Ora pro nobis S. Stephane.* Oratio *Preces populi tui.* Nona cantetur ibidem. Cap. *Elias homo erat.* Oratio. *Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut qui in afflictione noſtra.* Maior Miſſa *Exaudivit* per totum. Ant. *Salvator mundi.* Deinde incipiatur *Humili prece*, & ad ſecundum Verſum exeant Eccleſiam S. Stephani prope tiliam, & magnum oſtium penes pomerium domus hoſpitum, & ſic per declivum iuxta eandem domum eant via planiori ducente ad hoſpitale,

Digitized by Google

tale, '& uno itinere e converſo intrent cœmiterium S. Stephani, continuando proceſſionem verſus portam longi cœmiterii, deſcendendo per longum cœmiterium recto tramite ad cœmiterium Dominorum, & deinde ad Capellam B. Virginis. Ibi cantetur ant. *Regina cœli* cum verſibus intermediis, fiatque genuflexio cum ſupplicatione *Poſt partum*, & oratione de ipſa B. Virgine ſonante. Poſt hæc duo Diacones induti cappis incipiant Letaniam *Agnus Dei* uſque *S. Maria intercede pro nobis.* Tunc exeant capellam redeundo propinquiori via ad chorum novi Monaſterii, & finita Letania legantur pſalmi familiares. Si autem tali die pluvia fuerit, eundum eſt de Eccleſia S. Stephani per vetus Monaſterium circa ambitum Converſorum circulariter, & inde deſcendendo ante Capellam S. Benedicti directe uſque ad Capellam B. Virginis, & tunc ibi agatur, ſicut præmiſſum eſt.

In Feria III. fiat proceſſio eodem modo, ut ſupra, ad capellam S. Nicolai cum ant. *Parce Dne.* Ad Introitum ℟. *Beatus vir* cum genuflexione & ſupplicatione: *Ora pro nobis B. Stephane.* Oratio. *Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut qui in afflictione.* Maior Miſſa *Exaudivit* per *totum.* Poſt Miſſam ant. *Salvator mundi.* Qua finita duo cantent letaniam, *Chriſte audi nos*, & cum devenerint ad iſtum locum, *Sancta Maria* exeant de eadem capella redeundo ad novum monaſterium iterum per portam magnam, quæ ducit per longum cœmiterium, continuando proceſſionem per portam iuxta domum candelarum ultra pratum, dictum Ufferbrüel, cum letania; qua finita dicantur pſalmi de animabus, ut Cantor indixerit. Et ſic deinde intrando portam ducentem recta via ultra pratum, dictum Innerbrüel, per portam penes lavatorium per curiam Domni Abbatis uſque ad novum monaſterium, ibi ſtant omnes, niſi duo Diaconi induti cappis intrent ſoli monaſterium, cantando letaniam *Agnus Dei.* Ad cantum iſtum *Suſcipe deprecationem noſtram.* Conventus inclinet ſe, & poſtmodum intrent chorum. Poſt letaniam legantur pſalmi familiares.

In Vigilia ſeu Fer IV. ante Aſcenſionem Dni poſt Primam introducendi ſunt ſubditi cum crucibus; & fiat compulſatio in angulari, deinde eant in capitulum, & medio tempore Capellanus in Hechiswand præparet ſe ad Miſſam, quam legat populo & ſubditis in altari S. Crucis novi monaſterii. Poſt capitulum ſonetur maius ſignum in choro, & facta oratione Schola incipiat *Exurge.* Finita oratione Cantor incipiat antiphonam *Propitius*, & ſonetur claſſis. Poſtea incipiat Cantor ant. *de Ieruſalem*, & fiat Proceſſio per Cœmiterium S. Stephani ad vetus Monaſterium ant. *Dimitte nobis*, & ſi eſt neceſſe, addatur *Parce.* Ad Introitum Eccleſiæ *Beatus vir.* Hæc Proceſſio fiat cum Reliquiis; & Reliquiæ decoratæ locentur ſuper altare ſummum illius Monaſterii: Reliquiæ vero in ſcriniis nondum decoratæ ponantur ſuper ſepulchrum Beringeri Abbatis. Et fiat ibi ſupplicatio: *Ora pro nobis B. Blaſi*, cum Collecta, *Propitiare.* Poſtea canenda eſt Tertia, & Miſſa matutina *Exaudivit* per totum. Poſt Miſſam, *Salvator mundi.* Interim recipiat unusquisque Reliquias ſuas, & ordinent ſe ad Proceſſionem. Deinde duo incipiant: *Ardua ſpes.* Ad ſecundum verſum exeant eandem ianuam, per quam introierunt, redeundo ad curiam Domini Abbatis ipſam pertranseundo cum proceſſione uſque ad piſtrinam, & deinde ultra pontem penes granarium exeundo portam inferiorem iuxta domum equorum, & domum Converſorum uſque ad oſtium, quo itur planiori via e converſo per cœmiterium S. Stephani ad novum Monaſterium. Quo pervenientes ad Introitum ℟. cantent, *Gaudete iuſti.* Cap. *Beati qui habitant in domo tua.* Oratio de Reliquiis. Poſtea legantur pſalmi familiares. Si autem die tali tempus pluviale exſtiterit, Proceſſio fiat de novo Monaſterio ad vetus, & inde egrediantur per ianuam ab antea circa altare ad ambitum Converſorum Fratrum iterum circumeundo, & deſcendatur via ante Capellam S. Benedicti ad ambitum Dominorum, ambiendo ipſum ambitum exeant per ipſam ianuam clauſtralem ad novum Monaſterium. Ad Introitum ℟. *Gaudete iuſti*, & poſt Proceſſionem parvo intervallo ſonetur ſignum ad Sextam. Ad Miſſam: *Vocem iucunditatis.*

In Feſto Pentecoſtes.

Nocte ſacratiſſima ſonentur omnia ſigna ſecundum ordinem, ut in paſchali nocte. Ad hoc matutinum omnes debent eſſe veſtiti Albis ſicut in paſchali matutino. Ad Invitatorium *alleluia Spiritus Domini.* Pſ. *Venite exultemus.* Hymnus non dicitur. Ordo huius matutini tenendus eſt, ut in matutino paſchali cum lectionibus, reſponſoriis, cum incenſo, cum candelis, cum antiphonis ad nocturnos, ad Laudes, quæ diviſim cantandæ ſunt.

Ant. *Factus eſt.* Pſ. *Magnus Dominus.*
Confirma hoc. *Exurgat Deus.*

Ant.

Digitized by Google

Ant. *Emitte Spiritum.* *Benedic anima.*
℣. *Verbo Domini.*
℟. *Dum complerentur.*
Repleti ſunt omnes.
Apparuerunt.

Poſt tertium reſponſorium mox cantatur *Te Deum laudamus.* Quo finito dicitur Cap. *Emitte Spiritum. Deus in adiutorium.* & ſtatim incipiant matutinas Laudes.

Ant. *Dum complerentur.* Pſ. *Dominus regnavit.*
Spiritus Domini. *Iubilate.*
Repleti. quæ ant. trina vice cantanda eſt. *Deus, Deus meus,* & *Deus miſereatur.*
Fontes & omnia. *Benedicite.*
Loquebantur. *Laudate Dominum de cœlis.*

Hæc ant *Loquebantur* quater cantanda eſt, ſcilicet ante Pſ *Laudate.* & ante *Cantate*, quod eſt capitulum ipſius, & ante *Laudate Dominum in Sanctis*, qui ſemper diviſim cantandus eſt; & poſt *Gloria Patri* ipſius pſalmi ab omnibus repetatur. Ceteræ antiphonæ ſuper pſalmos bina vice recitandæ ſunt Legentibus *Laudate Deum in Sanctis.* exeunt duo cantores, & induunt duas cappas, qui cantant ℟. ad Laudes, & *Benedicamus Domino* cum *alleluia.* Cap *Dum complerentur.* ℟. *Spiritus Domini.* Hymnus *Beata nobis gaudia.* ℣. *Loquebantur.* Ad *Benedictus* ant. *Accipite.* Quæ antiphona cantanda eſt alternatim, ut in die Paſchæ. (1)

De Miſſa pro Abbate & Congregatione Blaſiana.

Miſſa pro Abbate *Inclina Dne.* Oratio: *Da famulo tuo Abbati noſtro.* Lectio, *Sacrificium ſalutare.* Graduale, *Salvum fac ſervum. alleluia. In te ſperavi.* Evangelium, *amen amen dico vobis, qui credit in me.* Offertorium, *Intende voci orationis.* Communio, *Illumina faciem tuam.* (Quæ ſequuntur in margine, alia manus appoſuit.) Notandum eſt, quod in Quadrageſima in qualibet hebdomada debet Prior miſſa una cantari pro Abbate, & hoc in Feria ſexta, niſi impediat feſtum alicuius Sancti. Deinceps autem per totum annum in qualibet ſeptimana legatur una miſſa pro Abbate, & hæc ſit quarta. Quotidie vero, qui legit quartam miſſam, dicat Collectam pro Abbate ſupradictam. Tali modo Dnus Petrus Abbas fieri inſtituit, & idem comparavit prædium in Tettigkoven ad infirmarium, de quo cedunt pro anniverſario ſuo XVI. modii ſiliginis. Hoc idem confirmavit, & ſuis literis ſigillatis, roboravit Dominus Heinricus huius nominis Abbas IV.

Miſſa pro Congregatione.

Domine refugium factus. Oratio, *Defende quæſumus Domine.* Lectio, *Non regnet peccatum.* Graduale, *Propitius eſto. Alleluia. Oſtende nobis.* Evangelium, *Sublevatis Ieſus oculis.* Offertorium, *Sicut in holocauſtum.* Communio, *Tu Domine ſervabis nos.* (In margine alia manus ſequentia adnotavit) Notandum, quod ſi fieri poteſt in omni IV. Feria in Quadrageſima debet Prior miſſa cantari pro Congregatione. Sed, ſi non poteſt fieri, cantor ordinet id fieri alia die. In Quadrageſima quoque in omni III. Feria ſolemus cantare pro ſalute vivorum ad priorem miſſam, *Salus populi*, niſi impediatur ab aliquo feſto. In tempore vero paſchali canimus in omni Feria VI. pro ſalute vivorum officium *Exaudivit.* Cæteris autem anni temporibus canimus pro ſalute vivorum ad priorem miſſam *Salus populi* in Feria VI. niſi impediatur, ut prædictum eſt.

De Miſſa matutina de SS. Trinitate.

Miſſa matutina ab octava Pentecoſtes uſque ad adventum Domini ſemper cantanda eſt de S. Trinitate, niſi Sanctorum feſtivitas occurrerit. Oratio tamen ſemper dicatur ad matutinam Miſſam de S. Trinitate Dominicis diebus uſque ad adventum Domini.

De Natalitiis Sanctorum, qualiter in Dominicis, Quadrageſima, & infra octavas peragantur.

Si contingit feſtum alicuius Sancti ſupra Dominicam venire, & cantor ordinaverit illud celebrari cum tertia nocturna, hic erit modus. Primæ duæ nocturnæ erunt de Dominica, tertia vero, quæ dicitur canticum, fiat de Sancto cum Laudibus, & poſt *Benedicamus* cantetur antiphona de Dominica cum oratione dominicali. Ad reliquas autem horas per totum fiat de Dominica. Matutina miſſa cantetur de Sancto, in qua ſecunda oratio erit de Dominica. Maior vero miſſa canitur de Dominica. Item ſi accidit feſtum alicuius Sancti in ſimplici Dominica, de quo cantor ordinat celebrari priorem miſſam, de eodem Sancto etiam cantetur ad Introitum eccleſiæ poſt proceſſionem. Notan-

(1) Reliqua feſta & natalitia Sanctorum hic prætermiſimus.

Digitized by Google

Notandum: quod a capite ieiunii & per totam Quadrageſimam nullius Sancti trium lectionum feſtum celebramus, ſed ſolum cuius duodecim lectiones. Quando etiam habentur octavæ ſolempnes, tunc in illa hebdomada, in qua occurrerint Sancti, ſive duodecim, ſive trium lectionum fuerint, nihil de illis agitur, uſque dum occaſio fuerit, de eis agere.

Quando Sequentiæ in Miſſa omittendæ.

A Septuageſima uſque ad ſanctum Paſcha non canitur Sequentia de B. Virgine, neque de Patrono, neque de S Benedicto, exceptis feſtis, ſcilicet Purificationis S Mariæ, & natali S Blaſii, & natali S. Benedicti, & feſto Annuntiationis S. Mariæ, tunc canimus Sequentias.

Ordo Feſtorum, & ſacrarum Veſtium in Choro.

Hæc feſta pro *ſummis* habere ſolemus. Nativitatem Domini, S. Paſcha, Pentecoſten, feſtum Corporis Chriſti, Annuntiationem & Aſſumptionem B Virginis glorioſæ, feſtum omnium Sanctorum, Blaſii, & Dedicationem Eccleſiæ. Et his feſtivitatibus optima induimus indumenta, hoc proviſo, quod in feſto Corporis Chriſti, Blaſii, & Dedicatione eccleſiæ ſacerdotes in proceſſione & miſſa deferant caſulas.

Hæc feſta peragantur ut *maior maioribus*, videlicet feſtum Epiphaniæ, Aſcenſionis, Purificationis, & Nativitatis B. Mariæ, Stephani, Vincentii, Ioannis Baptiſtæ, Petri & Pauli Apoſtolorum, & Michaelis, in quibus feſtis ſacerdotes ſint induti cappis & Albis, ſcholares vero tunicis. Abhinc excipitur feſtum Epiphaniæ & Stephani, in quibus ſacerdotes, neque ſcholares debent ſe veſtire, niſi ſit Dominica dies.

Feſta ſubſequentia habenda ſunt pro *Maioribus in hyeme*. Scilicet feſtum Martini, Catharinæ, Andreæ, Nicolai, Thomæ. Et in his diebus nihil induant, niſi evenerint ſuper Dominicam, tunc in proceſſione induant Sacerdotes Albas & cappas, ſcholares & Converſi ſuperpellicea, ita quod reliquias deferentes ſint induti tunicis, & poſt Proceſſionem exuant tunicas. Eodem modo faciendum eſt in feſto Purificationis B. Mariæ, quo deferentes reliquias poſt Proceſſionem exuantur tunicis, ne propter diſtillationem & liquefactionem cereorum tunicæ maculentur. In die Palmarum omnibus modis ſervetur proceſſio, ut iam declaratum eſt. Item in Sabbato ſeu vigilia Paſchæ Sacerdotes induantur albis, ſcholares & Converſi ſuperpelliciis.

Feſta autem ſubſcripta peragenda ſunt, ut in maioribus in tempore æſtivali, videlicet Philippi & Iacobi, Inventionis S. Crucis, Translationis S. Benedicti, Iacobi Apoſtoli, Laurentii, Bartholomæi, Felicis & Regulæ, Matthæi, Mauritii, Galli, Simonis & Iudæ. His diebus Sacerdotes induant albas & cappas, ſcholares atque Converſi ſuperpellicea ſive ſit Dominica ſive non. Si autem in Dominica evenerint, tunc proceſſio fiat, ſicut præſcriptum eſt, ita quod ſcholares deferentes reliquias ſint induti tunicis, & exuant poſt proceſſionem. Dictis quoque diebus in proceſſione eant longum per monaſterium ad chorum, & pulſetur ad proceſſionem eandem propter Reliquias in angulari. Pari modo fiat in feſto Exaltationis S. Crucis, licet ſit de minoribus.

In minoribus feſtis, quando in Dominica evenerint, proceſſio fiat per ambitum, & Sacerdos induat ſe alba & ſtola, ut in Dominicis diebus, & Diaconus qui portat textum ſeu plenarium Evangelii ſit indutus tunica, ſimiliter fiat, quando fuerit maius plenum officium, utpote in feſto S. Georgii.

Quando facimus proceſſionem pro tribulatione, poſtulatione, neceſſitate, vel Rogationum, ſeu Marci Evangeliſtæ, Subdiaconus qui defert Textum Evangeliorum, ſit ſolum indutus ſuperpelliceo. Item in II. & III. Feriis infra octavas Paſchæ & Pentecoſtes ſolempnizamus cum candelis & campanis, ſicut in maior maioribus feſtis, & ſcholares induant ſuperpellicea, & cantent ℣. *Dne Ieſu Chriſte*, & pſalmi familiares omittantur.

Hæc autem erit lex maioris pleni officii, ut tria candelabra ante altare ſtatuantur, & ad utramque veſperam & canticum incendantur. Sed in I. & II. Nocturno duo lumina incendenda ſunt. Altare velo & cortina purpurea operiatur. Ad Miſſam autem indumenta miniſtrorum altaris. Pulſatio quoque ſignorum ut in minoribus feſtis agatur. Reſponſoria ad veſperam & ad matutinum IV. VIII. & XII. non duo, ſed ſinguli ſingula cantabunt. (Manus recentior hæc adiecit) Sciendum eſt, quod a feſto omnium Sanctorum uſque ad feſtum Palmarum non reveſtit ſe Conventus nec albis nec cappis in aliquo feſto, ſive ſit in ſummis, ſive in maioribus feſtivitatibus, niſi proceſſio agatur. Sciendum eſt etiam, quod Diaconi nunquam imponunt cappas ad Invitatorium, niſi in nocte S. Paſchæ & Pentecoſte.

De Lectionibus & Reſponſoriis.

Lecturus lectionem ſurgat de ſede ſua, & eat in medium chori, & inclinans ſe coram altari, ſic

Digitized by Google

ſic inclinatus eat ad analogium, & finita lectione redeat inclinatus ad locum, ubi prius incœpit inclinare, & ibi faciat veniam ſuper genua, deinde ſurgat, & faciat ante & retro, & ſic eat in locum ſuum. Et hic modus ſervandus eſt ſemper, & ad omnes lectiones matutinales.

In ſummis & maior maioribus feſtivitatibus legendæ ſunt lectiones in maiori tono, & omnia reſponſoria cantanda ſunt a duobus. In ſummis feſtivitatibus IV. VIII. & XII. reſponſorium cantetur a tribus.

In maioribus & minoribus feſtivitatibus legendæ ſunt lectiones ad matutinum directo modo, reſponſoria autem ab uno ſolo cantanda ſunt, præter IV. VIII. & XIII. quæ a duobus cantanda ſunt.

Quando fuerit in minoribus duo debent cantare ad veſperas ℟. & ℣. cum *Gloria*, & ad matutinum IV. VIII. & XII. reſponſorium. Similiter ad Laudes reſponſorium & *Benedicamus.* Quando autem fuerit in maioribus, eodem modo fiat. Item quando fuerit maior maioribus, omnia reſponſoria ad omnes Horas tam diurnales quam nocturnales debent cantari a duobus, & *Benedicamus.* Item quando fuerit in ſummis eodem modo fiat, excepto, quod IV. VIII. & XII. reſponſorium debet cantari a tribus cum ℣. & *Gloria.* In ſummis feſtivitatibus tres debent cantare Graduale, & quatuor *alleluia.* Sed quando eſt maior maioribus tres cantent Graduale, & tres *allel.* Quando vero eſt maioribus, ſi fieri poteſt, fiat etiam ſic. In Sabbato ieiunii quatuor Temporum ante Miſſam non cantetur letania a puero, ſed unus Diaconus ſtans in medio choro indutus cappa, imponat officium, & fiat compulſatio ab omnibus campanis in choro, ut in XII. lectionibus.

De Proceſſionibus ad altaria in eorum dedicatione & feſtis Patronorum.

Sciendum quod in ſingulis altarium dedicationibus novi monaſterii proceſſionem agimus poſt veſperam. Similiter quando de Patronis eorumdem altarium feſtum habetur. Cum vero proceſſiones facimus ad capellas, vel ad altaria, tunc duo ſcholares debent præcedere cum duabus ardentibus candelis, deinde Sacerdos cum thuribulo & incenſo, poſtea Converſus cum libro. Sunt autem altaria & Patroni eorum, ut ſequitur.

I. Altare publicum dedicatum eſt in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, & in honore B. Mariæ Virginis, nec non & S. Blaſii archiepiſcopi & Martyris, S. Vincentii Levitæ & Martyris. Huius altaris dedicatio eſt IV. Nonas Septembris.

II. Altare S. Petri dedicatum eſt in honore eiusdem S. Petri & S. Pauli Apoſtolorum. Huius altaris dedicatio eſt IV. Nonas Septembris.

III. Altare S. Benedicti dedicatum eſt in honore eiusdem S. Benedicti, S. Martini Epiſcopi, S. Scholaſticæ V. & S. Verenæ V. & M. Huius altaris dedicatio eſt IV. Nonas Septembris.

IV. Altare S. Ioannis Evangeliſtæ dedicatum eſt in honore eiusdem S. Ioannis Evangeliſtæ, S. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, S. Sebaſtiani Martyris. Huius altaris dedicatio eſt XI. Calend. Iulii.

V. Altare S. Michaelis in novo monaſterio dedicatum eſt in honore eiusdem S. Michaelis Archangeli, & omnium ſanctorum Angelorum. Huius altaris dedicatio eſt VI. Fer. poſt feſt. Corp. Chriſti.

VI. Altare S. Chriſtophori dedicatum eſt in honore eiusdem S. Chriſtophori, S. Catharinæ V. & M. S. Margarethæ V. & M. Huius altaris dedicatio eſt Dominica proxima poſt natalem S. Io. Bapt.

VII. Altare S. Nicolai dedicatum eſt in honore eiusdem S. Nicolai Epiſcopi, S. Laurentii M. S. Ambroſii Epiſcopi., S. Hieronymi C. S. Erhardi Epiſcopi, S. Barbaræ V. & M. S. Apolloniæ V. & M. Huius altaris dedicatio eſt proxima Dominica poſt feſtum S. Nicolai.

VIII Altare Corporis & Sanguinis Domini dedicatum eſt in honore eiusdem Corporis & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & SS. Philippi & Iacobi Apoſtolorum, S. Bartholomæi Apoſtoli, S. Georgii M. S. Ioannis & Pauli MM. S. X. millium Martyrum, S. Afræ M. Hæ ſunt Reliquiæ, quæ in eodem altari continentur: ſcilicet de S Cruce Domini, Reliquiæ S. Galli, S. Martini, SS. Coſmi & Damiani, XI. millium VV. S. Laurentii M. S. Oswaldi M. S. Vincentii M. S. Blaſii Epiſcopi & Martyris. S. Pigmenii C. S. Othmari C. S. Arbogaſti Epiſcopi, S. Fridolini C. S. Margarethæ V. & M. S. Apolloniæ V. & M. Huius altaris dedicatio eſt Dom. proxima poſt feſtum Corp. Chriſti.

IX. Altare S. Crucis dedicatum eſt in honore eiusdem S. Crucis, & S. Ioannis Baptiſtæ, S Stephani Proto Martyris, S. Vincentii M. S. Viti M. S. Mauritii & Sociorum eius, S. Bonifacii & Sociorum eius, S. Gregorii Papæ, S. Auguſtini Epiſcopi, S. Udalrici Epiſcopi, S. Agathæ V. & M. S. Cæciliæ V. & M. Hæ ſunt reliquiæ, quæ ibidem continentur, de S. Cruce, S. Galli &c. ut ſupra. Huius altaris dedicatio eſt proxima Dominica poſt inventionem S. Crucis.

X. Altare S. Galli dedicatum eſt in honore eiusdem Sancti, & in honore SS. Innocentum, S Laudegarii M. S. Othmari C. S. Mariæ Magdalenæ, SS. Luciæ V. & M. SS. XI. millium VV. Huius altaris dedicatio eſt proxima Dominica poſt feſtum S. Galli.

XI.

Digitized by Google

XI. Altare SS. Felicis & Regulæ dedicatum eſt in honore eorumdem Sanctorum, S. Oswaldi M. S. Mauri Abbatis, S. Bernardi Abbatis, S. Antonii C. SS. Coſmæ & Damiani Martyrum, S. Fridolini C. Huius altaris dedicatio eſt proxima Dominica poſt feſtum SS. Felicis & Regulæ.

XII. Altare ſecundum Corporis & Sanguinis Domini, quod ſitum eſt ſuper teſtitudinem iuxta introitum portæ ad aquilonem adhærens angulari, dedicatum eſt in honore eiusdem Corporis & Sanguinis Domini, & S. Dei Genitricis Mariæ, & SS. trium Magorum, S. Iacobi Apoſtoli, S. Eraſmi E. & M. S. Onuphrii C. S. Leonhardi C. S. Iodoci C. S. Alexii C. S. Mariæ Magdalenæ, S. Catharinæ V. & M. S. Agnetis V. & M. S. Dorotheæ V. & M. S. Othiliæ V. S. Annæ Viduæ, S. Marthæ V. Huius altaris dedicatio eſt IV. Nonas Ianuarii.

XIII. Altare B. V. Mariæ dedicatum eſt in honore eiusdem B. Mariæ, & S. Margarethæ, & S. Catharinæ, S. Bernardi Abbatis. Huius altaris dedicatio eſt III. Idus Auguſti.

XIV. Altare S. Ioannis Baptiſtæ dedicatum eſt in nomine ſanctiſſimæ & individuæ Trinitatis, & in honore victorioſiſſimæ Crucis, & S. Dei Genitricis Mariæ, S. Ioannis Baptiſtæ, & omnium Sanctorum, & S. Ioannis Evangeliſtæ, & S. Ægidii C. Hæ ſunt autem Reliquiæ, quæ habentur in eodem altari. De ligno Domini, S. Ioannis Baptiſtæ, de capite S. Petri, S. Stephani P. & M. S. Marcellini P. & M. S. Criſpini M. S. Mauritii M. S. Oswaldi Regis & Martyris, S. Maximi Epiſcopi, S. Gerdrudis V. Huius altaris atque capellæ dedicatio eſt III. Calendas Ianuarii.

XV. In capella S. Benedicti ſunt Patroni S. Petrus Apoſtolus, S. Benedictus, S. Scholaſtica, S. Margaretha V. Huius capellæ & altaris dedicatio eſt Idibus Octobris.

XVI. In ſummo altari veteris monaſterii ſancti Patroni ſunt SS. Trinitas, S. Maria, S. Blaſius Archiepiſcopus & Martyr, S. Vincentius Archidiaconus & Martyr.

XVII. Ad altare erga ambitum Fratrum ſunt Patroni S. Martinus Epiſcopus, S. Gallus, S. Laurentius, Levita & Martyr, S. Catharina V. & M.

XVIII. Ad altare erga cœmiterium S. Stephani ſunt Patroni S. Ioannes Baptiſta, & omnes ſancti Apoſtoli. Huius templi & altarium dedicatio eſt XVII. Calendas Octobris.

XIX. In capella S. Michaelis in veteri monaſterio ſunt Patroni S. Michael, & ſancti Angeli omnes, atque omnes Sancti. Huius capellæ & altaris dedicatio eſt III. Nonas Ianuarii.

XX. In capella S. Nicolai ſunt Patroni S. Blaſius Epiſcopus, & S. Nicolaus Epiſcopus, & S. Martinus. Huius capellæ & altaris dedicatio eſt XIII. Calendas Auguſti.

XXI. In Eccleſia S. Stephani ſunt Patroni S. Stephanus Papa, S. Georgius M. Huius altaris dedicatio eſt Nonis Iunii. (Hic manus ſæculi XVI. addidit) Altare S. Mariæ noviter dedicatum eſt in capella S. Stephani, conſecratum a Reverendiſſimo D. Thelomonio Suffraganeo Baſileenſi in honore eiusdem glorioſæ Virginis Mariæ, & SS. Blaſii Archiepiſcopi & Martyris, S. Stephani Levitæ & M. S. Chriſtophori M. S. Sebaſtiani M. S. Catharinæ V. & M. S. Margarethæ V. & M. S. Barbaræ V. & M. S. Verenæ V. Dedicatio vero eiusdem erit proxima Dominica poſt feſtum S. Iacobi Apoſtoli.

XXII. Altare B. Virginis (quod manus ſæculi XVI. appoſuit, nosque de ſacello abbatiali, aut capella B. Virginis intelligendum exiſtimamus.) Dedicatum eſt in honore eiusdem B. Mariæ, & Annæ Matris eiusdem Virginis, Trium Regum, S. Eucharii Epiſcopi, & S. Agnetis V. Huius altaris dedicatio eſt proxima die poſt feſtum S. Udalrici Epiſcopi, quod erit III. Nonas Iunii.

Summopere quoque animadvertendum eſt, quod quodlibet prædictorum altarium habet de ſpeciali indulto centum dies criminalium, & annum venialium indulgentias.

De Proceſſionibus in privatis diebus.

A capite ieiunii uſque ad Dominicam in Palmis omni IV. & VI. Feria agimus proceſſionem, ſi hoſpitem in illo die antea non ſuſcepimus, aut infirmum non viſitavimus, aut mortuum non ſepelivimus. Si aliquid iſtorum antea factum habemus; proceſſionem dimittimus, niſi in prima IV. Feria, quando cinerem ſumimus. Hanc proceſſionem in Quadrageſima nunquam dimittimus, niſi in XII. lectionibus: ſi autem craſtina die ſunt XII. lectiones, propter hoc dimittimus proceſſionem. Ab octava autem Corporis Chriſti uſque ad feſtum SS. Simonis & Iudæ Feria VI. ſemper facimus proceſſionem, niſi ipſa die, vel craſtina die ſint XII. lectiones. In Quadrageſima canimus has antiphonas ad proceſſionem: *Exaudi nos Domine. Iuxta veſtibulum & altare.* Ab octava autem Pentecoſtes uſque ad feſtum SS. Simonis & Iudæ canimus has antiphonas: *Propitius eſto. Iniquitates noſtræ.* Ante proceſſionem, quam privatis diebus Feria IV. & VI. facimus ſemper canimus antiphonam *Exurge.* cum verſu & *Gloria*, niſi in capite ieiunii, tunc enim cantamus absque *Gloria Patri.* Quandocunque autem agitur proceſſio, nullus Fratrum negligat eam propter opus aliquod, nec etiam propter

Digitized by Google

Miſſam celebrandam celebratur negligat proceſſionem.

De Proceſſione de S. Cruce, & ad Capellam B. Mariæ V.

In Dominica Septuageſimæ poſt veſperam fiat proceſſio ad altare S Crucis cum reſponſorio vel antiphona de S. Trinitate ſequente oratione *Dne Deus Pater omnipotens.* Poſtea canitur de S. Cruce. Hanc proceſſionem agimus a Purificatione S. Mariæ uſque ad Dominicam de Paſſione Domini. Ab Inventione autem S. Crucis uſque ad Adventum Domini canitur Miſſa de S. Cruce omni Feria VI. niſi fuerit feſtivitas Sanctorum. Epiſtola legatur de Feria IV. cum ſuo Evangelio, vel de VI. Feria. Quod ſi non eſt in Feria IV. Epiſtola propria, nec Feria VI. Evangelium proprium, legatur de S Cruce. Similiter a Purificatione uſque ad Dominicam Quinquageſimæ. Si vero Feria VI XII. lectiones evenerint, matutina Miſſa cantatur de S. Cruce, & legantur Epiſtola & Evangelium de S. Cruce, non de Feria. A Purificatione etiam uſque ad Cœnam Domini, & a S. nocte Paſchæ uſque ad Adventum Domini canimus quotidie ad Laudes & ad Veſperas antiphonam de S Cruce, omnique Feria VI. a Quinquageſima uſque ad Dominicam Palmarum dicitur ad maiorem Miſſam oratio de S. Cruce. Ab octava porro Pentecoſtes uſque ad Adventum Domini ſingulis Sabbati diebus poſt Veſperas itur proceſſionaliter cum ant. de SS. Trinitate ad altare S. Crucis, niſi dedicationes & feſtivitates hoc impediant. Eodem modo fiat a Purificatione uſque ad Dominicam de Paſſione Domini.

Sciendum præterea, quod ſingulis Dominicis diebus poſt Veſperam itur proceſſionaliter ad capellam B. Virginis cantando ant. *Alma Redemptoris.* vel *Gaude Dei Genitrix.* A Calendis autem Auguſti uſque ad nativitatem Virginis cantetur antiph. *Tota pulchra.* In ſummis enim feſtivitatibus nullam proceſſionem facimus poſt Veſperam, niſi ſolum ad capellam B. V. Mariæ.

De Miſſa & Proceſſione in tribulatione.

Si contigerit in XII. lectionibus cantari Miſſam pro aliqua tribulatione *Alleluia* canimus. *Gloria in excelſis*, & *Ite Miſſa eſt* non dicimus. Quando facimus Proceſſionem ad Eccleſias clauſtri pro aliqua tribulatione vel neceſſitate primo ſchola incipiat *Exurge.* ℣. *Deus auribus. Gloria. Exurge.* Deinde cantor incipiat ant. *Propitius.* Poſtea eant ad Proceſſionem cum aqua benedicta, & cruce, & incenſo, atque candelis, deinde Reliquiæ. Et ſi placuerit Abbati, aliqui vociferati debent portare proceſſionales libros propter errores, ut non fiat confuſio. Deinde exeant de choro per magnam portam monaſterii, & per longum Cœmiterium ad Cœmiterium Dominorum in capellam B. Mariæ, ibi fiat ſupplicatio & collecta de ea. Simili modo fiat ante Capellam S. Benedicti, & Michaelis, in veteri Monaſterio, & ante Capellam S Nicolai, & in Eccleſia S. Stephani. Principium Proceſſionis *Summæ Trinitati* cum Verſu.

Quando Campanæ pulſandæ.

In ſummis feſtivitatibus pulſandum eſt ad Veſperas cum duabus minoribus ſcillis, & cum Conventus venit in chorum, facta oratione a Priore, pulſandum eſt cum duabus maximis campanis in angulari, & legenda ſunt ſuffragia Sanctorum, quæ incipiunt *Michael Archangele.* Poſtea legenda eſt Veſpera de omnibus Sanctis. Interim pulſandæ ſunt duæ campanæ in choro Cum incipiunt *Magnificat* ad Veſperam fiat compulſatio tam in choro quam angulari ab omnibus campanis. Ad collationem & ad Completorium ſemper pulſanda eſt una de minimis campanis. In feſtivis & privatis diebus ſemper unus eſt modus tenendus. Hora matutinali eat Secretarius in dormitorium, & excitet de Fratribus, quos voluerit, & incipiat ſonare duabus parvis ſcillis ad matutinum: Poſtea fiat compulſatio ab omnibus campanis in choro, quæ compulſatio dicitur terracio, quæ vulgariter dicitur Schreki. Deinde ſonentur maiores campanæ in angulari uſque ad introitum ſcholarium. Tunc faciant ternas orationes in choro, deinde incipiant XV. Gradus. Interim pulſentur iterum maiores campanæ in angulari, ut prius, uſque ad ſecundum Nocturnum XV. Graduum. Cum legunt ſecundum Nocturnum XV. Graduum, pulſentur duæ maximæ campanæ in choro. Ad finem tertii Nocturni Graduum fiat compulſatio ab omnibus campanis tam in choro, quam in angulari.

Matutinalis Laus ſemper pulſanda eſt in choro, & nunquam in angulari, præter in natali Dni, quod fiat propter Miſſam, quæ cantanda eſt in nocte; ad quam Miſſam ſolet fieri compulſatio ab omnibus campanis tam in choro quam in angulari, ad *Agnus Dei*, & in fine Miſſæ. Et in ſancta nocte Paſchæ etiam pulſanda eſt matutinalis Laus in angulari. Et ſic ſufficit de compulſatione propter Laudes.

Ad

Digitized by Google

Ad Primam debent ſonari duæ maximæ campanæ in angulari. Ad matutinam Miſſam debent pulſare maximam campanam ſolam. Ad Tertiam iterum debent pulſare eandem campanam; poſtea minor campana pulſetur ibidem. Si habetur proceſſio, debent pulſari duæ maximæ campanæ in angulari; poſtea fiat compulſatio ab omnibus campanis tam in angulari quam in choro ad ſummam Miſſam. Ad Sextam nunquam debet pulſari in angulari, ſed ſolum in choro. A Paſchate autem uſque ad feſtum S. Michaelis debet Nona pulſari in angulari præter feſtum Matthæi, & Mauritii, ſi in angaria occurrerint. A feſto S. Michaelis uſque ad Paſcha etiam nunquam debet pulſari Nona in angulari, ſed in choro In Annuntiatione tamen B Mariæ & Benedicti Tertia, Sexta & Nona pulſandæ ſunt in angulari. Ad Miſſam de tempore ſonetur claſſis in choro. In Commemoratione animarum, & in anniverſio S. Regenberchti fundatoris etiam non debent pulſari in angulari ad matutinum, cum vigilia mortuorum legitur.

In maior maioribus feſtivitatibus pulſanda eſt Veſpera cum una parva ſcilla. Facta oratione pulſanda eſt maior campana in angulari, deinde minor campana ibidem, poſtea compulſatio cum omnibus campanis tam in choro quam in angulari. Ad Primam pulſanda eſt campana in angulari. Ad matutinam Miſſam, ad Tertiam, ad ſummam Miſſam pulſandum eſt, ſicut in ſummis feſtivitatibus ſcriptum eſt.

In maioribus feſtivitatibus pulſandum eſt ad Veſperam, ut ſupra ſcriptum eſt. Ad Primam ſonetur in choro claſſis, id eſt, duæ maiores campanæ. Reliqua ut ſupra.

In minoribus feſtivitatibus, & in maiori pleno officio ſemper pulſandum eſt in choro ſicut in dominicis diebus.

A feſto quoque Paſchæ uſque ad feſtum S. Michaelis cottidie in dormitorio ſonetur ſignum, & debet Conventus properare in ſurgendo. Item per circulum anni, quando fuerit feſtum XII. lectionum ſonetur ſignum in dormitorio. Item a feſto S. Michaelis uſque ad Paſcha, quando fuerint tres lectiones, quod privatim celebratur, non debet ſonari ſignum in dormitorio. In choro quoque debet pulſari Prima cum minori campana, tum quando Prima incipitur pulſari.

De Candelis, quas Cuſtos ſeu Secretarius ad Eccleſiam miniſtrare debet.

In ſummis feſtivitatibus ad Veſperam accendendæ ſunt ſeptem candelæ ſuper gradum in choro, & quinque in ſummo altari, & una ante imaginem S. Mariæ Virginis. Ad Matutinum debet Secretarius, poſtquam excitaverit Fratres, & priusquam pulſet, accendere ſeptem candelas ſuper gradum: ad cantica vero poſt primum verſum Homiliæ debet accendere novem candelas ſuper gradum, & quinque ſuper altare, & unam ante imaginem B. Mariæ V. Et ſic erit numerus candelarum viginti duæ candelæ. Et ſtellam cum ſex lampadibus parvis accendere debet etiam ad Laudes. Similiter fiet ad ſummam Miſſam cum eodem numero. Ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam ſunt tres candelæ accendendæ in ſummo altari. Ab iſta regula excipiuntur feſtivitates duæ, Dedicatio & feſtum S. Blaſii, in quibus accendi debent ad Veſperam utramque Dedicationis omnes candelæ in choro ſive ſuper gradum, ſive in altari. In feſtivitate autem S. Blaſii ad priorem Veſperam ad ℟. *Sancte Deo dilecte.* incendendæ ſunt omnes candelæ tam in gradibus quam in altari. Sic fiat etiam in ſecunda Veſpera.

In maior maioribus incendendæ ſunt ad Veſperam VII. candelæ ſuper gradum, tres in altari ſummo, & una ante imaginem B. Mariæ. Ad Matutinum, poſtquam matutinalis compulſatio fit, incendendæ ſunt ſuper gradum quatuor candelæ cum tribus ſuper gradum, & tribus in alteri & una ante imaginem B. Mariæ V. Ad Primam autem, & ad Tertiam, Sextam & Nonam ſunt tres candelæ accendendæ. Ad ſummam autem Miſſam ſicut ad matutinum tam ſuper gradum quam in altari.

In maioribus feſtivitatibus ad Veſperam accendendæ ſunt ſeptem candelæ ſuper gradum. Ad Matutinum cum pſalmus *Venite* cantatur, accendendæ ſunt quatuor candelæ ſuper gradum: ad cantica autem tres candelæ accendi debent: ad Horas tres: ad Miſſam ut ad Laudes matutinas.

In minoribus feſtivitatibus ad Veſperam quinque candelæ accendi debent: ad Matutinum tres circa Pſalm. *Venite.* Ad Cantica augmentandæ ſunt cum duabus candelis. Ad Miſſam ut ad Cantica.

In maiori pleno officio ad Veſperam tres candelæ accendi debent: ad Matutinum circa Pſalm. *Venite* duæ: ad Cantica una: ad ſummam Miſſam tres ſicut ad Laudes.

In anniverſario Regenberchti duæ candelæ accendantur, quando *Placebo* incipitur, & extinguuntur craſtino poſt matutinam Miſſam, quæ cantatur pro defunctis.

Ad quamlibet dedicationem, ſeu ad quodlibet

Digitized by Google

patrocinium ſummum altarium novi monaſterii poſt Completorium una candela accendatur, & incenſa maneat uſque craſtino.

In die Purificationis B. Mariæ V. Secretarius provideat de una magna candela, quam ponat in medio graduum, & primo inter alias in benedicendo incendatur, quando canitur ant. *Venit lumen tuum.* Et talis candela ardeat viva uſque craſtino poſt Miſſam S. Blaſii. Si vero placuerit Secretario, poteſt aliam candelam ardentem Conventu abſente ponere ad parcendum dictæ candelæ. Eadem vero candela reſervetur, & quando intempeſtas fuerit, illuminetur circumquaque cum ea. Item in agonizatione Fratrum miniſtretur; & quando opus fuerit, Secretarius aminiſtret eandem candelam ſingulis Converſis. Et nuncupatur candela clauſtralis. Abbas etiam die præſcripto tenetur candelam eodem in loco unacum clauſtrali candela habere, prout ex dignitate ſibi decuerit, quæ ſimul & ſemel accendantur ad ant. *Venit lumen*, & ardeat uſque craſtino S. Blaſii poſt Miſſam. Et quidquid de tali candela ſuperfuerit, detur ad curiam Dni.

Quando preces ad Veſperas & Laudes omittantur.

In ſummis feſtivitatibus omnibus non leguntur preces ad Veſperam & ad Laudes, ſed mox poſt evangelicam antiphonam dicat Sacerdos *Dominus vobiscum. Oremus.* præter in feſto omnium Sanctorum, in quo legendæ ſunt preces propriæ: ſcilicet, *Poſt partum Virgo: In conſpectu angelorum.* &c.

De morte & ſepultura Abbatis.

Ordinarius vult, quod Abbas die noctuque ſolus nunquam exiſtat. Cæterum quando Abbas infirmatur, Conventus debet ſibi adaptare confidentiſſimas perſonas, quæ poſt mortem Abbatis diligenter cuſtodiant, & reſpondeant de ſingulis. Et quam cito moritur, mox eius mors Conventui intimetur. Et ſi mors Abbatis non fuerit ſubitanea, tunc totalis Conventus ſit in ipſius agonizatione legendo Paſſiones, letanias, & alias deprecatorias orationes. Et poſtquam exſpiravit, & pabulum mortis guſtavit, tunc præpropere tradatur feretro, & deportetur ad capellam S. Virginis glorioſæ, & ibi *Salve Regina* cantetur, & proceſſionaliter cum ſingulis pertinentiis deportetur ad chorum novi monaſterii, & ibi in medio chori ponatur, & agantur omnia cum pulſatione, oratione, vigiliis, & aliis ſicut Sacerdoti, & ut præſcriptum eſt. Hoc tamen proviſo, quod quacunque hora moritur, per integrum diem & noctem ſuper terram ſervetur, & ſi placuerit Conventui, poſſunt coopertorium de ſarcophago recipere, ut populus attente reſpiciat, quod nullus ſit machinatus in mortem ipſius, ut actum fuit S. Gallo atteſtante A. *Aperiens Ioannes ſarcophagum* &c.

De Sepultura eius, qui in infirmaria moritur.

Si aliquis e Fratribus infirmatur, Prior clauſtralis audiat confeſſionem ipſius, ſed Cantor communicet, & ungat eum, & omnis Conventus interſit. Quando vero aliquis de Fratribus, ſive ſint profeſſi, ſive non, in infirmaria moritur, & feretro ſuperponitur, percutienda eſt tabula a Priore ante capellam B. Virginis. Tunc Conventus communiter conveniat, & dicat Prior, *Requieſcat in pace.* Et mox Cantor imponat ant. *In paradiſum*, & Conventus concorditer ſubſequatur, & legant pſalmum *Ad te levavi.* Item ant. *Tu iuſſiſti.* Pſ. *Te decet.* Et ſic fiat proceſſio ſolita cum cruce, thuribulo, aqua benedicta & candelis ad Capellam B. Mariæ V. cum his pſalmis. Quibus finitis Sacerdos indirectum dicat Collectam: *Obſecramus miſericordiam tuam.* Qua finita Cantor incipiat ant. *Salve Regina.* Qua cantata præſente funere Sacerdos ſtola indutus ſubiungat, *Poſt partum Virgo.* cum Collecta de B. Virgine. Deinde incipiantur Vigiliæ mortuorum: *Verba mea auribus*, cum reliquis, & proceſſionaliter eant cum funere ad monaſterium in abſidem ante altare S. Nicolai, & prius pulſetur cum omnibus campanis tam in choro, quam in angulari. Prædictum vero funus ibidem locetur cum duabus candelis, una ad caput, alia ad pedes funeris poſitis. Et, ſi Sacerdos eſt, Sacerdotes deferant illud, Diaconi Diaconem, Scholares Scholarem, Converſi Converſum; finitaque Vigilia, Laudibus, & Veſpera mortuorum legantur ibidem pſalmi *Miſerere* & *Placebo.* Poſtea liber pſalterii a Conventu legatur in banccis Converſorum penes funus, ita quod unus de Pressbyteris, ille qui eſt iunior cæteris, cum Diacone & duobus Scholaribus perſolvat unum pſalterium, deinde iterum alii quatuor ſubſequantur perlegendo pſalterium, procedendo ſic de uno Conventuali ad alium, donec ſinguli Conventuales perſolvant pſalterium. Et ſi de Fratribus non fuerint tanti, quod ſufficiat unicuique Sacerdoti unum pſalterium, tunc iterato a primo Sacerdote, deinde de aliis tale pſalterium reincipiatur,

Digitized by Google

tur, & ſine intermiſſione legatur die noctuque uſque ad Miſſam, quæ cantatur pro anima ipſius defuncti. Et omnes Converſi veteris ſeu novi monaſterii, nec non Præbendarii domus hoſpitalis quilibet eorum debet intereſſe prædictis in legendo pſalterium, & vigilare circa funus, & orare dominicam orationem. Si autem aliquis Fratrum moritur in infirmaria de mane, & tempus ſufficiens reſtat celebrare Miſſam, Prior procuret, ut unus Fratrum exſpectet, qui pro funere Miſſam celebret in altari S. Nicolai, & ſingula agantur, ut ſupra ſcriptum eſt. Poſt elevationem prænotatæ Miſſæ pulſetur tribus vicibus in choro cum maxima campana, & *Placebo* prætermittatur. Secretarius det cunctis candelam, quas ardentes deferant ad ſepulchrum, & ordo ſervetur, ut in obſequiali continetur, & medio tempore ad proceſſionem pulſentur omnes campanæ tam in choro quam in angulari. Et ſi funus fuerit de numero Profeſſorum, tunc de cœmiterio Dominorum itur per capellam B. Virginis cum VII. pſalmis pœnitentialibus redeundo ad chorum novi monaſterii, & ibi legant uſque ad finem: In fine vero dicatur: *Requiem æternam. Pater noſter. A porta inferi. Oremus. Deus veniæ largitor & humanæ ſalutis.* Et tunc in proximo capitulo Prior recommendet animam ipſius defuncti ſingulis Fratribus, ut pro eo orent. Item *Voce mea* legatur triginta diebus ad Horas, & ſi feſta hoc præpediunt, poſtea reliquis in diebus compleatur. Similiter per easdem triginta dies aminiſtretur defuncti præbenda in prandio, in pane, in vino, & piſcibus, atque aliis delicatis, ſicut cæteris Fratribus, de coquina magna; & poſt prandium talis præbenda detur præbendariis ad hoſpitale, & Fratres proxima Feria VI. poſtquam profeſſus ſepultus fuerit, abſtineant. Per eosdem triginta dies quotidie celebretur Miſſa in capella S. Mariæ pro defuncto, nullo feſto impediente. Quodſi etiam depoſitio alicuius Fratris vel aliquorum Fratrum evenerit infra aliquam Trigentenam nobis conſuetam, celebretur primo Trigentena nuper defuncti; qua completa celebretur Trigentena poſt hunc defuncti, deinde compleatur Trigentena anniverſaria.

De ſepultura Converſi, qui in veteri Monaſterio mortuus.

Quando aliquis infirmatur in domo Converſorum veteris monaſterii, tunc Prior eorum audiat confeſſionem eius; Illi duo Sacerdotes autem illius monaſterii, ſimiliter Cantor & Prior clauſtralis debent ipſum inungere: &, ſi moritur, Converſi veteris monaſterii debent ipſum præparare ſuper feretrum, & deferant eum ad monaſterium vetus, & locetur ante chorum præpoſitis cruce, aqua benedicta, & duabus candelis, una ad caput, & alia circa pedes, quas candelas Secretarius aminiſtret, &, ſi opus fuerit, det plura lumina. Item ſinguli Converſi ibidem & Præbendarii in hoſpitali debent funeri invigilare. Et ſi nimis pauci de Converſis fuerint, Camerarius procuret de famulis clauſtri, quos voluerit, tot, quot ſufficiunt ad vigilandum. Funus autem maneat in tali loco, donec totalis Conventus recipiat eum cum Antiphona *In Paradiſum.* & Pſ. *Ad te Domine levavi.* Ant. *Tu iuſſiſti.* Pſ. *Te decet:* Deinde Vigiliæ mortuorum cum *Miſerere* & *Placebo*, & ſic portetur proceſſionaliter etiam ante Altare S. Nicolai, & agatur cum candelis & pulſatione, ut præſcriptum eſt. Sed Proceſſio cum Pſalmis pœnitentialibus non fiat poſt ſepulturam eius ad Capellam B. Virginis, ſed cui libet, poteſt ire.

Quomodo Anniverſaria & Vigiliæ mortuorum peragendæ.

In anniverſario vel obſequio Epiſcopi vel Abbatis duo ex Diaconibus incipiunt Graduale *Si ambulem*, & cantent ℣. *Virga & baculus.* poſtea accedant duo Sacerdotes, & cantent Tractum, *De profundis.* Et ita attendendum, quod, quando Tractus cantatur, Graduale nunquam reincipiatur, & quando fit compulſatio ad unum Pſalmum, ſimpliciter agatur, & totus chorus ſimul cantet Graduale, & Tractum. Ad vigiliam autem mortuorum, quando fit compulſatio ad tres Pſalmos, duo Presbyteri cantent tertium Reſponſorium, quibus iniunxerit Cantor. Similiter fiat de VI. Reſponſorio: Nonum autem Reſponſorium cantent duo Cantores. Quando autem fit compulſatio ad duos Pſalmos, tertium Reſponſorium cantet unus Diaconus ſolus, ſimiliter & Sextum, Nonum autem duo Cantores. Similiter ad unum Pſalmum fiat.

In anniverſariis omnium animarum, Regemperchti, & aliorum quorumcunque, poſt officium defunctorum Sacerdos inofficians Miſſam & Converſus cum aqua benedicta, & duo Subdiacones miniſtrantes ſibi cum duabus candelis ardentibus, & Levita in Alba cum cruce antecedant eum, & ipſe ſimiliter Alba indutus cum thuribulo, & Cantor eant proceſſionaliter ad ſepulchrum, & ibi legant *Placebo.*

Officium etiam defunctorum provideat Cantor cantandum, quoties opportunum fuerit, ſive præſen-

Digitized by Google

ſentibus funeribus, ſive in anniverſariis, ſive quando perſonæ extraneæ nobis denuntiantur defunctæ. Quandocunque autem habemus privatos dies, ſi non ſint in craſtinum XII. lectiones, legimus ad Veſperam vigiliam mortuorum, id eſt *Placebo*, & Laudes, id eſt, *Miſerere* cum Collectis competentibus.

In natali porro SS. Innocentum poſt Veſperam tria lumina accendantur, & fiat compulſatio ſignorum pro anniverſario Regenberchti Fundatoris loci iſtius. Pueri incipiant ant. ſuper Pſ. *Dilexi*, & cantentur Veſperæ, omnibus interim ſtantibus, & ſignis crepantibus, uſque dum puer incipiat antiphonam *Omne quod dat.* Abbas, ſi præſens eſt, dicat Collectam *Deus indulgentiarum* ſolam. Ad ſepulchrum agitur viſitatio ad Veſperam & ad Matutinum. Verſus *Libera.* Poſt Completorium ponat Cuſtos duos cereos ad tumulum eius tota nocte arſuros. Ad Matutinas Laudes dicto Matutino de omnibus Sanctis pulſentur ſigna ad tres Pſalmos, & cantetur Vigilia, quam non omittimus, etiamſi ſit Dominica dies. Tres candelæ in gradibus accendantur. III. & VI. & IX. Reſponſorium duo cantent. Oratio, *Deus indulgentiarum* ſola, & ad *Miſerere mei Deus* ſimiliter. Poſt *Miſerere mei Deus* dicatur *Verba mea. Domine exaudi*, ſolito more. Miſſa matutina in churo de anniverſario, & poſt Miſſam fiat Proceſſio ad ſepulchrum Regenberchti cum *Placebo*, ſine Antiphonis & Reſponſoriis.

De Trigentenis pro defunctis.

Tres in anno Trigentenas agimus, id eſt, nonaginta Miſſas cum totidem vigiliis pro omnibus parentibus, amicis, familiaribus, & Fratribus noſtris, eritque harum Trigentenarum ratio, ut oratio iſta, *Deus cui proprium eſt miſereri, & peccantes exaudire*, tam ad Miſſam quam ad Vigilias, Laudes, & Veſperas dicatur, nec propter aliquod anniverſarium quodvis celebre dimittatur. Nec tamen primo loco dicitur hæc oratio, ſed ſemper ſecundo aut tertio, quia ſecundum antiquam conſuetudinem orationes quinque ad officium mortuorum dicere ſolemus. Prima Trigentena eſt ab octava S. Stephani uſque ad cathedram S. Petri. Secunda ab octava Pentecoſtes uſque ad vincula S. Petri. Tertia a feſto Omnium Sanctorum uſque ad Vigilias Nativitatis Domini Notandum etiam, quando Trigentenam agimus, in qua legimus *Voce mea*, & canimus *Domine Ieſu Chriſte*, quidquid in feſtivitatibus omittitur, poſtea reliquis diebus adimpleatur.

Commemoratio pro defunctis qualiter in Capitulo pronuntianda.

Poſt Capitulum omnibus in unum congregatis Ebdomadarius memoriam defunctorum, quorum eo die in precibus meminiſſe oportet, ita pronuntiabit.

Gedenkent der ſelen, der iarzeit huit vallet, oder keinet tagi dirre wuchen. Gedenkent unſerer herren der Æpten N.... Gedenkent unſerer herren der Prieſteren N.... Gedenkent unſrer ungelerten herrn N.... Gedenkent unſer herren, der Frowwen und der bruoder, wa ſi verſcheiden ſigen in der gehorſamy des guoten herren ſant Bleſy, et ſi hie, ze Berow, ze Wiſſlikon, ze Wittnow, ze Buirglon, ze Zitzenkilch, ze Guotnow, ze Schœnow, oder ze Todnow. Gedenkent der bruoder im ſpital N. . . Gedenkent der Gotzhus diener N. . . . . Gedenkent unſer Knechten N. . . Gedenkent aller Gotzhus Lüten. Gedenkent aller die dem Gotzhus mit trüwen und mit warheit bi ſigend geſtanden untz uff ir ende. Gedenket aller der, die ditz Gotzhus oder dehein unſer Gotzhus, das dem guoten herren ſant Bleſin undertennig iſt, geſtiſt oder geſtüret hant mit ir eigen oder varende guot, der välle oder erbe uns worden ſy, der name an unſren buochen verſcriben ſtant, der lichnam ruowe in unſren Kilchoffen, ald in keinem gewichten Kilchoff. Gedenkend aller gelöwbigen ſelen, und bittent unſren Herren, wa die ſelen in nöiten oder in arbeiten ſigen, das ers daruſſ geruoch erlöiſen, und in geb die ewigen fröid, und die ewigen ruowe amen. daruber ſprech ürer ieglicher den Pſalmen De profundis *in der ſtillen Meeſſe; der das nit könne, der ſprech ein* Pater noſter.

De his, qui petunt conſortium Fraternitatis noſtræ.

Quicunque petit conſortium fraternitatis debet tenere librum hunc ambabus manibus, flexis genibus, dicente Abbate & cæteris Fratribus antiphon. *Suſcepimus Deus.* Pſ. *Ecce quam bonum.* Oratio. *Suſcipiat te Dominus noſter Ieſus Chriſtus in conſortium electorum ſuorum, & nos ſuſcipimus te in nomine ipſius edoctis mentibus monitis eius in manus, & in orationes, & in conſortium veræ fraternitatis & charitatis, ut ipſe corda noſtra, & mentes noſtras in ſervitio ſuo unanimes faciat, qui nos ad hunc diem conceſſit pervenire incolumes. Qui cum Patre & Spiritu ſancto &c.* Hic proſternat ſe contra orientem, id eſt, Chriſtum, & dicatur Pſ. *Miſerere mei Deus. Kyrie eleiſon. Chriſte*

Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos inducas &c. Preces *Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei auxilium de ſancto. Eſto ei Domine turris fortitudinis. Domine exaudi Orationem. Dominus vobiſcum* Oratio. *Domine Deus Patrum noſtrorum, qui dixiſti, ubi fuerint congregati in nomine meo duo vel tres, ibi in medio eorum ſum, tu hodie medius noſtrum eſſe digneris, & huic ſocietati noſtræ manum miſericordiæ tuæ impende, ut per te vera & ſtabilis in bono noſtra devotio perſeveret, & tuis mandatis obedientes, & pro invicem orantes, te gubernante, corde mereamur ſalvari & corpore, & ad æternam beatitudinem valeamus pervenire, Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Hic erigat ſe proſtratus, & ſtans iterum librum teneat ambabus manibus dicente Prælato & aliis audientibus *Nos damus vobis Fraternitatem, ut participes ſitis totius fraternitatis boni, quod proferimus vigilando, orando, & legendo.*

Quando Conventus ſuper genua in choro procumbere ſoleat.

In Adventu & in Quadrageſima, a capite ieiunii inchoando, quando in privatis fuerit, Domini, id eſt, Conventus ad omnes Horas procumbant ad preces ſuper formas: ſcholares vero proſternantur in choro procumbentes ſuper genua & cubitos. Eodem modo fiat ad Letaniam, quando legitur poſt VII. pſalmos. Et quando proſtrati leguntur, totus Conventus procumbat ſuper genua & cubitos in medio choro ad omnes Horas. Item per circulum anni, quando legitur Letania, Domini procumbant ſuper formas; ſcholares autem proſternantur ante principale altare, ut ſupra ſcriptum eſt.

De Mandato Fratrum in Sabbato.

Notandum, quod ſolemus facere mandatum in Sabbato ante collationem, niſi ſit in ipſa die, ſive in craſtinum ſumma feſtivitas, hoc modo. Cum Conventus congregatus fuerit in Capitulum, Incipiat Cantor, *Mandatum novum do vobis*, Mox exeant quatuor Fratres; duo, qui miniſtrent aquam ad pedes, & duo, qui ſint linteis præcincti, ad tergendum eos. His peractis exeant, & remotis illis, ſcilicet aqua & linteo, accipiant recentia ad lavandas manus, & mappas ad tergendas eas. Interim incipiat Cantor ad cantandum de mandato, quod voluerit: Frater autem, cui commiſſum fuerit, debet ad hoc officium omnia procurare. His peractis legat Lector ad collationem. Benedictio ſuper Lectorem eſt hæc. *Angelorum cuſtodia muniat nos divina miſericordia.* & *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio S. Spiritus ſit cum omnibus nobis. Tu autem &c.* Finita Lectione dicat Prior, *Adiutorium noſtrum in nomine Domini*, & eant ad Completorium. In Quadrageſima autem poſt mandatum de lectione pauca fiant in Capitulo. Interim percutiatur cymbalum ante refectorium. Tunc Conventus eat in refectorium. Intrantibus illis Lector eat ad ſedem, quæ eſt ad analogium, & ſedens legat uſque ad placitum Prioris. Lector incipiat in illo loco, quo in Capitulo terminum fecit. Interim miniſtretur ſcholaribus vinum. His peractis reſurgat Prior dicendo, *Adiutorium noſtrum*, eantque in Completorium.

De Mandato pauperum.

Sciendum, quod a capite ieiunii, id eſt, a Feria IV. uſque ad feſtum Apoſtolorum Simonis & Iudæ ſingulis diebus poſt prandium debemus viſitare pauperes. Dominicis vero diebus Quadrageſimalibus fiat viſitatio pauperum poſt Tertiam, ita quod ſervetur iſte modus, quod ſit ibi Sacerdos, Diaconus, & duo de ſcholaribus & Converſis, & eant per oſtium clauſtri ad locum deputatum pauperibus, & legatur in exitu earum Pſ. *Miſerere.* Deinde Sacerdos incipiat, *Mandatum novum do vobis*, cum reliquis Antiphonis, quæ leguntur ab omnibus. Medio tempore pedes pauperum laventur. Poſt ablutionem Sacerdos lavet manus ſuas, & miniſtretur pauperibus aqua, ut etiam manus lavent. Poſt hoc ſumat Sacerdos panes, & dicat, *Benedicite*, & reſpondeat *Dominus*, & etiam dicat Verſum, *Cibo ſpirituali reficiat vos omnipotens Deus. Amen.* Et ſic diſtribuat panes. Poſtea Sacerdos dicat preces. *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter Et ne nos.* ℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Tu mandaſti mandata tua. Dominus vobiſcum.* Oremus. *Adeſto Domine officio noſtræ ſervitutis. Qua ipſe præſtare digneris.* Et tunc fiat genuflexio ab omnibus. In redeundo in chorum legant Pſ. *Miſerere. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.* Et ſic fiant genuflexiones ab eis, ita, quod ſcholares genuflectant ſe ante gradum, & reliqui in ſedilibus ſcholarium. Et legantur ibi preces, ℣. *Domine non ſecundum peccata.*

Digitized by Google

peccata. ℣. *Et veniat ſuper nos miſericordia tua.* Oremus. *Abſolve quæſumus actiones noſtras.* In ſummis autem feſtivitatibus non fiat lotio pedum, ſed ſolum diſtributio panis. Poſt feſtum vero Simonis & Iudæ, id eſt, a V. Kalendas Novembris, ceſſabit mandatum pauperum uſque ad caput ieiunii.

Et notandum, quod quando Conventus in refectorio comedit cum lectione, quidquid ibi ſuperfuerit ſive in panibus, ſive in pulmentariis, ad hoſpitale debet dari addendo duos panes præbendarios, & tres panes ſiliginis, qui vulgariter nuncupantur Weggen, ad mandatum pauperum. Si autem prandent in infirmaria cum lectione, eodem modo fiat, ut dictum eſt. Et poſt prandium eant quoque ad mandatum perficiendum ſecundum informationem Ordinarii, videlicet Presbyter & Diaconus cum duobus ſcholaribus & Fratre uno Converſo; & hoc cottidie fiat poſt prandium, exceptis ſex Dominicis in Quadrageſima, in quibus fieri debet poſt Cœnam. Cum Conventus cœnaverit in refectorio, quidquid eis ſupererit, pauperibus prius diſtribuatur.

In Cœna Domini poſt Sextam Prior, Cellerarius, Cantor ſeu Camerarius ordinet XXIV. pauperes, qui ſedeant in ambitu immediate poſt prandium. Poſt prandium veniat Domnus Abbas ad ambitum penes ianuam clauſtralem, & Prior cum quibusdam Fratribus, & ibi Cantor procuret, quod ibidem in ambitu ſint, & ſedeant ſolum illi XXIV. pauperes, & non plures. Servus autem domus lavatorii præparatam habeat aquam calidam, & lintea, & paraſpides pro lotione & terſione pedum ſeu manuum. Camerarius procuret, ut ibidem ſint duo picarii cum vino. Et poſt hinc Cantor incipiat ant. *Dominus Ieſus poſtquam cœnavit.* Et ſtatim fiat genuflexio ab omnibus, & medio tempore laventur pedes pauperum. Poſt dictam antiphonam & verſum *Deus miſereatur*, Prior percutiat tabulam & dicat, *Benedicite*, & reſpondeant *amen.* Tunc Domnus Abbas dicat ℣. *Potum ſervorum ſuorum dignetur Dominus benedicere.* Et ſtatim incipiat Cantor ℟. *Acceſſit ad pedes Ieſu.* Et tunc potus detur pauperibus. Poſt Reſponſorium Cantor incipiat ℣. *Dimiſſa ſunt ei.* Et Cellerarius det pauperibus pecuniam, cuilibet XV. denarios uſuales; erunt XXX. ſolidi. Poſtquam verſus finietur, repetitio Reſponſorii repetatur, & iterum potio aminiſtretur pauperibus. His peractis dicat Cantor, *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos.* ℣. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.* ℣. *Tu mandaſti. Dominus vobiſcum.* Oremus. *Adeſto Domine officio noſtræ ſervitutis. Quæ ipſe praſtare digneris.* Et immediate fiat genuflexio ab omnibus, & incipiat Domnus Abbas Pſ. *Miſerere mei Deus*, & eant in chorum, & faciant, ut præſcriptum eſt.

Quando eundum ad laborem, & in æſtate cœnandum.

Ab octava Corporis Chriſti regularibus diebus, ſcilicet, quibus ad matutinum tantum unam lectionem legimus, poſt Capitulum dicat Prior Cantori, ut pronuntiet, quo eundum ſit, & quale opus ſit faciendum: Poſtea Prior tabulam percutiat. Dicto *benedicite* incipiat *Verba mea auribus.* Dicto *Verba mea* exeat clauſtralis Prior, deinde Conventus, deinde ſchola cum his Pſalmis ad clauſtralem ianuam, & ibi ſit ſilentium ab eis, & ibunt ad opus manuum, ut Cantor eis indixit in Capitulo. Prior autem cum Hebdomadario & reliquis duobus de ſenioribus Fratribus legat Pſalmos familiares, & vigiliam mortuorum; ut tempus tunc poſtulat. Revertentibus autem Fratribus de labore, & venientibus ad clauſtralem ianuam incipiat clauſtralis Prior Pſ. *Miſerere mei Deus*, & ibunt in clauſtrum, id eſt, in ambitum. Et finito Pſalmo dicat Lector *iube Domne benedicere*, benedictusque a Priore legat lectionem, ut ordinarius docet. Utrum autem ieiunandum ſit in tali die, vel ad cœnam cœnent Fratres, ſtet in arbitrio Abbatis, vel in diſcretione ſeniorum, ne fiat murmuratio inter Fratres propter Nonam, quæ cantatur ipſa die ante prandium.

A feſto autem S. Ioannis Baptiſtæ in regularibus diebus, quando unam lectionem legimus ad Matutinum, Nonam cantamus ante prandium, & de cœna etiam in arbitrio Abbatis ſtet uſque ad exaltationem S. Crucis. Cæteris autem diebus, in quibus duodecim lectiones vel tres lectiones ad Matutinum legimus, poſt Sextam debent refici Fratres, & ſit pulſatio Nonæ poſt meridiem, & ad cœnam cœnent. In Vigiliis autem ſcilicet in vigilia S. Ioannis Baptiſtæ, in vigilia SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, S. Iacobi, S. Laurentii, Aſſumptionis B. V. Mariæ, S. Bartholomæi, Nativitatis B. Mariæ V. ſi habent Fratres labores manuum in pratis, in campis, in agris, in rure vel alibi, utrum reficiantur ad prandium & ad cœnam cœnent, totum commiſſum eſt in arbitrio Abbatis, vel ſtet in diſcretione ſeniorum, quia dignus eſt operarius refectione ſua. (*In margine recentior manus ſequentia adiecit.*) Notandum

Digitized by Google

tandum quod ab octava Corporis Chriſti uſque ad nativitatem S. Ioannis Baptiſtæ eſt eundum ad laborem manuum, & deinceps non amplius per circulum anni. Si vero infra prædictum tempus evenerint exequiæ alicuius funeris celebrandæ eadem die neque ad laborem itur, neque Proceſſio agitur. Quando vero in diebus privatis proceſſio agitur, ad laborem manuum non itur; & econtra quando ad laborem itur, Proceſſio non agitur. Denique poſt exaltationem S. Crucis in privatis diebus cantetur Nona ante prandium.

(*Ex alio codice ſæculi XIV.*) Primo mane, ut citius poteſt, Prima ſonatur, ſicut docet Wipperchtus Abbas Fructuarienſis in ordinario *Capitulo LXXXII.* cui per omnia obtemperare debemus. Adveniente tempore Capituli ſonat Prior ſcillam, & veniente Priore vadunt ſeniores poſt eum, poſtea omnes ſicut ſolent, deinde ſchola, poſt omnes Lector Capituli. Finitis his, quæ in capitulo agenda ſunt, dicit Prior cantori, ut pronuntiet, quo ſit eundum, & quale opus ſit faciendum. Qui ſtatim inclinat ſe, & pronuntiat ea, quæ iniuncta ſunt ei a Domino Abbate. Poſtea Prior imperat eis, ut cum ſummo ſtudio ſilentium teneant, & cum devotione & gratiarum actione perficiant opus. Deinde Prior tabulam percutit, *Benedicite*, ut ſolet, dicit, & *Verba mea* incipit. Veniam non faciunt. Quod ſi Brevis nuper defuncti, vel anniverſarius Domini Abbatis noſtri, prius vadunt in Eccleſiam, & ſonantur ſigna. Si autem Brevis vel anniverſarius non ſunt pronuntiati, tali modo exeunt de capitulo. Primo Prior clauſtralis, poſtea pueri, deinde Conventus, Prior ſolus retro omnes. Deinde Prior & quatuor ſenes cum Ebdomadario maneant in clauſtro, id eſt, in ambitu prope ianuam monaſterii, & ſedeant ibi in ſcampnis duo cum Priore, reliqui ex parte alia, legantque quinque Pſalmos, ſcilicet *Verba mea*, cum quibus exierunt de Capitulo, poſtea legant, quod Priori placuerit, qui ibi ſedent. Cum vero Priori viſum fuerit, mittat unum ex his, qui ſecum, ſederint, ad clauſtralem Priorem, ut Conventus redeat; Cumque venerint ad portam, incipit Prior clauſtralis Pſalmum *Miſerere mei Deus*, & ſic intrant clauſtrum, id eſt ambitum. Primo ſeniores, deinde pueri, poſtea Converſi, qui ſunt extra clauſtrum. Finito Pſalmo *Miſerere* vertunt ſe omnes ad orientem, & tunc dicit Prior verſum: *Benedictus es Domine Deus meus, quia adiuviſti me, & conſolatus es me*, ante & retro ad ipſum omnes faciunt. Dicit namque Prior ter ipſum verſum, & cæteri reſpondent, & ſtant verſi ad orientem & erecti. Dum autem *Gloria* incipiunt poſt trinam vicem, tunc vertunt ſe ad alios & inclinant ſe, & dicunt *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon*, & *Pater noſter*. & *adiutorium noſtrum.* Tunc acclinant ſe & ita ſtant uſque dum dicit Prior, *Adiutorium noſtrum in nomine Domini*, & dicente, ante & retro faciunt, ipſe & omnes poſtea ſedent. Et Puer, qui ad ſcillam ſtat, lectionem legit de vitis Patrum, ſi bene ſcit legere, & debet eſſe talis, unde exemplum poſſit trahi. Nam proſpicit eam ad Miſſam materiam, & venientibus in Capitulum ducit ſecum librum, & ponit intus capitulum ad oſtium, & ſtatim quando de labore veniunt, apprehendit librum, & dicto *Adiutorium*, & facto ante & retro *iube Domne benedicere* dicit cum licentia Prioris inclinato capite tantum, ſtatque verſus ad eum & tunc & quando legit, nec ſinit, dum ipſe præcipit. Finita lectione Prior *Benedicite* dicit, & pueris præcipit, ut abluere manus eant, &, dum ſe abluunt, dicit aliqua de ipſa lectione, ſi placet, non cum literis, ſed tantum verbis.

De Pſalmis familiaribus & proſtratis.

Pſalmi familiares in XII. lectionibus. *Levavi oculos. Deus in adiutorium. Domine exaudi. II.* Hi pſalmi legendi ſunt a natali Domini uſque in octavam S. Blaſii, & a ſancto Paſcha uſque in octavam Corporis Chriſti, & per octavam S. Iohannis Baptiſtæ, & per octavam Apoſtolorum Petri & Pauli, & per octavam S. Benedicti, atque per octavas B. V. Mariæ, ſcilicet aſſumptionis & Nativitatis, & in omnibus Dominicis diebus, abſque in Quadrageſima, & in omnibus diebus, quando habemus XII. lectiones per totum annum. preces autem poſt hos Pſalmos *Kyrie eleiſon. Pater noſter. Poſt partum Virgo. Domine non ſecundum peccata. Eſto nobis Domine turris.* Oratio. *Concede nos famulos tuos quæſumus Domine Deus perpetua mentis & corporis ſanitate.* Oratio. *Actiones noſtras.*

In ſummis & in maior maioribus feſtis non legitur *Deus auribus* ad Veſperas. In maioribus & minoribus feſtis, atque in XII. lectionibus, ſi in craſtinum non erunt XII. lectiones, legimus *Deus auribus*, & laudes mortuorum *Miſerere.*

Pſalmi familiares in Quadrageſima, quando habemus XII lectiones In prima Veſpera ſive ſit Sabbatum, ſive ſit dies alicuius Sancti, quem cum XII. lectionibus celebramus, poſt Primam Veſperam legendi ſunt Pſ. *Deus in nomine tuo.*

Digitized by Google

Deus in adiutorium. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Preces. *Oſtende nobis Domine. Domine non ſecundum peccata.* Oratio. *Deus qui errantibus. Actiones noſtras.* Poſt Matutinum in XII. lectionibus Pſ. *Deus in nomine tuo. Domine exaudi, II.* & ſi in craſtinum XII. lectiones non facimus, ſupra dictis pſalmis additur, *Ad Dominum cum tribularer. De profundis.* Poſtea *Requiem æternam dona eis Domine. Pater noſter. Domine non ſecundum. Oſtende nobis Domine. A porta inferi.* Oratio. *Deus qui errantibus. Actiones noſtras.* Ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam in XII. lectionibus. *Levavi oculos. Deus in nomine tuo. Deus in adiutorium. Miſerere mei. Kyrie eleiſon. Pater noſter.* Preces, *Poſt partum Virgo. Oſtende nobis Domine. Non ſecundum.* Oratio. *Concede quæſumus. Deus qui errantibus. Actiones noſtras.* Et ſi in craſtinum non habemus XII. lectiones, additur ſupradictis Pſ. *Ad Dominum cum tribularer. De profundis.* Cap. *A porta inferi.* & in fine *Requieſcant in pace.* In ſecunda Veſpera Pſ. *Deus in nomine. Deus in adiutorium* ut ſupra ſcriptum eſt. Sic fiat in Sabbatis & Dominicis diebus uſque ad Veſperam Palmarum, eademque die fiat. Item in Dominicis diebus poſt Cœnam legitur, *Deus auribus* cum reliquis: In privatis autem diebus, ſi in craſtinum non habemus XII. lectiones, legitur poſt prandium cum reliquis. Per totum autem annum, cum in craſtinum non habemus XII. lectiones, legitur ad Veſperam, ut ordinarius docet.

In privatis diebus pſalmi familiares ad Nocturnos Pſ. *Levavi. Domine ne in furore. Exaudiat te Dominus.* In Quadrageſima. *Iudica me Dne. Deus in adiutorium. Domine ſalvos fac Reges. Salvos fac ſervos & ancillas tuas. Domine non ſecundum peccata noſtra.* Oratio. *Famulos & famulas tuas. Actiones noſtras.* Poſt Matutinum de omnibus Sanctis pſalmi familiares. *Domine exaudi. II. De profundis.* Preces. *Ne tradas Dne beſtiis animas confitentes tibi. Eſto nobis Dne turris fortitudinis. A porta inferi.* Oratio. *Abſolve quæſumus Domine noſtrorum vincula peccatorum.* Privatis diebus ad Primam pſalmi familiares, *Domine ne in furore. Ad te levavi. Deus in adiutorium. Deus in nomine. Miſerere mei Deus. De profundis.* Hic ordo ſervandus eſt in Quadrageſima, quia tunc ſubtrahitur iſte pſalmus *Levavi oculos*, eo quod legitur ad proſtratum: ſed per circulum anni incipimus *Levavi oculos meos*, ſicut in cæteris Horis diurnis. Preces, *Poſt partum Virgo. Domine ſalvos fac Reges. Salvos fac ſervos tuos & ancillas. Domine non ſecundum peccata noſtra. A porta inferi.* Oratio. *Concede nos famulos. Da famulis tuis. Actiones.* Pro defunctis, *Annue nobis Domine.* Poſt Primam legendæ ſunt pœnitentiales, id eſt, ſeptem pſalmi. A capite ieiunii uſque in vigiliam Paſchæ ad Letaniam etiam coniungitur iſte pſalmus familiaris, *In te Domine ſperavi.* Poſt Tertiam pſalmi familiares. *Levavi oculos meos. Miſerere mei Deus. Miſerere mei. Uſquequo Dne obliviſceris. Deus in adiutorium.* Preces. *Poſt partum Virgo. Domine ſalvos fac Reges. Salvos fac ſervos & ancillas. Domine non ſecundum.* Oratio. *Concede nos famulos tuos. Gratia tua. Actiones noſtras.* Poſt Sextam pſalmi familiares. *Levavi oculos meos. Dne exaudi. I. Deus miſereatur. Deus in adiutorium.* Preces. *Poſt partum Virgo.* &c. ut ſupra. Oratio. *Concede nos famulos tuos. Famulos & famulas tuas. Actiones.* Poſt Nonam pſalmi familiares. *Levavi oculos meos. De profundis. Qui regis Iſrael. Deus in adiutorium.* Preces ut ſupra. Oratio. *Concede nos famulos. Prætende Domine. Actiones.* Ad Veſperam pſalmi familiares. *Deus auribus. Deus venerunt. Deus ultionum. Pater noſter. Domine refugium. Dne exaudi. II.* Preces *Oſtende nobis Domine. Domine ſalvos fac reges. Salvos fac ſervos. Fiat pax in virtute tua. A porta inferi.* Oratio. *Deus a quo ſancta.* &c. quæ ſequuntur, ut Ordo docet.

Pſalmi qui legendi ſunt in privatis diebus ad Nocturnos. Pſ. *Miſerere mei Deus.* Ad Laudes *Miſerere mei. Beati quorum. Inclina* Ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam in privatis diebus legendus eſt Pſ. *Miſerere mei Deus* ſolus cum precibus. Ad Veſperas autem *Miſerere mei Deus. Dne exaudi. II. Benedixiſti Domine.* Ad Completorium Pſ. *Miſerere mei Deus. Deus in adiutorium. Levavi oculos meos.*

Pſalmi poſt Capitulum & Matutinum. *Verba mea auribus. Domine ne in furore. Dilexi. Credidi. De profundis. ℣. Requiem æternam. Pater noſter. A porta inferi.* Collecta *Abſolve Domine animas.* Poſt Matutinum *Dne exaudi. II.* Preces. *Ne tradas Domine beſtiis. Eſto nobis Domine. A porta inferi.* Oratio *Abſolve quæſumus Domine.* Hic modus tenendus eſt, cum in craſtinum habemus XII. lectiones.

Pſalmi proſtrati a capite ieiunii uſque ad Cœnam Domini in privatis diebus legendi. Poſt Matutinum *Domine ne in furore. Uſquequo Domine. Ad Dominum cum tribularer.* Preces. *Oſtende nobis*

Digitized by Google

nobis Domine miſericordiam tuam. Oratio. *Ut tuam Domine.* Poſt Primam pſalmi proſtrati. *Beati quorum. Levavi oculos meos.* Preces. *Domine ne memineris.* Oratio. *Redemptor noſter aſpice Deus.* Poſt Tertiam pſalmi proſtrati, *Domine ne in furore. II. Lætatus ſum.* Preces *Adiuva nos Deus ſalutaris noſter.* Oratio *Præſta quæſumus miſericors Deus.* Poſt Sextam pſalmi proſtrati *Miſerere mei Deus.* Preces. *Exurge Domine adiuva nos.* Oratio. *Fac nos quæſumus Domine.* Poſt Nonam pſalmi proſtrati *Domine exaudi. II. Niſi quia Dnus erat.* Preces. *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.* Oratio. *Aſcendant ad te Domine preces noſtræ.* Poſt Veſperam pſalmi proſtrati. *Qui confidunt. In convertendo Dominus. De profundis. Domine clamavi. Domine exaudi. II.* Preces. *Memento noſtri Dne in beneplacito populi tui.* Oratio. *Tuere nos Domine.*

In ſummis autem, & maior maioribus feſtivitatibus non debent legi pſalmi familiares ad Horas, ſed Verſus *Domine Ieſu Chriſte* cantetur: nec *Deus auribus* ad Veſperam, quia etiam ſunt pſalmi familiares.

De Fratribus in viam dirigendis, & revertentibus.

Fratres dirigendi in viam primo veniant in chorum, & ante gradus flectant, & legant Pſ. *Levavi. Gloria Patri. Kyrie eleiſon. Pater noſter.* Tunc benedicat eos Sacerdos dicens *Salvos fac ſervos tuos. Vias tuas Domine demonſtra eis.* Oratio. *Adeſto Domine ſupplicationibus noſtris.* Similiter fiat de revertentibus. Primo veniant in chorum, & ante gradus flectant genua ſua, & legant Pſ. *Ad te levavi. Gloria Patri. Kyrie eleiſon. Pater noſter.* Tunc benedicat eos Sacerdos dicens. *Salvos fac ſervos tuos. Convertere Domine uſquequo.* Oratio. *Quæſumus omnipotens Deus, ut his famulis.*

Benedictio Lectoris.

In Dominica die poſt ſummam Miſſam ſtet inclinatus ante gradus in choro, & dicat tribus vicibus hunc Verſum, *Domine labia mea aperies*, & chorus reſpondeat eundem Verſum toties, deinde dicat Sacerdos in altari has ſupplicationes. *Salvum fac ſervum tuum. Mitte ei auxilium. Dominus cuſtodiat te ab omni malo. Dominus cuſtodiat introitum tuum & exitum tuum, & auferat a te ſpiritum elationis. Amen.*

Benedictio vero ſuper lectorem in Capitulo. *Æterna Dei ſapientia illuminare dignetur corda & corpora noſtra.* Benedictio ad Capitulum. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Iſti & omnes Sancti intercedant pro nobis, ut mereamur adiuvari ab eo, qui vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Deus in adiutorium* ter dicatur. *Gloria Patri. Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos. Reſpice in ſervos tuos.* non dicitur Oremus. *Dirigere & ſanctificare. Adiutorium noſtrum.* In XII. lectionibus non dicitur *Deus in adiutorium*, ſed *Kyrie eleiſon* &c. per totum.

Benedictio Hebdomadarii coquinæ.

Hebdomadarii coquinæ primum ipſi dicant tribus vicibus hunc Verſum: *Benedictus es Domine Deus. ℣. Salvos fac ſervos tuos. Convertere Domine uſquequo. Dominus vobiſcum.* Oratio. *Deus cui humilium.* Sequitur benedictio ſuper hebdomadarios coquinæ, qui ingrediuntur: poſtea ipſi dicunt hunc Verſum tribus vicibus. *Deus in adiutorium.* Preces. *Salvos fac ſervos. Mitte eis Domine.* Oratio. *Miſericors ac piiſſime Deus.* In Dominica itaque poſt Matutinum Ebdomadarii coquinæ ſtantes ante gradum tribus vicibus dicant Verſum, & accepta benedictione per illam ſeptimanam miniſtrabunt menſæ in refectorio, & in Sabbato Mandatum faciunt Conventui. In ſequenti vero Dominica iterum poſt Matutinum ſtantes ante gradum trina vice dicant Verſum: *Benedictus es* &c. Et accepta benedictione procedant Ebdomadarii ſequentis ſeptimanæ petentes benedictionem per Verſum, *Domine labia mea aperies.* &c.

De Hebdomadario chori.

In dedicatione maioris Eccleſiæ in I. Veſpera Ebdomadarii ſtantes in utroque choro poſt Cap. *Vidi civitatem* incipiant in medio chori ℟. *Viſita quæſumus*, & cantent Verſum cum *Gloria*: cantent quoque *Benedicamus Domino*, tempore ſuo. Poſtea Ebdomadarius chori, in quo Verſus eſt, imponat omnes antiphonas de communi conſuetas. Si autem cantanda ſit aliqua antiphona de Dominica, vel de S. Verena, vel de S. Ægidio, illam imponat Cantor. Item duo Ebdomadarii ex utroque choro ad Matutinum cantent invitatorium, & adiungat eis Cantor tertium, ſive ille ſit Presbyter ſive Diaconus, & ille pareat eius iuſſioni, cui illud commiſerit, & ſi ſecus fecerit, in Capitulo emendetur. Duo Ebdomadarii cantent Reſponſorium ad Laudes, & *Benedicamus Domino.* Ad Primam quoque, ad Tertiam, ad Sextam ad Nonam imponat Ebdomadarius antiphonam.

Digitized by Google

phonam. In ſecundis autem Veſperis Ebdomadarius imponat ſuper pſalmos: reliquas vero antiphonas ſuper pſalmos Cantor committat imponendas: Ebdomadarii vero ſicut & in I. Veſperis cantent ℟. & *Benedicamus Domino.* Item Ebdomadarius chori, in quo Verſus eſt, incipiet omnes antiphonas de commemoratione: Cantor vero imponat antiphonam occurrentem eo tempore vel de Sanctis. Si autem evenerit, quod aliquis Ebdomadarius præſens non fuerit, vel non vociferatus, quod per ſe cantare non poſſit, procuret, ut alius pro eo cantet. Si autem hoc neglexerit, emendandus eſt. Conſimili modo fiat in feſto Sancti Ioannis Evangeliſtæ, & in feſto Sancti Blaſii, & in nativitate Chriſti, & in reſurrectione, & in Pentecoſte. Duo Cantores in vigilia & in die cantent Reſponſoria & benedicamina in albis & in cappis. Ipſi etiam per totum feſtum debent eſſe Ebdomadarii, videlicet per octo dies præcedentes, & per octavam ſequentem; & debet Cantor, qui tunc Ebdomadarius fuerit, imponere omnes Antiphonas ad Horas. Item ſi fuerit in ſummis, ut in Aſſumptione vel in Annuntiatione S. Mariæ, vel in feſto omnium Sanctorum, debent Ebdomadarii hoc expedire imponendo, ut prædictum eſt, vel antea committere imponenda Diaconibus, hoc tamen excepto, quod Ebdomadarius principaliter debet cantare Invitatorium cum duobus Diaconibus. Item quando fuerit maior maioribus, debent duo Diacones cantare Invitatorium, Cantorque adiunget eis tertium cum eis cantantem. Eodem modo ſi Diacones fuerint Ebdomadarii, debet eis Cantor tertium adiungere in cantando Invitatorio. Item ſi in feſto S. Blaſii, Dedicationis Eccleſiæ Diacones Ebdomadarii fuerint, uterque ipſorum in ſuo choro committat Presbytero ſupplere vices ſuas cantando Reſponſorium ad utramque Veſperam, & ad Laudes, nec non & in cæteris imponendis. Si quis autem hiis contradixerit, Diacones conquerantur Cantori, qui hæc manifeſtabit Priori, Priorque emendabit contradicentem. Merito enim Presbyteri quandoque ſupplebunt vices Diaconum, quando ipſi per circulum anni loco illorum imponunt.

De Hoſpitibus ſuſcipiendis.

Omnes ſupervenientes Hoſpites tanquam Chriſtus ſuſcipiantur. Sciendum eſt itaque, quando ſuſcipere debemus Epiſcopum vel Abbatem, ire debemus uſque ad curiam Abbatis vel extra, Abbati autem ſoli uſque ad fores Eccleſiæ. Si vero Rex ſupervenerit vel Dux, ire debemus uſque ad portam exteriorem. Hæc proceſſio tali modo fiat. Inprimis ſonetur ſignum maioris campanæ in choro; ibi veſtiant ſe Presbyteri Albis & Cappis, pueri ſuperpelliceis & tunicis. Et fiat iſta Proceſſio per omnia ſicut in ſummis feſtivitatibus cum reliquiis, candelis, & cæteris, & Domnus Abbas retro omnes cum baculo, vel ſi placet Abbati, Capellanus etiam portat baculum, ſi ſuſcipimus Abbatem, cui baculus eſt porrigendus. Si vero Rex eſt, aut Epiſcopus, aut Dux, Capellanus baculum non ferat. Aquam benedictam accipit de manu eius, qui eam portat, & ſuper hoſpitem ſpargit, quem recipit; deinde ſuper cæteros. Incenſum etiam mittit in thuribulum, priusquam exeant de choro, & incenſant Textum in loco, ubi ſuſcipit hoſpitem. Deinde dat incenſum illi, quem recipit: Poſt hæc accipit Textum, & porrigit ei ad oſculandum. Si Rex eſt, aut Dux & Epiſcopus cum illis, dat Domnus Abbas thuribulum & Textum Epiſcopo, & ipſe eis porrigit, ſimiliter & aquam benedictam. Interim ſonentur ſigna. Si omnes induti ſunt eant ad Proceſſionem ſine cantu cum ſilentio. Cum autem hoſpes ſupervenerit, & iam præſens extiterit, Domnus Abbas accedat ſalutando eum primo, & ſi laicus fuerit, porrigit illi pretioſam crucem: Si Epiſcopus vel Abbas fuerit, porrigat illi baculum paſtoralem: Si vero Regina vel Duciſſa fuerit, faciat eis genuflexionem. Si Rex eſt vel Dux ant. *Ecce advenit.* ℟. *Iuſtum deduxit Dominus.* Si Legatus fuerit a ſede Apoſtolica, aut Cardinalis, vel perſona honoris magni, cantetur ℟. *Te ſanctum Dominum.* Si Epiſcopus ℟. *Sint lumbi.* Si Abbas ℟. *Iuſtum deduxit Dominus.* Si Regina vel Duciſſa ℟. *Afferentur Regi.* Si Proceſſio nimis procul fuerit, & ſingula præſcripta cantata, poſſunt in redeundo tacere uſque ad atrium monaſterii, tum quidquid Cantori placuerit, cantet. Si Epiſcopus venerit imus ei obviam uſque in cœmiterium S. Stephani. Abbas ſuſcipiatur in atrio monaſterii, id eſt, in paradyſo, & mox imponat Cantor vel Ebdomadarius *Sacerdotes tui.* Si Rex eſt, *Domine ſalvum fac Regem.* Si Dux eſt, *Salvum fac ſervum tuum.* Si Regina eſt vel Duciſſa, *Salvam fac ancillam tuam. Mitte eis Domine* ad omnes. Oratio. *Omnipotens* &c. *famulo*, *famulæ*, *famulis.* Interim hoſpes cum devotione ſtet, ſi vult, in faldone, quem Secretarius præparatum debet habere. Exutis illis, qui induti fuerant, Prior & Conventus ſemper bini & bini procedant ad ſalutandum hoſpitem. Poſtea Abbas ducat eum ad Altare, ſi ei placet, & monſtrentur ei Reliquiæ Sanctorum.

His

Digitized by Google

His omnibus expletis ducat eum in domum ſuam, ibique exhibeatur ei omnis humanitas. Antiqua etiam conſuetudo eſt, quod poſt exuitionem veniat Domnus Abbas cum hoſpite & Conventu in Capitulum, & legitur coram illo lex divina, ſicut S. Benedictus præcipit. Item alia conſuetudo eſt, ut iſta lectio recitetur in choro, ſcilicet, quæ convenit dignitati uniuscuiusque hoſpitis, qui tunc ſuſcipitur. Cum autem legitur lectio, ſi Domnus Abbas ſedet, omnes ſedent, nulluſque ſe exuat ornamentis, uſque dum hoſpes ſalutatus fuerit. Finita lectione dicit Abbas *Benedicite*, Reſpondent *Dominus*.

Ritus varii.

Cuſtos & ſocii eius tribus vicibus in anno, id eſt, in natali Domini, & ad Paſcha, & in Pentecoſte eunt in domum infirmorum cum lucerna & aqua benedicta, & incenſo, deinde in dormitorium, poſtea in Cellarium, ad ultimum in refectorium, ubi daturus eſt eis Cellarius charitatem de optimo vino.

VII. Kalendas Aprilis, qui eſt dies S. Benedicti, debet dari Fratribus præbenda veſtitus æſtivalis, ſive ſint cucullæ, ſive tunicæ, ſeu aliæ veſtes, & debet eis inſerviri ad quemcunque locum ex obedientia deſtinati fuerint.

V. autem Kalendas Novembris debent miniſtrari Fratribus veſtes hyemales in quocunque loco ex obedientia exiſtant.

Præbendarii in hoſpitali exiſtentes, & eleemoſynas præſcriptas accipientes debent parare mattas, Camerario eis neceſſaria ad hoc miniſtrante, quas in vigilia Sanctorum omnium portant in chorum.

A feſto S. Michaelis uſque ad inventionem S. Crucis Scholares imponant cappas ad omnes Horas ſtando & ſedendo, & in Dominicis diebus ſimili modo fiat in conſecratione aquæ benedictæ.

Sciendum quod a feſto Martini uſque ad feſtum Palmarum Conventus imponant cappas, dum eunt cum cruce per ambitum. Et ſcholares poſt completorium imponant cappas, dum eunt in dormitorium, & ad Matutinum, & poſt Completorium eant in phyeſale ad calefaciendum ſe.

In privatis denique diebus, cum non fuerit infra aliquam octavam, vel infra nativitatem Chriſti, & Purificationem, ſeu Paſcha & Pentecoſten poſt Sextam pulſetur parva ſcilla, & deinde duo Scholarium, qui cantabant Sextam, exeuntes oratorium, cum venerint ad ambitum ante crucifixum, dicant alta voce *Benedicite*, & deinceps Conventui liceat habere colloquia in ambitu.

Sermones ad Collationem per circulum Anni.

In vigilia Natalis Domini ad collationem Sermo S. Leonis Papæ. *Si fideliter dilectiſſimi.*

In die Sancto ad collationem Sermo S. Maximi Epiſcopi. *Hodierni myſterii Sacramentum.*

In natali S. Stephani ad collationem Sermo S. Euſebii Epiſcopi, *Satis notum eſt.*

In natali S. Ioannis Evangeliſtæ ad collationem Sermo S. Iſidori Epiſcopi. *Iſte eſt Ioannes.*

In octava Domini Sermo Leonis Papæ. *Exultent ergo in laude Dei.* Require in parvo clypeo.

In Epiphania Domini Sermo *In hac diei dilectiſſimi celebritate.* Require in minori ſermocinario.

In natali S. Vincentii Sermo S. Auguſtini Epiſcopi. *In Paſſione, qua nobis.*

In Purificatione S. Mariæ Sermo S. Ambroſii Epiſcopi. *Et ecce homo erat.*

In natali S. Blaſii Sermo: *Quia hodie fratres Fratres chariſſimi.* Require in parvo clypeo.

In Annuntiatione B. V. Mariæ Sermo S. Auguſtini Epiſcopi. *Deſcendens Angelus de cælo.*

Dominica in Palmis Sermo S. Leonis Papæ. *Cum ergo Dominus.*

Feria II. poſt Palmos Sermo B. Leonis Papæ. *Deſiderata nobis.*

Feria III. poſt Palmos Sermo B. Leonis Papæ. *Sermonem dilectiſſimi.*

Feria IV. poſt Palmos Sermo B. Leonis Papæ. *Cum multis.*

In Cœna Domini ad collationem legitur Evangelium ſine Homilia . . In Capitulo primo Lector incipit, *Dominus vobiscum*, deinde Evangelium, *Ante diem feſtum.* In refectorio Lector incipiat iſtud Evangelium in hoc loco: *Amen amen dico vobis.* & legat in maiori tono.

Feria VI. in Paraſceve Sermo S. Auguſtini Epiſcopi. *Admonet nos Fratres.*

Sabbato ſancto Sermo S. Hieronymi Presbyteri. *Hodie populus Iſrael.*

In die S. Paſchæ Sermo S. Leonis Papæ. *Lux hodie clara.*

Feria II. Paſchæ Sermo S. Maximi Epiſcopi. *Exultandum nobis eſt.*

Feria III. Sermo S. Maximi Epiſcopi. *Non minus etiam nunc.*

In Aſcenſione Domini Sermo S. Leonis Papæ. *Poſt beata & glorioſa.*

In die S. Pentecoſtes Sermo B. Leonis Papæ. *Hodiernam ſolennitatem.*

In natali S. Ioannis Baptiſtæ Sermo B. Leonis Papæ.

Digitized by Google

Papæ. *In ſancti ac beatiſſimi Ioannis.* Require in magno ſermocinario.

In feſto Apoſtolorum Petri & Pauli Sermo S. Maximi Epiſcopi. *Beatiſſimorum Apoſtolorum.*

In feſto S. Laurentii Sermo B. Leonis. *Cum omnes beatos Martyres.*

In Aſſumptione S. Mariæ Sermo S. Auguſtini. *Celebritas hodierna diei.*

In feſto omnium Sanctorum ad Collationem Sermo. *Hodie dilectiſſimi.* Require in magno ſermocinario.

Lectiones ad menſam in diebus Dominicis & feſtis Domini.

Dominica IV. in adventu Domini legitur ad menſam Evangelium *Fuit Ioannes in deſerto.* Homilia Bedæ Presbyteri, *adventum dominicæ prædicationis.* Item ſermo S. Maximi Epiſcopi, *Igitur quoniam.* Item ſermo S. Fauſtini Epiſcopi, *Appropinquante iam.*

Dominica III. Evangelium *Erunt ſigna in Sole.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Dominus ac Redemptor noſter.* Item ſermo S. Maximi Epiſcopi. *In priori Dominica.* Item ſermo S. Auguſtini Epiſcopi. *Sanctam & deſiderabilem.*

Dominica II. ad menſam Evangelium, *Cum audiſſet Ioannes.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Quærendum nobis eſt.* Item ſermo S. Maximi Epiſcopi. *Qui ſunt in illa nocte.* Item ſermo eiusdem. *Satis abundeque.*

Infra hebdomadam Feria IV. ieiunii Evangelium *Miſſus eſt* Homilia lectionis eiusdem, *Exordium noſtræ redemptionis.*

Feria VI. Evangelium *Exurgens Maria.* Homilia lectionis eiusdem. *Lectio quam audivimus.*

Sabbato Evangelium *Anno quinto decimo.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Redemptoris Præcurſor.*

Dominica proxima Evangelium *Miſerunt Iudæi.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Ex huius nobis lectionis.* Item ſermo S. Maximi Epiſcopi. *Lætitia quanta ſit.*

Infra hebdomadam Ev. *Ioannes teſtimonium perhibuit.* Hom. Bedæ Presbyteri. *Redemptoris noſtri Præcurſor.*

In vigilia natalis Domini ſermo S. Auguſtini Epiſcopi de ſymbolo contra Iudæos. Si hæc vigilia in Dominica evenerit, legitur primo Evang. *Miſerunt Iudæi* cum ſua Homilia, poſtea de ſymbolo.

In die ſancto Ev. *In principio erat Verbum.* Homilia S. Auguſtini Epiſcopi. *Omnis divina ſcriptura.* Item ſermo S. Maximi Epiſcopi. *Iuſtiſſime Fratres.* Item ſermo cuius ſupra. *Hodie Fratres chariſſimi.* Item ſermo Sedati Epiſcopi. *Ecce Fratres.* Et alii plures ſermones, exceptis his, qui leguntur ad nocturnos, & ad Collationes, ſive in Dominica infra octavam.

In natali S. Stephani legitur relatio S. Auguſtini Epiſcopi de Miraculis S. Stephani. *Ad aquas tibilitanas.* Item ſermo cuius ſupra. *Ieſus filius Nave.* Item ſermo eiusdem, *Fratres chariſſimi.* Item ſermo eiusdem, *Quomodo video.*

In natali S. Ioannis Evangeliſtæ relatio Euſebii Epiſcopi *Imperante Traiano.* Item de tranſitu eiusdem Apoſtoli. *Melito ſervus Chriſti.*

In natali SS. Innocentum legitur Ev. *Angelus Domini.* Homilia Bedæ Presbyteri. *De morte pretioſa.* Item ſermo S. Ioannis Chryſoſtomi. *Dedicatur novus.* Item ſermo S. Auguſtini Epiſcopi. *Credimus Iudæis.* Item ſermo eiusdem *Chriſto igitur.*

Dominica infra octavam natalis Domini Ev. *Erant Par. Ieſu.* Homilia Origenis. *Congregemus in unum.*

Prima die poſt natalem Innocentum Ev. *Exiit edictum.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Audivimus ex lectione.*

Alia die Ev. *Paſtores loquebantur.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Nato in Bethlehem Domino.*

In octava Domini Ev. *Cum conſummati eſſent.* Homilia lectionis eius, *Sanctam venerandamque.* Item ſermo S. Maximi Epiſcopi, *Quamquam non dubitemus.* Item ſermo Origenis, *Quod mortuus eſt Chriſtus.* Item ſermo S. Ambroſii Epiſcopi. *Circumciditur itaque puer.* Item ſermo S. Hieronymi. *Memores eſtote.* Item ſermo Sedati Epiſcopi. *Omne peccatum.*

In octava S. Ioannis Evangeliſtæ Ev. *Dixit Dominus Ieſus Petro.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Lectio S. Evangelii.*

In octava Innocentum incipiuntur Epiſtolæ Pauli.

In Vigilia Epiphaniæ Evang. *Defuncto Herode.* Homilia lectionis eiusdem. *Multi propter ignorantiam.*

In die ſancto Epiphaniæ Ev. *Cum natus eſſet Ieſus.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Sicut ex lectione.* Item libellus B. Gregorii *Nazianzeni* Epiſcopi de natali Domini ſive Epiphania. Item ſermo S. Maximi Epiſcopi *Exultandum nobis eſt.* Item ſermo eiusdem, *Hodiernam feſtivitatem.* Et alii quamplures, exceptis his, qui leguntur ad Nocturnos, & ad Collationem.

Feria

Digitized by Google

Feria IV. poſt Epiphaniam Ev. *Vidit Ioannes Ieſum.* Homilia Bedæ Presbyteri, *Ioannes Baptiſta.*

Dominica infra octavam Epiphaniæ Ev. *Cum factus eſſet.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Aperta nobis.* Item ſermo S. Auguſtini Epiſcopi de charitate *Divinarum ſcripturarum.* Item ſermo cuius ſupra de verbis Apoſtoli. *Omnes manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*, *Fratres chariſſimi.*

In octava Epiphaniæ Ev. *Venit Ieſus.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Lectio S. Evangelii.*

Dominica ſecunda poſt Epiphaniam, quæ eſt I. poſt octavam Ev. *Nuptiæ factæ ſunt.* Homilia Bedæ *Quod Dominus noſter.* Item ſermo S. Auguſtini Epiſcopi de charitate, *Quantum nos Fratres.* Item ſermo S. Auguſtini Epiſcopi de apoſtolico verbo, dum ait, *Non enim quod volo, facio bonum, ſed quod nolo malum, hoc facio.* Ad Rom. VII. ℣. 19. *Dicet divina.*

Dominica II. poſt octavam Epiphaniæ. Ev. *Cum deſcendiſſet Ieſus* Homilia Origenis. *Docente in monte.* Item ſermo S. Auguſtini Epiſcopi de charitate, *Si charitati veſtræ.* Item ſermo de eo, quod Apoſtolus dicit, *Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem.* Ad Rom. cap. VII. ℣. 22. *Cum ergo ſemetipſos.*

Dominica III. poſt octavam Epiphaniæ Evang. *Aſcendente Ieſu.* Homilia Origenis. *Ingrediente Domino.*

Dominica in Septuageſima Ev. *Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias.* Homilia S. Gregorii Papæ. *In explanatione ſua.* Item ſermo S. Ioannis Chryſoſtomi de primo homine. *Dignitas humana originis.* Item cuius ſupra ſermo, *Septuageſima computatur.* Hic incipit Geneſis.

Dominica in Sexageſima Ev. *Exiit qui ſeminat.* Homilia S Gregorii Papæ. *Lectio S. Evangelii.* Item ſermo S. Ioannis Chryſoſtomi de lapſu hominis. *Nemo qui neſciat.* Item ſermo S. Auguſtini Epiſcopi de lapſu mundi & avaritia. *Omnis homo.*

Dominica in Quinquageſima Ev. *Aſſumpſit Ieſus XII. diſcipulos.* Homilia S. Gregorii Papæ *Redemptor noſter.* Item ſermo S. Ioannis Chryſoſtomi. *Fides eſt religionis.* Item ſermo S. Auguſtini Epiſcopi. *Cum divina lectio.* Item ſermo eiusdem de vacca & ariete. *Audivimus fratres.*

Feria IV in capite ieiunii leguntur ad menſam dicta S. Ambroſii.

Sabbato ante Quadrageſimam. Ev. *Cum ſero.* Homilia lectionis eiusdem. *Labor diſcipulorum.*

Dominica in Quadrageſima Ev. *Ductus eſt Ieſus.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Dubitari a quibusdam.* Item ſermo Leonis Papæ. *Prædicaturus nobis.* Item ſermo S. Maximi Epiſcopi. *Conflictus eſt mirabilis.*

Feria VI. Ev. *Erat dies feſtus.* Homilia Bedæ Presbyteri *Duo pariter miracula.*

Sabbato. Ev. *Aſſumpſit Ieſus Petrum.* Homilia S. Leonis Papæ. *Evangelica lectio.* Item Homilia Bedæ Presbyteri. *Quia Dominus.*

Dominica II. in Quadrageſima Ev. *Egreſſus Ieſus.* Sermo Origenis de muliere Chananæa. Item ſermo S. Ioannis Cryſoſtomi de Iacob & Eſau. *Portabat Rebecca.* Item ſermo S. Leonis Papæ. *Hebræorum quandam.*

Sabbato ſermo de duobus filiis frugi & luxurioſo.

Dominica III. Ev. *Erat Ieſus eiiciens dæmonium.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Dæmoniacus iſte.* Item ſermo S. Ioannis Cryſoſtomi de Ioſeph. *Mittitur ad Iacob.* Item ſermo S. Auguſtini de filiis Iſraël. *Audivimus in lectione.*

Sabbato Evangelium. *Perrexit Ieſus.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Præſentem S Evangelii.*

Dominica in medio Quadrageſimæ Ev. *Abiit Ieſus.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Qui ſigna.* Item ſermo S. Auguſtini de filiis Iſraël. *Hæc dicit Dominus.*

Feria II. Evangelium. *Deſcendit Ieſus Capharnaum.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Solet movere quosdam.*

Dominica de Paſſione Domini Ev. *Quis ex vobis.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Penſate Fratres chariſſimi.* Item ſermo S. Ioannis Cryſoſtomi de Ieremia. *Magnum Ieremiæ meritum.*

Dominica in Palmis. Ev. *Cum appropinquaſſent.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Mediator Dei & hominum.* Item ſermo S. Leonis Papæ *Sacramentum dilectiſſimi.* Item ſermo S. Auguſtini ad competentes. *Hodie Fratres chariſſimi.* Item ſermo S. Maximi de Pſalmo XXI. *Deus Deus meus.*

Feria II. Ev. *Proximum erat Paſcha.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Moris eſſe prudentium.*

In Cœna Domini Ev. *Ante diem feſtum.* Homilia Bedæ Presbyteri *Scripturus evangelica Ioannes.* Item ſermo S. Leonis Papæ. *Scio quidem.* Item ſermo S. Auguſtini. *Hodie Fratres chariſſimi.*

Feria VI. in Paraſceve ſermo S. Ioannis Chryſoſtomi de cruce & latrone. *Hodierna die.* Item ſermo S. Leonis Papæ. *Hodie incipiamus chariſſimi.*

Sabbato ſancto Paſchæ. Ev. *Veſpere autem Sabbati.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Vigilias nobis.* Item ſermo S. Auguſtini Epiſcopi, de Ioſeph, qui corpus Domini petiit a Pilato. *Peracta paſſione.* Item ſermo S. Leonis Papæ. *Videamus Fratres.*

In die S. Paſchæ Ev. *Maria Magdalena.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Audiſtis Fratres chariſſimi.* Item ſermo Euſebii Epiſcopi. *Exulta cælum.* Item ſermo cuius ſupra. *Magnum & mirabile.* Item ſermo eiusdem. *Opportune & congrue.* Item ſermo eiusdem. *Magnitudo cæleſtium beneficiorum.* Item quamplures ſermones exceptis his, qui leguntur ad Collationem.

Feria II. Evangelium. *Duo ex diſcipulis.* Homilia S. Gregorii Papæ. *In quotidiana nobis.*

Feria III. Ev. *Stetit Ieſus.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Gloriam ſuæ reſurrectionis.*

Feria IV. Ev. *Manifeſtavit ſe iterum.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Lectio S. Evangelii.*

Feria V. Ev. *Maria ſtabat ad.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Maria Magdalena.*

Feria VI. Ev. *Undecim diſcipuli.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Evangelica lectio.*

Sabbato Ev. *Una Sabbati.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Fractus longa moleſtia.*

Dominica in octava Paſchæ. Ev. *Cum ſero factum.* Homilia S. Gregorii. *Prima lectionis.* Item ſermo S. Auguſtini ad Neophitos. *Paſchalis ſolennitas.* & alii quamplures. Abhinc legitur Ieremias Propheta.

Dominica I. poſt octavam Paſchæ. Ev. *Ego ſum paſtor bonus.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Audiſtis Fratres chariſſimi.* A prima Dominica uſque ad aſcenſionem Domini in dominicis diebus ad menſam non leguntur ſermones.

Feria IV. Ev. *Una Sabbati.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Aperta nobis eſt Fratres.* Inchoata hiſtoria *Dignus es Domine* ad menſam legantur actus Apoſtolorum a principio uſque *Saulus adhuc ſpirans.* Hæc legenda dimittatur uſque ad illum locum, *Miſit Herodes Rex.* ubi incipiatur, & legatur uſque in finem.

Dominica II. poſt octavam Paſchæ Ev. *Modicum & videbitis.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Læta Domini.*

Dominica III Ev. *Vado ad eum qui.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Sicut ex lectione.* Incœpta Hiſtoria *Si oblitus fuero tui*, quod remanſerit in lectionibus de Apocalipſi ad Nocturnos, legatur ad menſam per totum.

Dominica IV. Ev. *Amen amen dico vobis.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Poteſt movere infirmos.*

Feria II. in Rogationibus Ev. *Quis veſtrum habebit.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Rogatus a diſcipulis.* Quod remanſit de lectionibus Epiſtolarum Iacobi, Petri, vel Ioannis, ſuppleatur ad menſam: Epiſtola quoque Iudæ addatur.

In Aſcenſione Domini Ev. *Recumbentibus undecim diſcipulis.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Quod reſurrectionem.* Item ſermo S. Auguſtini *Omnia chariſſimi*, cum aliis quatuor, qui ſequuntur.

Feria VI. poſt aſcenſionem Domini Ev. *Hæc ſunt verba.* Homilia Bedæ Presbyteri, *Aſcenſurus in cælum Dominus.*

Dominica poſt aſcenſionem Domini Ev *Cum venerit Paraclytus.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Ex multis S. Evangelii.*

In vigilia Pentecoſtes Ev. *Si diligitis me.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Quia ſancti Spiritus.* Item ſermo S. Maximi de Symbolo. *Cum apud Patres noſtros.*

In die ſancto Ev. *Si quis diligit me.* Homilia S. Gregorii Papæ, *Licet Fratres chariſſimi.* Item ſermo S. Maximi. *Noſſe vos credo.* Item ſermo eiusdem, *Sanctitati veſtræ*, cum reliquis qui ſequuntur, exceptis his, qui leguntur ad Collationem. Poſtea legantur libri de S. Trinitate præcedente Prologo Alcuini Levitæ.

Feria III. infra Hebdomadam Pentecoſtes Ev. *Amen amen dico vobis, qui non intrat.* Homilia S. Auguſtini. *Quicunque vult intrare.*

Feria VI. Ev. *Factum eſt in una dierum.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Ubi Dominus ſedens docuerit.*

In octava Pentecoſtes Ev. *Erat homo ex Phariſæis.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Sicut ex lectione S. Evangelii.*

Dominica I. poſt Octavam Ev. *Homo quidam erat dives.* Homilia S. Gregorii Papæ. *In verbis ſancti eloquii.* Item ſermo S. Auguſtini de David & Iſai. *In ſcripturis divinis.* Item ſermo eiusdem de divite. *Si diligenter attenditis.* Lectis libris de S. Trinitate legantur libri Regum ab initio præcedente prologo.

Dominica II. Ev. *Homo quidam fecit cœnam.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Hoc diſtare Fratres.* Item ſermo S. Ioannis Chryſoſtomi de David & Goliath. *Dominus Deus cum David Regem.* Item ſermo eius de Abſolon. *Perdidit Abſolon.*

Dominica III. Ev. *Acceſſerunt ad Ieſum publicani & peccatores.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Æſtivum tempus.* Item ſermo S. Auguſtini de plaga Dei. *Cum Regum lectio legeretur.* Item ſermo

Digitized by Google

ſermo cuius ſupra de iudicio Salomonis. *De duabus meretricibus.*

Dominica IV. Ev. *Eſtote ergo miſericordes.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Hoc loco.* Item ſermo S. Auguſtini de Elia. *In lectionibus, quæ nobis.* Item ſermo cuius ſupra de Eliſæo. Cum divina lectio.

Dominica V. Ev. *Cum turba irruerent.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Stagnum Genezareth.* Item ſermo S. Auguſtini de Eliſæo propheta. *Sicut de beato Elia.* Item ſermo eiusdem de dilectione charitatis. *Beatus Apoſtolus Paulus.*

Dominica VI. Ev *Amen amen dico vobis, niſi abundaverit.* Homilia S Auguſtini. *Dico enim vobis.* Hæc Homilia legitur ex libro matutinali. Item ſermo Auguſtini de Naaman Syro. *Cum Naaman.* Item ſermo eiusdem de Eliſæo & Giezi puero ſuo, *Frequenter charitati.*

Dominica VII. Ev *Cum turba multa.* Homilia Bedæ Presbyteri, *In hac lectione.* Item ſermo S. Auguſtini de Eliſæo & ſecuri. *Cum divina lectio.* Item ſermo cuius ſupra de fame Samariæ. *Cum a vultu Dei.*

Dominica VIII Ev. *Attendite a falſis Prophetis.* Homilia Origenis. *Quod Dominus paulo ſuperius.*

Sermones in Menſe Auguſto.

Iſti ſermones in Dominicis Menſis Auguſti, in quo inchoatur hiſtoria, ſcilicet, *In principio*, legantur ad menſam, ſed ante inchoatam hiſtoriam non legantur. Hi autem ſunt ſermones.

In I. Dominica Menſis Auguſti ſermo S. Auguſtini, de eo quod ſcriptum eſt, *ſunt, qui ſe divites affectant. Sancta ſcriptura.* In hac hebdomada incipiatur liber ſapientiæ.

Dominica II. Auguſti. Sermo Bedæ Presbyteri de proverbiis *Sapientia foris prædicat.* Item ſermo S Auguſtini de timore Dei. *Non dubito dilectiſſimi.*

Dominica III. Auguſti, ſermo Bedæ Presbyteri de Proverbiis *Non metuat.* Item ſermo S. Ioannis Chryſoſtomi de miſericordia, *Tria ſunt.*

Dominica IV Auguſti, ſermo Bedæ Presbyteri de Proverbiis *Melius eſt vocare.* Item ſermo de timore Dei & vera humilitate. *David Propheta.*

Dominica IX. Ev *Homo quidam erat dives, qui habebat villicum.* Homilia S. Auguſtini. *Quis ſit villicus.*

Dominica X Ev. *Cum appropinquaret Ieſus Ieruſalem.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Lectionem brevem.*

Dominica XI. Ev. *Duo homines.* Homilia Bedæ presbyteri. *Dixit autem & ad quoſdam.*

Dominica XII. Ev *Exiens Ieſus de finibus.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Surdus ille.*

Dominica XIII. Ev. *Beati oculi.* Homilia Bedæ presbyteri. *Legiſperitus.*

Dominica XIV. Ev *Cum iret Ieſus in Ieruſalem.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Leproſi non abſurde.*

Dominica XV. Ev. *Nemo poteſt duobus dominis.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Nemo poteſt duobus.*

Sermones in Menſe Septembri.

Dominica I. Septembris inchoata hiſtoria de Iob, *Si bona ſuſcepimus*, legantur ad menſam ſermones de Iob. Primo ſermo S. Gregorii Papæ. *Beatus Iob inter tot.* Item ſermo S. Auguſtini de Iob. *Beatus Iob Fratres chariſſimi.*

Dominica II. Septembris ſermo S. Gregorii Papæ de Iob. *Beatus Iob paſſionem.* Item ſermo S. Auguſtini de Iob. *Promptiorem me.* Item ſermo eiusdem de Iob *In lectione, quæ nobis.* Notandum, quidquid remanſerit ad Nocturnos legendarum iſtarum, ſcilicet Iobi, Tobiæ, Iudith vel Eſter, nec lectum fuerit, illud in fine hiſtoriarum ad menſam legatur, ſive compleatur, hoc ordine. Finita hiſtoria Iob illud, quod remanſerit ad Nocturnos, legatur ad menſam, incepta tamen ſive inchoata prius ſequenti hiſtoria. Idem teneatur de reliquis hiſtoriis

Dominica III. Menſis Septembris inchoata hiſtoria de Tobia, poſt homiliam legatur ad menſam ſermo Bedæ Presbyteri de libro Tobiæ. *Liber ſancti Patris.* Item ſermo S. Auguſtini de Tobia *Beatus Tobias.*

Dominica IV. Septembris, inchoata hiſtoria Iudith legatur ad menſam poſt homiliam ſermo S. Auguſtini Epiſcopi de Iudith *Non ſufficit mortalis.* Item ſermo eiusdem de Iudith *Quoties bellicus rumor.* Item ipſo die vel ſequenti Dominica, ſi hiſtoria incipienda eſt de Eſter, legatur ſermo Rhabani Mauri de libro Eſter. *Septimo ergo anno.*

Dominica XVI. Ev. *Ibat Ieſus in civitatem.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Naim civitas.*

Dominica XVII. Ev. *Cum intraret Ieſus in domum.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Hydropis morbus.*

Dominica XVIII. Ev. *Acceſſerunt ad Ieſum Pharisæi.* Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi. *Convenerunt Phariſæi.*

Dominica XIX. Ev. *Aſcendens Ieſus in naviculam.*

Digitized by Google

culam. Homilia S. Ioannis Chryſoſtomi. *Chriſtum in humanis actibus.*

Dominica XX. Ev. *Loquebatur Ieſus.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Textum lectionis.*

Sermones in Menſe Octobri.

Dominica I. Menſis Octobris inchoata hiſtoria de Machabæis legatur ad menſam poſt homiliam ſermo Rhabani Mauri de libro Machabæorum. *Elegit Liſias.* In hac hebdomada etiam incipiatur Liber Machabæorum.

Dominica II. Octobris poſt homiliam legatur ſermo Rhabani Mauri de libro Machabæorum. *Congregavit Liſias.* Item ſermo S. Auguſtini. *Dominus ac Redemptor noſter.*

Dominica III. legatur poſt homiliam ſermo Rhabani Mauri de libro Machabæorum. *Factum eſt.* Item ſermo S. Auguſtini de verbis Domini, ubi ait: *Si vis ad vitam ingredi. Angelica lectio.*

Dominica IV. legatur poſt homiliam ſermo Rhabani Mauri. *Congregavit Thimotheus.* Item ſermo S. Auguſtini Epiſcopi. *Lectiones divinorum eloquiorum.*

Dominica XXI. Ev. *Erat quidam Regulus.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Lectio S. Evangelii.*

Dominica XXII. Ev. *Simile eſt regnum cælorum.* Homilia S. Hieronymi. *Ideo aſſimilatum eſt.*

Dominica XXIII. infra hebdomadam Evangelium. *Abeuntes Phariſæi.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Et obſervantes.*

Dominica XXIV. infra hebdomadam Ev. *Loquente Ieſu.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Ecce vir venit.*

Dominica V. ante natale Domini Ev. *Cum ſublevaſſet.* Homilia S. Auguſtini. *Miracula quæ fecit Dominus.*

Sermones in Novembri.

Dominica I. Novembris inchoata hiſtoria de Prophetis legatur poſt homiliam ſermo S. Hieronymi Presbyteri de viſione Ezechielis Prophetæ. *Et factum eſt in anno.* Item ſermo S. Gregorii Papæ de viſione Ezechielis Prophetæ. *Uſus propheticæ locutionis.*

Dominica II. Novembris poſt homiliam ſermo S. Hieronymi de viſione prophetica. *Et Seraphim ſtabant.* Item ſermo S. Gregorii Papæ. *Per ſanctum Prophetiæ ſpiritum.*

Dominica III. poſt homiliam legitur ſermo S. Hieronymi Presbyteri de viſione prophetica. *Et Seraphim ſtabant.* Item ſermo S. Gregorii Papæ unde ſupra. *Qui per quatuor animalia.*

Dominica IV. Novembris poſt homiliam legitur Sermo S. Hieronymi de viſione prophetica, *Et miſſum eſt.* Item ſermo S. Auguſtini de tribus pueris, *Iubet Tyrannus.* Item ſermo eiusdem de Suſanna, *Quotiescunque.* In hac hebdomada, quod remanſerit de lectionibus in Ezechiele ad nocturnos legitur ad menſas uſque in finem. Simili modo fiat ſequenti hebdomada de Daniele. Idem ordo tenendus de Iſaia. Poſt Iſaiam legantur duodecim Prophetæ. Poſt octavam S Stephani leguntur Epiſtolæ Pauli ab initio uſque in finem. In Quadrageſima inchoatur Geneſis, & legitur per totum. Poſt octavam Paſchæ legitur Ieremias Propheta ab initio per totum.

Lectiones ad menſam in feſtis Sanctorum.

Menſe Novembri.

III. Kal. Dec. In vigilia S. Andreæ legitur ad menſam Ev. *Stabat Ieſus.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Tanta ac talis eſt.* Item eodem die Ev. *Voluit Ieſus.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Audivimus ex lectione.*

Pridie Kal. Dec. In die ſancto Paſſio eius. Item de ſepulchro eius.

Menſe Decembri.

III. Nonas Decembris. Illatio S. Benedicti.

VIII. Idus Dec. Vita S. Nicolai Epiſcopi.

Idibus Dec. Paſſio S. Luciæ V. & M.

XII. Cal. Ian. Paſſio S. Thomæ Apoſtoli. Item de ſepulchro ipſius.

Pridie Cal. Ian. Vita S. Sylveſtri Epiſcopi.

Menſe Ianuario.

Idibus Ian. Vita S. Hilarii Epiſcopi.

XVIII. Cal. Febr. Vita S. Mauri Abbatis.

XIII. Cal. Febr. Paſſio S. Sebaſtiani M.

XII. Cal. Febr. Paſſio S. Agnetis V. & M.

XI. Cal. Febr. Paſſio S. Vincentii M.

VIII. Cal. Febr. Sermo in converſione S. Pauli. *Quæ igitur de Rinocerote.*

Menſe Februario.

IV. Nonas Febr. In Purificatione S. Mariæ ſermo. *Veneranda ſolemnitas.* Item ſermo S. Ambroſii. *Quæ digna Dei munere.* (*manus recentior in margine addidit.*) Ev. *Poſtquam impleti ſunt.* Homilia *Solemnitatem nobis.*

III. Nonas Febr. Paſſio S. Blaſii E. & M.

Nonis Febr. Paſſio S. Agathæ V. & M.

XVI. Cal. Martii. Paſſio S. Valentini M.

XIV. Cal. Mart. Paſſio S. Iulianæ V. & M.

VIII.

Digitized by Google

VIII. Cal. Mart. In Cathedra S. Petri ſermo S. Maximi Epiſcopi. *Inſtitutio ſolemnitatis hodiernæ.* Item ſermo *Quamvis ſolemnitatis hodiernæ.* Hic ſermo legitur tantum in Quadrageſima. Item ſermo S. Maximi Epiſcopi. *Noſtis Fratres chariſſimi.*

VI. Cal. Mart. Paſſio S. Mathiæ Apoſtoli.

Menſe Martio.

Pridie Nonas Martii. (*manu recentiori:*) Vita S. Fridolini.

IV. Idus Martii. Vita S. Gregorii.

XII. Cal. Aprilis. (*manu recentiori.*) Vita S. Benedicti Abbatis.

VIII. Cal. Apr. In Annuntiatione B. V. Ev. *Miſſus eſt.* Homilia lectionis eiusdem.

Menſe Aprili.

Pridie Non. Apr. Vita S. Ambroſii Epiſcopi.

IX. Cal. Maii. Paſſio S. Georgii M.

VIII. Cal. Maii. Paſſio S. Adelberti M.

VII. Cal. Maii. Paſſio S. Marci Evangeliſtæ. Item de tranſlatione eiusdem.

Menſe Maio.

Cal. Maii. Paſſio S. Philippi Apoſtoli. Paſſio S. Iacobi Apoſtoli.

VI. Nonas Maii. Vita S. Walpurgæ V.

V. Nonas Maii. Inventio S. Crucis. Item paſſio S. Alexandri, Eventii, & Theodoli MM.

VIII. Idus Maii. Paſſio S. Victoris M.

IV. Idus Maii. Paſſio S. Nerei & Achillei. paſſio S. Pancratii M.

XIV. Cal. Iunii. De obitu Potentianæ V.

Pridie Cal. Iunii. De obitu Petronellæ V.

Menſe Iunio.

IV. Nonas Iunii. Paſſio S. Marcellini & Petri MM.

Nonis Iun. Paſſio S. Bonifacii & ſociorum eius.

V. Id. Iun. Paſſio S. Primi & Feliciani.

III. Id. Iun. Paſſio S. Barnabæ Apoſtoli.

XVI. Cal. Iul. Paſſio S. Viti & Modeſti.

X. Cal. Iul. Paſſio decem millium MM.

IX. Cal. Iul. In vigilia S. Ioannis Baptiſtæ Ev. *Fuit in diebus Herodis Regis.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Venturus in carne Dominus.*

VIII. Cal. Iul. In die ſancto Ev. *Eliſabeth impletum eſt.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Præcurſoris Domini.* Sermo S. Leonis Papæ in natali S. Ioannis Baptiſtæ. *Poſt illum ſacroſanctum.* Item ſermo cuius ſupra de eodem die. *Sancti Ioannis Baptiſtæ* & alii quamplures ſermones de eodem die.

VI. Cal. Iul. Paſſio SS. Ioannis & Pauli MM.

IV. Cal. Iul. In vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli. Ev. *Dixit Dominus Ieſus Simoni Petro.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Virtutem nobis.*

III. Cal. Iul. Paſſio S. Petri & Pauli. Item ſermo Leonis Papæ in natali Apoſtolorum Petri & Pauli. *Omnium quidem ſanctarum ſolemnitatum.* Item ſermo S. Maximi Epiſcopi. *Glorioſiſſimos Chriſtianæ fidei.* Item ſermo eiusdem unde ſupra. *Apoſtolici natalis gaudio.* Item ſermo S. Leonis Papæ unde ſupra. *Filioli mei audite.* Item ſermo cuius ſupra. *Notum vobis omnibus.*

Menſe Iulio.

VI. Non. Iul. Paſſio S. Proceſſi & Martiniani.

IV. Non. Iul. Vita S. Udalrici Epiſcopi.

V. Idus Iul. Tranſlatio S. Benedicti.

XVI. Cal. Aug. Vita S. Alexii Confeſſoris.

XIII. Cal. Aug. Paſſio S. Margarethæ V. & M.

XI. Cal. Aug. De S. Maria Magdalena Ev. *Rogabat Ieſum quidam.* Homilia S. Gregorii Papæ. *Cogitanti mihi.*

IX. Cal. Aug. Paſſio S. Chriſtinæ V. & M.

VIII. Cal. Aug. Paſſio S. Iacobi Apoſtoli. Item paſſio S. Chriſtophori M.

VI. Cal. Aug. Paſſio S. Pantaleonis M.

Menſe Auguſto.

Cal. Aug. Relatio de vinculis S. Petri. *Solempnem obſervationem.*

IV. Non. Aug. Paſſio S. Stephani P. & M.

III. Non. Aug. Inventio S. Stephani Protomartyris.

VIII. Idus Aug. Paſſio S. Xiſti P. & M.

VII. Id. Aug. Converſio S. Affræ. Item paſſio ipſius.

VI. Id. Aug. Paſſio S. Cyriaci & ſociorum eius.

IV. Id. Aug. Paſſio S. Laurentii M. Sermo S. Leonis Papæ de S. Laurentio, *Cum omnium dilectiſſimi.* Item ſermo eiusdem unde ſupra. *Dicit Dominus in Evangelio.* Item ſermo cuius ſupra. *Cum omnes beatos Martyres.* Sermo cuius ſupra. *Cui ſimile eſt regnum cœlorum.*

Idibus Aug. Paſſio S. Hypoliti M.

XIX. Cal. Sept. Sermo S. Maximi Epiſcopi in vigilia Aſſumptionis B. Mariæ. *Cum aliquod dilectiſſimi.*

XVIII. Cal. Sept. In die ſancta ſermo S. Hieronymi. *Cogitis me o Paula.*

XI. Cal. Sept. Paſſio S. Symphoriani M.

IX. Cal. Sept. Paſſio S. Bartholomæi Apoſtoli.

VI. Cal. Sept. Vita S. Gebhardi Epiſcopi.

V. Cal. Sept. Paſſio S. Pelagii M. Item vita S. Auguſtini Epiſcopi.

IV. Cal. Sept. In decollatione S. Ioannis Baptiſtæ.

tiſtæ. Ev. *Audivit Herodes.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Natalem Fratres dilectiſſimi.* Item ſermo S. Ioannis Cryſoſtomi unde ſupra. *Heu me quod.*

III. Cal. Sept. Paſſio SS. Felicis & Adaucti. Item de S. Felice.

Menſe Septembri.

Cal. Sept. Vita S. Verenæ V.

IV. Non. Sept. Sermo in dedicatione Eccleſiæ. *Sapientia ædificavit.*

VIII. Id. Sept. Vita S. Magni Confeſſoris.

VI. Id. Sept. Relatio de Theophilo, qui Chriſtum negavit, legitur in natali B. Mariæ V. Item paſſio S. Adriani M.

V. Id. Sept. Paſſio S. Gorgonii M.

III. Id. Sept. Paſſio SS. Felicis & Regulæ.

XVIII. Cal. Octob. Relatio de exaltatione S. Crucis. Item ſermo de S. Cruce, *Hodie Fratres charisſimi.* paſſio S Cornelii. Item ſermo S. Maximi Epiſcopi in feſtivitate S. Cypriani M. *Sancti Cypriani feſtivitatem.*

XVII. Cal. Oct. In dedicatione veteris monaſterii Ev. *Facta ſunt encænia.* Homilia Bedæ Presbyteri. *Audivimus ex lectione.*

XVI. Cal. Oct. Paſſio S. Euphemiæ V.

XV. Cal. Oct. Paſſio S. Deſiderii & Reginfridi MM

XI. Cal. Oct. Paſſio S. Matthæi Apoſtoli.

X. Cal. Oct. Paſſio S. Mauritii & ſociorum eius.

III. Cal. Oct. De memoria S. Michaelis. Item ſermo de eadem feſtivitate. *Beati Michaelis ſolemnia.* Item ſermo unde ſupra. *Nonnunquam vero per Angelum.*

Pridie Cal. Oct. Vita S. Hieronymi Presbyteri. Item paſſio SS. Victoris & Urſi.

Menſe Octobri.

Cal. Octobris. Vita S. Remigii Epiſcopi.

VI. Nonas Oct. Paſſio S. Leodegarii M.

Pridie Non. Oct. Paſſio S. Fidis Virginis.

VII. Idus Oct. Paſſio S. Dionyſii & ſocior. eius.

XVII. Cal Nov. Vita S. Galli C.

XV. Cal. Nov. Vita S. Lucæ Evangeliſtæ.

XIII. Cal. Nov. Paſſio S. Ianuarii & Soc. eius.

XII. Cal. Nov. Paſſio XI millium Virginum.

V. Cal. Nov. Paſſio Apoſtolor. Simonis & Iudæ.

Menſe Novembri.

Cal. Nov. Sermo in feſtivitate omnium Sanctorum.

IV. Non. Nov. Paſſio S. Euſtachii & Soc. eius.

III. Non. Nov. Vita S. Pirminii Epiſcopi.

III. Idus Nov. Vita S. Martini Epiſcopi.

Idibus Nov. Vita S. Briccii Epiſcopi.

XVI. Cal Dec. Vita S Othmari Abbatis.

XI. Cal. Dec. Vita S. Columbani Abbatis.

X. Cal. Dec. Paſſio S. Cæciliæ V. & M.

IX. Cal. Dec. Paſſio S. Clementis P. & M.

VII. Cal. Dec. Paſſio S Catharinæ V. & M.

VI. Cal. Dec. Vita S. Cunradi Epiſcopi.

De Mutationibus, quæ ſub Ioanne I. Abbate acceſſerunt. (1)

Notandum eſt, quod conſuetudines obſervatæ a Conventu a nativitate uſque ad octavam Epiphaniæ protenſius obſervandæ ſunt uſque ad purificationem B. Mariæ. Et hoc inſtituit Dominus Ioannes Abbas huius nominis primus, motus exemplo S. Benedicti Patris noſtri, qui propter calorem æſtatis alleviavit quasdam obſervationes: Sic & ipſe alleviavit quædam propter algorem hyemis, qui maxime viget in hoc loco, ut ſcilicet gaudere poſſimus de Privilegio puerperii virginalis cum Angelis pſallentibus, *Gloria in altiſſimis Deo.*

Sciendum quoque eſt, quod Dominus Ioannes Abbas huius nominis I. rogatus a ſuo Conventu querulante de algoris calamitate, quam patiebantur in legendo vigilias mortuorum poſt matutinam tantum lucem, quod ſolebat obſervari a feſto omnium Sanctorum uſque ad Purificationem B. Mariæ V. quo tempore maxime viget vis algoris, ut ipſe dignaretur hanc conſuetudinem intollerabilem mutare in leviorem. Ipſe igitur Dnus Ioannes more pii paſtoris ſui gregis curam gerens, ne ſub laboris ſarcina ſuccumbat, annuens petitionibus ſuorum inſtituit cum conſenſu totius Conventus, quod prædictæ vigiliæ ante horam Veſperarum dicantur. Porro cum numerus vigiliarum ex hoc patiatur detrimentum, ne fideles animæ priventur ſuo ſuffragio, ſtatuit præfatus Dominus Ioannes cum conſenſu Fratrum huius detrimenti fieri recompenſam, ſic videlicet, quod per circulum anni omni ſeptimana celebrentur duæ Miſſæ pro defunctis, ſicut in die animarum, ab eo, qui tenetur dicere quintam Miſſam, quod inter omnia ſuffragia, quæ fieri poſſunt, animabus ſaluberimum eſt. Et huius rei inſtitutio perpetuis debet temporibus obſervari. Notandum tamen eſt, quod Laudes de vigilia mortuorum ſcilicet *Miſerere.* cum reliquis ſine antiphona in tribus lectionibus legi debent ad matutinum poſt pſal-

(1) Manus recentior ſub IOANNE I. Abbate, incunte ſæculo XV. ſequentia adiecit.

Digitized by Google

pſalmos familiares a feſto omnium Sanctorum uſque ad Purificationem.

Eiusdem conſtitutio circa Scholares monaſtici habitus.

Noverint univerſi, quod Dominus Ioannes huius nominis I. cum conſilio & conſenſu totius ſui Conventus augmentavit ſeu melioravit præbendam ſcholarium in victu & veſtitu. In victu videlicet quia in omni prandio quatuor ſcholaribus miniſtratur menſura vini per ſingulos. In veſtitu autem, quod annuatim datur cuilibet eorum ſingillatim cuculla cum tunica. Item in omnibus feſtivitatibus ſive etiam omnibus anniverſariis per circulum anni, quando celebrantur cum pulſatione maiorum campanarum, inſtituit eis vinum in cœna ſicut in prandio. Dum tamen recipiunt veſtimenta nova, debent reſtituere vetera. Determinavit quoque præfatus Dominus Ioannes certum numerum ſcholarium, videlicet ne excedat XV. ne forte redditus ſeu proventus ad hoc inſtituti non ſufficiant eis, ſi plures eſſent. Merito igitur parentes cuiuscunque offerentes eum Monaſterio noſtro non manu vacua offerant, ſed cum oblationibus, ſicut legitur de parentibus S. Galli, qui filium ſuum cum oblationibus Columbani Magiſterio commendaverunt. Et hoc ideo, ne fratribus fiat oneroſus, quod propter eum forte penuriam ſuſtinerent.

FINIS PARTIS TERTIÆ.

MO-

Digitized by Google

MONUMENTA
VETERIS LITURGIÆ ALEMANNICÆ.
PARS IV.

Amalarius *Trevirenſis* Archiep. ad Carolum M. De cæremoniis baptiſmi. (1)

Ex Cod. San-Blaſ. ſæc. IX. vel X.

Glorioſiſſimo & excellentiſſimo auguſto a Deo coronato Karolo ſereniſſimo vita ſalusque perpetua. Dne mi Xpianiſſime Imperator. Miſiſtis ad ſervulum veſtrum inquiſiciones ſecundum veſtram miſericordiam de ſacro baptiſmate per ordinem interrogantes, cur unaquaque res agatur in baptiſterio, aut in ſcrutinio. Sicut in omnibus Chriſti exemplum ſequimini, ſic & in iſto, quia ad hoc interrogavit Philippum, ut doceret dicens: unde ememus panes, ut manducent hi? tamen, ut evangeliſta ait: ipſe enim ſciebat quid eſſet facturus. Quamquam idoneus non ſim veſtræ interrogationi reſpondere, tamen inobœdientem me non oportet eſſe, niſi omnibus ſenſibus, & intellectu meo veſtris ſanctis iuſſionibus obtemperem. Ideoque quod conicere potuimus, ſcripſimus de his rebus, quas veſtra dominatio interrogavit, & quod in promptu invenimus in dictis ſanctorum Patrum. Illuc magis aciem mentis dieximus, ex his quæ ammonicioni veſtræ congrua videbamus. Nos vero, quamquam ignari ſimus, non ceſſamus pro vobis, & veſtram miſericordiam, quam exercetis in omnes Dei cultores gracias Deo agere, & ſtabilitatem atque ſapientiam imprecari veſtro ſancto regimini. quarum interrogationum prima hæc conſiſtit, cur infans catecuminus fiat ante baptiſmum.

De Catecumino.

Scimus enim excellentiſſime imperator omnes homines ſub iugo peccati teneri ab ipſo articulo nativitatis eius uſque ad ſecundam nativitatem, & veridicam eſſe ſentenciam pſalmiſtæ; qui inquit: ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea, & hoc eſt propter inobœdientiam primi hominis, & eius transgreſſionem, a quo ducimus originem carnalem, & non poſſe nos reformari ad imaginem eius, qui nos creavit, niſi per ſalutare baptiſma, quod nondum accepimus. Neque patet aditus regni cœlorum, niſi renaſcamur ex aqua, & Spiritu ſancto. Sumus ante baptiſmum in tenebris ignorantiæ in deſideriis carnis ambulantes. Facimus ea, quæ non conveniunt. Vivimus ſecundum veterem hominem, qui corrumpitur ſecundum deſideria erroris. Ideoque, qui deſiderat renovari ſecundum novum hominem, neceſſe eſt, ut inſtruatur a doctoribus eccleſiæ. Qualis ante baptiſmum ſit, qualis poſt baptiſmum futurus ſit, per Dei gratiam, ut de tenebris peccatorum in lucem veritatis convertatur. Relicto nomine falſorum Deorum, colat unum Deum vivum, & verum; & poſtquam hæc percipit a doctore catholico, catecuminus dicitur, id eſt inſtructus, ſive auditor. Non poſſumus cognoſcere veritatem, antequam ſciamus, quid ſit falſum; igitur oportet nos docere illum, a quo Deo receſſerit peccando, & in quo errore permaneat; & poſtea in quem oporteat credere, & fidem tenere per opera caritatis,

(1) Vid opera ALCUINI noviſſimæ editionis FROBENII *Forſteri* S. R. I. P. & Abb. *San-Emerami* T. II. p. 517. ſeq. HONTHEIM Hiſt. *Trevir.* dipl. T. I. p. 158. ſeqq. Le COINTE Annal. eccleſiaſt. *Franc.* T. VII. p. 209. ſeqq. poſt MABILLONIUM de Encyclicis CAROLI M. ad Archiepiſcopos ſui imperii qualiter tum ipſi, eorumque ſuffraganei cæremonias baptiſmi explicarent.

Digitized by Google

tatis, & ſicut Auguſtinus ait in libro de fide & operibus: ſi catecizas eos, qui baptiſmum petunt, ut non ſolum audiant atque ſuſcipiant, quid credere, verum etiam qualiter vivere debeant, ſic promittit fidelibus vitam æternam, ut non etiam per fidem mortuam, quæ ſine operibus ſalvare non poteſt, ad eam ſe quisque poſſe pervenire arbitretur, ſed per illam fidem graciæ, quæ per dilectionem operatur. De qua inſtructione, ſi quis vult ſatis reperire, poteſt in Auguſtino de catecizandis rudibus. Super parvulos orationem facimus, ut cecitas cordis ab eis expellatur, diſrumpantur laquei ſatanæ, quibus fuerant conligati, & idonei efficiantur per incrementum, & miniſtrationem membrorum ea cognoſcere, quæ dimitenda ſunt, & quæ tenenda.

De Scrutinio.

In ſcrutinio quippe facimus ſignum crucis ſuper pueros, ſicut invenimus ſcriptum in Romano ordine; & genuflexionem, & adiurationem, & docemus orationem dominicam patrinos & matrinas, ut & ipſi ſimiliter faciant, quos ſuſcepturi ſunt a ſacro baptiſmate. Similiter docemus ſymbolum, quod ſymbolum in noſtra lingua vertitur ſignum, vel cognicio. Quando dividebantur Apoſtoli per totum orbem predicationis cauſa, dederunt illud ſignum predicationis, ut ſi quis talia confiteretur, qualia ibi dicuntur cognicionem daret, ſe a Chriſti Apoſtolis, ſive a ſucceſſoribus eorum didiciſſe.

Cur in fronte faciamus ſignum?

Sedes verecundiæ in fronte ſolet eſſe; ſiquidem Iudæi erubeſcunt credere in illum, quem norunt crucifixum, ut Paulus apoſtolus dicit: nos autem predicamus Chriſtum crucifixum, Iudeis quidem ſcandalum, & reliqua. Sed nos credimus per crucifixum ſalvari, de cuius nomine Iudei erubeſcunt; eius nos nomine credimus muniri, atque ideo in fronte ſignum facimus ubi ſedes verecundiæ eſt, ſicut iam diximus.

Quali ſigno ſignemus nos?

Et non alio ſigno ſignamus, niſi ſigno crucis, quia Dominus in carne natus, vexillum crucis, quo ſuorum frontes ſignaret adferens, ut deſtrueret mortis imperium, & per tale ſignum recognoſcat contraria poteſtas principatum ſe perdere in iſtis, quos Deus vocavit ad graciam baptiſmi. Illud ſignum faciunt in frontibus eorum presbyteri, acoliti, patrini, vel matrinæ. Scribitur in edificatione templi, quam vidit Hiezechiel ſpiritaliter, & feneſtras obliquas in thalamis, & in frontibus eorum, quæ erant intra portam undique per circuitum. Quod ſic exponit beatus Gregorius: notandum vero, inquiens, quod intra portam undique per circuitum feneſtræ obliquæ eſſe memorantur. Non enim contemplacionis gratia ſummis datur, & minimis non datur. Sed ſepe hanc ſummi, ſepe minimi, ſepius remoti aliquando etiam coniugati percipiunt.

Cur ſepties Scrutinium agatur?

Scrutinium fit ante Paſcha ſepties. Septenario enim numero ſæpe univerſitas deſignatur, ſicut Iohannes ſcribit ſeptem eccleſiis, quæ ſunt in Aſia. Per has enim ſeptem eccleſias omni eccleſiæ ſcribit. Septies perſcrutantur, id eſt, perfecte perſcrutantur, ſi ea fixe mente teneant, quæ audierunt a magiſtro. Et quodamodo quaſi tenebræ fugantur in incoatione a catecumino, & in profectu ſcrutinii inluminentur ipſi catecumini. Unde & in ſcrutinio acolitis plurimum miniſterium inpenditur, qui accenſores ſunt luminum, & ideo autumamus nos in priore oratione dicere: omnem cæcitatem cordis ab eo expelle. Et in iſta, quæ poſtea dicitur in ſcrutinio: æternam, ac iuſtiſſimam pietatem tuam dicimus, ut digneris eos inluminare lumine intelligentiæ tuæ.

De Genuflexione.

Genuflexionem pro his facimus, ſicut Stephanus fecit pro his, qui nondum baptizati fuerant, inquiens: Domine, ne ſtatuas illis hoc peccatum, quia neſciunt, quid faciunt. Similiter pro iſtis oramus, ut Deus non illis inponat, quod tamdiu erraverint, & iacuerint in peccatis, ſed ſecundum magnam miſericordiam ſuam eos ad baptiſmi graciam perducat.

De Oratione Dominica.

Orationem Dominicam ſic docemus. Dominus docuit diſcipulos ſuos hanc orationem, ne ſuperflua peterent, & ea, quæ ad eorum animarum ſalutem non pertinerent. Septem peticiones ſunt in hac oratione Dominica. Tres pertinent ad æternitatem. Quatuor ad neceſſaria noſtra huius temporis, quæ iſto modo continentur. *Pater noſter, qui es in cœlis ſanctificetur nomen tuum.* Te Patrem Dominum invocamus, qui voluiſti nos tibi facere filios adoptivos, & in animabus iuſtis ſedem vis habere, ut ſanctitas nominis tui, quæ apud te eſt, maneat in noſtro pectore. *Adveniat regnum tuum.* Deficiat cotidie regnum diaboli, creſcatque tuum. Ut illo modo, ſicuti clamant ſancti

ſancti in Apocalipſi: uſquequo Domine, ſanctus & verus, non iudicas, & vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra. Quod ita expoſitum invenimus in libro domni Bedæ: Non hoc odio inimicorum, pro quibus in hoc ſæculo rogaverant, orant, ſed amore æquitatis, quo ipſi iudici, ut prope poſiti concordant, diem iudicii, quo peccati regnum deſtruatur, & reſurrectionem extinctorum corporum advenire precantur. Nam & nos in preſenti, cum pro inimicis orare iubemur, dicimus tamen Domino orantes: *Adveniat regnum tuum. fiat voluntas tua ſicut in cælo & in terra.* Per cœlum ſpiritalem creaturam intelligimus; per terram corporalem, ita fiat Deus Pater voluntas tua, ut ea, quæ animo cogitamus bona, perficere valeamus opere per corpus. *Panem noſtrum cotidianum da nobis hodie.* Semper quamdiu ſumus in ſeculo dignare miniſtrare nobis omnia neceſſaria. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Cottidie enim peccamus, & ideo neceſſe eſt nobis cottidie dicere: dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Te donante Deus, molle ſit cor noſtrum, ut cito ignoſcamus, & tu ignoſcas. *Et ne nos inducas in temptacionem.* Ne permittas nos a diabolo ita temptari, ut ſuperemur: *Sed libera nos a malo*, id eſt, a peccatis, quæ geſſimus.

De Simbolo.

Simbolum autem ſic. Credo in Deum Patrem omnipotentem In Deum vivum & verum, Patrem æternum æterni geniti; *omnipotentem*, qui & peccatoribus reddet ſupplicia ſecundum ſua merita; & iuſtis premia. *Creatorem* cæli & terræ, id eſt ſpiritalis creaturæ, & corporalis. Et in Ieſum Chriſtum Filium eius, & in Salvatorem unctum, Filium eius *unicum Dominum noſtrum*, quia ſolus nos redemit pretioſo ſanguine ſuo, qui per Eſaiam dixit: torcular calcavi ſolus, & de gentibus vir non eſt mecum. Natum in tempore noviſſimo ex Maria Virgine, paſſum pro noſtra ſalute ſub Pontio Pilato, id eſt ſub præſide Pilato, qui de Ponti inſula fuit, ſeu de regione, *crucifixus;* in cruce ſuſpenſus, mortuus corporali morte, & ſepultus corpore; triduo deſcendit ad inferna, anima tantum; tercia die reſurrexit a mortuis; corpore reſurrexit morte deſtructa; aſcendit ad cœlos videntibus Apoſtolis in forma, qua venturus eſt ad iudicium. Aſcendit ad cœlos, qui nunquam defuit cœleſtibus ſedibus. Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, id eſt regnat in regno Patris ſui, in quo nil ſiniſtrum manet, aut manebit; inde venturus eſt iudicare vivos & mortuos: Eam formam, quam Iudei crucifixerunt impiis & iuſtis demonſtraturus. Iuſtis vero eam formam tantum, quam Iudei crudeli (increduli) non cognoverunt. Iudicare vivos & mortuos, iuſtos & peccatores, unumquemque ſecundum eius facta. *Credo in Spiritum ſanctum*, qui aliquo modo donum Dei dicitur, & amor Patris & Filii, ſive communicatio; in quo dono fit repromiſſio omnium peccatorum; adeoque, qui blaſphemaverit in Spiritu ſancto non remittetur ei, neque in iſto ſæculo, neque in futuro. *Sanctam eccleſiam catholicam*, univerſalem congregationem iuſtorum, & unanimitatem fidei credimus eſſe. *Sanctorum communionem* in vinculo pacis, unitatem ſpiritus ſervare credo. Remiſſionem peccatorum, quæ, ſicut diximus, fit in dono Spiritus ſancti. *Carnis reſurrectionem.* Septimam Sabbati credo iuſtos recipere abſolutos de corpore terreno, & eſſe in magno gaudio ſecundum uniuscuiusque manſionem, atque expectare octavum diem, in quo corpora recipient ſua integra, atque perfecta; impii ad ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam amen. Vere abſque ulla dubitacione ita credimus.

De Exorcizatione.

Exorcizatur, id eſt adiuratur, ſive increpatur diabolus, ſub quo ſunt omnes, qui cum peccato naſcuntur, ut recedat a Dei creatura.

De Exſuflatione.

Exſuflatur itaque, quia dignus eſt tali ignominia deſertor antiquus.

De Sale.

In ipſo ſcrutinio benedictum ſalem ori imponimus poſt primam orationem, quæ dicitur: Omnipotens ſempiterne Deus reſpicere dignare ſuper hunc famulum tuum, quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es, & reliqua. Ut poſtquam inſtructus fuerit a magiſtro eccleſiaſtico, recognoſcat verba ſua condita debere eſſe ſale ſapientiæ, ſicut Paulus Apoſtolus ſcribit ad Coloſenſes: Sermo veſter in gracia ſale ſit conditus, ut ſciatis, quomodo oporteat vos unicuique reſpondere.

Quando fiat noviſſimum Scrutinium.

Et iſtud ſcrutinium finitur Sabbato ſancto ante Paſcha. Ipſo die facimus ſcrutinium ſeptimum, ſicut in Romano ordine invenimus ſcriptum, & legimus ſuper illos: nec te latet Satanas.

De

Digitized by Google

De tactu Narium & Aurium.

Poſt hanc lectionem tangimus eorum nares, & aures, & dicimus eis: Effeta in odorem ſuavitatis. Nares tangimus, ut ammoneantur, quamdiu ſpiritum vitæ huius naribus trahunt, ſemper in his perſeverent, quæ iam didicerunt, & adhuc diſcunt ab ore catholicorum virorum, & ideo ſputo presbyteri tanguntur. Similiter dicimus de auribus, quaſi dicat presbyter, fidem, quam ab iſto ore didiciſti, & quæ per aures intravit ad animam, quamdiu ſpiritum vitæ huius naribus trahis, ſemper tenere memento, ut dicere poſſis cum Paulo Apoſtolo: Chriſti bonus odor ſumus Deo. Et iterum dicat auribus: Aures iſte Deo miſerante ſemper aperte ſint ad intelligenda verba diſciplinæ Dei, & dicere poſſit qui ita apertas aures habet, in obauditu auris obedivi tibi.

De unctione Scapule & Pectoris.

Poſtea tangimus de oleo ſancto ſcapulas, & pectus, & dicimus eis: abrenuncias Satanæ, & cætera, quæ ſequuntur. Per oleum namque miſericordiam Dei novimus ſignari, ſicut illud eſt Gregorii: quos autem per olivam niſi miſericordes accipimus? quia & grece eleos miſericordia vocatur. In ſcapulis, ſive in humeris fortitudinem brachii terreni hominis ponimus, brachia operantur & manus, quæ in brachiis poſite ſunt; & ideo autumamus per ſcapulas deſignari fortia opera hominum. Et per pectus, ubi quodamodo conſiſtit cubiculum cogitationum, volumus deſignari bonas cogitationes. Oleo ſancto, id eſt miſericordia Dei ungantur, ut ſciant ſemper deprecari miſericordiam Dei, ut dirigat corda & opera eorum in caritate Dei, & patientia Chriſti; & recognoſcant ſe non aliter bonum operari poſſe, neque velle, niſi per miſericordiam Dei.

De Abrenuntiacione.

Et interrogamus illos, quos antea inſtruximus in fide, & quos poſtea ſcrutati fuimus, ſi adhuc permanſiſſent in his, quæ primitus didicerunt, & ſi ſe cecos fuiſſe cognoviſſent, & modo pro peraſſe ad lumen, eoquod perfecte, id eſt, ſepties illos ſcrutati ſumus, ſi abrenuntient, id eſt contradicant ſatanæ contrariæ poteſtati, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius, & dicimus illi, contradic ſatanæ cum Propheta David: obliviſcere populum tuum, & domum patris tui; poſtea & omnibus operibus eius, quæ ſunt fornicatio, idolorum ſervitus, veneficia, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia. Quæ quamvis ad carnis voluptates pertineant, tamen opera ſunt ſatanæ, quorum ſuaſor, & inſtigator eſt occultus. Hæc ſunt, quæ regnant in diabolo ſine carne: ſuperbia, invidia, inimicitiæ, contentiones, emulationes, ire, rixe, diſpenſiones, ſecte, & reliqua. Quamvis ea Apoſtolus opera carnis dicat, tamen ſine carne regnant in diabolo, & ſunt quodamodo opera carnis, quia ſunt opera hominis, & homo vivendo ſecundum ſe ipſum hoc eſt, ſecundum hominem factus eſt ſimilis diabolo, quia & ille ſecundum ſe ipſum vivere voluit. Hæc opera ſatane dicimus, quorum aliquorum ſuaſor & inſtigator eſt, aliquorum caput & origo. Noviſſime & omnibus pompis eius, quæ ſunt: inanis iactantia, honores terreni, canora muſica, in quibus ſepe ſolvitur, & mollitur chriſtianus vigor, ſpectacula turpia vel ſupervacua, & reliqua.

Deinde perſcrutamur patrinos vel matrinos, ſi poſſint cantare orationem dominicam, & ſimbolum, ſicut præmonuimus. Ac poſtea per ordinem, ſicut in Romano ordine ſcriptum eſt, ſacrum officium peragimus uſque ad ſacratiſſimum opus baptiſmatis.

Recapitulatio.

Is, qui baptizandus eſt, eſt etiam catecuminus, id eſt inſtructus, ut recognoſcat errorem priſtinum, & intelligat lucem veritatis. Accepit ſalem ſapientiæ, ut turpiloquia decliner. Adiuratus eſt diabolus, qui fuit in illo cum ſigno crucis, ut recedat a Dei famulo & inde fit genuflexio ad Deum, ut Deus illum expellat a ſuo vocatu. Orare pro ſemetipſo, iam doctus eſt in oratione Dominica, quomodo credere oporteat, iam audivit in ſimbolo. Ammonitus eſt per ſputum presbyteri, ut quamdiu ſpiritum huius vitæ trahit naribus, fidem, quam audivit, per aures teneat. Poſt auditam fidem ungatur inter ſcapulas & pectus, ut Dei miſericordia, cogitaciones bone & opera corroborentur in eo, & recedat ab omni malo, quod ad membra ſatane pertinet, & faciat bonum, ut confiteatur, ſe credere in Deum Patrem omnipotentem, & in Ieſum Filium eius natum ex Patre ante omnia ſecula, factum ex muliere in tempore; & in Spiritum ſanctum, & reliqua. Sicque intingitur ſacro fonte baptiſmatis.

De unctione Capitis.

Poſt hoc ſalutare lavacrum linitur caput eius ſacro chriſmate, unde Sacerdotes & Reges unctos ſunt, eſſe novimus in veteri teſtamento, ut intelligat baptizatus regale ac ſacerdotale myſterium ſe accepiſſe, quia illius corpori adunatus eſt,

 qui

Digitized by Google

qui rex ſummus & ſacerdos eſt verus, & regnum ſperare debet perpetuum, & hoſtias inmaculate converſationis Deo ſemper offerre meminere.

De tegumento Capitis.

Poſtea tegitur linteo, & hoc de veteri teſtamento adſumptum eſt, ſic enim ſcriptum eſt in Exodo: filios quoque illius, Aaron, applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque palteo, Aaron ſcilicet, & liberos eius, & impones eis mitras. Iam percepta gratia ſacri baptiſmatis non ſe confidat viribus ſuis, ſed ſemper deprecetur, ut protectus ſit Domini & cœleſti auxilio; protectionem Domini preclaram volumus intelligere per linteum, quo caput tegitur.

De Indumento.

Albis induitur veſtimentis, ut ſciat ſe inviolatum corpus poſſidere, & claritate Spiritus ſancti inluſtratum cor ſe habere, ſi vere cognoſcat, ſe iuſtitiam & nuptialem veſtem habere. Per veſtimenta enim opera iuſtitiæ intelliguntur, unde dicit David: Sacerdotes tui induantur iuſtitia.

De Confirmatione Corporis & Sanguinis Domini.

Confirmatur poſtea Corpore & Sanguine Domini, ut ſciat per talia miſteria diabolum expulſum ab eius corde, & Chriſtum inhabitare, ita, ut confidenter dicamus illis: omnes, qui in Chriſto bapizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

De parvulis non intelligentibus, & tamen fidem habentibus.

Quamvis parvuli pro ætate non poſſint intelligere ipſam converſionem ad Deum, atque credulitatem, credimus tamen eos ad Deum convertere propter converſionis Sacramentum, & fidem habere propter fidei Sacramentum, ſicut legimus in Auguſtini Epiſtola ad Bonifacium Epiſcopum de parvulis requirentem, ubi dicit: ipſa reſponſio ad celebrationem pertinet Sacramenti, ſicut de ipſo baptiſmo apoſtolus: conſepulti, inquit, ſumus cum Chriſto per baptiſmum in morte. Non ait, ſepulturam ſignificabimus, ſed prorſus ait: conſepulti ſumus. Sacramentum ergo tante rei non niſi eiusdem rei vocabulo nuncupavit. Itaque parvulum, etſi nondum fides illa, que in credentium voluntate conſiſtit, iam tamen ipſius fidei Sacramentum fidelem facit. Nam ſicut credere reſpondentur, ita etiam fideles vocantur, non rem ipſam mente annuendo, ſed ipſius rei Sacramentum percipiendo. Cum autem homo ſapere cœperit, non illud Sacramentum recipit, ſed intelligit eiusque voluntati, conſona etiam voluntate, coaptabitur. Hoc quamdiu non poteſt, valebit Sacramentum ad eius tutelam adverſus contrarias poteſtates, & tantum valebit, ut ſi ante maioris uſum ex hac vita emigraverit, per ipſum Sacramentum cum mediante eccleſie caritate ab illa condemnatione, quæ per unum hominem intravit in mundum, Chriſtiano adiutorio liberetur. Hucuſque Auguſtinus.

De parvulis non loquentibus.

Poteſt fieri, ut, qui alieno peccato ſunt ligati, aliena profeſſione ſolvantur. Hæc piiſſime imperator cauſa obœdientiæ poſuimus, quia dignum eſt veſtræ voluntati omnibus viribus obœdire, tamen in omnibus his, quæ diximus parati ſumus a veſtris inclitis doctoribus corrigi & emendari. De noſtra credulitate hæc dicimus, & recipimus, quod Eſaias dixit: verbum adbreviatum faciet Dominus ſuper terram. Credimus Deum Patrem unum vivum & verum ſemper eſſe immutabilem, tamen inmutabilia operantem. Numquam eſſe ſine ſua ſapientia, hoc eſt ſine ſuo filio, neque ſine eius voluntate, hoc eſt ſine Spiritu ſancto. Deus Pater per ſapientiam in bona voluntate ſua omnia creavit. Credimus tres perſonas, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & accipimus verſus ſedulii: non quia, quod ſummus Pater eſt, & Filius hic eſt, ſed quia, quod ſummus pater eſt, & filius hoc eſt. Filium ſolum adſumſiſſe carnem humanam, ut viſibilis foret hominibus; hunc baptizatum, quia oportebat nos baptizari; hunc mortuum corpore mundo, ut nos moriremur peccatis; hunc reſurrexiſſe a mortuis, ut nos reſurrectionem ſperaremus; hunc viſurum in noviſſimo iudicio, quando ſegregabit oves ab edis, & poſtea ſolos malos in inferno, hoc eſt, in pœnis victuros, iuſtos ſolos in regno Dei beate regnaturos. Hæc eſt iuſtiſſime imperator noſtra credulitas, hæc ſpes firma. Hunc Deum amamus, quem ardentius amare deſideramus. Dixiſtis ſereniſſime Auguſte, velle vos ſcire, qualiter nos, & noſtri ſuffraganei doceremus populum Dei de baptiſmi Sacramento. Hæc prout potuimus, prelibavimus. Suffraganeus eſt nomen medie ſignificationis, ideo neſcimus quale fixum ei apponere debeamus, aut presbyterorum, aut abbatum, aut diaconorum, aut ceterorum graduum inferiorum. Si forte epiſcoporum nomen, qui aliquando veſtræ civitati ſubiecti erant, addere debemus, oro, ut hoc non imputet Dominus ſervo ſuo, quia

Digitized by Google

quia uſque in preſens tempus: Non ſum auſus ea attingere, quæ nobis iniuncta non ſunt, ſed paratus ſum omnium Chriſti ſervorum veſtigia ſequi. Et ſi forte presbyterorum ſupra dictum ordinem docuimus, illos etiam ammonuimus, ut ſepe doceant populum Dei vana huius mundi derelinquere, & vera cœleſtia petere; ex hoc unde me coegit veſtra iuſſio reſpondere, ſi in hoc, quod predico, me ipſum cuſtodiam, ita reſpondeo: oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos; ſciat, Domine mi, ſanctiſſima gubernatio veſtra, nulli me prædicare ut peccet, ſed ut non peccet; & tantum recole ſententiam Iacobi Apoſtoli, ubi ait: In multis enim offendimus omnes. Cum ſummus Chriſti loqueretur Apoſtolus, & præmiſit in multis, ſubiunxit omnes, ut tanto cautius ſe inperfecti, quique in agendo vel loquendo circumſpexerint, quanto certiſſime cognoſcerent, qui nec perfecti quidem boni, & qui Spiritus ſancti gratia duce incedunt, huius vitæ viam ſine offenſione peccati alicuius tranſigere nullatenus poſſent; atque ideo docemus ſic: Si confiteamur peccata noſtra, fidelis & iuſtus eſt, ut remittat nobis peccata noſtra; quia ſine peccato in hac vita eſſe non poſſumus. Prima ſalutis ſpes eſt confeſſio, ne quisquam ſe iuſtum putet, & ante oculos Dei erigat cervicem; deinde dilectio, quia caritas operit multitudinem peccatorum. (1)

Incipit Expoſitio Miſſæ.

Ex Codice Turicenſi ſæc. IX.

Dominus vobiscum; Salutat Sacerdos populum, & orat, ut Dominus ſit cum illo &c. *Prout paulo poſt ex nitidiori correctioreque codice Einſidlenſi dabimus; ea vero quam hic deſcribimus ex cod. Turic. initio manca eſt, ut ſequitur.*

Et mediatorem veniſſe ad convallem lacrimarum, centeſimam, quæ perierat, ovem requirenda, quod enim valent in primo ordine novem ut decem compleantur, id ipſum valent nonaginta in ſecundo ordine, ut perveniatur ad centum; idcirco intelligimus nonaginta novem oves novem ordines Angelorum velle ſignificare, qui remanſerunt in cœleſtibus, & decimum ordinem, id eſt genus humanum, quod cecidit, Chriſtum quæſiſſe; quis enim audet dicere, quod pro reparatione diaboli Chriſtus veniret in mundum; non procul dubio, ſed pro reparatione hominis. Poſtea dicit iſtorum duorum nomina non ſunt latina, de Cerubin & Seraphin plane dicat, & poſt pauca ait: cætera nomina ſupradictorum ordinum latina ſunt, niſi Angelorum & Archangelorum, quaſi throni nomen latinum ſint. Ecce iam non conputat duos ordines grece prolatos in primo ſed quatuor, id eſt Cherubim & Seraphim, Angelorum & Archangelorum. Mihi vero valde optabile eſſet, diceret: cur quinque ordines, vel ſi vult diceret, quoniam cœlos ſerenos & nebuloſos apellat, poneret præceptor Ieſus præfationis, & quatuor dimitteret; dicamus pro captu noſtro, quid nobis videatur: ſex ordines, ut nobis videtur, præſcripti ſunt in hac præfatione, id eſt Angeli, qui nuncii dicuntur, Dominationes dominantur ſecundum Gregorium ſuper Poteſtates & Principatus; Poteſtates ſunt, quibus adverſæ poteſtates ſubiectæ ſunt, ut non tantum temptare audeant, quantum volunt. Cœli throni ſunt, in quibus Deus præſidet ad iudicandum. Cœlorum virtutes, per quos Deus miracula miniſtrat ſuis electis. Ac beata Seraphim, id eſt beata agmina ardentia ſive incendentia, in quibus ſex, novem ordines poſſumus intelligere, ſicut enim beatus Lucas quatuor ordines beatitudines enumeravit, in quibus conprehendit octo beatitudines, quas Matthæus tetigit; eodem modo intellegamus inter ſex ordines angelorum tres cardines eſſe, in quibus & aliis tres conprehenduntur, ut ſint novem. Sed antequam illam dicamus, nimirum tibi videatur, cur cœlos in ordine angelorum ponamus, captus noſter tibi pariatur, cœli etenim nomine omnem ſpiritalem creaturam intellegimus, id eſt angelicam, ſcriptum eſt enim: *In principio creavit Deus cœlum & terram;* per cœlum, ut diximus, ſpiritalem creaturam intellegimus, & per

terram

(1) In cod. *Turicenſi* adduntur epiſtolæ amœbeæ AMALARII & PETRI Abbatis *Nonantulæ*, ad quem miſit hoc opuſculum AMALARIUS; interrogatio item CAROLI M. quas literis encyclicis ad alios quoque regni ſui archiepiſcopos, ex quorum reſponſionibus duas in analectis edidit MABILLONIUS ed. in fol. p. 75. ODILBERTI ſcilicet archiepiſcopi *Mediolanenſis*, & LAIDRADI *Lugdunenſis*. Apud *Frobenium* FORSTERUM in nov. ed. opp. ALCUINI additur etiam p. 524. ex cod. *Turic.* epiſtola CAROLI M. ad AMALARIUM *Trevir. poſt lectam reſponſionem*, ut habet Mſc. AMALARIO *Trevirenſi* vindicat epiſtolam ad CAROLUM M. de cærimoniis baptiſmi HONTHEMIUS Hiſt. *Trevir.* dipl. T. I. p. 158. 163. Affert porro MARTENIUS *Theſ. Anecd.* T. I. p. 15. anonym. de ritibus baptiſmi ad CAROLUM M.

Digitized by Google

terram omnem materiam corporalis creaturæ, ſi per officium ſibi diſpoſitum diverſa nomina ſortitur, profecto thronis apte cœlum convenire poteſt, de quo dicitur: *Cœlum mihi ſedes eſt*, etenim ſi throni ſedes Dei dicuntur, procul dubio per cœlos non inmerito throni memorantur, quamvis per cœlum anima iuſti intellegi poſſit.

Redeamus ad cardinales ordines: omnis Archangelus angelus eſt, & non omnis Angelus Archangelus dicitur, ſicut Archiepiſcopus Epiſcopus eſt, non omnis Epiſcopus Archiepiſcopus dicitur. Ecce unus ordo cardinalis; cui poteſtates ſunt deputatæ, principatus utique non deſunt, ecce ſecundus; Seraphin namque ardentes vel incendentes dicuntur; quis plus poteſt ardere in directione & curare, ut incendat proximorum animos de doctrina, quam ille, cuius cor plenum ſanctæ ſapientiæ & divinæ conſtat eſſe. Cherubin plenitudo ſcientiæ dicuntur; Seraphim ſine Cherubim non oportet eſſe, quoniam qui ardent in dilectionem proximorum, non ſunt ſine ſapientia Dei, ac ſi aperte dicat: ſine ſapientia Dei, quæ eſt filius Patris, non poteſt venire ad ignem, quem venit mittere in terram, ut ardeat; & conſtant novem eſſe; tres ſunt dupli, Angeli, Poteſtates, & Seraphim: & tres ſimpli, Dominationes, cœli, & Virtutes cœlorum; & iterum Angelorum & Archangelorum duo ordines ſunt, id eſt ſuperior & inferior; ſuperior namque non poteſt eſſe, niſi habeat aliquid inferius; inferior vero non poteſt ſtare, niſi habeat aliquid ſuperius: Ita vero non habent Angeli quibus inferiores ſint, niſi ſint Archangelis ſuperiores, ſi deſunt inferiores Angeli; quare neceſſe eſt, ut omnis ſuperior gradus habeat inferiorem. De Poteſtatibus vero, omnis qui poteſtatem habet & principatum, aliquid habet, & converſo iterum ordine, omnis qui principatum habet, & poteſtatem habet aliquam iuxta illum dominicum: *Scitis quod hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis, & principes eorum poteſtatem habent ipſorum;* de Seraphim namque ita: omnis qui ardet in amore Dei & amore proximi, habet cœleſtem ſapientiam, & omnis qui cœleſtem ſapientiam habet, ardet in honore Dei & proximi; neque abſurdum eſt tangere, quid rationis habeat, quia & in capite eius catalogi cardinalem ordinem poſuit, & in fine idem eſt Angelos & Seraphim, quoniam Pater & Filius in initio idemque in fine; omnis enim ſubſtantia & principium habet & finem aliquo modo; principium vero & finis medio carere non poſſunt; dicatur igitur primo duplum, & ſimplum, quaſi principium; dicatur ſecundo duplum & ſimplum quaſi medium aliquod; dicatur & tertium ſimplum & duplum quaſi finis; Deus namque & principium dicitur & finis, quia omnia ab ipſo innovantur principio, & quia in eo omnia perficiuntur, & nullus eis ſuccedat in regnum. Finis nec medio caret, quia omnia ſuſtentat, ut ſint, quam maieſtatem miniſteria angelorum laudant laude dupli & ſimpli, quoniam ante omnem creaturam Patrem per verbum unigenitum laudant manentem in una eademque ſubſtantia, quaſi duplum ad ſimplum referant, quando Patrem & Verbum ſuum credunt unum Deum ſemper fore; non quod angelorum creatura foret ante omnem creaturam; ideoque quia ipſa creatura eſt, & antequam crearetur, non potuit eſſe in ſemetipſa, ſed quia ſcit divinitatem ſemper eſſe, antequam quicquam crearetur, laudant & in medio quam regnum, quamvis Verbum incarnatum foret, & hominis filius confiteatur, nunquam tamen a ſua ſubſtantia ſeparatum eſſe, in quo æqualis eſt Patri, ac ſi aperte dicat: alio modo Patris & Filii unus Spiritus eſt, qui non dicitur relative ad Patrem & Filium, ut Pater & Filius; Pater dicit relative ad Filium: Filius meus es tu; & Filius relative ad Patrem: Pater meus es tu. Spiritus vero non dicit ad Patrem: Pater meus es tu, neque ad Filium, Filius meus es tu, ſed tantummodo Pater & Filius ad Spiritum: Spiritus meus es tu, & ecce fit angelorum laus dupla ad ſimplam, quoniam laudant Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum.

In tertio loco ſimplam primo proferunt, & poſtea dupli; id eſt virtutes cœlorum, & poſtea Seraphim; quoniam in ſancta Trinitate neque Pater ante Filium & Spiritum ſanctum, neque Filius ante Patrem & Spiritum ſanctum, neque Spiritus ſanctus ante patrem & Filium; ſimplum namque non habet medietatem, quia unitas non poteſt dividi; duplum namque medietatem habet, id eſt unum; ita enim continetur in aritmethica diſciplina, ſola enim unitas circum ſe duos terminos non habet, atque ideo eius, qui eſt prope ſe ſolius eſt medietas. Quam pulcre concordat hæc iocunda ars auctoritati omnis creaturæ? In catalogo enim trium perſonarum Filii perſona ſecundo in loco ponitur, de quo ſcribitur: *Unus mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus.* In ſancta Trinitate ſolus Filius noncupatur mediator; quoniam habet iſte binarius numerus ſuam medietatem in unica perſona Patris; ipſa vero perſona unica Patris non habet medietatem, quo-

niam

niam non habet ſuper ſe, a quo veniat; a quo vero numero nominato ternarius numerus efficitur, id eſt unum & duo tres qui numerus primus & incompoſitus eſt; Ita vero ſcriptum eſt in ſupradicta arte; in tribus enim una pars ſola eſt, id eſt tertia, quæ a tribus ſcilicet denominata eſt & ipſa tertia pars unitas; a Patre enim & Filio Spiritus ſanctus procedens eſt qui ponitur in tertio loco, & habet a ſuo effectu vocabulum, gratia Dei, caritas Dei, & communicatio, unde dicit Paulus Apoſtolus: Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti & charitas Dei & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis. Et ipſa tertia perſona adunata creditur in ſancta divinitate, ut Pater & Filius & Spiritus ſanctus unus Deus credatur, & firme teneatur.

Igitur non abhorret a vero, ſi duplum id eſt perſona Patris & Filii ad ſimplam Spiritus ſancti perſonam referatur, quæ tertia eſt, quoniam & ipſa unitas eſt ſecundum commemoratam artem. Aliter lætantur angeli de reparatione generis humani, & laudant creatorem ſuum per duplum & ſimplum ter; mors namque noſtra duplex eſt, animæ & corporis; ſed angeli laudant, quia ſimpla morte Chriſti dupla mors noſtra liberata eſt. Reſurrectio noſtra ſimiliter dupla eſt, animæ & corporis; Animæ, quando de infidelitate ad fidelitatem ſurgit; Corporis, quando de pulvere reparabitur in incorruptionem. Laudant angeli, quoniam per ſimplam Chriſti reſurrectionem donabitur nobis dupla reſurrectio; laudant tertio angeli, quoniam non ſolum Chriſti morte liberati ſumus, & eius reſurrectione reſurgemus in noviſſimo die, & ante noviſſimum diem in anima; ſed & nobis promittitur per Chriſti aſcenſionem glorioſam in cœlos dupla aſcenſio, id eſt de vitiis ad virtutes, & animæ iuſtæ ad cœleſtia regna ante reſurrectionem corporum, ſicut Chriſtus pro ſuis oravit dicens: Volo Pater, ut ubi ego ſum, ibi ſit & miniſter meus. Hæc quæ ſupra prælibavimus de diſtantia nominum beati agminis, ſive coniunctione eorum præſumpſimus, de ſancto Gregorio, qui ex eorum nomine pulchre officia ſingulorum elicuit, cogitante me & amore amplectente, quod in conſecratione tanti miſterii omnis ordo angelorum & omnis decor cœleſtis, quantum datum eſt attingi a fidelibus ſingulisque mentibus merito ad memoriam revocentur. Sciendum tamen, quod ſi diceret: laudant angeli, ſufficeret; unde dicit beatus papa Auguſtinus: ut cum omnes tanquam generali nomine angeli nuncupantur, ſicut ſcriptum eſt ad Hebreos: *Cui dixit aliquando angelorum, ſede ad dextris meis?* Hoc quippe modo ſignificavit omnes univerſaliter angelos; dicit: ponit primo in loco: laudant angeli, ut gaudium dominicæ nativitatis ad memoriam revocet, de quo dicit Lucas: Facta eſt cum angelo multitudo cœleſtis exercitus laudantium Deum; ut recolatur, quod ipſa nativitas, quæ gaudium præſentat, ſumma cum veneratione debet venerari, non tantum ab adflictis, ſed etiam ab ipſis, qui ſummam dominationem perceperunt. *Adorant Dominationes*, & non tantum venerari, ſed etiam revereri; & adiunxit dicens: *Tremunt Poteſtates*; unde ſcribitur in Iob: *Ab aquilone aurum veniet, & a Deo formidoloſa laudatio:* Ab aquilone aurum venit, quando Cornelius centurio, qui dominabatur in ſuis, cum orationibus & elemoſinis deprecabatur Deum; cui dictum eſt: orationes tuæ & helimoſine aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei; a frigido enim corde & potente aurum, id eſt mens fidelis Deum adorabat. A Deo formidoloſa laudatio prodiit, quando hi quibus dictum eſt: tu eris poteſtatem habens ſuper decem aut quinque civitates, claritatem fidei gentilis populi videbant offerre divina iudicia pertimeſcendo laudaverunt; ſicut ſcriptum eſt in actibus Apoſtolorum: *Cecidit Spiritus ſanctus ſuper omnes, qui audiebant verbum, & obſtupuerunt ex circumciſione fideles, qui cum Petro venerant*; & poſtquam Petrus fratribus retulit, quomodo acta ſunt cum Cornelio, protinus ſcriptum eſt: *His auditis tacuerunt, & glorificaverunt Deum.* Ab Hebræis iam fidelibus formidoloſa laudatio prodiit, quia damna ſuæ repulſionis timuerunt, dum lucra aliena vocationis gaudendo viderunt. Adoramus namque ipſa miſericordia Dei miniſtrante, quando officium noſtrum ſtudemus implere; ſed timemus recogitantes de præteritis, vel de præſentibus, ſive de futuris, ne impediant orationes noſtras; & quæ affecta bonitate hominibus placent, timemus, ne propter occulta peccata Deo manifeſta occulto Dei iudicio deſpiciantur; atque ut recordetur illius ſcripturæ, quæ ait: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei*; & iterum: *qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, & nomen civitatis novæ Hieruſalem.* Infit: *Cœli cœlorumque virtutes ac beata Seraphim, ſocia exultatione concelebrant.* Item ſcribit: græce dicitur Pater, & latine genitor; nos vero & græce & latine Pater dicimus. Latini ſcribunt Pater noſter; & græci Patyrimon. Item ſcribit: cum quibus hoc eſt ſupplices noſtras,

Digitized by Google

ſtras, ut ipſe cœleſtis Pater, per quem Chriſtum Filium ſuum, per quem nos ei gratias de omnibus agimus, dignetur admittere voces, & iungere vocibus prædictorum ordinum angelorum; quod nos congruentius poſſumus dicere, cum quibus, id eſt ordinibus, precamur, ut noſtræ voces iungantur Pater ſancte per Chriſtum Filium tuum. Item ſcribit: *Pleni ſunt cœli & terra gloria tua*; hoc eſt, ut eius gloria cœli ac terræ gubernentur, & qui in cœlis ſunt & in terra, glorificent nomen eius ſanctum, quod nos ita dicimus: pleni ſunt cœli & terra gloria tua; hoc eſt ſancti angeli & homines, qui adhuc in terra ſunt, pleni ſunt manifeſtatione tua, de Incarnatione, de paſſione, de reſurrectione, & de aſcenſione tua. Nos vero ſcripſimus cœli pluralis numeri & terra ſingularis, ut non tibi hoc mirum videatur, quoniam habet terra pluralem numerum ut cœlum, ſicut eſt, orbem terrarum & plenitudinem eius tu fundaſti, & alia multa. Dicamus aliquid, quid in hac re poſſit ſentiri; cœli etenim plurali numero dici poſſunt, quoniam duo ordines ſunt principaliter cœleſtium creaturarum, eorum videlicet, qui nunquam peccaverunt, ſicut angeli Dei ſunt, qui ſemper in beatitudine permanent; & eorum, qui peccaverunt, & poſtea deſiverunt peccare, ſicut ſunt animæ Sanctorum, qui in cœlis habitant; vel certe quia duo ordines ſunt electorum in cœleſtibus, eorum videlicet, qui audituri ſunt: Venite Benedicti Patris mei; & eorum, de quibus ſcriptum eſt: ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim. Et de quibus dicit Paulus: *Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur*; ex Deo enim eſt, quod Habraam, qui in cœlis eſt, pater dicatur credentium populorum; quod & intellegimus de tota primitiva eccleſia dici; & eodem modo quiſquis in terra pater nominatur, ſive proprius ſit ſive adoptivus, ex creatore omnium eſt. Terra etenim ſingulari numero pronuntiatur, quoniam unus ordo eſt principaliter omnium terreſtrium ex utero & femine procreatorum, id eſt peccatorum, ut idem Apoſtolus: *Omnes enim peccaverunt, & egent gloriam Dei.* Et in pſalmo XIII. *Omnes declinaverunt ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.* Tale quid ſonat & eadem prophetia, quæ dicit: *Lætentur cœli, & exultet terra*; & iterum in Iſaia: *Audite cœli & auribus percipe terra.* Et iterum: *Laudate cœli & exultet terra.* Item ſcribit: *Oſanna in excelſis.* Quomodo nunc dicitur corrupte Oſanna? Antea dicebatur Oſianna, quod ſimiliter dicimus. Et poſtea dicit: *Oſi* interiectio eſt laudantis ſive cauſa magnificantis; *Anna*, ſalvifica. Sed corrupte dicitur oſanna, & intelligi poteſt ſalvifica ſive ſalvum fac; ſed tamen nos illam & aliam interpretationem ei inferimus: Oſanna in excelſis, id eſt victoriam illi & gloriam deputo, qui in excelſis eſt; qui id ab aliis doctoribus didicimus, velut Iohanne Conſtantinopolitano, & reliqua; Oſanna namque interiectionem dicimus, non quod ex duabus aliis partibus compoſitum ſit, ſed pro una parte interiectione accipitur, & dicitur oſanna per ſpeciem metaplaſmorum ſincopen, ablata videlicet. i. littera de media dictione, ſicut ſecla ſcribitur pro ſecula, & maniplos dicimus pro manipulos, & vincla pro vincula, & multa his ſimilia; Oſanna vero bis repetitur in angelico hymno, pro vice duorum populorum, Iudaici videlicet & gentilis. Dicamus: quod primum dicitur Oſanna, & reſpondet huic dicto: pleni ſunt cœli & terra gloria tua; convenire populo gentili numerus maior invenitur credentium primo tempore, quam Iudæorum. Unde dicit Iſaias propheta: primo tempore alleviata eſt terra Zabulon & terra Neptalim, quod omnis eccleſia interpretatur dictum eſſe de credulitate gentilis populi. Dicamus ſecundum Oſanna, quod reſpondet: *Benedictus qui venit in nomine Domini*, convenire populo Iudæorum, cui Chriſtus dicit: Non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini; hoc eſt donec credatis, quod venerim in nomine Patris. Unde ad Romanos ſcribit Paulus: *Donec plenitudo gentium ſubintraverit; & tunc omnis Iſrael ſalvus fiet*; ac ſi dicat: quando hoc erit, tunc poteritis dicere toto animo: Oſanna in excelſis; id eſt illi omnis gloria, illis omnis victoria. A nobis dicitur: qui venit in nomine Dni, & cœleſtia non deſeruit. Idipſum credimus ſignificare, quod ſemel Iſaias in veteri teſtamento, qui evangelicus vir dicitur, dicente Hieronymo: Hoc adiciendum, quod non tam propheta dicendus ſit quam evangeliſta; prophetico intuitu vidit Dominum ſedentem, & Seraphim ſtantes & clamantes ad alterutrum:

Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Et iterum ſemel in novo teſtamento Iohannes evangeliſta, qui non tam evangeliſta quam propheta extitit, teſtante eadem prophetia ſua, nihilo minus vidit oſtium apertum in cœlo, & ſedentem ſuper ſedem, & audivit animalia clamantia & dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens. Item ſcribit: Dona ſunt,

quæ

Digitized by Google

quæ voluntarie donantur; munera ſunt, quæ pro aliquo munere vel mercede offeruntur, ſicut nos offerimus Deo, ut peccata noſtra dimittantur. Sacrificia ſunt, quæ cum orationibus conſecrantur; Inlibata, id eſt immaculata, & ab omni malitiæ livore aliena. Nos vero non ita ſatis intellegentes ponamus pro modulo noſtro, quod nobis videtur: dona ſunt, quæ in hæreditate ſempiterna dantur; ſicut eſt in præſente præ terra & ſilva & multa alia, & in futuro ſpiritalia, de quibus ſcriptum eſt: aſcendens in altum dedit dona hominibus; quæ nempe dona promiſſa ſunt cœleſtis & ſempiternæ vitæ. Munera, quæ pro aliqua re præſenti gratificanda dantur; ſicut eſt aurum & argentum; & quæ manibus accipiuntur. Unde quando Magi ſua offerebant, id eſt aurum, tus, & mirram, munera nominata ſunt in evangelio; Abraham namque hæreditatem dedit filio ſuo Iſaac, & filiis concubinarum munera dedit; & poſſumus intellegere per Iſaac hæreditatem ſempiternam, quam dedit filiis ſuis, Deus populo ſuo chriſtiano & electis ſuis; & per munera, quæ acceperunt filii concubinarum, temporale adiutorium aliquo modo, ſicut ſolet evenire multis reprobis, quando deteriores plus quam meliores gaudent pro præſente conſolatione aliqua.

Aliter per dona, quæ ſempiterna beneficia ſignificant, accipiamus evangelium & cœleſtem ſapientiam, quæ beatum facit hominem, & ditat cœleſtibus bonis; & per munera ſæcularem ſapientiam, quæ aliquod adiutorium præſtat in præſenti ſeculo; ſed ea utraque Deo offerimus, quia & cœleſtem ſapientiam & ſecularem illi deputamus, & gratias agimus, a quo accepimus, quia nihil habemus, niſi quod accepimus, ſicut Paulus apoſtolus dicit: Quid habes quod non accepiſti? Si enim accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Sequitur:

Hæc ſancta ſacrificia inlibata; ſacrificium eſt, unde aliquid manducat ſacerdos, & aliquid Deo inceditur; ſicut ſcriptum eſt in Levitico: *ſi autem in anima offert munus* & ſacrificium Deo, ſimila ergo erit munus eius, quam perfundens oleo & inponens ſuper eam thus, offert ad ſacerdotes filios Aaron, quod cum acceperit, levabit manum plenam ſacerdos de ſimila oleo conſiſta; thus autem totum offert, in quantum obtulerit, & ſic inponet ea ſuper altare, offerens in teſtimonium memoriæ ſacrificium & odorem ſuavitatis Deo (Dno); reliquum vero, quod ſuperfuerit, Aaron & filiis eius dabitur; hoc eſt enim Sanctum Sanctorum ex ſacrificiis Dei, quare per ſacrificium terrena ſubſtantia accipi poteſt, unde aliquid ſumitur a propriis laborantibus, & aliquid datur pauperibus, id eſt Chriſto, ut non ſolum gratias agimus Deo pro eo quod ſcimus, ſed & pro omni quod habemus. Inlibata, immo læta dicuntur.

Item ſcribit: *Inprimis quæ tibi offerimus;* hoc eſt quæ tibi offerimus pro quibus offeruntur indicat, quod congruentius poteſt, dicit: Inprimis quæ tibi offerimus; hoc eſt hæc munera quæ tibi offerimus, inprimis pro eccleſia tua ſancta catholica, & reliqua. Item ſcribit: *Pro hoc offerimus, ut ſupradictam congregationem tuam per totum orbem terrarum pacificatam & adunatam cuſtodire digneris:* Sed alterum modum exponit, quam ſcriptum ſit, ſcriptum eſt namque: *quam pacificare, cuſtodire, adunare, regere digneris toto orbe terrarum;* Scriptum eſt de præſenti tempore infinitivi modi; ſed ille in ſuo tractatu ponit præteritum participium, id eſt pacificatam & adunatam, quaſi ſoli præponit lunam.

Item ſcribit: *Memento Domine famulorum famularumque tuarum.* Deprecamur Deum Patrem, ut memorare dignetur omnium ad officium miſſe, ſive maſculorum ſive feminarum advenientium, & quod dicit circumadſtantium, ipſi ſunt maſculi & feminæ, que circumſtant; mihi vero videntur ipſi veniſſe qui circumſtant, & quam ob rem nullam diſtantiam facere illi inter illos & iſtos: poſtea facit aliquam diſtantiam inter famulos & famulas & circumſtantes, ubi dicit: Iam Sacerdos oravit pro omnibus, qui ad audiendam miſſam venerunt; tunc demum orat pro his, qui oblationes ſuas offerunt. Nos vero ita & alias: Memento Domine famulorum famularumque tuarum, id eſt uno modo amicorum & amicarum mearum, quorum ſpopondi memoriam nominatim habere in noſtra miſſa; & quod poſtea addimus: & omnium circumſtantium, tunc rogamus pro omnibus, qui ad miſſam venerunt fidelibus. Altero modo ſic: Memento Domine famulorum famularumque tuarum, id eſt eorum, qui ad illas eccleſias miſſam & baptiſterium oportet querere. in quibus præſumus, & in eo, quod poſtea addimus: & omnium circumſtantium, univerſalem eccleſiam conprehendimus; ac ſi aperte dicamus: non ſolum rogamus pro his, qui ad noſtram parochiam pertinent, ſed & pro omnibus eccleſiis, quæ in circuitu noſtro degunt. Tertio, Memento Domine famulorum famularumque tuarum, eorum

Digitized by Google

rum ſive earum videlicet, quorum elymoſinis noſtra eccleſia ſuſtentatur, aut nos ſuſcepimus vel ſuſcipimus; & omnium circumſtantium, eorum nempe, qui ſimiliter aliis eccleſiis tribuunt.

Item ſcribit: pro eo, quod Sacerdos offert, populus debet orare, ut Sacerdos exaudiatur, ut omnium dies in pace diſponantur, & reliqua. Ubi nobis videtur, velle illum ſignificare mutatam perſonam eſſe, quaſi presbyter dicat: *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ*, uſque ad locum ubi dicit: *ut placatus accipias*, & poſtea populus dicat: *dieſque noſtros*, & ſequentia huius textus. Nos vero ita tenemus, ut ipſe qui orat, ut dies noſtri in pace divina diſponantur, & eripiamur a temptatione æterna.

Item ſcribit: *Qui pridie quam pateretur.* Hoc eſt ante pridie quam ipſe paſſus eſt, ubi non intellegimus, quid velit ſignificare per *ante* pridie quam Paraſceve paſſus eſt, & pridie, id eſt priore die Cœna Domini, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & reliqua; forſitan vult dicere: quod feria quinta Dominus cum diſcipulis recubuiſſet ad cœnam? Quod abſit, ut contra evangelicam veritatem eccleſiaſticum morem aliquem recipiamus. Item ſcribit: ideo ſacerdotes fideliter memores eſſe debent, qui ipſam miſſam celebrant & ſacrificium offerunt; & cætera quæ ſecuntur in hanc præfationem. Nobis vero non libet planam viam deſerere & ſpatioſam atque rectam, & intrare in aſperam & tortuoſam & anguloſam; ideoque hæc dicimus: quia ſenſum, quem planum potuit facere, valde anguloſum fecit; hoc eſt unde & memores ſumus Domine nos tui ſervi, ſed & plebs tua Sancta Chriſti Filii tui Domini noſtri. Qui ſenſus valde planus eſt, quoniam & ſervi Chriſti Sacerdotes videlicet in memoria retinent Chriſti paſſionem, & reſurrectionem, & aſcenſionem in cœlos; & non ſolum Sacerdotes, ſed & plebs ſancta, quæ ad hoc venit ad ſanctam eccleſiam, ut eadem Sacramenta celebret. Item ſcribit: ubi mentionem facit de hoſtia pura & ſancta & immaculata: & nunc ſanctifica hunc panem ut corpus tuum fiat. Et iterum: Tu ſanctifica hanc oſtiam, ut nobis corpus tuum & ſanguis tuus fiat. Hoc nos totum anticipamus in eadem oratione in eo verbo loco ubi dicit: *Acceptabilemque facere digneris, ut nobis Corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi Filii tui;* & ubi ipſius verba Domini dicuntur: *Accipite & manducate ex hoc omnes: Hoc eſt Corpus meum.* Ibi credimus de ſimplici pane fieri Corpus Domini; Et ubi dicitur: *Hic eſt Calix Sanguinis mei*, ibi de ſimplici vino & aqua ſanguinem Domini, præcipue in commemorato loco non dicatur ut fiat, ſed panem ſanctum vitæ æternæ dicitur, & reliqua. Et paulo poſt: *Ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus;* ubi intellegi datur, non inchoandis fieri, ſed eſſe. Item ſcribit: *Per Chriſtum Dominum noſtrum:* per quem hæc omnia bona illa creavit, ipſe ſanctificet & benedicat, & præſtet nobis, ut per Chriſtum, per quem facta ſunt omnia, & in Chriſto, in quo facta ſunt omnia, & cum quo facta ſunt omnia, quia & coæternus eſt Patri ſemper per omnia ſecula ſeculorum.

Nos vero non valentes ea exponere ut oportet, igitur hortamur fraternitatem tuam, quod Salomon ait: *Melius eſt ire ad olera cum charitate, quam ad vitulum ſaginatum cum iurgio.* Verum in hac ſcriptione neque diximus, neque dicere propoſitum habemus aliquid, quod non cupiamus ab eruditis corrigi, ubi oportet, & ubi non oportet, fraterna dilectione precamur; ne propter invidiam ſcintilla alicuius humilis cordis extinguatur; potens enim Deus per quemcunque vult ſervorum ſuorum miniſtrare magna ſive parva. Qua de re ponamus ſuper his quæ dicta ſunt ab eo loco ubi dicit: *Per quem hæc omnia Domine bona*, uſque ad locum, *per omnia ſecula ſeculorum*, a nobis intellecta, quæ ſi alicui placuerint, agat una mecum Deo gratias, & ſi diſplicuerint, corrigat ea, quæ corrigenda ſunt, & ſanctæ fidei catholicæ concordanda non velit extinguere, quoniam quidem ſæpe contigit, ut ea, quæ doctiores parvipendunt, inferiores pro magno munere ſumunt.

Deinde vero ceptum iter pergamus: *Per quem hæc omnia Domine bona creas:* hoc eſt per Chriſtum omnia, quæ obtutibus noſtris preſentas, & quæ non videmus, ſi tamen creata ſunt, per illum creata ſunt omnino omnia bona, & quæ in primordiis creaturarum creata ſunt, & quæ cotidie creantur. Unde orat propheta David, poſtquam peccavit, dicens: *Cor mundum crea in me Deus.* Et iterum: *Emitte Spiritum tuum & creabuntur. Sanctificas:* ea, quippe, quæ creata ſunt, ſancta facis; *vivificas:* vivere facis; *benedicis:* beneficiis æternis coaptas; & præſtas nobis, quoniam ſpes noſtra non confundetur, quando recipiet benedictionem cœleſtem, quæ modo promittitur. Aliter: Per filium omnia bona creas, ut ſint: Sanctificas, id eſt ſancta, ſana & integra perficis, ut maneant: vivificas, tribuis

buis ut vivant; quia quod factum eſt, teſtante Evangeliſta, in ipſo vita erat; benedicis, ut quod manet & vivit, multiplicetur; ſic enim ſcriptum eſt. *Benedixit eis dicens: creſcite & multiplicamini.* Qui aut quibus benedixerat, in Geneſi ſcriptum eſt. *Præſtas nobis*, ut Apoſtolus ait: omnia noſtra ſunt; *Omnia* inquit *veſtra ſunt, ſive Paulus, ſive Apollo, ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura, omnia enim veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus vero Dei.* Item ſanctifices præſentem oblationem per miniſteria Sacerdotum in oratione ſecreta, quam poſtea vivificas, quando dicit Sacerdos: *Ut nobis Corpus & Sanguis fiat dlectiſſimi Filii tui Domini Dei noſtri.* Ipſe enim dixit de ſe: *Ego ſum panis vivus, qui de cælo deſcendi.* Benedicis, quando dicit: *Quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus & Sanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti & gratia repleamur.* Præſta nobis, quando, idem ſacroſanctum corpus dans ad manducandum, tu omnia hæc agis, quæ operante in noſtro miniſterio ſpiritu tuo, omnia hæc ad profectum nobis veniunt. Item per ipſum Filium tuum, per quem omnia creas, ſanctificas creaturam tuam, quando dicis: *Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum.* Et cum ipſo vivificas, id eſt cum filio, ſicut per Apoſtolum tuum nobis nuntias: cum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria; & iterum: ſi enim mortui ſumus cum Chriſto, credimus, quia ſimul vivemus cum eo. Et in ipſo benedicis, quoniam quicunque in Corpore Chriſti invenientur, in futuro iudicio vocabuntur nomine benedicti, dicente eodem Chriſto iudice de ipſo: *Tunc dicet Rex his, qui a dextris eius erunt, venite Benedicti Patris mei. Et præſtas nobis*, quod ipſe promiſit, poſſidere paratum nobis regnum ante conſtitutionem mundi, ut tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus ſancti ab omni corpore eiuſdemque Chriſti honor & gloria referatur per omnia ſecula ſeculorum; ut quod ſancti angeli, poſtquam creati ſunt, egerunt, & ſancti electi patres ab Abel iuſto, & deinde ſine fine nos, qui adhuc emergimur miſericordia Redemptoris noſtri, ſine fine cum illis agamus ſane per omnia ſecula ſeculorum. In præſenti eccleſia celebratio ita poteſt intellegi, quatenus Deo dignas gratias Patriarchæ Patres noſtri, & Apoſtoli, & hii, qui ex his nati ſunt, retulerunt, ita & nos filii eorum referendas eſſe ſtudeamus. Secula dicimus, ſicut legimus, unius hominis vitam; unde ſcribit Hieronymus: & ultra, inquit, non eris in ſempiternum: ſive ut in ebraico lolam, & in græco αἰὼν ſcribitur, unum ſeculum ſignificat, iuxta illud Ifaiæ, qui poſt LXX. annorum dicit, Tyrum reſtituendum in integrum ſtatum; aiunt enim unum ſeculum, id eſt humanæ tempus ætatis LXX. annorum numero ſupputari pſalmiſta dicente: *Dies annorum noſtrorum in ipſis LXX. anni;* vel, ut alio modo dicam, ſi hodie nati ſunt, centum ſive mille vel amplius quid quodlibet fuerint infantes, quisquis eorum ſuperſtes extiterit aliorum, eorum videlicet, qui eodem die nati ſunt, quando & ipſa eius vita ſeculum dicitur; & ideo nos poſſumus dicere: per omnia ſecula ſeculorum. Sicut leguntur cœli cœlorum, ut eſt illud: *Laudate eum cæli cælorum*, id eſt cœli ſuperiores inferiorum cœlorum; Ita & ſecula priora ſeculorum noviſſimorum. Merito namque ſecula patrum noſtrorum ſecula ſeculorum noſtrorum oportet eſſe; quoniam ex ipſis carnem ducimus, eorum laboribus fruimur, eorum libros legimus, eorum exemplis properamus ad vitam. Quare per omnia ſecula ſeculorum eum deprecamur, quem patres noſtri, in quibus intellegimus omnia ſecula, dici velle, & filii eorum, in quibus genetivum pluralem ſeculorum ponimus, orarunt, ut eorum exempla inmitando ad eorum conſortium venire mereamur.

Item ſcribit: Præceptis ſalutaribus moniti. Chriſti præceptis, quæ ſalute ſunt plena, quia ipſe eſt ſalus æterna. Sumus amoniti & iuſſi; O quam dulcis ſententia & quam optabilis ammonitio, ſi diceret, quo in loco miſſæ hæc ſalutaria præcepta continerentur; ſed quia iſte tacuit, nos pro bona voluntate interrogemus magiſtros: ſi forte in locis, quibus dixerimus, ordo iſte maneat? id eſt primo, ſi teneatur in epiſtola, quæ prædicatione Dei ſervorum & omni ſalute plena, deinde ſi teneatur in evangelio, quod Chriſtus Salvator prædicavit, & ideo quæ dicantur ſalutaria præcepta; quoniam Salvator noſter ſalutaria omnia miniſtravit plene & in lectione, & in evangelio. Sequitur: Et divina inſtitutione formati, id eſt formam & exemplum a Chriſto Deo noſtro accepimus; unde ſimiliter dico: concupiſcentiam me habere audiendi, quam formam & quod exemplum nominare vellet, aut in quo toto ordine miſſæ ſtaret hæc divina inſtitutio; ſed quia tacet, interrogemus magiſtros iterum, ſi vellent tenere ordinem ſupradictæ divinæ inſtitutionis, in loco, ubi dictum eſt: *Qui pridie quam pateretur, ac-*

Digitized by Google

cepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & cætera. Et hæc eadem ſit divina inſtitutio, quoniam Chriſtus ante traditionem ſuam hanc docuit diſcipulos ſuos, qualiter ageretur in futura eccleſia; cui ſtatim adnectitur: Hæc quotienscunque feceritis, in mei memoriam facietis. Sane non aberravero, ſi ſic recipitur. Sequitur: auſi ſumus orare; quod nos ſimiliter dicimus, fas enim eſt, qui ſurſum tenet *cor ad* cœleſtia, & dignus eſt informari Sacramento Corporis Domini & Calice Sanguinis eius, ut audeat Patrem cœleſtem invocare; quoniam ei Chriſtus dixit: unus eſt enim Pater veſter, qui in cœlis eſt. Item ſcribit: Celum a celando dicitur, ſive celſitudine. Nos vero dicimus: Celum a celatura dictum, id eſt pictura; eius namque pictura ſtellarum varietas conſtat eſſe. Poſt hanc vero orationem dominicam exponit eius ſequentia catholice & utiliter; ſed non dicit, qua ratione hæ preces coniungantur ei, quapropter ea parumper tangamus.

Populus reſpondet orationi dominicæ: *Sed libera nos a malo*. Et presbyter continuo deprecationem populorum adfirmat dicens: *Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis*; atque exponit tempora noſtra, in quibus ſolemus peccare, id eſt præterita, præſentia & futura, in quibus omnibus peccamus, & pro eis omnibus, quæ in eis committimus, Presbyter ammonet orare, ac ſi aperte dicat: iterum atque iterum vos ammoneo clamare: libera nos Deus noſter ab omnibus malis noſtris. Sic enim ſcribit Iohannes in Apocalypſi ſua, quatuor animalia & ſeniores poſt laudationem omnis creaturæ Deo amen dixiſſe, & adoraſſe, & omnem inquiens creaturam, quæ eſt in cœlo, & in terra, & ſub terra, & in mari quæ ſunt in eis; omnes audivi dicentes in throno ſedenti & agno benedictio & honor & claritas & poteſtas in ſecula ſeculorum, & quatuor animalia dicebant amen, & ſeniores ceciderunt, & adoraverunt. Innumerabilia populorum ad eccleſiam confluentium Deum laudant, cui data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra; & quatuor animalia dicebant amen; & ſeniores ceciderunt, & adoraverunt; populis in eccleſia Domini laudes reſonantibus; Doctores item confirmant, & exempli gratia omnes ſimul adorant, agnum videlicet, qui occiſus eſt, & dignus eſt accipere virtutem & poteſtatem & ſapientiam, fortitudinem & honorem & gloriam & benedictionem in ſecula ſeculorum. Amen.

Expoſitio ſuper Miſſam.

Ex Cod. Einſidlenſ. monaſterii ſæc. X. circ.

Dominus vobiſcum. Salutat Sacerdos populum, & orat, ut Dominus ſit cum illo. *Et cum ſpiritu tuo*. Reſponſio populi atque oratio, ut ſicut Sacerdos oravit, quod Dominus eſſet cum populo, ita & populus orat, quod Dominus ſit cum ſpiritu Sacerdotis. Dum dicit Sacerdos, *oremus*, rogat, omnes orare, ut oratio eius a Domino exaudiatur. Et quando dicit *per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum*, ad Dominum Patrem orat Sacerdos, ut per Filium ſuum, qui Dominus noſter eſt æqualiter ſicut Pater, oratio perficiatur. Cum dicit: qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus ſancti, vult populum credere, & intelligere, quod Filius cum Patre ſine initio, ac ſine fine vivit, & regnat; & Deus eſt ſicut Pater. Deus eſt, & una poteſtas eſt Spiritui ſancto cum Patre, & Filio, atque una ſubſtantia, & in omnibus unitas Deitatis. Per omnia ſæcula ſæculorum, id eſt, ut Filius cum Patre in unitate Spiritus ſancti ſicut ante omnia ſæcula in Deitate vixit, & fuit, ita & in præſenti ſæculo, atque in futuro, ubi iuſti cum angelis ſanctis permanebunt, & iniuſti cum dæmonibus cruciabuntur. Credatur æqualiter vivere cum Patre & Spiritu ſancto, & nullo fine concludi. *Amen*. Confirmatio orationis eſt a populo, & in noſtra lingua intelligi poteſt, quaſi omnes dicant, ut ita fiat, ſicut Sacerdos oravit. Sed propria eius interprætatio eſt vere, ſive fideliter. *Surſum corda*. Ammonet Sacerdos populum, ut ſurſum, id eſt, ſupra ſemetipſum ad Dominum omnipotentem corda levent, & fideliter orent, quod deſurſum eis veniat auxilium a Deo cœleſti, a quo creati ſunt. *Habemus ad Dominum*. Reſponſio eſt populi, quod ſicut Sacerdos iuſſit eos corda ſurſum tenere, ſic tenere profitentur. *Gratias agamus Dno Deo noſtro*. Sacerdos gratias agit Deo iuxta profeſſionem populi, quia confeſſus eſt ad Dominum ſe eſſe intentum. *Dignum & iuſtum eſt*. Populus cum Sacerdote ſimul gratias agit Domino, quia iuſta, & digna ratio eſt Deo gratias referre, quia ab ipſo omnia bona ſuſcepimus. *Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare*. Confirmat Sacerdos profeſſionem populi, & dicit, quod vere dignum eſt, & iuſtum Deo gratias pro omnibus referre, & quod æquum eſt, hoc eſt, rectum ſive æquale ſalutare, id eſt ſalute plenum, ut ei gratias referamus, qui nobis ſalutem dedit

dedit æternam. *Nos tibi ſemper, & ubique gratias agere.* Converſus Sacerdos ad Dominum poſt profeſſionem populi quaſi ad præſentem loquitur, quia in præſentia Domini ſemper ſumus, & ipſe videt cogitationes noſtras; & dicit Sacerdos tam de ſe, quam de populo. Nos tibi ſemper, hoc eſt, omni tempore, & ubique, id eſt, in omni loco. Gratias agere, *Domine*, quia dominator eſt omnium, & ſub eius dominatione omnia ſunt. *Sancte*, tu, qui ſanctus es, & per quem omnia ſancta ſunt, quia bona & ſancta creaſti. *Pater.* Grece dicitur Pater, & latine genitor, quia ipſe genuit Filium ſine ulla coinquinatione, ſeu corruptione. Pater, latine a patrando dicitur, hoc eſt, a perpetrando, quod eſt a perficiendo, ſive ab adiuvando, quia ipſe perfecit omnia, quæ facta ſunt, & voluit nos filios ſuos fieri adoptionis per ſanctificationem, quia ille ſanctificavit nos. *Omnipotens.* Quoniam omnia poteſt. Ideo omnipotens dicitur: & non eſt impoſibile apud Deum omne verbum. *Æterne Deus.* Hoc eſt inter æternum, & temporale, & perpetuum. Æternum eſt, quod initium non habuit, nec finem habebit, ſed ſemper fuit, & eſt, & erit. Perpetuum eſt, quod eſſe cœpit, & finem non habebit. Temporale eſt, quod initium habuit, & finem habebit. Et ideo hic dicitur æterne Deus, quia ſolus Deus æternus. Æternus eſt, nec cœpit eſſe, nec definit eſſe, ſed eſt ſemper. Deus a diligendo dicitur, quia omnia diligit, & gubernat, quæ creavit. Et aliter Deus a divinitate dictus eſt, quia divinus eſt, & omnia dividit prout vult. *Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Chriſtus grece, unctus dicitur latine. Hic Chriſtus ante omnia initia inenarrabiliter genitus eſt, & conceptus eſt de Spiritu ſancto, & natus eſt de Maria Virgine. Nam & in veteri teſtamento Sacerdotes & Reges unguebantur, & ideo Chriſti dicebantur, quia uncti erant unctione temporali. Iſte Chriſtus, per quem Patri gratias agimus, æternaliter Chriſtus eſt, & cum Patre æterno Deus eſt, & per ipſum redempti ſumus, & ipſe Dominus noſter eſt, quia dominatur nobis. *Per quem maieſtatem tuam laudant angeli;* per ipſum Chriſtum, per quem nos gratias agimus Patri. Maieſtatem Patris laudant angeli, qui ipſe æqualis eſt Patri in divinitate. Maieſtas, quaſi maior eſt poteſtas, quia maior eſt poteſtas Dei quam hominum. Dei maieſtatem per Chriſtum laudant angeli, quia Chriſtus ſimul cum Patre creavit angelos. Angelus enim grece, latine nuntius interpretatur. Angelus nomen officii eſt, non naturæ, quia nuntiat, ſed naturaliter ſpiritus ſunt. *Adorant Dominationes.* Maieſtatem Dei Patris per Filium laudant, & adorant Dominationes. Dominationes, ordo eſt angelorum. Decem fuerunt ordines angelorum. Decimus ordo cecidit, & verſus eſt per ſuperbiam in diabolum. Novem autem permanſerunt in ſanctitate ſua. Hæc ſunt nomina eorum: Angeli, Archangeli, Virtutes, Principatus & Poteſtates, Throni, Dominationes, Cherubim, Seraphim. Iſtarum duarum nomina non ſunt latina. Cherubim plenitudo ſcientiæ interpretatur Seraphim incendium dicitur. Ceterarum nomina dictorum ordinum latina ſunt, niſi Angelorum & Archangelorum. Angeli nuntii, Archangeli excelſi nuntii dicuntur. Gregorius autem Papa Romanus in omelia ſua ſuper lectionem evangelicam: Erant adpropinquantes ad Ieſum publicani, & peccatores, ut audirent illum, pleniſſime de prædictis ordinibus expoſuit. Nos vero ad propoſitum redeamus. *Tremunt Poteſtates* de ſupra dicitis ordinibus dicit. Non ideo dixit, quod ſupra dicti ordines corporales ſunt, ſed noſtro more dicit, quia nos tremere, ac timere ante Dominos noſtros ſolemus; ſed ideo dicit tremere, ut nos intelligamus omnia cœleſtia, terreſtria & infernalia ante conſpectum divinæ maieſtatis tremere, ac timere. *Cœli cœlorumque Virtutes.* Ipſi cœli iuſſioni divinæ obediunt, quia ſe oſtendere ſerenos, vel nebuloſos, non habent poteſtatem. Cœlorum virtutes ſunt ſupra dicti ordines angelorum ſicut beatus Gregorius in omelia ſua ſuper evangelicam lectionem, erunt ſigna in Sole, & Luna, & Stellis, teſtatur. *Ac beata Seraphim.* De Seraphim namque ſupra dictum eſt. *Socia exultatione concelebrant.* Omnes prædicti ordines maieſtatem Dei Patris per Chriſtum iuncta exultatione æqualiter concelebrant. *Cum quibus & noſtras voces, ut admitti iubeas deprecamur.* Cum quibus hæc eſt ſupplicatio noſtra, ut ipſe cœleſtis Pater per Chriſtum Filium ſuum, per quem nos ei gratias de omnibus agimus, dignetur admittere voces noſtras, & iungere vocibus prædictorum ordinum angelorum. *Supplici confeſſione dicentes*, hoc eſt, humili confeſſione. Quid humilius confiteri, quam noſmetipſos æterni Patri per Filium æternum commendare, & de noſtra conſcientia & bonitate nihil præſumere, & iuxta voces angelicas eum ſemper ſanctum eſſentialiter credere, & prædicare dicentes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus.

Iohannes Evangeliſta in Apocalipſi libro ſcripſit, ſe vidiſſe ante Thronum Dei, & agni viginti quatuor

Digitized by Google

tuor animalia adſtantia, & inceſſanter dicentia: *Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth*, & reliqua. Ideo enim tribus vicibus dicitur ſanctus, ut ſignificetur, Pater ſanctus, Filius ſanctus, Spiritus Patris, & Filii ſanctus. Sed quamvis tripliciter dicatur ſanctus; non tamen dicitur plurali numero ſancti, ut una ſanctitas in his tribus perſonis, & una æternitas intelligatur. Dominus Deus Sabaoth. A multis interpretari ſolet omnipotens. A multis vero exercituum, ut & ipſe ſit Dominus Deus, & ipſe omnes exercitus angelorum, atque hominum diſponit. *Pleni ſunt cœli & terra gloria tua*, hoc eſt, ut eius gloria cœli ac terra gubernentur, & qui in cœlis ſunt & terra glorificent, & honorent nomen ſanctum eius. *Oſanna in excelſis.* Quomodo nunc dicitur corrupte Oſanna, ante dicebatur Oſianna. Anna interiectio eſt laudantis, ſive cauſa magnificantis. Oſi, ſacrificia. Sed corrupte dicitur Oſanna, & intelligi poteſt ſalvifica, vel ſalvum fac in excelſis, id eſt, in altis. Benedictus, qui venit in nomine Domini. Quando Chriſtus venit ad Hieruſalem, & deſcendit de monte oliveti, tunc filii Iſrael clamabant dicentes: *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Sed quid ſignificat ille Chriſti adventus Hieruſalem, niſi futuram reſurrectionem, quando venturus erat iudicare vivos, & mortuos, & apparuerit nobis in eadem carne; qua pro nobis paſſus eſt, & tunc in nomine Domini Ieſu omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et cetera; quæ Apoſtolus dixit.

Te igitur clementiſſime Pater. Te igitur, hoc eſt, certe clementiſſime Pater. Clemens dicitur, quaſi clara mens, ſive abundans, & clementiſſime quaſi clariſſima mente, ſive abundantiſſime, quia ipſe clariſſimus eſt mente, & miſericordiſſimus corde Pater. Non ideo ipſum dicimus clementem, & miſericordem, quod membris corporeis, vel corde, aut mente ſit compoſitus ſicut homo ſed ideo clementem, & miſericordem clamamus, ut illam clementiam & miſericordiam ſuper nos ab ipſo ſentiamus, ut intelligamus unde ſalvari debeamus. *Per Ieſum Chriſtum Filium tuum.* Ieſus grece, latine Salvator, eoquod ſalvet populum ſuum a peccatis eorum. Ideo ſalvat a peccatis, quia poteſtatem habet dimittendi peccata. Salutaris ideo dicitur, quia ſalutem nobis dedit, ut, ſi præcepta eius ſervemus, vitam æternam capere valeamus. Filium tuum Dominum noſtrum. Filium ſuum unigenitum, quia ipſe eſt unigenitus ex ſubſtantia Patris. Nos autem filii adoptivi ſumus per ipſum, qui unigenitus eſt a Patre procedens. Patri coæternus. Et ideo per eum Patrem poſtulare debemus, humiliter dicentes: ſupplices te rogamus, ac petimus. *Supplices*, id eſt humiles. *Uti accepta habeas & benedicas. Hæc dona, hæc munera, & ſancta ſacrificia illibata.* Dona ſunt, quæ voluntarie donantur; munera ſunt, quæ pro aliquo munere vel mercede offeruntur: ſicut nos offerimus Deo, ut peccata noſtra dimittantur. Sacrificia ſunt, quæ iam cum orationibus conſecrantur. Inlibata, id eſt immaculata, & ab omni livore malitiæ aliena. Tunc ſunt dona, & ſacrificia inlibata, quando abſque ſcandalorum maculis ſunt offerta, & iuſto ſunt labore adquiſita. Non ut multi errant, qui dicunt inlibata eſſe non dedicata. Lege ſeptem collationes Patrum, & in ſecunda collatione theonæ in nono invenies, quæ ſint illibata. *Inprimis, quæ tibi offerimus.* Hoc pro quibus offeruntur indicat. Inprimis offerri debent *pro eccleſia tua ſancta catholica.* Eccleſia grece, latine convocatio dicitur. Catholica, univerſalis dicitur, quia univerſi, qui in Deum credunt, in una debent eſſe congregatione. *Quam pacificare, cuſtodire, adunare digneris, & regere toto orbe terrarum.* Pro hoc offerimus inprimis, ut ſupra dictam congregationem tuam per totum orbem terrarum pacificatam & adunatam cuſtodire digneris. *Unacum famulo tuo illo*, hoc eſt, ſimul cum illo, qui ſedem apoſtoli tenet, quia eccleſia, in qua Petrus princeps Apoſtolorum ſedit, caput eſt omnium eccleſiarum catholicarum. Ideoque Petro dixit Chriſtus: tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & cetera. Et propter hanc ſententiam debemus omnes pro eo orare, qui in eadem præeſt eccleſia. *Et antiſtite noſtro, illo*, hoc eſt, pro epiſcopo, in cuius parrochia ſumus, pro ipſo orare debemus, quia ipſe eſt paſtor, & prædicator noſter. *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumſtantium.* Sacerdos ante oravit pro apoſtolico, & epiſcopo ſuo. Si epiſcopus Miſſam celebrat, ille non debet dicere *pro antiſtite noſtro.* Iam oratum eſt pro ſenioribus. Poſtea orandum eſt pro populo, quando ſacerdos dicit: Memento Domine famulorum famularumque tuarum. Deprecatur Dominum Patrem, ut memorari dignetur omnium ad officium Miſſæ ſive maſculorum ſive feminarum advenientium; & quod dicit circumadſtantium, ipſi ſunt maſculi & feminæ, qui circumſtant. Iam Sacerdos oravit pro omnibus, qui ad audiendam Miſſam venerunt,

tunc

Digitized by Google

tunc demum orat pro his, qui oblationes ſuas offerunt. *Qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis.* Dicit, quod pro laude Dei inprimis offerunt, & poſtea pro ſe, ſuisque omnibus. *Pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolomitatis ſuæ tibi reddunt vota ſua æterno Deo vivo, & vero.* Ideo offerunt, quia vivo & vero Deo omnium fides circumadſtantium offerentium, & non offerentium cognita eſt, & nota devotio, omnes reddunt vota ſua. Vota dicuntur, quæ volenter promittuntur, quia volenter & libenter Deo vovere, & reddere debemus.

Communicantes & memoriam venerantes inprimis glorioſe ſemper Virginis Mariæ Genitricis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed & beatorum Apoſtolorum ac Martyrum tuorum. Communicare, hoc eſt, participare, memoriam venerari, hoc eſt, in memoria venerabiliter tenere, quod S. Maria Virgo per adventum Spiritus ſancti genitrix facta eſt Filii Dei Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui Deus, & homo eſt, per quem Patrem ſupplicamus, & fidem communicare debemus, & credere, quod Spiritu ſancto veniente, Filius Dei natus eſt ex ea, & virginitas eius non eſt violata. *Sed & beatorum Apoſtolorum ac Martyrum tuorum.* Apoſtolus dicitur in noſtra lingua miſſus. Martyr dicitur teſtis. Apoſtoli ideo dicuntur, quia a Chriſto miſſi ſunt. Martyres dicuntur, quia teſtes ſunt, quod Chriſtus paſſus eſt pro nobis, & ipſi pro Chriſto. *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, ut placatus accipias.* Sacerdos oblationem ſuam, atque cunctorum, qui Domino famulantur, id eſt, qui Domino ſerviunt, commendat, ut Domino placeat, & ipſe nobis propitius ſit. *Dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari per Chriſtum Dnm noſtrum.* Pro eo, quod Sacerdos offert, populus debet orare, ut Sacerdos exaudiatur, ut omnium dies in pace diſponantur, & ab æterna damnatione eripiamur, de qua Dominus Chriſtus in fine mundi dicturus erit impiis: Ite maledicti in ignem æternum, & cetera. Et ad illum gregem electorum ſuorum per angelos ſanctos numerari mereamur, cui dicturus erit: Venite Benedicti Patris mei poſſidete regnum, & cetera. *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris.* Supplicat Sacerdos, ut illam oblationem, quam ipſe pro ſe offert, & pro populo, omnipotens Pater dignetur accipere benedictam, & habere adſcriptam, hoc eſt, adſignatam, ut ſibi placeat. Ratam, hoc eſt, iudicatam, ut dignam illam iudicet in conſpectu ſuo offerri. Rationabilem, id eſt, iuſta ratione plenam facere dignetur. Quia tunc illi eſt acceptabilis, ſi recte credentes pro iuſta ratione offerimus. Iuſtum eſt poſtulare, ut illa oblatio, quam nos rationabiliter offerimus, Pater omnipotens ſanctificando faciat, *ut nobis Corpus & Sanguis fiat dilectiſſimi Filii ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti.* Patri dilectus eſt Filius, ſicut ipſe Pater teſtatus eſt de cœlo dicens: hic eſt Filius meus dilectus, & cetera. Et nos eum diligere debemus, quia ipſe prior dilexit nos, & paſſus eſt pro nobis.

Qui pridie, quam pateretur accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, elevatis oculis in cœlum ad te Dum Patrem ſuum omnipotentem tibi gratias agens benedixit, fregit, dedit diſcipulis ſuis dicens: Accipite, & manducate ex hoc omnes, hoc eſt enim corpus meum. Simili modo poſtea quam cœnatum eſt accipiens & hunc præclarum Calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, item tibi gratias agens benedixit, dedit diſcipulis ſuis dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes, hic eſt enim Calix Sanguinis mei novi & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. Quam intermiſimus, qui pridie, quam pateretur, hoc eſt, pridie, quam ipſe paſſus eſt pro nobis voluit tradere diſcipulis ſuis Corporis & Sanguinis ſui myſterium, ut illi traderent nobis. Quis umquam crederet, quod panis in carnem potuiſſet converti, vel vinum in ſanguinem, niſi ipſe Salvator diceret, qui panem & vinum creavit, & omnia ex nihilo fecit. Facilius eſt aliquid ex aliquo facere, quam omnia ex nihilo creare. Ipſe Salvator voluit corpus humanum ſuſcipere, & hominem Deo coniungere, ut unus fieret mediator Dei & hominum. Homo Chriſtus Ieſus ipſe voluit per nos panem & vinum offerri ſibi, & ab ipſo divinitus conſecrari, & fidelem populum credere, verum eſſe myſterium, quod ipſe tradidit diſcipulis ſuis dicens: *Accipite, & manducate ex hoc omnes.* Similiter & de calice dixit: *Accipite, & bibite ex eo omnes.* Et quando oculos ad cœlum levavit, & Patri gratias egit, nos docuit, quod nos Patrem ſemper ſupplicare deberemus, quod ille tam magnum Sacramentum per manus noſtras perficere dignetur. Et cum diceret, *hæc quotieſcunque feceritis in mei memoriam facietis*, iuſſit nos illius paſſionis meme-

Digitized by Google

memores eſſe, quanta pro nobis ſuſtinuit. Omni tempore memores eſſe debemus, quando hoc Sacramentum celebramus, & eius miſericordiæ non noſtræ bonitati fiduciam dare. *Unde & memores ſumus Domine nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta Chriſti Filii tui Domini Dei noſtri*, memores nos eſſe Sacerdotes profitemur; atque plebem memorem eſſe teſtamur, Chriſti Filii tui Domini Dei noſtri. Ideo Sacerdotes fideliter memores eſſe debent, quia ipſi Miſſam celebrant, & ſacrificium offerunt Chriſti exemplo inſtructi. Et ſcire debent, qui celebrant, quia ſtulta poſtulatio eſt, ſi neſcit, quod poſtulat. Plebs ſancta ideo meminere debet, quia Chriſtus non ſolum pro Sacerdotibus paſſus eſt, ſed & pro plebe. Sancta ideo dicitur, quia fide ac baptiſmo Chriſti percepto ſanctificata eſt, modo indicat, unde meminere debent, id eſt *tam beatæ Paſſionis, nec non ab inferis Reſurrectionis, nec non in cœlos Aſcenſionis glorioſæ Chriſti Filii Dei.* Paſſionis memores eſſe debemus, quia animæ iuſtæ ab inferis per reſurrectionem eius liberatæ ſunt. Glorioſæ aſcenſionis eius memores eſſe debemus, quia corpus humanum, quod ſumpſerat vinctum divinitati ſine ullius adiutorio, ut intelligatur, quod non hominum, nec angelorum, nec ullius creaturæ vehiculo eum aſcendiſſe in cœlum ſed a Patre in maieſtate elevatus eſt, de qua ipſe dixit in evangelio: ego & Pater unum ſumus. *Offerimus præclare maieſtati tuæ de tuis donis ac datis, Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam, Panem ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ.* Domine omnium memores ſupradictarum bonitatum tuarum, offerimus tuæ maieſtati hoſtiam puram, hoc eſt, puro corde, quia purum eſt corpus tuum, quod de hoc pane fieri credimus. Hoſtiam ſanctam, quia tu ſanctificaſti corpus tuum, quando hominem in Deum adſumpſiſti, & nunc ſanctifica hunc panem, ut corpus tuum fiat. Hoſtiam immaculatam, quia tu ſine macula peccati paſſus es pro nobis. Panem ſanctum vitæ æternæ, quia tu panis vivus es, qui de cœlo deſcendiſti, & corpus tuum in hoc pane a te ſanctificato nos accipere voluiſti, & per calicem paſſionis tuæ, nos ſanguinem tuum ſummere voluiſti. Tu ſanctifica hanc hoſtiam, ut nobis corpus tuum, & ſanguis tuus fiat.

Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere, hoc deprecamur, ut Pater ſanctus ſupra dona a nobis offerta pio & blando vultu & claro dignetur reſpicere, id eſt videre. *Et accepta habere, ſicut accepta habere dignatus es, munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech, ſanctum ſacrificium, immaculatam Hoſtiam.* Accepta habuit Dominus munera Abel, quia quicquid optimum invenit, optulit Domino, & nos iuſta munera & munda Deo mundo corde offerre debemus. Abraham filio ſuo Iſaac non pepercit, ſed obediens iuſſioni Domini offerre eum voluit. Melchiſedech primus Sacerdos Domino panem & vinum optulit, & ideo ſcriptum eſt in pſalmo: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Quia ſicut Melchiſedech panem & vinum, ita & Chriſtus in paſſione ſua Corpus & Sanguinem ſuum optulit Deo Patri pro nobis, & in pane & vino paſſionis ſuæ myſterium nos imitari voluit, quando diſcipulis ſuis dans panem & calicem dixit: hoc eſt Corpus meum, & hic eſt Calix Sanguinis mei, & nos ſupplicare debemus. Ut ſicut ſupra dictorum Patrum accepta fuerunt Deo munera, ita fiant & noſtra. *Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus Angeli tui in ſublime altare tuum, in conſpectu divinæ Maieſtatis tuæ*, humiliter poſtulamus, ut munera noſtra ſuper hoc altare, quod videri poteſt offerta, Pater iubeat cœleſtis per manus angeli ſui perferri in illud altum altare ante divinam maieſtatem ſuam, quod oculis noſtris videre non poſſumus, quia corporale non eſt, ſed ſpiritale Et ſicut nos divinam maieſtatem Patris inveſtigare, ſed potius credere, *ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus & Sanguinem ſumpſerimus omni benedictione cœleſti, & gratia repleamur per Chriſtum Dominum noſtrum.* Orare debemus Patrem cœleſtem, ut omnis, qui ex ipſius altari, ſupra quod offerimus Deo Patri in commemorationem Filii tui Domini Dei noſtri Chriſti Corpus & Sanguinem prædicti Filii Dei ſumpſerimus omni benedictione cœleſti accipere mereamur per ipſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam vel ſocietatem donare digneris cum tuis ſanctis Apoſtolis, & Martyribus*, vel omnibus Sanctis. Hæc omnia ſacrificia ideo ſunt offerta tam a Sacerdote, quam a populo, ut omnipotens Deus peccata noſtra non reputet, ſed cum ſanctis ſuis nobis portionem tribuat. *Intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti, ſed veniæ, quæſumus, largitor admitte.* Hoc rogamus, ut ipſe dixit: in quacunque die peccator converſus fuerit, & pœnitentiam egerit, omnia peccata eius in

in oblivione erunt coram me. Non retributionem peccatorum æſtimet, ſed ipſe ſit veniæ largitor, & intra ſanctorum ſocietatem nos mittat *per Chriſtum Dominum noſtrum.* Per quem omnia hæc dona ille creavit, ille ſanctificet & benedicat, & præſtet nobis, ut per Chriſtum, per quem facta ſunt omnia, & in Chriſto, in quo facta ſunt omnia, & cum quo facta ſunt omnia, quia coæternus eſt Patri, ſemper gratias referamus Patri *per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.*

Præceptis ſalutaribus moniti. Chriſti præceptis, quæ ſalute ſunt plena, quia ipſe eſt ſalus æterna ſumus ammoniti, & iuſſi, *& divina inſtitutione formati*, id eſt formam & exemplum a Chriſto Domino noſtro accepimus, & auſi ſumus orare, ſicut ille docuit diſcipulos ſuos, & Patrem noſtrum credimus in cœlis eſſe, qui nos creavit, & dicimus: *Pater noſter, qui es in cœlis.* Chriſtus dixit poſt reſurrectionem ſuam aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum. Aliter dixit Patrem ſuum, aliter Patrem noſtrum. Patrem ſuum, quia proprius Filius; Filius eſt Patris ex ſubſtantia Patris ante omnia tempora genitus Patri coæternus. Pater noſter eſt ideo, quia nos creavit in tempore, & nos Filii ſumus ſui adoptivi, & hereditatem cœleſtem Patris noſtri cœleſtis poſſidere debemus, ſi operibus implemus, quæ perceptione fidei ſpopondimus. Cœlum a celando dicitur, eo quod celat divina ſecreta. Aliter cœlum a celſitudine dicitur, eoquod altius ſit rebus terrenis. Nos autem ideo dicimus Pater noſter, qui es in cœlis, ut credere nos oſtendamus Patrem cœleſtem; Et ſicut Filii præcepta Patris ſui implere, & ad cœlum ſemper tendere deſideremus. *Sanctificetur nomen tuum*, hoc eſt, ut nos digni ſimus nomen ſanctum eius tenere in cordibus noſtris, ut ſicut angeli ſancti, qui in cœlo ſunt, ſciunt & intelligunt ſanctitatem nominis eius, ita & nos, qui in terra ſumus ipſo adiuvante ſanctitatem eius mereamur agnoſcere, ut ſicut in cœlo, ita & in terra ſit nomen eius ſanctificatum. *Adveniat regnum tuum*, hoc eſt, ut nos regnum eius & potentiam eius mereamur cognoſcere, & ut iam propter noſtra peccata diabolus non regnet ſuper nos, ſed ipſius regnum adveniat, ſicut in evangelio ſcriptum eſt: regnum Dei intra vos eſt. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra*, hoc eſt, ut eius voluntatem ſicut illi, qui in cœlo ſunt, faciunt, ita & nos, qui in terra ſumus faciamus. Terra a terendo dicitur, eo quod pedibus teritur. *Panem noſtrum cottidianum da nobis hodie.* Panis apud Grecos in noſtra lingua omnis interpretatur, & nos oramus, ut omnipotens Pater omnem victum ſpiritalem ac carnalem nobis largiri dignetur omni tempore. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Nihil enim iniuſte facit, qui ſibi debenti debitum requirit. Nullus ſine debito invenietur. Et ideo debemus debitoribus noſtris debita dimittere, ut nobis omnipotens noſtra dimittat, quia ipſe dixit: *Si non remiſeritis unusquisque fratri ſuo de cordibus veſtris, nec Pater veſter cœleſtis remittet vobis peccata veſtra*, & alibi: *Auferentur de regno eius omnia ſcandala.* Et iterum: Sacrificium non recipitur, ſi cum ſcandalo offertur, ſed ante altare dimitti iubetur, uſque dum reconcilietur fratri ſuo, & tunc offerri mundo corde. *Et ne nos inducas in temptationem;* hoc eſt, ne intremus in temptationem illam, in qua diabolus nos temptat, & ei conſentiamus, ſed Dominus nos ipſe defendat, ne inducamur in temptationem diabolicam. Quia ſi Deus nos dimittit, ſtatim introducimur in laqueum diaboli, & ideo poſtulamus, ut ipſe nos liberet a malo, hoc eſt ab omni impugnatione diabolica. *Libera nos, quæſumus, ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris*, hoc eſt, poſtulamus, ut ipſe nos ab omnibus malis liberet, qui nos bonos & mundos creavit, in quo nullum eſt malum Præterita ſunt, quæ iam ante peccantes commiſimus, & ideo flagella ſuſtinemus. Præſentia ſunt, quæ cottidie committimus. Futura ſunt, quæ adhuc diabolo ſuadente advenire poſſunt. Et ideo oramus, ut ab omnibus liberemur, quia ante conſpectum Dei nulla ſunt præterita, nec futura, ſed omnia ſunt præſentia. *Intercedente pro nobis beata & glorioſa ſemper Virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apoſtolis tuis Petro, & Paulo, atque Andrea.* Invocamus nobis in adiutorium genetricem Dei, quæ virgo fuit, ante partum, virgo in partu, virgo poſt partum, & beatos Apoſtolos, qui nobis hæc miſteria celebranda tradiderunt, ut intercedant pro nobis, quia nos ipſi digni non ſumus de præteritis ac præſentibus veniam promereri, nec de futuris cautelam, niſi nobis eorum orationibus donetur. Iam oravimus, ut liberemur a malis, nunc oramus, ut prædictis ſanctis intervenientibus ipſe donet pacem propitius in diebus noſtris, qui potens eſt a malo liberare. Pacem a temptatione diaboli ne inducamur in eam. Pacem a malis hominibus, ne patiamur flagella eorum,

Digitized by Google

rum, utpote miſericordiæ tuæ adiuti, hoc eſt, ut Dei adiutorio adiuti; a peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri, hoc eſt, ut peccatis noſtris dimiſſis, in præſenti ſæculo ne perturbemur iterum precantes, nec in die iudicii æternam patiamur perturbationem per Chriſtum Dominum noſtrum. *Pax Domini ſit ſemper vobiscum.* Chriſtus eſt pax æterna, qui nos reconciliavit Patri per paſſionem ſuam, ne propter peccatum primi hominis in inferno detineremur. Hoc orat Sacerdos, ut illa pax cum populo permaneat, & omnes concordes faciat, ut pacificati cum Chriſto mereamur in cœlo regnare, & ideo tunc facimus pacem antequam Corpus & Sanguinem Domini ſumamus, ut concordiam inter nos habere oſtendamus, & cum concordia Corpus & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti in corpora noſtra ſuſcipiamus, quia ſine concordia digni non ſumus ſanctam Communionem accipere, quia munera noſtra, ſi diſcordiam habemus cum proximis noſtris antequam reconciliemur, a Deo non recipiuntur.

Tunc orat clerus cantando. *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.* Agnus dicitur propter innocentiam, quia nulli hominum vel beſtiarum nocet, & dum ad victimam ducitur occidentem ſe non ledit, ſed occiſorem ſuum poſt occiſionem ſuam reficit, ita & Chriſtus nullum leſit, ſicut Apoſtolus dixit: qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore eius. Sed poſt paſſionem ſuam converſos perſecutores ſuos multos per ſanctam Communionem Corporis, & Sanguinis ſui refecit, & credentes fecit. Ipſe tulit peccata mundi, quando veniam peccatorum nobis dedit, quia ante paſſionem eius iuſti & peccatores in infernum deſcenderunt, & in veteri teſtamento remiſſionem peccatorum nuſquam legimus. Chriſtus vero per pœnitentiam non ſolum veniam peccatorum, ſed etiam gaudium nobis promiſit angelicum dicens: gaudium erit coram angelis Dei ſuper uno peccatore pœnitentiam agente. Ipſum Chriſtum, qui eſt agnus Dei innocens, qui paſſus eſt pro ſalute mundi petimus, ut miſereatur noſtri dicentes: Miſerere nobis. Nam & agnus in veteri teſtamento Chriſtus ſemetipſum obtulit Deo Patri, ut genus humanum per paſſionem ſuam liberaret a peccato, & ideo agnus Dei tunc canitur, quando Corpus & Sanguis Dni percipitur, ut omnes credamus, quia ipſius agni Corpus & Sanguis tunc ſumitur, qui peccata mundi tulit moriendo & vitam æternam nobis donavit reſurgendo Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre in unitate ſancti Spiritus vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum, Amen. Et poſt Miſſam finitam dicit Diaconus ad populum: *Ite Miſſa eſt.* Diaconus grece, latine miniſter dicitur. Ille nuntiat populo, quod finitæ ſunt preces, quia nullus antea exire debet de eccleſia, quam nuntiatum ſit de miniſtro. Et omnes reſpondeant: *Deo gratias.*

Expoſitio Miſſæ. (1)
Ex Codice Einſidlenſi ſæc. X. circ.

Primum in Ordine Miſſæ Antiphona ad Introitum canitur. Antiphona enim grece, latine vox reciproca interpretatur. In quo genere cantionis duo viciſſim chori reciprocando melodiorum cantus alternant, vel unius vox reflexuoſe alteri reciprocaciterque reſpondet.

Introitum namque ab introeundo eſt dictum. Eo enim cantu ad ſanctæ modulationis officia intratur; & tunc chriſtianæ religionis congregatio eccleſiam Dei intrans, ad ceteras officiorum laudes præparat ſe. Sicut enim invitatorium dicitur ab invitando cum inchoatur initium nocturnum, & dicitur venite, ita Introitum ab introeundo, quando initiatur nocturnum. Antiphonam autem ad Introitum Cœleſtinus natione Campanus Pontifex Romæ conſtituit, ut ante ſacrificium celebra-

(1) Paſſim in Mſſ. etiam *Alemannicis* additur: *Expoſitio hæc a cœnobio S. Dionyſii venit*, cui nempe S. FULRADUS Abbas varias cellas a ſe conditas in *Alſatia* teſtamento univit ſæc. VIII. quo celeberrimus fuit PIPINI & CAROLI M. Archicapellanus, ſimulque Papæ apocryſarius in maximis Eccleſiæ & imperii negotiis adhibitus. In Conc. *Vermerienſi* an. 853. epiſcopi „cum (aiunt) inter cætera eccleſiaſtica negotia de ordinabili diſpoſitione monaſterii *S. Dionyſii* diſponeremus, venerunt monachi ipſius ſacri cœnobii in præſentia venerandæ ſynodi deferentes auctoritates, videlicet teſtamentum, quod ſanctæ recordationis Abba FULRADUS de monaſt. *Lebiraha*, ubi S. ALEXANDER M. quieſcit humatus, & de cella, quæ ad ſanctum *Hippolytum* nominatur, ſive de aliis rebus, quas per idem Teſtamentum idem venerabilis Abbas ſancto *Dionyſio* contulerat." Extat teſtamentum illud apud MABILL. ſæc. III. ord. S. BEN. T. II. p. 341. anno 777. conditum, ſeptenio ante FULRADI mortem, quæ an. 784. contigit. Facile ergo e monaſteriis *S. Dionyſio* obnoxiis in alia *Alemanniæ* monaſteria expoſitio hæc devenit.

Digitized by Google

braretur. Quod ante non fiebat, niſi tantum Epiſtola Pauli recitabatur, & ſanctum Evangelium. Inde Kyrieleiſon dicitur, quod ex greco in latinum Domine miſerere interpretatur. Sic & Chriſte eleyſon, hoc eſt: Chriſte miſerere. Ymnum vero angelicum id eſt *Gloria in excelſis* Deo tunc angeli cecinerunt, quando natus eſt Dominus. Quæ etiam Teleſphorus Pontifex natione Grecus ſtatuit, ut ante ſacrificium pſalleretur. Qui & conſtituit, ut in natale Domini per noctem Miſſæ celebrarentur.

Deinde legitur Epiſtola Pauli. Paulum, omnibus notum eſt, Doctorem gentium eſſe. Et quia a Domino vas electionis fore meruit, idcirco idem dum corpore maneret, ex quo quaſdam ſcribendo gentes ad tempus docuit. Inde nunc cottidie dum recitatur: omnium mentes fidelium fidei firmæ roborat ſoliditate. Poſt reſponſorium Gradale pſallitur. Et dictum reſponſorium, quod uno ceſſante, hoc ipſum alter reſpondeat. Gradale autem dicitur ab illorum diſtintione reſponſoriorum, quod hoc in gradibus pſallitur. Cætera ubicunque voluerit clerus. Deinde cantatur alleluia, quod ex ebreo in latinum laus Dei interpretatur. Ex duobus enim hebraicæ locutionis verbis hoc unum eſt compoſitum nomen. Decem quippe nominibus apud Hebreos Deus vocatur, ex quibus Ia, quod hic dicitur, unum eſt.

Ceterum hæc in officio melodia a ſanctis inſtitutoribus ſunt prepoſita, ut populus laudibus Dei inſiſtens ad ſancti Evangelii verba, ut ad alia ſacri myſterii officia attentior, ſollicitiorque exſiſtat. Poſt hanc enim laudem lectio S. Evangelii legitur. Evangelium namque grece, latine bonum nuntium interpretatur. Nullum enim nuntium melius poteſt eſſe, quam illud, quod nuntiat ſalutem totius ſæculi, & promittit æterni felicibus præmia regni. Et bene convenit poſt hanc melodiæ laudem, quæ proprie Dei nomine continetur eius ſanctiſſima protinus verba legi, ut dulcedinis canore primum ſpiritus populi informetur. Poſtea boni nuntii, id eſt Evangelii avida auditurus gratulatione conſoletur.

Offertoria, quæ in ſacrificiorum honore canunt eccleſiaſticus liber inditium eſt, veteres cantare ſolitos, quando victimæ immolabantur, ſicut enim dicit: porrexit, inquit, Sacerdos manum ſuam in libationes, & libavit de ſanguine uvæ, & fudit in fundamentum altaris odorem divino & excelſo principi. Tunc exclamaverunt filii Aaron in tubis productilibus, & ſonaverunt, & auditum fecerunt magnam vocem in memoriam coram Domino. Non aliter & nunc in ſonitu tubæ, id eſt, in vocis prædicatione cantus accendimus. Simulque corde & opere laudes Domino declamantes iubilamus in alto; illo ſcilicet vero ſacrificio, cuius ſanguine ſalvatus eſt mundus. Deinde poſt orationem ſecrete dicitur a Sacerdote: *Dominus vobiſcum.* Sacerdos orat ſalutando populum pro clero & plebe, & clerus & plebs, ut participes ſint pariter cum Domino reciprocaciter exorando reſpondent, & cum ſpiritu tuo; id eſt, ut mens & ſpiritus noſter unum ſint ſecundum Apoſtolum: pſallam ſpiritu, pſallam & mente, ipſe pro illis, & illi pro illo, quia Apoſtolus docet: invicem orare, ut ſalventur. Et Dominus in Evangelio: *Amen dico vobis, quia ſi duo, vel tres conſenſerint de omni re ſuper terram, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo, qui eſt in cælis.* Iterum dicit Sacerdos: *Surſum corda.* Hic non ſolum plebem hortatur, ut ad Dominum erigat corda, verum etiam ſuum cor participare cum ipſis deſiderando exorat. Et ſicut illos optat ſurſum habere corda, & de cœleſtibus cogitare dicente Apoſtolo: *Noſtra converſatio in cælis eſt.* Et iterum, *quæ ſurſum ſunt quærite, non quæ ſuper terram*, ſic & ipſe ima relinquens mente ad cœleſtia cum ipſis tendat iuxta Pſalmiſtam: *Levavi oculos meos*, & *ad te levavi oculos meos, qui habitas in cælis.* Hinc clerus exhortatione Sacerdotis roboratus reſpondet: *Habemus ad Dominum;* ac ſi diceret, ſicut ammonendo nos hortaris ſurſum erigere corda, ſic exortationi tuæ facientes, attende ad Dnum habere profitemur. *Gratias agamus Domino Deo noſtro.* Gratias enim Deo nobis agere optando imperat Sacerdos, qui ante profeſſi ſumus ad Dominum nos eſſe intentos. *Dignum & iuſtum eſt.* Quid enim dignius, quam ut Deo gratias indeſinenter agamus pro immenſo dignationis eius dono, quo nos in mente dignatus eſt ſuos adoptare filios. Unde in conſequentibus ſe Patrem a nobis permittit vocari. Et hæc reſponſio plebis augmentum accumulat gratiarum actionis.

Præfatio.

Vere dignum, & iuſtum, & æquum, & ſalutare. Conteſtatur vero Sacerdos fixe & veraciter profeſſionem populi, id eſt gratias referre Deo eſſe dignum, qui nobis ſalutem indignis tribuit æternam. Dignum, hoc eſt meritum; & Iuſtum, hoc eſt iure & ratione ſtans, ac ſolidatum, æquum rectum & æquale; Et ſalutare, hoc eſt ſalubre, omnique ſalute plenum, & medicabile.

Digitized by Google

bile. *Nos tibi ſemper, & ubique gratias agere.* Poſtquam autem profitetur ſe populus ad Dnum corda habere intenta. Converſio vocis & mentis fit a Sacerdote veluti præſentialiter loquentis ad ipſum dicendo: Nos tibi ſemper & ubique gratias agere. Tunc enim digne Deo gratiæ concelebrantur, ſi ab omnibus humani generis fidelibus ſemper & ubique agantur. Semper iuxta pſalmiſtam *benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus eius in ore meo.* Et iterum: *Laudabo Dominum in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu ero.* Et Apoſtolus: *Sine intermiſſione orate: in omnibus gratias agite*, & reliqua. Et ubique pſalmiſta dicente: *In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.* Et quia etiam Deus ubique eſt, idcirco illi ubique gratias referre debemus. *Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus.* Dominus a dominando dicitur, iure enim illi hoc nomen proprie adhibetur, qui ipſe poteſtative omnium dominatur creaturarum, in quo nomine omne genu flectitur cœleſtium, terreſtrium & infernorum. Et ſicut Dominus a dominando, ita ſanctus a ſanctificando dicitur, quia ab ipſo omnia ſanctificantur. Pater, hoc non dicimus noſtro merito, ſed ſola ſuæ conceſſionis largitione, qui dum peccati ſervi eſſemus, & filii iræ ſecundum Apoſtolum, liberi facti iuſtitiæ. Patrem, illum diligendo, eo iubente vocamus. *Per Chriſtum Dnum noſtrum.* grece enim Chriſtus, latine unctus interpretatur. Unde in pſalmo: *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis.* Per Chriſtum vero Dominum noſtrum. Omnes fideles gratias Deo Patri referunt mediatorem, ac mundi redemptorem, a quo cuncta creata & pereuntia, non noſtris meritis, ſed ſola ſua miſericordia ſunt recuperata. Et bene, ſicut per ipſum novem ordines angelorum diſtinctis vocabulis creavit dicens: *Fiat lux, & facta eſt lux*, ita etiam & per ipſum paterna maieſtas merita viciſſitudine ab angelis, id eſt, a nuntiis, & Archangelis, id eſt, Principibus angelorum conlaudatur, quia archon grece, latine Princeps dicitur. Et a Dominationibus, id eſt, Dominationibus ſupra prædictos ordines adoratur. Per ipſum etiam unicum verbum, id eſt, filium paternam divinitatem tremunt Poteſtates. Cœli cœlorumque virtutes, id eſt, poteſtatem habentes, & virtutem ſupra inferiores ordines. Ac beata Seraphim. Seraphim quoque ardentes & incendentes interpretantur propter vicinitatem ſanctiſſimi divinitatis ignis, quia Deus noſter ignis conſumens eſt. Et ideo iuſte ab ipſis per unicum verbum ſocia exultatione Pater concelebratur. Cum ipſis vero ſupra dictis ordinibus angelorum & noſtras, id eſt, hominum voces, ut admitti iubeas, deprecamur. Ammittere enim per duo m, & admittere per d, ſuſcipere eſt. Amittere vero per unum m abſque d, hoc eſt dimittere. Hic iam coniungendo pars inferior chordarum ſuperiori in concordatione cœleſtis cytharæ, id eſt, concordis eccleſiæ, ſociatur. Quæ ſpiritale ac novum carnem æterno regi concinenti modulatione perſtrepit. Unde Iohannes: *Et audivi vocem ſicut vocem cytharizantium in cytharis ſuis, & cantant canticum novum.* Duas quoque Deus creaturas, id eſt angelos & homines ad ſibi debitum reddere famulatum ac dignum ſervitium condidit, qui laudem illius dignam agerent, & placitam eius voluntatem ſenſibiliter cum laudibus & gratiarum actionibus explerent. Per unigenitum Filium ſuum, per quem hi omnes ordines divinam eius potentiam ſine intermiſſione laudant, adorant, & tremunt, concelebrantque ſupplici confeſſione dicentes, id eſt præcaria, humilique laude, unde Caſſiodorus inquit: Confeſſionis enim nomen in divinis ſcripturis duplici modo intelligitur. Aliquando enim ad ſatisfactionem, & ad publicam ſanabilemque proditionem per pœnitentiam pertinet, ut Apoſtolus: *Confitemini peccata veſtra alterutrum, ut ſalvemini.* Aliquando ad gratiarum actionem, ut in Evangelio: *Confiteor tibi Domine Pater cœli & terræ.* Hinc iterum Caſſiodorus dicit: Confitentur enim, qui peccata deplorant. Et qui Domino gratias referunt, confitentur; ſed & illud in lacrimis, iſtud in gaudio eſt. Illud in afflictione, iſtud in ſanctæ mentis alacritate. Illud in triſtitia, iſtud in exultatione. Illud in labore, iſtud in requie. Illud in timore, iſtud in dilectione. Illud in luctu, iſtud in iocunditate. Illud in ſorditate, iſtud in decore. Illud quieſcit in indulgentia, iſtud permanet hic, & in futuro. Illud homines peccatores, iſtud homines ſancti, & angeli gratulando & laudando confitentur. Ex quo intelligitur, ſicut prædictum eſt, quod nomen confeſſionis duplici modo intelligitur, id eſt, aliquando fit Confeſſio ad ſalutis ſatisfactionem, & ad ploranda peccata. Aliquando ad gratiarum actionem, Deo gratias agendo, & eius nomen digne laudando; unde dicitur in pſalmis: Confitemini Domino, quoniam bonus, & reliqua. Hic enim poſſumus intelligere de præſenti loco, verum dum ſancti in hoc caduco vivunt ſæculo, antequam inſeparabili conſortio cœleſtis coniungantur chori, diviſis variiſque modis Dominum

laudant.

Digitized by Google

laudant. Hinc Auguſtinus: Laudant eum omnes angeli eius condigne, quorum cibus æternus eſt, cuius vita vivunt, cuius æternitate & bonitate ſemper beate vivunt. Laudemus Dominum noſtrum, qui redemit, & fecit nos; laudant illi competenter, laudemus & nos obedientes. Illi laudant videndo, nos credendo; illi fruendo, nos petendo; illi capiendo, nos quærendo; illi intrando, nos pulſando.

Sanctus, *Sanctus*, *Sanctus*.

Iuſte enim, & rationabiliter iſtud nomen maieſtati divinæ ter decantatur, quia ſanctus Pater dicente Filio ad eum: Pater ſancte ſanctifica eos in veritate, quos dediſti mihi, quia tu ſanctus es. De Filio autem per angelum ad Mariam dicitur: & quod naſcetur ex te vocabitur ſanctum. Filius Dei de Spiritu Patris & Filii dicit idem Filius diſcipulis ſuis: Accipite Spiritum ſanctum, & cætera. Sed quamvis unicuique perſonæ nomen inponatur ſanctum, non tamen plurali numero tres ſunt ſancti, ſed unus Deus ſanctus; & ſub trina repetitione una in tribus perſonis ſanctitas demonſtratur; unde inquit Eſaias: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum, & ea, quæ ſub ipſo erant, replebant templum, & Seraphim ſtabant ſuper illud ſex alæ uni, & ſex alæ alteri, & clamabant alter ad alterum & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dnus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius.* Inde & Iohannes Evangeliſta in libro Apocalypſis ſcribit, ſe vidiſſe ante thronum Dei & agni viginti quatuor animalia adſtantia, & inceſſanter dicentia: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus Sabaoth, & reliqua. Sabaoth quoque ebraice latine exercituum ſive virtutum interpretatur; quia ipſe eſt omnium creator & Deus, qui operatur per Filium unacum Spiritu ſancto omnia in omnibus. *Pleni ſunt cœli*, hoc eſt cœleſtes ordines, in quibus Deus pleniſſime habitare dicitur. *Et terra*, id eſt, fideles adhuc per ſpem futuræ beatitudinis in terra converſantes. *Gloria tua*: illa enim gloria pleni ſunt cœli & terra, quam naſcente Domino multitudo angelorum cantaſſe dicitur: Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Oſanna in excelſis. Oſanna in interpretationem linguæ alterius in toto tranſire non poteſt, quia Oſi ſalvifica interpretatur. Anna vero interiectio eſt, ſignificans motum animi ſub poſtulantis affectu. Oſianna autem integre dicitur, quod nos vocali media litera, & corrupta, & eliſa Oſanna dicimus, ſicut fit in verſibus cum ſcandimus. Litera enim prima verbi ſequentis extremam prioris verbi veniens excludit; & dicitur ebraice Oſanna, quod interpretatur ſalvifica ſubaudiendo: ut populum tuum, ut totum mundum. *Benedictus, qui venit in nomine Domini.* Adpropinquante Ieſu Hieroſolymis pueri Hebreorum ſumentes ramos olivarum obviaverunt ei dicentes: *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis.* Sine intermiſſione etenim & nunc a fidelibus nomen eius in ſancta illius eccleſia pronunciari debet, quia ab ipſo ſpiritali benedictione, ſpiritales replentur, de qua Apoſtolus teſtatur: *Benedictus Deus, & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos in omni benedictione ſpiritali in cœleſtibus in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Te igitur clementiſſime Pater per Ieſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum. Recte per Ieſum Chriſtum Deus, & iam Pater ſupplicatur, quia per ipſum omnia facta ſunt, & ſine ipſo nihil factum eſt. Et quia per ipſum ſalvati ſumus, dignum eſt etiam, ut per ipſum Patrem, a quo genitus eſt, imploremus. *Supplices*, id eſt humiles, *rogamus & petimus, uti accepta habeat;* uti prout accepta habeas, id eſt placabiliter accipias, *& benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia inlibata.* Donum dantis eſt munus accipientis, quia illud a dando, hoc a muniendo dicitur. Tamen proprie dona dicuntur, quæ Deo dantur. Munera autem hominum ſunt, quia manibus dantur, & accipiuntur. In hoc tamen loco & dona, & munera Deo offeruntur. Sacrificia, id eſt, ſacra facta, quia prece myſtica conſecrantur in memoriam pro nobis dominicæ Paſſionis. Unde ab hoc, eo iubente, corpus & ſanguinem dicimus. Quod dum fit ex fructibus terræ ſanctificatur, & fit Sacramentum operante inviſibiliter Spiritu Dei, cuius panis & calicis Sacramentum Greci euchariſtiam dicunt, quod latine bona gratia interpretatur. Et quid melius Corpore & Sanguine Chriſti? Inlibata, hoc eſt incontaminata, & omni immunditia carentia; inlibata etenim tunc ſunt ſacrificia, ſi de propriis puro corde dantur, & iuſto labore adquiruntur. *Inprimis, quæ tibi offerimus pro eccleſia tua ſancta catholica.* Primo enim omnium pro eccleſia ſancta offerre debemus mente pura ac toto digne devotionis affectu, ut ſemper dilatetur, & munitione Chriſti firmata ſtabilis in pace perſeveret. Catholica autem dicitur univerſalis, quia grece catholicon, latine univerſalitas dicitur, *quam pacificare*, id eſt in concordia manere, ſicut dicitur: quia duos condidit in ſe unum

num novum hominem faciens pacem. Pacem his, qui longe, & pacem his, qui prope. Cuſtodire, quia eſt cuſtos, ſicut eſt cuſtos, qui de nocte; & niſi Dominus cuſtodierit civitatem, in vanum vigilat, qui cuſtodit eam. *Adunare*, id eſt unam per fidem facere, quia una eſt columba, id eſt, una eccleſia. Et licet ſeptem in Apocalipſi ſcribantur, una tamen eſt ſeptiformi ſpiritu plena. Salomon enim dicit: *Sapientia ædificavit ſibi domum, excidit columnas VII.* quas ſeptem Apoſtolus unam dicit eccleſiam Dei vivi, quæ eſt columna & firmamentum veritatis. *Et regere digneris*, id eſt, tuo monimine, ac gubernatione firmare. *Toto orbe terrarum, unacum famulo tuo Papa noſtro N.* Quia enim ipſe vice apoſtolica caput eſt eccleſiæ, ideo primus nominatur in hac prece. *Et antiſtite noſtro.* Antiſtes dicitur, quod ante ſtat, eo quod præſit cæteris ordinibus. Et dignum eſt, ut pro eo Sacerdotes nominatim exorent, in cuius parochia, & ſub cuius gubernatione reguntur.

Memento Domine famulorum famularumque tuarum. Famuli a famulando dicti, id eſt a ſerviendo, eo quod famulatum cuicunque impendunt. *Et omnium circum adſtantium.* Sunt nonnulli, qui putant, non pro his tunc orari, qui forte aut infirmitatis cauſa, aut aliqua interveniente neceſſitate ſedent, ſed adſtantium dicit ad præſens conſiſtentium, & in fide ac ſpe permanentium, ſicut Apoſtolus dicit: vigilate, & ſtate in fide, & ſtabiles eſtote, atque immobiles. *Quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio.* Deo enim nihil eſt incognitum, quia ſcrutator eſt cordium: Dominus enim novit cogitationes hominum. *Qui tibi offerunt hoc ſacrificium* laudis iuxta Apoſtolum: quicquid agere debetis, omnia in laudem Dei facite, ut & Deus laudetur in vobis. *Pro ſe ſuiſque omnibus*, id eſt, & pro ſe ipſis, & pro omnibus, qui ad ſe pertinent. *Pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ.* Per oblationem enim illius ſacrificii animæ redimuntur a vitiis, & ſalvantur per ſpem ſalutis æternæ. *Tibi reddunt vota ſua.* Vota dicuntur voluntarie data, unde pſalmiſta: vovete & reddite Domino Deo veſtro omnes, qui in circuitu eius offeretis munera. *Æterno Deo vivo & vero.* Æterno, quia nec initium habuit, nec fine claudetur. Deo vivo: vivum eum dicit, quia ipſe eſt vita, & ab eo omnia vivificabuntur. Vero: quia verax eſt, & non fallit. *Communicantes*, id eſt, communiter participantes. *Et memoriam venerantes*, venerabiliter memoriam habentes. *Inprimis glorioſæ ſemper virginis Mariæ.* Eius memoriam primum Sacerdos facit, quia per eam ſalus omnibus nobis advenit. Semper Virginis dicit, quia beata Virgo Maria ante partum, & virgo in partu, & poſt partum virgo incorrupta permanſit. *Genitricis Dei, & Dni noſtri Ieſu Chriſti.* In horum duorum vocabulo nominum in Dei, & Domini oſtendit beatam Mariam Deum genuiſſe, & hominem. *Sed & beatorum Apoſtolorum, ac Martyrum tuorum.* Poſt memoriam Dei genitricis, horum memoriam facit Sanctorum, qui eccleſiæ Petro commiſſæ primum præſules exſtiterunt, poſt illos reliquos omnes, dicens: *& omnium Sanctorum tuorum*, & reliqua. Non enim noſtris precibus & meritis, Dei meremur auxilium, ſed ſanctorum interceſſionibus, ſi noſtrum digne oblatum fuerit ſacrificium. Et hoc non niſi per Chriſtum Dominum noſtrum, a quo omnia fiunt, & per quem omnia facta ſunt. *Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ.* Iſtam oblationem Sacerdotes ſuæ ſervitutis dicunt, quia quicquid ad huius pertinet myſterii celebrationem, per eorum diſpenſatur miniſtrationem. Et non ſolum dicit ſervitutis noſtræ, verum cunctæ familiæ tuæ; quia quamvis per eorum miniſterium celebretur, non ſolum pro ſe, ſed & cuncta Dei familia immolatur. *Quæſumus Domine*, hoc eſt precamur, *ut placatus accipias*, id eſt non noſtri attendas reatus culpam ſed tua miſeratione placabiliter concedas veniam. *Dieſque noſtros in tua pace diſponas.* Hoc primum non dicebatur, ſed a Gregorio Papa viro eruditiſſimo poſtea additum eſt. Quod omnes inceſſanter petere debemus, ut quamdiu in hoc peregrinamur ſæculo, dies noſtri gubernentur a Deo. Quid enim eſt aliud dies noſtros eum in pace diſponere, niſi ab æterna damnatione nos eripere, & in electorum ſuorum nos congregatione ſociare, & hoc per illum per quem, & a quo cum Patre omnia facta ſunt. *Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam* benedictione ſpiritali confirmatam; *Adſcriptam*, menſæ cœleſti adſignatam. *Ratam*, tibi firmiter ſolidatam. *Rationabilem, acceptabilemque facere digneris.* Rationabile eſt, cum ratione actum. Et inde ſi rationabiliter ac digne oblatio efficitur, tunc Deo acceptabilis habetur. *Ut nobis Corpus & Sanguis fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti*, id eſt, ut nos efficiamur corpus eius, & nobis divinitus tradat in miniſterio divinæ gratiæ panem, qui de cœlo deſcendit, ut ſicut viſibili pane, & potu reficitur

corpus,

Digitized by Google

corpus, ita & inviſibili animus noſter recreetur ac potetur, ne laſſeſcat in itinere huius ſolitudinis. Quid enim eſt, quod in panem, & vinum Dominus corpus ſuum transfigurare voluit? niſi quia panis ex multis conficitur granis, & vinum ex multis uvarum racemis exprimitur, ſic & eccleſia, quæ eſt Corpus Chriſti ex multis gradibus & ætatibus, & perſonis, & linguis congregatur in unam fidem. Eisdem quippe materiis Dominus ſe ipſum oſtendit dicens: ego ſum panis vivus. Et infra: ego ſum vitis vera. Et ideo in easdem materias, unde cor hominis confirmatur, & lætificatur dicente pſalmiſta: panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat. Corpus ſuum Dominus transfiguravit, ut quamdiu illud adſumpſerimus læti, & firmi maneamus, & ipſe in nobis, ipſo promittente: qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum in me manet, & ego in eo. Dilectiſſimus Filius dicitur, quia, quamvis multi ſunt Filii, gratia tamen, non natura. Iſte ſolus naturaliter eſt Filius Patre atteſtante, qui dicit: hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Dominus Deus, quia ſolus cum Patre, & Spiritu ſancto dominatur, & divino cultu colitur. Chriſte Ieſu. hæc nomina ſunt divinæ gratiæ ſuæ; unum tamen hebreum, id eſt Ieſus, quod interpretatur Salvator. Unde dicitur: Salvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Alterum grecum, id eſt, Chriſte, unde iam ſuperius dictum eſt. *Qui pridie, quam pateretur.* Pridie dicitur, quaſi præ die, id eſt, ante diem, qua per paſſionem occideretur. *Accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas.* In hoc pane quis alius, niſi ille panis vivus deſignatur, qui de cœlo deſcendit. *Et elevatis oculis in cælum, ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem.* Oculos elevavit in cœlum, ut oſtenderet nobis in omnibus, quæ agimus, nihil quærere terrenum; & ut ſciamus inde nobis omne venire bonum. *Tibi gratias agens benedixit.* Exemplum nobis donans, ut in omnibus, quæ bene gerimus, Deo gratias ſemper agamus. *Fregit, dedit diſcipulis ſuis.* Quid aliud ſignificat in fractione huius panis, niſi quia corpus ſuum manducabile præbuit nobis. *Simili modo poſtquam cænatum eſt*, id eſt, poſtquam ille veteris teſtamenti agnus comeſtus eſt Quod dicit ſimili modo, non aliud eſt, niſi ſicut fecit primum de pane, ſic per omnia fecit, & de calice. Sicut illum gratias agendo benedixit frangens ad manducandum, ſic & hunc benedicendo tradidit diſcipulis ad bibendum dicens: *Accipite, & bibite ex eo omnes; hic enim calix Sanguinis mei novi, & æterni teſtamenti.* Quod autem dicitur hic calix novi teſtamenti; ad diſcretionem veteris legis dicitur dicente Moyſe: *Hic eſt ſanguis, quem mandavit ad nos Dominus. Miſterium fidei, qui pro vobis effundetur.* Quia dicitur, niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, Non habebitis vitam æternam. *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis.* Unde Apoſtolus: *Quotieſcunque*, inquit, *manducatis panem hunc, & calicem bibitis, mortem Domini adnuntiabitis donec veniat. Unde & memores ſumus Domine nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta Chriſti Filii tui Domini Dei noſtri.* Hic Sacerdotes admonitione Chriſti imbuti, memores illius ſe eſſe profitentur, quia ipſis celebratio ſacrificii huius commiſſa eſt ad conſecrandum. Deinde ſubditur, ſed & plebs tua, ut intelligamus non ſolum Sacerdotibus dignum eſſe memoriam Chriſti venerari, ſed & generaliter omnibus, plebs Chriſti vocatis, quia pro cunctis Chriſtus mortuus eſt, & reſurrexit, & ad cœlos victor aſcendit. Ipſa etenim ſancta dicitur, quia per myſterium ſacri baptiſmatis eſt abluta. Et iuſte adicitur tua, quia Filii ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti proprio cruore eſt redempta. *Tam beatæ paſſionis, nec non & ab inferis reſurrectionis, ſed & in cælos glorioſæ aſcenſionis.* Horum ergo omnium ſumus memores, quia per hæc nos credimus eſſe ſalvatos. Et idcirco *offerrimus præclaræ maieſtati tuæ de tuis donis ac datis, Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam, Panem ſanctum vitæ æternæ, & Calicem ſalutis perpetuæ.* Hoſtiæ apud veteres dicebantur ſacrificia, quæ fiebant, antequam ad hoſtem pergerent. Nunc autem Domine *Hoſtiam puram*, id eſt, omni fermento malitiæ & nequitiæ carentem maieſtati tuæ corde puro offerimus, quia ſicut illi auxilium a te credebant impetrare victoriæ, ita & nos per Corpus Filii tui, qui eſt vera hoſtia ſalutem noſtrarum nobis credimus promereri animarum. *Hoſtiam ſanctam*, id eſt, cœleſti dono per aſſumptionem Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctificatam. *Hoſtiam immaculatam*, quia ipſe ſine macula peccati ex Maria Virgine natus, & cruce ſuſpenſus, redeundo ad cœlos aſcendit. *Panem ſanctum vitæ æternæ* offerimus, quia vitam, quicunque digne eum acceperunt, percipient indeficientem, ipſe eſt enim panis vivus. *Et Calicem ſalutis perpetuæ.* Si vero calicem Domini condigne ſumpſerimus, ſalutem animæ ſemper manentem habebimus. *Supra quæ;* ſubauditur

Digitized by Google

auditur munera, *propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris*, hoc eſt, miſericordi & claro percipere. *Et accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech, ſanctum ſacrificium immaculatam hoſtiam.* Abel namque de primogenitis quicquid optimum duxit, ac de adipibus gregis ſui, & iuſto labore adquiſitis. Hoc Deo cum intimis cordis amore, ac tota mentis devotione optulit. Ideoque Deus ad munera eius ſereno vultu reſpexit. Abraham vero voci Domini obediens filio ſuo non pepercit propter eum, ſed immolare eum voluit, ideoque reputatum eſt ei ad iuſtitiam. Melchiſedech ſummus Sacerdos primum panem & vinum typice Domino obtulit. Quam figuram poſtea Chriſtus, qui eſt verus Sacerdos in æternum corpus ſuum & ſanguinem offerendo Deo Patri adimplevit. Dixit enim diſcipulis ſuis, dans eis panem & calicem: hoc eſt Corpus meum; & hic eſt Calix Sanguinis mei, qui pro multorum redemptione effundetur. Cum omni ergo puritate mentis implorare omnipotentem Deum debemus, ut ſicut, horum trium munere placatus, reſpexit, ita etiam per ſuam miſericordiam reſpicere dignetur & noſtra.

Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus angeli tui in ſublime altare tuum in conſpectu divinæ maieſtatis tuæ. Inceſſanter enim nobis, & cum ſumma humilitate poſtulandum eſt, ut ſacrificia, quæ a nobis in hoc corporali altare offeruntur, & per manus Sacerdotum conſecrantur, ab angelo in preſenti adſiſtente ſancto ſuſcipiantur, per manusque illius ſanctas in ſublime altare Dei. Idem in præſentiam paternæ maieſtatis, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, perferantur. *Ut quotquot ex altaris participatione ſacroſanctum Filii tui Corpus & Sanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cæleſti & gratia repleamur, per Chriſtum Dnum noſtrum.* Semperque Deum Patrem exorare debemus, ut quotquot Corpus & Sanguinem proprium in commemorationem Filii ſui Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter ſumimus, illius benedictione ac gratia repleti, cœleſti eius nos largiflua pietate non noſtris meritis agnoſcamus eſſe ſalvandos.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam & ſocietatem donare digneris. Hic petitur, ut nobis indignis cum ſanctis ſuis, & electis gloriam tribuat. Miſerationes dicuntur, quia novit compati vulneribus noſtris, & medicamentum dat. Et hæc tamen tantummodo ſperantibus promittuntur, quia nihil valent ſine ſpe, ſicut namque per pedes corpus ambulat, ſic & mentes bonorum per ſpem ad cœleſtia proficiſcuntur. *Cum tuis ſanctis Apoſtolis, & Martyribus cum Iohanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agne, Cecilia, Anaſtaſia, & cum omnibus Sanctis tuis, intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte, per Chriſtum Dnm noſtrum.* Ideo præſumit rogare Deum ſacerdos nobis dari partem cum Sanctis, quia nihil reſiſtit voluntati Dei. Non enim meritis vocamur ad regnum Sanctorum, ſed ſola bonitate Dei, per Xpm Dnm noſtrum, qui factus eſt mediator, quem advocatum habemus apud Patrem. Cuius pietate ac beata paſſione reconciliati ſumus Patri. *Per quem hæc omnia bona Dne ſemper creas.* Creat ac condit Pater per Filium, ut in myſterio gratiæ divinæ nobis traditur corpus & ſanguis. *Sanctificas*, ut & nos ſanctificemur per ſanctum ſacrificium. *Vivificas.* Vivificatur ſancta oblatio panis & vini, quatinus divinis myſteriis acceptis, vita æterna tribuatur fidelibus. Bona ſcilicet Dni creaturæ, quæ nobis largiuntur, ſanctificata ſunt, quia nos ſanctificant. Vivificata: per quæ preſtatur vita beata. Benedicta: per quæ benedictio corporis & ſanguinis datur nobis. *Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo, eſt tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus ſancti omnis honor & gloria.* Eſt honor & gloria Patri, ſed cum Filio, per quem omnia creavit, cum quo cuncta cœpit facere, & in quo ſunt omnia perfecta. Honor & gloria eſt Patri, & Filio, ſed cum Spiritu ſancto, per quem vivificatur, & ſanctificatur, quæ ex ipſo, & per Filium facta noſcuntur. *Per omnia ſæcula ſæculorum.* Sæcula ſæculorum dicuntur, ſicut ſancta ſanctorum; hoc eſt, per æterna ſæcula. Per quem vivit, & regnat Pater, vivit, ac regnat Filius, vivit, & regnat Spiritus ſanctus. *Amen*, id eſt vox fidelium, & credentium in trinitatem & unitatem. Amen hebreum eſt, quod ab aliquibus interpretibus interpretatur vere & fideliter, ab aliis, vere fiat.

Oremus, præceptis ſalutaribus moniti. Præceptis enim ſalutaribus, id eſt, Dni Salvatoris, qui nos ſine noſtris meritis ſalvavit, moniti ſumus; ipſo atteſtante diſcipulis ſuis: ſic enim orabitis: *& divina inſtitutione formati audemus dicere.* Si vero eius monitis & divina inſtitutione formati

matì

mati fuerimus, recte dicere audebimus nobis ab ipſo prædictam orationem ſubſequentem. *Pater noſter, qui es in cœlis.* Hæc vox libertatis eſt. Patrem invocamus, qui nos creavit, quia omnes ab uno creati ſumus Deo. *Sanctificetur nomen tuum.* Num quod non ſemper ſanctificatum fuit nomen Dni, oramus, ut in nobis ſit ſanctificatum nomen eius. *Adveniat regnum tuum.* Regnum Dei ſemper fuit. Oramus, ut in nobis non regnet diabolus, neque vitia, ſed regnum Dei ſit in nobis. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra;* ut efficiatur voluntas Dei in nobis in timore conſummemur angelorum, ut ſimus in ſocietate, nos terreni, ſupernorum civium. *Panem noſtrum cottidianum da nobis hodie*, id eſt panem ſuperſubſtantialem, de quo pane Dns dixit: Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi, ut de ſancto altari reficiamur corpore Xpi. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Ecce remiſſionem dicimus, quod in evangelio Dns dicit: Si non remiſeritis peccata hominum, nec Pater cœleſtis dimittet peccata veſtra. *Et ne nos inducas in temptationem*, ne nos dimittas incidere in temptationem diaboli. *Sed libera nos a malo;* a diabolo, & malis hominibus.

Libera nos quæſumus Dne ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris. Et hoc etiam nobis poſtulandum, & ſupplici prece omnipotens Deus a nobis exorandus eſt, ut nos a præſentibus, id eſt, nunc inſtantibus malis eripiat, & ſecundum ſuam largiſſuam miſericordiam a præteritis, ne ad illa refertamur, liberet; & a futuris ipſo auxiliante ſecernat, qui eſt agnitor præſentium, præteritarum, futurarumque rerum. *Et intercedente pro nobis beata & glorioſa ſemper Virgine Dei genitrice Maria, & ſanctis apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea. Da propitius pacem in diebus noſtris, ut ope miſericordiæ tuæ adiuti, & a peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri.* Beata ergo Dei genitrix, quæ meruit virgo eſſe in partu, virgo poſt partum, primum humillima poſtulatione imploranda eſt, ut ipſa intercedat pro nobis ad Patrem, Filiumque, ex ſe ſecundum carnem natum. Poſtque Dei apoſtoli Petrus & Paulus atque Andreas primi eccleſiæ doctores ſunt flagrandi, ut ipſis intercedentibus, pax in diebus noſtris Chriſto propitio detur nobis, ut miſericordiæ ſuæ auxilio circumdati, mereamur eſſe ab his liberi, & ab omni perturbatione noxia corpus, & ſanguinem Xpi ſumamus ſecuri, quia non noſtra virtute ſperamus nos ab hisdem liberari, ſed magis credimus per illorum interceſſionem ſalvari. *Per Xpm Dnm noſtrum.* Et reliqua. Hæc quoque redemptio ac liberatio per Xpm Dnm noſtrum, qui cum Patre vivit & regnat in ſæcula ſæculorum eſſe debet, quia per ipſum & cum ipſo & in ipſo facta ſunt omnia, ſine quo factum eſt nihil, in quo vivimus, movemur, & ſumus.

Deinde Sacerdos pacem populis habendam denuntiat dicendo: *Pax Domini ſit ſemper vobiscum.* Et clerus, & plebs in eadem concordia reſpondendo ſubiungit: *Et cum ſpiritu tuo.* Dignum etenim eſt, ut poſt tanti ſacramenta celebrata myſterii, & poſt corpus, & ſanguinem Dni noſtri Ieſu Xpi conſecratum, pax accepturis prænuntietur, quia ipſe eſt, quem ſumimus, pax noſtra, qui fecit utraque unum, ipſo atteſtante diſcipulis: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et iterum: *Pacem habete intra vos.*

Poſt pacem autem omnibus fidelibus in eccleſia Dei peractam, iuſte illius corpus, & ſanguis a dignis percipitur, qui eſt pax vera, & in quo falli non poteſt. Quia a non niſi pacificis, & in concordia manentibus Corpus & Sanguis Dni noſtri Ieſu Xpi digne percipitur, ſcriptura atteſtante: *Quicunque comederit Carnem Dni, & biberit eius Sanguinem iniuſte, iudicium ſibi manducat, & bibit.*

Agnus Dei vero, dum Corpus, & Sanguis Xpi ſumitur, a clero modulando decantatur, quia ipſe eſt verus agnus ſine macula Iohanne dicente: *qui tollit peccata mundi.* Et dum ipſe a fidelibus percipitur, dignum eſt, ut communio ſacramenti modulationis lenitate aures accipientium mulceat, utocioſa quæque minus recordari, ac eis delectari ad hanc vocem intenti valeant, cordaque eorum ad conpunctionem eius amoris, quæ accipiunt, excitentur.

Deinde orationes a ſacerdote ſacræ communionis peraguntur, & benedictio ſuper populum, ut a nobis digne percepta ſtabiles in fide, & mundo corde maneamus, & nobis ſalutem animarum & corporum habere credamus. Per Dnm noſtrum Ieſum Xpm, qui cum Patre vivit, & regnat Deus unacum Spiritu ſancto in ſæcula ſæculorum amen. Deinde a diacono populo pronuntiatur dicendo: *Ite miſſa eſt.* Miſſa enim dicitur, eo quod tempore ſacrificii catecumeni foras mittuntur. Poſtea vero a clero reſpondetur: *Deo gratias*, quia in huius Miſſæ celebratione Auguſtino atteſtante:

primum

Digitized by Google

primum fiunt obſecrationes, deinde orationes, & interpellationes, nec non gratiarum actiones. Obſecrationes namque, id eſt, præcationes dictas accipimus, quas facimus in celebratione ſacrificiorum, antequam illud, quod in Dni menſa eſt, incipiat benedici, quam totam petitionem fere omnis eccleſia dominica oratione concludit. Orationes aguntur, dum ſancta oblatio benedicitur, & ad diſtribuendum præparatur. Interpellationes vero, ſive ut aliqui codices habent, poſtulationes fiunt, cum populus benedicitur. Tunc enim antiſtites velut advocati ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordiſſimæ offerunt poteſtati. His enim peractis, & participato tanto ſacramento gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit apoſtolus.

De Veſtementis ſacerdotalibus.

De veſte ſacerdotali moderno ad antiquum habitum comparato quid myſtice ſignificet perſequamur.

De Superhumerali.

Primum ergo horum indumentum eſt effod bad, quod interpretatur ſuper humerale lineum, ſignificans munditiam bonorum operum, ſub quibus oportet unumquemque ordinari ad miniſterium Dei, ut ex his cordis eius, & fidei ſinceritas comprobetur.

De Podere, id eſt, tunica linea.

Secundum eſt tunica linea, quæ grece poderis, latine talaris dicitur, eoquod uſque ad talos deſcendat. Hanc Ioſephus biſſinam vocat. Conſtans enim de lino, & byſſo continentiam, unde & ſtricta dicitur, ſignificat ſimul & caſtitatem. Et bene ad talos pertingere dicitur: unde & alibi: *Eſto fidelis uſque ad mortem.* Et reliqua.

De Cingulo.

Tertium veſtimentum eſt cingulum ſive baltheum, quo utuntur, ne tunica ipſa defluat, & greſſum impediat. Hoc nimirum mentis cuſtodiam ſignificat, quæ neceſſaria eſt, ne ipſa caſtitas per tunicam ſignificata fiat remiſſa, & vento elationis, & frigore iniquitatis patefacta curſum bonorum impediat. Et ad ultimum ſortibus concupiſcentiæ polluta vileſcat, & ſuperbientes ad ruinam impellat.

De Fanone.

Quartum vero eſt mappula, a mappa, ſive mantele a mantelia, quæ ut nomen ipſorum indicat, dudum tergendis manibus præbebatur. Oportet ſacerdotes mappulas tenere in manibus, ut cum de actione mentis opus ſpontaneum concordet, & digne exerceatur officium, quod pie divino eſt munere collatum.

De Orario.

Quintum quoque eſt orarium, quia quidam ſtolam vocant, quod ſolum predicatoribus eſt conceſſum. Bene etiam oratoribus Xpi convenit orarium conveniens veſtimentum officio; apte etenim collum ſimul & pectus tegit ſacerdotis, ut inde inſtruatur, quod quicquid ore proferat tractatum ſummæ rationis attendat, ut pſallens ſpiritu, pſallat mente, quia cor ſapientis erudiet os eius, ne inproviſe loquatur.

De Dalmatica.

Sextum eſt dalmatica ex provincia Greciæ, hoc eſt Dalmatia dicta, in qua primum texta eſt, & in modum crucis texta, habet in utraque manica, & deorſum deſcendentes purpureos tramites ante & retro, ut ammoneatur miniſter per habitus ſui ſpeciem, ut cum per myſticam oblationem paſſionis dominicæ commemorationem agit, ipſe in eo fiat hoſtia Deo acceptabilis.

De Caſula.

Septimum eſt, quod caſulam vocant; hanc Greci planetam nominant, quæ ſupremum omnium veſtimentorum eſt, & ſuo munimine interius omnia tegit. Hanc ergo veſtem poſſumus intelligere caritatem, de qua enumeratis virtutum ornamentis apoſtolus ait: *Super omnia autem hæc caritatem habentes, quod eſt vinculum perfectionis.*

De Scandaliis.

Induunt quoque ſacerdotes pedes ſcandaliis, ſive ſoleis, utique evangelica auctoritate conceſſis. Quo calciamento nec pes tectus eſt, nec nudus ad terram; dans intelligi, ut nec evangelium occultetur, nec terrenis commodis innitatur; &, partim evangelium debet operiri, & partim manifeſtari, ut & fidelis ſufficientem inveniat doctrinam, & contemptor non inveniat blaſphemandi materiam.

De Pallio.

Super hæc autem omnia ſummo Pontifici, hoc eſt archiepiſcopo propter apoſtolicam vicem, pallii honor decernitur, ut purpureo crucis eiuſdem veſtimenti ſignaculo a tergo & pectore depicto demonſtret populo ſignaculum redemptionis, & pia mente cogitet ipſe de paſſione redemptoris dicens: *Mihi autem abſit gloriari, niſi in cruce Dni noſtri Ieſu Xpi*, & reliqua.

De

Digitized by Google

De Sacramentis Eccleſiæ.

Sunt autem Sacramenta Eccleſiæ baptiſmum & chriſma, Corpus & Sanguis, quæ a ſecretis virtutibus & ſacris, Sacramenta dicuntur, quia ſanctus in eis manens ſpiritus, eundem ſacramentorum ad ſalutem fidelium latenter operatur effectum, quibus nec per bonorum merita diſpenſatorum amplificantur, nec malorum hæc dona attenuantur, quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed, qui incrementum dat Deus.

De Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini.

Maluit autem Dnus Corporis & Sanguinis ſui Sacramenta fidelium ore percipi, & in paſtum eorum redigi, quia iſte cibus & potus æternam ſocietatem capitis membrorumque ſuorum ſignificat. Qui manducat carnem meam, & reliqua. Nam per viſibile opus, inviſibilis oſtenditur effectus. Quod autem ex terrenis fructibus voluit hæc Sacramenta confici, hæc ratio eſt, quia ipſe Filius Dei ex terrenis parentibus factus homo in terra, & inde veritas orta, ut ex terrigenis cœlicolas faceret; de terrenis fructibus cibum cœleſtem, cœleſtis homo fecit. Et panem & vinum ad hoc potiſſimum elegit propter ordinem Melchiſedech, ſecundum quem ipſe futurus erat ſacerdos, & quia ex multis granis ſeu acinis in unum rediguntur, ut per ea ſignificaret capitis, corporis & membrorum unitatem, quod eſt eccleſia. Sed aliud eſt Sacramentum, quod ore percipitur, & in alimentum corporis redigitur; aliud virtus Sacramenti, qua interior homo ſanatur, & vita æterna adipiſcitur. Sed & vinum commixtum offertur, quia utraque ex Chriſti latere ſimul fluxere. Sanguis in remiſſionem peccatorum funditur: aqua poculum ſalutare temperatur. Neutrum fiat ſine altero, quia, quando in calice aqua vino miſcetur, Xpo populus adunatur; nec panis ſacrificium niſi mixtum, & confectum offeratur, ne tali oblatione caput membris ſeiunctum eſſe ſignificetur.

De Officio Miſſæ.

Officium dicitur quaſi efficium ab efficiendo mutata una litera propter decorem ſermonis. Sacrificium dictum, quaſi ſacrificatum, dum myſtice conſecratur operante inviſibiliter Spiritu Dei. Hoc Sacramentum Greci Euchariſtiam dicunt, quod latine bona gratia interpretatur. Miſſa autem legatio eſt inter Deum & homines; cuius legationis officio fungitur ſacerdos cum preces & oblationes populi offert ad Dnm. Et bene hoc fit in commemoratione paſſionis Xpi, qui ſemetipſum Deo optulit Patri.

De Ordine Miſſæ.

Primum autem in celebratione Miſſæ ad introitum Sacerdotis antiphona ad notitiam eius ingreſſus in ſanctuarium, a choro cantatur. Chorus multitudo eſt in ſacris collecta. Chorus dicitur a ſtantibus in modum coronæ. Alii dicunt a concordia, ſive de innocentia ſoni. Dum unus canit grece monacha, latine ſicinium dicitur. Dum duo canunt bicinium dicitnr. Cum multi chorus vocatur. Antiphona vox reciproca ex duobus choris alternatim pſallentibus dicitur. Poſt introitum præcedunt lætaniæ, ſalutationem presbyteri ad populum; cui & populus pacis reſpondet verbum. Sequitur lectio canonica ad reddendos auditorum animos intentos. Deinde reſponſorium, quod ideo reſponſorium dicitur, quia alio deſinente, id alter reſpondeat. Quod & Itali traduntur primum inveniſſe; & hoc quidam gradale dicunt, eoquod iuxta pulpiti gradus cantatur. Tunc alleluia canitur, hoc eſt laus Dei. Ia enim ex decem nominibus Dei apud Hebreos eſt. Eſt & hebreum amen. tantum enim ſacra ſunt nomina, ut ea ſe audiſſe in cœlis S. Iohannes teſtatur. Ac per hoc ſic oportet in terris utraque dici, ſicut in cœlo reſonant. Poſtea legitur a diacono evangelium, ut ibidem ipſius virtus audiatur, cuius corporis myſterium celebratur. Fiunt oblationes, cantatur offertorium, quod inde vocatur quaſi canticum offerentium. Inmittitur altari corporalis pallium, quod ſignificat linteum, quo involvebatur corpus ſalvatoris, qnod non aliunde, niſi puro lino textum eſſe debet. Ponuntur vaſa, calix, & patena dominici ſepulchri, quodammodo typum tenentia, quibus adminiſtratur corpus Dni ad percipiendum fidelibus ſacræ orationis conditum unguentis. Poſt de elevatione cordis ad Deum. Deinde fit oratio pro ſociandis vocibus humanis angelicis, dicentibus ter: ſanctus, & reliqua. Dein conſecratio corporis & ſanguinis, & precatio valida, inter quas & dominica oratio. Pacis oſculum. Agnus Dei. Poſt communione benedictio Sacerdotis. Tunc prædicatur a diacono licentia eundi peracta miſſa.

In Dei nomine pauca ex eruditorum virorum Voluminibus excerpta, incipiunt de catholica eccleſia, & eius miniſtris, & de Baptiſmatis Officio.

Digitized by Google

Eccleſia grecum eſt, quod in latinum vertitur convocatio, propter quod omnes ad ſe vocet. Catholica, id eſt univerſalis ideo dicitur, quia per univerſum mundum eſt conſtituta ſeu quoniam catholica, hoc eſt generalis in eadem doctrina eſt, ad inſtructionem hominum de viſibilibus, atque inviſibilibus rebus cœleſtium, ac terreſtrium.

De Miniſtris Eccleſiæ.

Cleros ſeu Clericos hinc appellatos, quod Mathias ſorte electus eſt, quem primum per apoſtolos legimus ordinatum. cleros enim grecum, in latinum ſors vel hereditas dicitur, propterea ergo dicti clerici, quia de ſorte ſunt Dni, vel quia Dni partem habent. Generaliter autem clerici nuncupantur omnes, qui in eccleſia Xpi deſerviunt; quorum gradus & nomina hæc ſunt: Hoſtiarius, Pſalmiſta, Lector, Exorciſta, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Epiſcopus.

De Gradibus eccleſiaſticis.

Ordo Epiſcoporum quadripertitus eſt, id eſt, in Patriarchis, Archiepiſcopis, Metropolytis, Epiſcopis. Patriarcha greca lingua ſummus patrum interpretatur, quia primum, id eſt, apoſtolicum retinet locum. Archiepiſcopus ſummus epiſcoporum; tenet enim vicem apoſtolicam & præſidet tam Metropolytanis, quam epiſcopis ceteris. Patriarcha pater principum, Archon enim princeps. Archiepiſcopus princeps epiſcoporum, ſicut metropolytanus epiſcopatus. His vocabulum inde ductum, quod ille, qui ſuper præficitur, ſuper intendat, curam ſcilicet ſubditorum gerens. Scopin enim latine intendere dicitur. Epiſcopi autem grece, latine ſpeculatores interpretantur. Pontifex princeps Sacerdotum, ipſe omnes ordines eccleſiaſticos diſponit. Sacerdos nomen habet compoſitum ex greco & latino, quaſi Sacrum dans. Sicut enim rex a regendo, ita Sacerdos a ſanctificando vocatus eſt, conſecrat enim & ſanctificat. Presbyter grece, latine ſenior interpretatur non pro ætate, vel decrepita ſenectute, ſed propter honorem & dignitatem, quam acceperunt, ideo presbyteri vocantur. Sacerdotes, quia ſacrum dant, ſicut Epiſcopi, nec criſmate frontem ſignant, nec paraclitum Spiritum dant, quod ſolis debere epiſcopis lectio actuum apoſtolorum demonſtrat. Levitæ ex nomine auctoris vocati, de Levi enim levitæ exorti ſunt, a quibus in templo Dei myſtici ſacramenti miniſteria explebuntur. Hi grece diacones, latine miniſtri dicuntur, quia ſicut in Sacerdote conſecratio, ita in Diacono miniſterii diſpenſatio habetur. Ypodiacones grece, quos nos ſubdiáconos dicimus, qui ideo ſic appellantur, quia ſubiacent præceptis, & officiis levitarum, qui in Eſdra Nathinnei vocantur; idem in humilitate Dno ſervientes. oblationes enim in templo Dei a fidelibus ipſi ſuſcipiunt, & levitis ſuperponendas altaribus deferunt, hi apud Hebreos nathinnei vocantur. Lectores a legendo. Pſalmiſtæ a pſalmis canendis vocati, illi enim prædicant populis, quid ſequantur; iſti canunt, ut excitent ad compunctionem animos audientium. Cantor autem vocatus, qui voce modulatur in cantu. Huic duo genera dicuntur in arte muſica, ſicut ea docti homines latine dicere potuerunt: præcentor, & ſuccentor. Præcentor ſcilicet, qui vocem præmittit in cantu. Succentor autem, qui ſubſequenter canendo reſpondet. Concentor autem, qui conſonat. Acolyti grece cereoferarii dicuntur a deportandis cereis, quando legendum eſt evangelium, aut ſacrificium offerendum Tunc enim accenduntur luminaria ab eis, & deportantur, non ad effugandas tenebras, dum ſal eodem tempore rutilet, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum, ut ſub typo luminis corporalis, illa lux oſtendatur, de qua in evangelio legitur: erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Exorciſtæ grece in latinum adiurantes, ſive increpantes vocantur, invocant enim ſuper cathecuminos, vel ſuper eos, qui habent ſpiritum immundum nomen Dni Ieſu adiurantes per eum, ut egrediatur ab eis. Oſtiarii idem & ianitores, qui in veteri teſtamento, electi ſunt ad cuſtodiam templi, ut non ingrediectur, eum inmundus in omni re. Dicti autem oſtiarii, quod præſint oſtiis templi, ipſi enim tenentes clavem omnia intus ex utraque cuſtodiunt; atque inter bonos & malos habentes iudicium, fideles recipiunt, reſpuunt infideles.

De ceteris fidelibus.

Orthodoxus grece recte credens, vel rectæ gloriæ latine. Neophitus grece, novellus vel rudis latine. Cathecuminus grece, auditor latine & conpetens vocatur, quia poſt inſtructionem fidei competit gratiæ Chriſti. Proſilites, id eſt, advena. Laicus grece, popularis latine.

De Baptiſmo.

Baptiſmum grece, latine tinctio interpretatur, quod idcirco tinctio dicitur, quia ibi homo ſpiritu gratiæ in melius mutatur, & longe aliud, quam erat, efficitur, Baptizatus in nomine Pa-

tris

Digitized by Google

tris & Filii, & Spiritus ſancti; ſicut in tribus teſtibus ſtat omne verbum, ita & hoc ſacramentum ternarius numerus nominum divinorum, id eſt, Patris & Filii & Spiritus ſancti, per aquam baptiſma datur, quia ſuper aquam etiam in principio ferebatur Spiritus ſanctus.

De myſteriis ſacri Baptiſmatis.

In illo officio primum paganus cathicuminus fit accedens ad baptiſmum, ut renuntiet maligno ſpiritui, & omnibus damnoſis eius operibus, & pompis. Exſufflatur, & iam ut fugato diabolo, Chriſto Dno noſtro paretur introitus. Exorcizatur, id eſt, coniuratur malignus ſpiritus, ut exeat, & recedat, dans locum Deo vero. Accipit cathecuminus ſalem, ut putrida, & fluxa eius peccata, quibus ante maduit ſapientiæ ſale condita, divino munere mundentur. Dein ſymboli apoſtolici traditur ei fides, ut vacua domus, & a priſco habitatore derelicta, fide ornetur, & ut præparetur habitatio Deo. Tunc fiunt ſcrutinia, ut exploretur certius, an poſt renuntiationem ſatanæ ſacra verba datæ fidei radicitus cordi defixerit. Tanguntur & nares, ut quamdiu ſpiritum naribus trahant, in fide accepta perduret. Pectus quoque eodem perungitur oleo, ut ſigno S. Crucis diabolo claudatur ingreſſus. Signantur & ſcapulæ, ut undique muniatur. Item in pectoris & ſcabulæ unctione ſignatur fidei firmitas, & operum bonorum perſeverantia. Et ſic in nomine S. Trinitatis trina ſubmerſione baptizatur. Et recte homo, qui ad imaginem S. Trinitatis creatus eſt, per invocationem S. Trinitatis ad eandem renovatur imaginem, &, qui tertio gradu peccati, id eſt, ſuaſione, delectatione, & conſenſu cecidit in mortem, tertio elevatus de fonte, per gratiam reſurgat ad vitam. Tunc albis induitur veſtimentis propter gaudium regenerationis, ac caſtitatem vitæ, & angelici ſplendoris decorem. Tunc ſacro Criſmate caput perungitur, & myſtico tegatur velamine, ut intelligat, ſe diadema regni & Sacerdotii dignitatem portare iuxta Apoſtolum: vos eſtis genus regale & ſacerdotale, offerentes vosmetipſos Deo vivo hoſtiam ſanctam, & Deo placentem. Sic corpore & ſanguine Dni confirmatur, ut illius ſit capitis membrum, qui pro nobis paſſus eſt, & reſurrexit. Noviſſime per impoſitionem manus a ſummo Sacerdote ſeptiformis gratiæ Spiritum accipit, ut roboretur per Spiritum ſanctum ad prædicandum aliis, qui fuit in baptiſmo per gratiam vitæ donatus æternæ.

De Officiis.

Officium quaſi efficium propter decorem ſermonis, una mutata litera, vel certe, ut quiſque illa agat, quæ nulli officiant, ſed proſint omnibus. Chorus dictus, eo quod in initio in modum coronæ circum aras ſtarent, & ita pſallerent. Alii chorum a concordia caritatis. Cum autem unus cantat grece monodia, latine ſicinium dicitur. Cum vero duo cantant bicinium. Antiphona grece vox reciproca. Reſponſorium, quia alio deſinente, id alter reſpondeat. Offertorium *fertum* dicitur oblatio, quæ altari offertur, a quo offertorium nominatum.

Hactenus ex Mſc. Einſidl.

Ex Mſc. San-Blaſiano ſæc. XIII. circ.

In Nomine Domini Noſtri Ieſu Chriſti.

Incipit opuſculum DE ACTIONE MISSARUM collectum quam maxime, & in ordine digeſtum, ex verbis Sanctorum Patrum Cypriani, Ambroſii, Auguſtini, Ieronymi, Gregorii, Fulgentii, Severiani, Vigilii, Iſidori, Bedæ, Aviti, ſicut ſuis locis per ſingula litteræ nominum, quæ forinſecus prænotantur, oſtendunt: ſed ex antiquis myſteriorum libris quædam verba neceſſario ſumta ſunt. Qnod autem eadem nomina in ipſa opuſculi ſerie ubique inſerta non ſunt, illa neceſſitas fecit, ne frequens eorum interpoſitio fieret abſurda, & incommoda ipſius dictionis & ſenſuum interruptio. In qua tamen expoſitiuncula non tam verba, quæ ſatis ſimplicia ſunt, ſed potius ipſius myſterii ratio & actio exponitur, & commendatur: videlicet, qua fide celebrandum, quanta pietate ſit amplectendum.

Incipit prooemium.

In myſterio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod ſancta Eccleſia per univerſum mundum pro eiusdem mundi ſalute offertur, maxime nobis humilitas commendatur. Viam enim nobis fecit idem Dominus Ieſus Chriſtus per humilitatem: quia per ſuperbiam receſſeramus a Deo, redire autem ad Deum niſi per humilitatem non poteramus; & quem nobis proponeremus ad imitandum, non habebamus. Omnis enim mortalitas hominum ſuperbia tumebat. Et ſi exiſteret aliquis humilis vir in Spiritu, ſicut erant prophetæ, & patriarchæ, dedignabatur genus humanum imitari humiles homines: ne ergo dedignaretur homo imitari hominem humilem, Dominus factus eſt humilis: ut vel ſic ſuperbia generis humani non dedignaretur ſequi veſtigia Dei. Erant autem, ut legimus, ſacrificia antea

Digitized by Google

Iudæorum ſecundum ordinem Aaron in victimis pecorum; & in hoc myſterio nondum erat ſacrificium corporis & ſanguinis Domini, quod nunc diffuſum eſt in toto orbe terrarum. Proponamus ergo nobis ante oculos duo ſacrificia, & illud ſecundum ordinem Aaron, & hoc ſecundum ordinem Melchiſedech. Scriptum eſt enim: Iuravit Dominus & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſeſedech. Hoc autem manifeſte dicitur de Domino Noſtro Ieſu Chriſto. Quis ergo erat Melchiſedech? Utique, ſicut legimus, Rex Salem. Salem civitas fuit antea illa, quæ poſtea, ſicut docti prodiderunt, Hieruſalem dicta eſt. Ergo antequam ibi regnarent Iudæi, ibi erat ille Sacerdos Melchiſedech, qui ſcribitur in Geneſi Sacerdos Dei excelſi. Ipſe occurrit Abrahæ, quando liberavit Loth de manu perſequentium, & proſtravit eos, a quibus ille tenebatur, & liberavit fratrem. Poſt liberationem fratris occurrit Melchiſedech. Tantus erat Melchiſedech, a quo benediceretur Abraham.

Protulit panem & vinum, & benedixit Abraham, & dedit ei decimas Abraham. Vide, quid protulit, & quem benedixit. Ei dictum eſt poſtea: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. David hoc in Spiritu dixit, longe poſt Abraham. Temporibus autem Abrahæ fuit Melchiſedech. De quo ergo alio dicit: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, niſi de illo, cuius novimus ſacrificium? Sublatum eſt enim ſacrificium Aaron, & cepit eſſe ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech. Dominus itaque Noſter Ieſus Chriſtus in corpore & ſanguine ſuo voluit eſſe ſalutem noſtram. Unde autem commendavit corpus & ſanguinem ſuum? de humilitate ſua. Niſi enim eſſet humilis, nec manducaretur, nec biberetur. Reſpice altitudinem ipſius. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Ecce cibus ſempiternus. Sed manducant angeli, manducant ſupernæ virtutes, manducant cœleſtes ſpiritus, & manducant & ſaginantur, & integrum manet, quod eos ſatiat, & lætificat. Quis autem homo poſſet ad illum cibum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut menſa illa lacteſceret, & ad parvulos perveniret. Unde autem fit cibus lac? unde cibus in lac convertitur, niſi per carnem traiiciatur? Nam mater hoc facit. Quid manducat mater, hoc manducat infans. Sed quia minus idoneus eſt infans, qui pane veſcatur, ipſum panem mater incarnat, & utilitate mamillæ, & lactis ſucco de ipſo pane paſcit infantem. Quomodo ergo de ipſo pane pavit nos Dei ſapientia? quia Verbum Dei caro factum eſt, & habitavit in nobis. Vide ergo humilitatem, quia panem angelorum manducavit homo, id eſt verbum illud, quo paſcuntur angeli, ſempiternum, quod eſt æquale Patri, manducavit homo. Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo. Saginantur illo angeli, ſed ſemetipſum exinanivit, ut manducaret panem angelorum homo. Formam ſervi accipiens in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit ſe, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, ut iam de cruce commendaretur nobis caro & ſanguis Domini novum ſacrificium. Ipſe ergo a Domino Deo miſſus Sacerdos noſter, aſſumſit a nobis, quod offerret Deo illas ſanctas primitias ex utero virginis holocauſtum obtulit Deo. Extendit manus in cruce, ut diceret: Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Et: Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Sic novimus, quia Dominus circa veſperam pependit in cruce, & impietates noſtræ propitiatæ ſunt: alioquin abſorbuerant nos. Merito illi cantamus in pſalmo: Et impietates noſtras tu propitiaberis. Tu es Sacerdos, tu victima, tu oblator, tu oblatio. Ipſe Sacerdos eſt, qui nunc ingreſſus eſt in interiora veli, ſalus ibi ex his, qui carnem geſtaverunt, interpellat pro nobis.

In cuius rei figura in illo primo populo, & in illo primo templo unus Sacerdos intrabat in ſancta ſanctorum, populus omnis foris ſtabat: & ille, qui ſolus ingrediabatur in interiora veli, offerebat ſacrificium, populo foris ſtante. Quid enim ageretur in illo populo, Iudæi neſcierunt; ſed nec modo ſciunt. De illis quippe dictum eſt: Quamdiu legitur Moyſes, velamen ſupra cor eorum poſitum eſt. Ibi velamen figura eſt, ſed tolletur, & apparebit veritas. Sed quando tolletur velamen? Audi Apoſtolum: Cum autem tranſieris ad Dominum, auferetur velamen. Propitiatis ergo peccatis noſtris, & impietatibus, per illud ſacrificium veſpertinum tranſimus ad Dominum, & aufertur velamen. Propterea & Domino crucifixo velum templi ſciſum eſt. Itaque nec carnem præputii circumcidimus iuxta ritum moſaicæ legis, nec abſtinemus carnibus, quas eadem lex dicit immundas, nec ſabbatha, & neomenias & dies feſtos eorum carnaliter obſervamus,

ſervamus, nec victimas pecorum ſacrificamus Deo, nec paſcha in ove & azymis ſimiliter celebramus. Et ſi qua alia fuerunt vetera Sacramenta. Quæ omnia umbras futurorum appellat apoſtolus: quia ea ſignificabant ſuo tempore revelanda, quæ nos revelata percipimus, ut, remota umbra Iudæorum, luce frueremur.

Nam & exuendo veterem hominem circumcidimus in expoliatione corporis carnis. Et quos cibos illi vitant in pecoribus, nos vitamus in moribus, & exhibemus corpora noſtra hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem, cui & animas noſtras in deſideriis ſanctis pro ſanguine intelligentes refundimus, & Chriſti velut agni immaculati ſanguine ab omni iniquitate mundemur, qui propter ſimilitudinem carnis peccati etiam caprino pecore in veteribus ſacrificiis figuratur. Nec eum negat in crucis cornibus taurum, qui in eo cognoſcit maximam victimam. In illo requiem cum invenimus, vere ſabbathizamus; & lunæ novæ obſervatio, vitæ novæ eſt ſanctificatio. Et paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, & azymum noſtrum ſinceritas veritatis, fermentum non habens vetuſtatis. Et quæcunque alia illis veteribus adumbrata ſunt ſignis, in iſto habent finem, cuius regni non eſt finis. In illo quippe omnia oportebat impleri, qui venit legem & prophetas implere, & non ſolvere. Proinde illa vetera ſigna rerum non evacuavit arcendo, ſed implendo mutavit, ut alia eſſent, quæ nuntiarent veniſſe iam Chriſtum, quam fuerant illa, quæ prænuntiabant eſſe venturum. Quoniam ergo, ſicut ſcriptum eſt in cantico canticorum, aſpiravit dies, removeantur umbræ, ſpiritalis ſignificatio iam luceſcat, carnalis celebratio iam quieſcat.

Audiamus Dominum vetera Iudæorum ſacrificia repudiantem, & novum Chriſti ſacrificium apertiſſime promittentem per Malachiam Prophetam dicentem: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.

Certe hic negare non poſſunt Iudæi, non ſolum illum non accipere ſacrificium de manibus, ſed nec ſe illi offerre manibus ſuis. Locus enim unus eſt lege Domini conſtitutus, ubi manibus eorum ſacrificia iuſſit offerri, præter quem locum omnino prohibuit. Hunc ergo locum quoniam pro ſuis meritis amiſerunt, etiam ſacrificium, quod ibi tantum licebat afferri, in locis aliis afferre non audent. Ecce omni modo impletum eſt, quod ait propheta: Et munus non ſuſcipiam de manibus veſtris. Neque hoc ita prædictum & impletum eſt, ut eos prophetica ſententia reſpondere permittat: quia manibus non offerimus carnem, corde & ore offerimus laudem, ſecundum illud in pſalmo: Immola Deo ſacrificium laudis. Etiam hinc enim contradicit eis, qui dicit: Non eſt mihi voluntas in vobis.

Deinde ne exiſtiment Iudæi, quod illis non offerentibus, nec illo accipiente de manibus eorum, Deo ſacrificium non offeratur, quo quidem ille non eget, qui bonorum noſtrorum nullius indiget, tamen quia ſine ſacrificio non eſt, quod non illis, ſed nobis utile eſt, audiant illum Dominum conteſtantem, imo aperiant oculos, & videant, quia ab ortu ſolis uſque ad occaſum non in uno, ſicut illis fuerat conſtitutum, ſed in omni loco offertur ſacrificium Chriſtianorum: nec cuilibet Deo, ſed ei, qui iſta prædixit, Deo Iſrael. Unde alibi dicit eccleſiæ ſuæ: Et redemtor tuus Deus Iſrael Deus univerſæ terræ vocabitur. Hoc ſacrificium mundum offertur Deo Iſrael non ab una gente Iudæorum, de quorum manibus ſe non accepturum prædixit: ſed ab omnibus gentibus quæ dicunt: Venite, aſcendamus ad montem Domini. Nec in uno loco, ſicut prædictum erat, in terra Ieruſalem, ſed in omni loco uſque in ipſa Hieruſalem. Nec ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum Melchiſedech. Chriſto enim dictum, & de Chriſto tanto ante prædictum eſt: Iuravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Quid eſt, iuravit Dominus, niſi inconcuſſa veritate firmavit? Et quid eſt, Non pœnitebit eum, niſi hoc Sacerdotium nulla omnino ratione mutabit? Neque enim ſicut hominem pœnitet Deum: ſed Dei dicitur pœnitentia quævis ab inſtitutæ rei cuiusquam mutatio, quæ credebatur eſſe manſura. Proinde cum dicit, non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, ſatis oſtendit, eum pœnituiſſe, hoc eſt, eum mutare voluiſſe Sacerdotium, quod conſtituerat ſecundum ordinem Aaron, ſicut de utroque videmus impletum. Nam & Aaron Sacerdotium iam nullum eſt in aliquo templo, & Chriſti Sacerdotium æternum perſeverat in cœlo.

Hunc

Digitized by Google

Hunc ſacerdotem, & hoc ſacerdotium nobis magnifice commendat apoſtolus, cum gratiam Evangelii a legalibus ceremoniis diſtinguens ſcribit ad Hebræos: Et alii quidem plures facti ſunt ſacerdotes, eoquod morte prohiberentur permanere. Hic autem eoquod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium. Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper vivens ad interpellandum pro eis. Talis enim decebat, ut nobis eſſet pontifex ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatns a peccatoribus, & excelſior cœlis factus: qui non haberet quotidie neceſſitatem, quemadmodum ſacerdotes primo pro ſuis peccatis hoſtias offerre, deinde pro populo. Hoc enim fecit ſemel ſe offerendo. Et iterum: Talem habemus pontificem, qui conſedit ad dexteram Maieſtatis in cœlis, Sanctorum miniſter & tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo.

Sancti ergo Patres noſtri in veteri teſtamento uni Deo creatori omnium victimas obtulerunt, quas ſibi ipſe afferri voluit, per earum ſimilitudinem promittens victimam veram, per quam nos ſibi peccatorum remiſſione reconciliavit in Chriſto Ieſu Domino noſtro, ut ei offerretur ſimilitudo promittens veritatem ſacrificii, cui erat offerenda ipſa reddita veritas in paſſione corporis & ſanguinis Chriſti. Huius ſacrificii caro & ſanguis ante adventum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur, in paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur, poſt aſcenſum Chriſti per Sacramenta memoria celebratur.

Proinde prima Sacramenta, quæ obſervabantur, & celebrabantur ex lege, prænuntiativa erant Chriſti venturi. Quæ cum ſuo adventu Chriſtus impleviſſet, ablata ſunt, & ideo ablata, quia impleta. Non enim venit legem ſolvere, ſed adimplere. Et alia ſunt inſtituta virtute maiora, utilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, tanquam iuſtitia fidei revelata, & in libertatem vocatis filiis Dei, iugo ſervitutis ablato, quod duro & carni dedito populo congruebat. Qualia ſunt in eccleſia baptiſmus Chriſti, Euchariſtia Chriſti, ſignaculum Chriſti. Hinc eſt, quod cautiſſimo diviſionis ordine eccleſia Dei vivi, quæ eſt columna & firmamentum veritatis, tempora venturi Chriſti, venientisque diſcernit, & omiſſis ſacrificiis, quibus Chriſtus paſſurus promittebatur, hoc ſacrificium offert, quo Chriſtus iam paſſus oſtenditur. Qui propterea verus eſt Sacerdos, quia ſemetipſum veram pro nobis hoſtiam obtulit, ſicut apoſtolus teſtatur, dicens: Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii chariſſimi: & ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odore ſuavitatis; ut in ipſo Sacerdote & ſacrificio fieret remiſſio peccatorum, id eſt, per mediatorem Dei & hominum hominem Ieſum Chriſtum, per quem, facta peccatorum purgatione, reconciliamur Deo. Non enim, niſi peccatis, homines ſeparantur a Deo, quorum in hac vita non fit noſtra virtute, ſed divina miſeratione purgatio per indulgentiam illius, non per noſtram potentiam, quia ipſa quantulacunque virtus, quæ noſtra dicitur illius eſt nobis bonitate conceſſa.

Propterea ergo nobis per mediatorem præſtita eſt gratia, ut polluti carne peccati carnis peccati ſimilitudine mundaremur, per hoc ſcilicet, quod eramus, & non eramus. Eramus enim homines, ſed iuſti non eramus. In illius autem incarnatione natura humana erat, ſed iuſti, non peccatrix erat. Hæc eſt mediatio, qua manus lapſis iacentibusque porrecta eſt. Hoc eſt ſemen diſpoſitum per angelos, in quorum edictis & lex dabatur, qua unus Deus coli iubebatur, & hic mediator venturus promittebatur. Huius ſacramenti fide etiam iuſtitia eorum conſtabat, qui mundari pie vivendo meruerunt, ſicut beatus Petrus Apoſtolus ad quoſdam, qui in lege iuſtificari quærebant, manifeſte teſtatur dicens: Quid tentatis imponere iugum ſuper cervices diſcipulorum, quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus? Sed per fidem Domini Ieſu credimus ſalvari, quemadmodum & illi. Omnis itaque hominum multitudo, propter quos a dæmonum dominatu liberandos Chriſtus advenit, in illo habent miſericordiſſimam purgationem & mentis & ſpiritus & corporis ſui. Propterea quippe totum hominem ſine peccato ſuſcepit, ut totum, quo conſtat homo, a peccatorum peſte ſanaret. Gratia quippe Dei non potuit gratius commendari, quam ut ipſe unicus Dei Filius in ſe incommutabiliter manens indueret hominem, & ſpiritum dilectionis ſuæ donaret hominibus homine medio, per quem ad illum ab hominibus veniretur. Qui tam longe immortalis a mortalibus, incommutabilis a commutabilibus, iuſtus ab impiis, beatus a miſeris. Et quia naturaliter indidit nobis, ut beati immortalesque eſſe cupiamus, manens beatus ſuſcipiensque mortalem, ut

nobis

Digitized by Google

nobis tribueret quod amamus, perpetiendo docuit contemnere, quod timemus. Hac Dei gratia, qua in nos oſtendit magnam miſericordiam ſuam, & in hac vita per fidem regimur, & poſt hanc vitam per ipſam ſpeciem incommutabilis veritatis ad perfectionem pleniſſimam perducemur.

Hanc igitur gratiam purgationis & redemtionis noſtræ, quam nobis Dominus & Salvator noſter in Sacramento ſui corporis & ſanguinis commendavit longe antequam pateretur, in populis prædicavit, ſed pridie quam pateretur, id eſt, ea nocte, qua tradebatur, in cœna diſcipulis tradidit. Nam beatus Ioannes Evangeliſta ſtatim poſt illud de quinque panibus miraculum, quo quinque millia hominum ſatiata ſunt, narrat eum fugiſſe in montem, declinando videlicet a turbis, quæ tanti ſigni admiratione permotæ cupiebant rapere & facere eum regem. Et mox veniente nocte ambulantem ſupra mare veniſſe Capharnaum; atque ibi iam die altero occurrentibus ſibi turbis, & inter alia quærentibus, & dicentibus, quid faciemus, ut operemur opera Dei, reſpondiſſe eis: Hoc eſt opus Dei, ut credatis in eum, quem miſit ille. Cumque reſpondiſſent ei, quod ergo tu facis ſignum, ut videamus, & credamus tibi, quid operaris. Patres noſtri manna manducaverunt in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cœlo dedit eis manducare. Dixit eis Ieſus: Amen, amen dico vobis, non Moyſes dedit vobis panem de cœlo, ſed Pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei eſt, qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo. Et poſt paululum: Ego ſum panis vitæ. Qui venit ad me, non eſuriet. Et qui credit in me, non ſitiet unquam. Et iterum: Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. Ego ſum panis vitæ. Patres veſtri manducaverunt manna in deſerto, & mortui ſunt. Hic eſt panis de cœlo deſcendens, ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur. Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi, ſi quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Et, Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Et rurſus poſt aliqua: Amen, amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in noviſſimo die. Caro enim mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem. Et qui manducat me, & ipſe vivet propter me. Poſt hæc ſubiungit Evangeliſta: Hæc dixit in ſynagoga docens in Capharnaum.

Quod totum, ſicut Evangelii ſecundum Ioannem textus oſtendit manifeſte, anno integro ante paſſionem Domini geſtum eſt. Nam, ſicut idem Evangeliſta ſcribit, quando illud de quinque panibus miraculum factum eſt, proximum erat paſcha, dies feſtus Iudæorum. Nec tamen in ipſo, ſed in paſcha anni ſequentis eum ad paſſionem veniſſe commemorat. Hinc eſt, quod in illa cœna paſchali, quando Dominus traditus eſt, nihil de iſto corporis & ſanguinis eius myſterio idem beatus Ioannes commemorat. Quia videlicet copioſius hoc & ſublimius in præcedentibus Evangelii ſui partibus explicaverat, & a reliquis tribus Evangeliſtis, quod in eadem cœna in commemorationem dominicæ paſſionis ad ſalutem fidelium fuerat traditum, diligenter noverat commendatum. Verba quippe Matthæi hæc ſunt: Cœnantibus autem eis accepit Ieſus panem & benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite & comedite, hoc eſt corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Marcus vero ſic ait: Et manducantibus illis accepit Ieſus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: ſumite, hoc eſt corpus meum. Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex eo omnes. Et ait illis: Hic eſt ſanguis meus novi teſtamenti, qui pro multis effundetur. Lucæ vero his verbis narratio explicatur. Et accepto calice gratias egit, & dixit: accipite, & dividite inter vos. Dico enim vobis, non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias agens fregit, & dedit eis, dicens: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in ſanguine meo, qui pro vobis funditur. Beatus etiam Paulus commemorans ſacratiſſimum illius cœnæ myſterium inter alia ſic dicit: Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Ieſus, in qua nocte tradebatur,

Digitized by Google

tur, accepit panem & gratias agens fregit, & dixit: Hoc eſt corpus meum pro vobis, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in meo ſanguine, hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.

Quantum eſt iſtud, & quantum ineffabile ſalutis myſterium, & pietatis ſacramentum, tanta conteſtatione prædictum, tanta veritate commendatum, ut prius hoc Dominus corpus & ſanguinem ſuum aſſereret, quam pro nobis ſuum corpus & ſanguinem traderet. Nemo enim poteſt paſſionis Domini, corporisque eius & ſanguinis pro maieſtate rei, ſacramenta cognoſcere. Notandum quoque diligenter, quod in eadem cœna & iudaicum Dominus comedit paſcha, quod oportebat auferri; & ſacramentum corporis ſui & ſanguinis dedit, quod ad ſalutem fidelium oportebat inſtitui. Deſiderio, inquit, deſideravi hoc paſcha manducare vobiscum, antequam patiar. Manducavit ergo paſcha, quo paſſurus ſignificabatur, antequam pro nobis voluntarie pateretur. Comedit paſcha Iudæorum, quo promiſſus eſt Chriſtus, ut veniret ad paſcha noſtrum, quo immolatus eſt Chriſtus. Aperte autem Evangelium dicit, quod manducantibus illis accepit Ieſus panem, & benedixit: cum etiam ſuperius dixiſſet: Cum ſero autem factum eſſet, diſcumbebat cum duodecim, & manducantibus dixit, quoniam unus ex vobis tradet me. Poſt enim tradidit ſacramentum.

Unde liquido apparet; quando primo acceperunt diſcipuli corpus & ſanguinem Domini, non eos accepiſſe ieiunos. Nequaquam tamen propterea calumniandum eſt univerſæ Eccleſiæ, quod a ieiunis ſemper accipitur. Ex hoc enim placuit Spiritui ſancto, ut in honorem tanti ſacramenti in os Chriſtiani prius dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Nam ideo per univerſum mundum mos iſte ſervatur. Neque enim, quia poſt cibos dedit Dominus, propterea pranſi, aut cœnati fratres ad illud ſacramentum accipiendum convenire debebunt, aut ſicut faciebant, quos Apoſtolus arguit & emendat, menſis ſuis iſta miſcere. Ait enim: Convenientibus vobis in unum, iam non eſt dominicam cœnam manducare, hanc ipſam acceptionem Euchariſtiæ dominicam cœnam vocans. Unusquisque enim, inquit, ſuam cœnam præoccupat ad manducandum. Unde & indigne dicit acceptum ab eis, qui hoc non diſcernebant a ceteris cibis veneratione ſingulariter debita. Continuo quippe cum dixiſſet, iudicium ſibi manducat, & bibit, ſubiecit, non diiudicans corpus. Namque ſalvator, quo vehementius commendaret myſterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, a quibus ad paſſionem digreſſurus erat, & ideo non præcepit, quo deinceps ordine ſumeretur, ut apoſtolis, per quos ordinare Eccleſiam diſpoſuerat, ſervaret hunc locum. Neque enim (Cyprianus.), quia poſt cœnam calicem obtulit Dominus, etiam dominici diei ſacrificium poſt cœnam celebrare debemus. Chriſtum offerre oportebat circa veſperam diei, ut hora ipſa ſacrificii oſtenderet occaſum, & veſperam mundi, ſicut de paſchali agno in Exodo ſcriptum eſt: Et immolabit eum omnis multitudo filiorum Iſrael ad veſperum. Et iterum in pſalmis: Allevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Nos autem reſurrectionem Domini mane celebramus. (Aug.) Cum vero ait Apoſtolus, de hoc ſacramento loquens: Propter quod fratres! cum convenitis ad manducandum, invicem exſpectate: ſiquis eſurit, domi manducet, ut non in iudicium conveniatis; ſtatim ſubtexuit: Cetera autem, cum venero, ordinabo. Unde intelligi datur, quia multum erat, ut in epiſtola totum illis agendi ordinem inſinuaret, quem univerſa per orbem ſervat eccleſia, ab eo ordinatum eſſe, quod nulla horum diverſitate variatur. Nam & ubi ad Timotheum ſcribens, ait: Obſecro itaque primo omnium fieri obſecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, hoc conſtituiſſe intelligitur, quod omnis, vel pene omnis frequentat eccleſia; ut obſecrationes accipiamus dictas, quæ fiunt in celebratione ſacramentorum, antequam illud, quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici. Orationes cum benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur, quam totam benedictionem fere omnis eccleſia dominica oratione concludit. Interpellationes autem, ſive, ut quidam codices habent, poſtulationes fiunt, cum populis benedicitur. Tunc enim antiſtites velut advocati ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordiſſimæ offerunt poteſtati. Quibus factis & participato tanto ſacramento gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis ultimam commendavit Apoſtolis.

Hæc autem cauſa præcipua fuit iſta dicendi, ut, his breviter præſcriptis, atque ſignificatis, non puta-

putaretur negligendum eſſe, quod ſequitur: pro omnibus hominibus, pro regibus & his, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate, ne quisquam ſicut ſe habet humanæ cogitationis infirmitas, æſtimaret, non eſſe iſta facienda pro his, a quibus perſecutionem patiebatur eccleſia, cum membra Chriſti ex omni eſſent hominum genere colligenda. Unde adiungit, & dicit: Hoc enim bonum eſt & acceptum coram ſalvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Et ne quisquam dicere poſſet, eſſe ſalutis viam in bona converſatione, & unius Dei omnipotentis cultu ſine participatione corporis & ſanguinis Chriſti; unus enim Deus, inquit, & unus Mediator Dei & hominum Chriſtus Ieſus, ut illud, quod dixerat, omnes homines vult ſalvos fieri, nullo alio modo intelligatur præſtari, niſi per mediatorem, non Deum, quod ſemper erat Verbum, ſed hominem Chriſtum Ieſum, cum Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Ideo enim Chriſtus Ieſus mediator Dei & hominum dictus eſt inter Deum immortalem: & hominem mortalem, Deus & homo reconcilians hominem Deo, verus Rex, verus Sacerdos. Ne ergo peccet homo, a rege Chriſto regatur. Si forte peccaverit, ab eodem Sacerdote Chriſto expietur.

Incipit expoſitio de actione Miſſarum.

Primo igitur convenientibus in unum & aſtantibus in domo Dei fidelibus, præcedente modulatione divinarum laudum, præcedente lectione apoſtolorum, & evangeliſtarum, præcedente etiam nonnunquam ſermone & allocutione magiſtrorum, ſubiuncla quoque ſymboli confeſſione, & oblatione populorum, & initiata çonfecratione ſacramentorum, in quibus omnibus mens aſtantium ad divina & cœleſtia cogitanda ac deſideranda præparatur, aſſiſtit Sacerdos altari, & celebraturus divina myſteria, eccleſia ſalutando orat, & orando ſalutat, dicens: *Dominus vobiscum.* Qui ſalutationis ſermo non humano arbitrio compoſitus, ſed ex divinæ ſcripturæ auctoritate ſumtus probatur, ubi frequenter & ſingulariter, & pluraliter poſitus legitur. Singulariter, ſicut ait angelus ad beatam Mariam: Ave gratia plena, Dominus tecum. Et ſicut ad Gedeonem ſimiliter angelus ſalutando dixit: Dominus tecum, virorum fortiſſime! Pluraliter autem ſicut in libro Ruth, qui utique ſicut & ceteri ſacræ ſcripturæ libri divina & myſtica continet, legitur Booz ſalutando dixiſſe meſſoribus ſuis: Dominus vobiscum. Cui & ipſi reſalutantes dixerunt: Benedicat tibi Dominus. Et ſicut in hiſtoria libri Paralipomenon propheta a Deo miſſus invenitur ſalutaſſe Aſa Regem Iuda cum exercitu ſuo, invocato Dei auxilio victores de prælio revertentes. Ait enim: Dominus vobiscum, quia fuiſtis cum eo. Et addidit. Si quæſieritis eum, invenietis. Si autem dereliqueritis eum, derelinquet vos.

Unde apparet, quia ſicut nihil peius poteſt eſſe homini, quam derelinquere Deum, & derelinqui a Deo: ita e contrario nihil melius, quam habere Deum, & eſſe cum Deo. Et quia ſalutare nihil eſt aliud, quam ſalutem optare, hæc eſt vera ſalutatio, id eſt, veræ ſatutis optatio, ut Dominus ſit cum Eccleſia ſua tanquam in templo ſuo, cui dicit Apoſtolus: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Et eccleſia habeat Deum ſecum inhabitantem, & illuminantem, regentem, & protegentem, ut ille ſit ei Deus, & illa ſit ei populus, ſicut per prophetam promittit, dicens: Et inhabitabo, & inambulabo in illis, & ero eis Deus, & ipſi erunt meus populus; ut dum tantæ beatitudinis dono eccleſia Dei & poſſidet Deum & poſſidetur a Deo, quatenus & ipſa ſit hæreditas Domini, & Dominus pars hæreditatis eius, impleatur in illa, quod pſalmiſta ait: Beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius, populus, quem elegit in hæreditatem ſibi. Hoc eſt enim ſummum hominis bonum poſſidere Deum, & poſſideri a Deo: ipſum ſolum diligere, & illi ſoli ſervire, illi ſoli adhærere, ut dicat illi anima devota, Mihi autem adhærere Deo bonum eſt. Et iterum: Adhæſit anima mea poſt te; ut adhærens Deo, unus cum eo Spiritus fiat, dicente apoſtolo: Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt. Nam & ipſe apoſtolus frequenter ſalutat eccleſiam in epiſtolis ſuis, ita ut aliquando dicat: Dominus cum omnibus vobis. Aliquando: Deus autem pacis ſit cum omnibus vobis. Iterum aliquando: Gratia Domini Ieſu Chriſti ſit cum ſpiritu veſtro, fratres, amen. Et nonnunquam ſub diſtinctione perſonarum totam invocans Trinitatem, ita ſalutat: Gratia Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & charitas Dei, & communicatio ſancti Spiritus ſit cum omnibus vobis. In quibus omnibus hoc optat fidelibus, ſcribens, quod Sacerdos ad altare ſiſtens, videlicet, ut habentes Deum, non deſerantur ab eo. Recte ergo Eccleſia tam ſalubri ſalutatione Sacerdotis accepta, & ipſa reſalutan-

Digitized by Google

lutando orat, & orando ſalutat Sacerdotem dicens: *Et cum Spiritu tuo.*

Nihil enim melius invenit eccleſia, quod optet Sacerdoti, niſi quod Sacerdos optat eccleſiæ, id eſt, ut idem Dominus, qui dignatur eſſe cum eccleſia, dignetur eſſe etiam cum ſpiritu Sacerdotis. Ac ſic in utroque benigna illa Domini promiſſio impleatur, qua aſcenſurus in cœlum omnibus fidelibus promiſit, dicens: Ecce ego vobiscum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſeculi. Hoc ergo tantum bonum ſibi invicem optant & poſtulant & Sacerdos eccleſiæ, & eccleſia Sacerdoti, ut videlicet aſſidua eſſent gratia illuminati, eius præſentia confortati, eius precatione muniti, ſemper eum manere nobiscum, quemadmodum pollicitus eſt, ſentiamus. Hoc enim modo aliquando ſalutat apoſtolus. Et pluraliter, ſicut ſuperius memoravimus, ubi ait: Dominus Ieſus Chriſtus cum ſpiritu veſtro, fratres, amen. Et ſingulariter, ubi Timotheum ſalutans dicit: Dominus Ieſus Chriſtus cum ſpiritu tuo, amen. Et bene Dominus cum ſpiritu hominis eſſe optatur; quia in ſpiritu & mente rationali creatus eſt homo ad imaginem & ſimilitudinem Dei; & ubi eſt capax dignæ gratiæ & illuminationis, ut, in quantum ei datur, poſſit ſentire dulcedinem ſuavitatis, & ſplendorem præſentiæ eius, ut fiat in eo illud, quod pſalmiſta ait: Guſtate, & videte, quam ſuavis eſt Dominus. Et iterum: Accedite ad eum, & illuminamini, & vultus veſtri non erubeſcent. Sic namque ſanctificato ſpiritu hominis per inhabitationem Dei efficitur homo etiam in corpore templum Dei. Unde ait apoſtolus: Corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, quem habetis a Deo.

Sed & illa ſalutatio epiſcopalis ad populum, qua dicitur: Pax vobiscum, ſive pax vobis, ſimiliter non humano ſenſu inventa, ſed de ſcripturæ ſanctæ auctoritate ſumta eſt. Nam & in veteri teſtamento invenitur dixiſſe angelus Danieli Prophetæ: Noli timere vir deſideriorum, pax tibi, confortare, & eſto robuſtus. Et in novo, id eſt, in evangelio pene ſemper ita Dominus legitur Apoſtolos ſalutaſſe dicendo: Pax vobis. Et iisdem Apoſtolis eandem ſalutationis formam commendavit, dicens: In quamcunque domum intraveritis, ſalutate eam, dicentes: Pax huic domui. Et ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra; ſin autem, pax veſtra ad vos revertatur. Merito ergo & apoſtolorum ſucceſſores, id eſt, eccleſiarum præſules, hac ſalutatione utuntur, domum Dei ſalutantes, ubi omnes oportet eſſe filios pacis. Beati enim pacifici, quoniam ipſi filii Dei vocabuntur, ut ſalutatio pacis ſuper eos requieſcens & ſalutantibus & ſalutatis poſſit eſſe fructuoſa. Pax autem, quæ ſive per evangelium, ſive per Dominum, ſive per paſtores eccleſiarum fidelibus imprecatur, non eſt mundana aut caduca, ſed divina & æterna, quæ nos Deo conciliat, & contra tentationes diaboli, atque adverſitates ſeculi ipſius protectione munitos tranquilla proximis caritate coniungit. Hanc enim Dominus Eccleſiæ ſuæ commendavit, dicens: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis. Et continuo ſubiunxit: Non quomodo hic mundus dat, ego do vobis. De hac iterum dicit: Hæc locutus ſum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum. Hanc & apoſtolus fidelibus implorat dicens: Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu. Quæ pax ſi omni tempore ſervanda, & ubique fideliter tenenda, quanto attentius & devotius ea hora, cum in domo Domini, & in conſpectu Dei aſſiſtitur, & vota vel munera omnium ſacris altaribus offeruntur: quando aliter divinam maieſtatem nobis propitiare non poſſumus, niſi ſincero charitatis affectu illud implere ſtudeamus, quod de hac re ſpecialiter Dominus præcepit, dicens: Si offers munus tuum ante altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ad altare, & vade, prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Qua in re penſandum eſt, (Greg. P.) cum omnis culpa munere ſolvatur, quam gravis eſt culpa diſcordiæ, pro qua nec munus accipitur.

Debemus itaque ad proximum, quamvis longe poſitum, longeque disiunctum mente ire, eique animum ſubdere humilitate, illum ac benevolentia placare. Et videlicet Conditor noſter, dum tale placitum noſtræ mentis aſpexerit, a peccato nos ſolvit, quia munus pro culpa ſumit. Veritate autem atteſtante didicimus, quia ſervus, qui decem talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, abſolutionem debiti ad nunc accepit. Sed quia conſervo ſuo centum ſibi denarios debenti debitum non dimiſit, & hoc eſt iuſſus exigi, quod ei fuerat iam dimiſſum. Ex quibus videlicet dictis conſtat, quia ſi hoc quod in nos delinqui-

Digitized by Google

linquitur, ex corde non dimittimus, & illud rurſus exigitur, quod nobis iam per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus. Summopere autem neceſſe eſt, ut, quando ſtamus ad orationem, quando tam ſancta & veneranda myſteria ſub oculis Dei geruntur, toto corde ad precandum invigilemus. Cogitatio omnis carnalis & ſecularis abſcedat: nec quicquam animus, quam id ſolum cogitet, quod precatur. Ideo & Sacerdos ante illam ſacroſanctam orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes, dicendo: *Surſum corda*, ut dum reſpondet plebs: *habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud ſe, quam Dominum cogitare debere. Claudatur contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe adire hoſtem Dei tempore orationis patiatur. Obrepit enim frequenter & penetrat, & ſubtiliter fallens preces noſtras a Deo avocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud in voce, quando intentione ſincera Deum non vocis ſonus, ſed animus & ſenſus debeat orare, quaſi ſit aliud, quod magis cogitare debeamus, quam quod cum Deo loquimur. Quomodo audiri a Deo poſtulamus, cum nos ipſi non audiamus? Volumus eſſe Deum memorem noſtri, quando noſtri memores ipſi non ſumus. Hoc eſt, quando oramus Deum, maieſtatem Dei negligentia orationis offendere: hoc eſt vigilare oculis, & corde dormire, cum debeat Chriſtianus etiam cum dormit, cordis oculis vigilare, ſicut ſcriptum eſt ex perſona eccleſiæ loquentis in cantico canticorum: Ego dormio, & cor meum vigilat. Quapropter ſollicite ac caute apoſtolus admonet, dicens: Inſtate orationi vigilantes in ea, docens ſcilicet, & oſtendens, eos inpetrare, quod poſtulant de Deo, poſſe, quos ipſe videt in oratione vigilare. Quid eſt ergo, ſurſum habere corda, niſi ea, quæ ſurſum ſunt, quærere, quæ ſurſum ſunt, ſapere? Quærere videlicet amando, ſapere intelligendo, ſicut apoſtolus eodem ſermone admonet dicens: Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Hunc aſcenſum cordis noſtri, qui fit ad Deum a convalle plorationis, id eſt, ab humilitate contribulationis, non noſtris viribus, ſed auxilio Dei, oſtendit nobis pſalmiſta, dicens: Beatus vir, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum. Aſcenſus enim utilis nobis non poteſt eſſe, niſi primo humilitatis a convalle nobis aſcendendum eſſe meminerimus. Convallis enim locus eſt terræ depreſſus. Docuit ipſe Dominus a convalle plorationis aſcendendum, quando pro nobis humiliari uſque ad mortem crucis, & pati dignatus es. Hoc exemplum non relinquamus. Iſtam convallem plorationis martyres intellexerunt, & inde, ut coronarentur, aſcenderunt. Amor ſanctus ad ſuperna levat, & ad æterna inflammat. Obligata enim anima amore terreno, quaſi avis, cum habet viſcum in pennis, volare non poteſt; mundata vero ab affectibus ſordidiſſimis ſeculi, tanquam extenſis pennis & duabus alis reſolutis, id eſt, duobus præceptis dilectionis Dei & dilectionis proximi, volat ad Dominum, aſcendens volando, quia aſcendit amando, ad illam ſcilicet ſupernam Hieruſalem matrem omnium noſtrum, quæ eſt in cœlis. Ab illa enim peregrinamur in hac vita, ad eius reditum ſuſpiremus tamdiu miſeri, & laborantes, donec ad illam redeamus. Nec cives noſtri angeli dimiſerunt nos in peregrinatione, ſed annuntiaverunt nobis, ipſum regem venturum ad nos. Et venit ad nos, & contemtus eſt inter nos, a nobis, & poſtea nobiſcum. Et docuit nos contemtum, quia contemtus eſt: docuit tolerare, quia toleravit: docuit pati, quia paſſus eſt, & promiſit reſurrecturos, quia reſurrexit, in ſe ipſo oſtendens, quod ſperare debeamus. Si ergo prophetæ, & patres antiqui, antequam Dominus Ieſus Chriſtus veniret in carne, antequam mortuus reſurrexiſſet, & aſcendiſſet in cœlum, ſuſpirabant tantum illi civitati: quantum; nos oportet deſiderare, quo nos ipſe præceſſit, & unde nunquam receſſit? Antiqui Sacerdotes, qui non tam curabant de cultu ſermonis, quam de ſalute & ædificatione plebis, propter idiotas & ruſticanos non ſurſum, ſed vulgari ſermone *ſurſum corda* dicere ſolebant, ut res tanta planius omnium ſenſibus commendaretur. Monet autem adhuc Sacerdos, & dicit:

Gratias agamus Domino Deo noſtro.

Gratiarum actio Patri luminum ſemper a nobis debetur (S. Aug.), a quo ſine ulla dubitatione omne datum optimum, & omne donum perfectum, ſcriptura teſte, deſcendit. Nemo eſt enim donis Dei beatus, qui donanti exiſtit ingratus, quia & hoc, quod inter ſacra myſteria cor habere ſurſum iubemur, ipſo adiuvante id valemus, quo iubente admonemur. Et ideo ſequitur, unde hoc tanto bono ſurſum levati cordis non nobis gloriam, quaſi noſtrarum virium tribuamus,

mus, ſed Domino Deo noſtro gratias agamus. Hoc enim continuo commonemur, quia dignum eſt hoc, & iuſtum eſt. Recordari ſemper oportet hæc verba unde ſint, inter quas actiones, & quanta ſanctitate commendentur. Teneamus, & habeamus, quod accepimus, & datori gratias agamus. Quamvis enim accipere & habere noſtrum ſit, id tamen habemus, quod accepimus; quoniam ſuperbienti, & ex eo, quod habebat, quaſi a ſe ipſo haberet, & impie glorianti veritas per apoſtolum dicit: Quid enim habes, quod non accepiſti? quodſi acceperis, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Merito ergo in illo veriſſimo, & ſingulari ſacrificio Domino Deo noſtro agere gratias admonemur, ut agnoſcat homo, ſi quid bene vivit, Dei gratia ſe habere; & ut perficiatur in dilectione iuſtitiæ, non ſe aliunde conſecuturum. Quæ cogitatio pretium facit. Ipſa eſt illa ſapientia, quæ pietas vocatur, qua colitur Pater luminum, a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem ſacrificio laudis, actionibusque gratiarum, ut cultor non in ſe ipſo, ſed in illo glorietur. Non enim ſpiritum huius mundi accepimus, ut ait idem Apoſtolus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ a Deo donata ſint nobis. Quis eſt autem ſpiritus huius mundi, niſi ſuperbiæ ſpiritus, quo cor inſipiens obſcuratum eſt eorum, qui cognitum Dominum, non ut Deum, gratias agendo glorificaverunt? Conſideremus ergo hæc, & de omnibus beneficiis Dei ſemper illi gratias referamus. Inter quæ omnia opera eius nihil eſt, quod vel conſiderare libentius, vel laudare dulcius debeamus, quam quod Chriſtus factus eſt humilis, & ad hominem, qui cadendo ad ima deiectus fuerat, ſponte deſcendit, ut vel ſic ſe erigendum crederet, qui iacebat. Denique ut levaret in cœlum ſpem noſtram, levavit primo carnem ſuam; & ut non dubitaremus ſecuturum, quod promiſit nobis, illud iam præceſſit, quod accepit a nobis. Ideo ergo præcipue in ipſo ſacrificio corporis Chriſti gratiarum actione incipimus, ut Chriſtum non dandum, ſed datum nobis in veritate monſtremus. Et in eo, quod gratias agimus Deo in oblatione corporis & ſanguinis Chriſti, cognoſcamus non adhuc occidendum Chriſtum pro noſtris iniquitatibus, ſed occiſum, nec redimendos nos illo ſanguine, ſed redemtos. Vera eſt enim beati Petri prædicatio dicentis: Non corruptibilibus argento vel auro redempti eſtis de vana converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Chriſti. Bene itaque admonenti Sacerdoti & dicenti: *Gratias agamus Domino Deo noſtro*, reſpondet eccleſia: *dignum & iuſtum eſt.*

Quid enim magis poteſt eſſe Deo dignum, aut quid ei iuſtius a nobis rependi poteſt, quam ut tantæ miſericordiæ Dei, cui vicem referre non poſſumus, debitas gratias referamus, audientes apoſtolum exhortantem nos & dicentem: gratias agentes Deo, & Patri, qui dignos fecit in ſortem Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii claritatis ſuæ, in quo habemus redemtionem per ſanguinem eius remiſſionem peccatorum. Sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium unigenitum daret, ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem. Qui ergo per hanc gratiam eripimur de poteſtate tenebrarum, id eſt, diaboli, & angelorum eius, & transferimur in regnum Filii dilectionis Dei, videlicet, ut efficiamur genus electum, regale Sacerdotium, habentes in eodem Filio per ſanguinem eius redemtionem & remiſſionem peccatorum: quid dignius agere poſſumus, quam quod beatus Petrus Apoſtolus admonet, dicens: ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris nos vocavit in admirabile lumen ſuum: qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti. Hanc ergo eccleſiæ reſponſionem confirmat Sacerdos, & in Deum mente ſuſpenſus, congemiſcente ſecum omni eccleſia proclamat, & dicit: *Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper ubique gratias agere.*

Quid eſt, iuſtum hoc eſt, & æquum? ſed reſponſio ſermonis confirmatio eſt veritatis. Nam iuſtitia & æquitas una res eſt, ſicut cantamus in pſalmo de Domino: Iudicabit orbem terrarum in iuſtitia, & populos in æquitate. Quod enim prius dicimus in iuſtitia, hoc poſtea replicando ſubiungimus, in æquitate. Salutare autem dicitur, quod & ſalubre, eoquod ſalutem conferat. Vere ergo, ut inceſſanter gratias agamus, dignum eſt tantis Dei beneficiis, iuſtum noſtris obſequiis: æquum ipſo pondere rationis, ſalutare manifeſto fructu ſalutis, quo & Dominum laudantes ſalvantur, & ingrati ipſius iudicio reprobantur. Nam Deum fideliter laudantes ſalvantur, ſicut in pſalmo cantatur: Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero. Ingrati autem reprobantur, ſicut aperte in evangelio

ipſe

Digitized by Google

ipſe Dominus oſtendit, qui ex decem leproſis eius virtute mundatis unum ad ſe ſuppliciter revertentem, & magna voce gratias agentem laudavit, & gratia fidei ſalvavit dicendo: Non eſt inventus, qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Et continuo clementer adiunxit: Surge, vade, quia fides tua te ſalvum fecit. Novem autem reliquos, licet crediderint, ſe per eum poſſe mundari, quando una voce clamaverunt, dicentes: Ieſu præceptor miſerere noſtri; tamen, quia tantæ virtutis extiterunt ingrati, velut infideles neſcire ſe oſtendit, dicendo: Nonne decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt? Neſcire autem Dei reprobare eſt. Unde & quibusdam dicturus eſt: Amen, amen dico vobis, neſcio vos. Ex quo quantum malum ſit gratiarum actionem Deo debitam negligere, evidenter oſtenditur, quando eos, quos credentes mundavit, & iam mundatos iſtius culpæ merito tanquam infideles abiecit. Gratias autem, agere debemus ſemper, & ubique, id eſt, in omni tempore, & in omni loco, ut impleatur in nobis, quod cantamus in pſalmo: Benedicam Dominum in omni tempore, ſemper laus in ore meo. Et iterum: In omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino. Quis eſt ergo, qui benedicit, & gratias agit Domino in omni tempore, niſi humilis corde? Ipſam enim humilitatem docuit Dominus noſter in corpore ſuo; quia cum commendavit corpus, & ſanguinem ſuum, humilitatem ſuam commendat. Eſto humilis, ſi vis benedicere Dominum in omni tempore, & ſemper laus eius in ore tuo: quia & Iob non tantum benedixit Dominum, quando abundabant illi omnia, quibus legimus eum divitem fuiſſe. Ablata ſunt omnia in uno tempore, & implevit quod in hoc pſalmo ſcriptum eſt dicens: Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum. Ecce habes exemplum benedicentis in omni tempore. Non habebat, quæ teneret, ſed habebat, quod laudaret. In laude Dei ſui quaſi in rerum copia quieſcebat. Deus illi ſolatium fecit, ne poſſeſſionum damnis periclitaretur. Numquid enim perdidit Deum, quamvis perdiderit, quod dederat Deus? Plus enim eſt eum habere, qui dat, quam illa, quæ dat. Si enim pulchra ſunt, quæ dat, quanto pulchrior ille, qui dat? Si magna ſunt, quanto maior ipſe largitor? Et certe, quæ in hac terrena vita dederit Deus, aut dum vivimus nos deſerunt, aut a nobis morte deſeruntur. At vero ipſe Deus æterna poſſeſſio ſemper præſens, nunquam deſerit poſſidentem. Sint ergo caſta vota fidelium, vile ſit temporale bonum, ut veniat æternum. Inhæreat Deo anima pia in eum oratione ſuſpenſa, & per ſpiritales amplexus ei connexa deſideret illud, quod ſecum ipſe largitur. Quantum eſt enim, quod nobis exhibet, ſi ſe ipſum nobis nolit exhibere? Si ergo bona ſuppetunt ſeculi, ſit miſericordiæ faciendæ materies: ſi defuerunt, ſit patientiæ fidelis occaſio. Tali enim devotione etiam in omni loco Deo gratiæ aguntur; quia, qui ubique eſt præſens, ubique agnoſcit laudatorem ſuum, etiam cum ore quieſcente & tacente lingua ſecreto cordis affectu fidelis ei anima benedicit, cum agit in ſilentio, quod cantatur in pſalmo: Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto eius. Quisquis ergo ſupplicaturus, & gratias acturus Deo locum ſanctum, & aptum requiris, interiora tua munda, & omni in te mala cupiditate depulſa præpara tibi in cordis tui pace ſecretum. Volens in templo orare, in te ora, & ita age ſemper, ut templum Dei ſis. Ibi enim Deus exaudit, ubi habitat. Proclamans autem Sacerdos: *Vere dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere*, ſubiungit, ad quem dirigat orationem dicendo: *Domine ſancte Pater, omnipotens æterne Deus.* Et per quem eandem orationem dirigat, addendo: *Per Chriſtum Dominum Noſtrum.* Quod ergo dicit, *Domine*, refertur ad creaturæ ſubiectionem, de qua & in pſalmo canitur: Quoniam omnia ſerviunt tibi. Et alibi: Dixi Domino: Deus meus es tu; quoniam bonorum meorum non eges. Quid eſt enim, *bonorum meorum*, niſi a te datorum? Quomodo eget aliquo bono, a quo omne bonum datum? Ideo verus eſt Dominus, qui ſervo ſuo non indiget, & quo ſervus indiget. Quod vero adiungit: ſancte Pater, refertur vel ſpecialiter ad Unigeniti Filii generationem, (Aug.) in qua coæternus, & coæqualis eſt Patri, de qua etiam propheta ait: Generationem eius quis enarrabit? vel generaliter ad omnium filiorum Dei adoptionem, cuius tanta eſt gratia, ut cum haberet unicum, noluerit eſſe unum, ſed ut fratres haberet, adoptavit illi, qui cum eo poſſiderent vitam æternam, pro quibus ipſe eisdem verbis Patri ſupplicans ait: Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo, quos dediſti mihi. Hæc ergo vox, ut dicatur Deo: Pater ſancte, & propria eſt unici filii per naturam, & communis omnium adopta-

Digitized by Google

optatorum filiorum per gratiam, per quam eis etiam conceſſit, ut orantes dicant: Pater noſter, qui es in cœlis. Qui vere omnipotens, & æternus eſt Deus: omnipotens videlicet virtute, quia omnia condidit, & continet, & regit, cui veraciter ſcriptura dicit: Quia tibi inpoſſibile nihil eſt. Qui tamen ſic omnipotens eſt, ut nunquam ſuæ rationis inſtituta convellet (Aug.). Ipſius eſt etiam vera æternitas, cui quod eſt eſſe perpetuum eſt, qui initio carens, ſicut nullum finem, ita nullam recipit mutabilitatem. Tota autem oratio & gratiarum actio, quam ſemper & ubique debemus, dirigitur & offertur Deo Patri per Chriſtum Dominum noſtrum, tanquam per mediatorem, & conciliatorem Dei & hominum, de quo Apoſtolus ait: Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſemetipſum redemtionem pro omnibus. Qui cum in natura Deitatis ſit unum cum Patre, ſuſcipiendo naturam noſtram factus eſt nobis mediator ad Patrem. (Aug.) Ideo enim mediator Dei & hominum, quia Deus cum Patre, quia homo cum hominibus. Non mediator homo præter deitatem, non mediator Deus præter humanitatem. Divinitas ſine humanitate non eſt mediatrix: humanitas ſine Divinitate non eſt mediatrix, ſed inter Divinitatem ſolam, & humanitatem ſola mediatrix eſt humana Divinitas, & divina humanitas Chriſti: qui etiam ſemetipſum obtulit pro nobis in paſſione, ut tanti capitis corpus eſſemus ſecundum formam ſervi. Hanc enim obtulit, in hac oblatus eſt, quia ſecundum hanc mediator eſt, in hac Sacerdos, in hac ſacrificium eſt. Per ipſum ergo & petitiones & laudes ſuas offert eccleſia Deo Patri, ſciens, per eum ſolum poſſe ſe accipere, quod poſtulat: per eum ſolum placere poſſe, quod laudat, ſicut ipſe in evangelio promittit dicens: Amen, amen dico vobis, ſiquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hæc enim mediationis gratia eſt, per quam exauditur eccleſia, ſecundum quam & apoſtolus exhortatur, dicens: Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. Idem namque mediator Dei & hominum Deus ſuper nos, homo propter nos per humilitatem interpellat pro nobis apud Patrem, per Divinitatem exaudit, & præſtat cum Patre, ſicut ipſe teſtatur, dicens: Quia ego ad Patrem vado, & quodcumque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut clarificetur Pater in Filio. De qua mediatione & advocatione etiam beatus Ioannes Apoſtolus ait: Advocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; quia, qui per humanitatem interpellat pro nobis apud Patrem, (Beda.) idem per divinitatem propitiatur nobis cum Patre. Orat itaque Sacerdos pro eccleſia, orat eccleſia pro Sacerdote, ſicut orat apoſtolus pro plebe, orat plebs pro Apoſtolo, qui dicit: Orantes ſimul, pro nobis ut Deus aperiat nobis oſtium verbi. Et pro Petro orabat eccleſia, cum eſſet in vinculis Petrus, & exaudita eſt, quomodo & Petrus pro eccleſia; quia omnia pro invicem membra orant, caput pro omnibus interpellat. De quo ſcriptum eſt: Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Unigenito enim (Greg.) Filio pro homine interpellare eſt apud coæternum Patrem ſe ipſum hominem demonſtrare, eique pro humana natura rogaſſe eſt, eandem naturam in Divinitatis ſuæ celſitudinem ſuſcepiſſe. Interpellat ergo pro nobis Dominus non voce, ſed miſeratione, quia quod damnari in electis noluit, ſuſcipiendo ſervavit: qui quoniam hoc, quod moriendo in ſepulchro poſuit, reſurgendo ſuper angelos elevavit, recte Sacerdos adiungit, & dicit:

Per quem Maieſtatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates.

Hæc eſt enim ineffabilis gloria ſalvatoris, & mediatoris noſtri, qui ut apoſtolus ait, purgationem peccatorum faciens, ſed & ad dexteram Maieſtatis in excelſis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius pro illis nomen hæreditavit. Cuius nominis celſitudinem alibi exponens dicit: Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen ut in nomine Ieſu omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, quatenus per eundem mediatorem laudet, adoret, & tremiſcat Maieſtatem Dei Patris non ſolum eccleſia hominum in terris, ſed etiam eccleſia angelorum in cœlis. Sic enim eccleſia tota & una accipienda eſt, non ſolum ex ea parte, qua peregrinatur in terris a ſolis ortu uſque ad occaſum laudans nomen Domini, & poſt captivitatem vetuſtatis cantans canticum novum; verum etiam ex illa, quæ in cœlis ſemper, ex quo condita eſt, cohæſit Deo, nec ullum malum ſui caſus experta eſt. Hæc in ſanctis angelis beata perſiſtit, & ſuæ parti peregrinanti, ſicut oportet, opitulatur; quia utraque una erit conſortio æternitatis,

&

Digitized by Google

& nunc una eſt vinculo charitatis. Hæc ergo, quæ peregrinatur in terris, ſanguine mediatoris nullum habens peccatum, ab omni eſt peccato redemta. Eius vox eſt: ſi Deus pro nobis, quis contra nos? qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum. Non enim pro angelis mortuus eſt Chriſtus; ſed ideo etiam pro angelis fit ipſa redemtio hominum, quoniam cum eis redimus in gratiam poſt inimicitias, quas inter homines & ſanctos angelos peccata fecerunt, & ex ipſa hominum redemtione ruinæ illius angelicæ damna reparantur. Propter hoc ait Apoſtolus, reſtaurari omnia in Chriſto, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terris in ipſo. Inſtaurantur quippe, quæ in cœlis ſunt, cum id, quod inde in angelis lapſum eſt, ex hominibus redditur. Inſtaurantur autem, quæ in terris ſunt, cum ipſi homines, qui prædeſtinati ſunt in æternam vitam, a corruptionis vetuſtate renovantur. Ac ſic per illud ſingulare ſacrificium, in quo immolatus eſt mediator, pacificantur cœleſtia cum terreſtribus, & terreſtria cum cœleſtibus; quoniam, ſicut apoſtolus dicit: in ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare, & per eum reconciliare omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis eius, ſive quæ in terris ſunt, ſive quæ in cœlis. De ipſo namque & alibi idem apoſtolus ait: Et ipſe eſt caput corporis eccleſiæ. Et iterum: Et eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis principatus, & poteſtatis. Omnes ergo, qui ab initio ſeculi fuerunt iuſti, caput Chriſtum habent: illum enim credidere eſſe venturum, quem nos veniſſe iam credimus, & in eius fide & ipſi ſanati ſunt, in cuius & nos: ut ſit & ipſe totius caput civitatis Hieruſalem omnibus connumeratis fidelibus ab initio uſque in finem, adiunctis etiam legionibus, & exercitibus angelorum, ut fiat illa una civitas ſub uno rege, & una quædam provincia ſub uno imperatore felix in perpetua pace ac ſalute, laudans Deum ſine fine, beato fine. Iſtorum vero trium ordinum ſupernorum ſpirituum, id eſt, angelorum, dominationum, poteſtatum, qui divinam Maieſtatem laudare, adorare, & tremere dicuntur, talis eſt differentia, quod angeli, qui latine nuntii interpretantur, ex ipſo nomine officium ſuum nobis indicant, quia videlicet a Deo miſſi voluntatem eius hominibus nuntiant, ſicut legimus in veteri teſtamento miſſos angelos ad Abraham, ad Loth, ad Iacob, ad Moyſen, ad Ioſue, ad Danielem, & ad Tobiam, & in novo frequenter. Unde & per pſalmiſtam dicitur: Benedicite Domino angeli eius, potentes virtute, facientes verbum illius ad audiendam vocem ſermonum eius. Et iterum: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, ac ſi aperte dicat: Qui eos, quos ſemper habet ſpiritus, etiam cum voluerit, angelos, id eſt, nuntios facit. Dominationes autem vocantur ea angelorum agmina, quæ mira potentia præeminent, eoquod eis cetera ad obediendum ſubiecta ſint. Poteſtates etiam vocantur hi, qui hoc potentius ceteris in ſuo ordine perceperunt, ut eorum ditioni virtutes adverſæ ſubiectæ ſint, quorum poteſtate refrænantur, ne corda hominum tantum tentare prævaleant, quantum volunt. Hi ergo tam beati & ſublimes in cœleſtibus ſpiritus per Chriſtum Dominum noſtrum Maieſtatem Dei laudant, ſicut ad eos congratulando dicitur in pſalmo: Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes angeli eius, laudate eum omnes virtutes eius. De quibus & Deus in libro Iob loquitur, dicens: Quando facta ſunt ſydera, laudaverunt me omnes angeli mei voce magna. Adorant quoque eandem divinam Maieſtatem, ſicut in hymno confeſſionis Eſdræ ad ipſum Deum dicitur: Tu ipſe Domine Deus, qui feciſti cœlum & terram, & univerſa, quæ in eis ſunt, & tu vivificas hæc omnia, & exercitus cœli te adorant. Tremunt etiam, ſicut per figuram de eis in libro Iob dicitur: Columnæ cœli contremiſcunt, & parent ad nutum eius; quia ipſæ quoque virtutes cœleſtium, quæ Deum ſine ceſſatione conſpiciunt, in ipſa ſua contemplatione contremiſcunt. Sed idem tremor, ne eis pœnalis ſit, non timoris eſt, ſed admirationis. Cum ergo in cœleſtibus tanta ſit devotio laudantium, veneratio adorantium, tremor admirantium, conſideret hæc homo, cui dictum eſt: Quid ſuperbit terra & cinis? & audiat Apoſtolum monentem: Cum metu & timore & tremore veſtram ipſorum ſalutem operamini. Sequitur Sacerdos in Dei laudibus, & dicit: *Cœli, cœlorumque virtutes, ac beata Seraphim ſocia exultatione concelebrant.*

Subauditur hoc, quod iam ſupra dictum eſt, Maieſtatem tuam. Hanc namque non ſolum, ut præmiſſum eſt, angeli, dominationes, & poteſtates, laudant, adorant, tremunt, ſed etiam cœli, & cœlorum virtutes, & Seraphim, concelebrant, id eſt, in commune celebrant concordi devotione, & communi gaudio laudant. Nam celebritas eſt conventus populi in laude, & celebrata dicimus in celebri, id eſt, in frequentiſſimo conventu

ventu acta. Celebrat itaque, & concelebrat Maieſtatem Dei beatus ille populus angelorum, de cuius inenarrabili multitudine ſcriptum eſt: Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei: quiá adeſt illis ſemper vultus præſens Dei, dicente Domino in evangelio: Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt. Qui dum ſine defectu conſpicitur, & amatur, & laudatur, electorum civium mira lætitia agitur, viciſſim de ſe omnes in ſuo conventu gratulantur.

Ipſa eſt enim domus Dni æterna, de qua in pſalmo canitur: Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Et iterum:- ſicut lætantium omnium habitatio in te. Ideo hic bene dicitur, quia Maieſtatem Dei ſocia, id eſt, iuncta exultatione concelebrant; quoniam, ut iam ſupra dictum eſt, ſine intermiſſione laudantes, viciſſim de illo, & de ſe in illo lætantur, ſicut de ipſis Seraphim manifeſte in Eſaia legitur, quia volabant, & clamabant alter ad alterum, & dicebant: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, & cetera. Merito enim laudant, cui miniſtrant, & aſſiſtunt, (Aug.) & dant gloriam in excelſis Deo, quia illi debent, quod ſunt, illi debent, quod vivunt, illi debent, quod iuſte vivunt, illi debent, quod beate vivunt. Ne putemus hominem ſolum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat angelus, antequam fieret? quid eſt angelus, ſi deſerat, qui creavit? Hinc ergo omnium creatorem, & rectorem laudant, & concelebrant cœli, ſicut eum laudant ſol & luna, omnes ſtellæ, & lumen. Unde & in pſalmo dicitur: Laudate eum ſol, & luna, laudate eum omnes ſtellæ, & lumen. Laudate eum cœli cœlorum, & aquæ, quæ ſuper cœlos ſunt, laudent nomen Domini. In hymno quoque trium puerorum ad laudem Dei elementa omnia provocantur, non quod elementa muta habeant ſenſum laudandi Deum, ſed quia cuncta bene cogitata laudem pariant: & impletur cor conſideratione creaturæ ad eructandum hymnum creatori. Et quia longum fuit in iſta gratiarum actione totos angelorum ordines, qui in ſcripturis novem inveniuntur, ſingillatim ponere, poſt cœlos ponuntur virtutes. Quo nomine omnes cœleſtes ſpiritus nonnunquam generaliter appellari ſolent, ut eſt illud in pſalmo: Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. Et iterum: Dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. Tamen (Greg.) proprie in ordinibus angelorum virtutes illi ſpiritus vocantur, per quos ſigna & miracula frequentius fiunt. Ad ultimum ponuntur Seraphim, qui eſt ſummus ordo angelicorum ſpirituum, & vere beata, quæ ex ſingulari propinquitate Conditoris ſui incomparabili ardent amore. Unde Seraphim ardentes, vel incendentes interpretantur; quia quo ſubtilius charitatem Divinitatis aſpiciunt, eo validius in eius amore flammeſcunt. Sciendum quoque, (Beda.) quod Cherubin, & Seraphin per litteram *m* prolata iuxta proprietatem linguæ hebrææ maſculini ſunt generis, & pluralis numeri tantum. Si autem per *n* litteram dicantur, ſicut in pſalmis & hymnis, & in præſenti gratiarum actione ponitur, græca declinatione in neutrale genus mutantur, velut eum dicimus: Lucida ſydera, ſpecioſa nemora, iucunda littera. Sic & beata Seraphin neutrali genere & plurali numero accipiamus. Illud namque attentiſſime cognoſcendum; quia non ita ſancti angeli, & ceteræ cœlorum virtutes Maieſtatem Dei Patris laudare, adorare, tremere, & communi exultatione concelebrare dicuntur per Chriſtum Dominum noſtrum, tanquam hæc venerationis & glorificationis obſequia ſoli Deo Patri deferant, non etiam Filio & Spiritui ſancto. Certiſſima enim fide tenere, & ſcire debemus, quia totius ſanctæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, ſicut una eſt Divinitas, & individua Maieſtas, ita ei in omnibus æqualis honor, & individua glorificatio debetur. Nec ullo modo aut Pater ſine Filio, aut Filius ſine Patre & Spiritu ſancto, aut laudari, aut adorari, aut ullo divini cultus obſequio honorari poteſt. (Vigilius.) Nulla enim eſt in Trinitate diſtantia, ſed ſive Patrem quis adoret, ibi eſt & Filius, & Spiritus ſanctus, ſive Filio & Spiritui ſancto ſupplicet, ibidem ſine dubio & Pater invenitur, quia dum Patrem aut Filium invocas, totam Unitatem, totam amplecteris Trinitatem. Si enim vere & fideliter creditur, quia Pater in Filio, & Filius in Patre eſt, ſicut Eſaias ad eundem Filium loquitur, dicens: In te eſt Deus, & non eſt Deus præter te. Et in evangelio: Ego, inquit, in Patre, & Pater in me eſt: Nulli dubium, quod ſimiliter ut Patri etiam Filio, qui in eodem Patre conſubſtantialiter manet, a nobis ſacrificium immoletur. Cum enim ita in ſe invicem, ut ſeparari nequeant, manent, quod uni exhibueris, utriſque exhibitum crede. Denique Filius ait: Qui me videt, videt & Patrem. Ego & Pater unum ſumus. Si viſio Filii eſt Patris contemplatio, Patris honorificentia Filii eſt gloria, dicente eodem Filio: Ut omnes honorifi-

Digitized by Google

rificent Filium, ſicut honorificant Patrem. Quid ſi inveniuntur, qui Patrem honorificant, & non honorificant Filium? non poteſt, inquit, fieri. Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem, qui miſit illum. Sed ne forte Patrem quidem honorifices tanquam maiorem, Filium vero tanquam minorem, corrigit te ipſe Filius, & revocat te, dicens, ut omnes honorificent Filium, non inferius; ſed ſicut honorificant Patrem. Quicquid ergo mandatis cœleſtibus obſequendo Divinitati exhibemus, ſive in ſacrificiorum ritu, ſive in ſupplicatione precum, ſive in alio quolibet munificentiæ genere, & Patri & Filio æqualiter debetur; ac ſic nullum venerationis honorem privatim poſſidet Pater, qui non ad Filii & Spiritus ſancti pertineat dignitatem. Nam ſi ſacramentum regenerationis baptiſmi ad eos æqualiter pertinet, dum in nomine Patris & Filii, & Spiritus beata illa ſecundæ nativitatis gratia celebratur, nulli dubium, quod & myſteriorum ſacrificia communi dignitatis honore Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus poſſidet, quia inſeparabili Deitatis unitate Trinitas ipſa connexa eſt. Ut autem ad ſolum Patrem oratio dirigatur, id apoſtoli per eos ordinante ſpiritu ſanxerunt, ut qui multorum, deorum errores unius Dei prædicatione nitebantur evellere, ſub Trinitatis ſacramento uni perſonæ in ſacrificiorum ritu ſupplicandum eſſe decernerent: ne qui unum Deum ob falſorum deorum extirpandos errores prædicabant, in pluralem Divinitatis numerum incidiſſe arguerentur ab his, qui ineffabile Patris, & Filii & Spiritus ſancti myſterium ignorabant. Rectiſſime ergo conſtitutum eſt, ut quia Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus unius deitatis, unius naturæ, unius æqualitatis, unius denique poteſtatis exiſtunt; una ex eis perſona propter unitatis myſterium retinendum in ſacrificio invocaretur. Nec alia debuit, niſi quæ prima eſt, in qua ceteræ duæ naturaliter manentes exiſtunt. Quod vero per Filium invocamus, cum ad eum dicimus, Per Ieſum Chriſtum Filium tuum, hoc, ut ſupra iam dictum eſt, ex ea parte præcipitur, quia pro nobis Sacerdotis officio functus eſt, tunc cum Deo Patri immaculatam ſuæ carnis hoſtiam in ara obtulit crucis. Unde vas electionis: Conſiderate, inquit, Apoſtolum & Pontificem Confeſſionis Ieſum, qui fidelis eſt ei, qui fecit eum. Factus ergo Sacerdos pro nobis interpellet neceſſe eſt; ſed ea, ut dixi, parte, qua hominis gerit naturam. Unde & apoſtolus non Divinitati, ſed humanitati eius hoc interceſſionis eius miniſterium coaptavit, dicens: Unus enim mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Quod autem oratio & adoratio ſicut Patri ita etiam Filio deferatur, oſtendit Eſaias dicens: Ipſum gentes deprecabuntur, & erit nomen eius glorioſum. Et iterum ubi inducit Deum Patrem loquentem ad Filium: Labor Ægypti, & negotiatio Æthiopiæ & Sabaym viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt. Poſt te ambulabunt vinculis alligati, & te adorabunt, teque deprecabuntur: quoniam in te eſt Deus, & non eſt præter te. Iterum in Ioël: Omnis, quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. Quod de Filio dictum apoſtolus edocet tunc, cum incredulitatem Iudæorum exprobrans ait: Omnis, qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit. Quomodo invocabunt eum, in quem non crediderunt? David etiam ſupernarum ſedium confeſſorem Filium deprecans ait: Qui ſedes ſuper Cherubim, appare coram Ephraim, & Beniamin & Manaſſe. Excita potentiam tuam, & veni, ut ſalvos facias nos. Audi etiam Spiritum ſanctum, quemadmodum laudis ſacrificium & Filio & Patri & ſibi præcipit immolari. Ubi vere individua Trinitas cum perſonarum diſtinctione evidentius demonſtratur. Dicit ergo idem Spiritus ſanctus in pſalmo: Immola Deo ſacrificium laudis, & redde Altiſſimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis tuæ, & eripiam te, & glorificabis me. (Aug.) Ecce Spiritus ſanctus & Deo Filio ſacrificium laudis & Patri Altiſſimo vota promiſſionis & ſibi invocationis & glorificationis hoſtiam a veritatis cultoribus ſuadet exhiberi. De illo quippe dicit apoſtolus: Neſcitis, quia corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti, quem habetis a Deo, & non eſtis veſtri. Empti enim eſtis pretio magno: glorificate, & portate Deum in corpore veſtro. Quemnam Deum, niſi Spiritum ſanctum, cuius corpora noſtra eſſe dixerat templum? Debetur ergo gloria Spiritui ſancto. (Vigilius) Quod vero virtutes angelicæ cum Patre ſimul etiam Filium laudant, atque glorificant, oſtenditur nobis in Deuteronomio, ubi ita ad Filii venerationem cœleſtis invitatur exercitus: Lætamini cœli ſimul cum eo, & adorent eum omnes angeli Dei. Lætamini gentes cum populo eius, & glorificent eum omnes filii Dei. In apocalypſi quoque beatus Ioannes poſtquam vidit quatuor animalia & viginti quatuor ſeniores coram agno, qui librum ſignatum aperuit, cecidiſſe dicentes: Dignus es accipere librum, & aperire ſignacula eius, quoniam occiſus es, & redemiſti

Digitized by Google

nos Deo in ſanguine tuo: ſubiunxit voces militiæ cœleſtis redemptionis noſtræ congratulantes, & ait: Et vidi, & audivi vocem angelorum multorum in circuitu throni, & erat numerus eorum millia millium dicentium voce magna: Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem, & ſapientiam & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Poſt hæc, inquit, vidi, & ecce multitudo magna, quam numerare nemo poterat, ex omni gente, & tribu, & populo, & lingua, ſtantes ante thronum, & in conſpectu agni amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna, dicentes: ſalus Deo noſtro ſedenti ſuper thronum, & agno. Ecce laudis ſacrificium indiſcrete Patri & Filio ſanctorum immolat chorus, quorum voces multitudo angelorum adorando, & Amen reſpondendo confirmat, ſicut ſtatim in eodem libro ſequitur: Et omnes angeli ſtabant in circuitu throni, & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adoraverunt, dicentes: Amen. Spiritum quoque ſanctum in eadem gloriæ ſublimitate beatus Petrus prædicat dicens: Spiritu ſancto miſſo de cœlis, in quem deſiderant angeli proſpicere. Sequitur Sacerdos, & dicit:

Cum quibus & noſtras voces ut admitti iubeas, deprecamur, ſupplici confeſſione dicentes.

Voces angelorum (Greg.) ſunt in laude conditoris, ipſa admiratio intimæ contemplationis. Quales ergo oportet eſſe voces noſtras, quas in conſpectu Dei cum angelorum laudibus deprecamur admitti, id eſt, intromitti, ut poſſimus dicere: Intret oratio mea in conſpectu tuo. Et iterum: Ut veniat ad te oratio mea ad templum ſanctum tuum. Utique tales voces, & talis clamor non eſt in ſono oris (Greg.), ſed in deſiderio cordis. Voces enim apud ſecretiſſimas aures Dei non faciunt verba noſtra, ſed deſideria. Æternam etenim vitam ſi ore petimus, nec tamen corde deſideramus, clamantes tacuimus; ſi vero deſideramus ex corde, etiam cum ore conticeſcamus, tacentes clamamus. Sic Moyſes a ſtrepitu verborum tacebat, & tamen ſilens aure divinæ pietatis audiebatur. Cui dicitur: Quid clamas ad me? Intus eſt ergo in deſiderio clamor ſecretus, qui ad humanas aures non pervenit, & tamen auditum Conditoris replet. Et quia ſuperna illa civitas ex angelis & hominibus geſtat, ad quam tantum credimus hominum genus aſcendere, quantos illic contigit electos angelos remanſiſſe, ſicut ſcriptum eſt: ſtatuit terminos gentium iuxta numerum angelorum Dei: merito ſancta eccleſia, quæ illis ſocianda eſt in cœlo, & cum illis in Dei laudibus permanſura, iam nunc ipſis vocibus Deum laudat in terris, quibus eum angeli laudant in cœlis, & hoc non ſuperba præſumtione, ſed ſupplici confeſſione: ſic deſiderans maieſtatem Dei credere, & confiteri in mundo, ſicut ab angelis videtur & laudatur in cœlo. Hæc enim confeſſio non eſt peccati, de qua nobis præcipitur: Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem: Et pſalmiſta ait: Dixi, confitebor adverſum me iniuſtitiam meam Domino: ſed laudis, & gratiarum actionis, qualis intelligitur in pſalmo, ubi canimus: Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filiis hominum. Et qualem Dominus Ieſus, qui nullum omnino habebat peccatum, in evangelio Deo Patri offert, dicens: Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, qui abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Una ergo confeſſione, id eſt, laude & gratiarum actione iam nunc homines cum angelis ſociantur, laudantes de cœleſtibus, & terreſtribus tanquam eum, qui fecit cœlum & terram, & dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni ſunt cœli & terra gloria tua.*

Iſtæ ſunt voces angelorum laudantium in cœlis. Hunc hymnum gloriæ Dei & Eſaias Propheta ſe audiviſſe teſtatur, quando gloriam Dei vidit, & Seraphim iſtis vocibus eum collaudantia audivit, & beatus Ioannes in Apocalypſi ſub figura quatuor animalium introducit. Legitur namque in Eſaia de Seraphim laudantibus ita: Et clamabat alter ad alterum, & dicebat: Sanctꝰ, Sanctꝰ, Sanctꝰ, Dominus Deus Sabaoth, plena eſt omnis terra gloria eius. In Apocalypſi vero de quatuor animalibus ſic legitur: Et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt. Manifeſtum eſt ergo, quod in his verbis divinæ laudis, quæ ad imitationem ſupernarum virtutum iuxta Eſaiam decantat eccleſia, unus ſermo de Apocalypſi additus ſit. Nam in Eſaia tantum, Dominus Sabaoth legitur; in Apocalypſi vero, Dominus Deus Sabaoth. Item in Eſaia legitur: Plena eſt omnis terra gloria eius, tanquam hoc angeli non ad ipſum Deum, ſed de ipſo ad invicem dicant. Nos autem converſa ad eum voce dicimus: Pleni ſunt cœli & ter-

ra

Digitized by Google

ra gloria tua. Quod non humano ſenſu præſumtum, ſed de alia ſcriptura aſſumtum & additum eſt, loquente ipſo Deo in Ieremia Propheta, & dicente: Cœlum & terram ego impleo. Quidquid autem in Dei laudibus ſcriptura dicit, recte & ad ipſum dicitur gratulando, & de ipſo ad alios exhortando, vel inſtruendo. Sabaoth autem unum eſt (Hieron.) de decem nominibus Dei apud Hebræos, & latine interpretatur *exercituum*, ſive virtutum, ſicut frequenter in prophetis poſitum eſt: Hæc dicit Dominus exercituum. Et in pſalmo: Dominus Virtutum ipſe eſt rex gloriæ. Qui ideo Dominus exercituum, & Dominus virtutum vere dicitur; quia omnis militiæ cœleſtis exercitus, omnes ſupernæ virtutes, atque angelicæ poteſtates, eius imperio ſubiacent, eius ſerviunt voluntati. Angelicos enim ſpiritus (Greg.) recte militiam dicimus, quia decertare eos contra poteſtates æreas non ignoramus. Quæ tamen certamina non labore, ſed imperio peragunt; quia quod agendum contra immundos ſpiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regentis poſſunt. De hac namque militia naſcente rege noſtro ſcriptum eſt: ſubito facta eſt cum angelo multitudo militiæ cœleſtis. Quid ſibi ergo vult in hoc hymno angelico ſub uno nomine ſanctitatis trina repetitio? ſi trina repetitio, cur una laudatio, ſi una laudatio, cur trina repetitio, (Aug.) niſi quia Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſanctitate unum ſunt? Non dixit ſemel, ne Filium ſequeſtraret: non bis, ne Spiritum ſanctum præteriret: non quater, ne creaturam coniungeret. Et ut oſtenderet, unam eſſe deitatem, cum tertio dixiſſet. Sanctus, Sanctus, Sanctus, addidit ſingulariter: Dominus Deus Sabaoth. Sanctus igitur Pater, ſanctus Filius, ſanctus & Dei Spiritus, tota videlicet Trinitas adoratur, & laudatur ab angelis. Hanc Seraphim glorificant, & omnes poteſtates, virtuteſque cœleſtes. Adiunguntur autem huic hymno angelorum ſumta ex evangelio verba turbarum laudantium Dominum, & Regem noſtrum venientem Hieroſolimis, atque dicentium: *Oſanna in excelſis*, *benedictus*, *qui venit in nomine Domini*, *oſanna in excelſis.*

Ita enim ex ſcriptura prophetica, & evangelica completur plena laudatio, cum poſt laudem & gloriam ſanctæ Trinitatis adiungitur etiam gratiarum actio de adventu ſalvatoris, qui unus in ipſa & ex ipſa pro ſalute noſtra homo factus, in mundum venit, & eandem moriendo & reſurgendo perfecit. Mortuus eſt enim propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Unde recte illi gratias agentes dicimus: Oſanna, id eſt, ſalus in excelſis. Hoc eſt enim quod in pſalmo canitur: Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum benedictio tua. Hoc quod in magnæ devotione laudis in Apocalypſi Sanctorum chorus reſonat; Salus Deo noſtro, qui ſedet ſuper thronum, & agno. Recte quoque ſubiungimus: Benedictus, qui venit in nomine Domini, iuxta quod ipſe in evangelio Iudæis non credentibus dicit: Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me. Aſſumunt autem verſiculum laudis turbæ de pſalmo centeſimo ſeptimo decimo, quem de Domino cantatum eſſe manifeſtum eſt. Quod enim turbæ dicunt: Oſanna, hoc eſt, quod ibi dicitur: o Domine ſalvum me fac, o Domine proſperare. Et ſtatim eiſdem verbis ſubiungitur: Benedictus, qui venit in nomine Domini: Quod vero in eiuſdem laudis proſequutione ſubiungitur: Oſanna, id eſt, ſalus, vel ſalvifica in excelſis, aperte docet adventum Domini in carne non ſolum humani generis in terra, ſed & angelorum in cœlis eſſe ſalutem, quia dum nos redemti ad ſuperna perducimur, eorum profecto numerus, qui ſatana cadente erat minoratus, impletur. Hinc etenim Paulus ait: Inſtaurari omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt in ipſo. Recte igitur Oſanna in altiſſimis in eius laude canitur, cuius tota incarnationis diſpenſatio pro implenda laude patriæ cœleſtis apparuit. Poſt has laudes & gratiarum actiones pro tanta gratia redemtionis, quæ in illo divino myſterio agitur, & commendatur, facto totius eccleſiæ ſilentio, in quo ceſſante omni ſtrepitu verborum, ſola ad Deum dirigatur intentio, & devotio cordium ſociatis ſibi omnium votis & deſideriis, incipit Sacerdos orationem fundere, per quam ipſum myſterium dominici corporis & ſanguinis conſecratur. Sic enim oportet, ut in illa hora tam ſacræ & divinæ actionis tota per Dei gratiam a terrenis cogitationibus mente ſeparata, & eccleſia cum Sacerdote, & Sacerdos cum ſpiritali deſiderio intret in ſanctuarium Dei ſupernum & æternum. Et quoniam ſpiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare; nam & Pater tales quærit, qui adorent eum, ſic eumdem Deum, & Patrem deprecetur, & dicat: *Te igitur clementiſſime Pater per Ieſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum ſupplices rogamus*, & *petimus*, *uti accepta habeas* & *benedicas hac dona*, *hac munera*, *hac ſancta ſacrificia illibata.*

Dirigitur ergo hæc oratio, ſicut & reliquæ orationes iuxta regulam fidei & morem eccleſiæ ad clementiſſimum Patrem, cuius erga nos peccatores & indignos tanta exiſtit clementia, & miſericordia, quantam apoſtolus commendat dicens: Qui etiam proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit? Et iterum: Deus autem, qui dives in miſericordia, propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, cum eſſemus mortui peccatis, convivificavit nos Chriſto. Per hanc gratiam ſpiritum adoptionis accepimus, quam commendat Apoſtolus dicens: Sed accepiſtis ſpiritum adoptionis Filiorum, in quo clamamus: Abba Pater. Et ideo in hoc ſpiritu adoptionis, qui poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus; quia eos, quos replere dignatur inenarrabili deſiderio gementes & poſtulantes facit, clamat Sacerdos cum eccleſia non voce, ſed corde, dicens: Te igitur clementiſſime Pater ſupplices rogamus & petimus. Quæ ſupplicatio & inclinatio cordis ad Deum tantæ reverentiæ & humilitatis eſſe debet, ut imitari queat illud, quod de ſua ſupplicatione Apoſtolus dicit: Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur. In qua flexione genuum non corporis proſtratio, ſed ſupplex affectus & cordis contritio intelligitur. De qua pſalmiſta ait: ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus: Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Secundum hæc ergo dicitur: Supplices te rogamus & petimus per Ieſum Chriſtum Filium tuum Dominum noſtrum, per quem omnis ſupplicatio & petitio noſtra ad Deum dirigi debet, tanquam per verum mediatorem & æternum Sacerdotem, qui ſedet ad dexteram Patris, & interpellat pro nobis. Pro qua autem re dicit Sacerdos ad Deum Patrem: rogamus & petimus, niſi pro eo, quod ſequitur, videlicet, ut ea quæ ipſi offeruntur, dona, munera ſancta, ſancta ſacrificia accepta, id eſt, beneplacita habeat, & benedicat. Sacerdotum eſt enim offerre, & maieſtatem Dei invocare; Dei autem eſt dignanter ſuſcipere, & ea, quæ offeruntur, benedicere. Sicut in lege præcipit Sacerdotibus, dicens: Sic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis. Et poſt verba benedictionis ſubiungit: Invocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. Quid apertius? Illi invocabunt, & ego benedicam; & tamen ſuperius dixerat: Sic benedicetis. Sed illi exorando, ille largiendo. Ita ergo & in oblatione divini ſacrificii Sacerdotes exhibent offerendi & ſupplicandi miniſterium, ſed Deus largitur benedictionis donum per unum & verum Sacerdotem, per quem & oblata ſanctificat, & ſanctificata acceptat. Dicunt itaque: Ut accepta habeas, & benedicas, ac ſi ſuppliciter dicant: Petimus, ut hæc ſpiritu tuo ſanctifices, atque ore benedicas; ut, quod noſtræ humilitatis geritur miniſterio, tuæ virtutis impleatur effectu. Quod autem ſubiungitur: Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata, non aliud, atque aliud dicitur, ſed res una pro ſui magnitudine diverſa appellatione laudatur, & laudando commendatur. Quæ enim divinis offeruntur altaribus, & munera appellantur, ſicut Dominus in evangelio dicit: Si offers munus tuum ad altare; & dona, vel ſacrificia dicuntur, ſicut oſtendit Apoſtolus dicens: Omnis namque Sacerdos ex hominibus aſſumtus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. Sed ut dictum eſt, iſta ſermonum repetitio tanti ſacramenti eſt commendatio, & piæ devotionis excitatio, quia hæc ſunt vere ſancta, & illibata, id eſt, inviolata & incontaminata ſacrificia, quæ nulla digne poſſunt verba laudare; quoniam in myſterio dominici corporis offeruntur, in cuius figuram hoſtiæ illæ veteris teſtamenti immaculatæ, ac ſine ullo vitio iubebantur offerri. Qualis ſolus inventus eſt Chriſtus ſine ullo omnino peccato. Sequitur Sacerdos, & dicit: *In primis, quæ tibi offerimus pro eccleſia tua ſancta catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo papa N.*

Sic omnino dignum fuit, ut inciperet ſancta oblatio, videlicet pro eccleſia Dei ſancta catholica toto orbe terrarum diffuſa; ipſa eſt enim univerſitas ſanguine Domini redemta. (Aug.) Ipſa eſt enim hæreditas a Patre ei promiſſa & data, ſicut ipſe Pater loquitur in pſalmo: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Hæc unitas corporis Chriſti templum Dei eſt, cui apoſtolus dicit: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos. Omnes, qui credunt in Chriſtum & ſic credunt, ut diligant. Hoc eſt enim credere in Chriſtum, diligere Chriſtum, tanquam lapides ſunt vivi, de quibus templum Domini ædificatur. Hoc autem templum eſt, ubi rogatur Deus, & exaudit. Quiſquis enim præter templum Dei oraverit Deum, non exauditur ad illam pacem, non exauditur

ad

Digitized by Google

ad vitam æternam, quæ non conceditur, niſi ei, qui in templo Dei orat, qui orat in pace eccleſiæ in unitate corporis Chriſti. Quod corpus Chriſti conſtat ex multis credentibus in toto orbe terrarum. Et ideo exauditur, qui orat in templo, quia ipſe orat in ſpiritu & veritate. Merito ab ea, & pro ea, quia & in ea incipit divina oblatio, tanquam dicatur Deo de illa, & in illa: Exaudi nos Deus ſalutaris noſter. Spes omnium finium terræ, & in mari longe. Ipſa eſt namque unitas, quæ a finibus terræ, id eſt, ab oriente, & occidente, ſeptentrione, & meridie, ad Deum clamat, & dicit: A finibus terræ ad te clamavi, dum anxiaretur cor meum. Hinc & *eccleſia* græce dicitur, quod in latinum vertitur *Convocatio*, eoquod omnes ad ſe convocet. Et catholica appellatur, id eſt, univerſalis. Non enim ſicut conventicula hæreticorum in aliquibus regionum partibus coarctatur, ſed per totum orbem terrarum dilatata diffunditur. Hinc & univerſitas ab uno cognominata eſt, eoquod in unitate colligitur. Unde ait Dominus in evangelio: Qui mecum non colligit, ſpargit, id eſt, qui in humilitatem meam non colligitur, a me diviſus, in diſperſionis perditione diſſipatur. Pro hac itaque primum in illa oblatione poſtulatur, ut eam Deus toto orbe terrarum pacificare dignetur, videlicet, ne per hæreſes, & ſchiſmata eius unitas dilanietur, & adverſitate perſecutionum eius tranquillitas perturbetur. Ut enim hanc pacem tam interius quam exterius faciat Deus eccleſiæ ſuæ, & ipſe apoſtolus orat, dicens: Pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu. Et omnem eccleſiam orare admonet, cum ait: Volo igitur primo omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones. Et poſt paululum: Ut qui etiam, inquit, & tranquillam vitam agamus in omni pietate. Poſtulatur etiam omnipotens Deus, ut eam cuſtodire, adunare, & regere dignetur. Ipſe eſt enim verus cuſtos populi ſui, id eſt, veri Iſrael, de quo in pſalmo cantatur: Ecce! non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Et iterum: Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat, qui cuſtodit eam. Id ipſum autem videtur eſſe adunare, quod pacificare: idipſum cuſtodire quod & regere, quia eccleſiam ſuam Deus & pacificando adunat, & adunando pacificat; & cuſtodiendo regit, & regendo cuſtodit. Pacificando namque adunat, cum omnium fidelium corda in ſua pace coniungit, cum omnium fidelium mentes per unitatem fidei, ſpei, & charitatis unius efficit voluntatis, ut per Spiritum ſanctum charitate diffuſa impleatur in ea, quod ſcriptum eſt: Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una. Et ecce! quam bonum, & quam iucundum, habitare fratres in unum. Cuſtodiendo quoque regit eandem eccleſiam ſuam, cum inter omnia pericula clementer eam gubernat, & dirigit, cui in pſalmo orantes dicimus: Salvum fac populum tuum, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos, & extolle illos uſque in æternum. Quod vero poſt generalem eccleſiæ commendationem adiungitur: Una cum famulo tuo papa noſtro, ipſa unitas eccleſiaſtici corporis fortius commendatur, quia divinæ religionis cultum, ut beatus Leo ſcribit, quem in omnes gentes, omneſque nationes Dei voluit gratia coruſcare, ita Dominus noſter Ieſus Chriſtus humani generis ſalvator inſtituit, ut huius muneris ſacramentum in beatiſſimo Petro omnium Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, atque ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua vellet in corpus omne manare, ut exortem ſe myſterii intelligeret eſſe divini, qui auſus fuiſſet a Petri ſoliditate recedere. Hunc enim in conſortium individuæ unitatis aſſumtum, id quod ipſe erat, voluit nominari dicendo: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Unde conſtat, ſicut iterum beatus Papa Pelagius docet, ab univerſi orbis communione ſeparatos eſſe, qui qualibet diſſenſione inter ſacra myſteria apoſtolici pontificis memoriam ſecundum conſuetudinem non frequentant. Sequitur in myſterio: *Et Antiſtite noſtro & omnibus orthodoxis Catholicæ & apoſtolicæ fidei cultoribus.*

Sicut enim univerſalis eccleſiæ commemoratio propter unitatem ſocietatis coniungitur commemorationi apoſtolici pontificis, ut dignum & religioſum eſt, ita ſingulæ eccleſiæ commemorationem ſubiungunt ſuorum antiſtitum, probantes ſe per illam orationem dominicæ oblationis ſervare cum eis unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Orthodoxi autem græce, latine recte gloriæ dicuntur, eoquod nullo hæretico errore depravati rectæ fidei confeſſione Deum glorificent, id eſt, ipſi ergo ſunt catholicæ & apoſtolicæ fidei cultores. Catholicæ, id eſt, univerſalis, quam univerſa ubique ſervat eccleſia, eiuſdemque Apoſtolicæ, quam in toto mundo apoſtolorum doctrina fundavit. Cultores autem huius fidei non poſſunt dici, niſi illi, qui quod recte credunt, veraciter diligunt.

Digitized by Google

gunt. Hoc enim unusquisque colit, quod maxime diligit. Unde & de quibusdam gulæ & ventris amatoribus ait apoſtolus: Quorum Deus venter eſt. Ille ergo eſt veritatis cultor, qui iungit fidei dilectionem, ut Deum, de quo recte credit, diligendo colat, & colendo permereatur. Ipſa eſt fides, quam commendat apoſtolus, dicens: In Chriſto enim Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium, ſed fides, quæ per dilectionem operatur. Neque enim in confuſione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore ſchiſmaticorum, neque in cæcitate Iudæorum, quærenda religio eſt, ſed apud eos ſolos, qui chriſtiani, catholici, vel orthodoxi nominantur, id eſt, integritatis cuſtodes, & recta ſectantes. Completa hac oratione, qua in primis univerſalis eccleſia cum apoſtolico pontifice & omnibus orthodoxis Deo commendatur, adiungitur in concluſione more ſolito: *Per Chriſtum Dominum noſtrum.* Aliter enim nec oratio, nec oblatio eccleſiæ Deo offerri poteſt; nec illa, pro quibus Deus exoratur, accipere, niſi per unum mediatorem Dei & hominum, qui interpellat pro nobis. Quod ergo offert eccleſia, offert per illum. Quod Deus eandem eccleſiam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere dignatur, præſtat per illum. Per ipſum noſtra ad Deum vota aſcendunt: per ipſum divina ad nos dona deſcendunt. Hoc namque ipſe in evangelio commendat, dicens: Quia ego ad Patrem vado, & quidquid petieritis in nomine meo hoc faciam, ut clarificetur Pater in Filio. Quam petitionis formam in omni oratione ſua cuſtodit eccleſia. Sequitur in myſterio: *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, & omnium circumſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio.*

In quibus verbis cum primum dicitur, Memento Domine famulorum famularumque tuarum, & ſic deinde ſubiungitur: Et omnium circumſtantium, manifeſtum eſt, quod quaſi quidam locus ſit, ubi aliquibus ſpecialiter nominatis etiam ceterorum, qui aſſiſtunt in eccleſia, commemoratio adiungitur: in quo utique loco aut liberum eſt Sacerdoti, quos deſideraverit peculiariter nominare, & nominatim Deo commendare; aut certe illud ab antiquis obſervatum eſt, ut ibi offerentium nomina recitarentur, quod videtur beatus Papa Innocentius in quadam epiſtola ſignificare, ubi dicit: Superfluum eſt, ut cuius hoſtiam necdum Deo offeras, eius ante nomen inſinues, quamvis illi incognitum nihil ſit. Prius ergo oblationes commendandæ ſunt, ac tunc eorum nomina, quorum ſunt edicenda, ut inter ſacra myſteria nominentur, non inter alia, quæ præmittimus, ut ipſis myſteriis viam futurii precibus aperiamus. Fit ergo hæc oratio ad Deum Patrem, ut memor eſſe dignetur famulorum, famularumque ſuarum, utriusque videlicet ſexus ſibi ſervientium, non ſolum eorum, qui nominantur, ſed & omnium circumſtantium, ac de omnibus & pro omnibus ſimul dicitur Deo: Quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio. Hoc eſt, quam recte credant, quam devote te diligant, Tu ſolus vides in conſcientiis ſingulorum. Tu es enim ſcrutans corda, & renes Deus. Et tibi veraciter dictum eſt: Tu enim ſolus noſti corda filiorum hominum, qui in tuis cultoribus magis oblationem fidei, & devotionis requiris. Fidei, cum per legislatorem tuum dicis: Audi Iſrael! Dominus Deus tuus unus eſt. Devotionis, cum ſtatim adiungis: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua, & proximum tuum tanquam te ipſum. Hanc enim fidem & devotionem Deo offerre, hoc eſt verum ſacrificium ſalutare, de quo ſcriptum eſt: Sacrificium ſalutare eſt attendere mandatis. Sequitur in myſterio: *Qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe ſuisque omnibus, pro redemtione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis, & incolumitatis ſuæ, tibi reddunt vota ſua æterno Deo vivo & vero.*

In quibus verbis fideliter conſiderandum eſt, quod tota eccleſia offerat Deo illud ſacrificium laudis, quia de omni multitudine circumſtantium fidelium dicitur: Qui tibi offerunt. Quod enim adimpletur proprie miniſterio Sacerdotum, hoc generaliter agitur fide & devotione cunctorum. Omni enim eccleſiæ dicitur per beatum Petrum Apoſtolum: Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, offerre ſpirituales hoſtias & acceptabiles Deo per Ieſum Chriſtum. (Beda.) Omnem ergo eccleſiam Sacerdotium ſanctum appellat, quod ſola domus Aaron in lege nomen & officium habuit, quia nimirum omnes fideles ſummi Sacerdotis membra exiſtunt, cuncti oleo lætitiæ ſignantur, illius corpori uniti, qui rex ſummus & Sacerdos eſt verus, regnum ſuis tribuens ut rex, & ut pontifex eorum peccata ſui ſanguinis hoſtia mundans, quamquam & emundavit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſervien-

Digitized by Google

viendum Deo viventi, & ideo novi teſtamenti mediator eſt. Per hunc ergo ſanguinem novi teſtamenti, qui eſt effuſus in remiſſionem peccatotorum, emundavit, id eſt, innovavit conſcientiam fidelium. Et fiunt, id eſt, fideles iuxta eundem apoſtolum hæredes ſecundum ſpem vitæ æternæ. Et repromiſſionem accipiunt, qui vocati ſunt, æternæ hæreditatis Et ideo ſanguis ille vere æterni eſt & novi teſtamenti, quia quos a vetuſtate innovat, ad æternam hæreditatem perducit. Hinc Zacharias Propheta velut ad ipſum Dominum loquens ait: Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua; quia videlicet per huius ſanguinis effuſionem & antiqui iuſti ſpe futuræ redemtionis devincti ab inferni clauſtris educti ſunt, & per eundem etiam omnes credentes a peccatorum vinculis, & de lacu miſeriæ, ac de luto fæcis eripiuntur. Item quod hic dicitur, myſterium fidei, & in illis verbis Domini, quibus myſterium corporis & ſanguinis ſui tradidit, non legitur; ſed videtur de alio loco evangelii ſumtum eſſe, ubi ſecundum Ioannem de hoc eodem ſacramento quibusdam diſcipulis non credentibus loquens ait: Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt; ſed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt. Oſtendit enim ſe magnum dixiſſe myſterium, cum ait: Verba, quæ ego locutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Cum autem adiungit: ſed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt; oſtendit iſtud myſterium non eſſe, niſi fidei & fidelium, qui illa verba fideliter audiunt. (Aug.) Et ideo eis ſpiritus & vita ſunt, quia eos ſpiritaliter intellecta vivificant. Aut certe hæc verba de Apoſtolo ſumta ſunt, ubi ait: Habentes myſterium fidei in conſcientia pura; quia ſicut ſacramentum ſanctæ Trinitatis, ita & ſacramentum dominicæ paſſionis & mortis, quod illa oblatione frequentatur, æqualiter neceſſarium ad ſalutem, æqualiter in conſcientia pura eſt ſumendum, ac retinendum. Quod etiam in baptiſmate celebratur, docente eodem Apoſtolo, ac dicente: Quicunque enim baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus. Totum ergo, quod in hac oblatione dominici corporis & ſanguinis agitur, myſterium eſt. Aliud enim videtur, aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet ſpiritalem. Sciendum vero, quod eumdem calicem dominici ſanguinis iuxta obſervantiam eccleſiæ catholicæ ab apoſtolis traditam, niſi mixtum aqua, offerri non licet; quia vinum fuit in redemptionis noſtræ myſterio, cum ait: Non bibam amodo de hoc genimine vitis. Et de latere eius, quod lancea transfixum eſt, aqua cum ſanguine egreſſa, vinum de vera carnis eius vite cum aqua expreſſum oſtendit. Hæc ſunt enim ſacramenta eccleſiæ, ſine quibus ad vitam, quæ vere vita eſt, non intratur. Ille ſanguis in remiſſionem effuſus eſt peccatorum. Aqua illa ſalutare temperat poculum. Hæc & lavacrum præſtant & potum. Hoc totum dominicæ oblationis myſterium quanta pietate & amore agendum & accipiendum ſit, commendat nobis ipſe Dominus dicendo: Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis. Quod exponens apoſtolus ad Corinthios ait: Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Illius ergo panis & calicis oblatio mortis Chriſti eſt commemoratio & annuntiatio, quæ non tam verbis, quam myſteriis ipſis agitur, per quæ noſtris mentibus mors illa pretioſa altius & fortius commendatur. Quid eſt enim Chriſti commendatio, niſi charitatis eius commendatio? quam nobis beatus Ioannes Evangeliſta commendans ait: Sciens Ieſus, quia venit hora eius, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos: (Aug) id eſt, uſque ad mortem eum dilectio illa perduxit, quia tantum dilexit eos, ut moreretur propter illos. Hoc enim teſtatus eſt dicens: Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam ſuam quis ponat pro amicis ſuis. Propterea & iturus ad paſſionem, & per reſurrectionis atque aſcenſionis gloriam diſceſſurus e mundo, hoc ſacramentum ultimum diſcipulis tradidit, ut memoriam tantæ charitatis, per quam ſolam ſalvamur, arctius eorum mentibus infigeret, quatenus ſemper memores ſimus, & quales, & quantum ab eo dilecti ſimus. Quales, ne de nobis gloriemur: quantum, ut de illo ſperemus. Quod utrumque Apoſtolus diligenter exponit, & inculcat, dicens: Ut quid enim Chriſtus cum adhuc infirmi eſſemus ſecundum tempus pro impiis mortuus eſt? Et poſt paululum: Commendat autem, inquit, ſuam charitatem Deus in nobis, quoniam ſi cum adhuc peccatores eſſemus, Chriſtus pro nobis mortuus eſt, multo magis iuſtificati nunc in ſanguine ipſius ſalvi erimus ab ira per ipſum. Si enim cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii eius, multo magis reconciliati ſalvi erimus in vita ipſius. Hoc

Digitized by Google

Hoc ergo agendum, hoc frequentandum commendavit eccleſiæ, quouſque ipſe veniat in finem ſæculi, quando erit Sanctorum requies non adhuc in ſacramento ſpei, quod in hoc tempore conſociatur eccleſiæ, quamdiu bibitur, quod de Chriſti latere manavit, ſed iam in ipſa perfectione ſalutis æternæ cum tradetur regnum Deo & Patri, ut in illa perſpicua contemplatione incommutabilis veritatis nullis myſteriis egeamus. (Greg.) Hæc namque ſingulariter victima ab æterno interitu animam ſalvat, quæ illam nobis mortem Unigeniti per myſterium reparat; qui licet ſurgens a mortuis iam non moritur, & mors ei ultra non dominabitur, tamen in ſe ipſo immortaliter atque incorruptibiliter vivens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur: eius quippe ibi corpus ſumitur, eius caro in populi ſalute partitur, eius ſanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. Hinc ergo penſemus, quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra paſſionem Unigeniti Filii ſemper imitatur. Sequitur in myſterio: *Unde & memores Domine nos ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta Chriſti Filii Domini Dei Noſtri tam beatæ paſſionis, nec non & ab inferis reſurrectionis, ſed & in cælos glorioſæ aſcenſionis, offerimus præclaræ maieſtati tuæ de tuis donis ac datis hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ.*

Quia Dominus & ſalvator noſter myſterium ſuæ mortis, quam pro noſtra omniumque ſalute ſuſcepit, tanta pietate memoriæ fidelium commendavit, ut per oblationem & participationem ſui corporis & ſanguinis eandem vivificam mortem ſuam nos annuntiare voluerit, donec veniat in maieſtate de cœlis. Quid dignius ac ſalubrius fieri poteſt, quam ut hæc veneranda myſteria frequentando memores ſint pariter Sacerdotes & populus, univerſa videlicet eccleſia, beatæ paſſionis eius? Et vere beata, quæ ſine peccato ſuſcepta totius mundi peccata delevit. Et quia non ſolum, ut apoſtolus ait, mortuus eſt propter delicta noſtra, ſed etiam reſurrexit propter iuſtificationem noſtram, ac ſic mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit: Memores ſimus reſurrectionis quoque eius ab inferis, per quam ſpoliato inferno, ſicut per Prophetam prædixerat: Ero mors tua, o mors morſus tuus ero inferne! implevit in ſe, quod ante fuerat prophetatum: Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Et quoniam reſurgens a mortuis factus eſt primitiæ dormientium, & primogenitus mortuorum, quia iam non moritur, mors illi non dominabitur; & aſſumtus eſt in cœlum, & ſedet a dextris Dei: ſimus memores etiam glorioſæ aſcenſionis eius, quando congratulantibus angelis & omni militia cœleſtis exercitus in eius laudibus concrepante implevit, quod in pſalmo canitur: Aſcendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ. Unde & in alio pſalmo cœleſtium virtutum voces introducuntur in eius glorioſa aſcenſione, admirando interrogantium, & congratulando reſpondentium, cum interrogantes dicunt: Quis eſt iſte Rex gloriæ? & reſpondentes adiungunt: Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio. Et iterum interrogant: Quis eſt iſte Rex gloriæ? & reſpondent: Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ. Hæc eſt enim tota ſalus noſtra, & vita noſtra, ſi inceſſanter eius memores ſimus, & illi ſoli nos deberi cognoſcamus, cuius paſſione firmati, cuius vulnere ſanati, cuius ſanguine mundati, morte vivificati, reſurrectione coexcitati, aſcenſione in cœlis glorificati ſumus; quia & ideo pretium redemtionis noſtræ in Sacramento dominici corporis & ſanguinis celebramus, ut ſemper fideliter illud meditemur, quod apoſtolus monet, dicens: Et non eſtis veſtri; empti enim eſtis pretio magno. Memores igitur dominicæ paſſionis, & reſurrectionis, & aſcenſionis tam Sacerdotes, quam plebs fidelis offerunt præclaræ, id eſt, præcellenti, & glorioſæ maieſtati Dei non de ſuo, ſed de eius donis ac datis, iuxta quod ſcriptum eſt: Et quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Ipſe eſt enim, qui educit panem de terra, & præſtat vinum, ut lætificet cor hominis. Ex his ergo creaturæ Dei fructibus, id eſt, bonitatis, & pietatis eius muneribus offert illi eccleſia in myſterio dominici corporis & ſanguinis vere hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam. Quæ trina repetitio tanti myſterii eſt laudatio, & laudando commendatio, & commendando piæ devotionis exercitatio. Hæc namque hoſtia corpus & ſanguis eſt, ut beatus Petrus ait, agni incontaminati & immaculati Chriſti. Quam vero hoſtiam puram, ſanctam, & immaculatam offert eccleſia, niſi quam a Domino accepit, id eſt, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ? In hoc enim pane ſumentibus vita æterna eſt, ſicut ipſe Dominus panis vivus & panis vitæ de ſe ipſo ait:

Ego

Digitized by Google

Ego ſum panis vivus, qui de cœlo deſcendi. Et iterum: Panis enim Dei eſt, qui deſcendit de cœlo, & dat vitam mundo. Et alio loco dicit: Qui manducat hunc panem vivet in æternum. Et quod iſte ſit panis corporis ſui, ipſe exponit dicendo: Et panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ergo & calix ſanguinis eius calix eſt ſalutis æternæ: quia ſanguis ille pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum, ut ſalvum faceret populum ſuum a peccatis eorum. De hoc canitur in pſalmo: Calicem ſalutaris accipiam, & nomen Domini invocabo. Eſt enim calix iſte ſalutaris accipienti & in ſacramenti acceptione, & in paſſionis imitatione, ſicut a ſanctis martyribus acceptus eſt. Hunc panem ſignificavit manna. (Aug.) Hunc panem tribuit altare Dei. Noverint fideles corpus Chriſti. Si in Chriſti corpore homo fuerit, accipiet de Chriſti ſpiritu. Sicut autem corpus noſtrum ſine ſpiritu non poteſt vivere, ſic non habebit ſpiritum vitæ, niſi qui in corpore Chriſti fuerit inventus. Qui vult vivere, accedat, credat, vivat Deo de Deo, incorporetur, ut vivificetur. Hoc eſt enim manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere, ſicut ipſe dicit: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo. Sequitur in myſterio: *Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.*

Oratur Deus, ut hæc munera vitæ & ſalutis, quæ præclare maieſtati eius offeruntur, propitio, id eſt, placabili ac ſereno vultu reſpicere dignetur, non quia vultus eius aliquando obnubilatur, & aliquando ſerenatur, cum ipſe ſit Pater luminum, ut beatus Iacobus ait, apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio. Et beatus Ioannes teſtatur, quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo nullæ ſunt. Sed qui ſemper in lumine eſt, tunc ſuper nos ſerenat & illuminat vultum ſuum, quando declarat ſuper nos miſericordiam ſuam, ſicut in pſalmo orantes dicimus: Illuminet Dominus vultum ſuum ſuper nos & miſereatur noſtri. Sicut e contrario de quibusdam, qui eius miſericordia indigni ſunt, ipſe dicit: Abſcondam faciem meam ab eis. Et iterum, quibus ſe placabilem præbet, promittit, dicens: Et non avertam faciem meam a vobis. Unde & beatus Daniel iſtis ipſis verbis exorat dicens: Exaudi Domine preces ſervi tui, illumina faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum, & propitius intende ſuper populum iſtum, ſuper quem invocatum eſt nomen tuum. Neque enim Deus humana forma faciem aut vultum habere putandus eſt, quia, ut Dominus in evangelio ait, ſpiritus eſt Deus, & eos, qui adorant, in ſpiritu & veritate oportet adorare: ſed facies & vultus Dei præſentia eius eſt. Quid eſt enim facies Dei ſuper nos illuminata, niſi eius præſentia declarata, cum miſericordiam & bonitatem ipſius præſentem nobis adeſſe ſentimus? Sic & reſpicere Dei, viſitatio pietatis eius eſt, ſicut in pſalmo orantes dicimus: Deus virtutum convertere, reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam. Oratur itaque omnipotens Deus, ut placabilis, & propitius factus ſereno vultu, id eſt, declarata bonitatis & pietatis ſuæ præſentia reſpiciat dignanter eccleſiæ ſuæ munera: & accepta ac beneplacita habeat, ſicut munera pueri ſui iuſti Abel, cuius fides & iuſtitia oblationis acceptatio, & in lege veteri commendatur, ubi ſcriptum eſt: Et reſpexit Deus ad Abel & ad munera eius: & in evangelio dicente Domino: A ſanguine Abel iuſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ. Et apoſtolus, ubi ad Hebræos ſcribit: Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe iuſtus, teſtimonium perhibente muneribus eius Deo. Et per illam defunctus adhuc loquitur, qui non ætate, ſed puritate & ſimplicitate puer Dei appellatur. Sicut etiam & David, qui mortuus eſt ſenex & plenus dierum, tamen in evangelio legitur: Et erexit cornu ſalutis nobis in domo David pueri ſui. Et ſicut ſacrificium, inquit, Patriarchæ noſtri Abrahæ utique, quod ſacrificavit in oblatione unigeniti filii ſui Iſaac, offerens eum Deo in holocauſtum. Quod ita acceptum fuit, ut ſtatim mereretur audire: Per memet ipſum iuravi, dicit Dominus, quia feciſti rem hanc & non pepercisti filio tuo propter me: benedicam tibi, & cetera. Qui eſt patriarcha non tantum Iſraeliticæ plebis ſecundum carnem, ſed etiam noſtræ ſecundum fidem, ſicut ei promiſſum eſt, quia patrem multarum gentium poſui te. Adiungitur adhuc: Et quod tibi obtulit ſummus Sacerdos tuus Melchiſedech. De quo maniſeſte ſcriptura dicit: Et Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum. Erat enim Sacercerdos Dei altiſſimi, & benedixit Abraham. Cuius

Digitized by Google

& ſacerdotium & ſacrificium tantum magnificatur, ut dicat de eo Apoſtolus ad Hebræos dicens: Primum quidem Melchiſedech, qui interpretatur Rex iuſtorum. Denique Rex Salem, quod eſt rex pacis, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens: aſſimilatus autem per omnia Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum. Quod vero poſt hæc omnia ſubiungitur: Sanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam, ad ſuperiora referendum eſſe videtur, ubi dictum eſt: Supra quæ propitio ac ſereno vultu reſpicere digneris, ut ad complendam petitionem ſubiunctum ſit. Hoc autem totum exoratur omnipotens Deus, videlicet, ut ſacrificium eccleſiæ ita acceptum habeat ut ſacrificium iuſti Abel & Patriarchæ Abrahæ, & ſummi Sacerdotis Melchiſedech: quia & in illis antiquis ſacrificiis imago erat huius veri ſacrificii. Et hoc ipſum uni Deo auctori utriusque teſtamenti, & utriusque ſacrificii ordinatiſſima temporum diſpoſitione tunc placebat in præfiguratione venturæ veritatis, quod & nunc placet in adimpletione eiusdem veritatis. (Aug.) Nam & in ſacrificio Abel, quod de primogenitis ovium & adipibus earum oblatum ſacrificio Cain, quod ex terræ fructibus offerebatur, prælatum eſt, novi teſtamenti fides præfigurabatur, quæ ex innocenti gratia Deum laudans veteris teſtamenti terrenis operibus anteponitur. Et immolatione unici & dilecti filii Abrahæ immolatio eius præfigurabatur, de quo dicit Pater: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Unde ait Apoſtolus: Qui filio ſuo proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Et ſacrificium Melchiſedech ita vere erat ſignificatio ſacrificii Chriſti, ut inde prædictum ſit: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Sequitur in myſterio: *Supplices te rogamus, omnipotens Deus! iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum in conſpectu divinæ maieſtatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumſerimus, omni benedictione cæleſti & gratia repleamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.*

Hæc verba myſterii tam profunda, tam mira & ſtupenda quis comprehendere ſufficiat? quis inde digne aliquid loquatur? Magis veneranda ſunt & pavenda, quam diſcutienda. Beatus tamen Gregorius idoneus tanti ſacramenti interpres, in quodam loco aliquid de his tanquam de re ineffabili pene ineffabiliter loquitur. Quis enim fidelium, inquit, habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus iungi, unum quid ex viſibilibus atque inviſibilibus fieri? Idem etiam Doctor, quomodo accipiendum ſit: In ſublime altare Dei in conſpectu divinæ maieſtatis eius, quodam loco ſubtiliter oſtendit, exprimens illum verſiculum pſalmi: Conſtituite diem ſolemnem in confrequentationibus uſque ad cornu altaris. Dies, inquit, ſolemnis eſt Domino compunctio cordis noſtri. Sed tunc in confrequentationibus dies ſolemnis conſtituitur, cum in lacrymas pro amore eius aſſidue mens movetur. Cui velut ſi diceremus, quamdiu iſta acturi ſumus, quamdiu tribulatione afficimur, illico terminum quousque fieri debeat, ſubiunxit, dicens: Uſque ad cornu altaris. Cornu quippe altaris eſt exaltatio ſacrificii interioris, ubi cum venerimus, iam nulla neceſſitas eſt, ut ſolemnem diem Domino de noſtra lamentatione faciamus. Beatus quoque Auguſtinus de eodem ſublimi altari divino exponens verſiculum pſalmi: Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo altare tuum Domine, ſic breviter deſignat: Munda, inquit, faciam inter innocentes opera mea, quibus amplexabor ſublimia tua. Item alio loco exponens illum verſiculum: Et introibo ad altare Dei, ad Deum, qui lætificat iuventutem meam, de eadem re ſic dicit: Eſt enim quoddam altare Dei inviſibile, ad quod non accedit iniuſtus, ille ſolus accedit, qui ad iſtud ſecurus accedit. Illic inveniet iuventutem ſuam, qui in iſto diſcernit cauſam ſuam. Quale ibi ſacrificium eſt? Ipſe, qui intrat, aſſumitur in holocauſtum. Et repetit aliis verbis, quid hoc altare ſit, ad Deum, inquiens, qui lætificat iuventutem meam. Item alibi idem doctor exponens eundem verſiculum, quem beatus Gregorius. Si enim eſt, inquit, in domo illa ſempiterna ſacrificium laudis & Sacerdos ſempiternus, eſt & altare ſempiternum pacata mens ipſa iuſtorum. Non ergo ſufficiat in terra iſte dies ſolemnis, quo agnus occiſus eſt, ſed conſtituite illum in condenſis ſcripturarum alta & ſecreta rimantes, quousque perveniatis exaltatis a Deo mentibus veſtris uſque ad eius divinitatem. Et quid ibi aliud, niſi laudes cantabimus? quid ibi aliud dicemus, niſi Deus meus es, & confitebor tibi, Deus meus es tu, & exaltabo te? Non ſtrepitu verborum iſtud dicemus, ſed dilectio inhærens illi per ſe ipſam

clamat

Digitized by Google

clamat iſta voce. Dilectio ipſa vox eſt. Hæc de ſublimi altari Dei in conſpectu divinæ maieſtatis eius neceſſario in hoc loco ex ſanctorum Patrum verbis poſita ſunt, ne quis carnaliter cogitans æſtimet in cœlis eſſe altare corporeum, ex cœleſti ſive ſuper cœleſti corpore factum; ſed potius iuxta ſenſum ſpiritalium Patrum intelligamus ſublime altare Dei rationale & intelligibile eſſe in electa & rationali creatura angelica videlicet & humana. Quæ in ſanctis Angelis, ex quo condita eſt, in contemplatione ſui conditoris ſublimata & ſibi invicem per ſpiritum pacis unita verum & ſublime altare Dei exiſtit. Ex quo accipit Deus ſempiternum ſacrificium laudis & hoſtiam iubilationis. Ad cuius altaris unitatem adiungitur nunc per fidem, & in futuro per divinæ contemplationis ſpeciem omnis multitudo hominum electorum. Sed quamdiu in iſta mortalitate vivunt, antequam re ipſa ingrediantur ad illud altare Dei, antequam perveniant uſque ad cornu altaris in orationibus & ſupplicationibus ſuis tanquam inferioribus adhuc poſiti, a ſupernis virtutibus iuvantur, ut earum interventione exaudiantur, & quaſi de ſublimitate altaris ſuſcipiantur. Sicut legimus, & Danieli oranti & deprecanti Gabrielem angelum apparuiſſe, eique dixiſſe: Ab initio precum tuarum egreſſus eſt ſermo, & ego veni propter ſermones tuos; & nemo eſt adiutor meus in omnibus his, niſi Michael Archangelus princeps veſter. Et in Zacharia propheta legimus pro conſolatione & liberatione populi Dei, Angelum deprecantem & dicentem: Domine exercituum uſquequo non miſereberis Ieruſalem & urbium Iuda, quibus iratus es? Iſte eſt ſeptuageſimus annus. Et reſpondit Dominus angelo verba bona, verba conſolatoria. Similiter & ad Tobiam Raphael Angelus dicit: Quando orabas tu cum lacrymis, & ſepeliebas mortuos, ego obtuli orationem tuam Domino. Et nunc miſit me Dominus, ut curarem te, &c. Fit ergo & in iſta oratione & oblatione ſacræ conſecrationis aliquid incomprehenſibile, & ineffabile, & multo his omnibus mirabilius, ut per angelicum miniſterium & ſupplicationes tanquam de ſublimi altari divinæ Maieſtatis conſpectibus offerantur. (Beda.) In illa immolationis hora cum aſtantibus ſibi miniſtris cœleſtibus Chriſtus, ut propoſita conſecret, adeſſe credendus eſt. De qua re commodum videtur aliqua beati Ambroſii verba ponere de expoſitione evangelii ſecundum Lucam. Non enim dubitet, inquit, quis aſſiſtere angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, Chriſtus immolatur. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Unde non immerito etiam Zachariæ deprecanti angelus apparuit a dextris altaris incenſi, quia veri Sacerdotis iam nuntiabatur adventus, & cœleſte ſacrificium parabatur, in quo angeli miniſtrarent ſic ergo iſta cogitanda ſunt, ut aliquid, quo nihil ſit melius atque ſublimius illa cogitatione conemur attingere. Similiter quoque & illud quod ſequitur: Ut omnes quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum Filii tui corpus & ſanguinem ſumſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur. Iſta enim munera iſta ſunt dona ſuper omnem gloriam conſtituta, quibus fideles ſuos omnipotens Deus reficiens glorioſo Filii ſui corpore vivificat, ſanctificat, æternitati præparat. Per hæc corda fidelium omni benedictione cœleſti replet & gratia, tribuens corporibus caſtimoniam, mentibus fidem, cogitationibus puritatem. Per hæc tuetur ſuos miſericordia, confirmat ſpe, munit charitate, ut tanta Domini participatione, qui intra ſe Deum ſuſcipiunt, templum eius effici mereantur. Quid ſit ergo per participationem corporis & ſanguinis Filii Dei omni benedictione cœleſti & gratia repleri. Et quantum hoc bonum debeat eſuriri, ac ſitiri, audiamus beatum Ambroſium dulciter dicentem & exhortantem: Chriſtus eccleſiæ cibus Chriſtus eſt potus. Caro Dei cibus & Dei ſanguis eſt potus, Chriſtus nobis quotidie miniſtratur. Cibus iſte non corpus inpinguat, ſed confirmat cor hominis. Hic eſt panis vitæ. Qui ergo vitam manducat, mori non poteſt. Accedite ad eum, & ſatiamini, quia panis eſt; & potate, quia fons eſt. Accedite ad eum, & liberamini, quia ubi ſpiritus Domini, & libertas. Accedite ad eum, & abſolvimini, quia remiſſio peccatorum eſt. Corpus Domini Ieſu poſtulatio eſt divinæ reconciliationis & protectionis æternæ. Accipe tibi munimentum! ſuſcipe Dominum Ieſum tuæ mentis hoſpitio. Ubi corpus eius, ibi Chriſtus eſt. Cum hoſpitium tuum adverſarius viderit occupatum cœleſtis fulgore præſentiæ, intelliget locum tentamentis ſuis intercluſum eſſe per Chriſtum. Qui ſit iſte, quæris? audi ipſum dicentem: Ego ſum panis vitæ, qui venit ad me, non eſuriet; & qui credit in me, non ſitiet unquam. Sequitur in myſterio: *Memento etiam Domine famulorum famularumque tuarum, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. Ipſis & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeat, deprecamur.*

Orat pia mater eccleſia etiam pro defunctis

ſuis,

ſuis, & eos ſacræ oblationis interceſſione commendat, certiſſime credens; quia ſanguis ille pretioſus, qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum, non ſolum ad ſalutem viventium, ſed etiam ad abſolutionem valeat defunctorum, ſicut beatus Ioannes teſtatur dicens: Et ſanguis Filii eius Ieſu Chriſti emundat nos ab omni peccato. Præcedunt enim fideles de corpore exeuntes ad Dominum, ſed non præciduntur ab eccleſia, quia præcedunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. Cum ſigno fidei, quia ex aqua & Spiritu ſancto renati, quia Chriſti cruce & paſſione ſignati. Dormiunt autem, tanquam vere in reſurrectione ſuſcitandi, ſicut Dominus de puella, quam ſuſcitaturus erat, ait: Non eſt mortua puella, ſed dormit. Et de Lazaro: Lazarus amicus noſter dormit, ſed vado, ut a ſomno exſuſcitem eum. Unde & Apoſtolus de fidelibus defunctis dicit: Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, ut non contriſtemini ſicut & ceteri, qui ſpem non habent. Dormiunt ergo in ſomno pacis, quia ab unitate & ſocietate Chriſti & eccleſiæ nec per hæreſes, nec per ſchiſmata, nec per mortalia crimina ſeparati ſunt, in quibus etſi aliquando fuerint, tamen per pœnitentiam iam ſanati ſunt, & per orationem eccleſiæ, cui in Petro dictum eſt: Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis, reconciliati, & redemtionis myſterio ſociati (Aug.) utique in pace obierunt, miſerante illo, qui non vult mortem peccatoris ſed ut convertatur, & vivat.

Neque enim piorum animæ mortuorum ſeparantur ab eccleſia; alioquin nec ad altare fieret eorum memoria in communicatione corporis Chriſti, nec aliquid prodeſſet ad eius baptiſmum in periculis currere, ne ſine illo finiatur hæc vita: nec ad reconciliationem, ſi forte per pœnitentiam vel malam conſcientiam quisque ab eodem corpore ſeparatus eſt. Cur enim fiunt iſta, niſi quia fideles etiam defuncti membra ſunt (eccleſiæ) eius? Quamvis ergo nondum cum ſuis corporibus, iam tamen eorum animæ regnant cum Chriſto. Unde & in Apocalypſi legitur: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit Spiritus, ut requieſcant a laboribus ſuis; opera enim illorum ſequuntur illos. Et iſte eſt verus ſabbatiſmus fidelium, id eſt, requies, de qua Apoſtolus dicit: Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei. Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, requievit ab operibus ſuis, quemadmodum & a ſuis Deus. Regnat itaque cum Chriſto nunc eccleſia in vivis & mortuis. Propterea enim, ſicut dicit Apoſtolus, mortuus eſt Chriſtus, ut & vivorum & mortuorum dominetur. Unde & alibi ait: Quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis, ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus. In quibus verbis, vigilantes, viventes, dormientes, mortuos intelligi voluit, ſicut iterum dicit: Sive ergo vivimus, ſive morimur, Domini ſumus. (Greg.) Nam luce clarius conſtat, quia perfectorum iuſtorum animæ mox ut huius carnis clauſtra exeunt, in cœleſtibus ſedibus recipiuntur. Quod & ipſa veritas teſtatur dicens: Ubi fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ; quia ubi ipſe Redemtor noſter eſt corpore, illuc procul dubio colliguntur & animæ iuſtorum. Et Paulus diſſolvi deſiderat, & cum Chriſto eſſe.

Qui ergo Chriſtum eſſe in cœlo non dubitat, nec Pauli animam in cœlo eſſe negat. Qui etiam de diſſolutione ſui corporis, atque inhabitatione patriæ cœleſtis dicit: Scimus quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam, æternam in cœlis. Verum hoc de Apoſtolis, Martyribus, Confeſſoribus, ceterisque perfectioris vitæ viris, ut iam diximus, fieri credendum eſt. Nam ſunt quorumdam iuſtorum animæ, quæ de cœleſti regno licet in beata requie quibusdam adhuc manſionibus differuntur. In quo dilationis damno quid aliud oſtenditur, niſi quod de perfecta iuſtitia aliquid minus habuerunt? At vero non nulli propter bona quidem opera ad Electorum ſortem præordinati, ſed propter mala aliqua, quibus polluti de corpore exierunt, poſt mortem ſic vere caſtigandi excipiuntur flammis ignis purgatorii, ut vel uſque ad diem iudicii longa examinatione a vitiorum ſorde mundentur: vel certe prius amicorum fidelium precibus, eleemoſynis, ieiuniis, fletibus, & hoſtiæ ſalutaris oblationibus abſoluti pœnis, & ipſi ad beatorum perveniant requiem. (Auguſtinus.) Illis ergo ſacræ victimæ mortuis proſunt, qui hic vivendo obtinuerunt, ut eos etiam poſt mortem bona adiuvent, quæ hic pro ipſis ab aliis fiunt. Inter hæc autem penſandum eſt, quod tutior via ſit, ut bonum, quod quisque poſt mortem ſuam ſperat agi per alios, agat dum vivit ipſe pro ſe. Beatius quippe eſt, liberum exire, quam poſt vincula libertatem quærere.

Poſt illa ergo verba, quibus dicitur: Qui nos præ-

Digitized by Google

præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis; uſus fuit antiquorum, ſicut etiam uſque hodie Romana agit Eccleſia, ut ſtatim recitarentur ex diptychis, id eſt, tabulis, nomina defunctorum, atque ita poſt lectionem nominum ſubiungerentur verba ſequentia: Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii, lucis & pacis, ut indulgeas, deprecamur. Ipſis videlicet, quorum nomina memorantur, & ceteris omnibus in Chriſto quieſcentibus, de quibus dicit Apoſtolus: Et mortui, qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Locum refrigerii, ubi non ſentitur ille ardor pœnarum, de quibus dives ille in inferno ſepultus dicebat: quia crucior in hac flamma. Et lucis, quam Dominus promittit fidelibus dicens: Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulabit in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, dicit Dominus. Et de qua Pſalmiſta ait: Ut placeam coram Deo in lumine viventium. Et pacis, ad quam Simeon iuſtus finitis huius vitæ laboribus tranſire cupiebat, dicens: Nunc dimittis ſervum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace. Et in qua ſanctorum Martyrum animæ quieſcunt, dicente ſcriptura: Viſi ſunt oculis inſipientium mori, illi autem ſunt in pace.

Hanc autem piam & religioſam obſervantiam, quam ex apoſtolica ſine dubio traditione ſusceptam univerſa in mundo uniformiter & celebriter tenet eccleſia, etiam in veteris teſtamenti ſcriptura & conſuetudo a Patribus cuſtodita diligentiſſime commendat: Legimus namque in Machabæorum libris, quod vir fortiſſimus & pontifex Iudas duodecim drachmas argenti miſit Hieroſolymam offerri ea ibi pro peccatis mortuorum, qui in bello ceciderant; conſiderans, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Ubi & hoc in laudibus eius fidei eius adiungitur, quia ſancta & ſalubri cogitatione pro defunctis exorabat, ut a peccato ſolverentur. Sequitur in myſterio: *Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam & ſocietatem donare digneris cum tuis ſanctis Apoſtolis & Martyribus*, & cetera uſque dum dicitur: *& cum Sanctis tuis intra quorum nos conſortium non æſtimator meriti, ſed veniæ, quæſumus, largitor admitte. Per Chrm Dum nrm.*

Commendatis ſpiritibus defunctorum per oblationem pietatis, ut in beatis electorum ſedibus mereantur retinere locum refrigerii, lucis & pacis, conſequenter oratur omnipotens Deus, ut etiam ceteros fideles, qui ſuperſtites ſunt, & vivunt, id eſt, ſacerdotes & populum per virtutem & gratiam eiusdem venerabilis Sacramenti ad eandem beatitudinem perducat. Totius namque eccleſiæ vox eſt, id eſt ſacerdotum & plebium veraciter confitentium & dicentium Deo: Nobis quoque peccatoribus famulis tuis. Quia licet omni tempore peccatores nos eſſe ex corde cognoſcere debeamus, tunc quam maxime hoc attentius agendum & confitendum eſt, cum illo ſacro myſterio celebratur remiſſionis gratia, indulgentia peccatorum, & cum humilitate & contritione cordis dicendum Deo: Nobis quoque peccatoribus famulis tuis; quia ſicut ſcriptum eſt, & ſi peccaverimus, tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam, non de ullis noſtris meritis, ſed de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus. Unde in pſalmo canimus: Et ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Recordanda namque ſunt in hoc loco, & diligenter inculcanda verba Apoſtoli dicentis: Omnis namque ſacerdos ex hominibus aſſumtus pro hominibus conſtituitur in his, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſſit his, qui ignorant, & errant; quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo ita etiam pro ſe offerre pro peccatis. Ad quod beatus Gregorius in quodam loco exhortans ait: ſed neceſſe eſt, ut cum hæc agimus, noſmetipſos Deo in cordis contritione mactemus, quia qui paſſionis dominicæ myſteria celebramus, debemus imitari, quod agimus. Tunc vere pro nobis Deo hoſtia erit, cum nos ipſos hoſtiam fecerimus. Oratur itaque omnipotens Deus, ut non ſolum defunctis, quorum ſupra commemoratio facta eſt, ſed etiam nobis peccatoribus de multitudine miſerationum ſuarum ſperantibus aliquam partem & ſocietatem donare dignetur cum ſuis ſanctis Apoſtolis & Martyribus & omnibus Sanctis, ut pro modulo noſtro, quibus nunc ſociamur per communionem fidei, quorum memoriam veneramur, in quorum communione & unitate hæc divina myſteria agimus, cum ipſis etiam ſocietatem vitæ & beatitudinis æternæ in futuro accipiamus. Intra quorum conſortium ut nos Dei pietas introducat, petimus, ut nobis non meriti noſtri æſtimator, ſed veniæ ſit largitor, ut qui Sanctorum ſocietati per meritum iungi non poſſumus, per indulgentiam coniungamur. Si enim merita æſtimentur, & divino iudicio ponderentur, quis ad Apoſtolorum

&

Digitized by Google

& Martyrum ſocietatem aſſurgat? In fine huius orationis ſicut in ceteris præcedentibus, per quem nobis hæc omnia ſperanda, poſcenda, & obtinenda ſunt, ſubiungitur: Per Chriſtum Dominum noſtrum. Et ſtatim concluſio totius conſecrationis ſequitur dicendo: *Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creat, ſanctificat, vivificat, benedicis, & præſtat nobis. Per ipſum & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus ſancti omnis honor & gloria. Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.*

Per ipſum enim omnipotens Pater bona omnia, quæ ſacris altaribus conſecrantur, non ſolum in exordio mundi creavit condendo, quod non erat, quando per eundem unigenitum Verbum ſuum dixit, & factum eſt: germinet terra herbam virentem, & afferentem ſemen, lignumque pomiferum faciens fructum, in qua creatione utique & herba frumenti, & lignum vini exortum eſt: ſed etiam ſemper eadem bona creat propagando, & reparando, ſicut in Cana Gallilææ, ut ſe oſtenderet huius creationis auctorem, ſigno admirabili aquas vertit in vinum, ut per annos ſingulos & novæ ſegetes, & nova vina naſcantur. De hac namque operatione regendæ, propagandæ, & reparandæ creaturæ ipſe unigenitus Filius in evangelio dicit ad Iudæos indignantes, quod in Sabbatho curaret: Pater meus uſque modo operatur, & ego operor; tanquam diceret: (Beda.) Non ſex tantum diebus primis, ut putatis, Pater operatus eſt, ſed uſque modo operatur, non novum creaturæ genus inſtituendo, ſed quæ in principio creaverat, ne deficiant, propagando, & ego, inquit, operor, ſubauditur, uſque modo cum eo cuncta diſponens, regens, accummulans. In quibus verbis æqualem ſe Deo Patri manifeſtiſſime prædicavit, quia, quorum eſt una eademque operatio, procul dubio æqualis eſt & maieſtas. Per ipſum ergo, ut dictum eſt, Deus Pater hæc omnia bona ſemper creat, & creata ſuis conſpectibus oblata ſanctificat, ut quæ erant ſimplex creatura, fiant ſacramenta, ſicque ſanctificando vivificat, ut ſint myſteria vitæ, ut ſumatur in eis vita, ut vitalem ſubſtantiam accipientibus ſubminiſtrent. Sanctificando autem & vivificando ineffabiliter benedicit, quia ea omni benedictione cœleſti & gratia accumulat: ita vero ſanctificata & vivificata, & benedicta præſtat nobis per eundem ſecum pariter ſanctificantem, vivificantem, & benedicentem, qui nobis de corpore & ſanguine ſuo dedit vitam & ſalubrem refectionem. (Aug.) Manducent ergo qui manducant, & bibant, qui bibunt, eſuriant & ſitiant, vitam manducent, vitam bibant. Illud manducare, refici eſt, ſed ſic reficeris, ut non deficiat, unde reficeris. Illud bibere, quid eſt, niſi vivere? manduca vitam, bibe vitam: habebis vitam, & integra eſt vita. Tunc autem hoc erit, quando vita unicuique erit corpus & ſanguis Chriſti, ſi quod in ſacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſolemniter manducetur, ſolemniter bibatur. Per ipſum ergo & cum ipſo & in ipſo eſt Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus ſancti omnis honor & gloria. Per ipſum ſcilicet tanquam verum mediatorem Dei & hominum hominem Chriſtum Ieſum. Cum ipſo tanquam coæquali, cui ſecum unus honor & gloria debetur; quia cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo. In ipſo, tanquam vere conſubſtantiali ſicut ipſe ait: Ut glorificetur Pater in Filio. Omnis vero honor gloria eſt Deo Patri per Filium & cum Filio & in Filio in unitate Spiritus ſancti, qui ex Patre Filioque procedens, unitatem deitatis poſſidet cum Patre & Filio, atque ideo ſimul adoratur & conglorificatur. (Aug.) Inſinuatur itaque nobis in Patre auctoritas, in Filio nativitas, in Spiritu ſancto Patris Filiique communitas, in tribus æqualitas. Quid eſt autem, quod damus honorem & gloriam Deo Patri per Filium in unitate Spiritus ſancti per omnia ſecula ſeculorum? quid eſt per omnia ſecula ſeculorum, niſi quod beatus Iudas Apoſtolus in fine epiſtolæ ſuæ velut diſtincte & deſignanter exponit, & exponendo generaliter concludit, dicens: Soli Deo ſalvatori noſtro per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum gloria, magnificentia, imperium & poteſtas ante omne ſeculum & in omnia ſecula ſeculorum! Cœpit enim ſeculum, id eſt, temporalis mutabilitas a conditione creaturæ. Currunt ſecula præſentia mutabilium rerum curſu labentia. Succedunt vero ſecula futura incommutabili ordine rerum ſtatuta æternaliter permanentia. Verum quia hæc omnia in æterna Dei ſapientia ſine ullo omnino initio vel mutabilitate fixa ſunt; quia ut in evangelio legimus, quod factum eſt, in ipſo vita erat, bene intelliguntur ita dici ſecula ſeculorum tanquam ſecula in ſapientia Dei inconcuſſa ſtabilitate manentia iſtorum, quæ cum tempore tranſeunt efficientia ſeculorum; aut certe ſimpliciter accipienda ſunt ſecula ſeculorum velut conſequentia præcedentium, ut continuata ſibi connexione copulentur, quæ appellantur ſecula

la

Digitized by Google

la ſeculorum, donec totum præſens ſeculum, quod ex diverſorum temporum ſeculis contexitur, perveniat ad finem, & ſuccedat futurum, quod non habet finem, (Aug.) ubi Deus videbitur & laudabitur ſine fine. Amen autem, quod ab omni eccleſia reſpondetur, interpretatur verum, non ubicunque, & quomodocunque, ſed myſtica religione. Hoc ergo ad tanti myſterii conſummationem ſicut & in omni legitima oratione reſpondent fideles, & reſpondendo ſubſcribunt. Adiungit autem adhuc ſacerdos & dicit: *Oremus præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere: Pater noſter* & reliqua uſque ad finem orationis eiusdem.

Dignum profecto fuit, ut tota hæc tam ſacroſancta actio dominica oratione concluderetur, & petitiones fidelium, quas vel propter futuram vel propter præſentem vitam nos Dominus docuit, per eandem paſſionis eius commemorationem efficacius commendarentur. Admonet ergo tota eccleſia & dicitur ei a Sacerdote *oremus*, & orat eccleſia cum Sacerdote non voce, ſed corde. Labia clauſa ſunt, & patet conſcientia. Silentium eſt, & clamat pectus, ſed in auribus Dei ille audit, qui miſeretur. Nam & Suſanna cum damnaretur ab iniuſtis iudicibus, tacebat & orabat. Os eius non audiebatur ab hominibus, cor eius clamabat ad Deum. Numquid quia vox eius ore corporis non proceſſit, propterea exaudiri non meruit? Exaudita eſt illa. Sed quando oravit, nemo hominum ſcivit. Orat ergo Sacerdos ſimul cum eccleſia converſus ad Deum & dicit: Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati audemus dicere, Pater noſter, qui es in cœlis. Hoc enim præceptum nobis eſt ſalutare, id eſt, ad ſalutem noſtram proficiens, quo nos unigenitus Filius per lavacrum regenerationis & ſpiritum adoptionis Dei filios effectos dicere monuit, dicere iuſſit. Et non humana, ſed divina inſtitutione ipſe nobis orandi formam inſtituit. Et ut Deo audeamus dicere, Pater noſter, ipſe nos ſua inſtitutione informavit, dicens: Sic ergo vos orabitis: Pater noſter, qui es in cœlis. Hoc itaque nobis ſuper omnia ſalutare eſt, quod nobis tantam gratiam per unigenitum ſuum contulit Deus Pater, ut tantam bonitatem cogitantes & amantes, ſic agamus, ut iam non filii ſeculi, ſed filii Dei ſimus. Præceptis ergo ſalutaribus iuſſi divina inſtitutione formati, non præſumptionis temeritate, ſed obedientiæ pietate præſumimus dicere Deo Patri: *Pater noſter, qui es in cœlis!* Ut fidelis quisque, (Aug.) qui in veteri homine erat filius iræ, iam in cœleſti regeneratione Patrem invocet pietate. Credimus vero ubique eſſe Deum per divinitatis præſentiam, ſed non ubique per habitationis gratiam. Propter hanc ergo inhabitationem, ubi gratia dilectionis eius agnoſcitur, non dicimus, Pater noſter, qui es in cœlis, cum & hoc verum ſit, ſed Pater noſter, qui es in cœlis, ut templum eius potius in oratione commemoremus, quod & nos eſſe debemus, & in quantum ſumus, in tantum ad eius ſocietatem & adoptionis familiam pertinemus. Nec ſe Filius in hac oratione prætermiſit, ſed in Patris unitate coniunxit, quia in Patre & ſe orari iuſſit. Cum enim Patrem rogas, Filii nomen imploras. *Sanctificetur nomen tuum.* (Aug.) Hoc petendo admonemur deſiderare, ut nomen eius, quod ſemper ſanctum eſt, etiam apud homines ſanctum habeatur, hoc eſt, non contemnatur, quod non Deo, ſed hominibus prodeſt. *Adveniat regnum tuum.* Hac petitione deſiderium noſtrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat, atque in eo regnare mereamur. *Fiat voluntas tua ſicut in cœlo & in terra.* Hac petitione nobis ab illo precamur ipſam obedientiam, ut ſic in nobis fiat voluntas eius, quemadmodum fit in cœleſtibus, in angelis eius. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Per id, quod dicimus *hodie*, ſignificatur hoc tempore. Qua petitione vel ſufficientia quotidiani victus petimus, nomine panis totum ſignificantes; vel ſacramentum fidelium, quod in hoc tempore neceſſarium eſt, non tantum ad huius temporis, ſed ad illam æternam felicitatem aſſequendam. *Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Hic admonemur, & quid petamus, & quid faciamus, ut accipere mereamur. *Et ne nos inducas in tentationem.* Petimus, ne deſerti eius adiutorio alicui tentationi vel conſentiamus decepti, vel cedamus afflicti. *Sed libera nos a malo.* Hic admonemur cogitare, non diu nos eſſe in bono, in quo nullum patiemur malum. Quæ petitio ita late patet, ut homo chriſtianus in qualibet tribulatione conſtitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat, in hoc exordiatur, immoretur, ad hoc terminet orationem ſuam. *Amen.* Signaculum dominicæ orationis, quod interpretatur vere, ſive fideliter, atteſtatio eſt veritatis. Quod ex apoſtolica traditio-

Digitized by Google

ditione etiam ad ceteras orationes conſuete reſpondet eccleſia, ſicut Apoſtolus ad Corinthios ſcribit dicens: Si benedixeris ſpiritu, quis ſupplet locum idiotæ? quomodo dicit amen ſuper tuam benedictionem, quoniam quidem neſcit, quid dicas? Ex quo oſtendit, non poſſe idiotam reſpondere, verum eſſe, quod dicitur, niſi ante intellexerit. Poſt orationem dominicam, quam ad completionem perfecti myſterii tota ad Deum fudit eccleſia, ſequitur in concluſione eiusdem orationis Sacerdos & dicit: *Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præteritis, præſentibus & futuris.*

In quibus verbis mala præterita, a quibus liberari petimus, peccata noſtra transacta intelligenda ſunt, quorum etſi actio iam ceſſavit in nobis, tamen reatus manet, niſi divina indulgentia deleatur. Unde admonet ſcriptura, dicens: Fili! peccaſti, ne adiicias iterum; ſed & de præteritis deprecare, ut tibi dimittantur. Mala vero præſentia, quia quotidie peccamus, & quotidie neceſſe habemus dicere: Dimitte nobis debita noſtra, poſſunt intelligi & quotidiana peccata noſtra in animo, & accidentes ſæpe languores diverſi & afflictiones in corpore, & extrinſecus irruentes innumeræ calamitates, ut fames, peſtilentiæ, gladius, & cetera huiusmodi pericula; quæ omnia quotiescunque patimur, eius debemus implorare auxilium, qui ſolus ſua pietate & animas curat & corpora, & novit, quando filiis ſuis ad æternam hæreditatem præparat, & flagellum correptionis & dulcedinem conſolationis adhibeat. Futura etiam mala, quid aliud intelligenda ſunt, niſi quæcunque nobis accidere poſſunt ſaluti & paci contraria ſive per tentationes diaboli, ſive per adverſitates & miſerias ſæculi, & maxime illa, pro quibus effugiendis præcipue orare debemus, ut liberemur a ventura ira, a damnatione æterna, quæ ſine dubio malis conſtat eſſe futura? Orat ergo Sacerdos, imo tota cum Sacerdote eccleſia, ut quod in fine orationis dominicæ dictum eſt, ſed libera nos a malo, ita nobis per Dei miſericordiam præſtetur, ut liberemur ab omnibus malis, id eſt, quæ nobis vel in præterito acciderunt, vel in præſenti accidunt, vel in futuro accidere poſſe formidantur. Unde & Dominus ſciens fragilitatem noſtram, in tantis periculis conſtitutam miſericorditer admonet dicens: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Et iterum: Vigilate itaque orantes omni tempore, ut digni habeaminini fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare ante Filium hominis. Sequitur Sacerdos & dicit: *Et intercedente beata & glorioſa ſemperque Virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo, atque Andrea cum omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus noſtris, ut ope miſericordiæ tuæ adiuti, & a peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri.*

Præcepit Dominus populo Iſraelitico, cum detineretur in Babylonica ſervitute captivus, dicens inter alia per Ieremiam Prophetam: Et orate pro pace civitatis, ad quam transmigrare vos feci, quia in pace ipſius erit pax vobis. Similiter autem & Apoſtolus populum eccleſiæ hortatur dicens: Volo igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & his, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate. Iuxta ergo hanc formam & per prophetam & per Apoſtolum divinitus conſtitutam populus fidelium in huius ſeculi peregrinatione tanquam in Babylone captivus, & ſupernæ patriæ ſuſpirans orat pro pace temporali, ne impediatur a pace ſpiritali & æternali, ut remotis per Dei pietatem perſecutionibus, ſeditionibus, hoſtilitatibus, quietam & tranquillam vitam agat eccleſia in omni pietate. Et hoc orat generali obſervantia ſine intermiſſione in omni dominica oblatione, in qua iuxta præceptum apoſtolicum obſecrationes ſuas & orationes, & poſtulationes, & gratiarum actiones offert Deo. Hoc autem pauciſſimis, ſed eminentiſſimis Sanctis nominatis a Deo exorat, videlicet ut intercedente in primis Dei genitrice, per quam humano generi ſalus exorta eſt, & beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo atque Andrea, impetrare mereantur. In poſtulatione non ceterorum Sanctorum interceſſio prætermittitur, ſed in iſtorum commemoratione omnium ſuffragia expetuntur, quia omnes ita ſibi in Deo ſociati & uniti exiſtunt, ita omnes unum deſiderant, & rogant pro ſalute hominum, ut & in uno omnes pariter habeantur, & in uno omnes pariter negligantur. Non enim amant ſuos electores, ſi ſuorum ſociorum eos invenerint deſertores, magisque offenſurus eſt, quisquis ita agendum putat, eos, ad quos ſe contulerit, quam eos, a quibus abſtulerit. Unitate enim gaudent, & in Chriſto unum ſunt. Quod ergo dicit eccleſia: Da propitius pacem in diebus noſtris, manifeſte iuxta exemplum, quod in Eſaia legitur, hoc facit. Cum enim præ-

prædixiſſet idem propheta Ezechiæ Regi iuſto venturæ captivitatis mala, compunctus reſpondit: Bonum verbum Domini, quod locutus eſt: fiat tantum pax & veritas in diebus meis, videlicet futura humiliter Dei iudicio reſervans. De præſenti vero, quod ad ſuam & populi ſui ſalutem pertinebat, deprecans: Fiat, inquit, pax & veritas in diebus meis. Pax, ne regni tranquillitas ab hoſtibus turbaretur: veritas vero, ut in ipſa pace Dei cultus & religionis veritas ſervaretur. Unde & Apoſtolus, ubi hæc orari præcepit, utrumque ſimul poſuit, ut quietam, inquit, & tranquillam vitam agamus in omni pietate. Nam quies pertinet & tranquillitas ad pacem, pietas ad divini cultus religionem. Ita ergo & eccleſia deprecatur pacem fieri in diebus noſtris, quod & poſt nos alii, & poſt ipſos alii uſque ad conſummationem ſeculi utique ſimiliter orabunt. Cur autem ipſam pacem poſtulet, ſubiungit, videlicet, ut ope, id eſt, auxilio & protectione miſericordiæ Dei adiuti, quantum ad interiorem religionis devotionem pertinet, ſimus ſemper a peccato liberi, quantum vero ad exteriorem pacem, ſimus etiam ab omni perturbatione ſecuri. Nam pax, in qua non divinæ religioni, ſed mundanæ cupiditati ſervitur, Non eſt pax iuſtorum, ſed iniquorum. De qualibus pſalmiſta ait: Quia zelavi in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Sequitur quod & in iſta & in omnibus fere orationibus eccleſiaſticis in concluſione ſubiungi ſolet: *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Filium tuum, qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.*

Quod utique certa ratione, ut ſæpe dictum eſt, catholica concelebrat eccleſia. (Fulgentius.) Propter illud utique ſacramentum, quod Mediator Dei & hominum factus eſt Chriſtus Ieſus Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui per proprium ſanguinem ſemel introivit in ſancta, non utique manufacta, ſed in ipſum cœlum, ubi eſt in dexterea Dei, & interpellat pro nobis. Per ipſum autem hoſtiam laudis atque orationis offerimus, qui per eius mortem reconciliati ſumus, cum inimici eſſemus. Chriſtus namque in forma Dei permanens Unigenitus Deus, cui cum Patre hoſtias offerimus, formam ſervi accipiens. Sacerdos factus eſt, per quem hoſtiam vivam, ſanctam, Deo placentem offerre poſſimus. Nec tamen hoſtia a nobis offerri potuiſſet, ſi Chriſtus pro nobis factus hoſtia non fuiſſet. Cum vero dicimus, Filium tuum, & addimus, qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus ſancti, illam utique unitatem commemoramus, quam naturaliter habet Pater & Filius & Spiritus ſanctus. Ubi oſtenditur, quod idem ipſe Chriſtus pro nobis Sacerdotali eſt functus officio, cui naturalis eſt unitas cum Patre & Spiritu ſancto. Cum vero in unitate Spiritus ſancti dicimus, unam naturam Spiritus ſancti cum Patre Filioque monſtramus. Unitas autem naturæ quid aliud, quam trinitatem unum Deum, & ex hoc unum oſtendit & regnum? Ubi autem regni naturalis eſt unitas, una regnandi permanet & poteſtas. Vivit ergo & regnat Chriſtus Dominus noſter cum Patre in unitate Spiritus ſancti per omnia ſecula ſeculorum, ſicut ipſe in Apocalypſi loquitur, dicens: Ego ſum primus & noviſſimus, & vivus, & fui mortuus, & ecce ſum vivens in ſecula ſeculorum. Ipſi namque dicimus in pſalmo: Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi. Et iterum: Regnum tuum regnum omnium ſeculorum. De quo & in evangelio ad beatam Mariam angelus dicit: Et regni eius non erit finis. Hac oratione expleta commiſcens Sacerdos dominicam oblationem, ut Calix Domini totam plenitudinem contineat ſacramenti, tanquam per eiusdem myſterii copulationem, imprecatur eccleſiæ pacem dicens: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Cui tantum bonum etiam eccleſiæ imprecatur, reſpondens: *Et cum Spiritu tuo.* (Aug.) Quid autem pax Domini, niſi pax Chriſti. Pax autem Chriſti finem temporis non habet, & ipſa eſt omnis piæ actionis intentionisque perfectio. Propter hanc ſpiritum eius pignus accipimus. Propter hanc in eum credimus, & ſperamus, & amore ipſius, quantum donat, accendimur. Propter hanc denique omnem tribulationem fortiter toleramus, ut in ea feliciter ſine tribulatione regnemus. Vera enim pax unitatem facit; quoniam qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt. Imprecata igitur pace incipiens a Sacerdote, dat ſibi mutuo omnis eccleſia oſculum pacis, ut omnibus vera pace unitis fiat in eis locus Dei, ſicut dicitur in pſalmo: Et factus eſt in pace locus eius. Et impleatur in eccleſia, quod alibi dicit: Deus in loco ſancto ſuo, Deus inhabitare facit unanimes in domo. Et hoc utique ex traditione Apoſtolorum ſervat eccleſia, cui frequenter ab eiſdem Apoſtolis dicitur: ſalutate invicem oſculo ſancto, id eſt, oſculo vero (Beda.), oſculo pacifico, oſculo columbino, non ficto & ſubdolo, quali uſus eſt Ioab ad occidendum Amaſam:

ſam: quali Iudas ad tradendum Dominum: quali utuntur hi, qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem ſunt in cordibus eorum. Illi ergo oſculo ſancto ſalutant invicem, qui non diligunt verbo, nec lingua, ſed opere & veritate. Inter hæc omnia cantatur ab omnibus, & cantando oratur dicentibus: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.*

Nullus enim tollit peccata, niſi ille, (Aug.) de quo dictum eſt: Ecce! Agnus Dei, ecce, qui tollit peccatum mundi: cui nullum bonum hominis impoſſibile, nullum malum eſt inſanabile. Quomodo autem peccatum mundi tollitur, Petrus Apoſtolus oſtendit, qui ait: Non corruptibilibus argento, vel auro redemti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Chriſti. Et in Apocalypſi Ioannes Apoſtolus: Qui dilexit nos, inquit, & lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo, quando ſanguinem ſuum dedit pro nobis in cruce, vel quando quisque noſtrum in myſterio ſacroſanctæ paſſionis illius baptiſmi aquis ablutus eſt. Verum etiam quotidie tollit peccata mundi, lavatque nos a peccatis noſtris quotidianis in ſanguine ſuo, cum eiusdem beatæ paſſionis ad altare memoria replicatur. Poſt hæc ergo ſumta Euchariſtia, id eſt, bona gratia; gratia enim Dei pro omnibus guſtavit mortem, & celebrata gratiarum actione, reſpondetur ab omnibus, *Amen.*

Hæc eſt enim clara vox ſanguinis (Aug.) Chriſti, quam ſanguis ipſe exprimit ex ore fidelium eodem ſanguine redemtorum. Finitis vero omnibus aſtanti & obſervanti populo abſolutio datur, inclamante diacono: *Ite miſſa eſt.* (Aug.) Miſſa ergo nihil aliud intelligitur, quam dimiſſio, id eſt, abſolutio. Quam celebratis omnibus tunc diaconus eſſe pronuntiat, cum populus a ſolemni obſervatione dimittitur. Unde & miſſam Catechumenorum canones dicunt, quando poſt evangelii lectionem incipiunt celebrari ſacra myſteria, quibus nullum niſi baptiſmi fonte regeneratum intereſſe licet. Tunc clamante diacono, id eſt, catechumeni mittebantur, id eſt, dimittebantur foras. Miſſa ergo catechumenorum fiebat ante actionem ſacramentorum: miſſa fidelium fit poſt confectionem & participationem eorumdem ſacramentorum. Amen. (1)

De Corpore & Sanguine Domini.

Cœnantibus autem eis accepit Ieſus panem, benedixit, ac fregit, deditque diſcipulis ſuis, & ait: Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum. Audiant, qui volunt extenuare hoc verbum corporis, quod non ſit vera Caro Chriſti, quæ nunc in ſacramento celebratur in eccleſia Chriſti: Neque verus ſanguis eius, neſcio, quid volentes plaudere, vel fingere, quaſi virtus ſit carnis & ſanguinis in eo admodum ſacramento, ut Dominus mentiatur, & non ſit vera caro eius, neque verus ſanguis, in quibus vera mors Chriſti annuntiatur, cum ipſa veritas dicat: Hoc eſt corpus meum. Similiter & de calice: Bibite (inquit) ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus novi teſtamenti, non qualiscunque, ſed qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum. Nec itaque dixit, cum fregit & dedit eis panem, hoc eſt, vel in hoc myſterio eſt virtus, vel figura corporis mei, ſed ait non ficte: Hoc eſt corpus meum. Ubi Lucas, quod pro vobis tradetur, vel ſicut alii codices habent, datur: Sed & Ioannes ex perſona Domini, panis (inquit) quem ego dabo, caro mea eſt, non alia quam pro mundi vita. Ac deinde: Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo. Unde miror, quid velint nunc quidam dicere, non in re eſſe veritatem carnis Chriſti, vel ſanguinis; ſed in ſacramento virtutes carnis, & non carnem, virtutem ſanguinis, & non ſanguinem, figuram & non veritatem, umbram & non corpus, cum hic ſpecies accipit veritatem, & figuram veterum hoſtiarum cor-

(1) In Cod. Bibl. Cæſ. *Vindobon.* Theol. 426. ſæc. XIII. vel XIV. qui fuit olim S. MARIÆ in *Schönthal*, ſeu *ſpecioſa valle* poſt præcedens opuſculum ſequuntur immediate *ſententiæ novi operis Petri de Euchariſtia* ex epiſtolis D. PAULI *Convenientibus &c. Hic redarguit &c.* fin. *Ut non conveniatis in iudicium dampnationis.* Eodem modo eſt conſcriptus libellus compoſitus ex verbis SS. PP. fortaſſe idem auctor, qui prioris operis, forte ex ſententia D. GENDILOTTI in cat. Mſſ. PETRUS *Carnotenſis* eccleſiæ Canonicus & Cancellarius, qui ſpeculum eccleſiæ, ſeu de officiis eccleſiaſticis, ac manuale myſteriorum Eccleſiæ ſcripſit, quod Mſc. ſervatur in Bibl. S. VICTORIS *Pariſiis.* In Mſc. *San-Blaſ.* ſequitur ſermo ſequens de corpore & ſanguine Domini.

Digitized by Google

corpus. Unde Veritas ait, cum porrigeret diſcipulis panem: Hoc eſt corpus meum, & non aliud, quam quod pro vobis tradetur. Et cum calicem: Hic eſt calix novi teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Necdum itaque erat fuſus, & tamen ipſe porrigitur in calice ſanguis, qui fundendus erat. Erat quidem iam in calice, qui adhuc tamen fundendus erat in pretium, & ideo ipſe idemque ſanguis iam erat in calice, qui & in corpore, ſicut & corpus vel caro in pane. Erat autem integer Chriſtus, & corpus Chriſti coram oculis omnium poſitum; nec non & ſanguis in corpore, ſicut & adhuc hodie integerrimus eſt, & manet, qui vere dabitur eis ad comedendum & ad bibendum in remiſſionem peccatorum. Dicat, qui vult, ſi alio aliquo remiſſio eſt peccatorum, quam in Chriſto. Conſtat ergo, quia nec eſt, & quia in hoc corpore ac ſanguine eſt remiſſio peccatorum, vere Chriſti caro eſt & ſanguis. Unde, qui digne manducant eam, & bibunt, vere vitam æternam manducant & bibunt, & integra manet vita; & tunc erit unicuique corpus Chriſti & ſanguis vita, ſi quod in ſacramento ſumitur, in ipſa veritate, ſicut aliquando dixiſſe me memini, ſpiritaliter manducetur, & ſpiritaliter bibatur. Quia, ſicut dicit Apoſtolus, caro nihil prodeſt, quanto magis panis ſine ſpiritu, qui cernitur, ſed ſpiritus eſt, qui vivificat. Hæc idcirco prolixius dixerim & expreſſius, quia audivi quosdam me reprehendere, quaſi ego in eo libro, quem de Sacramentis edideram Chriſti, aliquid his dictis plus tribuere voluerim, quam ipſa veritas repromittit, timentes forte, quod ipſi tunc timuerunt, quibus loquebantur, partes facere voluerim, & eius per ſingulos membra dividere conciſa vel diſpertita, ſicut illi tunc putarunt, qui ſcandalizati dicuntur: Et abiere retrorſum, quibus ſalvator ait: Hoc vos ſcandalizat, ſi videritis Filium hominis aſcendentem, ubi erat prius? ac ſi diceret: ſi hoc intelligere poſſetis, ſciretis utique, quod, qui integer aſcendere poteſt, ubi erat prius, unus idemque Chriſtus conſumi non poteſt per partes, nec dividentibus. Hoc quippe videre multum eſt, quia in ſpiritu eſt. Hoc cognoſcere, vel credere, quomodo unus Chriſtus aſcenderit Filius hominis, ubi erat prius, quis hoc ſenſu explicat? Et quod deſcendit de cœlo Filius hominis, qui eſt in cœlo, quæ hoc ratio capit? nec non & quod verbum Caro factum eſt, quæ hoc verba eloquuntur? ut quod incommutabile eſt, factum dicatur. Vel, quomodo qui homo erat filius hominis in terra coram oculis eorum poſitus, in cœlis eſſe dicatur. Quomodo ergo de cœlis venit, unde nunquam abivit? Aſcendens deſcendit, quia in nullo reſolvitur Chriſtus eſt, qui erat, & quod eſt, non erat. In omnibus ergo iſtis & in aliis quam plurimis locis excedit humanas mentes divina poteſtas, nec ſubiacet humanis ſenſibus ratio cœleſtis & divina, quia natura inferior cauſam & rationem naturæ potioris & immenſæ non capit, nec intelligit. Et ideo de talibus rebus, quæ divina virtus operatur, dubietas auferenda eſt, & cunctatio removenda, quia ſcientia eorum in fide eſt, ratio in virtute, effectus in rebus eſt ex poteſtate, cauſa in voluntate. Sublimia quidem ſunt, & divina in huiusmodi rebus Sacramenta, quæ pro ſalute humani generis aguntur, & quotidie myſtice in hoc myſterio, ut tradita ſunt Apoſtolis, celebrantur. Et ideo hoc paſcha in cœnaculo agitur, quia niſi qui aſcenderint, iſta non capiunt, ut bibant & comedant, quod effuſum eſt in remiſſionem peccatorum, & tamen integrum manet. Hinc quoque ipſa veritas, bibite, inquit, quia hic eſt ſanguis meus, qui pro multis effundetur in remiſſionem omnium peccatorum. Quodſi effuſus eſt, quomodo nunc rurſus effunditur? & ſi caro conſumta eſt, quomodo adhuc manet integra, & voratur? ecce quod bibitur quotidie & effunditur, & quod ſemel immolatum eſt, adhuc hodie immolatur. Non ergo immolatur, niſi quod vivum eſt. Bibitur quidem in remiſſionem peccatorum, & effunditur. Si autem quæris, quomodo effunditur, ut maneat, quod effuſum eſt, intellige, quomodo charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, & manet, ſic poteris forte cognoſcere, quod ineffabile eſt, Quidquid Spiritus ſanctus operatur, Et ſi charitas Dei diffuſa eſt in nobis, in ſe manens, Vere ſanguis novi teſtamenti Dei diffunditur admodum in cordibus noſtris in remiſſionem peccatorum: quo effuſo remittuntur in eo omnia peccata noſtra, quoniam ipſe pontifex Chriſtus eſt, qui porrigit nobis hunc panem, ſuumque corpus, & effundit hunc calicem. Non enim diſcedit ab officio ſuo; Et ſi manet in nobis, bibit eum etiam ipſe nobiscum novum, eo quod eſt in toto corpore ſuo, & in omnibus vobis; quia ſine eius ſpiritu ſumere non poſſumus, neque de pane illo manducare, vel calice bibere. Nec mireris, qui forte iſta non credis, quia non noſtra ſunt, quæ dicimus: Omnipotens eſt enim Dei verbum & efficax ad omnia, quæ

Digitized by Google

vult ſecundum multitudinem virtutum ſuorum, cum ſit ipſe unus omnium virtutum virtus, cuius verba non alicuius quam unius Verbi, quod ipſe eſt, ſunt verba. Et ideo plena ſunt veritate, quia ſpiritus & vita ſunt, nec habent aliud in ſe præter quod ipſa per ſe profitetur Veritas: Accipite (inquit) hoc eſt corpus meum. Et de calice: Hic eſt ſanguis meus. Poterant enim tunc Apoſtoli, ſi non crederent verba vitæ & veritatis, reſpondere, vel quærere, quomodo panis ille & calix vini corpus & ſanguis eſſent Chriſti, cum ipſe integer Chriſtus in corpore ſuo coram oculis eorum erat; ſed quia crediderunt, quod dixerat, ſilentio confitentur, & accipiunt ab ipſo, quæ nobis poſtea tradiderunt. Tradiderunt autem non aliam, quam ipſam eandemque cœnam, quam ipſi tunc manducaverunt, & biberunt. Unde volo perpendat fidelis animus, quid interſit illud typi cum paſcha, quo agnus immolatus eſt, in eadem cœna & vino continuo celebratur. De quo ſane paſcha dixit eadem hora omnibus ſuis: Deſiderio deſideravi hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Quodſi nil amplius habet hoc myſterium præter figuram corporis & ſanguinis Chriſti, & non hoc eſt, quod ipſe dixit, quid neceſſe habuit, iterare facto, quia iam hoc totum præfiguratum erat in Agno? Unde & Lucas duos calices datos eſſe diſcipulis in eadem hora commemorat: unum prius poſt agni commeſtionem antequam panem acciperet; aliud vero poſtquam benedixit ipſum panem ac fregit & dedit diſcipulis ſuis. Similiter (inquit) poſtquam cœnavit, dicens: Hic calix novum teſtamentum eſt in ſanguine meo, qui pro vobis fundetur. Ubi datur intelligi, quia agnus iſte legalis cum ſuo calice in figura præceſſit paſſionis Chriſti. Deinde corpus & ſanguis in calice ad expletionem factum eſt veritatis, ut quod in Melchiſedech præceſſerat, totum compleretur in Chriſto. Nam quod calix paſſionem Chriſti demonſtret, nemo, qui hoc evangelium legit, ambigit. Et ideo aliquos monet, utrumne duos calices Lucas voluerit ſignificare Ieſum accepiſſe, an unum eundemque, quia anticipaverat de eo dicere, rurſus recapitulando bis eum commemoret. Ita quidem non nulli ſentiunt, non duos eſſe calices, ſed unum, quia & ante dividendus & poſtea bibendus commemoratur datum eſſe diſcipulis.

Sed alii melius, ut præmiſi duos porrectos affirmant diſcipulis, ut in uno eorum, id eſt, in primo paſſionem ſuam voluerit exprimere; in alio vero fidelium ſuorum paſſionem præfigurare. Rurſus alii contendunt in utroque calice illud oſtendere, quod in veteri teſtamento præceptum eſt, ut qui paſcha primo menſe agnum comedendo non ageret, in ſecundo menſe in hœdi commeſtione perageret; ac propterea duos calices diſcipulis Dominum tradidiſſe. Et notandum, quod ait: Benedixit ac fregit. In qua nimirum benedictione ac fractione nova creatura efficitur, ut panis in commemoratione mortis Chriſti Deo fide oblatus, caro eius vere dicatur. Similiter & ſanguis in eadem gratiarum actione, quia Deo Patri gratias egit creator, ut vere ſanguis credatur, qui pro multis effuſus eſt in remiſſionem peccatorum. Hoc quippe habet hoc myſterium mortis Chriſti in commemoratione, quod habuit caro Chriſti & ſanguis ſemel in paſſione, ut ipſa ſit una caro & ſanguis in ſacramento, qua paſcatur homo membrum Chriſti, & fundatur ſanguis in ablutionem peccati in præſentiarum, ſine quo iuſtus nemo vivit homo. Ut manifeſtius cognoſcant, quantum eſt unitas corporis, intelligant, quibus modis dicitur corpus Chriſti, quia eſt illud dominicum corpus, in quo paſſus eſt Deus, ſed non ſecundum quod eſt Deus. Et eſt corpus in hoc myſterio, quod creatur in ſpiritu, & virtute verbi, ut Chriſti ſit corpus, & non aliud, quam id quod paſſum eſt, & proprium corpus. Eſt & corpus Chriſti omnis ſancta Dei eccleſia de carne, & de oſſibus eius in carne una formata, & in unitate corporis eius ſociata. Quapropter veritas eſt in utroque & unitate corporis, & ideo hoc corpus, quod medium eſt, quo paſcimur in via, non dividitur ab unitate corporis Chriſti. Neque quia caput eſt Chriſtus eccleſiæ, recte a ſuis præciditur membris, ſicut nec membra dividuntur a capite, ut membra & caput unum ſint corpus. Quod ſacramentum iuxta Apoſtolum magnum eſt in Chriſto & eccleſia.

Ad calcem codicis *San-Blaſiani* poſt aliquot paginas reſciſſas, ultima pagina incipit ab ultimis lineis retractationis Beringarii hæretici factæ in Concilio deinde a capite ut ſequitur.

Item in urbe Roma coram Gregorio VII. P.

„Ego Beringarius corde credo & ore confiteor, panem & vinum, quæ apponuntur in altari per my-

Digitized by Google

myſterium ſacræ orationis & verba noſtri Redemtoris ſubſtantialiter converti in veram & propriam ac vivificatricem carnem & ſanguinem Ihu Xpi Dni nri, & poſt conſecrationem eſſe verum Xpi corpus, quod natum eſt de Virgine Maria, & quod pro ſalute mundi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram Patris, & verum ſanguinem Xpi, qui de latere eius effuſus eſt; non tantum per ſignum & virtutem Sacramenti, ſed in proprietate naturæ, & veritate ſubſtantiæ.“

Codicem claudit ſequens carmen.

Tollimur e medio fatis urgentibus omnes,
Et trahimur quo nos victa peracta vocat.
Hi nunquam, hi ſemper, alii plectuntur ad horam,
Purgatisque datur tranſitus ad requiem.
Hanc illis altare ſacrum, vel criminis expers
Vita vel obſequiis emtus amicus emit.
Perfectos, valdeque malos nil vota ſuorum
Nil impenſa precum, nil holocauſta iuvant.
Nam nec iuſtus eget, nec peſſimus iſta meretur.
In medio eſt veniam, cui ſacra menſa parat.
Ipſa tamen, vivos, a vitæ calle vagantes,
Ut redeant ſaltem ſero iuvare ſolet.
Inde fit, ut, quotiens ſacris accedimus aris,
Particulis cedat hoſtia fracta tribus.
Pars intincta mero pro vivis orat, opusque
Sanguinis & carnis expiat ipſa caro.
Pro bene defunctis quorum purgatior unus
Hoc interventu non eget, alter eget.
Offerimus tibi Chriſte duas, ſed propter eosdem
Oblatæ pariter non operantur idem.
Nam pars pro Sanctis pars eſt pro Sanctificandis
Illa refert grates, ſupplicat iſta Deo.
Hoſtia pro Iuſtis pars eſt pro Iuſtificandis
Mentio pro reliquis cauſam agit alterius.
Fit cibus hic ex pane caro, Deus ex elemento
Myſterio ſimplex, utilitate triplex.
Fit cibus hic ovis in ligno, leo fortis in urna,
Ales ad aſtra volans, rex ſuper aſtra ſedens.
Neve putes illi tumulumve crucemve deeſſe,
Ipſe calix tumulum denotat, ara crucem.
Utque fides aſſit, terrorque recedat & horror
Fit cibus ipſe caro, panis imago manet.

DE

ECCLESIASTICIS OBSERVATIONIBUS

OPUSCULUM POST PAMELII & HITTORPII EDITIONES

AD MS. SAN-BLASIANUM SÆC. XIII. RECOGNITUM. (1)

CAPITA OPUSCULI.

I. De Introitu Miſſæ.

Presbyter cum ſe parat ad Miſſam, iuxta Romanam conſuetudinem, decantat hos pſalmos: Quam dilecta, Benedixiſti, Inclina Domine, Credidi: Deinde κύρις ἐλέησον, Pater noſter, cum precibus & oratione pro peccatis: videlicet ut intus & exterius ſummo ſacerdoti placere valeat: quem cum ſacratiſſima oblatione ſibi, omnibusque Chriſtianis placare deſiderat. Paratus autem intrat ad altare, & facit confeſſionem: quia ſcriptum eſt, Sapiens accuſator eſt ſui in principio: & antiquæ legis ſacerdotes primum pro ſe, deinde pro populo offerre ſoliti erant. Interim cantatur Antiphona ad Introitum, quæ ab introitu ſacerdotis ad altare hoc nomen meruit habere. Hanc ad Introitum dici, Cœleſtinus Papa in ordine quadrageſimus quintus inſti-

(1) De auctore huius libelli egimus Diſquiſ. II. in vet. Liturg. *Aleman.* P. I. p. 154. &c.

Digitized by Google

ſtituit, cum uſque ad eius tempora ante ſacrificium Epiſtola tantum Pauli & Evangelium legeretur. Litaniæ quæ ſequuntur, propter ipſa Græca verba, a Græcis aſſumptæ creduntur.

II. De *Gloria in excelſis*, & *Dominus vobiſcum*.

In omni feſto quod plenum habet officium, excepto intra Adventum Domini, & Septuageſimam, & natali Innocentium, tam presbyter quam Epiſcopus, Gloria in excelſis, dicunt. Quod etiam nunquam poſt Meridiem legitur dicendum, niſi in Cœna Domini, ubi Chriſma conficitur, & in ſabbatis Paſchæ & Pentecoſtes. Deinde verſus ad populum, dicit: Dominus vobiſcum. Reſpondetur: Et cum ſpiritu tuo. Notandum ex his verbis, plures eſſe debere reſpondentes, & unum ſalutantem. Sicut enim inepte reſponderetur, Et cum ſpiritu veſtro, cum unus eſſet ſalutator: ſic incongrue ſalutatur per, Dominus vobiſcum, cum unus tantum aſſit vel nullus. Hoc utique beatiſſimi Patres apoſtolici, Anacletus, qui a beato Petro quintus, & Soter in ordine decimus tertius decretis ſuis firmavere, ut Sacerdos ſemper vel tertius eſſet, dum Miſſas celebraret. Zacharias autem vir apoſtolicus, in ordine nonageſimus tertius, conſtituit, ne ſacerdotes ad celebranda Miſſarum ſolemnia cum baculo intrarent, nec velato capite altari adſtarent. Sancti quoque Patres in Aurelianenſi Concilio, capitulo tertio, conſtituerunt, ut ad ſalutationes ſacerdotis non ſolum clerici, & Deo dicati, ſed & omnis plebs conſona voce reſpondeat.

III. De prima oratione in Miſſa.

Sequitur oratio quam Collectam dicunt, eo quod ſacerdos, qui legatione fungitur pro populo ad Dominum, omnium petitiones ea oratione colligat atque concludat. Illæ tamen orationes ſpecialius Collectæ vocari videntur, quæ apud Romanos ſuper collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de una Eccleſia in aliam, ad ſtationem faciendam: ut in capite Ieiunii illa oratio, Concede quæſumus, apud ſanctam Anaſtaſiam ſupra Collectam populi dicitur, qui ſtationem apud ſanctam Sabinam celebraturus eſt.

IV. De numero orationum in Miſſa.

Iuxta Romanum ordinem non niſi unam orationem ante lectionem dicere debemus, ut Amalarius in prologo libri ſui De officiis, ſe ab ipſis Romanis didiciſſe fatetur. Hoc utique & inſtitutio officiorum exigere videtur, ut, ſicut ad unam Miſſam, unam tantum lectionem & Evangelium legimus, item unum introitum, immo unum officium cantamus, nihilominus & unam orationem dicamus. Sed hoc iam pauci obſervant: immo plures in tantum orationes multiplicant, ut auditores ſuos ſibi ingratos efficiant, & populum Dei potius avertant, quam ad ſacrificandum illiciant. Hoc autem ſapientioribus multum diſplicet, qui etſi aliquando antiquam traditionem, aliis morigerando, excedunt: in ipſa tamen ſua exceſſione modum tenere, & aliquam rationem attendere ſolent. Unde & in Miſſa, etſi non ſemper una tantum oratione ſint contenti, ſeptenarium tamen numerum in orationibus raro excedunt: quem utique numerum nec Dominica oratio excedit, quæ cum ſolis ſeptem petitionibus omnia corpori & animæ neceſſaria comprehendit. Hoc autem ſummopere ſolent obſervare, ut in Miſſa aut unam, aut tres, aut quinque, aut ſeptem orationes dicant. Unam, propter Romanam traditionem: Tres, quia Dominus ante paſſionem ſuam ter oraſſe legitur: Quinque, propter quinque partitam eius paſſionem, in cuius commemoratione hæc eadem celebramus officia: Septem, quia & Apoſtoli ſeptem petitiones Dominicæ orationis ad conſecrationem eorundem myſteriorum frequentaſſe leguntur. In nativitate tamen Domini ad Miſſam in mane, Romani orationem de ſancta Anaſtaſia adiiciunt: quia ſtationem in eccleſia eiusdem martyris ad eandem Miſſam agunt. Et nos quoque illos in illa adiectione imitamur, licet non eandem adiectionis occaſionem habere videamur. Rariſſime quidem diligentiores officiorum obſervatores, alios in orationibus numeros admittunt, niſi & quos nos ſupra competenti myſterio inſignitos notavimus.

V. De authenticis Orationibus.

Alias quoque orationes, niſi antiquas & Gregorianas, difficilime admittunt, utpote quas in antiquioribus & emendatioribus Sacramentariis maxime inveniunt. Nam octavum Africanæ provinciæ Concilium (cui ſanctus Auguſtinus, immo ducenti & quatuordecim ſancti Patres interfuerunt) capitulo duodecimo ita conſtituit: Nullæ preces, vel orationes, vel Miſſæ, vel præfationes, vel commendationes, vel manus impoſitiones dicantur, niſi in Concilio fuerint probatæ. Item tertium

Digitized by Google

tium Carthaginenſe Concilium (cui idem ſanctus Auguſtinus interfuit) capitulo vigeſimo tertio: Nullus ad altare Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet, ſed ſemper orationem ad Patrem dirigat, nec qualibet oratione utatur niſi probata. Oratio quidem ad Patrem dirigenda eſt, iuxta Domini præceptum, qui diſcipulos ſuos ita inſtruxit, cum eum interrogarent, qualiter orare deberent: Cum ſtabitis, inquit, ad orandum, dicite: Pater noſter, qui es in cœlis &c.

VI. De concluſione Orationum.

Concludimus autem orationes, per Dominum noſtrum, videlicet Patrem orando per Filium, iuxta eiusdem Filii præceptum, qui in Evangelio ita præcepit: uſque modo non petiſtis quicquam Patrem in nomine meo: petite, & accipietis. qui & effectum noſtris petitionibus, ſi per ipſum rogaverimus, promittit, dicens: Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Unde & orationes plurimas, vel pene omnes, ſatis congrue ita concludimus: Per Dominum noſtrum. Pauciſſimæ autem inveniuntur, quæ pro competentia ſenſus, alia concluſione finiantur. Ut illa, præſta, quæſumus, omnipotens Deus, ut natus ſalvator. Qui tecum vivit & regnat. Item & illa: Deus, cuius filius in alta cœlorum. Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum qui tecum vivit, &c. In qualibet autem concluſione commemorationem ſanctæ Trinitatis obſervare ſolemus, iuxta quod in emendatioribus Sacramentariis expreſſum invenimus. (Adeo enim ſancti Patres invocationem ſanctæ Trinitatis in orationibus ſive benedictionibus obſervabant, ut nec in ipſis ſacramentis aliquid ratum cenſerent, quorum confectioni invocatio S. Trinitatis defuiſſet, ut in ſacramentis Paulianiſtarum, quorum & baptiſmum ſive ordinationes in converſis iteranda cenſuerunt.) Sciendum autem, in illa uſitata concluſione, per Dominum noſtrum, quod Romanus ordo & antiquiſſima exemplaria nomen Dei interponunt, ubi dicitur: Qui tecum vivit & regnat Deus, quod tamen moderni poſt nomen Spiritus ſancti ſubiungere ſolent. Et hæc utique conſuetudo etiam apud Romanos uſquequaque adeo invaluit, ut antiquæ traditionis executio iam non ſine ſcandalo locum habere poſſit: quod iuxta Apoſtolum & Evangelium in tam levibus cauſis ſummo ſtudio devitare debemus.

VII. Iterum de concluſione ſeu confirmatione Orationum.

Secundum Romanam authoritatem, nullam orationem, per eum qui venturus eſt, concludimus, niſi ſit exorciſmus, in quo diabolus per divinum iudicium, ut a creatura Dei diſcedat, exorcizatur, ſive adiuratur. Nam in aliis orationibus, quas, per Dominum noſtrum, concludimus, Patrem, ut nobis per amorem Filii ſui ſubveniat, imploramus. In exorciſmo autem diabolum per Dei iudicium, ut aufugiat, increpamus. Omnes autem adſtantes, iuxta antiquam ſanctorum Patrum traditionem, in ſignum confirmationis: Amen, ſubiungere debent, ut communem orationem, quam ſacerdos pro omnibus Domino libavit, confirment. Unde & in ipſa ſecreta, per omnia ſecula ſeculorum, altius dicit, ut præmiſſa oratio, per Amen a populo poſſit confirmari.

VIII. De Epiſtola, ad Miſſam legenda.

Solis ſubdiaconibus inter inferiores gradus Romana authoritas concedit, ut ſacris veſtibus induti, Epiſtolam legant ad Miſſam. Quod tamen non ex eorum conſecratione, ſed potius ex eccleſiaſtica conceſſione meruerunt obtinere. Unde & rationabilius eſſe vident, ut ipſe ſacerdos ſibi Epiſtolam legat, quam ut aliquem nondum ordinatum, ſibi adſciſcat ad legendum. Nam beatus Hormiſda a ſancto Petro quinquageſimus quartus Papa, capitulo tertio, illum deponit, quicunque non ordinatus, officium ordinati uſurpaverit, quod utique non ex conſecratione, nec ex Eccleſiaſtica conſuetudine unquam promeruit. Canones etiam, alios niſi ad hoc ordinatos in Eccleſia legere, vel in pulpito pſallere, vel Alleluia dicere, vel alicubi exorcizare, in diverſis Conciliis prohibuere. Nihil autem obſtat, quin ſacerdos in Miſſa inferiorum ordinum officia, ſi neceſſe fuerit, expleat: quem & omnes inferiores obtinere conſtat, qui & in Miſſa ſacris veſtibus eſt indutus, ſine quibus ad altare iuxta Romanum ordinem miniſtrare non debemus. Unde & congruentius ipſe ſibi officium ſubdiaconi repræſentat, quam quemlibet inordinatum, nec ſacris veſtibus indutum, hoc explere permittat.

IX. De Evangelio, in qua parte ſit legendum.

Diaconi quoque officium in Miſſa nihilominus &

Digitized by Google

& ipſe convenientius explebit, quam alius qui ſacris veſtibus non fuerit indutus. Nam etiam Diaconus tempore oblationis & lectionis, Alba indutus eſſe debet, iuxta quadrageſimum primum Carthaginenſis Concilii quarti capitulum, cui ſanctus Auguſtinus, immo ducenti ſeptem & decem ſancti Patres interfuerunt. Iuxta decretum Anaſtaſii Papæ, non ſedetur dum Evangelium legitur: quæ reverentia, ut aiunt, & Apoſtolicæ lectioni apud Græcos exhibetur. Diaconus cum legit Evangelium, iuxta Romanum Ordinem in ambone vertitur ad Meridiem, ubi & maſculi conveniunt: non ad Aquilonem, ubi fœminæ conſiſtunt. Ad principalem enim ſexum merito vertitur, cui, ut Apoſtolus inſtituit, infirmior ſexus domi inſtituendus committitur. Quod autem presbyteri ad legendum Evangelium, non ſe ad Meridiem vertunt, hoc ideo inoleviſſe credimus, qua nec ordo illis iniunxit, ut in ambonem ad legendum, ſicut Diacones, aſſcenderent, ubi neceſſario ad maſculos potius, quam ad fœminas, ſe vertere deberent. Nam iuxta Eccleſiaſticam conſuetudinem ad altare legunt, ubi nulla diverſitas auditorum approximat, quæ legentes magis in hanc partem, quam in aliam, converti exigat. Nusquam ibi fœminæ, ſed ſoli religioſi ad dexteram & ad ſiniſtram permittuntur ſtare. Ad ſiniſtrum vero cornu altaris habent librum, cum legunt Evangelium, vel cum ſacrificant: ut in dextra parte ſint expeditiores ad ſuſcipiendas oblationes, ſive ad conficienda altaris ſacramenta. Unde ad Aquilonem magis, quam ad Meridiem verſi videntur, cum annunciant Evangelium. Hinc utique illa uſurpatio emerſiſſe videtur, ut etiam diacones in ambone, contra Romanum ordinem, ſe vertant ad Aquilonem, potiusque ſe ad partem fœminarum, quam maſculorum, vertere non vereantur. Quæ uſurpatio iam adeo inolevit, ut apud pleroſque quaſi pro ordine teneatur. Sed quia certiſſime contra ordinem eſt & inhoneſta, a diligentioribus ordinis ſervatoribus merito refutatur. Ordo quoque præcipit, ut, qui lecturus eſt Evangelium, crucem ſibi faciat in fronte, videlicet, iuxta Auguſtinum, in ſede ipſius verecundiæ, ut eliminata omni verecundia, cum Apoſtolo non erubeſcat de Evangelio Chriſti, qui ſe in fine de illo erubiturum prædixit, quicunque eum hic, vel verba eius coram hominibus erubuerit. Faciat etiam ſibi in pectore crucem, ne aliqua ſuggeſtio diaboli eum impediat, quin puro corde Evangelium Dei annunciare valeat. Presbyter cum legit evangelium, Romano more planetam in dexterum levat humerum, ut expeditum ſe terrenis affectibus eſſe demonſtret ad evangelizandum. Eadem quoque ratione & Diaconi, cum legunt, planetam tantum in ſiniſtro humero ponere videntur. Item Romanus Ordo præcipit, ut incenſum ſemper præcedat Evangelium, cum ad altare ſive in ambonem portatur: non autem concedit, ut oblatio in altari thurificetur, quod & Amalarius in prologo libri ſui de officiis, Romanos devitare fatetur: quamvis modo a pluribus, immo pene ab omnibus, uſurpetur.

X. De oblatione in altari componenda.

Finito Evangelio, ſtatim eſt offerendum, dum & offerenda canitur, quæ nomen de oblatione mutuavit. Nam ordine præpoſtero deinceps offertur, poſtquam in altari propoſita oblatione ſacerdos populum hortatur ad orandum. Sanctus Alexander Papa, quintus a beato Petro, conſtituit, ut panis tantum & vinum aqua mixtum in ſacrificio Domini offeratur, quia de latere Domini ſanguis & aqua ſimul profluxit, unde ſanctus Cyprianus: In calice, inquit, Dominico aqua vino deeſſe non debet, ne populus, qui per aquam iuxta Apocalypſin ſignificatur, a Chriſto ſeparatus eſſe videatur. Ita autem iuxta Romanum ordinem in altari componenda ſunt, ut oblata in corporali poſita, calix ad dextrum latus oblatæ ponatur, quaſi ſanguinem Domini ſuſcepturus, quem de latere Dominico profluxiſſe credimus. Nam oblatam ſive panem in verum Chriſti corpus, ſicut & vinum in ſanguinem Dominicum converti non dubitamus. Solent autem presbyteri, dum ſine miniſtris offerunt, depoſita oblata in altari patinam abſcondere ſub corporali, & fortaſſe ideo quia iuxta ordinem Acolytus debet eam tenere involutam inter ſacrificandum. Cooperitur quoque calix, non tam cauſa myſterii quam cautelæ, uſquedum finito Canone dicitur: Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti. Diſco operitur tamen, dum levatur, ubi dicitur, Accipiens & hunc præclarum calicem: & ibi, per ipſum & cum ipſo, & hoc fortaſſe ideo, quia cautius levatur ſine operimento, quam coopertus.

XI. Quid ſuper oblatione ſit dicendum.

Compoſita autem oblatione in altari, dicit ſacerdos hanc orationem iuxta Gallicanum ordinem: Veni ſanctificator omnipotens, æterne Deus, benedic

Digitized by Google

nedic hoc ſacrificium tuo nomini præparatum. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Deinde ante altare inclinatus, dicat hanc orationem, non ex aliquo ordine, ſed ex eccleſiaſtica conſuetudine: Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis. Quæ utique oratio a diligentioribus ordinis & comprobatæ conſuetudinis obſervatoribus tam pro defunctis, quam pro vivis ſola frequentatur, qui etſi multoties plurimorum conſuetudini cedant, ſuperflua tamen ſummopere devitant. Romanus tamen Ordo nullam orationem inſtituit poſt offerendam ante ſecretam. Erectus autem presbyter, populum hortatur ad orandum, & ipſe poſt finitam ſecretam, præfationem orditur in Canonem: in qua ſupernorum civium ordines merito connumerantur, quia eiſdem myſteriis quæ ibi conficiuntur, iuxta atteſtationem ſanctorum patrum, intereſſe creduntur. Unde & angelicus hymnus, id eſt, Sanctus ſanctus ſanctus, ſubſequitur, quem beatus Sixtus Papa in ordine octavus conſtituit, ut ante ſacrificium diceretur. Hunc autem hymnum & ipſe ſacerdos cum aliis neceſſario debet dicere, ne ſeipſum ſua prece videatur privaſſe, qui & ſuas voces & aliorum angelicis laudibus admitti deprecatus eſt in præfatione. Iuxta Romanum ordinem nunquam Miſſas abſque lumine celebramus: non utique ad depellendas tenebras, cum ſit clara dies: ſed potius in typum illius luminis, cuius ſacramenta ibi conficimus, ſine quo & in meridie palpabimus ut in nocte.

XII. Quid auctum ſit in Canone.

Orationem, quam Canonem, ſive actionem, propter regularem ſacramentorum confectionem, Romano more appellamus, quis compoſuerit, aperte non legimus: niſi quod S Gregorius quendam Scholaſticum illam compoſuiſſe teſtatur. Multa tamen eidem Canoni a ſanctis Patribus inſerta legimus: ſicut a ſancto Alexandro Papa in ordine quinto, ipſius Dominicæ paſſionis commemoratio interſeri iubetur. Item ſanctus Gregorius Papa primus, Diesque noſtros in tua pace diſponas: uſque, per Chriſtum Dominum noſtrum: Et magnus Leo, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam, in Canone addiderunt. Idem quoque Gregorius Dominicam orationem ſe Canoni adieciſſe in regiſtro ſuo aſſerit, ubi quibusdam inde murmurantibus, humili reſponſione ſatisfecit: inconveniens eſſe aſſerens, ut oratio quam Scholaſticus compoſuit, ſuper oblationem diceretur, & illa prætermitteretur, quam ipſi Apoſtoli ex inſtitutione Dominica in confectione eorundem ſacramentorum uſitaſſe creduntur. In ſummis quoque feſtivitatibus quædam Canoni in illo loco, ubi dicitur, Communicantes, vel, Hanc igitur oblationem, interponimus, quæ tamen ex antiquioribus & emendatioribus ſacramentariis interponenda eſſe didicimus, videlicet in Nativitate Domini, in Epiphania, in Cœna, in Paſcha, in Aſcenſione, in Pentecoſte. (Huiusmodi interpoſitiones efficiunt, ut illud, Communicantes, apertius per ſe, quaſi in Catholica communione manentes, intelligamus, quam ad ſubſequentium Sanctorum communionem ipſum referamus.) Nimis autem temerarium videtur, ut nos aliqua Canoni ad noſtrum libitum adiiciamus, niſi quæ a ſanctis Patribus adiecta, vel adiicienda eſſe cognovimus, præcipue cum inter ipſos ſanctos Patres nulli aliquid adieciſſe legantur, niſi qui & Apoſtolica authoritate præditi, hoc facere potuerunt. Optimum ergo videtur, ut in hac cauſa terminos noſtrorum Patrum non excedamus, nec nos Apoſtolicæ authoritatis reos efficiamus, ſi, quod ſoli Apoſtolicæ authoritati convenit, Canonem noſtris interpoſitionibus augmentare præſumamus.

XIII. Quid ſuperfluum ſit in Canone.

Interponere enim ſolent quidam ibi ſuas orationes, ubi dicitur: Memento Domine famulorum famularumque, & ante commemorationem defunctorum. Item poſt nomen Domini Papæ ſive proprii Epiſcopi, adiiciunt: Et omnibus orthodoxis atque Catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus, ſed ſuperfluo. Nam ordo ſtatim in ſequenti verſu, ubi dicitur: Memento Domine famulorum famularumque, nobis concedit, ut omnium vivorum commemoremus, quoscunque voluerimus. Item poſt pauca addunt: pro quibus tibi offerimus, cum in antiquioribus & veracioribus ſacramentariis, non niſi ſub tertia perſona offerentes ſcripti reperiantur. Item ibi: Unde & memores Domine nos tui ſervi, Nativitatem Domini commemorant, cum iuxta Apoſtolum in eiusmodi ſacrificio, non Nativitatem Domini, ſed mortem eius annunciare debeamus. Unde & ſanctus Ambroſius, in libris Sacramentorum: Quotiescunque, inquit, offertur ſacrificium, mors Domini, reſurrectio Domini, aſcenſio Domini ſignificatur. Quod & ſanctus Auguſtinus ſua atteſtatione confirmat. Quapropter & nos ibi tantum paſſionem, reſurrectio-

Digitized by Google

nem & aſcenſionem commemoramus. Hæc ergo omnia quæ nos adiectiva notavimus, ille proculdubio, ſuperflua & eradenda iudicabit, quicunque antiquiores & emendatiores ſacramentarios diligenter inſpexerit. Sciendum eſt autem, quod Romana authoritas nomina vivorum fidelium internumerare permittit, ubi dicitur: Memento Domine famulorum famularumque: ſimiliter & defunctorum, ubi iterum dicitur: Memento etiam & eorum nomina. Aliorum vero Sanctorum nomina annumerare non debemus, niſi quos in Canone invenimus antiquitus deſcriptos, excepto poſt, Pater noſter, in illa oratione, ubi iuxta ordinem quorumlibet Sanctorum nomina internumerare poſſumus. Et hoc etiam notandum, quod perſonæ prælatorum & ſubiectorum in Canone diſtinguuntur. Ubi enim Domini Apoſtolici ſive Epiſcopi noſtri nomen aſſumimus, de prælatis agere videmur. De ſubiectis vero ſtatim in ſequenti verſu, ubi dicimus: Memento Domine famulorum famularumque tuarum. Item illud, Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, de prælatis ſonat. Nam quod ſequitur, ſed & cunctæ familiæ tuæ, ſubiectos videtur intimare. Item, Unde & memores Domine nos ſervi tui, de prælatis: & illud, ſed & plebs tua ſancta, de ſubiectis agere non dubitatur.

XIV. De ſignis quæ ſuper oblatam fiunt.

De ſignis autem quæ ſuper oblationem a diverſis diverſe fiunt, nos ab Apoſtolica ſede potiſſimum formam ſumere decrevimus, unde totius Chriſtianæ religionis ordinem & originem ſuſcepimus. Nam & illi ſedi noſtro tempore talem Deus gubernatorem, reverendæ inquam memoriæ Gregorium Papam impoſuit, qui ſub decem ſuis anteceſſoribus, a puero Romæ nutritus & eruditus, omnes Apoſtolicas traditiones diligentiſſime inveſtigavit, & inveſtigatas ſtudioſiſſime in actum referre curavit. Hunc ergo doctorem religione & authoritate præcipuum, immo Apoſtolicam traditionem per ipſum in conſecrandis myſteriis potiſſimum imitari decrevimus. Sicut nos ipſi per ipſum & per Epiſcopos qui eum imitati ſunt, accepimus, imparem numerum ſemper in diſpenſatione ſignorum ſuper oblationem obſervamus, videlicet unam crucem, vel tres, vel quinque faciendo, & hoc utique non ſine certi cauſa myſterii. Nam in una & tribus, unum & trinum Deum intimamus. In quinque autem, quinque partitam Domini paſſionem ſignificamus. Merito autem impar numerus in eccleſiaſticis officiis frequentatur, quia nunquam in duo æqualia unitate impediente dividitur, ſicut unitas ſanctæ eccleſiæ nullatenus, eam in duo ſecari patitur. Inprimis ubi dicitur, Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia, tres tantum cruces ſuper panem & vinum communiter facimus, nec unquam panem a calice ſeparamus in conſignatione, niſi ubi ſeparatim nominantur in Canone. Ita autem illa communiter ſignamus, ut erecta pars crucis, tantum ſuper panem: transverſa autem, ſuper calicem protendatur. Nam erecta pars crucis, corpus Dominicum ſuſtinuit: transverſa autem, ipſius brachia diſtendit. Unde & calix congrue ſub brachia eius collocatur, quaſi de latere Dominico ſanguinem Domini ſuſcepturus. Cum dicimus, hanc igitur oblationem, uſque ad altare inclinamur: ad exemplar Chriſti, qui ſe humilitavit pro nobis uſque ad mortem crucis. Erecti autem cum dicimus, Benedictam, aſcriptam, ratam, tres cruces ſuper utrunque ſimul facimus. Non enim hic ſola oblata ſignanda eſt, ut quidam faciunt, ſed utrunque ſignatur in oblatione. Nam ſequitur: ut nobis fiat corpus & ſanguis, ſubauditur, hæc oblatio. Et hoc cum dicitur, quarta crux ſuper panem; & quinta ſuper calicem ſeparatim imponitur. Congrue autem prius tres tantum cruces ſuper utrunque facimus, licet quinque voces ad ſigna facienda æqui pollentes haberemus, id eſt, Benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem, videlicet ut quinarium numerum non excederemus, & quintam crucem ſuper calicem quaſi quinti vulneris indicem, unde ſanguis profluxit, competenter faceremus.

XV. De acceptione oblationis in manus.

Deinde panis in manus accipitur, & antequam reponatur in altare, benedicitur. Item & calix elevatus, ante depoſitionem benedicitur. Nam & ipſe Dominus in Evangelio utrunque legitur benedixiſſe antequam dimitteret e manibus. Accepta enim in manibus benedixit, poſtea diſcipulis dedit. Item, ubi dicitur: Hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, tres cruces ſuper utrunque ſimul facimus: quia & utrunque ſimul in eisdem verbis intelligimus. Quartam autem crucem ſuper panem, & quintam ſuper calicem ſeparatim inſigimus, iterum ſanguinem

Digitized by Google

nem Dominicum, de latere Dominico profluentem, deſignantes.

XVI. De commemoratione Dominicæ paſſionis.

Notandum autem, per totum Canonem Dominicæ paſſionis commemorationem potiſſimum actitari, iuxta Domini præceptum in Evangelio: Hæc (inquit) quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis, & illud Apoſtoli: Quotieſcunque hoc ſumpſeritis, mortem Domini annunciabitis. Unde & ipſe ſacerdos per totum Canonem in expanſione manuum, non tam mentis devotionem, quam Chriſti extenſionem in cruce deſignat, iuxta illud: Expandi manus meas tota die. Non ergo digiti ſunt contrahendi ſemper, ut quidam prænimia cautela faciunt. Male enim cauti ſumus, ſi Chriſtum imitari ſummopere non ſtudemus. Congruum ergo eſt, ut manus expandamus infra Canonem, hoc tamen obſervato, ne quid digitis tangamus præter Domini corpus. Notandum quoque in ipſo Canone quinquies, per Chriſtum Dominum noſtrum, haberi: & in ipſa quinaria concluſione non incongrue quinariam Domini vulnerationem imitari. Presbyter autem manus raro remittere ſolet, niſi cum neceſſario propoſitam oblationem benedicere debet. Presbyter & humiliationem Domini uſque ad crucem, ut prædiximus, nobis indicat: cum ſe uſque ad altare inclinat, dicendo: Hanc ergo oblationem. Statim enim in ſequentibus narrationem de Dominica paſſione orditur, cuius typus uſque ad, Supplices te rogamus, obſervatur. Ibi videlicet ſacerdos ſe iuxta altare inclinans, Chriſtum in cruce inclinato capite ſpiritum tradidiſſe ſignificat.

XVII. De commemoratione mortuorum, & reliquis obſervantiis, uſque in finem Canonis.

Poſt mortem Chriſti in cruce, commemoratio mortuorum apte ſubſequitur, qua nec aliorum defunctorum commemoratio agenda eſt, niſi qui in Chriſti morte redempti ſunt, & in Chriſto hanc vitam finierunt. Cum autem ſacerdos vocem exaltat, dicens: Nobis quoque peccatoribus, Centurionem illum deſignat, qui viſa morte Chriſti vocem exaltavit, dicendo, Vere filius Dei erat iſte. Tres vero cruces ſuper corpus & ſanguinem communiter facit, cum dicit: Sanctificas, vivificas, benedicis: in honorem ſanctæ Trinitatis. Poſtea cum corpore Dominico quatuor cruces ſuper calicem facimus, dicendo: Per ipſum & cum ipſo & in ipſo, & quintam in latere calicis, videlicet iterum vulnus Dominici lateris ſignificando. Unde & calicem ex eodem latere cum oblata tangimus iuxta Romanum Ordinem. Multi tamen tres tantum cruces ſuper calicem, & duas in latere eius faciunt: ſed videtur incongruum, cum Chriſtus nullum vulnus in latere habuerit præter unum. Sed reverendæ memoriæ Gregorius Papa fecit, ut prædiximus, quod beatus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus ita ab eo ſe didiciſſe teſtatus eſt, & hoc ita ſemper obſervavit, nobisque itidem obſervandum firmiſſime inculcavit. Cum dicimus, per omnia ſecula ſeculorum, Corpus cum Calice levamus, & ſtatim in altari depoſita cooperimus: Quia & Ioſeph corpus Dominicum de cruce levavit, & in ſepulcro depoſitum, lapide cooperuit. Hucusque calix pro cautela coopertus videbatur, deinceps autem magis pro myſterio cooperitur, quia ſicut Chriſtus tres dies in ſepulcro fuit coopertus: ita & nos corpus Domini & calicem cooperimus, uſquedum tres articulos orationis compleamus, quippe præfationem Dominicæ orationis, & ipſam Dominicam orationem, & illam quæ ſequitur, quæ embolis Dominicæ orationis nuncupatur. Iuxta Romanuum Ordinem cum dicitur, Et ab omni perturbatione ſecuri, accipit archidiaconus a ſubdiacono patenam nudam, quam acolytus tenuit involutam, & oſculatam dat uni ex diaconibus tenendam, ad confractionem in ea faciendam. Unde ſacerdos ſine miniſtro ſacrificans, ad eundem locum eam de ſub corporali abſconditam reſumit, & oſculatam in altari deponit, ut hoſtiam in ea confringat. Cum autem dicit, per Dominum noſtrum, rumpit hoſtiam ex dextro latere iuxta Ordinem, ad deſignandam Dominici lateris percuſſionem. Deinde maiorem partem in duo confringit, ut tres portiones de corpore Dominico efficere poſſit. Nam unam in calicem, faciendo crucem, mittere debet, cum dicit: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum, ad deſignandam corporis & animæ coniunctionem in reſurrectione Chriſti. Alteram vero ipſe presbyter neceſſario ſumit, ante calicis participationem, iuxta Dominicam inſtitutionem. Tertiam autem communicaturis ſive infirmis neceſſario dimittit, nec hoc utique ſine certi cauſa myſterii. Tripliciter enim corpus Domini intelligitur: unum quod reſurrexit a mortuis,

tuis, quod ſignificat particula in ſanguinem miſſa: Aliud, quod adhuc vivit in terra, ſignificatum per particulam a ſacerdote conſumptam: Tertium, quod iam requieſcit in Chriſto, quod & a tertia particula in altari reſervata apte figuratur, quam viaticum morientium appellare ſolemus.

XVIII. De panis fractione & communicatione.

Poſt immiſſionem autem panis in calicem, iuxta Romanum Ordinem, dicit ſacerdos ſub ſilentio: Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Beatus Innocentius Papa in ordine quadrageſimus quintus conſtituit, pacem dari poſt confectionem ſacramentorum. Cum pacem damus, dicere ſolemus: Pax tecum. ℟. Et cum ſpiritu tuo. Congrue autem pax datur ante communionem, quia iudicium ſibi manducat & bibit, quicunque non prius fratri ſuo repacificatus, communicare præſumpſerit. Sergius Papa in ordine octogeſimus ſextus conſtituit, ut in tempore confractionis Dominici corporis: Agnus Dei, a clero & populo decantetur. Videlicet ut ille nobis propitietur, cuius corpus ibi confringi videmus & credimus. Facta autem confractione, debent omnes communicare, interim cum & Antiphona cantatur, quæ de communione nomen mutuavit, cui & pſalmus ſubiungendus eſt cum Gloria Patri, ſi neceſſe fuerit. Sciendum autem, eandem Antiphonam ſemper eundem pſalmum cum introitu habere, ſi non habet proprium ex quo ſumpta videatur. Orationem quam inclinati dicimus, antequam communicemus, non ex ordine, ſed ex religioſorum traditione habemus, ſcilicet (hanc:) Domine Ieſu Chriſte, qui ex voluntate Patris. Item & illud, corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, protegat te in vitam æternam quod dicimus, cum aliis Euchariſtiam diſtribuimus. Sunt & aliæ multæ orationes, quas quidam ad pacem & communionem privatim frequentant: ſed diligentiores antiquiorum traditionum obſervatores, nos in huiusmodi privatis orationibus brevitati ſtudere docuerunt, potiusque publicis precibus in officio Miſſæ occupari voluerunt. Nam beatus Innocentius Papa, ſcribens ſancto Auguſtino & Aurelio Epiſcopis, aſſerit quod nos plus communibus & publicis, quam ſingularibus & privatis orationibus, proficere poterimus.

XIX. De vitanda intinctione.

Non eſt autem authenticum, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo diſtribuunt. Nam Ordo Romanus contradicit, quia & in paraſceve vinum non conſecratum, cum Dominica oratione & Dominici corporis immiſſione iubet conſecrare, ut populus plene poſſit communicare. Quod utique ſuperfluo præciperet, ſi intinctum Dominicum a priori die corpus ſervaretur, & ita intinctum populo ad communicandum ſufficere videretur. Iulius quoque Papa, in ordine trigeſimus ſextus, Epiſcopis Ægypti ſcribens, huiusmodi intinctionem penitus prohibet, & ſeorſum panem, & ſeorſum calicem, iuxta Dominicam inſtitutionem, ſumenda docet. Unde & beatus Gelaſius Papa in ordine 49. ſcribens quibusdam epiſcopis, excommunicari illos præcepit, quicunque ſumpto corpore Dominico, a calicis participatione ſe abſtinuerint. Nam & ipſe in eodem decreto aſſerit: Huiusmodi ſacramentorum diviſio ſine grandi ſacrilegio provenire non poterit. Poſtquam omnes communicaverint, dicit ſacerdos hanc orationem ſub ſilentio (iuxta Romanum Ordinem:) Quod ore ſumpſimus. Qua finita, ſequitur oratio ſive orationes poſt communionem dicendæ, quæ eodem numero & ordine orationibus ante lectionem, ſive pro ſecreta ante præfationem dictis, debent reſpondere. Quæ utique orationes, non pro his qui communicaturi ſunt, ſed qui iam communicaverunt, iuxta proprietatem ſui nominis agunt. Ergo & ante ipſas communicare non negligant, quicunque earundem orationum benedictione foveri deſiderant. His ita finitis, ſubſequitur, Benedicamus Domino: vel, Ite Miſſa eſt: ſi tamen aliquod feſtum fuerit, quod, Gloria in excelſis, habere debuerit. Reſpondent omnes, Deo gratias, iuxta Apoſtolum, pro collatis beneficiis gratias agentes.

XX. Repetitio a ſuperioribus Miſſæ.

Ut autem a ſuperioribus aliquantulum repetamus, poſtquam ſacerdos reſurrectionem Domini per coniunctionem corporis & ſanguinis Domini denotaverit, ſubſequenter etiam pacem populo offerre debet, ſicut & Chriſtus poſt reſurrectionem diſcipulis ſuis pacem obtulit, dicens: Pax vobis. Fractio oblationis, illam nobis fractionem Panis inſinuat, quam Dominus poſt reſurrectionem ſuam coram diſcipulis fecit. Communicatio populi, typum illius convivii gerit, quod non ſemel Dominus poſt reſurrectionem ſuam cum diſcipulis iniiſſe legitur. Hos etiam ultimo con-

Digitized by Google

convivio ab eis diſceſſurus in cœlum, benedixit, ſicut & ſacerdos populum cum oratione poſt communionem benedicit, videlicet iam cito diſceſſurus ab eo: cui tamen prius, ut ipſe diſcedat, per, Ite Miſſa eſt, denunciat, in figuram Angelorum, qui diſcipulis, diſcedente Domino ab eis, dixerunt: Viri Galilæi, quid ſtatis adſpicientes in cœlum? & reliqua. Quo audito, diſcipuli adorantes Dominum, reverſi ſunt in Ieruſalem cum gaudio magno: ſicut & populus, relata Deo gratiarum actione, ad propria cum gaudio revertitur.

XXI. De benedictione poſt Miſſam.

Prius tamen ab epiſcopo benedicitur, ſi adeſt: ſin autem, a presbytero qui Miſſas celebravit: Quamvis beatus Damaſus Papa hoc presbyteris non licere dicat, ubi de vana chorepiſcoporum ſuperſtitione tractat, ſi tamen nos mendoſitas exemplaris non fefellit. Sed magnus Leo Papa, & beatus Gelaſius Papa, eius ſucceſſores, in eccleſiaſticis officiis apprime eruditi, in decretis ſuis, ubi diligentiſſime, quid presbyteris liceat, quidve non liceat, deſcribunt: nullatenus illis benedictonem ſuper populum niſi epiſcopo præſente, interdicunt. Beatus quoque Hieronymus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ Cardinalis presbyter, quæ ſub beato Damaſo, & poſt ipſum uſque ad Sixtum ſucceſſorem eius, eccleſiaſticis inſtitutis ſtudioſiſſime invigilavit: Ipſe, inquam, Ruſtico Narbonenſi epiſcopo de eccleſiaſticis ordinibus ſcribens, presbyteros a benedictione ſuper populum non prohibendos eſſe aſſerit: Si (inquit) presbyter Chriſtum conſecrat, cum in altario Dei ſacramenta benedicit: benedicere populum non debet, qui Chriſtum meruit conſecrare? Et poſt pauca: Hoc in Eccleſiis ſuis presbyteri faciant, quod Romæ, ſive quod in Oriente, quod in Africa, quod in Hiſpania, quod in Britannia, quod in Gallia, quod in omnibus locis ubi humilitas perſeverat. Ex his ergo coniicere poſſumus, beatum Damaſum Papam huiusmodi benedictionem presbyteris illicitam, aut penitus non dixiſſe, aut ſi dixit, Eccleſiaſticam tamen conſuetudinem in hoc prævaluiſſe, præcipue cum ipſius verba ita poſſint intelligi, ut presbyteros doceret, quod eis quaſi ex proprio officio uſurpare non liceret, quid eis ab epiſcopali authoritate concedi poſſe non ignorarent. Sic enim confirmatio Neophytorum, penitus ſeparata eſt ab officio presbyterorum: quam tamen ſanctus Gregorius Papa primus quibusdam presbyteris conceſſiſſe legitur, ſcribens Ianuario Calaritano Epiſcopo: Item & ſuſceptionem pœnitentium, non ex ſua conſecratione, ſed ex Epiſcoporum conceſſione, presbyteri habere meruerunt. Quod illum non latebit, quicunque ordinem conſecrationis eorum, ſive ſtatuta ſanctorum Patrum, diligenter inſpexerit. Agathenſe quoque Concilium capitulo quadrageſimo quarto benedictionem ſuper populum Presbyteris prohibere videtur, ſed hanc prohibitionem de epiſcopali tantum benedictione factam interpretantur: quæ utique benedictio iuxta decimum octavum Toletani Concilii capitulum, & atteſtationem ſancti Auguſtini ad Paulinum Epiſcopum, ante communionem populo a ſolis epiſcopis ſolet impendi. Si quis vero hoc de hac ipſa benedictione, de qua agimus, dictum putaverit, ſententia tamen Provincialis Concilii tam generali Eccleſiaſticæ conſuetudini præiudicare non poterit. Ideo autem huiusmodi benedictio fortaſſe antiquitus presbyteris interdicta eſt: quia & ad epiſcopale officium pertinere videbatur, & eccleſiaſtico conventui nondum adeo neceſſaria reputabatur. Nam ſoli communicantes, confectioni ſacramentorum antiquitus intererant: quibus & oratio poſt communionem, quæ pro ſolis communicantibus inſtituta eſt, pro benedictione potuit ſatisfacere. Apud modernos autem, cum iam populus communicare ceſſaret, nec tamen a divinis myſteriis ſe ſubtraheret: neceſſario permiſſum eſt, ut a presbytero benediceretur, ne tam benedictione, quam communione privatus diſcedere videretur. Sive autem ea occaſione, ſive alia hoc presbyteris permitteretur ab epiſcopis: adeo tamen in uſum iam uſquequaque devenit, ut nequaquam absque gravi ſcandalo a presbyteris in populo prætermitti poſſit, niſi forte Apoſtolica ſedes generaliter & ſynodaliter prohibere voluerit.

XXII. Quid ſacerdos agat poſt Miſſam.

Finitis omnibus, oſculatur presbyter altare, dicens: Placeat tibi ſancta Trinitas, deinde ſacris veſtibus ſe exuens, cantat hymnum trium puerorum, iuxta quod Patres in quarto Toletano Concilio decreverunt capitulo 14. videlicet, ut excommunicationi ſubiaceret, quicunque ſacerdos eundem hymnum poſt Miſſam dicere negligeret. Pſalmum quoque, Laudate Dominum in ſanctis eius, in gratiarum actionem ſubiungens, cum, Pater noſter, & verſibus ad hoc competentibus,

con-

Digitized by Google

concludit eam cum oratione illa: Deus qui tribus pueris. Sciendum autem, iuxta decreta Pontificum, quod presbytero non licet coram Epiſcopo, niſi eo iubente, vel ſacrificare, vel populum benedicere, vel ſalutare, vel exhortari. Unde cum legit Evangelium coram Epiſcopo, benedictionem petit ab eo. Item, cum vult ſacrificare, inclinat cum populo ſe epiſcopo pro conceſſione, qui etiam cum populo inclinatur, pro ultima benedictione.

XXIII. Brevis deſcriptio celebrandæ Miſſæ.

Presbyter cum ſe parat ad Miſſam, in primis cantat pſalmos: Quam dilecta, Benedixiſti, Inclina, Credidi propter. Deinde: Kyrie eleiſon, Pater noſter, Et ne nos inducas, ℣. Ego dixi Domine. Convertere Domine, Fiat miſericordia, Sacerdotes, Protector noſter adſpice, Domine exaudi. *Oratio.* Aufer a nobis Domine iniquitates noſtras & peccata noſtra, ut mereamur puris mentibus introire, *Alia:* Actiones noſtras quæſumus Domine & adſpirando præveni, & adiuvando proſequere, ut cuncta noſtra operatio per te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur, Per Dominum noſtrum &c. *Paratus autem, venit ad altare, dicens.* Ant. Introibo ad altare Dei. Pſal. Iudica me Deus & diſcerne. *Et facit confeſſionem:* Confiteor Deo omnipotenti, iſtis Sanctis & omnibus Sanctis & tibi frater, quia peccavi in cogitatione, in locutione, in opere, in pollutione mentis & corporis. Ideo precor te, ora pro me.

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata tua, liberet te ab omni malo, & confirmet te in omni opere bono, & perducat nos pariter Ieſus Chriſtus filius Dei vivi, in vitam æternam. Amen. Indulgentiam & remiſſionem omnium peccatorum noſtrorum tribuat nobis omnipotens & miſericors Dominus, Amen.

Cum ſacerdos accipit oblationem, dicit: Acceptabile ſit omnipotenti Deo ſacrificium noſtrum: *Deinde calice in altari ad dexteram oblatæ depoſito, dicit:* Veni ſanctificator omnipotens æterne Deus, benedic hoc ſacrificium tuo nomini præparatum, per Chriſtum &c. *Et inclinatus ante altare, dicit:* Suſcipe ſancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam paſſionis, reſurrectionis, aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in honorem beatæ Dei genitricis Mariæ, ſancti Petri & Pauli, & iſtorum atque omnium Sanctorum tuorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad ſalutem, & illi pro nobis dignentur intercedere in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per Chriſtum &c. Deinde, Orate. Sequitur ſecreta.

Deſcriptio canonis iuxta Romanam authoritatem: Te igitur clementiſſime Pater, per Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum ſupplices rogamus & petimus, uti accepta habeas & benedicas. *Hic ſignat ſacerdos oblationem & calicem tribus vicibus: ſub una cruce.* Hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata: Inprimis quæ tibi offerimus pro eccleſia tua ſancta catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa noſtro N. & antiſtite noſtro.

Memento Domine famulorum, famularumque tuarum. *Hic nomina vivorum memorentur, ſi voluerit, ſed non in Dominica,* & omnium circum adſtantium, quorum tibi fides cognita eſt, & nota devotio, qui tibi offerunt hoc ſacrificium laudis pro ſe ſuiſque omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis atque incolumitatis ſuæ tibi reddunt vota ſua æterno Deo vivo & vero. Communicantes & memoriam venerantes inprimis glorioſæ ſemper virginis Mariæ genitricis Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed & beatorum Apoſtolorum ac Martyrum tuorum, Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thaddæi, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chryſogoni, Ioannis & Pauli, Coſmæ & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum, quorum meritis precibuſque concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Hic inclinatur uſque ad altare, dicens:* Hanc igitur oblationem ſervitutis noſtræ, ſed & cunctæ familiæ tuæ, quæſumus Domine, ut placatus accipias, dieſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripias, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Erectus autem, cum tribus crucibus benedicit:* Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam, adſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris. *Hic ſeparatim ſignat oblatam & calicem.* Ut nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſſimi Filii tui Domini noſtri Ieſu Chriſti. Qui pridie quam pate-

Digitized by Google

pateretur, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem ſuum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, dedit diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes: Hoc EST ENIM CORPUS MEUM. Simili modo poſtquam cœnatum eſt, accipiens & hunc præclarum calicem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, item tibi gratias agens, benedixit, dedit diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & bibite ex eo omnes: HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI NOVI ET ÆTERNI TESTAMENTI, MYSTERIUM FIDEI, QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDETUR IN REMISSIONEM PECCATORUM.

Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. Unde & memores nos Domine ſervi tui, ſed & plebs tua ſancta, Chriſti filii tui Domini Dei noſtri tam beatæ Paſſionis, nec non & ab inferis reſurrectionis, ſed & in cœlum glorioſæ aſcenſionis, offerimus præclaræ Maieſtati tuæ de tuis donis ac datis: *Hic tres cruces ſuper utrunque ſimul facit, & quartam ſuper oblationem, & quintam ſuper calicem.* Hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ. Supra quæ propicio ac ſereno vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchæ noſtri Abrahæ, & quod tibi obtulit ſummus ſacerdos tuus Melchiſedech, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam. *Hic inclinat ſe iuxta altare, dicens:* Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus ſancti angeli tui in ſublime altare tuum, in conſpectu divinæ maieſtatis tuæ, *hic erigit ſe, dicens:* Ut quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filii tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. *Hic duæ orationes dicuntur una ſuper dypticos altera ad lectionem nominum ſed non in feſtivitatibus.* Memento etiam Domine & eorum nomina, qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis: *& recitantur nomina.* Ipſis Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus locum refrigerii lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur, per Chriſtum Dominum noſtrum. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus partem aliquam & ſocietatem donare digneris, cum tuis ſanctis Apoſtolis & martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anaſtaſia, & cum omnibus ſanctis tuis, intra quorum nos conſortium, non æſtimator meriti, ſed veniæ, quæſumus largitor, admitte. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas. *Hic tres cruces ſuper utrunque ſimul facit:* Sanctificas, vivificas, benedicis, & præſtas nobis. *Hic cum oblata quatuor cruces facit ſuper calicem, & quintam in latere ipſius.* Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus ſancti omnis honor & gloria. *Hic elevat oblatam cum calice, dicens:* Per omnia ſecula ſeculorum. Reſponſio: Amen. *Et deponit oblatam, dicens:* Oremus. Præceptis ſalutaribus moniti, & divina inſtitutione formati, audemus dicere: Pater noſter, qui es in cœlis, *uſque*, libera nos a malo. Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis, præteritis, & præſentibus, & futuris. Et intercedente beata & glorioſa ſemper virgine Maria, & beatis Apoſtolis tuis Petro & Paulo atque Andrea. *Hic nominat quotquot Sanctos voluerit*, cum omnibus ſanctis, da propicius pacem in diebus noſtris, ut ope miſericordiæ tuæ adiuti, & a peccato ſimus ſemper liberi, *Hic patinam accipiat, & oſculatam deponat*, & ab omni perturbatione ſecuri. *Hic corpus in patina ſuper tria dividat, dicens:* Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum: *uſque*, per omnia ſecula ſeculorum. ℟. Amen. *Hic etiam tertiam partem in calicem mittat, dicens:* Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. ℟. Et cum Spiritu tuo. *Et ſubiungit orationem iſtam:* Fiat commixtio & conſecratio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti accipientibus nobis in vitam æternam. Amen. *Et oſculato altari, dat pacem adſtanti, ita dicens:* Pax tecum. ℟. Et cum Spiritu tuo: *Inclinatus autem dicit, ante quam communicet:* Domine Ieſu Chriſte, qui voluntate Patris, cooperante Spiritu ſancto, per mortem propriam mundum vivificaſti, libera me per hoc ſacroſanctum corpus & ſanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, & a malis meis, & fac me tuis inhærere mandatis, & a te nunquam in perpetuum ſeparari. Qui cum Patre. *Cum diſtribuit Eucbariſtiam, dicit:* Corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti proficiat tibi in vitam æternam. Amen. *Poſtquam omnes communi-*

Digitized by Google

municaverunt, *dicit:* Quod ore ſumpſimus, pura mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum. *Finita Miſſa*, *dicit:* Placeat tibi ſancta Trinitas obſequium ſervitutis meæ, & præſta, ut hoc ſacrificium quod oculis tuæ maieſtatis ego indignus obtuli, mihi & omnibus, pro quibus illud obtuli, te miſerante ſit propiciabile. Per Chriſtum &c. *Exuens ſe veſtibus ſacris*, *dicit Pſal.* Benedicite omnia, Laudate Dominum in ſanctis, Kyrie eleiſon, Pater noſter & ne nos inducas in tentationem. Confiteantur tibi Domine omnia opera tua. Exultabunt ſancti in gloria. Exultent iuſti in conſpectu. Non nobis Domine, non nobis. Domine exaudi orationem. Deus qui tribus pueris. Actiones noſtras.

XXIV. De ieiunio vernali.

Gregorius Papa ſeptimus cum Apoſtolicæ ſedi præſideret, conſtituit, ut ieiunium quod dicitur Martii, in prima hebdomada quadrageſimæ omni anno celebretur, ſicut & ſancti Patres illud inſtituiſſe leguntur. Nam ſanctus Gregorius Papa primus, tam in Sacramentario quam in graduali libro, ſive Antiphonario officia eiusdem ieiunii primæ quadrageſimali hebdomadæ aſſcripſit. Item ſanctus Hieronymus in libro Comitis, lectiones & evangelia de eodem ieiunio eidem hebdomadæ iniunxit. Ipſa etiam vacans Dominica, quam ſanctus Gregorius in quadrageſima ſecundam eſſe voluit, evidentiſſime inſinuat, quod ieiunium Martii nihilominus omni anno ipſam in prima hebdomada præcedere debeat. Non enim eadem Dominica proprie vacans diceretur, ſi non ſabbatum 12. lectionum e veſtigio ſubſequeretur, quod proprium eſt omnium Dominicarum vacantium, quæ cum proprio careant officio, ex præcedenti hebdomada inofficiantur, ſi tamen neceſſe fuerit ut aſſumantur. Unde & hæc Dominica, de qua agimus, ex quarta feria præcedentis ieiunii officium mutuavit. Neceſſarium eſt ergo, ut illud illam procedat, cum non aliunde, niſi ex eius præceſſione eadem Dominica nomen & officium obtineat. Sed & Iunior Gregorius Papa, ſcribens de ordinatione ſancti Bonifacii Archiepiſcopi ad Magontiacenſes, præcepit, ut ordinatio quæ ieiunio Martii aſſcribitur, in ingreſſu quadrageſimæ cum eodem ieiunio ſemper celebretur. Beatiſſimus quoque Leo Papa primus, in ſermone De ieiunio ſeptimi menſis, vernum ieiunium in Quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in ſeptimo menſe celebrandum eſſe denunciavit. Item B. Gelaſius Papa in Decretalibus ſuis capitulo 11. conſtituit, ut ordinationes presbyterorum & diaconorum, non niſi certis temporibus fiant, quippe in ieiunio quarti & ſeptimi & decimi menſis, id eſt, Iunii, Septembris, atque Decembris, nec non in quadrageſimalis initii ieiunio, quod proculdubio Martii intelligitur. Videsne ergo, quam aperte idem ieiunium cum ordinatione ſua primæ quadrageſimali hebdomadæ aſſcribatur, cum tam ſignanter quadrageſimalis initii ieiunium cognominetur? Hoc autem initium Quadrageſimæ, non a capite ieiunii, ſed a ſubſequenti Dominica eſt computandum. Nam quamvis a capite ieiunii pro quodam complemento quadrageſimalis abſtinentiæ incipiamus: a ſubſequenti tamen Dominica iuxta aſſertionem ſancti Ambroſiii & ſancti Gregorii & aliorum ſanctorum Patrum, Quadrageſimam proprie exordimur. Nullum autem commoveat, quod tempore Henrici ſecundi Imperatoris, duodecim Epiſcopi Moguntiæ congregati, aliter de hoc ieiunio ſtatuiſſe leguntur. Cum enim apud ipſos non modica varietas de huiusmodi ieiuniis accideret, eo quod antiquam ſanctorum Patrum traditionem in hac re minus attenderent, pro huiusmodi confuſione corrigenda hanc ſibi regulam propoſuerunt, ut deinceps in prima quarta feria Martii, & in ſecunda Iunii, & in tertia Septembris, omni anno ieiunarent. Sed hæc regula Apoſtolicæ authoritati præiudicare nec debet nec poteſt: præſertim cum evidentiſſime ſtatutis ſanctorum Patrum videatur repugnare. Si enim prædictam regulam annuatim obſervamus, multoties non ſolum in Quadrageſima, ſed etiam ante Quadrageſimam ieiunabimus. Cum & ſtatuta Apoſtolicorum virorum, & inſtitutio officiorum, ut prælibatum eſt, illud infra Quadrageſimam, immo in prima Quadrageſimæ ſeptimana, ſemper celebrare decernant. Indubitanter ergo refutare debemus, quicquid tam evidenter Apoſtolicæ authoritati contraire videmus, unde totius Chriſtianæ religionis & ordinis exordium & formam accepimus. Nec mireris hoc ieiunium potius Martio, quam Februario aſſcribi, quamvis in Februario, cum ipſa Quadrageſima nonnunquam occurrat: Semper enim idem ieiunium, aut Kalendaria aliquando, aut Lunationem Martii, aut utrunque ſimul incurrit: Februarii autem Kalendaria aliquando, Lunationem vero nunquam attingit. Ergo multo congruentius Martio aſſcribitur, quem nunquam relinquit, quam Februa-

brua-

Digitized by Google

bruario, quem multoties penitus non attingit. Obſervatur ſane hoc ieiunium cum ipſa quadrageſima ſecundum Lunationem, ſicut & Paſcha. Unde non incongrue ipſum Martio propter Lunationem aſſcribitur, quanvis in Februario occurrat. Sicut & Paſcha Aprili ſemper aſſcribitur, quanvis ſæpe in Martio contingat. Nec hoc utique probabili exemplo carebit, ſi ſacrorum ordinum diſpenſatio nonnunquam fiat in Februario, dum hoc exegerit quadrageſimalis initii ratio. (Nam reverendiſſimi Patres noſtri, ſanctitate & Apoſtolica authoritate præcipui, videlicet, Simplicius, Gelaſius, Symmachus, Felix, in Februario ordinationes feciſſe leguntur) cum iam ſancta Romana eccleſia ieiunia quatuor temporum in ordinatione obſervare decreverit, hocque aliis quoque eccleſiis ita obſervandum promulgaverit. Ergo abſque omni dubio obſervare debemus, unde tam certa præcepta & exempla ſanctorum Patrum Apoſtolica authoritate præditorum ſufficienter habemus, præſertim cum & facilius obſervetur, quod provida antiquitas & authoritas inſtituit, quam quod inconſiderata novitas & infirmitas adinuenit. Nulli enim dubium eſt, quin facilius ſit omni anno idem ieiunium Martii in eadem hebdomada cum eisdem officiis inconfuſe celebrare, quam de hebdomada in hebdomadam non ſine confuſione officiorum, ut multi ſolent, illud annuatim mutare.

XXV. De Ieiunio æſtivali.

Gregorius Papa ſeptimus Apoſtolicæ ſedi præſidens conſtituit, ut æſtivale ieiunium infra octavam Pentecoſtes annuatim celebraretur. Quod quidem ſapientioribus reverentia ſedis Apoſtolicæ facile perſuaſit: ſimplicioribus autem nonnulla dubitatio ſuper huius ſtatuti promulgatione remanſit. Nam non parum a conſuetudine eorum diſcrepat, quam a quibusdam ſcriptis non adeo authenticis mutuaverant, id eſt, a Moguntiacenſi concilio, tempore Henrici ſecundi Imperatoris facto. Hoc enim hanc regulam ieiuniis quatuor temporum præfixit, ut in prima quarta feria Martii, in ſecunda Iunii, in tertia Septembris, omni anno ieiunetur. Præterea & hoc attendunt, quod in quibusdam ſacramentariis inveniunt, quod & in primo ſabbato Martii, in ſecundo Iunii, in tertio Septembris, ieiunare debeamus. Illo etiam non minus obſervato, ut de uno ſabbato 12. lectionum uſque in aliud, iuxta Amalarium quatuordecim hebdomadæ computentur. Si igitur, inquiunt, iuxta ſtatutum Domini Apoſtoli infra Pentecoſten annuatim ieiunaveris, non ſemper ſecundam quartam feriam, vel ſecundum ſabbatum Iunii obſervare poteris. Sed cur more Phariſæorum liquamus culicem, glutientes camelum? Cur, inquam, huiusmodi ſcripta prævaricari plus vereamur, quam ſedis Apoſtolicæ decretum, præſertim cum ob eorum adinuicem repugnantiam, ſe obſervare non permittant? Si enim iuxta Moguntiacenſe Concilium, in prima quarta feria Martii, in ſecunda Iunii, in tertia Septembris, omni anno ieiunatur: primum ſabbatum Martii, ſecundum Iunii, tertium Septembris annuatim obſervare nequibis, nec iuxta Amalarium quatuordecim hebdomadas eisdem ieiuniis internumerare valebis: quod illum non latebit, quicunque diligenter interiacentes hebdomadas ſingulis annis dinumerabit. Nunquam ſane huiusmodi regulæ ſimul obſervari poterunt, niſi eo anno, cum Kalendæ Septembris in tertia vel in quarta feria occurrunt. Sed in hac cauſa Amalarius non adeo notandus eſt, qui non tam aliquam conſuetudinem inſtituere, quam de inſtituta competentem aliquam figuram elicere conſuevit. Cur autem iſta replicamus, cum etiam ſi prædictæ regulæ ſibi annuatim convenirent, authoritati tamen ſedis Apoſtolicæ nullatenus præiudicare poſſent, cui omnes per omnia abſque omni hæſitatione debemus obedire, cui nunquam debitam exhibemus obedientiam, ſi eius ſtatuta potius iudicare, quam implere curamus? Hoc eſt enim privilegium obedientiæ, de ſententia ſui præceptoris non iudicare, in iis duntaxat rebus, quas Canonicis ſcripturis contraire non videmus, immo ſtatim exequi, quod iubetur. Nam quicunque; facere noluerit, niſi quod prius ſua ratione probaverit eſſe faciendum: non tam præceptori ſuo, quam propriæ voluntatis arbitrio ſatisfeciſſe iudicabitur. Hanc ergo puram obedientiam cum omnibus ſpiritalibus noſtris præceptoribus certiſſime debeamus, maxime tamen Apoſtolicæ ſedi ex intimo corde debemus, quæ totius Chriſtianæ religionis caput eſt & origo. Sed quia hæc ratio ſimplicioribus fortaſſe non ſufficit, operæ precium videtur de ſuperiori ſtatuto latius tractare, & quam rationabile, quam canonicum, quippe ſanctis Patribus quam conſonum reperiatur, elucidare. Beatiſſimus Leo Papa primus, in ordine quadrageſimusſeptimus, cuius authoritate congregatum & confirmatum eſt ſanctum Chalcedonenſe Concilium, in libro ſermonum, quarti menſis ieiunium non niſi in hebdoma-

Digitized by Google

mada Pentecoſtes celebrandum eſſe denunciavit. Nec hoc tantum in uno ſermone, ſed in pluribus, quos de Pentecoſte in diverſis annis feciſſe legitur: quod illum ſubterfugere non poterit, quicunque eundem librum diligenter perlegerit. Ibi enim evidentiſſime docebitur, ex Apoſtolica traditione huius ieiunii obſervantiam, deſcendere, nec diviſam, ſed contiguam poſt diem Pentecoſtes celebrari debere. Sed ne aliquis eum hoc de quadrageſimali ieiunio, quod poſt Pentecoſten agitur, non de ieiunio quarti menſis, præcepiſſe putaret: ſubſequenter decernendo admonet, ut infra eandem hebdomadam quarta & ſexta feria ieiunetur, & in ſabbato apud ſanctum Petrum vigiliæ celebrentur. Quem denunciatiationis modum pene in omnibus ſuis ſermonibus obtinuit, cum ieiunia quatuor temporum denunciaret. Nam illa quadrageſima poſt Pentecoſten, non omnibus ut hoc ieiunium, ſed ſolis pœnitentibus obſervanda imponitur: Nec in hoc tantum triduo infra Pentecoſten, ſed in omnibus triduis, vel etiam diebus ſex hebdomadarum cuſtodiri iubetur. Præterea idem vir Apoſtolicus in ſermone De ieiunio ſeptimi menſis: Ieiunium, inquit, vernum in quadrageſima, æſtivum in Pentecoſte, autumnale in ſeptimo menſe celebremus. Ubi evidentiſſime indicavit, ieiunium quarti menſis non niſi in hebdomada Pentecoſtes eſſe celebrandum. Si enim iſtud in Iunio menſe, ſicut autumnale in Septembri, ſemper ieiunandum decerneretur, non minus Iunium quam Septembrem nominare poſſet. Ergo iuxta ſententiam huius Apoſtolici, ſicut autumnale ſemper in Septembri, ita æſtivum in Pentecoſte ſemper debemus celebrare. Sanctus quoque Gregorius Papa primus, a quo omnia Eccleſiaſtica officia pene habemus, beato Leoni optime concordat, qui & in ſacramentario & in diurnali Antiphonario, eidem ieiunio nullas orationes vel cantus aſſcribit, niſi infra Pentecoſten dicendos. Liber etiam Comitis ſive Lectionarius, quem ſanctus Hieronymus conpaginavit, eidem ieiunio lectiones ad feſtivitatem Spiritus ſancti pertinentes attribuit. Sicut igitur ieiunium Decembris de adventu Domini, & ieiunium Martii de quadrageſima, ſua mutuaverunt officia: ſic etiam illorum menſium ieiunia nunquam alio tempore celebrantur, niſi eo ipſo, unde & officium habere videntur. Denique ieiunium Martii, & ante ſtatutum noſtri Papæ Gregorii, cum aliquando ante quadrageſimam iuxta Moguntiacenſe Concilium eveniret, propter quadrageſimale tamen officium uſque ad quadrageſimam differebatur. Incongruum enim eſſet, ut eiusdem ieiunii lectiones ſpecialiter quadrageſimam intimantes, & orationes ſuper populum, extra quadrageſimam dicerentur. Eadem igitur ratione & æſtivum ieiunium infra Pentecoſten obſervamus competenter, propter officia de eadem ſolennitate mutuata. Qui enim illud extra Pentecoſten obſervant, magnam officiorum confuſionem faciunt: cum quadrageſimales cantus & orationes lectionibus de Pentecoſte aſſocient. Concordiam quippe officiorum Pentecoſtes diſſipant, quam ſancti Patres maxime in huiusmodi officiis obtinere ſtudebant: & cum extra Pentecoſten de hoc ieiunio nullum inveniant officium, ipſi ſibi officia componere, immo confundere temerario auſu præſumunt. Non mireris autem quod hoc ieiunium Iunio potius quam Maio adſcriptum reperiri malunt, quamvis iuxta ſuperiorem tractatum, & in Maio ſæpius celebretur: Ipſa enim Pentecoſte cum qua hoc ieiunium ſemper obſervatur, in Maio ſæpius quam in Iunio celebrant, quæ tamen iuxta computationem Lunæ, Iunio ſemper aſſcribitur. Nam hoc feſtum, ſicut & Paſcha, non iuxta rationem menſium, ſed Lunationum, annuatim obſervatur. Et illud quidem Aprili, hoc autem Iunio, propter obſervationem Lunationum eorundem menſium, ſemper adſcribitur: quamvis eosdem menſes multoties anticipent, ſicut & ipſæ Lunationes. Eadem igitur ratione & hoc ieiunium Iunio aſſcribimus, quod & cum Pentecoſte ſub eadem Lunatione annuatim obſervare debemus. Hoc ſane ieiunium ſemper Lunationem Iunii, ſæpe etiam & Kalendaria eius obſervat, nunquam autem Lunationem Maii, nec ſemper Kalendaria eius attingit. Semper utique aut Kalendaria, aut Lunationem Iunii poſſidet. Maii autem ſæpenumero nec Kalendaria, nec Lunationem obtinet. Quare & Iunio competentius attitulatur, quem nunquam dimittit, quam Maio, quem multoties omnino prætermittit. Has igitur rationes quicunque, depoſito contentionis ſtudio, fideliter conſiderare voluerit, proculdubio Dominum Apoſtolicum de ieiunio verno ſive æſtivo, non tam ſuum, quam ſanctorum Patrum ſtatutum inſtituiſſe iudicabit, & idem ipſum authenticis rationibus confirmatum, generaliter obſervandum eſſe non dubitabit.

XXVI. De autumnali Ieiunio.

Ieiunium autumnale iuxta ſtatuta ſanctorum Patrum Leonis, Gelaſii & reliquorum in 7. menſe debe-

Digitized by Google

debemus celebrare: quod tamen nec inſtitutio officiorum, nec ſuppoſitio vacantis Dominicæ, nec ſtatuta ſanctorum Patrum, alicui ſeptimanæ tam ſpecialiter, ut reliqua Ieiunia, videntur aſſignaſſe. Eſt autem eccleſiaſtica conſuetudo, ut in tertio ſabbato Septembris ieiunetur: quæ utique conſuetudo & nobis debet ſufficere, præſertim cum Apoſtolicis inſtitutis nuſquam videatur contraire.

XXVII. De hyemali Ieiunio.

Ieiunium hyemale, iuxta traditionem ſanctæ Romanæ eccleſiæ, ſemper in tertia hebdomada de Adventu Domini debet celebrari: ſicut & ſancti Patres inſtituerunt, qui eiusdem ieiunii officia eidem hebdomadæ indiderunt, & ſequentem Dominicam vacantem vocaverunt. Nec ad hoc ullo ſpeciali ſtatuto indigemus, in quo ſanctorum Patrum veſtigia non excedimus.

XXVIII. De officiis eorundem Ieiuniorum.

De annua transmutatione officiorum in vernali ieiunio, unde hactenus multum fruſtra laboravimus, non neceſſe eſt ut deinceps laboremus: cum iuxta antiquam inſtitutionem, omnia huius ieiunii officia ſuo loco & ordine, ſicut inſtituta ſunt, obſervare debeamus. In æſtivo autem ieiunio illum ordinem officiorum competenter annuatim obſervamus, quem & Maiores noſtri in eodem ieiunio tenuerunt, cum illud infra Pentecoſten aliquando obſervarent: Videlicet ut in quarta & ſexta feria cantetur & legatur, quod in eadem hebdomada eisdem feriis aſſcriptum reperitur. In ſabbato autem cum officio quod ibi habetur, hæ lectiones legantur: Lectio, Diligite iuſtitiam, Audi Iacob, Exultate, Effundam: Ad Miſſam, Iuſtificati: quæ utique omnes feſtivitati Spiritus ſancti optime conveniunt. Evangelium, Egreſſus Ieſus, ſicut etiam in antiquis Breviariis ordinatum reperimus. Et hoc utique obſervandum eſt, ne in quarta feria vel ſabbato quadrageſimalia offertoria, id eſt, Meditabar, Domine Deus ſalutis, dicamus, ſed in honorem Spiritus ſancti, Alleluiatum offertorium, Emitte ſpiritum, pro utroque cantemus. Nec Gradualia, ſed, Alleluia prædictis lectionibus ſubiungere debemus: Spiritus Domini, Paraclytus, Emitte, Veni ſancte Spiritus. In autumnali autem ieiunio omnia, ut inſtituta ſunt, obſervamus. In quarta feria Antiphona, Exultate: Graduale, Quis ſicut: Graduale, Tribulationes: Offertorium, Meditabar: Communio, Comedite. Cum lectionibus, Ecce dies veniunt, Congregatus eſt. Evangelium, Reſpondens unus. In ſexta feria Antiphona, Lætetur cor: Graduale, Convertere: Offertorium, Benedic: Communio, Aufer a me. Lectio, Convertere: Evangelium, Rogabat Ieſum. Quæ omnia adinvicem magnam habent concordiam. In ſabbato Antiphona, Venite adoremus: Offertorium, Domine Deus ſalutis: Communio, Menſe ſeptimo. Lectiones, Decimo die, Quintodecimo, Domine Deus noſter, Factum eſt. Evangelium, Arborem fici: Gradualia vero eadem, quæ & in ieiunio vernali. Quæ etſi apud diverſos diverſe aſſumuntur, in quam plurimis tamen libris ita reperiuntur: Protector, Propicius, Dirigatur, Salvum fac populum: Quæ & in autumnali ieiunio, ut in vernali ordinantur, niſi quod in autumnali Graduale, Protector: poſt Graduale, Propitius canitur. Et hoc utique concordia officiorum exigere videtur. Nam in vernali prima lectio, Reſpice Domine de ſanctuario, & benedic populo tuo, optime congruit Graduali, Protector noſter, a quo & ſubſequens oratio initiatur, Protector. Secundæ autem lectioni Graduale, Propicius, non incongrue adaptatur. Nam quod in lectione de corporali liberatione populo Iſrael promittitur, hoc ſancta Eccleſia in graduali ſpiritualiter nobis adimpleri ſupplicat: ne gentes dæmonum nobis prævaleant, ſicut nec gentes paganorum illis prævaluerunt. In autumnali autem Graduale, Propitius, præponitur, quia & hoc magis primæ lectioni convenit, quæ nobis diem propiciationis, & ut Deus nobis propicietur, præſcibit. Secundæ vero lectioni Graduale, Protector, magis competit, qua filios Iſrael ſeptem diebus ſub protectione umbraculorum annuatim ſolennizare præcepit. Tertium autem Graduale, Dirigatur, tertiæ lectioni in utroque ieiunio optime congruit: quia & in vernali Ionathas, & in Septembri Michæas orationes ſuas ad Dominum pro populo Dei dirigunt. Similiter quartum Graduale quartæ lectioni competit utrique. Nam in vernali, pro ſalute populi poſtulatur, quæ in autumnali promittitur populo, ſi tamen a veritate non diſceſſerit. Satis ergo congruum videtur, ut & nos eorum librorum traditionem ſequamur, qui eadem Gradualia vernali & autumnali ieiunio pariter aſſcribunt. Nam cum lectionibus utriuſque ieiu-

Digitized by Google

ieiunii magnam habent concordiam, ut prælibavimus: quam potiſſimum in diſpoſitione officiorum nos attendere ſancti Patres docuerunt. In hyemali ieiunio, quod in proximo ſabbato ante vigiliam Nativitatis Dominicæ ſemper eſt obſervandum, nihil in officiis variatur. Et notandum, omnes Apoſtolicos a beato Petro uſque ad Simplicium Papam, ordinationes tantum in ieiunio Decembris celebraſſe, ut in Romano Pontificali legitur. Unde & iſtud ieiunium non immerito plenius quam reliqua, ſuum habet officium. Nam reliqua, aliunde nunc ex toto, nunc ex magna parte per ſuas ferias inofficiantur. In omni ieiunio quatuor temporum, niſi infra Pentecoſten, genua flectimus. In quarta quidem feria, ad priorem tantum orationem ſine ſalutatione prolatam. Nam ſecunda ſine genuflexione cum ſalutatione profertur. Oratio autem in ſexta feria cum ſalutatione & genuflexione recitatur. In ſabbato autem omnes orationes genuflexio ſine ſalutatione præcedit, præter illam de camino, quæ ſalutationem ſine genuflexione exigit. Ad illam nempe genua flectere prætermittimus, more trium puerorum, qui ſtatuam adorare noluerunt cum gentilibus. Ordo etiam præcipit, ut infra hymnum eorundem puerorum non ſedeamus: ne, illis in camino laborantibus, nos inertiæ ſeſſionis dediti eſſe videamur. Hoc autem ſabbatum, quamvis ſex lectiones tantum habeat, dicitur tamen 12. lectionum, eo quod antiquitus eædem lectiones bis legebantur, Græce videlicet & Latine. Sciendum autem, ſanctum Calixtum Papam & Martyrem, huiusmodi ieiunia quater in anno celebrari conſtituiſſe, quæ prius ter tantum in anno celebrata ſunt. Sicut idem Apoſtolicus ad Benedictum Epiſcopum ſcribens, teſtatur.

XXIX. De vacantibus Dominicis.

Quatuor Dominicæ, quæ huiusmodi ieiunia proxime ſubſequuntur, in libro ſacramentorum vacantes prætitulantur, eo quod propriis careant officiis. Unde & ex præcedentibus quartis feriis ieiuniorum, Romano more inofficiantur, ut illæ duæ quæ vernale ieiunium ſubſequuntur, & hyemale. Illa autem poſt æſtivale ieiunium, non cum quarta feria, ſed multo convenientius cum officio Pentecoſtes ſuppletur, eo quod ſit octava eius. Poſt ieiunium etiam autumnale, quidam ex quarta feria, Dominicam ſequentem inofficiant, ut paucitati Dominicalium officiorum in æſtate hoc ſupplemento ſubveniant. Sed Romani huiusmodi penuriam repetitione Dominicalium officiorum ſupplent. Unde & prædictam complectionem ex quarta feria, quaſi non neceſſariam, ibi prætermittere ſolent. Hæ autem Dominicæ antiquitus ab officio vacabant, quia celebratio ordinationum iuxta decreta ſanctorum Patrum, tam ſero fiebat in ſabbato, ut potius Dominicæ, quam ſabbato, aſſcriberetur. Nam beatiſſimus Leo Papa primus, uſque in mane Dominicæ diei ordinationes rite celebrari poſſe teſtatus eſt, continuato tamen ſabbati ieiunio, immo ipſas Leviticas ordinationes & ſacerdotales nunquam, niſi in Dominica, iuſſit celebrari, Dioſcoro ſcribens Epiſcopo: Conſecrandis, inquit, nunquam benedictio detur, niſi in Dominica, quæ a ſabbati veſpera initiatur. Item beatus Gelaſius Papa ſucceſſor eius, omnibus Epiſcopis ſcribens, decrevit, ut in ſabbatis quatuor temporum ordinationes circa veſperam celebrarentur. Unde & Romanus ordo in quadrageſima in ſabbato ordinationum orationem ſuper populum interdicit, ad quam Antiqui non ſolum capita, ſed & genua flectebant, quod Niceni canones in Dominica fieri penitus vetant. Sanctus quoque Gregorius dies ordinationum ſuis homiliis inſignivit ut Dominicas. Videlicet hæc duo Evangelia: Anno quintodecimo, & Arborem fici, exponens ad populum. Item ſanctus Leo Papa illud Evangelium, Aſſumpſit Ieſus, de ieiunio Vernali expoſuit: quaſi Dominicæ diei ſatisfaciens, infra quam ipſe ſemper ordinationes fieri conſtituit.

XXX. De Adventu Domini.

Ab Adventu Domini uſque ad Nativitatem eius, Te Deum Laudamus, Gloria in excelſis Deo, Ite Miſſa eſt, dimittimus: quia maior gloria novi Teſtamenti, quam veteris, cuius typum infra adventum Domini obſervamus. Aliquanto etiam feſtivius natale Domini ſuſcipimus, ſi huiusmodi glorificationes aliquandiu ſuppreſſas quaſi de novo illa die incipimus. Quidam infra adventum Domini caſulis pro Dalmaticis utuntur. Quidam autem ſolito more veſtiuntur, eo quod Miſſam ad tertiam & Alleluia, ſicut & tota æſtate dicunt. In nativitate tamen Apoſtolorum, ſive dedicatione Eccleſiæ, prædictas glorificationes non omittimus. Hinc uſque poſt octavam Pentecoſtes, ſolitam mentionem ſanctæ Crucis ad veſperam ſive ad matutinas, & in feria ſexta, & de ſancta Trinitate Dominicis diebus, reticere ſole-

Digitized by Google

ſolemus. Nam quod quidam illo breviſſimo ſpatio, quod Purificationem ſanctæ Mariæ & Septuageſimam aliquando diſiungit, mentionem ſanctæ crucis reſumunt, non adeo congruum videtur, cum illo tempore, de infantia Chriſti potius, quam de paſſione, cantetur atque legatur.

XXXI. De Evangelio, Cum appropinquaret.

In Dominica prima de adventu Domini, quidam legunt Evangelium, Erunt ſigna, eo quod ſanctus Gregorius in libro homiliarum illud inprimis poſuerit. Sed parum attendunt, quia idem Apoſtolicus in eodem libro huiusmodi ordinem non attendit: in quo plura Evangelia penitus non tetigit, inſuper & quæ expoſuit, multoties poſteriora prioribus anteponere conſuevit. Alii initium Marci Evangeliſtæ legunt, ſed quia inuſitatum eſt, pauci aſſentiuntur. Nos autem ex antiqua traditione, Cum appropinquaret, legimus, non utique ſedi Apoſtolicæ, ſi aliter iuſſerit, præiudicantes, ſed interim authoritatem ſanctorum Patrum ſectantes. Nam & ſanctus Hieronymus in libro Comitis ita ordinavit, cuius libri ordinem & ſanctus Gregorius diligentiſſime obſervavit, ſiue dum lectionibus & Evangeliis Miſſales orationes in ſacramentario adaptaret, ſive dum Antiphonas ex eisdem Evangeliis quam plurimis diebus in Antiphonario articularet. Ipſum quoque Evangelium, Cum appropinquaret, etſi de itinere Domini ad paſſionem agere hiſtorialiter videatur, non tamen iſtius adventus in mundum omnino obliviſcitur, cum pueri Hebræorum in laudem eius illud pſalmiſtæ in altum proclament: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quod author Antiphonarii de hoc adventu proculdubio intellexit, cum inde Reſponſorium in hiſtoriam Dominicæ nativitatis compoſuit.

XXXII. De hiſtoria, Clama.

Quidam hiſtoriam, Clama, a quarta feria hyemalis ieiunii omni anno incipiunt, etiamſi adhuc 12. dies uſque ad nativitatem Domini remaneat. Æſtimant enim hanc hiſtoriam pro eodem ieiunio eſſe inſtitutam, ſed falluntur. Si enim Romana authoritas illam ad hoc inſtitueret, ante Dominicam vacantem, id eſt, Canite tuba, hanc quoque ſicut diurnalia eiusdem ieiunii officia collocaret. Nam hoc in omnibus huiusmodi ieiuniis obſervatur, ut officia eorum ſemper Dominicam vacantem præcedant, quæ etiam poſt iſta ſemper obſervatur, iuxta ſtatuta ſanctorum Patrum, aut penitus prætermittitur. Nec Nec utique aliqua Dominica vacans, proprie dicitur, niſi quæ huiusmodi ieiunii officia indiviſe ſequitur, a quibus & ipſa inofficiatur, ſi neceſſe fuerit, ut obſervetur. Præterea ſi eadem hiſtoria pro ieiunio inſtituta eſſet, ſuperfluo ſecundam, tertiam, quartam, quintam feriam eodem modo, ut ſextam, inofficiatas haberet, cum tamen nihil ad illas prædictum ieiunium pertineat. Patet ergo, hanc hiſtoriam non pro ieiunio, ſed potius ad hoc eſſe inſtitutam, ut proxima hebdomada ante Nativitatem Domini, ſicut & ante Paſcha, tanto plus in officiis habeatur, quanto vicinior Dominicæ ſolennitati exiſtat. Nam & Antiphonarius hoc innuere videtur, qui hiſtoriam, Canite tuba, proximam Dominicam ante nativitatem vocat, & hanc, id eſt, Clama, infra hebdomadam eiusdem Dominicæ canendam ſubſequenter inſinuat, ſingulis feriis ſingulas matutinales laudes attribuens. Sunt autem ita deſcriptæ, ut eo anno obſerventur, cum Nativitas Domini in Dominicam, & vigilia in ſabbatum occurrit, quod & Antiphona, Nolite timere, in quarta feria præcedenti deſcripta, & Antiphona, Expectetur, de Cantico ſabbati vigiliæ aſſcripta, demonſtrant. Unde & ipſum ſabbatum ſpeciali matutinali laude inſigniri non neceſſe habuit. Nam omni anno, aut eiusdem vigiliæ officium obtinebit, aut alterius feriæ, quam eadem vigilia eo anno occupaverit. Illo non negligenter obſervato, ut ſabbatum ſemper de vigilia ferialem pſalmum & canticum cum Antiphona obtineat, & vigilia illius feriæ, quam ſibi vendicavit, ferialem pſalmum & canticum cum antiphona poſſideat.

XXXIII. De ſeptem diebus ante Natale Domini.

Sciendum autem in antiquis antiphonariis ante Natale Domini non niſi VII. officia continuari, videlicet vacantis Dominicæ, & quinque feriarum ac vigiliæ, unde & annuatim eadem officia ab octava die, quæ Nativitatem Domini præcedit, congrue incipimus, ut totam illam ſeptimanam ſtatutis officiis celebrem habeamus, nec tamen aliquem diem præter ſanctorum Patrum inſtitutionem huic celebritati ex noſtra parte applicemus.

Digitized by Google

cemus. Et hoc quoque non ocioſe notandum, quia huius ſeptimanæ officia, etſi ſpecialiter pro ieiunio, ut probatum eſt, non ſint inſtituta, nunquam tamen illud omnino relinquunt, niſi eo anno, dum Nativitas Domini in Dominica occurrit. Tunc enim vigilia in ſabbato evenit, & hoc ieiunium extra hanc ſeptimanam in præcedenti ſabbato celebrari compellit. Nam officium vigiliæ & ieiunii ſimul una die competenter nequeunt obſervari. In omnibus autem aliis annis, idem ieiunium aut ex integro, aut ex aliqua parte prædictæ ſeptimanæ includitur, & per legitimas eius ferias celebratur. Unde & Antiphonæ, de Evangeliis huius ieiunii, quamvis cum ipſo multoties anticipentur, merito tamen in quarta & ſexta feria & ſabbato eiusdem ſeptimanæ deſcribuntur, quia easdem ferias idem ieiunium adeo frequentat, ut vix uno anno illas ex integro derelinquat. Si Natale S. Thomæ in aliqua die huius ieiunii evenerit, omnia ſollemniter de Apoſtolo nocte & die peragantur, miſſaque eius ad tertiam ieiunii ad ſextam cum genuflexione celebratur. Sic quoque in ieiunio autumnali agitur, ſiquando feſtivitas S. Mauritii & Matthæi Apoſtoli illud attigerit. In proxima Dominica ante Natale Domini ſi vigilia non occurrit, romano more non memento, ſed Rorate per totum quippe officium præcedentis quartæ feriæ canimus, eſt enim una vacantium Dominicarum, quæ cum propriis careant officiis, aliunde inofficiantur, ut ſupra demonſtravimus. Si autem vigilia hanc occupaverit Dominicam, omnia ad miſſam de vigilia obſervamus, ſed feſtive cum alleluia veni, quæ & ad matutinum ſex ſibi reſponſoria de Dominicali hiſtoria cum Dominicalibus pſalmis debet aſſumere, tria vero ultima & matutinales laudes cum ferialibus pſalmis debet aſſumere.

XXXIV. In Natali Domini.

In Natali Domini finito nono reſponſorio, Evangelium, Liber generationis, legitur. Deinde, Te Deum laudamus, cum pulſatione ſignorum dicitur: ſicque finitis nocturnalibus vigiliis, Miſſa Dominus dixit, ante matutinales laudes, cum, Benedicamus Domino, non cum, Ite Miſſa eſt, completur: ne populo quaſi licentiam abeundi infra matutinales laudes dediſſe videamur, quas ſtatim poſt Miſſam, iterum concrepantibus ſignis, incipere ſolemus.

XXXV. De ſecunda veſpera ſancti Stephani.

Omnes authentici antiphonarii ſecundam veſperam ſancto Stephano concedunt ex integro. Unde & reliquis feſtivitatibus per annum hoc exemplo ſecundam veſperam ex toto concedimus, etiamſi maior feſtivitas ſubſequatur. Non enim congruum eſt, ut pſalmos veſpertinales tantummodo præcedenti feſto, reliqua vero ſubſequenti tribuamus. Nam ſancti Patres nullum nobis inde exemplum reliquerunt, qui potiſſimum nos concordiam officiorum ſingulari diligentia ſervare docuerunt. Summa tamen feſtivitas ſiquando minorem ſubſequitur, ſecundam veſperam prioris feſti ex toto ſibi non incongrue vendicabit, ut octava Domini ſecundam veſperam ſancti Sylveſtri. Veſperam quidem de quolibet feſto uniformiter perficimus, deinde alterius feſti, ſi neceſſe fuerit, poſt Benedicamus Domino, memoriam facimus, ut de ſancto Stephano, & de ſancto Iohanne obſervamus.

XXXVI. De Innocentibus.

In nativitate Innocentium, Gloria in excelſis, & Alleluia ſecundum ordinem reticemus. Item, Te Deum laudamus, &, Ite Miſſa eſt, quæ cum Gloria in excelſis, Romano more ſolent admitti vel prætermitti. Hæc, inquam, omnia omittuntur, niſi Dominica fuerit. Gloria Patri vero nunquam dimittimus, niſi de paſſione Domini. Merito autem paſſio ſanctorum Innocentium minus feſtive quam aliorum ſanctorum celebratur, quia licet martyrio coronati, non dum tamen ad gloriam, ſed ed infernalem pœnam diſceſſerunt Nam ante deſcenſum Chriſti ad inferos, nullus ſanctorum ad illam gloriam pervenit, ad quam Chriſtus antiquos ſanctos perduxit, & deinceps ſuos ſequaces perducere non deſinit. Sed quia ipſi in reſurrectione Dominica, cum reliquis ſanctis liberari & conglorificari meruerunt, convenientiſſime & ipſi iuxta ordinem, ſolitam gloriam in officiis cum reliquis ſanctis obtinebunt, ſi natalis eorum uſque ad diem reſurrectionis, id eſt, Dominicam pervenerit. Octavam quoque eorum eodem modo, ut aliorum ſanctorum, celebramus, quia iam tranſacta die reſurrectionis, non dubitamus eos gloriari cum aliis ſanctis.

Digitized by Google

XXXVII. De officio, Dum medium ſilentium.

Si Nativitas Domini, vel aliqua ſubſequentium ſolennitatum, in Dominica evenerit: officium, Dum medium ſilentium, poſt natalem Innocentium ad privatos dies congrue ſervatur: ſicut & in aliis Dominicis agimus, ſi aliquando celebrius in iis feſtum habuerimus. Unde etiam idem officium Romano more repetitur, ſi quando ab octava Domini uſque ad Epiphaniam, Dominica evenerit. Omnis enim Dominica a nativitate Domini, uſque ad Epiphaniam, ex antiqua traditione illud obtinebit: quæ tamen celebriori feſto occupata non fuerit. Nam cum hoc officium de Nativitate Domini agat, convenientiſſime illis Dominicis adaptatur, quæ & reliqua officia de eadem ſolennitate ſolent obtinere. Non enim illi ſunt audiendi, qui hoc officium, eo quod de Nativitate agat, nunquam poſt octavam Domini dicendum exiſtimant: cum tamen ipſi vigiliam Epiphaniæ de Nativitate Domini ex integro inofficiare ſoleant & debeant. Ipſi quoque ſi Dominica in octava ſancti Stephani vel aliorum evenerit, Dominicam de octava inofficiant, dum tamen eccleſiaſtica ſolennitas, non pro octava ſancti Stephani, ſed pro octava Domini agatur. Hoc autem ſancti Patres in diſpoſitione officiorum ſummopere procuraverunt, ut officium ſemper inſtanti celebritati concordaret: ne clerus aliud quam populus, in eccleſiaſticis celebritatibus obſervaret. Præterea omnes Dominicæ ſolennitates ſibi invicem affines, hoc habent privilegium, ut obſervatio earum adinvicem continuetur: ut, Reſurrectionis uſque ad Aſſcenſionem, & Aſſcenſionis uſque ad Pentecoſten commemoramus, & omnes Dominicas iis ſolennitatibus interpoſitas de eisdem inofficiamus. Sic quoque & nativitatis Dominicæ uſque ad Epiphaniam memoriam agimus, niſi inquantum feſtis ſanctorum vel octavis eorum ſatisfacere cogimur. Eodem quoque modo infra hunc terminum occurrentes Dominicæ, officium de Nativitate poſſidebunt.

XXXVIII. De eodem officio in alia Dominica repetendo.

Quamvis autem duæ Dominicæ multoties eveniant eo tempore, nunquam tamen ambas Dominicali officio occupari feſta ſanctorum permittent: niſi eo tantum anno, dum vigilia Epiphaniæ in Dominica evenerit. Unde & ſanctus Gregorius ſatis competenter unum Dominicale officium eo tempore ordinavit, eo quod & ibi una tantum Dominica omni pene anno occurrat, quæ huiusmodi officio indigeat. Nec hoc utique ſanctus Gregorius, vel poſt Epiphaniam, vel poſt Pentecoſten ſervare curavit, ut tot officia ſemper haberemus, quot Dominicæ poſſent evenire. Nam optime prævidit, huiusmodi inæqualitatem, repetitione officiorum facile emendari poſſe. Unde & nos, cum vigilia Epiphaniæ in Dominica occurrit, prioris Dominicæ officium pleniter repetimus. Sic & in Dominicis poſt Epiphaniam & poſt Pentecoſten, quoties neceſſe fuerit, iuxta Romanam conſuetudinem facere debemus. Sicut enim hiſtorias Dominicarum, inquantum tempori ſufficit, repetimus, nihilominus & officia earum repetere poſſumus. Nam & Dominicale officium alii Dominicæ, quæ eiusdem obſervantiæ eſt, non incompetenter adhibebitur, quam ſingulis privatis diebus, qui Dominicarum officia dum recipiunt, ex feſtivis ferialia efficiunt: hoc tamen non tam ex Eccleſiaſtici conventus neceſſitate, quam ex propria devotione uſquequaque uſitamus. Non ergo magis incongruum videatur, ſi idem officium in alia Dominica, ut eccleſiaſtico conventui ſatisfiat, repetatur.

XXXIX. De octava Domini.

In octava Domini, iuxta Romanam authoritatem, non officium, Puer natus eſt: ſed, Vultum tuum, ut in graduali libro habetur, cum Alleluia, Poſt partum virgo: cantamus: & orationem Gregorianam, Deus qui ſalutis æternæ: non illam, Deus qui nos Nativitatem dicimus. Et notandum, huius octavæ officium evidentiſſime de ſancta Maria agere. Unde & Romani ea die ad ſanctam Mariam ſtationem faciunt, nec immerito: nuper enim cum nativitatem Domini celebraremus, nullum tam ſpeciale officium matri eius attribuere potuimus. Unde non incongrue illam ſpecialius in octava Domini veneramur, ne ſolennitate Filii ſui expers eſſe videatur, quam tamen in eadem ſolennitate poſt Dominum maxime honorandam eſſe non dubitamus. Matutinales quoque laudes huius octavæ, de ſancta Maria agunt expreſſiſſime. Unde & illa reſponſoria de Nativitate Domini, quæ de ſancta Maria

Digitized by Google

ria commemorant, huic diei congrue attitulantur, ne a Gregoriano eiusdem diei officio diſcrepemus in aliquo. Apte autem omnia in hunc modum ordinari poſſunt. Ad veſperam Antiphon. Tecum principium, cum reliquis. Reſponſorium, Congratulamini. Hymnus, A ſolis. In Evangelio Antiphona, Magnum hæreditatis. Invitatorium, Chriſtus natus eſt. Antiphona, Dominus dixit. Antiphona, In ſole. Antiphona, Elevamini. Reſponſorium, Deſcendit. Reſponſorium, O magnum. Reſponſorium, Sancta & immaculata. Antiphona, Speciosus. Antiphona, Rex omnis. Antiphona, Suſcepimus. Reſponſorium, Beata & veneranda. Reſponſorium, Congratulamini. Reſponſorium, Continet in gremio. Antiphona, Homo natus. Antiph. Exultabunt. Antiphona, Notum fecit. Reſponſorium, Confirmatum eſt. Reſponſorium, Neſciens mater. Reſponſorium, Verbum caro. Matutinales laudes, O admirabile, per ordinem. Eædem Antiphonæ, in ſecunda veſpera ſuper pſalmos de Nativitate Domini leguntur. In Evangelio Antiphona, Qui de terra eſt. In Dominica autem poſt Nativitatem Domini, ita ordinabitur: Invitatorium, Chriſtus natus eſt. Pſalmi Dominicales, cum tribus Antiphonis de Nativitate Domini. Reſponſorium, Deſcendit. Reſponſorium, Quem vidiſtis. Reſponſorium, O magnum. In 2. noctur. Reſponſorium, Continet in gremio. Reſponſorium, Confirmatum eſt. Reſponſorium, Hic qui advenit. In tertio nocturno. Reſponſorium, Ecce Agnus Dei. Reſponſor. Benedictus. Reſpon. O regem. Matutinales Laudes, Quem vidiſtis. In Evangelio: Dum medium. Notandum autem, in octava Domini nocturnalem cantum de ſancta Maria multum agere, quia & diurnale officium in honorem eius videtur inſtitutum. In Dominicali autem nocte, non tam de ſancta Maria, quam de Nativitate Domini agimus: quia & in diurnali officio ſpecialiter de Nativitate Domini commemoramus: Eſt autem traditio ſanctorum Patrum, ut in huiusmodi feſtivitatibus officio Miſſæ reliqua concordent officia.

XL. De Epiphania.

Si vigilia Epiphaniæ in Dominicam evenerit, in nocte, ut prædictum eſt, canimus. In die quoque officium, Dum medium, ut in priori Dominica, pleniter obſervamus. Si autem in alia die occurrit, idem quidem officium, ſed cum lectione, Scimus: & Evangelio, Defuncto Herode. Unde & communio, Tolle puerum, ſumpta eſt, cantamus: quia hoc officium ante uſum huius vigiliæ ibi cantabatur, utpote Dominica eiusdem hebdomadæ, ſicut &, Vocem iocunditatis, canitur in vigilia Aſſcenſionis, & aſſumitur Communio de eiusdem diei Evangelio. In Epiphania ad nocturnas, iuxta Romanum Ordinem, Invitatorium reticemus: ut a doloſa invitatione Herodis diſcrepemus: ab Antiphona, Afferte, ea nocte incipitur. Antiphona, Fluminis, cum Pſalmo in tertiam nocturnam differtur: quia maior laudatio, quam Alleluia ſonat, ſub gratia eſt, cuius typum tertia nocturna gerit, quam ante legem vel ſub lege, quod præcedentes nocturnæ ſignificant. Unde & omnes hiſtoriæ, quæ ſibi Alleluia vendicant, plus Alleluia in tertia nocturna frequentant. Si Epiphania in Dominicam evenerit, nihil in ea die de officio Dominicæ tangimus. Quod tamen infra Octavam eius ideo obſervare ſolemus, ut lectiones & Evangelia ferialia, quæ de baptiſmo Domini ſonant, eo tempore recitentur, cum & feſtum de Baptiſmo Domini agitur.

XLI. De Dominicis poſt Epiphaniam.

Si autem per interiacentes dies ab Epiphania uſque in octavam eius, Dominica evenerit, neceſſario eo die Eccleſiaſtico conventui, cum Dominicali officio ſatisfaciemus, quem non pro Epiphania, ſed pro Dominica conveniſſe ſcimus. Dominicales quoque pſalmi, cum cantu de Epiphania, ſunt recitandi. Sic enim omnem Dominicam, Dominicis ſolennitatibus interpoſitam, nec tamen celebriori officio occupatam, de eisdem inofficiare ſolemus. Privatos quoque dies ſolennitatibus intervenientes, ita obſervamus, ut invitatorium & unam Antiphonam ſuper ferialem Nocturnam: item verſ. Reſponſorium, & Matutinales laudes, & cætera, de feſto dicamus. Iuxta Romanum enim Ordinem, ferialem nocturnam nunquam dimittimus, cum tria tantum reſponſoria dicimus, niſi in hebdomada Paſchæ & Pentecoſtes. Primæ ergo Dominicæ officium infra hanc octavam omni anno rite obſervatur, etiamſi propter pluralitatem hebdomadarum uſque ad ſeptuageſimam, repetendum videatur: ſicut & alia duo officia, Omnis terra, Adorate, cum multoties ſex occurrant hebdomadæ, his officiis inofficiandæ. Cum autem una tantum Dominica inter Epiphaniam & ſeptuageſimam accidit, duo officia, nullo Eccleſiaſtico conventu fieri

hoc

Digitized by Google

hoc exigente, in unam hebdomadam coniungere debebit, quicunque nullum eo anno ex ſtatutis officiis prætermittere voluerit. Non ergo minus competenter idem officium aliquando in alia Dominica repetimus, cum nullum celebrius officium habuerimus, unde Eccleſiaſtico conventui rite ſatisfacere valeamus. Ipſi quoque privati dies, Romano more, officium prioris Dominicæ recipiunt, ſi non aliunde competenter inofficiari poſſunt. Sciendum autem, cum in aliqua Dominica aliud feſtum ſolenniter obſervamus proceſſionem tamen & aquæ benedictæ adſperſionem, iuxta decretum ſancti Alexandri Papæ, &, Credo in unum, non dimittimus.

XLII. De duobus feſtis in unum diem concurrentibus.

Cum duæ feſtivitates novem lectionum in unum diem concurrunt, quarum utraque plenum per ſe exigit officium, celebriorem ex integro obſervamus, alterius vero poſtea tantum memoriam agimus. Si autem utraque pleniter obſervanda videtur, aut in ipſa die ambabus ſingula officia perſolvantur, iuxta quod & ſanctus Gregorius in Sacramentario, & in Graduali libro aliquoties uni diei bina aſſcribit officia: aut una earum in ſequentem diem differatur, ſicut ſanctus Gregorius Papa feſtum ſancti Pauli, poſt feſtum ſancti Petri voluit obſervare. Nam illam uſurpationem, quæ ex duobus officiis in una die obſervandis, unum incompoſite compingit, ſanctorum Patrum authoritas non admittit, (quæ ſemper nos inofficiis concordiam cuſtodire præmonuit) videlicet unam nocturnam de uno feſto, reliquas de alio obſervemus. Eo enim pacto ſi utrique feſto ſatisfacere niteremur, neutrum debita officiorum reverentia celebraſſe convinceremur. Ut autem duorum feſtorum officia in uno die ſeparatim compleantur, vel unum eorum in alium diem differatur: non tam generali totius eccleſiæ obſervationi, quam privatæ religioſorum vacationi adiacere videtur, qni nullum de ſtatutis officiis prætermittere volunt.

XLIII. De Martyribus Romanis Pontificibus.

Gregorius huius nominis Papa ſeptimus, Apoſtolicæ ſedi præſidens, conſtituit, ut ſanctorum omnium Romanorum Pontificum & Martyrum feſtivitates, ſolenniter ubique cum pleno officio celebrentur. Nam cum quælibet Eccleſia ſui patroni, etiamſi confeſſor fuerit, feſtum ſolenniter obſervet, quanto magis eorum, qui totius Eccleſiæ non tam patroni, quam Patres extiterunt, quam etiam uſque ad martyrium verbis & exemplis inſtituere non deſtiterunt? Nota autem ſanctum Gregorium Papam primum in graduali libro de his martyribus, ſicut de confeſſoribus, Pontificalia inſtituiſſe officia, ut de S. Marcello, Antiph. Statuit: & de S Felice, Antiph. Sacerdotes, & hoc utique ſatis congrue, propter excellentiam dignitatis Apoſtolicæ. Hoc etiam attendendo, Maiores noſtri de eisdem ſanctis confeſſorum officia ad curſum diei & noctis leguntur obſeruaſſe, quæ & Pontificii dignitatem eodem modo inſinuant, nec tamen in aliquo eorum martyrio præiudicant. Idem & de ſancto Apollinare obſervandum eſſe gradualis liber demonſtrat. Et de iis quidem ſanctis Hymnus, Invitatorium, Verſus: Gloria & honore, Poſuiſti Domine, Magna eſt gloria eius, cantantur ut de martyribus: reliqua vero per ordinem, ut de confeſſoribus. Quidam autem moderni, minus concordiam officiorum attendentes, de illis omnem cantum, ut de martyribus obſervant, præter ad Miſſam: aſſerentes congruum eſſe, ut nocte de Martyrio eorum: ad Miſſam autem, de ſacerdotali eorum dignitate agatur. Sed convenientior videtur ſuperior obſervatio. Nam Miſſa in quolibet feſto, reliqua ſolet informare officia.

XLIV. De octavis Sanctorum.

Iuxta Romanam authoritatem, nullorum ſanctorum octavas obſervare debemus, niſi unde certam aliquam traditionem a ſanctis Patribus habemus. Eorum quoque, quorum octavas celebramus, nullam quotidianam mentionem per interiacentes dies agimus, quia nullam authoritatem inde habemus: exceptis de ſancta Maria, & de ſancto Petro, quorum memoriam & alio tempore non ceſſamus frequentare. In feſto cuiuslibet ſancti trium Reſponſoriorum, nocturnas non dimittimus, ſancto tamen Invitatorium, Reſponſorium, & matutinales laudes, & alia uſque ad finem Miſſæ, concedimus: Reliqua de ferialibus. Nam iuxta Romanam conſuetudinem, nullius ſancti trium Reſponſoriorum, mentionem facimus poſt Miſſam, ſive illa canatur ad tertiam, ſive ad ſextam. Immo cum ipſa Miſſa mentionem

ſancti finimus. In feſto autem novem lectionum, omnia uſque ad ſecundam veſperam de feſto agimus.

XLV. De priori veſpera Dominicali.

Poſt octavam Epiphaniæ, ſive privata dies ſit, ſive Dominica, leguntur Epiſtolæ Pauli uſque ad ſeptuageſimam. Prior veſpera cuiuslibet Dominicæ, craſtinam exigit orationem: quia capitulum ante Magnificat, ſequenti aſſcribitur Dominicæ: ſicut in Dominica de Adventu Domini, & Quadrageſimæ, ſive paſſionis Dominicæ comprobatur, quod & in aliis ſolennitatibus pene uſquequaque frequentatur. Hoc utique & Reſponſoria & Antiphonæ indicant, quæ de craſtina hiſtoria ad priorem veſperam ſolent anticipari. Aliquando tamen ultima Antiphona de Evangelio prioris Dominicæ, ad veſperam prædictam reſervatur, ut in Dominicis poſt Epiphaniam & Paſcha, quæ tamen adeo concordant, ut Antiphona præcedentis Dominicæ, orationi ſubſequentis optime conveniat.

XLVI. De Aqua Aſperſionis, Gloria in excelſis, Ite Miſſa eſt, & Credo.

Alexander Papa quintus a beato Petro, conſtituit, ut ſal & aqua benediceretur ad conſpergendum populum, & habitacula eorum: quod & nos in omni Dominica iuxta Canones ſequimur. Symmachus Papa in ordine 53. conſtituit, ut in Dominicis diebus & natalitiis martyrum, hymnus, Gloria in excelſis, dicatur. Quod & nos obſervamus in omni Dominica, & in feſtis novem lectionum, excepto infra Adventum Domini, & a ſeptuageſima uſque in Paſcha. In iis tamen diebus natalicia Apoſtolorum & feſta ſanctæ Mariæ iuxta Romanam conſuetudinem, Gloria in excelſis, recipiunt. Semper autem cum Gloria in excelſis, etiam, Te Deum, &, Ite Miſſa eſt, recitamus: niſi in Miſſa de Nativitate Domini ſcilicet in nocte, & in cœna Domini, & in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes. Congrue autem & in feſtivis diebus, Ite Miſſa eſt, dicitur, quia tunc generalis conventus celebrari ſolet, qui per huiusmodi denuntiationem licentiam diſcedendi accipere ſolet. Ad quotidiana autem Miſſarum ſolennia, non generaliter ab omnibus, ſed a religioſis convenitur, qui plus ſpiritualibus negociis quam ſecularibus invigilant. qui & reliqua, dum licet, officia quotidie frequentant. Ergo convenienter illis poſt Miſſam, ut non ſtatim diſcedant, ſed ut Dominum benedicant, denunciatur. Huic aſſertioni & Eccleſiaſtica conſuetudo videtur adſtipulari. Quia cum, Ite Miſſa eſt, dicimus, ad populum vertimur, quem diſcedere iubemus: cum autem, Benedicamus Domino, dicimus, non ad populum, ſed ad altare, id eſt, ad Dominum vertimur, nosque ipſos non ad diſcedendum, ſed ad benedicendum Domino adhortamur. Sciendum tamen, quod, Ite Miſſa eſt, infra adventum Domini & ſeptuageſimam, non recitetur: non quaſi tempore nullus fiat conventus, qui ſit demittendus, ſed potius pro triſtitia temporis inſinuanda. Sic &, Gloria in excelſis, dimittitur. Credo in unum, iuxta Canones, in omni Dominica, & in omnibus Dominicis ſolennitatibus, item in feſtis ſanctæ Mariæ & Apoſtolorum, & ſanctæ Crucis, & omnium Sanctorum, & dedicationis, debet cantari, nec immerito: nam & de iis ſingulis in eodem ſymbolo aliqua reperitur commemoratio. Hoc quoque notandum, quod cum, Gloria in excelſis, ſemper Dalmaticæ & ſubdiaconalia reſumuntur.

XLVII. De Septuageſima.

In ſeptuageſima Heptateuchum incipiunt. Unde & Alexander Papa ſecundus conſtituit, ut reſponſoria de eadem hiſtoria in eadem Dominica incipiantur, quæ & in ſequenti Dominica repetantur, Alleluia etiam in ſabbato ad veſperam iuſſit dimitti ante ſeptuageſimam. Ab hinc uſque in cœnam Domini, Te Deum, Gloria in excelſis, Ite Miſſa eſt, Item Dalmaticæ, & ſubdiaconalia antiquo more dimittuntur. In biſſextili anno Nativitatem ſancti Matthiæ Apoſtoli colimus in illa die, quæ vigiliam eius proxime ſequitur, non in alia, quæ propter biſſextum eo anno in eodem Kalendario iteratur.

XLVIII. De feſtis infra LXX. vel L. occurrentibus.

Si Purificatio ſanctæ Mariæ infra ſeptuageſimam evenerit, nihil in ea iuxta Romanam conſuetudinem præter Alleluia de ſolita glorificatione mutamus. Sergius Papa a beato Petro 86. conſtituit, ut in diebus Annunciationis Domini, & Dormitionis, & Nativitatis ſanctæ Mariæ, & ſancti Simeonis, quod Græci ὑπαπαντη vocant, Litania exeat a ſancto Adriano, & ad ſanctam Mariam

Digitized by Google

rlam populus occurrat. ὑπαρ autem interpretatur obviatio, quia venerabiles perſonæ Simeon & Anna eo die obviaverunt Domino, dum præſentaretur in templo. Item cathedram ſancti Petri etiam infra ſeptuageſimam, & Annunciationem ſanctæ Mariæ infra quadrageſimam ſolenniſſime cum Dalmaticis & Gloria in excelſis Romano more celebramus. Sciendum autem, quod Laodicenſe Concilium capitulo 51. conſtituit, ut natalitia martyrum in Quadrageſima non celebrentur, ſed eorum commemoratio fiat in diebus ſabbatorum, vel Dominicorum. Quod hic ſoli martyres nominantur, hoc ideo, quia nondum apud antiquos memoria Confeſſorum adeo celebris fuit. Sancti quoque Patres in Toletano Concilio, de Annunciatione ſanctæ Mariæ conſtituerunt, ut de Quadrageſima in 15. Kalendas Ianuarii transferretur, ubi annuatim ſolenniter & convenienter ante Natale Domini poſſet celebrari: utputa cum omnia illius temporis officia de eadem reſonent annunciatione, ut in Ambroſiana obſervatur eccleſia. Sed nos magis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ morem gerentes, infra Quadrageſimam, illam celebramus, ſicut & aliorum quorundam ſanctorum. Synodaliter autem legitur ſtatutum, ut eadem annunciatio, ſi in triduo ante Paſcha occurrat, in ſabbato ante Palmas anticipetur. Qui dies & proprio officio caret, & per totum annum venerationi ſanctæ Mariæ ſolet obſecundare: quæ anticipatio & omni neceſſaria videretur anno, dum eadem feſtivitas idem ſabbatum ſubſequitur, eo quod duæ ſubſequentes ſeptimanæ propriis officiis intantum ſunt occupatæ, ut tantæ ſolennitati digne nequeant deſervire. Sed nos nihil temere uſurpare debemus niſi quod ex Rom. auctoritate aut eccleſiaſtica traditione canonizatum depræhendimus. Cum autem feſtivitates novem lectionum in quadrageſima agimus, omnia de feſto, die ac nocte, & Miſſam de ipſo ad tertiam feſtive dicimus. De quadrageſima vero, poſt Benedicamus, Antiphonam ferialem cum precibus & oratione, & hoc ad matutinum & veſperam tantum: Miſſam quoque de Quadrageſima, ad Nonam cum genuflexione.

XLIX. De capite Ieiunii.

In capite Ieiunii, Miſſam dicimus ad nonam, & omnia facimus ut in quadrageſima. Cum enim illi quatuor dies pro complemento quadrageſimalis ieiunii recipiantur, neceſſario quadrageſimalem obſervantiam obtinebunt, videlicet ut nonniſi poſt veſperam ieiunium ſolvatur, ſicut in Canonibus præcipitur. Quod tamen alio tempore ſtatim poſt nonam ſolvitur, cum & Miſſa ad ſextam celebratur. In hoc enim quadrageſimale ieiunium ab aliis differt diebus, quod in aliis poſt nonam, in hoc autem poſt veſperam reficere debemus. Nec iuxta Canones quadrageſimaliter ieiunare cenſemur, ſi ante veſperam reficimur. Ergo & in iis quatuor diebus, ſimiliter ieiunare debemus, ſi cum iis quadrageſimale ieiunium adimplere volumus: Unde & Miſſa in iis diebus, non ad ſextam, ſed ad nonam merito celebratur. Eſt enim Eccleſiaſtica conſuetudo, ut ad nonam reficiamur, cum ad ſextam Miſſam celebramus: ad veſperam autem, cum ad nonam ſacrificamus. Ut ergo & in iis diebus uſque ad veſperam ieiunemus, Canonicum eſt, ut & Miſſam uſque ad Nonam differamus. Sciendum autem, non ſolum modernos, ut quidam putant, ſed & antiquos a capite Ieiunii incepiſſe, cum & ſanctus Gregorius ibi Quadrageſimalia officia videatur initiaſſe. Sic enim in Gregorianis ſacramentariis ſive Gradualibus libris evidentiſſime declaratur. Subſequens tamen Dominica proprie initium Quadrageſimæ dicitur: unde & 42. dies uſque in Paſcha computantur, quibus cum ſex Dominicas ſubtrahimus, non niſi trigintaſex in abſtinentia obſervamus. Ergo a capite ieiunii neceſſario incipimus, ſi cum Domino ieiunium quadraginta dierum complere volumus. Exinde etiam orationem ſuper populum iuxta Gregorii inſtitutionem exordimur, quam nunquam dicimus, niſi cum & quadrageſimaliter ieiunare debemus.

L. De Quadrageſima.

In Quadrageſima dicitur præfatio, Qui corporali ieiunio, iuxta ſtatutum Pelagii Papæ, non minus in Dominicis, quam in earum feriis. A Dominica tamen Palmarum, eo quod ibi paſſiones legere incipimus, præfationem de Cruce dicimus uſque in cœnam Domini, videlicet per illos quinque dies quinquepartitam Domini paſſionem intimantes: Ipſamque hebdomadam, quam ſancti Patres maiorem vocant, eadem præfatione adornantes: nam & convenientiſſime eo tempore dicitur, cum de paſſione Domini tam ſpecialiter agitur. In prima hebdomada Quadrageſimæ celebrandum eſt ieiunium vernale, ſicut & ſancti Patres, Leo Magnus, Gelaſius, Gregorius Papa primus, & ſecundus & ſeptimus, conſtituiſſe

 le-

leguntur. Tractum, Domine non ſecundum, quem in Quadrageſima frequentamus, non tam ex Romano Ordine, quam ex noſtra conſuetudine uſurpamus. Melciades Papa a beato Petro 33. conſtituit, ut nullus in Dominica nec in quinta feria ieiunaret. Unde ſanctus Gregorius in diſpoſitione officiorum quintam feriam infra Quadrageſimam, vacantem dimiſit, ut quia feſtiva erat, ſicut Dominica, etiam officio Dominicali honoraretur. Sed quia eadem feria ieiuniis poſtmodum applicata eſt, Gregorius Iunior, ut reliquas ſtatuit eſſe ſolennem, officiis undecunque collectis, & maxime ex æſtivalibus Dominicis, unde & Antiphonæ ex Dominicalibus Evangeliis quintis feriis adhuc aſſcriptæ reperiuntur, ut ex Evangelio, Homo quidam erat dives: &, Ibat Ieſus: & in hebdomada quoque Pentecoſtes, quinta feria officio Dominicæ inofficiatur. Sabbata ante Quadrageſimam & ante Palmas Dominicarum ſuarum officia recipiunt: nec immerito, cum quilibet dies privati, de ſuis Dominicis ſoleant inofficiari. Ad omnes horas Quadrageſimales genua flectimus. Item ad Miſſam, etiamſi ſalutatio præcedat orationem, niſi alia oratio ſine ſalutatione præceſſerit: tunc enim ad priorem tantum genua flectimus: excepto, in quarta feria poſt Palmas, ubi ad utraſque iuxta Romanum Ordinem genuflectimus.

LI. De oratione ſuper Populum.

Orationem ſuper populum in Quadrageſima, ideo frequentamus: quia cum maiorem conflictum in ieiuniis & orationibus contra ſpirituales nequitias ſumimus, neceſſario nos inſtantius Deo commendare debemus. Nam oratio poſt communionem, pro ſolis communicantibus ſolet orare. Populus autem etſi quotidie in Quadrageſima conveniat, non tamen quotidie, ut deberet, communicat. Ne ergo populus ita oratione, ut communione careret, adiecta eſt oratio ſuper populum. In qua non de communicatione, ſed pro populi protectione ſpecialiter oratur. In Dominicis tamen diebus non dicitur, quia genuflexio vitatur, quæ huic orationi a populo antiquitus perſolvebatur: vel potius ideo, quia omnes iuxta atteſtationem ſancti Ambroſii, in Dominicis diebus communicare deberent, quibus & oratio poſt communionem pro benedictione ſufficere poſſet. Sciendum eſt autem, iuxta antiquos patres, quod ſoli communicantes divinis myſteriis intereſſe conſueverunt, unde & ante oblationem iuxta Canones iubebantur exire Catechumeni & pœnitentes, ut qui nondum ſe præparaverunt ad communicandum. Hoc quoque ipſa ſacramentorum innuit confectio. In qua ſacerdos non pro ſola ſua oblatione & communicatione, ſed & aliorum rogat, & maxime in oratione poſtcommunionem, pro ſolis communicantibus orare videtur. Nec proprie communio dici poteſt, niſi plures de eodem ſacrificio participent. Apud Græcos etiam, ut legitur, excommunicandus eſt, qui uſque ad tertiam Dominicam non communicaverit. Beatiſſimi quoque patres noſtri Ambroſius & Auguſtinus, ad quotidianam nos hortantur communionem. Sed quia hoc modo nec ab omnibus presbyteris in xl. nedum a laicis obſervatur, congrue adiecta eſt oratio ſuper populum, ut vel eo tempore ultima benedictione populus non careret, dum tamen communicare non ſoleret. Hinc quoque & illa conſuetudo apud modernos, quæ non fuit apud antiquos, inoleviſſe videtur, ut & in aliis temporibus, etiam presbyteri poſt finem Miſſæ benedicant, ne populum ita benedictione, ut communione, privatum diſcedere permittant.

LII. De diebus Dominicæ paſſionis.

A Dominica de paſſione Domini, non dicitur uſque in Paſcha, Gloria Patri, ad Reſponſoria vel ad Introitus, vel ad pſalmum, Venite, ad quem etiam repetitio Invitatorii ſolet mutari, id eſt, ut ad primum verſum a medio, ad ſecundum autem a principio repetatur, & ſic uſque in finem alternetur. In pſalmis ad tertiam nocturnam, legitur homilia de Evangelio, Cum appropinquaret. Iuxta ordinem non dimittitur ſalutatio ad paſſiones, niſi in Paraſceve. A ſacerdote officium reticetur, ſed, Gloria tibi Domine, non ſubiungimus. Sciendum autem, ſi quando infra paſſionem Domini de aliquo ſancto agimus, Gloria Patri, non omittimus. In feria ſecunda & tertia poſt palmas, duæ lectiones leguntur continuatim ad Miſſam, ut in Nativitate Domini. Item in ſabbato poſt mediam Quadrageſimam, & in quarta feria, poſt Palmas, duæ lectiones leguntur, & ſingulas recipiunt genuflexiones, nec immerito: Nam & Apoſtolus in eadem die in Antiphona ad introitum, Omnia cœleſtia & terreſtria & infernalia ad genuflexionem pro paſſione Domini hortatur, quæ in hac die conſilio Iudæorum facta legitur: quod enim in hac die Iudæi conſiliati ſunt, hoc in Paraſceve peractum eſt.

Digitized by Google

eſt. Sicut ergo Paraſceve plus quam aliæ feriæ ſextæ in genuflexionibus celebris habetur: ſic & in hac quarta feria plus quam in aliis, genuflectere merito debemus. Cum enim omnes quartas ferias pro paſſione Domini ſervemus, quis negat illam nobis maxime obſervandam, quæ nobis eandem ſpecialius paſſionem annuatim repræſentat? Iuxta Romanum quoque ordinem, easdem orationes cum genuflexionibus in quarta feria dicere debemus, quas & in Paraſceve ante ſalutationem Crucis ſancta Eccleſia ſolet obſervare. Præterea hæc hebdomada iuxta Romanam authoritatem maior appellatur, eo quod ex ſanctiſſimo Dominicæ paſſionis ſacramento inſignior cæteris habeatur. Iure ergo eandem & lectionibus & genuflexionibus ſive in aliis obſervationibus celebriorem, quam alias habemus. Iuxta Romanum Ordinem in Cœna Domini in Paraſceve & ſabbato ſancto, ad matutinales laudes poſt Benedictus, ſub ſilentio dicendum eſt, Kyrie eleiſon, preces & orationes. In Cœna Domini, Gloria Patri, & Gloria in excelſis reticetur, niſi ubi Chriſma conſecratur: Diaconi tamen Dalmaticis, & ſubdiaconi ſubdiaconalibus utuntur. In qua die ſub anathemate interdicitur, ne quis ſolvat Quadrageſimale ieiunium, ut Priſcillianiſtæ faciunt. Sic enim ſancti Patres noſtri in Laodicenſi & in Toletano concilio conſtituiſſe leguntur. Hinc beatus Ambroſius in ſermone dè quadrageſima: Qui, inquit, in quadrageſima unum diem prætermittit, totam Quadrageſimam violavit, illa præcipue die, quæ cum finis ſit quadrageſimæ, magis eſt obſervanda, quam alii. Quia omnis laus in fine canitur quam maxime. In paraſceve officium a lectione, non ab oratione, iuxta ordinem incipitur. Nam oratio finis eſſe ſolet potius officiorum, quam principium, ut in ipſa Miſſa patet, & in ſingularibus curſibus. In eadem die ante ſingulas orationes, præter illam de Iudæis, Flectamus genua, dicimus: ſtatimque, Levate: Poſtea orationem ſubiungimus, Romano more, ſicut & in aliis diebus continuamus.

LIII. De Sabbato ſancto.

In ſabbato ſancto Zozimus papa cereum magnum benedici conſtituit, qui & ante benedictionem illuminandus eſt, & in octavis Paſchæ populo diſtribuendus ad ſuffumigandum rebus eorum, quem Diaconus accepta benedictione ab aliquo ſacerdote debet benedicere. Duodecim lectiones iuxta Romanum Ordinem legendæ ſunt absque titulis, ante baptiſmum. Poſt baptiſmum presbyteri demum poſſunt Miſſam, ſi neceſſe fuerit, priuatim celebrare, quia iam renati ſunt, de quibus ſpecialiter in Miſſa agere debemus: nec poſtea a lectionibus, quas iam audivimus, ſed a Litania, incipere ſolemus.

LIV. De Paſchali obſervatione.

Iuxta Romanam authoritatem, Agnus in Paſcha benedicitur, non ad altare, ſed ad communem menſam. Credo in unum, & alia huiusmodi, quotidie uſque in octavam dicimus, ut in die ſancto. Verſum Gradualis, Benedictus qui venit, in quinta feria: Lapidem, in ſexta feria congrue dicimus, in qua Dominus a Iudæis reprobatus eſt. In ſabbato infra octavas Paſchæ, Antiphona: Cum eſſet ſero, ad veſperam cantatur, eo quod idem Evangelium apud antiquos uſque ad, Thomas autem, in eodem ſabbato legebatur, ſicut adhuc breviaria Evangeliorum teſtantur. Ad hanc veſperam feriales ſpalmi dicuntur cum Alleluia, & in nocte Dominica nocturna & novem lectiones iuxta Romanum Ordinem. Et ſic deinceps feriales pſalmos ad veſperam & ad nocturnam cum Alleluia dicimus, niſi feſtum occurrat novem lectionum. Semper tamen ad matutinas, Dominus regnavit, recitamus. Sed quia quamplures, omnes dies hinc uſque Octavam Pentecoſtes cum tribus pſalmis & lectionibus obſervare volunt, operæ precium videtur, ut ad authoritatem ſedis Apoſtolicæ recurramus, & inde, quid nobis faciendum ſit, exploremus, unde totius Chriſtianæ religionis formam accepimus. Gregorius Papa in Apoſtolica ſede conſtitutus de hac cauſa tale ſtatutum promulgavit: A die, inquit, reſurrectionis, uſque in ſabbatum in albis, & a die Pentecoſtes uſque in ſabbatum eiusdem hebdomadæ, tres pſalmos tantum ad nocturnas, tresque lectiones antiquo more cantamus & legimus. Omnibus aliis diebus per totum annum, ſi feſtivitas eſt, novem pſalmos & novem lectiones & Reſpon. dicimus: aliis autem diebus duodecim pſalmos & tres lectiones recitamus. In diebus Dominicis octodecim pſalmos, excepto die Paſchæ & die Pentecoſtes, & novem lectiones dicimus. Hoc etiam uſquequaque iuxta Romanum Ordinem ita fieri ſtatuimus, ut ſupra notavimus. In octava Paſchæ hiſtoriam, Dignus es Domine, & Apocalypſin, iuxta ordinem incipimus.

LV. De

Digitized by Google

LV. De feſtis infra Paſchale tempus.

Ab octava Paſchæ uſque in Pentecoſten, in feſto trium Reſponſoriorum, unum Alleluia tantum: Novem vero lectionum, duo Alleluia ad Miſſam cantamus, ſive de reſurrectione, ſive de alio feſto. Et cum duo Alleluia dicimus, non primum, ſed ſecundum repetimus. Præfationem quoque uſque in aſſcenſionem Domini, non omittimus, quia die & nocte Paſchale officium celebramus. Incongruum enim eſſet, ut ſola præfatio ferialiter, & omnia alia Paſchaliter obſervarentur. In nativitate tamen Apoſtolorum Philippi & Iacobi, præfationem de Apoſtolis dicimus: ſicut & de Cruce in Inventione ipſius. Hoc tempore nullius feſti vigiliam ieiunare vel obſervare iubemur, niſi Aſſcenſionis & Pentecoſtes. Hoc quoque congrue in omnibus vigiliis obſervatur, ut Nona de futuro feſto peragatur, ſi tamen poſt Miſſam differtur, videlicet, ut poſtquam de feſto poſt Miſſam incipimus, nullam deinceps cum nona diſſonantiam officiorum faciamus: quam maxime ſancti Patres in diſpoſitione eorundem devitare ſtuduerunt. Sciendum autem quod antiqui de ſanctis communiter in Paſchalibus cantare ſolebant, unde & adhuc de uno quæ ad plures pertinent, cantantur, ut Alleluia, Gaudete: & offertorium, Confitebuntur: & Reſponſorium, In ſervis ſuis. Et hoc ideo, quia in univerſali reſurrectione, cuius typus eo tempore agitur, communis eſt lætitia & feſtivitas iuſtorum. Ideo etiam invenitur in Martyrologiis, ſive in ſacramentariis, feſtivitas ſanctorum Iacobi & Philippi, & omnium Apoſtolorum. Euſebius Papa a beato Petro 52. conſtituit, ut omnes Chriſtiani Inventionem ſanctæ Crucis 5. Nonas Maii ſolenniter celebrarent. Unde & nos illam cum pleno officio obſervare debemus, quod non incongrue ita ordinare poſſumus. Antiphona, Helena. Invitatorium, Alleluia, Regem crucifixum. In I. nocturn. Antiphona, Adoremus. Antiphona, Adoramus. Antiphona, Tuam crucem. Pſal. Domini eſt terra. Conſerva me. Domine in virtute. Verſ. Omnis terra. Reſponſorium, Hoc ſignum crucis. Reſponſorium, Agnus Dei Chriſtus. Reſponſorium, Ecce vicit leo. In ſecundo nocturno, Antiphonæ, Crucem ſanctam, Per ſignum crucis, Nos autem. Pſalmi, Domini eſt terra, Magnus Dominus, Iubilate. Verſus, Dicite in nationibus Dominus regnavit a ligno. Reſponſorium, Dignus es Domine Reſponſorium, Audivi. Reſponſor. Dulce lignum. In tertio nocturno, Antiphona, Salvator mundi. Antiphona, Salva nos. Antiphon. O magnum. Pſalmi, Cantate, prim. Dominus regnavit, exultet, Cantate, ſecundum. Mihi autem abſit gloriari. Reſponſorium, Bonum eſt confiteri Domino. Reſponſorium, Dicant nunc. Reſponſorium, O crux benedicta. Ad laudes matutinales, Antiphona: Helena Conſtantini. Antiphona, Tunc præcepit. Antiphona, Helena ſancta. Antiphona, Cumque aſſcend. Antiphona, Orabat Iudas. In Evangelio, Antiphona: Cum oraſſet Iudas. De ſancto autem Alexandro & ſociis eius poſt Benedicamus, commemorare ſolemus. Exaltatio autem ſanctæ crucis non adeo generaliter & ſolenniter celebratur, & hoc fortaſſe ideo, quia nullum inde tam ſpeciale ſtatutum, ut de inventione, reperitur.

LVI. De Paſcha annotino.

Romani annotinum Paſcha quaſi anniverſarium Paſcha dicunt, quia antiquitus apud illos, qui in priori Paſcha baptizati erant, in ſequenti anno eadem die ad Eccleſiam convenere, ſuæque regenerationis anniverſarium diem cum oblationibus ſolenniter celebraverunt. Cuius diei hoc erat officium, Reſurrexi, per totum. Lectio, Vidi Oſtium. Evangelium, Erat homo ex phariſæis, cum orationibus ad hoc competentibus: quæ omnia apertiſſime de gratia regeneratorum agere videntur. Sed quanvis huiusmodi anniverſarius a paucis uſpiam obſervetur, authentici tamen libri ipſum obſervari debere innuunt, qui nobis lectionem & Evangelium ſub titulo Paſchæ annotini, annuatim præſcribunt. Si enim quilibet ſuum natalem, quo ad æternam mortem natus eſt, obſervat: quanto magis illum obſervare deberet, quo ad æternam vitam regeneratus eſt?

LVII. De Litaniis.

Maior Litania a beato Gregorio Papa primo, pro peſtilentia illius temporis inſtituta eſt, quia & Iohanni Epiſcopo Ravennati ſcribens, diem Litaniæ, tempus cineris & cilicii appellat. Triduanæ autem Litaniæ ante Aſſcenſionem Domini, non Romanæ, ſed Gallicanæ ſunt: quas illas ſanctus Mammertus Viennenſis Epiſcopus inſtituiſſe legitur: quas ſancti Patres non equitando, non veſtibus precioſis utendo, ſed in cinere & cilicio, ſicut & maiorem Litaniam, obſervari ſtatuerunt. In quarum ultima die, id eſt, in vigilia

gilia

Digitized by Google

gilia Aſſcenſionis Domini, canitur officium, Vocem Iocunditatis. Offertor. Viri Galilæi. Communio, Pater cum eſſem.

LVIII. De hebdomada Pentecoſtes.

Ieiunium æſtivale ſemper infra Pentecoſten eſt celebrandum. Nam orationes & lectiones de eodem ieiunio, agunt de feſto ſancti Spiritus. Sicut ergo ieiunium vernale ſemper infra quadrageſimam eſt celebrandum, eo quod quadrageſimalia habeat officia: ita & iſtud infra feſtum Spiritus ſancti, unde habet officia, apte celebratur. Sic enim ſancti Patres iuxta Rom. ordinem de utroque ieiunio conſtituiſſe leguntur. In ieiunio Pentecoſtes, genua non flectimus, iuxta Romanum Ordinem. Quidam etiam ad Miſſam ieiunii, nec Gloria in excelſis prætermittunt, ſed incongrue, cum eadem Miſſa de tertia mutetur ad ſextam. Sunt enim tres horæ in die, ex Dominica paſſione ad celebranda myſteria conſecratæ, videlicet, Tertia, in qua linguis Iudæorum: Sexta, in qua manibus gentilium crucifixus eſt. Nona, in qua emiſit ſpiritum. Inter quas hora tertia in feſtivis diebus maxime obſervatur, ea fortaſſe ratione, quia inter reliquas paſſionis horas, tempori Dominicæ reſurrectionis ſive Nativitatis propinquior eſſe videbatur. Sexta vero vel nona, ieiuniorum officiis deputantur. Excepto autem in Cœna Domini, in ſabbato ſancto Paſchæ & Pentecoſtes, nunquam alicui Miſſæ, Gloria in excelſis aſſcribitur, niſi illi, quam & feſtive ad tertiam celebrare debemus. Ergo non incongrue & Miſſis huius ieiunii, Gloria in excelſis, ſubtrahimus, quas non feſtive ad Tertiam, ſed ad Sextam obſervare ſolemus. Quidam autem ſatis apte in hoc ieiunio duas Miſſas cantant, unam ad Tertiam ſolenniter, cum Gloria in excelſis, ut feſto Spiritus ſancti ſatisfaciant: Alteram poſt Sextam pro ieiunio, ſicut feſto S. Thomæ, ſatisfaciunt in ieiunio hyemali, & feſto ſancti Matthæi in ieiunio autumnali. Item ſancto Marco in Litania maiore, & annunciationi ſanctæ Mariæ in quadrageſima, videlicet ut prior Miſſa feſto, ſecunda vero ſatisfaciat Ieiunio. Ad quod etiam non gradualia, ut antiquitus, ſed alleluia cantamus.

LIX. De octavis Pentecoſtes.

Sequitur Dominica vacans, cui attitulatur lectio, Vidi oſtium: orationem vero, i. e. Deprecationem, ex quadrageſima, & Evangelium de Paſcha annotino mutuavit: officium aut de ipſo die Pentecoſtes, eo quæ octava eius ſit, competenter accepit. Ad nocturnam, novem lectiones iuxta Romanum ordinem dicimus, licet totidem reſponſoria de Spiritu ſancto, in antiquis Antiphonariis non inveniamus. Et hoc fortaſſe ideo, quia Romani non ſingulis lectionibus ſingula ſemper ſubiungunt reſponſoria. Nam Tertium ſive nonum multoties prætermittunt. Nos tamen prædictis novem lectionibus totidem Reſponſoria Alleluiata undecunque collecta, Gregoriano more ſubnectimus, i. e. communiones pro Reſponſoriis accipientes, ut in aliquibus libris reperitur. In craſtinum aut de libris Regum ad nocturnam legimus & canimus, & officium ad Miſſam: Domine in tua, niſi aliquod feſtum celebrare debeamus. Ipſum etiam officium in ſequenti Dominica Romano more poſſumus repetere, ſi tamen eo anno uſque in adventum Domini plures hebdomadæ fuerint. Sin autem, officio: Domine in tua, ſolæ feriæ ſufficiant, ſicut cuilibet Dominicali officio feriæ ſufficiunt, cuius Dominicam aliquod celebre officium occupaverit.

LX. De officio ſanctæ Trinitatis.

Quidam autem officium de ſancta Trinitate, in octava Pentecoſtes inſtituunt, licet non ſit Alleluiatum, quod & per totam ſubſequentem hebdomadam obſervandum putant, ſed non eſt authenticum. Nam quidam Leodienſis Stephanus idem officium, ſicut & hiſtoriam de inventione ſancti Stephani, compoſuiſſe aſſeritur, quæ utraque ab Apoſtolica ſede reſpuuntur. Unde piæ memoriæ Alexander Papa hoc inquiſitus, reſpondit, iuxta Romanum Ordinem nullum diem ſpecialiter aſſcribi debere ſolennitati ſanctæ Trinitatis, ſicut nec ſanctæ unitatis, præcipue cum in omni Dominica, immo quotidie, utriuſque memoria celebretur. Sciendum autem quendam Albinum magiſtrum Karoli Imp. rogatu ſancti Bonifacii Archiepiſcopi, ut aiunt, Miſſales orationes de ſancta Trinitate compoſuiſſe, & in ſecunda feria de ſapientia, In tertia de Spiritu ſancto, In quarta de charitate, In quinta de angelis, In ſexta de Cruce, In ſabbato de ſancta Maria. Et hoc ideo, ut presbyteri illius temporis nuper ad fidem converſi, nondum Eccleſiaſticis officiis inſtructi, nondum etiam librorum copia præditi, vel aliquid haberent, cum quo officium ſuum qualibet die poſſent explere. Unde & adhuc qui-

Digitized by Google

dam eaſdem orationes quotidie, etiam cum propria abundent officia, nolunt prætermittere. In ſingulis quoque hebdomadibus, ſexta feria de Cruce, & ſabbato. De ſancta Maria pene uſquequaque ſervatur, non tam ex authoritate quam ex devotione. Sicut igitur huiuſmodi obſervationes nulli magis hebdomadæ, quam alii, aſſcribuntur. Ita nihilominus & illa de ſancta Trinitate. Incongruum ergo videtur, unam Dominicam cum orationibus Albini, & cantu Stephani, De ſancta Trinitate celebrari: cum omnes Dominicæ authenticis abundent officiis, quæ non minus nobis intimant honorem ſanctæ Trinitatis. Præfationem autem de ſancta Trinitate, quam in diebus Dominicis frequentamus, non ex Albino, ſed ex Romana authoritate ſuſcepimus. Nam hæc eſt una ex illis novem, quas ſolas Pelagius Papa anteceſſor Gregorii conſtituit obſervari. Fecit tamen idem Alboinus in ſancta Eccleſia non contemnendum opus: nam Gregorianas orationes in libris ſacramentorum collegiſſe aſſeritur, paucis aliis adiectis, quas tamen ſub obelo notandas eſſe iudicavit. Deinde alias orationes ſive præfationes, etſi non Gregorianas, eccleſiaſticæ tamen celebritati idoneas collegit, ſicut prologus teſtatur, quem poſt Gregorianas orationes, in medio eiuſdem libri, collocavit.

LXI. De concordia & ordine officiorum.

Sciendum autem, quod ſanctus Gregorius ita Eccleſiaſtica ordinavit officia, ut prima oratio in Miſſa, officio, lectioni & Evangelio ſemper concordet: ſicut in omnibus ſolennitatibus depræhendi poteſt. Sed hanc concordiam in æſtivalibus Dominicis illi maxime confundunt, qui vacantium Dominicarum orationes incongrue aſſumunt. Verbi gratia, ut illam orationem, Deprecationem, quæ etſi in octava Pentecoſtes poſt ieiunium quatuor-temporum legitime ponatur, multoties tamen & inter Dominicas in tertio loco reperitur: & hoc ideo, quia & prædictum ieiunium in ſecunda hebdomada poſt Pentecoſten aliquando, licet incongrue, celebretur. Qui ergo prædictam orationem tertio Dominicali officio applicaverit, concordiam officiorum uſque in adventum Domini ſecundum ordinem diſturbabit. Eodem modo & ille peccabit, ſi quis poſt ieiunium autumnale orationi vacantis Dominicæ, ſive illi orationi, Abſolve, quæ ieiunium præcedit, aliquod ex Dominicalibus officiis adaptaverit. Iis ergo prætermiſſis, ita Miſſales orationes ſingulis officiis feriatim copulentur, ut illa oratio, Omnipotens ſempiterne Deus, qui abundantia pietatis, illi Evangelio, Duo homines, ſocietur, quæ adinvicem adeo concordant, ut devotio Publicani in ipſa oratione exprimi videatur. Item illa ſecreta, Deus qui legalium differentiam hoſtiarum, ſemper iungenda eſt illi offertorio, Sicut in holocauſto. Nam quanvis & aliæ huiuſmodi orationes ſuis officiis indubitanter concordent, in prædictis tamen evidentior concordia notatur: quam qui diligenter obſervaverit, nec antea, nec poſtea concordiam officiorum diſturbabit, ſi per ordinem officiis orationes viritim ſociare voluerit.

LXII. De Dominicali officio non facile prætermittendo.

Iuxta Romanam conſuetudinem, in omni Dominica eccleſiaſtico conventui cum officio Dominicali ſatisfacimus, niſi aliqua multum celebris feſtivitas in ipſa die occurrat, ut feſtum Iohannis Baptiſtæ vel ſancti Petri Apoſtoli: pro quibus non minus quam pro Dominica populus ſolet congregari, quas & in aliis diebus ſolenniſſime celebraremus. Item cum plures ſunt Dominicæ quam officia, non ut quidam differimus, ſed quoties neceſſe fuerit, aliqua repetimus: Illo duntaxat obſervato, ut ultimum officium in proxima tantum hebdomada ante adventum Domini cantetur. Eſt enim præparatio Dominici adventus, qui ſemper in quinta Dominica ante Natale Domini debet initiari, videlicet ut ſicut antiqui Patres per quinque annorum curricula, ſive per quinque libros Moiſis, de adventu Chriſti edocti ſunt, nihilominus & nos per quinque Dominicas de adventu eius inſtruamur, ut iuxta Evangelium eiuſdem diei, de quinque panibus, cum quinque millibus hominum, ſaturari mereamur.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google

Digitized by Google